JOHANNES DUNS SCOTUS · OPERA OMNIA VI. 1

JOHANNES DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

VI. 1

1968

GEORG OLMS VERLAGSBUCHHANDLUNG
HILDESHEIM

Anmerkung des Verlages:
Die falsche Paginierung der Originalvorlage wurde beibehalten.

Reprografischer Nachdruck der Ausgabe Lyon 1639
Printed in Germany
Herstellung: fotokop W. Weihert, Darmstadt
Best.-Nr. 5101857

R. P. F.
IOANNIS DVNS SCOTI,
DOCTORIS SVBTILIS,
ORDINIS MINORVM,
QVÆSTIONES
IN LIB. II. SENTENTIARVM,

Nunc denuò recognitæ, Annotationibus marginalibus, Doctorúmque celebriorum ante quamlibet Quæstionem citationibus exornatæ, & Scholijs per textum insertis illustratæ.

Cum Commentariis R.mi P. F. FRANCISCI LYCHETI Brixiensis, Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ olim Ministri Generalis,

Et Supplemento R.P.F. IOANNIS PONCII *Hiberni, eiusdem Ordinis, in Collegio Romano Hibernorum Theologiæ primarij Professoris.*

TOMI SEXTI PARS PRIMA.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXXIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX

Diſtinctionum, & Quæſtionum in ſecundum Sententiarum.

DISTINCTIO I.

Quæſt. I. *Vtrùm prima cauſalitas reſpectu omnium cauſabilium de neceſſitate ſit in tribus perſonis.* pag. 5

II. *Vtrùm Deus poſſit aliquid creare.* 29

III. *Vtrùm poſſibile ſit Deum producere aliquid aliud à ſe ſine principio durationis.* 42

IV. *Vtrùm creatio Angeli ſit idem Angelo.* 57

V. *Vtrùm Angelus, & anima differant ſpecie.* 108

DISTINCTIO II.

Quæſt. I. *Vtrùm in exiſtentia actuali Angeli ſit aliqua ſucceſſio formaliter.* 124

II. *Vtrùm in Angelo actualiter exiſtente neceſſe ſit ponere aliquid menſurans eius exiſtentiam, vel durationem exiſtentiæ eius, realiter aliud ab ipſa exiſtentia.* 143

III. *Vtrùm omnium æuiternorum ſit vnum æuum.* 161

IV. *Vtrùm operatio Angeli menſuretur æuo.* 165

V. *Vtrùm Angelus ſit in loco.* 188

VI. *An locus Angeli ſit determinatus, punctualis, maximus, minimus.* *ibid.*

VII. *Vtrùm vnus Angelus poſſit eſſe ſimul in pluribus locis.* 213

VIII. *An duo Angeli poſſint eſſe ſimul in eodem loco.* 217

IX. *Vtrùm Angelus poſſit moueri de loco ad locum motu continuo.* 219

X. *Vtrùm Angelus poſſit mouere ſe.* 304

XI. *Vtrùm Angelus poſſit moueri in inſtanti.* 317

XII. *Vtrùm Angelus poſſit moueri ab extremo in extremum, non tranſeundo per medium.* 326

DISTINCTIO III.

Quæſt. I. *Vtrùm materialis ſubſtantia ex ſe, ſiue ex natura ſua ſit indiuidua, vel ſingularis.* 334

II. *Vtrùm ſubſtantia materialis per aliquid poſitiuum intrinſecum ſit de ſe indiuidua.* 373

III. *Vtrùm ſubſtantia materialis per actualem exiſtentiam ſit indiuidua.* 379

IV. *Vtrùm ſubſtantia materialis ſit per quantitatem indiuidua, vel ſingularis.* 382

V. *Vtrùm ſubſtantia materialis ſit hæc, & indiuidua per materiam.* 401

VI. *Vtrùm ſubſtantia materialis ſit indiuidua per aliquam entitatem poſitiuam, per ſe determinantem naturam ad ſingularitatem.* 403

VII. *Vtrùm plures Angeli poſſint eſſe in eadem ſpecie.* 422

VIII. *Vtrùm Angelus poſſit ſe cognoſcere per eſſentiam ſuam.* 433

IX. *An Angelus habeat notitiam naturalem diſtinctam eſſentiæ diuinæ.* 447

Index Diſtinctionum,

X. *Vtrùm vt Angelus cognoſcat quiditates creatas alias à ſe, requiratur neceſſariò vt habeat diſtinctas rationes cognoſcendi eas.* 465

XI. *An Angeli poſſint proficere, accipiendo cognitionem à rebus.* 487

DISTINCTIO IV.

Quæſt.vnic. *Vtrùm inter creationem & Beatitudinem Angeli boni fuerit aliqua mora.* 502

DISTINCTIO V.

Quæſt. I. *Vtrùm Angelus priùs meruerit Beatitudinem, quàm eam acceperit.* 504

II. *Vtrùm Angeli boni fuerint beati in primo inſtanti ſuæ creationis, & Angeli mali miſeri.* 512

DISTINCTIO VI.

Quæſt. I. *Vtrùm Angelus malus potuerit appetere æqualitatem Dei.* 527

II. *Vtrùm peccatum primum Angeli formaliter fuit ſuperbia.* 534

DISTINCTIO VII.

Quæſt.vnic. *An malus Angelus velit neceſſariò malè.* 557

DISTINCTIO VIII.

Quæſt.vnic. *Vtrùm Angelus poſſit aſſumere corpus, in quo exerceat opera vitæ.* 585

DISTINCTIO IX.

Quæſt I. *Vtrùm Angelus ſuperior poſsit illuminare inferiorem.* 592

II. *Vtrùm vnus Angelus poſsit intellectualiter loqui alteri.* 593

DISTINCTIO X.

Quæſt.vnic. *Vtrùm Angeli mittantur.* 648

DISTINCTIO XI.

Quæſt.vnic. *Vtrùm Angelus cuſtodiens poſſit effectiuè aliquid cauſare in intellectu hominis cuſtoditi.* 652

DISTINCTIO XII.

Quæſt. I. *Vtrùm in ſubſtantia generabili, & corruptibili ſit aliqua entitas poſitiua realiter diſtincta à forma.* 664

II. *Vtrùm per aliquam potentiam materia poſſit eſſe ſine forma.* 680

DISTINCTIO XIII.

Quæſt.vnic. *Vtrùm lux gignat lumen tanquam propriam ſpeciem ſenſibilem ſui.* 703

DISTINCTIO XIV.

Quæſt. I. *Vtrùm corpus cœleſte ſit eſſentia ſimplex.* 721

II. *Vtrùm aliquod ſit cœlum mobile, aliud à cœlo ſtellato.* 725

III. *An cœlum agat in hæc inferiora.* 734

DISTINCTIO XV.

Quæſt.vnic. *Vtrùm in corpore animalis, vel in quocunque miſto remaneant elementa ſecundùm ſubſtantiam in actu.* 749

DISTINCTIO XVI.

Quæſt.vnic. *Vtrùm imago Trinitatis conſiſtat in tribus potentijs animæ rationalis realiter diſtinctis.* 760

DISTINCTIO XVII.

Quæſt. I. *Vtrùm anima Adæ fuerit creata in corpore.* 784

II. *Vtrùm paradiſus ſit locus conueniens habitationi humanæ.* 788

DISTINCTIO XVIII.

Quæſt. vnic. *Vtrùm in materia ſit ratio ſeminalis ad formam naturaliter educendam de ipſa.* 798

DISTINCTIO XIX.

Quæſt.vnic. *Vtrùm in ſtatu innocentiæ habuiſſemus corpora immortalia.* 810

DISTIN

DISTINCTIO XX.

Quæſt. I. *Vtrùm filij procreati in ſtatu innocentiæ fuiſſent ſtatim confirmati in iuſtitia.* 818
II. *Vtrùm in ſtatu innocentiæ fuiſſent illi ſoli geniti, qui nunc ſunt electi.* 821
III. *Vtrùm filij in ſtatu innocentiæ creuiſſent in corpore, & ſcientia, ſicut modò.* 825

DISTINCTIO XXI.

Quæſt. I. *Vtrùm peccatum hominis primum in ſtatu innocentiæ potuit fuiſſe veniale.* 830
II. *Vtrùm peccatum Adæ fuerit grauiſſimum.* 834

DISTINCTIO XXII.

Quæſt.vnic. *Vtrùm peccatum primi hominis fuerit ex ignorantia.* 843

DISTINCTIO XXIII.

Quæſt.vnic. *Vtrùm Deus poſſit facere voluntatem creaturæ rationalis impeccabilem per naturam.* 848

DISTINCTIO XXIV.

Quæſt.vnic. *Vtrùm portio ſuperior ſit potentia diſtincta à portione inferiore.* 860

DISTINCTIO XXV.

Quæſt.vnic. *Vtrùm aliquid aliud à voluntate cauſet effectiuè actum volendi in voluntate.* 873

DISTINCTIO XXVI.

Quæſt vnic. *Vtrùm gratia ſit in eſſentia animæ, vel in potentia.* 897

DISTINCTIO XXVII.

Quæſt.vnic. *Vtrùm gratia ſit virtus.* 906

DISTINCTIO XXVIII.

Quæſt.vnic. *Vtrùm liberum arbitrium hominis ſine gratia poſſet cauere peccatum mortale.* 911

DISTINCTIO XXIX.

Quæſt.vnic. *Vtrùm iuſtitiam originalem in Adam neceſſe ſit ponere eſſe aliquod donum ſupernaturale.* 919

DISTINCTIO XXX.

Quæſt. I. *Vtrùm quilibet ſecundùm legem communem propagatus ab Adam contrahat peccatum originale.* 935
II. *Vtrùm iſtud peccatum ſit carentia originalis iuſtitiæ.* *ibid.*

DISTINCTIO XXXI.

Quæſt.vnic. *Vtrùm anima contrahat peccatum originale à carne infecta, concupiſcibiliter ſeminata.* 939

DISTINCTIO XXXII.

Quæſt.vnic. *Vtrùm in Baptiſmo remittatur peccatum originale.* 944

DISTINCTIO XXXIII.

Quæſt.vnic. *Vtrùm peccato originali debeatur tantùm pœna damni.* 960

DISTINCTIO XXXIV.

Quæſt.vnic. *Vtrùm peccatum ſit à bono, ſicut à cauſa.* 966

DISTINCTIO XXXV.

Quæſt.vnic. *Vtrùm peccatum ſit per ſe priuatio boni.* 971

DISTINCTIO XXXVI.

Quæſt.vnic. *Vtrùm peccatum ſit pœna peccati.* 976

DISTINCTIO XXXVII.

Quæſt. I. *Vtrùm peccatum poſſit eſſe à Deo.* 979
II. *Vtrùm voluntas creata ſit totalis cauſa, & immediata ſui* velle, *ita quòd Deus reſpectu illius non habeat aliquam efficaciam immediatam, ſed mediatam.* 990

Index Diſtinctionum,& Quæſtionum.

DISTINCTIO XXXVIII.

Quæſt.vnic. *Vtrùm intentio ſit actus ſolius voluntatis.* 1010

DISTINCTIO XXXIX.

Quæſt. I. *Vtrùm ſyndereſis ſit in voluntate.* 1017
II. *Vtrùm conſcientia ſit in voluntate.* *ibid.*

DISTINCTIO XL.

Quæſt.vnic. *Vtrùm omnis actus ſit bonus ex fine.* 1027

DISTINCTIO XLI.

Quæſt.vnic. *Vtrùm aliquis actus poſſit eſſe indifferens.* 1034

DISTINCTIO XLII.

Quæſt. I. *Vtrùm peccatum poſſit eſſe in cogitatione.* 1042
II. *Vtrùm peccatum poſſit eſſe in ſermone.* 1043
III. *Vtrùm peccatum conſiſtat in opere.* *ibid.*
IV. *Vtrùm diuiſio S.Hieronymi de peccato, ſit ſufficiens.* 1044
V. *De diuiſione peccatorum capitalium.* 1062

DISTINCTIO XLIII.

Quæſt. I. *Vtrùm voluntas peccare poſſit in Spiritum ſanctum.* 1066
II. *Vtrùm voluntas creata poſſit peccare ex malitia, volendo aliquid non oſtenſum ſibi ſub ratione boni veri, id eſt, boni ſimpliciter, &c.* 1071

DISTINCTIO XLIV.

Quæſt.vnic. *Vtrùm potentia peccandi ſit à Deo.* 1075

TABVLA

TABVLA QVÆSTIONVM
tractatarum in Supplemento ſecundi Sententiarum.

QVÆST. I. AN *lux ſit ſubſtantia.* diſt.13.num.2.
II. *An lumen ſit ſubſtantia.* ibid.num.6.
III. *An lumen ſit qualitas intentionalis.* ibid.num.9.
IV. *An lumen requiratur ad videndum ex parte medij.* ibid.num.12.
V. *A qua cauſa producatur radius reflexus & fractus.* num.18.
VI. *Quid videtur per ſpeciem reflexam.* ibid.num.21.
VII. *An lumen producat calorem.* num.29.
VIII. *An in cœlo ſint canales, in quibus Aſtra moueantur.* diſt.14.quæſt.2.num.2.
IX. *An cœlum ſit corpus fluidum.* ibid.num.3.
X. *An Aſtra moueantur penetrando cœlum.* ibid.num.5.
XI. *Quot ſint cœli.* num.6.
XII. *An cœli ſint eiuſdem ſpeciei & perfectionis.* ibid.num.10.
XIII. *Quanto tempore ſuum curſum peragat quodlibet cœlum.* ibid.num.11.
XIV. *A quo moueantur cœli effectiuè.* ibid.num.12.
XV. *An cœli agant in inferiora.* diſt.eadem,quæſt.3.per totum.
XVI. *An detur elementum ignis in concauo Lunæ.* ibid.num.4.
XVII. *Vbi producuntur Cometæ.* num.8.
XVIII. *A quo oriatur effectiuè fluxus, & refluxus maris.* ibid.num.10.
XIX. *Quomodo producuntur animalia imperfecta extra generationem.* num.15.
XX. *Quomodo corpora cœleſtia agunt in animam rationalem.* num.21.
XXI. *An cœli agant per influentias occultas.* num.23.
XXII. *An Paradiſus ſit locus terreſtris.* diſt.17.quæſt.vnic.num.2.
XXIII. *Vbi ſitus erat.* num.4.
XXIV. *An adhuc extet.* num.11.
XXV. *Cur adiri non poſſit iam.* num.13.
XXVI. *Quanta eius magnitudo.* num.14.
XXVII. *Quomodo multiplicarentur homines in ſtatu innocentiæ.* diſt.20.q.vnic.n.2.
XXVIII. *An naſcerentur paruuli.* num.2.
XXIX. *An naſcerentur cum ſcientijs & virtutibus.* num.3.
XXX. *Quid ſit iuſtitia originalis.* diſt.29.quæſt.vnic.per totum.

APPRO

APPROBATIO.

EX commiſſione Reuerendiſſimi P. Magiſtri ſacri Palatij vidi attentè Supplementum Commentariorum Lycheti ſupra ſecundum librum Scoti in Sententias, elaboratum ab admodùm R.P. Fr. Ioanne Poncio S. Theologiæ Lectore in Collegio Romano S Iſidori Patrum Hibernorum ex Seraphico Ordine, in quo ſubtilitatem Magiſtri clara methodo exornat,& ſoliditate doctrinæ claritatem firmat. Omnia Scoto ſubtiliſſimo conſonant, nihil fidei diſſonum, & in nullo Lycheto inferiorem ſe demonſtrat. Propterea dignum luce iudico, die 9. Octobris, anno 1637.

Fr. IOANNES GONZALEZ DE LEON,
Magiſter & Minerua Regens.

IMPRIMATVR.

Fr. NICOLAVS RICCARDIVS,
S. Palatij Apoſtolici Magiſter.

R. P. F.

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI DOCTORIS SVBTILIS

ORDINIS MINORVM,

IN

Secundum librum Sententiarum QVÆSTIONES.

Additis Commentariis R. P. F. FRANCISCI LYCHETI *eiuſdem Ordinis olim Generalis Miniſtri,*

Et ſupplemento R. P. F. IOANNIS PONCII Hiberni eiuſdem Ordinis, S. Theologiæ primarij Profeſſoris in Collegio Romano S. Iſidori FF. Minorum Hibernorum.

DISTINCTIO PRIMA MAGISTRI.

A CREATIONEM rerum inſinuans Scriptura, Deum eſſe Creatorem initiúmque temporis, atque omnium viſibilium, vel inuiſibilium creaturarum, in primordio ſui oſtendit, dicens: In principio creauit Deus cælum & terram. His etenim verbis Moyſes Spiritu Dei afflatus, in vno principio à Deo creatore mundum factum refert, elidens errorem quorundam, plura ſine principio fuiſſe principia opinantium. Plato namque tria initia exiſtimauit, Deum ſcilicet, exemplar & materiam, & ipſa increata ſine principio, & Deum quaſi artificem, non creatorem. *Creator* enim eſt, qui de nihilo aliquid facit. Et *creare* propriè eſt de nihilo aliquid facere. *Facere* verò non modò de nihilo aliquid operari, ſed etiam de materia. Vnde & homo & Angelus dicitur aliqua facere, ſed non creare: vocatúrque factor, ſiue artifex, ſed non creator. Hoc enim nomen ſoli Deo propriè congruit, qui & de nihilo quædam, & de aliquo aliqua facit: ipſe eſt ergo creator, & opifex, & factor: ſed creationis nomen ſibi propriè retinuit: alia verò etiam creaturis communicauit. In Scriptura tamen ſæpè *creator* accipitur tanquam *factor*, & *creare* tanquam *facere*, ſine diſtinctione ſignificationis.

De creatione rerum, quantùm ad principium efficiens. Geneſ. 1. Ambr. in hexam. li. 1. c. 1.

Ex qua ratione propriè dicitur creator, & quid ſit creare, *& quid* facere?

Quod hæc verba, ſcilicet agere *&* facere, *& huiuſmodi, non dicuntur de Deo ſecundùm eam rationem quâ dicuntur de creaturis.*

VEruntamen ſciendum eſt, hæc verba, ſcilicet *creare, facere, agere*, & alia huiuſmodi de Deo non poſſe dici ſecundùm eam rationem, quâ dicuntur de creaturis. [Quippe cùm dicimus eum aliquid facere, non aliquem in operando motum illi ineſſe intelligimus, vel aliquam in laborando paſſionem, ſicut nobis ſolet accidere:] ſed eius ſempiternæ voluntatis nouum aliquem ſignificamus effectum, id eſt, æterna eius voluntate aliquid nouiter exiſtere. Cùm ergo aliquid dicitur facere, tale eſt ac ſi dicatur, iuxta eius voluntatem, vel per eius voluntatem aliquid nouiter contingere, vel eſſe: vt in ipſo nihil noui contingat: ſed nouum aliquid, ſicut in eius æterna voluntate prædeſtinatum fuerat, fiat ſine aliqua motione, vel ſui mutatione. Nos verò operando mutari dicimur, quia mouemur. Non enim ſine motu aliquid facimus. Deus ergo aliquid agere, vel facere dicitur, quia cauſa eſt rerum nouiter exiſtentium: dum eius voluntate res nouæ eſſe incipiunt, quæ ante non erant, abſque ipſius agitatione, vt actus propriè dici non queat: cùm videlicet actus omnis in motu conſiſtat: in Deo autem motus nullus eſt. Sicut ergo ex calore Solis aliqua fieri contingit, nulla tamen in ipſo, vel in eius calore facta motione, vel mutatione. Ita ex Dei voluntate noua habent *eſſe* ſine mutatione auctoris, qui eſt vnum, & ſolum & omniũ principium. Ariſtoteles verò duo poſuit principia, ſcilicet materiã & ſpeciẽ, & tertium operatorium dictum: mundum quoque ſemper eſſe, & fuiſſe.

Aug. l. 1. de Gen. ad literam cap. 18.

Ex quo ſenſu dicitur Deus aliquid facere.

Per ſimile oſtendit.

Circa finẽ 2. de Gener. & 8. Phyſic.

B

Quod Catholicum eſt docet.

HOrum ergo & ſimilium errorem Spiritus ſanctus euacuans, veritatiſque diſciplinam tradens, Deum in principio temporum mundum creaſſe, & ante tempora æternaliter extitiſſe ſignificat, ipſius æternitatem & omnipotentiam cõmendans. Cui voluiſſe, facere eſt: quia, vt prædiximus, ex eius voluntate, & bonitate res nouæ exiſtunt. (Credamus ergo rerum creatarum cœleſtiũ, vel terreſtrium, viſibiliũ, vel inuiſibilium cauſam, non eſſe niſi bonitatẽ creatoris, qui eſt Deus vnus & verus.) Cuius tanta eſt bonitas, vt ſummè bonus beatitudinis ſuæ, quâ æternaliter beatus eſt, alios velit eſſe participes: quam vidit & communicari poſſe, & minui omnino non poſſe. Illud ergo bonum, quod ipſe erat, & quo beatus erat, ſola bonitate non neceſſitate aliis communicari voluit: quia ſummè boni erat prodeſſe velle, & omnipotentiſſimi, nocere non poſſe.

Auguſt. in Ench. ca. 9. in tom. 3.

C

Quare rationalis creatura facta ſit?

ET quia non valet eius beatitudinis particeps exiſtere aliquis, niſi per intelligentiam, quæ quantò magis intelligitur, tantò pleniùs habetur: fecit Deus rationalem creaturam, quæ ſummum bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando poſſideret, ac poſſidendo frueretur. Eámque hoc modo diſtinxit vt pars in ſui puritate permaneret, nec corpori vniretur, ſcilicet, Angeli, pars corpori iungeretur, ſcilicet, animæ. Diſtincta eſt itaque rationalis creatura in incorpoream, & corpoream: & incorporea quidem Angelus, corporea verò homo vocatur ex anima rationali & carne ſubſiſtens. Conditio ergo rationalis creaturæ primam cauſam habuit Dei bonitatem.

Quomodo diſtincta ſit rationalis creatura?

D

Quare

Quare creatus ſit homo, vel Angelus?

E IDeóque ſi quæratur,quare creatus ſit homo,vel Angelus?Breui ſermone reſponderi poteſt, propter bonitatem eius. Vnde Auguſtinus in libro de Doctrina Chriſtiana, Quia bonus eſt Deus,ſumus: & inquantum ſumus, boni ſumus. *Aug.lib.1.c. 32.tomo 3.*

Ad quid creata ſit rationalis creatura?

I ET ſi quæritur,ad quid creata ſit rationalis creatura,reſpondetur,ad laudandum Deum, ad ſeruiendum ei,ad fruendum eo: in quibus proficit ipſa,non Deus. Deus enim perfectus,& ſumma bonitate plenus, nec augeri poteſt,nec minui. Quòd ergo rationalis creatura facta eſt à Deo, referendum eſt ad creatoris bonitatem,& ad creaturæ vtilitatem.

Breuiſſima reſponſio cùm quæritur,quare, vel ad quid,facta ſit rationalis creatura?

G CVm ergo quæritur quare,vel ad quid facta ſit rationalis creatura?Breuiſſimè reſponderi poteſt,propter Dei bonitatem,& ſuam vtilitatem. Vtile nempe ipſi eſt ſeruire Deo,& frui eo. Factus ergo Angelus,ſiue homo propter Deum dicitur eſſe:non quia Creator Deus, & ſummè beatus alterutrius indiguerit officio, qui bonorum noſtrorum non eget:ſed vt ſeruiret ei,ac frueretur eo,cui ſeruire regnare eſt. In hoc ergo proficit ſeruiens,non ille cui ſeruitur. *Pſal.15.*

Sicut factus eſt homo vt ſeruiret Deo:ſic mundus vt ſeruiret homini.

H ET ſicut factus eſt homo propter Deum,id eſt,vt ei ſeruiret, ita mundus factus eſt propter hominem, ſcilicet vt ei ſeruiret. Poſitus eſt ergo homo in medio,vt & ei ſeruiretur,&ipſe ſeruiret:vt acciperet vtrumque,& refflueret totum ad bonum hominis,& quod accepit obſequium,& quod impendit. Ita enim voluit Deus ſibi ab homine ſeruiri, vt ea ſeruitute non Deus,ſed homo ſeruiens iuuaretur:& voluit vt mundus ſeruiret homini, & exinde ſimiliter iuuaretur homo. Totum ergo bonum hominis erat,& quod factum eſt propter ipſum,& propter quod ipſe factus eſt.[Omnia enim (vt ait Apoſtolus)noſtra ſunt,ſcilicet ſuperiora, & æqualia, & inferiora. Superiora quidem noſtra ſunt,ad perfruendum, vt Deus Trinitas. Æqualia, ad conuiuendum,ſcilicet Angeli.] Qui etſi nobis modò ſuperiores ſint,in futuro erunt æquales:qui & modò noſtri ſunt, quia ad vſum nobis ſunt:ſicut res dominorum dicuntur eſſe famulorum, non dominio, ſed quia ſunt ad vſum eorum. Ipſique Angeli in quibuſdam ſcripturæ locis nobis ſeruire dicuntur,dum propter nos in miniſterium mittuntur. *Pſal.8.* *1.Cor.3.d. Omnia noſtra ſūt. Aug. lib.2.quæſt.in Euang. c.33.* *Heb.1.d.*

Quomodo dicitur aliquando in Scriptura,homo factus eſt propter reparationem Angelici caſus?

I DE homine quoque in Scriptura interdū reperitur, quod factus ſit propter reparationem Angelicæ ruinæ, quod non ita eſt intelligendum, quaſi non fuiſſet homo factus ſi non peccaſſet Angelus: ſed quia inter alias cauſas, ſcilicet præcipuas, hæc etiam nonnulla cauſa extitit. Noſtra ergo ſunt ſuperiora & æqualia. Noſtra etiam inferiora quia ad ſeruiendum nobis ſunt facta. *Aug. lib.22. de ciu.cap.1. & in Enchiri.cap.29.*

Quare ita ſit homo inſtitutus, vt anima ſit vnita corpori?

SOlet etiam quæri, cùm maioris dignitatis videretur eſſe anima ſi abſque corpore permanſiſſet, cur vnita ſit corpori? Ad quod primò dici poteſt: *Prima cauſa.* quia Deus voluit, & voluntatis eius cauſa quærenda non eſt. Secundò au- *Secunda cauſa.* tem poteſt dici, quod ideò Deus voluit eam corpori vniri: vt in humana o- *Matth. 22. d. 1. ad Cor. 13. d.* ſtenderet conditione nouum exemplum beatæ vnionis, quæ eſt inter Deum & ſpiritum: in qua diligitur ex toto corde, & videtur facie ad faciem. Putaret enim Creatura ſe non poſſe vniri creatori ſuo tanta propinquitate vt eum tota mente diligeret & cognoſceret, niſi videret ſpiritum, qui eſt excellentiſſima creatura tàm infimæ, id eſt, carni quæ de terra eſt, in tanta dilectione vniri, vt non valeat arctari ad hoc vt velit eam relinquere: ſicut *2. Cor. 5. a.* oſtendit Apoſtolus dicens, Nolumus corpore expoliari, ſed ſuperueſtiri, per quod oſtenditur ſpiritum creatum Spiritui increato ineffabili amore vniri. Pro exemplo ergo futuræ ſocietatis, quæ inter Deum & ſpiritum rationalem in glorificatione eiuſdem perficienda erat, animam corporeis in- *Gen. 2. b. & Iob. 4. d.* dumentis, & terrenis manſionibus copulauit: luteámque materiam fecit ad *Ex Aug. l. de ſpiritu & anima c. 14.* vitæ ſenſum vegetare: vt ſciret homo (quia ſi potuit Deus tam diſparem naturam corporis & animæ in fœderationem vnam, & in amicitiam tantam coniungere, nequaquam ei impoſſibile futurum rationalis creaturæ humilitatem, licèt longè inferiorem, ad ſuæ gloriæ participationem ſublimare.) Quia ergo pro exemplo rationalis ſpiritus in parte vſque ad conſortium terreni corporis humiliatus eſt: ne fortè in hoc nimis depreſſus videretur, addidit Dei prouidentia, vt poſtmodùm cum eodem corpore glorificato ad conſortium illorum, qui in ſua permanſerunt puritate, ſublimaretur: vt quod minùs ex diſpenſatione Creatoris ſui acceperat conditus, poſtmodùm per gratiam eiuſdem acciperet glorificatus. Sic ergo Conditor noſter Deus rationales ſpiritus varia ſorte pro arbitrio voluntatis ſuæ diſponens, illis quos in ſua puritate reliquerat, ſurſum in cœlo manſionem: illis verò quos corporibus terrenis ſociauerat, deorſum in terra habitationem conſtituit: vtriſque regulam imponens obedientiæ, quatenus & illi ab eo vbi erant non caderent, & iſti ab eo vbi erant ad id vbi non erant aſcenderent. Fecit itaque Deus hominem ex duplici ſubſtantia, corpus de terra componens, animam verò de nihilo faciens. Ideò etiam vnitæ ſunt animæ corporibus, vt in eis Deo famulantes maiorem mereantur coronam.

Poſt ſacramentum Trinitatis, de creatura tripartita agendum eſt, & priùs de digniori, id eſt Angelica.

EX præmiſſis apparet rationalem creaturam in Angelicã & Humanam fuiſſe diſtinctam: quarum altera eſt tota ſpiritualis, id eſt, Angelica: altera ex parte ſpiritualis & ex parte corporalis, id eſt, humana. Cùm itaque de his tractandum ſit, ſcilicet de ſpirituali & corporali creatura, de rationali & de non rationali: primò de rationali & ſpirituali, id eſt, de Angelis agendum *Vſque ad 12. diſtinctionem.* videtur: vt à contuitu Creatoris ad cognitionem creaturæ dignioris ratio noſtra intendat: deinde ad conſiderationem corporeæ tam illius quæ eſt rationalis, quàm illius quæ non eſt rationalis deſcendat, vt Trinitatis increatæ Sacramentum tripartitæ creaturæ, eique concretorum atque contingentium ſequatur documentum.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Vtrùm[a] *prima cauſalitas reſpectu omnium cauſabilium de neceſſitate ſit in tribus perſonis?*

Auguſt.1.*de Trin.c.*4.*&* 5. Dionyſ.2.*de diuinis nom.* c.*firmiter*,*de ſum.tri.* D. Tho.1.*p. q.*45. *art.*6. *vbi* Caiet. *& alij.* Henr.*quodl.*6.*q.*2. Ric. *hîc art.*4.*q.*3. Di Bonau.2.*d.*16. *dub.*1. *litera.* Mayron.2.*d.*1, *q.*1. Argentin. *ibid.* Ægid. *par.*1.*diſtinct.*1. Carthuſ. *d.*1.*q.*4. Vide Scot. 4. *Met.q.*4.*de primo princ. c.*3.*in Theorem.*§. *Non poteſt probari Deum actu,& quodl.*8.*art.*1.

1 CIRCA creationem,in hoc Secũdo(vt dictum eſt in lectione)tractat Magiſter de Deo, quantùm ad cauſalitatem eius primariam:& hoc ſpecialiter circa cauſalitatem triplicis cauſæ,quam habet reſpectu creaturæ.

Mag. A. In 2.libro determinat Magiſter de Deo inquantum eius perfectio relucet in operibus creationis.

Quæro primò circa hoc, *Vtrùm prima cauſalitas reſpectu omnium cauſabilium, de neceſſitate ſit in tribus perſonis?* & intelligo reſpectu omnium cauſabilium, in quocunque *eſſe*:& hoc de neceſsitate,ita quod non poſsit eſſe niſi ſit in tribus perſonis.

Quod non:Richar.de Trin. lib.3.cap.16. *Si tantum eſſet vna perſona, adhuc eſſet in ea plenitudo potentiæ,& ſapientiæ*: ergo poſſet producere omne poſsibile.

Circa 1.diſt. in qua determinat de emanatione creaturarum in generali quæruntur ſex.

Item, actio eſt ſuppoſiti: ergo plurium ſuppoſitorum plures actiones: igitur trium perſonarum non poteſt eſſe vna actio: igitur nec vna potentia actiua, vel cauſalitas, reſpectu omniũ cauſabilium:quia cuius eſt potentia,eius eſt actus,1.*de Sõno & vigilia.*

Prætereà,ſicut ſe habet principium operationis ad principium:ita operatio ad operationem. Hæc propoſitio patet in potentia ſenſitiua, intellectiua, & volitiua, & actibus earum:ſed principium creationis eſt aliquid eſſentiale, quia commune tribus; & tale eſt prius,aliquo modo,notionali ſiue perſonali:igitur & actio actione.

COMMENTARIVS.

1 CIRCA Initium Secundi libri quærit Doctor, *Vtrũ prima cauſalitas reſpectu omnium cauſabiliũ de neceſſitate, ſit in tribus perſonis*:intelligendo ſemper reſpectu omniũ cauſabilium, in quocunque *eſſe*, ſiue ſimpliciter, quod eſt *eſſe* exiſtentiæ; ſiue ſecundùm quid,quod eſt *eſſe* cognitum,vel *eſſe* volitum à Deo. Titulus quæſtionis ſatis clarus eſt,& magis patebit reſpondendo ad quæſtionem. Argumenta quoque clara ſunt,

Deinde alia duo proponit argumẽta ad oppoſitũ, quibus probat quòd cauſalitas omniũ cauſabiliũ, reſpectu cuiuſcunq; *eſſe*,de neceſſitate eſt in tribus ſuppoſitis. Primũ tale eſt:*perſonæ diuinæ*,&c.& patet.Secundum eſt: *Bonitas Dei præſupponitur bonitati creaturæ*, &c. Id eſt, priùs communicatur bonitas Dei ad intrà per productionẽ, quàm producatur creatura,quæ eſt bona per participationẽ.

SCHOLIVM.

Poſita triplici ratione pro parte falſa,nunc arguit ad oppoſitum, & ponit ſententiam Henrici, requiri ad creaturarum productionem,productiones ad intra,præcedere tanquam rationes formales producendi, quia notitia in Patre eſt tantum ſimplex,ſed in Filio eſt diſpoſitiua ad opus. Item amor in Patre & Filio,eſt tantùm ſimplicis complacentiæ,at in Spiritu ſancto, eſt affectatiuus ad opus,& quia ad producendum creaturas, non ſufficiunt illi actus ſimplices, oportet in Deo antequam creet eſſe actus notionales. Pro hac in additione ponuntur tres rationes: ſed contra eam adducit Scotus ſex rationes claras.

2 Contrà,perſonæ diuinæ plus conueniunt quàm ſubſtantia, & virtus in creatura:ſed iſta non poſſunt ſeparari in operatione:ergo nec illæ. *Ratio ad opp.*

Item,bonitas Dei præſupponitur bonitati creaturæ:ergo productio productioni.

Hîc dicit[b] Henricus *quodlibeto*,6.*q* 2.tria per ordinem. *Tria de hoc dicuntur ab Henrico. Primum.*

Primum eſt,quod licèt tota notitia quæ eſt in Filio,ſit realiter in Patre:quia nihil conoſcit Filius,quod non cognoſcat Pater:& amor,qui eſt in Spiritu ſancto, ſit in Patre, & Filio:quia nihil amat Spiritus ſanctus,quod non ament Pater & Filius:tamẽ notitia, quæ eſt in Filio,vt in Filio,habet quãdam rationem ſpecialem,quã non habet, vt eſt in Patre. Similiter amor,qui eſt in Spiritu ſancto,vt in Spiritu ſancto,habet quandã rationẽ ſpecialem,quã non habet,vt in Patre & Filio. Notitia enim,vt in Patre,tantũ habet rationẽ notitiæ ſimplicis:in Filio autẽ habet rationẽ notitiæ diſpoſitiuæ.Filius autẽ in diuinis,nihil aliud eſt,quã ars,vel notitia declaratiua eorũ,quæ Pater cognoſcit in ſimplici intelligentia,& diſpoſitiua,& ordinatiua eorũ,quæ producenda ſunt,& modorũ operandi. Amor etiam in Patre & Filio,habet rationẽ amoris ſimplicis cõplacentiæ:ſed in Spiritu ſancto,habet rationẽ affectatiui,& quaſi impulſiui ad opus.Hæc autẽ diſtinctio notitiæ,& amoris in diuinis,poteſt accipi ſecundùm proportionẽ duplicis notitiæ, & amoris,quæ percipiuntur in nobis. Nam artifex primo intuetur ſimpliciter, & ſimplici intuitu,formam operis. Secundò ordinat, & diſponit de faciendo, & modo faciendi: & hæc eſt notitia diſpoſitiua,quæ concipitur ex priori. Similiter ex parte voluntatis, quando offertur artifici forma operis, complacet ſibi primò ſimpliciter in ea: ſecundò afficitur ex complacentia ad productionem eius, & ex *Artifex quid primò intuetur.*

tali affectione dicitur amor affectatiuus qui oritur ex primo. Sic imaginandum eſt, ſecundùm illum, in diuinis, ſcilicet quòd in Patre, eſt quaſi notitia ſimplex, non diſpoſitiua, de productione rei, & modo producendi: ſed in Filio eſt notitia habens rationem huius notitiæ diſpoſitiuæ. Similiter in Patre & Filio eſt amor ſimplicis complacentiæ in rebus intellectis: ſed in Spiritu ſancto eſt amor habens rationem affectatiuam, & inclinatiuam ad opus.

Dictum 2. Henrici. Secundum, quòd dicit opinio iſta, eſt, quòd ad hoc quòd producatur effectus, non ſufficit notitia ſimplex ex parte intellectus: ſed requiritur notitia diſpoſitiua: nec etiam ſufficit volitio ſimplex ex parte voluntatis, ſed requiritur amor, vel volitio affectatiua.

Dictum 3. Ex quo ſequitur tertium, ſcilicet quòd productio extrinſeca creaturarum, præſupponit in eſſentia diuina iſtas perſonas, vt quaſdam rationes formales eſſentiæ, per quas creaturæ immediatè producuntur: & præſupponit productiones: ſicut per quas iſtæ rationes formales acquiruntur.

Concluſio Henrici. Vnde hæc eſt concluſio huius opinionis, quòd productio extrinſeca creaturarũ præſupponit intrinſecam, ſicut cauſam, per quam habet formale principium productiuum immediatè. Sicut enim expreſsè vult Doctor iſte, *quæſtione prænotata*, ſine Verbo & amore productis, actus eſſentiales notitiæ, & amoris in diuinis, non eſſent perfecti, & ſufficientes ad producendum, perficiuntur autem per Verbum, & amorem productum: & ideò iſti duo termini producti, ſcilicet Verbum, & Amor, perficientes actus eſſentiales intelligendi, & volendi in tribus perſonis, ſunt immediatæ rationes formales, & immediata principia producendi creaturas. 3

Ratio 1. Henrici. Pro iſta opinione videtur idem Doctor ibidem innuere tres rationes. Prima eſt talis: Illud, quod producitur per cognitionem ſimplicis notitiæ, & amorem ſimplicis complacentiæ, ſicut per immediata principia producendi, producitur neceſſariò neceſſitate naturalis determinationis ad producendum & modum producendi. Hoc paret, quia talis notitia, & amor, modo naturali ſe habent ad ſuum effectum producendum, & ad vnum determinatum modum producendi non minùs quàm calor ad calefaciendum. Vnde & Philoſophi, qui non poſuerunt in Deo niſi talem notitiam, & talem amorem, poſuerunt mundum procedere neceſſariò à Deo, neceſſitate naturalis determinationis ad producendum, & ad vnum modum producendi tantùm: ita quòd non poſſet non producere, nec alio modo producere quàm produxit: vt patet per Auicennam. 9. *Metaph.* ergo ad hoc quòd Deus produxerit mundum non de neceſsitate, oportet quòd ipſum produxerit tanquam per immediata principia, non per cognitionem ſimplicis notitiæ, & amorem ſimplicis complacentiæ: ſed per notitiam diſpoſitiuam, ſeu conſiliatiuam de producendo, & modo producendi: & per volitionem electiuam, & liberè inclinatiuam in opus, quaſi per actus ſuperuenientes prioribus actibus prædictis, ſed talis notitia diſpoſitiua, & talis amor affectatiuus, ſunt Verbum, & Spiritus ſanctus in diuinis; ergo mundus producitur per Verbum & amorem productum, ſicut per immediata principia producendi ipſum.

Ratio 2. al. intellectualem. Secunda ratio talis eſt: Sicut ſe habet forma naturalis ad producendum effectum ſuum naturaliter, ſic forma intellectualis, & volitio concomitans ipſam ad producendum effectum intelligibiliter, & artificialiter: ſed forma naturalis non eſt immediatum principium operis, ſecundùm quòd eſt perfectio eius in quo eſt, ſed ſolum inquantum induit reſpectum ad opus: ſed ſapientia intellectualis eſſentialis, & amor eſſentialis, non induit iſtum reſpectum, niſi vt ſunt in Verbo, & Amore producto: igitur verbum, & amor productus in quocunque artifice, ſunt immediatum principium operandi artificialiter. 4

Vbi aduertendum, ſecundùm iſtum Doctorem, quòd ſapientia intellectualis, vt eſſentialis, eſt quaſi forma naturalis agentis, ſecundùm quòd eſt perfectio eius in quo eſt: ſed ipſa ſapientia, vt induit rationem verbi eſt quaſi ipſa forma naturalis, vt habens reſpectum & ordinem ad effectum. Vnde ſecundum ipſum, Verbum ex ipſa ratione verbi, habet reſpectum, & ordinem ad ipſas res creandas, quod non habet ſapientia eſſentialis inquantum huiuſmodi.

Ratio 3. Tertia ratio talis eſt: Sapientia ſpeculatiua, & amor ſibi correſpondens, non ſunt immediatum principium operandi; ſed ſolùm ſapientia practica, & amor ſibi correſpondens, vt patet in artifice rationali: quia notitia vniuerſalis, qua conſiderat operabile in vniuerſali, & ſecundùm principia ſua communia, non eſt ſibi ratio operandi: ſed notitia quædam particularis accepta de vniuerſali: ſed ſapientia in diuinis, vt eſt eſſentialis perfectio, eſt ſolùm ſpeculatiua, habens, vt ſic, ideas ſpeculatiuas, & vt rationes cognoſcendi

gnoſcendi tantùm; ſapientia verò perſonalis, quæ Verbum eſt, non eſt tantùm ſpeculatiua ad cognoſcendum, ſed practica continens in ſe ideas, vt ſunt principia operandi: ergo Verbum, & amor ſibi correſpondens, ſunt immediatum principium operandi, & producendi in diuinis. Confirmatur hæc ratio per illud primæ ad Corinth. 2. *Præd camus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam:* virtus autem habet rationem ſcientiæ practicæ. Secundùm hoc etiam dicitur Verbum potentia operatiua Patris, inquantùm ſcilicet habet rationem ſcientiæ practicæ. *Ideæ practicæ ſecundùm Henr. non ſunt in intell. patris, ſed filij.*

5 Contra iſtud [c] primò videtur ſequi, quòd Pater formaliter non creat: nihil enim formaliter agit, quod non eſt in actu, ſecundùm illud, quod eſt proxima ratio agendi: Pater autem non eſt formaliter in actu Verbo, vel Spiritu ſancto. Secundùm autem iſtam poſitionem, Verbum, & Spiritus ſanctus ſunt proxima ratio agendi, & cauſandi, ſicut intellectio, & volitio ſunt remotæ rationes cauſandi: igitur Pater non cauſat formaliter & proximè. *Scotus arguit contra Henr. Vide 3. ad 1. qu. 7.*

Et ſi dicas [d], quòd omnes creant, quia omnes habent vnum verbum intellectu ſuo communi, quo verbo perficitur intellectus eſſentialis, licèt iſtud verbum ſit à Patre ſolo dicente vice omnium: & omnes habent vnum amorem in voluntate communi, licèt ille amor ſpiretur à Patre, & Filio ſimul vice omnium trium. *Henr. vbi ſupra ſoluens argum. principale.*

Contra [e] iſtud ſic arguo, quæro quomodo Pater habet iſtam notitiam genitam? non formaliter, ſecundùm Aug. 7. de Trin. c. 1. quia ſecundùm eum ibidem, *Pater non eſt ſapiens ſapientia genita*: ſed habet ſicut correlatiuum, ſcilicet vt producens habet productum: ſed ſic habens non eſt in actu formaliter eo quod habet: ergo nec formaliter agit actione illa, reſpectu cuius habitum, ſiue illud quod habetur, non eſt formalis ratio agendi.

Videtur [f] etiam vltrà ſequi, quòd Filius, & Spiritus Sanctus non creent: quia communiter formalis ratio agendi non agit illa actione, reſpectu cuius dicitur formalis ratio agendi.

Et ſi [g] dicatur, quòd Filius creat, & Spiritus ſanctus creat; neutra tamen perſona videtur proximè creare, quia neutra eſt in actu per alteram formaliter: & omne agens proximè per intellectum, & voluntatem, eſt in actu, tam notitia, quam volitione, neceſſariis ad talem actum.

6 Præterea [h] ſecundò, quæro quid intelligis per ſapientiam diſpoſitiuam, vel diſponentem, & amorem affectantem? aut enim iſta ſunt appropriata Verbo, & Spiritui ſancto; aut ſunt propria. Si appropriata: ergo ſecundùm veritatem ſunt communia tribus, & ita duæ perſonæ non ſunt proximæ rationales formales creandi, ſi ſunt propria, cùm dicunt reſpectum rationis ad creaturas, quia ſecundùm ipſum, diſpoſitio dicit reſpectum rationis ad diſpoſita, ergo aliquis reſpectus rationis eſt proprius alicui perſonæ diuinæ, quod eſt improbatum *diſtin.* 18. 1. *li* de dono, & *diſt.* 27. *primi* de verbo. *Ratio 2. Scoti. n. 5.*

Præterea, quod [i] dicit de ideis practicis, quòd non ſunt in Patre, ſed in Verbo, ac ſi vna perſona non ſufficeret ad productionem; videtur eſſe contra Auguſt. 15. de Trin. cap. 13. *Ideò Verbum hoc vere veritas eſt, quia quidquid eſt in ea ſcientia, de qua genitum eſt, & in ipſo eſt: quod autem in ea non eſt, nec in ipſo eſt*, & paulo pòſt: *Nouit omnia Deus in ſeipſo, nouit & in Filio*, & pòſt: *Omnia, quæ ſunt in eorum ſcientia, vnuſquiſque eorum ſimul videt.* Ex quibus, & aliis verbis ibidem poſitis, videtur velle manifeſtè, quòd nihil actualius eſt in Verbo, quàm in intellectu patris: & per conſequens non eſt ibi diſtinctiùs quàm in intelligentia Parris. *n. 23. Quæſt. illa d 18. eſt de ſcripto Anglico.*

Præterea quod [k] dicitur ibi Verbum eſſe ad perficiendum intellectionem eſſentialem; videtur falſum. Quia illud, quod eſt ratio agendi alicui actione non manente in agente, non perficitur illa actione: ſicut calidum inquantùm calidum, non perficitur calefactione, quæ recipitur in paſſo: ſed ſecundùm iſtum intellectio eſſentialis eſt ratio gignendi Verbum, & iſta gignitio nõ eſt actio formaliter immanens ipſi patri, quia terminus gignitionis non eſt formaliter Patris; ergo intellectio eſſentialis (quæ eſt ratio gignendi Verbum, ſecundùm eum) non perficitur Verbo producto. *Ratio 4. Verbum non perficit intellectum patris. Vide Hen. quodl. 6. q. 1.*

Quod etiam dicit [l] de notitia vniuerſali, quòd ſit ſpeculatiua, improbatum eſt ſuprà in procemio primi de ſcientia Theologica, vtrùm ſit ſpeculatiua, vel practica: quia concluſiones practicæ reſoluuntur in principia practica, & non in principia ſpeculatiua: ſicut concluſiones ſpeculatiuæ in principia ſpeculatiua, & non in principia practica. *q. 4. n. 18. Quia medium, & extrema debent eſſe in eadem proximitate 1. Poſter. tex. 23.*

Quod etiam [m] dicit, quod ideò poſuerunt Philoſophi Deum neceſſariò producere aliud à ſe, quia negauerunt in eo ſapientiam procedentem diſpoſitiuam, vel diſponentem, & amorem affectantem eſſa productum; non videtur verum, quia volitio eſſen-

In dictum eſt diſt. 32. primi.

tialis, ſiue vt in tribus, ſiue vt in Filio, ſiue vt in Patre, non eſt neceſſariò alterius à ſe: nihil enim aliud à ſe vult voluntas diuina neceſſariò, etiamſi per impoſſibile non eſſet principium productum ad intrà: quia tunc neceſſariò dependeret ad creaturam, quod eſt inconueniens maximum,

COMMENTARIVS.

2 *Henr. quodli. 6.q.1.*

[b] In iſta quæſtione primò recitatur opinio Hẽrici, quæ à Doctore improbatur in pluribus eius dictis; quæ opinio pertractatur in additionibus ſuper ſecundo Doctoris, vide ibi, *in q.* 1. Vt tamen clariùs intelligantur improbationes Scoti contra Henricum adduco aliqua dicta Henrici, contra quæ Doctor arguit. Henricus ergo primò dicit, quòd Verbum, & Spiritus ſanctus ſunt rationes formales agendi ad extrà, & proximæ, ita quòd ſicut dicimus, ignis calore calefacit, vt principio formali calefaciendi, ſic Pater creat Verbo, & Spiritu ſancto, vt principio formali creandi.

Prima ratio Scoti contra Henricum.

[c] *Contra iſtud primo.* Hic Doctor improbat dictum Henrici; & ſententia argumenti ſtat in hoc, quia ſi Pater creat formaliter Verbo, vt principio formali creatiuo, ſequitur, quod Pater erit formaliter in actu Verbo, & Spiritu ſancto, id eſt, quòd ſicut ſi ignis calore calefacit, vt principio formali calefactiuo, ignis erit in actu per calorem inexiſtentem; in actu dico, vt ſit in proxima ratione calefaciendi, ſic ſi Pater creat Verbo, Pater erit in actu per Verbum, id eſt, quòd ratio formalis creandi formaliter, & actualiter erit in Patre. Hoc autem eſt impoſſibile, quia Verbum non eſt formaliter in Patre, quia tunc pater eſſet formaliter Verbum, quod ſatis improbatum eſt *in primo diſt. 2. parte 2. quæſt. 4. & d. 27. quæſt. 1.* Aduerte tamen, quòd quando Doctor dicit, quòd Pater erit in actu per Verbum, quòd principium formale agendi poteſt eſſe formaliter in aliquo duobus modis. Primò, quòd ſit ratio formalis, & quiditatiua ipſius agentis; ſicut dicimus, ignis ſua entitate quiditatiua, & eſſentiali generat ignem. Secundò, quòd ſit ratio formalis agendi accidentalis, vel quaſi; ſicut calor in igne eſt ratio formalis calefaciendi ipſi igni. Primo modo ignis erit in actu ſimpliciter per rationẽ formalẽ. Secũdo modo erit in actu ſecũdum quid; quia per aliquod ſibi aduenies; ſic in propoſito, cùm dicitur, quòd Verbũ eſt ratio formalis agendi ipſi Patri, ſi ſit ratio primo modo, tũc Pater erit in actu ſimpliciter per Verbum. Si ſecundo modo, Pater erit in actu per Verbum, vt per aliquod ſibi additum formaliter. Item, quod dicit Doctor quòd nihil formaliter agit, quod non ſit in actu ſecundùm illud, quod eſt ratio proxima agendi, hoc ſic intelligitur, quòd omne agens actione reali eſt ens in actu, & ratio formalis agendi dat ſibi, quòd actualiter poſſit agere, tota enim perfectio agendi eſt à formali ratione agendi, & hic ſenſus ſatis patere poteſt à Doctor. in primo diſt. 1. q. 2. & diſt. 3. q. 6. & 8. diſt. 7. & 26. & alibi ſæpè.

Eſſe in actu dupliciter poteſt intelligi.

3 *Verbum ſecundũ Henricum eſt ſolius patris, originaliter & productiue, ſenſus eſt quod ſolus pater generat, & producit filiũ.*

[d] Et ſi dicas: dicit Henricus quòd notitia genita, ſiue Verbum, ſuo modo recipitur in intellectu puro, vt patuit in primo, *d. 2. par. 2. q. 4. & d. 27. q. 1.* & quia intellectus eſt communis tribus perſonis, ideò dicit, quòd verbum in tali intellectu eſt commune tribus, licèt Verbum ſit tantùm productum à Patre, hoc idem dicit de Spiritu ſancto, & ſic verum eſt, quòd verbum formaliter creat verbo exiſtenti in intellectu Filij, & ſimiliter Pater creat verbo exiſtenti in intellectu Patris, hoc idem de Spiritu ſancto, & dicit Henricus quòd Verbum eſt productum à ſolo Patre dicente vice omnium, ideſt, quòd ex quo Filius habet intellectum formaliter, & ſimiliter Spiritus ſanctus poſſit dicere verbum, quia tamen pater primò producit verbum in hoc, ſupplet vicem omnium, idem intellige de Spiritu ſancto.

[e] *Contra iſtud ſic arguo.* Hic Doctor improbat reſponſionem Henrici, & ſenſus literæ talis eſt, quòd ſi Pater creat Verbo formaliter, Verbum formaliter erit in Patre, vt ſuprà deduxi, & tunc Pater erit formaliter ſapiens ſapientiâ genitâ, quod eſt contra Aug. 7. *de tri. cap.* 1. Et cùm dicit Henricus quòd verbum eſt in intellectu communi. Contra arguit Doctor, quia ex quo intellectus eſt formaliter in Patre, & verbũ formaliter in intellectu, ſequitur quòd eſt formaliter in Patre, & ſic ſapiens ſapientiâ genitâ, cuius oppoſitum probatum eſt in primo. *d. 2. d. 5. q. 2. & 27. q. 1.*

4 *Difficultas circa reſponſionem Doct.*

¶ Hic occurrit dubium, quia non videtur ſequi, quòd verbum ſit formaliter in Patre, quia eſt formaliter in intellectu Patris, quia certum eſt, quòd eſſentia diuina eſt formaliter in tribus perſonis, & tamen proprietates perſonales fundantur in eſſentia diuina, vt patet à Doctore *in* 1. *d.* 2. *p.* 2. *q.* 3. in vltimo argumento, quo probat productionem eſſe in diuinis, hoc idem probat *d.* 5. *q.* 2. *&* 26. & alibi, & tamen non videtur ſequi, quòd filiatio ſit formaliter in Patre.

Reſponſio.

¶ Reſpondeo, quòd argumentum Doctoris concluſdit contra Henricum, quia ipſe Henricus concedit, quòd notitia genita eſt formaliter in intellectu communi, & formaliter denominat illum, ſed non eſt ſic apud Doctorem, quia proprietates relatiuæ, etſi immediatè ſint in eſſentia diuina, non tamen denominant illã, nec propriè formaliter ſunt in illa, nec ſunt actus, nec quaſi actus eſſentiæ diuinæ, ſed ſunt tantùm, vt quædam rationes ſubſiſtendi, & de iſta materia vide clarè in Doctore in primo *d.* 5. *q.* 1. *&* 2. *& d.* 26. & ſic patet reſponſio ad difficultatem.

Principium quo, & principium quod non ſunt idẽ reſpectu eiuſdem.

[f] ¶ *Videtur etiam vltra ſequi.* Deinde Doctor arguit contra primum dictum Henrici, probando, quòd Verbum non ſit ratio formalis creandi: & ratio ſtat in hoc, nihil, quod eſt ratio formalis creandi puta A, poteſt eſſe principiũ *quod* producens A: iſta patet, quia idem reſpectu eiuſdem non poteſt eſſe principium *quo*, & *quod*: cùm ergo Verbum ſit principium *quo* creandi ipſi Patri, cùm ſit ratio formalis creandi; ergo Verbum non poteſt creare idem, quod patet creat, quia tunc eſſet principium, *quo*, & *quod* reſpectu eiuſdem. Et dicit Doctor quòd communiter ratio formalis agendi non agit illa actione, reſpectu cuius dicitur ratio formalis agendi.

5 *Contra aliquos expoſitores.*

¶ Aliqui ſic exponunt Doctorem quòd anima ſeparata poteſt eſſe, *quo*, & *quod* reſpectu intellectionis, ideò dicit Doctor *communiter*. Sed ſaluo meliori iudicio firmiter tenerem, quòd nihil idem poſſit eſſe principium *quo*, & *quod* reſpectu eiuſdem:

eiuſdem : quod patet ex rationibus formalibus principij formalis agendi, quod habet rationem *quo*, & principij agentis, quod habet rationem *quod*, quæ rationes manifeſtæ ſunt apud Doctor. *in primo d.1.q.2.d.3.q.6.* & vide,quæ ibi expoſui. Nec reputò verum, quòd eadem anima reſpectu eiuſdem intellectionis poſſit eſſe *quo*, & *quod*. Tum quia intellectus,qui ſaltem ex natura rei diſtinguitur ab anima, vt patet à Doctore 2. *d.* 16. erit principium *quo*, cùm ſit potentia intellectiua formaliter exiſtens in anima, & ipſa anima erit principium *quod*. Tum, quia poſito, quòd anima ſit immediatum principium intellectionis, adhuc non ſequitur, quòd idem ſub eadem ratione ſit principium *quo*, & *quod* reſpectu eiuſdem; quia adhuc in anima producente aliquam intellectionem diſtinguo principium *quo*, & *quod*. Nam principium *quo* eſt natura ipſius animæ vt præſcindit ab hæcceitate & principium *quod* eſt ipſa anima hæcceizata,vt poſſet elici ſubtiliter à Doctore *in primo d.1. q.2. d.3.q.6. & q.8. in Quodl.* expreſsè dicit Doctor quòd natura eſt ratio formalis agendi,& ſingularitas eſt conditio agentis.

6 ε *Etſi dicatur quòd filius creat, & Spiritus ſanctus creat*,vult dicere Henricus quòd quamuis Verbum & Spiritus ſanctus ſint rationes formales creandi,ſiue principium *quo* creandi,adhuc tamen ſtat, quòd ſint principium *quod*, & ſic Verbum,& Spiritus ſanctus creant.

¶ Contra hanc reſponſionem inſtat Doctor dicens, poſito,quòd Verbum & Spiritus ſanctus creent, & quòd ſint rationes formales creandi, neutra tamen perſona videtur proximè creare, quia neutra eſt in actu per alteram, id eſt, quòd Verbum non poteſt proximè creare, niſi ſit in actu per Spiritum ſanctum, cùm Spiritus ſanctus ponatur pertinere ad rationem formalem creandi,ſicut & Verbum ponitur.Si ergo Verbum creat per Spiritum ſanctum, vt pertinentem ad rationem formalem creandi,ergo Verbum habet actu formaliter Spiritum ſanctum, & ſimiliter ſi Spiritus ſanctus proximò creat,ergo actu habet formaliter Verbum,cum Verbum ponatur pertinere ad rationem formalem creandi, ſed hoc eſt impoſſibile,vt ſuprà patet:vult enim Henricus quòd Verbum, & Spiritus ſanctus ſunt ratio totalis creandi,quia nec Pater ſolo Verbo creat,ſed Verbo,& Spiritu ſancto,vt duabus rationibus partialibus integrantibus vnam totalem. Et quòd ſic ſint in actu ad hoc,vt creent,patet per literam ſequentem de agente per intellectum & voluntatem.Et quod dicitur de ratione proxima creandi, hoc dicit,quia ſecundùm Henricum,ratio remota creandi eſt intellectio,quæ eſt ratio formalis producendi Verbum ſecundùm ipſum Henricum vt ſupra patuit in primo *d.2.d.6.& 27.*& quia Verbum habet eſſe per intellectionem, ideò dicit Henricus quòd ratio creandi proxima eſt Verbum,& remota eſt intellectio, hoc idem dicit de Spiritu ſancto,& volitione,& ideò Doctor arguit contrà, quia neutra perſona eſt in actu creandi proximè per aliam.

Duplex eſt ſcientia in Deo ſecundùm Henricum.

h *Præterea ſecundò*, Hîc Doctor improbat Henricum quo ad aliud dictum de ſapientia diſponente, & amore affectante: fuit enim opinio Henrici (vt patet in additionibus ſuper ſecundo Doctoris)quòd eſt duplex ſcientia in Deo, ſcilicet diſpoſitiua,quæ eſt perfecta ratio formalis creandi,quæ dictat vltimatè de operabilibus,& ſcientia vniuerſalis,& ſpeculatiua, quæ non ſic dictat; ſimiliter apud ipſum eſt duplex amor,ſcilicet amor affectans,& amor ſimplex,ſiue eſſentialis, & vult ipſe,quòd ſcientia diſponens ſit Verbum,& amor affectans ſit Spiritus ſanctus. Contra quam poſitionem arguit Doctor,ſpecialiter contra ſapientiã diſpoſitiuam, & amorem affectantem; quia iſta aut ſunt appropriata Verbo,& Spiritui ſancto,aut ſunt propria. Si primò, ergo ſunt communia tribus, & ſic duæ perſonæ non ſunt proximæ rationes formales creandi. Si ſecundò, cùm dicant reſpectum rationis ad creaturas : quia ſecundùm Henricum diſpoſitio dicit reſpectum rationis ad diſpoſita, & ſi ſic,ſequitur quòd aliquis reſpectus rationis erit proprius alicui perſonæ diuinæ,quod eſt improbatum *in prim.d.*18.*de dono*,quæ improbatio patet in additionibus primi, & *d.* 27.*primi quæſt.*1. ſimiliter improbabitur in præſenti quæſtione.

7 *Quomodo nõ dentur Ideæ practicæ in Deo?*

i ¶ *Præterea, quod dicit de ideis practicis, &c.* Hîc nota,quòd idea practica ſi daretur in Deo nihil aliud eſſet, niſi cognitio de creatura producenda, ſiue eſſe cognitum creaturæ producendæ dictatiua in praxim, ſed tales ideæ practicæ, quæ tantùm ſunt de contingentibus non dantur in Deo,vt ſubtiliter patet in primo *d.*35.*&* 39.& vide quæ ibi expoſui. Poſito tamen, quòd darentur huiuſmodi ideæ,negat Doctor:quòd ipſæ ideæ,ſiue cognitiones practicæ non ſint in intellectu paterno : quia eadem notitia, quæ eſt in Filio eſt in Patre & Spiritu ſancto,vt ſatis clarè deductum eſt à Scoto *in primo d.*1.2.26.27. *& alibi.* Hoc idem probat hîc per auctoritates, quæ claræ ſunt in litera, aliqualiter tamen expono illam auctoritatem Aug.15.de Trin.cùm dicit: *Ideò verbum hoc verè veritas eſt; quia quicquid eſt in ea ſcientia*,& c.accipit ibi *ſcientiã* pro memoria fœcunda,vt ſatis patet ex Doctore *in* 1 *diſt.*2. *par.*2. *& diſt.*6.*&* 27.Vult dicere,quòd quidquid eſt in memoria fœcunda, eſt etiam in Verbo genito à memoria fœcunda; vt principio formali productiuo.Sequitur:*Nouit omnia Deus in ſeipſo*,id eſt, quòd Deus Pater habens eſſentiam diuinam pro obiecto adæquato, & primario, & alia pro obiecto ſecundario, nouit omnia virtute eſſentiæ, vt in ſe exiſtentis, & quia eſſentia eſt communicata filio,nouit etiam omnia in filio,non quòd notitia Patris dependeat ab eſſentia, vt in Filio, vt ſuprà patuit in 1.diſt.1.q.2.Et vide quæ ibi expoſui.

Eadem notitia quæ eſt in Filio, eſt in Patre, & Spiritu ſancto.

Scientia hîc ponitur pro memoria fœcunda.

8 *Quomodo actio perficiat rationem formalem.*

k *Præterea quod dicitur ibi Verbum eſſe, &c.*in iſta litera Doctoris ſunt aliqua notanda. Primò, quòd intellectio eſſentialis ſecundùm Henricum, eſt ratio formalis in Patre producendi Verbum diuinum, vt ſuprà patuit *in* 1. *diſt.*2.*par.*2.*q.vlti. & diſt.*6.13. 26. 27.*& alibi.* Secundò, rationem formalem perfici actione, poteſt intelligi, vel de actione acta, vel de actione reſpectus. Secundo modo non eſt difficultas:quia ſemper actio reſpectus eſt in agente,vel producente,mediante ratione formali. Primo modo ratio formalis agendi immediatè perficitur actione acta immanente: quod patet in nobis, nam homo intelligit mediante intellectu, & intellectio immediatè perficit intellectum, cùm ſit actio acta immanens, vt patet à Doctore 13.*q.Quodl.*ſed loquẽdo de actione acta tranſeunte, certum eſt, quòd ratio formalis producendi huiuſmodi actionem, non perficitur illa, & hoc eſt,quod dicit Doctor, quòd ſupponendo ſecundùm Henricum, quòd intellectio Patris ſit ratio formalis producendi Verbum,

Intellectio immediatè perficit intellectum.

non

non ſequitur, quòd talis intellectio perficiatur ipſo Verbo; quia productio Verbi paſſiua non eſt in illa, ſed in Verbo, de qua productione paſſiua Verbi ſatis dictum eſt in 1. diſt. 2. 5. 6. 7. 26. & 27.

Si eſſe Dei dependeret eſſentialiter à creatura, nulla creatura exiſtente, per poſſibile etiam Deus non eſſet, quod eſt abſurdiſſimum.

[l] ¶ *Quod etiam dicit de notitia vniuerſali.* Pro clariori intellectione huius literæ, vide quæ diffusè expoſui in vlti. q. prologi.

[m] ¶ *Quod etiam dicit, quod ideò poſuerunt Philoſophi*, &c. Cùm dicit Doctor: ſi voluntas diuina de neceſſitate produceret creaturam, dependeret ab ea, hoc ſic debet intelligi, quia relatio realis in Deo eſt realiter idem, quód Deus, & ſi Deus neceſſitate naturæ produceret creaturam, neceſſariò haberet relationem ad illam, tanquam ad terminum, & ſic per poſſibile, vel impoſſibile creatura non exiſtente, talis relatio, quæ eſt idem, quod Deus non eſſet, & per conſequens Deus non eſſet, & ſic iſto modo *eſſe* Dei dependeret à creatura. De hoc vide ſubtiliter Scotum *in 1. diſtin. 8. quæſt. vlti.* & ſpecialiter vide, quæ ibi expoſui, quomodo ſcilicet illa ratio Philoſophi teneat. Et ex iis patet improbatio opinionis Henrici.

SCHOLIVM.

Diuidit quæſtionem in tres articulos. Quoad primum docet quod cauſalitas reſpectu realiter exiſtentium, neceſſariò eſt in tribus perſonis. Primò, quia productio contingens ſupponit neceſſariam. Secundò, obiectum ſecundarium ſupponit primarium: ergo intellectus & voluntas Dei ſicut priùs amant, ſeu operantur circa eſſentiam, quàm circa alia, prius producunt circa eandem. Tertiò habitudo naturæ ad ſuppoſitum videtur eſſe intimior habitudine ad actum ſecundum. Explicat tres perſonas eſſe vnum principium creaturæ, ſicut Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti; & ſicut Pater non poteſt producere Spiritum ſanctum, donec producat Filium, ſic Pater, & Filius non poſſunt producere creaturam, donec producant Spiritum ſanctum, cui communicant omnem ſuam fœcunditatem, & ideò ſimul cum eis creat: de quo latius Doctor Quodl. 18. ar. 1.

Ad ſolutionem [n] quæſtionis tria ſunt videnda. Primò, quòd prima cauſalitas reſpectu creaturarum eſt neceſſariò in tribus perſonis diuinis: & hoc reſpectu earum vt cauſatarum, quantùm ad verum eſſe, ſiue quantùm ad eſſe ſimpliciter. 8

Secundò propter illud, quod additum eſt in quæſtione de cauſabilibus ſecundùm quodcunque eſſe, videndum eſt de cauſalitate reſpectu omnium cauſabilium, quantùm ad *eſſe* ſecundùm quid, vt eſſe cognitum, vel *eſſe* volitum.

Tertiò, propter illud, quod additur in quæſtione (ſcilicet quod non poſsit aliter eſſe quàm in tribus) Videndum eſt ſi, per impoſsibile, poneretur vna perſona abſoluta, vtrùm poſſet eſſe in ea perfecta cauſalitas reſpectu omnium cauſabilium?

1. concluſ. Quantùm [o] ad primum dico, quòd illa cauſalitas perfecta, neceſſariò eſt in tribus: quod probatur tripliciter.

Neceſſarium non præſupponit contingens. Productio ad intrà præcedit product. ad extrà. Vide Licht. 1. d. 10.

Primò, quia principium duarum productionum, neceſſariæ videlicet, & contingentis, neceſſariò eſt priùs principium neceſſariæ, quàm contingentis: non enim poteſt effectus neceſſarius præſupponere contingentem: ſed bene è contra: ſed aliquid in diuinis eſt principium productionis intrinſecæ, quæ eſt neceſſaria, & aliquid eſt principium productionis extrinſecæ, quæ eſt contingens: igitur priùs neceſſariò eſt in Deo aliquod principium productionis neceſſariæ & ad intrà, quàm in eo ſit aliquod principium productionis contingentis, & ad extrà In illo autem priori, completa productione ad intrà, communicatur tribus perſonis omnis fœcunditas, quæ eis non repugnat: & per conſequens communicatur eis illud, quod eſt principium product uum cauſationis ad extrà: igitur in illo inſtanti, in quo eſt proximum principium in Deo ad producendum aliud contingens ad extrà, illud communicatur tribus.

Obiectum primũ priùs naturaliter præsit, quàm ſecundum. De primo & ſecundo obiecto vide d. 1. q. 2. in primo. Vt dictum eſt 36. d 1. Obiectum ſecundum duplex, extraneum, de quo 1. d. 3 q. 4. & d 35. & hic, & intraneum, 1. quod eſt ibi ex natura rei. de quo 1 d 1 q. 2.

Item, priùs [p] naturaliter eſt primum obiectum præſens potentiæ reſpicienti tale obiectum vt primum, quàm ſecundarium obiectum ſit præſens: & hoc maximè verum eſt, quando ſolum primum obiectum ex natura rei, & ex ſe eſt obiectum: & ſecundarium obiectum non ex ſe eſt obiectum illius potentiæ, ſed ſit per actum iſtius potentiæ in tali eſſe, hoc modo: primum obiectum intellectus diuini & voluntatis diuinæ, eſt ſola eſſentia diuina, & omnia alia ſunt tantùm ſecundaria obiecta & producta aliquo modo in tali eſſe obiecti per actum intellectus diuini, priùs igitur naturaliter eſt eſſentia diuina præſens intellectui ſuo (vt primum obiectum) quàm aliquid aliud: ſed intellectus diuinus habens eſſentiam vt obiectum ſibi præſens, non tantùm eſt potentia operatiua circa illud, ſed etiam potentia productiua notitiæ adæquatæ illi intellectui, vt principio productiuo, & illi eſſentiæ cuius eſt vt obiecti: igitur tunc eſt productiua Verbi infiniti, & per conſequens Verbi geniti in natura diuina. 9

Similiter, voluntas habens eſſentiam illam actu intellectam vt obiectum ſibi præſens, non tantùm eſt potentia operatiua, quâ ſcilicet formaliter habens eam amet ipſum

ipſum obiectum, ſed etiam potentia productiua amoris adæquati infiniti: & per conſequens perſonæ ſpiratæ in natura diuina. Priùs ergo naturaliter quàm intellectus & voluntas diuina habeant, vel reſpiciant aliquod aliud obiectum ſecundarium, habetur completa ratio productionis perſonarum diuinarum intrinſecarum: & per conſequens illæ perſonæ priùs producuntur, quàm aliquod aliud obiectum præſententur: & per conſequens multò magis priùs, quàm aliquod aliud obiectum cauſetur.

10 Præterea tertiò [q] habitudo naturæ ad ſuppoſitum, prior eſt habitudine eius ad actum ſecundum, quia agere præſupponit eſſe & habitudo naturę ac ſuppoſitum pertinet ad *eſſe* & formaliter talis habitudo naturæ ad ſuppoſitum eſt eſſentialis & in *quid*, illa autem habitudo, quæ eſt naturæ ad *agere* non videtur ita eſſentialis: natura igitur diuina, priùs habet eſſe in illis perſonis, quàm ſit principium productionis extrinſecæ.

ADDITIO.

Prima ratio, ſi concludat prioritatem aliquam, non tamen quod productio contingens neceſſariò præexigat neceſſariam, quia iſta proprietas non eſt propter dependentiam contingentis ad neceſſariam: ſed propter principium quo contingens, quod eſt commune vtrique.

Similiter ſecunda ratio accipit, quod intellectus habens eſſentiam diuinam præſentem, priùs quàm obiectum ſecundarium, eſt ratio gignendi: hoc ſic eſt verum, quod, vt eſt ratio gignendi, non requiritur obiectum ſecundarium, tamen ita diceretur è conuerſo, quod obiectum ſecundarium: licèt præexigat obiectum primum eſſe præſens potentiæ, non tamen præexigit, quod eo præſente ſecunda perſona gignatur, vel prima perſona gignat, quia in vna perſona ipſum præſens ſufficit ad præſentationem ſecundarij.

Similiter ad tertium, actio præſupponit naturam in aliquo ſuppoſito: non tamen neceſſariò in multis, vel non in aliquo, quando natura eſt agens.

Sic igitur iſtæ rationes concludunt, ſicut exponitur in tertio articulo: non quod ex ratione harum productionum ſit ordo, & ideò illa ad extrà non propriè dicitur præſupponere, vel præexigere intrinſecam: ſed ordo eſt ex fundamento communi, cui intrinſeca eſt immediatior, & ideo prior.

Secundò quantum ad iſtum articulum videndum eſt, quæ ſit ratio huius.

Quæ ſit ratio formalis creandi.

11 Dico, quòd ratio huius non eſt, ſicut poſitio prima innuebat, ſcilicet quod Verbum, & Scipitus ſanctus ſint rationes formales proximè creandi, vel quod aliquo modo compleant cauſalitatem Patris: imò eadem cauſalitas, & æquè perfecta eſt in Patre ſicut in tribus. Iſta ergo primitas talis eſt in tribus perſonis reſpectu creaturæ, qualis eſt dicta *diſt. 12. primi lib.* in Patre, & Filio, reſpectu Spiritus ſancti. non enim hoc ponitur ibi quaſi imperfectior fœcunditas ſit in vna perſona; quàm in duabus, ſed quia prius communicatur fœcunditas illa Filio, quàm Spiritus ſanctus ſpiretur: & tunc in illo inſtanti originis, quo Pater producit Spiritum ſanctum, illa fœcunditas, quâ producitur, eſt in Patre & Filio: ex hoc ſequitur quòd tunc producitur Spiritus ſanctus à duobus, in quibus eſt illa vna fœcunditas. *q. 1.*

Tres perſonæ vnum principium creaturæ.

Ita hîc priùs naturaliter communicatur natura diuina tribus ſuppoſitis diuinis, ſecundùm rationes iſtas prius poſitas, quàm creatura poſsit immediatè produci: & ideò in illo primo inſtanti, in quo creatura eſt immediatè producibilis, cauſalitas illa vna eſt in tribus perſonis reſpectu creaturarum producendarũ. Et hæc eſt ſententia Aug. 5. de Trin. cap. 14. quòd ſicut Pater & Filius ad Spiritum ſanctum ſunt vnum principium: ſic omnes tres ſunt vnum principium creaturæ, ad ipſam producendam.

COMMENTARIVS.

Reſponſio Scoti ad quæſtionem.

[n] *AD ſolutionem quæſt. tria ſunt videnda.* In ſolutione huius q. ſunt tres articuli principales, quorũ primus eſt, *prima cauſalitas reſpectu creaturarum quantùm ad earum eſſe exiſtentiæ neceſſariò eſt in tribus perſonis.* Secundus eſt, quòd *cauſalitas prima reſpectu omnium creaturarum quantum ad earum eſſe ſecundùm quid*, ſcilicet quantùm ad eſſe cognitum, & volitum earum, *neceſſariò eſt in tribus.* Tertius, ſi per impoſſibile, *eſſet tantùm vna perſona, in ea eſſet perfecta cauſalitas reſpectu omnium cauſabilium*, quantùm ad omne *eſſe*, ſiue ſimpliciter, ſiue ſecundum quid.

¶ ° *Quantùm ad primum dico.* Hîc Doctor tribus rationibus probat primum articulum, qui talis eſt, quòd prima cauſalitas reſpectu creaturarum eſt neceſſariò in tribus perſonis, & hoc quantùm ad *eſſe* ſimpliciter, quod eſt *eſſe* exiſtentiæ. Et prima ratio eſt ibi, *primò quia principium duarum pro, &c.*

Prima ratio.

Dubitatio prima circa primam rationem.

Hæc ratio eſt ſatis clara in litera, tamen pro clariori intelligentia dubitatur circa hoc, quod dicit, quòd quando aliquid eſt principium duarum emanationum, quarum vna eſt neceſſaria, & altera contingens neceſſaria eſt ſimpliciter prior.

¶ Contrà, quia poſito, quòd voluntas diuina in inſtanti naturæ A ſit principium æquè perfectum tam neceſſarij, quàm contingentis, videtur quòd

quòd in inſtanti A poſſit producere contingens, & ſic productio neceſſarij non erit de neceſſitate prior productione contingentis.

Reſponſio multiplex.

Reſpondeo, & primò dico, quòd fortè caſus eſt impoſſibilis. Secundò, quòd ſi caſus eſſet poſſibilis, fortè concluderet de effectu neceſſario, & contingenti diuerſis in natura à voluntate diuina. Sed vbi productum eſt neceſſarium, & ſimpliciter eiuſdem naturæ cum producente, & productum contingens eſt diuerſum in natura; tunc productio neceſſarij eſt ſimpliciter prior productione contingentis. Tertiò dico, quòd quando aliquid perfectè & realiter identificatur cum aliquo, quod ex ſe tam formaliter, quàm originatiuè eſt ſimpliciter neceſſe eſſe, illud præcedit ex ſua ratione formali contingens. Sed emanationes perſonarum ſunt huiuſmodi cum eſſentia diuina, vt patet à Doctore *in 1. diſt. 2. p. 2. q. 1.* in reſpõſione ad vltimum argumentum, & *q. 3. in reſponſione ad primum argumentum principale*, & eſſentia diuina eſt ex ſe neceſſe eſſe tam formaliter, quàm originatiuè, vt patet è Doctore vbi ſuprà.

10 *Dubitatio ſecunda.*

Si iterum dicatur, nonne Deus priùs vult aliquid contingens eſſe, quàm illud producatur ab intellectu diuino in eſſe cognito? & patet, quòd ſic à Doctore *q. vlt. prologi. diſt. 3. q. 4. diſt. 36. primi.* & quæſt. 14. Quodlibet. & ſic illud prius habet *eſſe* volitum contingenter, & pòſt habet *eſſe* cognitum de neceſſitate; quia intellectus diuinus quicquid producit de neceſſitate producit, eſſentia enim diuina eſt ratio producendi omne cognoſcibile in *eſſe* cognito reſpectu intellectus diuini, vt patet à Doctore *in diſt. 39.* & eſſentia, vt eſſentia, tantùm, de neceſſitate mouet intellectum diuinum, tam reſpectu ſui, quàm omnium aliorum, vt patet à Doctore 14. *q. Quodli.* ergo aliquod productum de neceſſitate præſupponit aliud productum contingenter.

Reſpondeo primò, quòd Doctor loquitur de producto neceſſario, & contingenti quantùm ad *eſſe* eorum ſimpliciter, & ſimiliter quando aliquid habet eſſe ſimpliciter de neceſſitate, & aliquid habet eſſe ſecundùm *quid* contingenter, primum de neceſſitate eſt prius. Secundò dico, quòd ſicut Deus vult A contingenter, ita cognoſcit illud volitum contingenter, cùm talis cognitio ſequatur determinationem diuinæ voluntatis, vt patet à Doctore *in prolog. q. vlti. diſt. 36. & 40. primi. & q. 14. Quodlib.* & ſic illud ſic cognitum, non eſt ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium, quia ſi Deus aliter determinaſſet, aliter etiam cognouiſſet, vt patet à Doct. vt ſuprà. Et de huiuſmodi materia, clariùs vide, quæ notaui ſuper 36. d. pri. Doctoris.

Eſſentia quomodo moueat intellectum diuinum?

11 *Difficultas.*

SI ITERVM dicatur quòd productio contingens non neceſſariò præſupponit neceſſariam, quia ſi, per impoſſibile, non eſſet aliqua productio ad intrà, adhuc tamen eſſet, vel poſſet eſſe productio contingens ad extrà. Dico, quòd Doctor non intelligit abſolutè, quòd productio contingens præſupponat neceſſariam, ſed intelligit, quòd quando duæ productiones comparantur ad idem agens, quarum vna eſt neceſſaria, & alia contingens, contingens præſupponit neceſſariam. Tota ergo ratio Doctoris ſtat in hoc, quòd ex quo productio perſonarum, cùm ſit ſimpliciter neceſſaria, & ſimpliciter prior productione creaturarum reſpectu cuiuſcunque *eſſe*, & in tali productione communicatur Filio à Patre, & Spiritui ſancto à Patre, & Filio eadem voluntas, quæ eſt principium formale productiuum creaturæ, & ſic ſequitur, quòd ipſæ tres perſonæ habentes illud idem principium, de neceſſitate ſimul concurrunt ad omne cauſabile per tale principium cauſatiuum. Hoc idem aliæ duæ rationes ſequentes intendunt.

Intellectus diuini eſt duplex obiectũ.

P *Item prius naturaliter.* Hæc eſt ſecunda ratio, quâ probat, quòd productio perſonarum eſt ſimpliciter prior quacunque productione creaturæ reſpectu cuiuſcunque *eſſe*. Et pro clariori intelligentia, aliqua ſunt notanda in iſta litera. Primò, quòd obiectum primum, vt hîc loquitur, accipitur *primum* primitate adæquationis, & hoc in ratione motiui, non autem in ratione terminatiui ſecundùm aliquos, qui ponunt, quòd intellectio diuina non tantùm terminatur ad eſſentiam, quando actu cognoſcitur ab intellectu diuino, ſed quòd etiam terminatur ad obiecta ſecundaria, quando actu cognoſcuntur ab intellectu diuino. Dico tamen, quòd hoc eſt dubium, non enim intellectus diuinus cognoſcit lapidem in ſe, ſed præcisè in eſſentia diuina; & de hoc vide Doctorem *in Quodl. q. 14. art. 3.* & vide quæ ibi expoſui. Accipitur etiam *primum*, à quo actus eſſentialiter dependet, & obiectum *ſecundum*, à quo actus eſſentialiter nõ dependet. Sed tendit in illud virtute primi obiecti, vt patet à Doctore *in primo diſt. 1. q. 2.* & ſic primum obiectum in propoſito de neceſſitate primò reſpicitur à potentia, cuius eſt tale obiectum. Patet, quia obiectum, quod eſt ratio cognoſcendi ſe, & alia, priùs de neceſſitate eſt ratio cognoſcendi ſe, quàm alia, & per conſequens, vt perfectè præſens potentiæ priùs de neceſſitate reſpicitur à tali potentia, quàm ſecundaria obiecta reſpiciantur. Secundò nota, quòd aliquod eſt obiectum ſecundarium reſpectu intellectus diuini. Et hoc eſt in duplici genere, nam quoddam eſt obiectum ſecundarium reſpectu intellectus diuini, quod eſt ibi ex natura rei, vt proprietates hypoſtaticæ, ſimilitudo, & æqualitas in Deo, & de tali obiecto ſecundario loquitur Doctor *in primo, diſt. 1. q. 2.* & non dicitur obiectum ſecundarium ex hoc, quòd quaſi ſecundariò moueat intellectum diuinum ad ſui cognitionem, cùm ſola eſſentia diuina moueat, tam reſpectu ſui, quàm reſpectu aliorum, ſed dicitur obiectum ſecundarium, quia actus intelligendi intellectus diuini non poſſet eſſe reſpectu talis obiecti, niſi priùs ſuo modo dependeret ab obiecto primario, & priùs terminaretur ad illud, vt patet à Doctore vbi ſuprà. Aliud eſt ſecundarium reſpectu intellectus diuini, quod nullo modo eſt ibi ex natura rei, ſed fit obiectum intelligibile tantùm per actum intellectus diuini, producentis talia in eſſe intelligibili: & de tali obiecto ſecundario Doctor loquitur in præſenti ratione, & *in prolog. q. pen. & diſt. 3. q. 4. diſt. 35. 39. 43. primi. & in Quodl. q. 14. & alibi ſæpè.*

12

Quomodo obtectum primum accipiatur.

Notabilia quædam.

Quomodo accipiatur obiectum ſecundarium.

His præmiſſis patet ratio Doctoris quia ex quo eſſentia diuina ex natura rei eſt perfectè præſens intellectui diuino, in ratione primi obiecti intelligibilis, & creaturæ nullo modo ſint præſentes, ex natura rei in ratione obiecti intelligibilis, ſed tantùm fiant præſentes per actum intellectus diuini, ſequitur, quòd intellectus diuinus tam in ratione operatiui, quàm in ratione productiui priùs reſpicit eſſentiam diuinam, quàm obiecta ſecundaria, & ſic in tali priori erit perfectiſſima productio Filij in diuinis. Hoc idem dico de voluntate diuina, quæ priùs reſpicit tam in ratione potentiæ operatiuæ, quàm productiuæ eſſentiam

13

Quomodo intelligat Scotus eſſentiam diuinam eſſe primum obiectum intellectus diuini?

eſſentiam diuinam perfectè præſentem ex natura rei, & actu cognitam, quàm habeat actum circa aliquam creaturam,& ſic in illo priori erit perfectiſſima productio Spiritus ſancti, ante omnem productionem cuiuſcunque creaturæ reſpectu cuiuſcunque eſſe. Et quod dicit Doctor de notitia adæquata,ſiue de verbo infinito,& de amore infinito vide claram expoſitionem, quam feci ſuper primo Doct.diſt.10. Et quod dicit etiam hic,quod eſſentia prius reſpicitur ab intellectu diuino tam in ratione operatiui, quàm productiui, vide *quæ notaui ſuper diſtinct. 2. par. 2. quæſtio. 3. primi Doct.*

¶ *Præterea tertio,habitudo naturæ,*&c. Hæc eſt tertia ratio Doctoris,qua probat principale intentum:& ſtat in hoc,quòd ex quo natura diuina habet priùs habitudinem ad ſuppoſitum, quàm ad *agere*,ſequitur,quòd priùs erit in ſuppoſito,quàm ſit alicui ratio formalis agendi; & ſic priùs erit productio ſuppoſitorum,quàm productio creaturæ: & quia in illo inſtanti, in quo ſuppoſita ſunt, habent eandem voluntatem,quæ eſt ratio producendi ad extrà,ſequitur, quòd de neceſſitate ſimul concurrunt ad productionem cuiuſcunque creaturæ.

14. *Pulchrum dubium circa tertiam rationem.*

INſta litera occurrunt aliqua dubia:primò in hoc,quòd dicit Doctor, quòd *habitudo naturæ ad ſuppoſitum, eſt prior habitudine ipſius ad operationem, ſiue ad actum ſecundum.* Hoc non videtur, quia ſecundùm ipſum, *in primo, diſt.1.q.2.* contra Henricum arguendo,dicit, quòd omnis perfectio eſſentialis in diuinis eſt prior proprietate ſuppoſitali,hoc idem *in 26.28. diſt. primi & q.1. quodl.* Dicit etiam *in primo diſt.7.*quòd licèt agere præſupponat eſſe, non tamen præſupponit rationem ſuppoſiti. Patet, quia generare Filium in diuinis, etſi præſupponat *eſſe* memoriæ fœcundæ, non tamen præſupponit perſonam Patris, cùm illa conſtituatur in *eſſe* perſonali per talem generationem, vt patet à Doctore *in 1.diſt.28.* hoc idem patet in *Quodlib. q.4.* Tum etiam, quia Doctor *in primo, diſt. 2. q.3.* vult, quòd intellectus ſit priùs operatiuus,quàm productiuus, & ſimiliter voluntas, & per conſequens priùs erit actus intelligendi, quæ eſt operatio,quàm ſit productio,& per productionem actiuam conſtituitur Pater in eſſe perſonali, & per paſsiuam conſtituitur Filius, & ſic videtur falſum,quòd eſſentia diuina priùs habeat habitudinem ad ſuppoſitum,quàm ad agere.

Agere præſupponit eſſe.

Reſponſio.

RESPONDEO primò,quòd aliud eſt loqui de actione immanente, cuiuſmodi eſt intellectio, & volitio, & aliud eſt de actione tranſeunte: & concedo,quòd primo modo natura diuina priùs habet intellectionem, & volitionem,quàm intelligatur eſſe in ſuppoſito;ſed non eſt ſic de actione tranſeunte, de qua Doctor in propoſito loquitur. Dico ſecundò, quòd hoc dictum Scoti ſic debet intelligi, quòd prior eſt habitudo naturæ ad ſuppoſitum, quàm ad actum ſecundum,quando ſcilicet natura non poteſt eſſe in prima diſpoſitione ad actum ſecundum, niſi ſit in ſuppoſito, de quo vide Doctorem *in primo,diſt.7.q.vnica.*

15. *Apparens contradictio.*

ADHVC DOCTOR videtur ſibi contradicere,in hoc quod dicit,quòd habitudo naturæ *ad agere* non eſt ita eſſentialis, ſicut habitudo naturæ ad ſuppoſitum;quia *in primo, diſtin.4.quæſtio.2.*videtur concedere,quòd creare primò competat huic Deo,& non ſuppoſito, iſta enim, *Deus creat*,eſt vera, vt ly *Deus* non ſtat pro aliquo ſuppoſito incommunicabili, ergo creare ſecundùm eum videtur immediatius ineſſe naturæ diuinæ, quàm ſuppoſitum.

Secunda dubitatio.

Secundò in quocunque inſtanti ponitur ratio perfecta formalis agendi, poteſt poni actio, ſed in primo inſtanti natura diuina eſt ratio formalis creandi, & perfectiſsima: ergo in illo inſtanti poteſt agere, ſed in illo inſtanti non intelligitur ſuppoſitum. Patet, quia natura diuina eſt prior naturâ ſuppoſito, vt patet hîc *in præſenti quæſt.* & clariùs in primo *diſtin. 8. q. pen. & in quodlib. q. 1. artic. 1.* Nec valet dicere, quòd talis natura non poteſt agere, niſi intelligatur in ſuppoſito, quia ſi per impoſsibile nullum eſſet ſuppoſitum, adhuc poſſet creare,vt patet à Doctore *vbi ſuprà in primo, diſtinctio. 4. quæſtio. 2.*

Natura diuina eſt prior natura ſuppoſito.

Reſponſio.

Reſpondeo ad primum, & dico primò, quòd dictum Doctoris poteſt ſic intelligi, quod Deus non includit neceſſariò ſuppoſitum ad hoc vt creet; quia Deus ſingulariter exiſtens poteſt creare ſufficienter: tamen ex quo de facto natura diuina neceſſario eſt in ſuppoſitis, priùs naturâ conuenit eſſe in illis, quàm agere ad extrà. Dico ſecundo, & magis ad propoſitum, quod licèt creare priùs verificetur de hoc Deo, quàm de ſuppoſitis, non tamen ſequitur, quod hoc prædicatum priùs inſit Deo, quàm Deus inſit ſuppoſitis, prius enim Deus eſt in ſuppoſitis, & poſt conuenit huic Deo creare, & vltimo conuenit per ipſum Deum ſuppoſitis, & ſic debet Doctor intelligi.

Productio ad intrà eſt prior productione ad extrà.

Ad ſecundum dico, quod natura diuina eſt perfectiſsima ratio producendi ad intrà, & producendi ad extrà, tamen non poteſt eſſe ratio producendi ad extrà, niſi priùs ſit ratio producendi ad intrà, quia productio ad intrà eſt quaſi effectus prior productione ad extrà, & ſi per impoſsibile non eſſet productio ad intrà, eſſet poſsibilis ad extrà.

16.

Secundo dubitatur in hoc, quod dicit Doctor quod habitudo naturæ ad ſuppoſitum eſt eſſentialis, & in quid; quia non videtur, quod natura prædicetur in quid de ſuppoſito. Tum quia ſuppoſitum tantùm dicit negationem duplicis communicabilitatis, vt *quo*, & vt *quod*, vt patet à Doctore *in primo, diſtinct. 3. par. 2.quæſt. 1. diſtinct. 23. 25. & 28.* vel dicit negationem duplicis dependentiæ *in tertio, diſtinct. 1. quæſt. 1. in quodlib. quæſt. 19.* & ſic ſuppoſitum creatum, vt includit huiuſmodi negationem dicit tantùm conceptum per accidens: modo de conceptu per accidens nihil per ſe, & in quid prædicatur, vt patet à Doctore *in primo, diſtinct. 2. par. 1. quæſt. 2. & in 3. & alibi.* Si etiam teneatur, quod ſuppoſitum conſtituatur in *eſſe* per aliquod poſitiuum, adhuc non recipiet prædicationem in quid à natura: patet, quia entitas perſonalis non eſt eiuſdem naturæ cum natura, vt expoſui *in 25. diſtin. primi Doct.* Tum etiam, quia ſi teneatur opinio communis, quod ſuppoſita diuina conſtituantur in *eſſe* per relationes, & ſic cum relatiua, non videtur poſſe recipere prædicationem in quid alicuius abſoluti.

Quæ ſit opinio cõmunis de ſuppoſitis diuinis.

Reſponſionem quære, de iſta tamen materia ſcilicet prædicationis in quid naturæ de ſuppoſito, vide quæ notaui ſuper tertio Doct. 1. q.1. & ex his erit facilis reſponſio ad inſtantias ſupradictas.

Dubium.

POSSET etiam dubitari, quia si habitudo naturæ ad suppositum sit essentialis, & in quid, videtur sequi, quòd absolutum sit de essentia relatiui, quod est falsum, & contra Doctorẽ in pluribus locis: quòd autem sequatur, patet, quia *Deus* prædicatur de Patre, vt de supposito. Tum etiam, quia si esset hæc in quid, sequeretur quòd Pater diceret per se vnum conceptum: patet, quia de conceptu non per se nihil prædicatur in quid, vt patet à Doctore *in primo, dist.2 & in tertio, dist.7.* Constitutum enim ex absoluto, & respectiuo non dicit vnum per se conceptum, vt patet. Tum etiam, si conclusio illa esset vera, sequeretur, quòd constitutum ex ente positiuo, & negatione, reciperet prædicationem in quid entis positiui absoluti: patet, quia suppositum creatum vltimatè constituitur in *esse* supposítali duplici negatione, vt patet à Doctore *in primo dist.2. par.2.q.1. & dist. 28. & in tertio dist.1.q. & in quodlib.q.19.*

Absolutum non est de essentia relatiui.

Respondeo ad primum, quòd hoc est in quid, scilicet Pater est Deus ratione deitatis inclusæ in Patre, id est, quòd Pater includit in suo *esse* deitatem, quæ dicit quid, & cùm dico *Deus* prædicatur in quid de Patre, intelligo sic, quòd prædicatur de supposito includente deitatem, sicut *homo* prædicatur in quid de Socrate, quia Socrates includit humanitatem, quæ dicit quiditatem. Et cùm dicitur de conceptu per se, dico, quòd etsi constitutum ex absoluto, & relatiuo in creaturis non dicat vnum per se conceptum, quia nulla relatio est constitutiua suppositi, nec etiam est contractiua naturæ ad esse indiuiduale; in diuinis tamen relatio originis facit vnum per se conceptum cum natura diuina, cùm sit constitutiua suppositi in natura diuina subsistentis.

Constitutum ex absoluto, & relatiuo in creaturis non dicit vnũ per se conceptum in diuinis tamẽ relatio originis facit vnũ per se conceptum.

Ad vltimum dico, quòd natura dicitur prædicari de supposito creato in quid, ratione singularis per se includentis naturam, quia singulare dicit vnum conceptum per se constitutum ex natura, & singularitate.

SCHOLIVM.

Quoad secundum articulum, de esse *secundùm quid, seu diminuto, id est,* esse *cognito, vel volito creaturarum, an sit à tribus: Scotus antequam respondeat, ostendit: si (vt Henricus voluit) essent in intellectu Patris ideæ practicæ, ante productionem ad intrà, sequeretur triplex absurdum. Primum, quòd Spiritus sanctus esset amor creaturæ, & sic creatura esset necessaria, vel Spiritus sanctus contingens. Secundum, Verbum gigneretur de verbo. Tertium, daretur relatio realis personæ diuinæ ad Deum, contra dicta 1.d.30.q.2. Quòd verò tales ideæ non sint necessariæ in Deo ad intelligendum creaturas, solidè probat Doctor. 1. d. 35. quodque non intelligantur creaturæ ante Verbum productum habet 1.d.1. q.2. & d.10. ad vlt. & quodl.14.§. Hîc* intelligendum, *& Quodl.8.art.3. & 1.d.12. ad vlt.*

De causalitate rerum.

QVantùm ad [r] secundum articulum principalem, videtur quòd si in intellectu Patris sint ideæ practicæ, sicut est argutũ contra opinionem primã, ergo Verbũ est genitum de creatura, vt est idea in intellectu Patris: quod etiam confirmatur per Augustinum 15. de Trinit. cap.14. *Natum est de omnibus his quæ sunt in scientia Patris.*

Instantia.

Sed contra istud arguitur, quia tunc Spiritus sanctus non spiratur tantùm vt amor essentiæ diuinæ, sed vt amor omnis amabilis intellecti; & ita ex vi productionis suæ esset amor creaturæ, sicut essentiæ diuinæ: vel ergo Deus necessariò amaret creaturas; vel Spiritus sanctus non necessariò produceretur, quorum vtrumque est falsum.

Item, non [s] tantùm Pater nouit creaturas formaliter, sed etiam nouit Filium formaliter: igitur si de omnibus vt notis Patri gignitur Verbum: de Verbo vt noto Patri gignitur Verbum, & [t] ita Verbum gignitur de Verbo.

ADDITIO.

Item Verbum gignitur actu memoriæ paternæ, non intelligentiæ: ex dist. Secunda primi lib. quæst.7. in memoria autem paterna, vt præcedit quasi intelligentiam, lapis non habet esse *intelligibile: non enim est prius intelligibile quàm intellectum, sed tantùm essentia diuina prius est actu intelligibilis, & ipsa quasi facit omnia alia intellecta, nec prius intelligibilia quàm intellecta: quia tunc secundùm aliquam distinctionem præcederent intelligere, quod est falsum: igitur tantùm sunt virtualiter in memoria, quia essentia est ibi formaliter.*

Si dicatur, quòd ipsa prius relucent vt intelligibilia, quàm actu intelligantur, hoc negandũ est de relucere actu: solummodò verum est de virtualiter relucere, quia essentia diuina actu relucet.

Item lapis in esse intelligibili, vel intellecto, non est formaliter ex se necesse esse: quia tunc in illo esse, *non esset obiectum secundarium, sed primum, quia Deus: igitur productum ab ipso, vt sic, non esset formaliter ex se necesse esse.*

Item, intellectus diuinus vilesceret, si moueretur à lapide: igitur similiter si gignatur ab illo notitia in ipso.

Arist.12. Metaph. tex.51. q.2.

Item, [u] nulla relatio realis alicuius personæ diuinæ videtur esse ad aliquid aliud extra ipsam, vt ad creaturam: *ex dist.30. prim.*: sed geniti ad illud de quo gignitur, si est distinctũ realiter, est relatio realis: ergo verbum non est genitũ de lapide vt noto Patri.

COMMENTARIVS.

QVantum *ad secundũ articulum principalem,* qui est, an prima causalitas respectu creaturarũ, quantũ ad *esse* secundũ quid earũ, sit de necessitate in tribus suppositis. Quantùm ergo ad istum articulũ, dicit primò Doctor, quòd si in intellectu Patris sint ideæ practicæ, sicut argutum est suprà contra

contra opinionem Henrici, videtur ſequi, quod Verbum ſit genitum de creatura, vt eſt idea in intellectu Patris, quia natum eſt de omnibus his, quæ ſunt in ſcientia Patris ſecundùm Auguſt. 15. de Trinit. cap. 14.

Sed contra iſtud arguitur, &c.

Et nota pro clariori intellectu, quòd Doctor hîc non aſſerit ideas practicas eſſe in intellectu diuino, quia ſuprà, hoc improbauit. Sed ſi ponerentur, vt ponit Henricus, Doctor arguit contrà, oſtendendo, quòd ex poſitione tali ſequerentur multa inconuenientia.

Secundò nota, pro intellectione trium rationum, quæ ſunt contra illam poſitionem, quòd ſi idea, puta lapidis, eſt in intellectu Patris, tunc lapis in *eſſe* intelligibili pertinet ad memoriam Patris, ſicut nos dicimus, quòd lapis præſens intellectui noſtro in ratione obiecti intelligibilis pertinet ad memoriam noſtram, vt patet à Doctore *in primo diſt. 2. par. 2. d. 3. q. 7. di. 6. 27. & alibi ſæpè*, & ſicut in nobis intellectio lapidis dicitur produci memoria, id eſt, de intellectu, & lapide exiſtente præſente in ratione obiecti intelligibilis, quia talis intellectio eſt verè expreſſiua talis memoriæ, & ſpecialiter eſt expreſſiua obiecti relucentis in memoria, ſic omne obiectum intelligibile in intellectu Patris videtur pertinere ad memoriam Patris. *Verbum eſt de memoria patris.* Et quia Verbum eſt de memoria Patris, & per conſequens de omni eo, quod pertinet ad memoriam Patris, ſequitur quòd Verbum dicatur verbum lapidis, ſicut etiam dicitur Verbum eſſentiæ, quia expreſſiuum illius, vt patet à Doctore *in primo diſt. 2. par. 2. quæſt. 1. d. 27. 2.* &c. Et ſic contra hanc poſitionem ſpecialiter arguit Doctor primò, quia ſi ſic, tunc ſequeretur, quòd ſicut Verbum dicitur Verbum lapidis, quia lapis habet *eſſe* intelligibile in memoria Patris, de qua producitur, ſic videtur ſequi, quòd Spiritus ſanctus ſit amor lapidis, quia lapis habet *eſſe* amabile, vel amatum in eſſentia diuina amata, quod videtur inconueniens.

19. [s] *Item non tantùm Pater nouit formaliter*, &c. Cùm dicit *nouit formaliter*, id eſt, quòd habet in ſe formaliter notitiam, quâ nouit creaturas, & Filium, aduerte quòd Doctor non intendit arguere, quòd de creaturis, vt notis, &c. quòd ly *vt* ſtet reduplicatiuè, quaſi creatura ſub illa ratione, quâ eſt nota patri, ſit ratio formalis producendi Filium, quia vt ſic nullo modo pertinet ad memoriam productiuam: ſed ſi ponuntur pertinere ad memoriam productiuam, priùs cognoſcuntur ab intellectu diuino, vt in ſimili patet à Doctore hîc, quòd memoria diuina priùs eſt operatiua, quam productiua, & *in primo diſt. 2. par. 2. q. 3.* *Memoria diuina priùs eſt operatiua, quàm productiua.*

[t] *Item nulla relatio realis*, Hæc ratio ſtat in hoc, quòd quando ratio formalis generandi realiter diſtinguitur à genito, videtur dicere relationem realem ad ipſum genitum. Hoc patet à Doctore *in primo diſt. 5. q. 2.* vbi vult, quòd inter terminum formalem generationis, & rationem formalem generandi, ſi realiter diſtinguuntur, ſit relatio realis communicantis, & communicati; ſi verò ſola ratione diſtinguuntur, quòd ſit tantùm relatio rationis. Hoc poſito patet, quòd creatura diſtinguitur realiter à Verbo; ergo ſi Verbum eſſet genitum de creatura, tunc realiter referretur ad ipſũ, quod eſt impoſſibile, vt patet in primo *diſt.* 30. *Creatura diſtinguitur realiter à verbo.*

Aduerte tamen, quòd duæ primæ rationes, ſi intelliguntur de productione Verbi ſecundùm quid, & non ſecundùm eius *eſſe* ſimpliciter, non videntur falſæ, imò veræ. Tertia verò ratio concludit tantùm de productione Verbi ſimpliciter; ſi ergo ideæ practicæ ponantur in Deo, vt rationes formales producendi Verbum, ſecundùm *eſſe* ſimpliciter, tres rationes prædictæ concludunt contra tales ideas. Si verò ponantur rationes formales producendi tantùm ſecundum quid, minimè concludunt aliquod inconueniens. Dico ergo, quòd ſi ideæ ponantur in intellectu diuino, non ex natura rei, ſed tantùm per actum intellectus diuini, ita quòd tantùm pertineant ad memoriam non ex natura rei, ſed per actum intellectus diuini producente illas in *eſſe* intelligibili: & vt ſic non pertinent ad memoriam diuinam ſimpliciter, quæ eſt ratio formalis producendi aliquid in *eſſe* ſimpliciter: ideò verè pertinent ad memoriam ſecundùm quid, quia de illis non producitur aliquid ad intrà ſimpliciter, ſed ſecundùm *eſſe* ſecundùm quid, ſic intelligendo poteſt faciliter reſponderi ad iſtas tres rationes. 20. *Idea ponitur in intellectu diuino, non ex natura rei, ſed per actum intellectus diuini producente illas in eſſe intelligibili.*

Ad primam dico, quòd non eſt inconueniens, quòd Verbum habeat *eſſe* à memoria, quæ includit ſimpliciter intellectum, & eſſentiam, habeat dico *eſſe* ſimpliciter, & quod etiam ipſum habeat *eſſe* ſecundùm quid ab intelligibili exiſtente in memoria Patris, non ex natura rei, ſed per actum intellectus diuini, quia primo modo Verbum eſt ſimpliciter expreſſiuum eſſentiæ diuinæ, per quam habet *eſſe* ſimpliciter, vt ſuprà patuit per Doctorem *in* 1. *diſt.* 2. & 27. *q.* 2. Secundo verò modo habet tantùm *eſſe* ſecundùm quid, & vt ſic eſt ſuo modo expreſſiuum omnis intelligibilis exiſtentis in memoria Patris, & patriformiter dico de Spiritu ſancto. *Quomodo verbum habet eſſe à memoria?*

Ex his etiam patet ſolutio ad ſecundum argumentum, & concedo, quòd non eſt inconueniens Verbum eſſe de ſeipſo ſecundùm quid, vt de intelligibili exiſtente in memoria Patris. *Quomodo verbum ſit de ſeipſo?*

Patet etiam ſolutio ad tertium argumentum, quia relatio Verbi ad creaturam pertinentem ad memoriam Patris in *eſſe* intelligibili modo præexpoſito, non eſt relatio realis, ſed tantùm rationis, quia ad ipſum refertur, vt tantùm habet eſſe ſecundùm quid.

SCHOLIVM.

Hîc ponit duo inſtantia naturæ, per comparationem obiecti ad intellectum & voluntatem diuinam. Vt enim comparatur eſſentia diuina ad illas potentias, eſt primum inſtans, in quo illæ potentiæ operantur & producunt, & ſic completur origo ad intra. Secundum inſtans eſt, vt comparantur illæ potentiæ ad creaturas, in quo eſt originatio creaturarum. Aliter ponit ſigna naturæ 1. d. 5. q. 2. & d. 7. ibi enim conſiderat eſſentiam vt communicabilem in primo ſigno; in ſecundo ſigno, vt communicatam perſonis: in tertio, vt dantem eſſe creaturis: ſed hic ponit ſigna ex comparatione obiecti primarij & ſecundarij, ad intellectum & voluntatem. Explicat duos ordines originis, ſcilicet ad intrà, & ad extrà, & quomodo Pater priùs origine producit lapidem in eſſe intellecto, quàm Filius.

Quantùm [a] ad hoc igitur dico ſic, quòd duo ordines poſſunt intelligi in diuinis, 13.
ſcilicet ordo naturæ,& ordo originis, qui ſunt alterius rationis:& in quocumque gradu vnius ordinis,poteſt totus alius ordo aſſignari.

Exemplum in creatura, vbi eſt ordo naturæ, ordo originis, & ordo durationis, qui ſunt alterius & alterius rationis:& totus vnus ordo poteſt aſsignari in vno gradu alterius ordinis: Accipiatur enim vnum inſtans durationis: in illo inſtanti poſſunt aſsignari omnia ordinata ſecundùm originem & naturam. Accipiatur etiam vnum inſtans naturæ, in eo poſſunt aſsignari omnia ordinata ſecundùm originem. [b] Simpliciter tamen in diuinis ordo naturæ primus eſt, ita quòd ſimpliciter procedendo in primo inſtanti naturæ, debet aſsignari totus primus ordo originis:& ſi in ſecundo inſtanti naturæ aſsignetur ordo originis, non eſt primus ordo originis, ſed ſecundus: quod intelligo ſic:

De ordine naturæ in diuinis.

Ordo naturæ accipitur, comparando obiecta ad intellectum, & voluntatem diuinam: quia comparando eſſentiam ſuam ad intellectum & voluntatem eius, quæ eſt primum obiectum intellectus ſui, & voluntatis ſuæ, eſt primum inſtans naturæ: & comparando alia obiecta, quæ ſunt ſecundaria ad intellectum & voluntatem diuinam, quæ non ſunt ex ſe obiecta,ſed producta per intellectum, & voluntatem in *eſſe* obiecti:eſt ſecundum inſtans naturæ

Primũ inſtans naturæ, in quo primus ordo originis. Diſtin.2. par.2. q.3. n.22.

In primo [c] igitur inſtanti naturæ, ſtando in illo, habetur perſona perfecta, habens memoriam perfectam eſſentiæ diuinæ, id eſt, habens intellectum, cui eſſentia diuina eſt præſens in ratione obiecti actu intelligibilis: & iſta perſona,iſta memoria eſſentiæ diuinæ, poteſt formaliter operari, & formaliter producere: ſicut dictum eſt in primo libro,& priùs aliquo modo intelligitur iſta perſona operari iſta memoria, quàm producere:& in illo priori intelligitur iſta perſona in ſe perfecta, & verè beata in actu intellectus,intelligendo eſſentiam diuinam,ſicut obiectum ſuum. Eadem etiam perſona producendo iſta memoria,producit notitiam adæquatam huic obiecto:& cum hoc obiectum ſit infinitum, producit perſonam formaliter infinitam per ſe ſubſiſtentem. Illi autem perſonæ communicatur voluntas, vt actus primus, non habens adhuc terminum adæquatum productum: iſta vna voluntate perſona prima, & ſecunda operantur circa eſſentiam diuinam tanquam obiectum, amando eam infinitè & tunc ſunt in ſe perfectæ,& verè beatæ in eſſentia diuina. Præter hoc autem iſta eadem voluntate vna in eis, iſtæ perſonæ producunt amorem adæquatum huic obiecto cognito, ſub ratione amabilis:& ita producunt amorem infinitum:& ita ſpirant perſonam diuinam quia nihil eſt formaliter infinitum,niſi quod per identitatem eſt Deus.

Scot.de hoc duplici ordine originis 1.d.1.q. 2. & d. 12. qu. 2. & quodl. 4. art.1.

Stando [d] igitur præcisè in primo inſtanti naturæ, comparando eſſentiam diuinam 14.
ad intellectum,& voluntatem, habetur totus ordo originis primus: quia ſcilicet duæ perſonæ perfectæ originantur: & tota perfectio diuinarum perſonarum ad intrà in intellectu diuino, & voluntate habetur in primo inſtanti naturæ, vt ſunt potentiæ operatiuæ circa illam eſſentiam: quia tota perfectio ſimpliciter cuiuſlibet perſonæ, eſt in intelligendo, & volendo eſſentiam diuinam: quia in intelligendo, & volendo eam ſunt beatæ formaliter. Hoc ergo quantùm ad primum inſtans naturæ.

Secundum inſtans naturæ, in quo 2. ordo originis. Intentiones 2.quomodo in nobis producuntur.

Sequitur ſecundum [e] inſtans naturæ,in quo comparatur intellectus, & voluntas diuina ad aliud obiectum ſecundarium;& quia in illo inſtanti obiectum illud non eſt ex ſe actu intelligibile:ſed fit actu intelligibile per intellectum,ideò non habet *eſſe* in memoria diuina, vt memoria eſt:ſed producitur actu intelligentiæ in tali *eſſe* obiecti. Sicut in nobis intentiones ſecundæ producuntur per intellectum,& non ſunt in memoria, vt memoria eſt: & ſiue poneretur quod haberent eſſe per memoriam, ſiue quod producerentur per intelligentiam in *eſſe* cognito: ſaltem priùs natura quàm habeant *eſſe* in memoria,vel in intelligentia,tam memoria quàm intelligentia eſt in tribus perſonis:& ita inquantum memoria,vel intelligentia eſt in iſtis tribus perſonis,erit ratio producendi iſta in *eſſe*.

Quod eſt in memoria effectiuè concurrit. Scot.1.d.2. q.6.

Non igitur Verbum prima productione producitur de lapide,vt eſt in memoria Pa- 15.
tris:quia vel lapis non habet *eſſe* in memoria Patris,vt memoria eſt principium producendi Verbum: vel ſi habet *eſſe* in memoria, non tamen priùs naturaliter quàm ipſa intelligatur in tribus:& ita poteſt probari,quòd prima cauſalitas reſpectu cauſabilium in *eſſe* cognito, neceſſariò ſit in tribus perſonis: ſicut fuit probatum in ſecunda ratione ad primum articulum,quæ æquè valet ad iſtum articulum.

ADDITIO. *De hoc quod dicit,producitur actu intelligentiæ,dubium eſt:ſaltem non eſt vt formaliter intelligibile,*

telligibile, niſi actu intelligentiæ: licèt ibi producatur quaſi actione memoriæ, non intelligentiæ.

Exemplum de ſecundis intentionibus, fortè non eſt ſimile, quia comparatio obiecti facta per intellectum videtur eſſe intellectus conferentis vt cauſæ: non ſic obiectum abſolutum obijcitur intellectui virtute alterius obiecti excellentis exiſtentis in memoria. Non enim fit intentio ſecunda actu intellecta virtute rei relucentis in memoria: ſicut hic lapis fit intellectus virtute eſſentiæ diuinæ in eius memoria relucentis. Tolle enim actum comparatiuum, ponendo tantummodò abſolutos quoſcunque, lapis erit notus: intentio autem ſecunda ſine actu comparatiuo nunquam erit.

Similiter intentio ſecunda fit per intelligentiam in vero eſſe *ſuo, & non in* eſſe *cognito, ideò prius eſt quàm in cognitione, quia cognoſcitur actu reflexo: lapis autem non fit in ſuo eſſe niſi tantùm diminuto: ideò priùs cognoſcitur actu etiam recto quàm ſit. De hoc diſt. 10. primi libri, quod memoria non tantùm eſt principium notitiæ obiecti relucentis in ipſa formaliter, ſed etiam virtualiter: & ita illud primò eſt formaliter in notitia producta, vel quaſi,*

16 In ſecundo tamen [f] inſtanti naturæ, poteſt aſſignari quidam ordo originis: quia priùs origine Pater intelligit lapidem, quàm Filius: quia Pater intelligit à ſe, Filius non à ſe, ſed hoc habet à Patre: & Spiritus ſanctus à Patre, & Filio.

Quoad intellectionem & productionẽ creaturarũ datur ordo originis inter perſonas diuinas, ſed non eſt origo ſimpliciter.

Sed iſte ſecundus ordo originis, non eſt originatio ſimpliciter: quâ ſcilicet perſonæ diuinæ producuntur in eſſe naturæ diuinæ ſimpliciter: ſed eſt quaſi originatio ſecundùm quid, ſiue conſequens perſonas iam productas.

Exemplum huius in creaturis: ſi ſit origo Socratis à Platone per ſe ſecundùm humanitatem, ordo originis in iſtis, in habendo humanitatem, eſt primus ordo originis ſimpliciter: ordo autem eorum in habendo riſibilitatem, eſt alius ordo originis quaſi ſecundùm quid: quia ſicut in primo inſtanti naturæ Socrates habet humanitatem à Platone: ita in ſecundo habet riſibilitatem ab eo, & ſi priùs naturaliter ambo haberent humanitatem, quàm riſibilitas produceretur, ambo cauſarent ſimul riſibilitatem: & tamen quòd hoc cauſarent, vnus haberet ab alio.

17. Ita dico in propoſito, [g] quòd Verbum eſſe notitiam infinitam genitam, eſt ipſum eſſe infinitam notitiam infinitæ eſſentiæ, & hoc eſt per originationem ipſius à Patre in primo inſtanti naturæ: ſed Verbum eſſe notitiam lapidis, vel habere notitiam lapidis à Patre gignente: hoc eſt quaſi originare Verbum ſecundùm quid, ſiue ſecundùm aliquid aduenies Verbo enti ſimpliciter. Hoc enim non eſt ipſum gigni ſimpliciter ſub ratione perſonæ diuinæ, quia nec ſub ratione notitiæ ſimpliciter infinitæ, & formaliter infinitæ eſſentiæ, vt obiecti per ſe. Licèt enim concomitanter notitia illa infinita, quæ eſt infinitæ eſſentiæ, vt obiecti per ſe, ſit notitia lapidis: quatenus tamen eſt lapidis, non habet à lapide formaliter infinitatem: & ſicut dictum eſt de producto in eſſe intellecto, conſimiliter dici poteſt de *eſſe* volito.

Intellige, quòd priùs origine non tantum dicit à ſe vel non ab alio: ſed à quo alterum. Licèt igitur Pater intelligit lapidem à ſe: ſi tamen inquantum intelligens lapidem, non ſit à quo eſt Verbum, nec ſimpliciter, nec vt intelligens lapidem: Pater non eſt prior origine perfectè Filio, inquantum intelligens lapidem. Hoc ſuppoſitum non videtur verum, quia eſſentia vt in Filio, non minùs eſt perfecta ratio intelligendi omnia, quàm in Patre: igitur ſi Pater ipſa ſola nouit omnia, ſimiliter eſt de Filio. ADDITIO.

Item, ſi eſſentia poteſt Filio eſſe ratio cognoſcendi omnia, igitur eſt. Tunc vltra, licèt ſcientia lapidis in Patre, poſſet eſſe ratio ſcientiæ lapidis in Filio: tamen eſſentia quaſi præuenit lapidem intellectum à Patre, quia efficaciùs mouet.

Itẽ, lapis formaliter notus tantũ eſt in intelligentia patris: illa autem non eſt ratio gignendi.

Item, illud Auguſtini decimoquinto de Trinit. capit. 14. exponitur de his omnibus, ſupple virtualiter, quia de eſſentia, quæ eſt virtualiter omnia illa.

Et ſi arguatur [h] contra iſtud, quia Pater prius origine producit lapidem in *eſſe* cognito, quàm Filius illum producat: igitur vel Filius non producit illum, vel idem bis producitur: vel ſaltem produceretur poſtquam intelligitur eſſe productum, præintelligitur enim in illo priori originis eſſe productum à Patre.

De hoc quodl. 8. ar. 2. licet in eodem inſtãti naturæ tamen prius origine Pater producit lapidem quam Filius.

18. Reſpondeo, Pater producit lapidem priùs origine quàm Filius, hoc eſt à ſe, & Filius non à ſe: & tamen Filius eadem productione producit lapidem, & in eodem inſtanti naturæ, & tamen in eodem inſtanti naturæ poſſunt aſſignari omnes gradus ordinis originis: & ideò non ſequitur, quòd ſit bis productus, niſi prius naturaliter, & in priori inſtanti naturæ produceretur à Patre, quàm à Filio; quod non eſt verum. Nam in illo inſtanti naturæ, in quo Pater producit lapidem in tali *eſſe*, Filius habet eandem naturam, & per conſequens omnem fœcunditatem productiuam, quæ ſibi non repu

repugnat:& ita virtutem producendi lapidem : & ante illud inſtans, ordine naturæ non præintelligitur lapis productus in *eſſe* cognito.

Et ſi dicas : [k] ſaltem priùs origine præintelligitur productus à Patre, quàm à Filio: igitur non poteſt produci à poſteriori origine:igitur nec à Filio,quia Filius non poteſt producere Filium : quia ante originem vis generatiua, vt in Patre habet terminum adæquatum ſibi.

Reſpondeo [l] & dico,quòd non eſt ita in originatione ſecundùm quid, ſicut in originatione ſimpliciter.Originatio enim ſimpliciter ponit originatum in *eſſe* ſimpliciter: & ideò quod in *eſſe* reali præcedit originationem ſimpliciter, præcedit & originatum ſimpliciter : & ideò non poteſt eſſe ab ipſo originato : & inde eſt quòd Verbum non poteſt producere aliud Verbum. Sed in originatione ſecundum quid, originans non producit originatum in aliquo *eſſe* ſimpliciter:& ideò poteſt ſtare cum hoc,quod productio eius præcedat ſic aliquod originatum, quod tamen ſimpliciter non præcedat illud originatum.

Sed [m] hoc non videtur ſufficere, quia ſemper videtur dubium, quomodo Verbum 19.
poteſt producere lapidem in eſſe cognito, & quomodo lapis poſſit produci à Verbo, cum priùs origine producatur à Patre in tali eſſe : & tamen Verbum non poteſt producere Verbum;igitur nec lapidem in eſſe cognito : ſi iſta ſit ratio ibi, quare Verbum non poteſt producere Verbum,quæ ponitur communiter,ſcilicet quia præintelligitur iam terminus adæquatus illius virtutis,vel vis generatiuæ,vt in Patre.

Quare verbum non producit verbum ? explicatur.

Reſpondeo:[m] iſta propoſitio : *Omnis potentia præhabens origine terminum adæquatum, antequam ſit in alio,non eſt illi principium producendi* non eſt vera:niſi addatur, quòd habens illud principium communicatum, non poſsit eſſe realiter ante terminum illum: vel niſi addatur,quòd ab illo habente illud principium, ille terminus non eſt ſecundo producibilis. Ita eſt in productione ſimpliciter,quòd Verbum habens memoriam eandem cum Patre, non poteſt eſſe prius realiter, quàm Verbum ſimpliciter ſit productum:nec etiam eſt aliquod Verbum producibile à Verbo habente memoriam illam: non ſic autem eſt in productione creaturarum in eſſe intelligibili.

Sed iſta reſponſio [n] deſtruit poſitionem quandam, quæ ponitur à multis *diſt.in 7.primi lib.* quæ ponit,quòd Filius non poteſt generare:non enim illa eſt tota ratio,quia ſcilicet memoria vt in Patre,habet terminum adæquatum : ſed oportet addere,quod habet terminum adæquatum illi principio, non producibilem ab eo, cui communicatur tale principium : quia ſi eſſet producibile ab eo, cui communicatur tale principium: tunc communicaretur ei tale principium in ratione principij ad producendum, & ita eo poſſet producere.

Quærendo autem vltrà,quare Verbo habenti eandem memoriam cum Patre, non communicatur ipſa memoria in ratione principij productiui; videtur, quod oporteat probare per aliud, quàm per terminum adæquatum rationi illius principij, vt in Patre.

De hoc vide in 2. q. quodl.

COMMENTARIVS.

21.

Triplex eſt ordo.

QVantùm ad hoc igitur dico, &c.

Pro clariori intelligentia aliqua ſunt præmittenda. Primum, quòd triplex eſt ordo prioris, & poſterioris, videlicet durationis, naturæ, & originis. Ordo durationis eſt, quando aliquid eſt prius alio aliqua duratione. Ordo naturæ eſt, quando aliquid ſecundùm ſuum *eſſe* eſt prius alio naturâ, ita quòd in aliquo inſtanti naturæ habet *eſſe* ſuum perfectum abſque omni poſteriori,ita quòd prius naturâ poteſt verè intelligi, non intellecto poſteriori naturâ. Aduerte tamen, quòd aliquid poteſt dici prius natura tantùm priuatiuè, & aliquid poſitiuè : quam diſtinctionem vide à Doctore *in iſto 2.diſt.1.q.2.& in 1. diſt.8.q.vlt.in 3.diſt.3.q.1.& alibi.*Priùs verò origine eſt,quando aliquid eſt verè originans reſpectu alterius, & poſterius origine, quod eſt verè originatum ab alio,ſic dicimus,quòd Pater in diuinis eſt prior origine Filio, & Filius poſterior origine, quia quicquid habet Filius, originatiuè habet à Patre, & ſimiliter Spiritus ſanctus eſt poſterior origine Patre, & Filio, quia quicquid habet Spiritus ſanctus,originatiuè habet à Patre, & Filio:& tamen dicimus, quòd pater priùs origine ſpirat Spiritum ſanctum : quia virtutem ſpirandi ſimpliciter habet à ſemetipſo, & Filius, poſteriùs origine in reſpectu ad Patrem ſpirat Spiritum ſanctum, & eſt prior origine Spiritu ſancto. De iſtis tamen ſignis originis, & naturæ diuerſimodè loquitur Doctor in diuerſis locis,& ſpecialiter vide,quæ notaui ſuper primo Doc.*d 2. ar. 2.* ibi, *Pater priùs origine eſt beatus.* De iſtis etiam ſignis vide, quæ diffusè expoſui ſuper primum Doc.*d.6. & 41.* contra Gregorium Ariminenſem,Ocham,Ioannem Anglicum, Bachonem, & multos alios.

Notabilis declaratio de prioritatibus originis,naturæ,& durationis.

Quid ſit prius origine.

Secundum præmittendum eſt,quòd totus vnus 22.
ordo naturæ ſcilicet prioris,& poſterioris naturâ, poteſt compleri in vno priori durationis, puta in vno inſtanti temporis : nam in eodem inſtanti temporis ſunt omnia iſta inſtantia naturæ ; quia in primo inſtanti naturæ corpus eſt perfectè organizatum;

ganizatum ; in ſecundo eſt animatum; in tertio, natura eſt hæcceizata , & huiuſmodi , vt patet à Doctore *in 3. diſt. 2.* Similiter in eodem inſtanti naturæ poteſt compleri totus vnus ordo prioris, & poſterioris origine:quia in vno inſtanti naturæ eſt originatio duarum perſonarum , ita quòd Pater eſt prior origine Filio , &c. Non tamen dicimus è contra ſcilicet quòd in vno inſtanti naturæ poſſit compleri vnus ordo durationis, prioris, & poſterioris , nec in vno inſtanti originis poſſit compleri vnus ordo prioris,& poſterioris naturæ , & hoc accipiendo ordinem originis propriè.

In diuinis ordo naturæ eſt ſimpliciter primus. Eſſentia diuina eſt prior natura proprietatibus hypoſtaticis. Quomodo intellectus, & voluntas ſint prius naturâ intellectione, & volitione, quæ ſunt relationes communes.

Tertium præmittendum eſt vnum dictum Doctoris videlicet , quòd in diuinis ordo naturæ eſt ſimpliciter primus,ita quòd ſimpliciter procedendo in primo inſtanti naturæ debet aſſignari totus primus ordo originis , vt dicit in præſenti quæſtione : Dictũ tamen Doctoris ſic debet intelligi, quòd licèt hîc ponat duo inſtantia naturæ in diuinis,ſupple, & in primo ſit tota emanatio perſonarum, & ſecundo emanatio creaturarum, non tamen ſecundùm ipſum ſunt neganda plura alia inſtantia naturæ in diuinis , propter iſta:imò ſunt ponenda plura : quod patet , quia eſſentia diuina eſt ſimpliciter prior natura proprietatibus hypoſtaticis ; & ſimpliciter intellectus, & voluntas diuina ſunt priùs natura intellectione,& volitidne,& etiam eſſentia diuina, cum ſit quaſi productiua intellectionis, & volitionis erit ſimpliciter prior natura eis. Similiter omnis perfectio ſimpliciter in diuinis eſt prior natura proprietatibus perſonalibus,ſiue relatiuis,ſiue abſolutis, & etiam relationibus communibus , vt identitate, æqualitate , & ſimilitudine , quæ omnia poſſunt eſſe nota ex diuerſis dictis Doctoris ſparſim in diuerſis locis. Hîc autem Doctor tantum nominat duo inſtantia naturæ , quia hîc tantùm comparat prius natura,in quo priori ſunt omnes emanationes diuinarum perſonarum perfectè , ad poſterius naturâ , in quo eſt emanatio creaturarum, licèt in illo priori natura , plura inſtantia naturæ aſſignari poſſint,vt ſuprà dixi.Et hoc eſt quod dicit infrà , ordo naturæ accipitur comparando obiectum ad intellectum,&c.

[b] *Simpliciter tamen in diuinis.*&c.

23 *Duplex eſt ordo originis.*

In iſta litera aſſignatur duplex ordo originis ſcilicet vnus ſimpliciter, qui eſt in primo inſtanti naturæ in quo ſimpliciter completur tota originatio perſonarum , ita quòd Verbum ſimpliciter originatur à Patre mediante memoria fœcunda, Spiritus ſanctus à Patre Filio , & mediante voluntate, & eſſentia diuina. Et ordo originis ſecundùm quid eſt, in quo perſona,in ſecundo inſtanti naturæ originatur ſecundùm quid : nam Filius ſecundùm quid originatur de lapide intelligibili exiſtente in memoria Patris , non ex natura rei , ſed tantùm per actum intellectus diuini, vt ſuprà expoſui , & Spiritus ſanctus originatur ſecundùm quid de creatura amabili à voluntate diuina, & hoc eſt , quod dicit Doctor, ſi in ſecundo inſtanti naturæ aſſignetur ordo originis, non eſt primus ordo originis , in quo ſcilicet perſonæ originantur ſimpliciter , ſed eſt ſecundus , in quo ſcilicet originantur ſecundùm quid.

Nota verbũ eſſe de lapide.

Expoſitio litera.

[c] *In primo igitur inſtanti naturæ.* Hanc literam expono pro iunioribus. Cum dicit , *in primo igitur inſtanti naturæ* (comparando ſcilicet primum inſtans naturæ ad inſtans , quo producuntur obiecta ſecundaria , vt ſupra expoſui) *ſtando in illo,habetur perſona perfecta* , quæ ſcilicet conſtituitur ex eſſentia diuina , & proprietate , *habens memoriam perfectam* &c. *in ratione obiecti actu intelligibilis.* Dicitur obiectum actu intelligibile , quando eſt in perfecta diſpoſitione ad producendum actum intelligendi , & dicitur *actu intelligibile* ad differentiam obiecti potentia intelligibilis , quale eſt obiectum non perfectè præſens intellectui , & quando eſt actu intelligibile, tunc eſt pars memoriæ perfectæ , quæ memoria perfecta includit intellectum , & obiectum perfectè præſens, vt clarè expoſui *in primo, diſt. 3. q. 7.* Obiectum verò actu intellectum nullo modo pertinet ad memoriam , cùm vt ſic habeat tantùm *eſſe* diminutum,vt patet à Doctore in primo,diſtin. 8. q. pen. Sequitur *& iſta perſona* ſcilicet Patris *ita memoria eſſentia diuina*, id eſt , mediante eſſentia diuina pertinente ad perfectam memoriam , *poteſt formaliter operari, & formaliter producere.* Dicitur pater formaliter operari iſta memoria ; quia habet in ſe formaliter memoriam,qua poteſt operari ſcilicet intelligere obiectum ; quia principium formaliter productiuum intellectionis eſt memoria. Dicitur etiam iſta memoria formaliter producere,quia,vt eſt principium formale productiuum Verbi , eſt formaliter in Patre.Sequitur,*& priùs aliquo modo intelligitur iſta perſona operari.*

Quid includat memoria.

Quid ſit principium formaliter productiuum. intellectionis.

24 *Difficultas.*

SED dubitatur in hoc, quod dicit, quòd perſona Patris priùs operatur , quàm producat, cùm per productionem conſtituatur in *eſſe* perſonali, tenendo communem opinionem de conſtituentibus perſonas , & ideò operari præſupponit perſonam Patris. Dico breuiter, quòd hoc poteſt intelligi comparando *operari*,& *producere* adinuicem, quia operatio puta intellectio eſt ſimpliciter prior productione actiua Patris, non autem comparando ad perſonam Patris,vt Pater eſt. De hoc ſatis dixi in expoſitione primi.Et cùm dicit,quòd *intelligitur verè beata in actu intellectus*, loquitur tantùm de beatitudine pertinente ad intellectum; quia intellectus diuinus datur formaliter beatus, intelligendo eſſentiam diuinam,quæ eſt obiectum beatificum;ſed non loquitur de beatitudine ſimpliciter,& abſolutè,cùm ipſe velit, quòd beatitudo ſimpliciter conſiſtat in actu voluntatis , vt probat *in 4.d.49.*Sequitur : *Eadem etiam perſona producendo,&c.*

Solutio.

Intellectus diuinus dicitur formaliter Beatus quia intelligit eſſentiam diuinam qua eſt obiectum beatificum.

Sed occurrit difficultas in hoc , quòd dicit, quòd Pater producit perſonam formaliter infinitam.Tum,quia illud,quo formaliter, & vltimatè conſtituitur notitia genita , non eſt infinitum: patet , quia proprietas perſonalis nullam perfectionem dicit:ergo nec notitia genita erit formaliter infinita. Tum,quia aut *notitia* genita accipitur pro notitia eſſentiali,& illa non eſt genita, ſicut nec eſſentia,vt patet à Doctore *in primo,diſt. 5.q. 1.* Aut accipitur pro proprietate & illa non eſt formaliter infinita;aut accipitur pro conſtituto ex notitia eſſentiali,& proprietate,& tunc non erit formaliter infinitum,niſi etiam conſtituentia ſint formaliter infinita ; aliter ens infinitum eſſet conſtitutum ex ente finito , vel ex ente non infinito. Tum , quia ſequeretur , quòd eſſet genitum ante genitum:patet,quia primus terminus formalis diuinæ generationis eſt eſſentia diuina,vt patet à Doctore *in primo,diſt.2.par.2.diſt.5.q.2.* & ſic eſſentia , & proprietate conſtituitur ſecunda perſona. Sed ſi notitia ſit genita , terminus formalis

25 *Occurrit dubium.*

Terminus formalis diuinæ generationis eſt eſſentia diuina.

erit notitia eſſentialis, & ſic ex tali notitia, & proprietate erit aliud genitum.

Reſponſio. Reſpondeo ad primam, & ſecundam inſtantiam ſimul, quòd ideò dicitur notitia formaliter infinita, eo quòd includit formaliter aliquid, quod eſt formaliter infinitum, ſcilicet ipſam notitiam eſſentialem: & licèt ſit vltimatè à proprietate, tamen omnem perfectionem habet à natura diuina: per proprietatem enim non conſtituitur in aliqua perfectione, ſed tantùm in *eſſe* incommunicabili. Et poſito, quòd perſona filij ſit conſtituta ex eſſentia, & proprietate, tamen

Perſona Filij à ſola eſſentia habet perfectionem infinitam.

à ſola eſſentia habet perfectionem infinitam, ſicut Socrates habet tantùm *eſſe* quiditatiuum à ſola natura contracta, & nullo modo à ſingularitate, quamuis per eam conſtituatur in *eſſe* ſingulari.

Sola eſſentia eſt primus terminus formalis,

Ad tertiam inſtantiam dico, quòd ſola eſſentia diuina eſt primus terminus formalis generationis, & quiditatiuus, omnis alia perfectio vt bonitas, notitia eſſentialis, & huiuſmodi, eſt terminus formalis, & quaſi denominatiuus, & concomitans primum terminum formalem, vt patet à Doctore in primo, diſt. 5. q. 1.

26 Sequitur in text. *Illi autem perſonæ communicatur voluntas, &c.* Cùm dicit de voluntate, quòd eſt actus primus reſpectu productionis Spiritus ſancti, non excludit eſſentiam: nam ipſa

Eſſentia eſt actus primus.

eſſentia eſt etiam actus primus, imò principaliter concurrit ad productionem Spiritus ſancti, vt patet à Doctore *in Quodlib. quæſt. 2. art. 3.* & vide quæ ibi expoſui, & ſic litera ſequens debet intelligi, videlicet, quòd eſſentia diuina non intelligatur excludi, ſaltem in productione Spiritus ſancti, vtrum modò concurrat ad volitionem, an ſola voluntas diuina de hoc aliàs. Sequitur, *iſtæ perſonæ producunt amorem adæquatum*, &c. *Amor* hîc accipitur pro perſona Spiritus ſancti, quæ dicitur amor ſpiratus, & dicitur adæquatus eſſentiæ diuinæ amabili, quia talis amor ſpiratus includit formaliter eſſentiam, vt terminum formalem ſpirationis. Nam ipſa eſſentia cognita, & amabilis

Eſſentia eſt ratio partialiter ſpirandi Spiritum ſanctum, vt cognita, & amabilis.

eſt partialiter ratio ſpirandi Spiritum ſanctum. Non dico tamen, quòd ipſa ſub illa ratione, vt qua formaliter cognita, vel ſub illa ratione, qua eſt amabilis, ſit ratio producendi Spiritum ſanctum ſimpliciter ſub ſua perfectiſſima ratione, licèt priùs cognoſcatur, & ametur, quàm ſit immediata ratio ſpirandi. Sequitur, *& ita producunt amorem infinitum.* Hoc pariformiter exponatur, ſicut ſupra expoſitum eſt de Verbo. Sequitur, *quia nihil eſt formaliter infinitum, niſi quod per identitatẽ eſt Deus.* Hoc ſi exponitur ſcilicet quòd nihil

Nihil eſt formaliter infinitum, niſi quod per identitatem ſit Deus.

eſt formaliter infinitum, quin etiam per realem identitatem ſit Deus, non tamen ſequitur è contra, ſcilicet omne quod eſt realiter Deus, ſit formaliter infinitum; quia proprietas in Deo eſt realiter Deus, & tamen non eſt formaliter infinita. Vel poteſt ſic exponi, quòd infinitas non poteſt ineſſe formaliter, puta bonitati, niſi bonitas illa realiter identificetur Deo, non quod realis identitas ſit præciſa cauſa quare inſit, quia tunc paternitas eſſet formaliter infinita.

27 [d] *Stando igitur præcisè in primo inſtanti, &c.* Hæc litera ſic debet intelligi, quòd tota perfectio, ſupplè vltimata, quæ conſiſtit in actu ſecundo, vt innuit Doctor *in primo, diſt. 2. par. 1. quæſt. 1.*

12. met. con tex. 11. exponendo dictum Philoſophi 12. Metaph. nam Pater intellectione perfectè coniungitur eſſentiæ diuinæ, & ſimiliter volitione, ita quòd vltima perfectio perſonæ eſt in coniunctione fundamentali ipſi obiecto vltimatè beatificatiuo; ibi tamen non ponitur aliqua vnio, quæ ſit relatio, nec realis, nec rationis, vt patet à Doctore *in 15. quæſt.* Quodli. ſed tantùm eſt ibi vnio fundamentalis, in qua eſt vltimata perfectio perſonæ diuinæ. Sicut etiam in nobis ponit felicitatem noſtram formaliter conſiſtere in coniunctione fundamentali creaturæ beatificabilis ipſi obiecto beatifico, quæ coniunctio fundamentalis eſt clara viſio, & fruitio eſſentiæ diuinæ, in nobis verò ponitur vnio formalis, quæ eſt relatio. De hoc vide Doctorem *in 4. diſt. 49. & in Quodlib. 15.* & ideo Doctor dicit *in quæſt. 13. Quodlib.* quòd intellectio, & volitio ſunt entia abſoluta; quia his perfectè vnimur ſummo bono. Sic ergo intelligit Doctor quòd vltima perfectio perſonarum eſt in intelligendo, & volendo eſſentiam diuinam, licèt multæ ſint aliæ perfectiones ibi, vt bonitas, & omnis alia perfectio ſimpliciter, de quibus ſatis patet in primo, diſt. 8. quæſtione penultima.

Coniunctio fundamentalis eſt clara viſio, & fruitio eſſentiæ diuina.

28 [e] *Sequitur ſecundùm inſtans naturæ, &c.* In iſta litera ſunt aliqua notanda. Primum, quòd obiectum ſecundarium non eſt in eſſentia diuina, ſiue in intellectu diuino ex natura rei, loquendo de obiecto ſimpliciter alio, ſed fit ibi per actum intellectus diuini, vt clarè patet à Doctore *hîc & in primo, diſt. 3. quæſt. 4. & diſt. 35. 39. & 43.* Nota tamen, quòd quando Doctor loquitur indifferenter de obiecto ſecundario, alio ſimpliciter ab eſſentia diuina oportet exponere de obiecto præcedente actum voluntatis, quia illud tantùm habet *eſſe* per actum intellectus diuini, vt ſunt omnes termini ſimplices, & omnes propoſitiones neceſſariæ, vt patet à Doctore vbi ſuprà, ſed loquendo de obiecto contingenti, puta, quòd Antichriſtus eſt creandus, vel quòd Petrus eſt prædeſtinatus, dico quòd talia obiecta ſunt ibi tantùm per actum voluntatis diuinæ, ſic, vel ſic determinantis, vt patet à Doctore *quæſt. vltima prologi. & diſt. 39. primi, & 14. quodl.*

Obiectum ſecundarium non eſt in eſſentia diuina.

Quænam ſit memoria.

Secundum notandum eſt, quòd aliquid eſſe in memoria, vt memoria eſt, eſt ipſum eſſe principium notitiæ totale, vel partiale: nam memoria propriè, de qua hîc loquimur, eſt principium productiuum notitiæ obiecti relucentis in memoria, vt ſatis notum eſt à Doctore *in 1. d. 2. par. 2. q. 3. 2. d. 3. q. 7. & vlti. & diſt. 6. & 7. & 27. 1. q.* & hoc modo obiecta ſecundaria non ſunt in memoria Patris, vt memoria eſt, ſupple vt eſt principium productiuum Verbi, quia talis memoria tantùm includit intellectum, & eſſentiam, vt ſuprà viſum eſt, *diſt. 2. primi. & diſt. 7.*

Dubitatio quædam.

Et ſi dicatur, licèt obiecta ſecundaria relucentia in eſſentia diuina non pertineant ad memoriam, quæ eſt principium productiuum Verbi ſecundùm *eſſe* ſimpliciter, ſaltem videntur pertinere ad memoriam Patris, vt eſt principium productiuum Verbi ſecundùm eſſe ſecundùm quid: quia ſicut dicimus, quòd Verbum habet eſſe ſimpliciter à memoria Patris, quæ eſt eſſentia, & intellectus, ita videtur habere eſſe ſecundùm quid de omni alio intelligibili, puta de lapide intelligibili relucente in memoria Patris.

Reſponſio.

Dico, quòd quando producitur Verbum in *eſſe* ſecundùm quid, producitur à tota Trinitate mediante memoria includente tantùm intellectum, & eſſentiam, & nullo modo producitur à Trinitate mediante lapide relucente in memoria, vt principio formali productiuo, quia ſola memoria primo

mo modo eſt ratio producendi cognitionem cuiuſcunque ſimpliciter intelligibilis, vt ſatis patet à Doctore *quæſtione penultima prologi,& diſt. 49.primi*.Dicitur tamen verbum produci de lapide pertinente ad memoriam modo præexpoſito, videlicet, quia verbum ſic productum in *eſſe*, ſecundùm quid eſt expreſſiuum ipſius lapidis intelligibilis relucentis in memoria, & declaratiuum eiuſdem,quod benè nota.

Nota.

29

Prima difficultas.

IN iſta litera Doctoris occurrunt aliquæ difficultates. Prima circa hoc,quod dicit quòd obiecta ſecundaria fiunt actu intelligibilia actu intelligentiæ diuinæ.

Contra,primò, quia quæro, quo actu producuntur talia obiecta in *eſſe* obiectali, ſiue intelligibili,aut actu operatiuo intellectus diuini; aut actu productiuo : non primo, quia illo actu nihil producitur, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 2. par.3.q.3. & diſt. 3. q.vlt.* Non ſecundo. Tum, quia intellectus diuinus non videtur potentia productiua ad extrà. Tum, quia produceret effectum perfectiſſimum.Patet,quia potentia productiua perfectiſſima non impedita, agens per modum naturæ, producit effectum quantum poteſt: & ſic cùm ſit infinita, produceret effectum infinitum,vt patet per argumentum Doctoris *in primo.diſt.8.q. vlt.* contra Philoſophos. Tum tertiò, quia neceſſariò produceret infinitos effectus actu, quia non repugnant infinita indiuidua in eadem ſpecie, & ſic actu eſſent infinita obiecta intelligibilia,& infiniti homines in *eſſe* obiectiuo,& intelligibili.

Secunda difficultas.

Tertia difficultas.

Quarta difficultas.

Tum quartò, quia ſequeretur, quòd produceret ab æterno illa obiecta, etiam in eſſe reali, & in exiſtentia; quia agit neceſſariò, & eſt infinita: ergo producit perfectiſſimè:ſed non eſſet productio perfectiſſima, niſi terminaretur ad effectum perfectum in *eſſe* reali, & ſic omniâ ab æterno fuiſſent producta in *eſſe* reali,& neceſſario.

Quinta difficultas.

Tum quintò,quia aut producit omnia illa obiecta vnica productione;aut alia,& alia::non primo, quia eadem productio non videtur ad duo producta.Licèt enim idem agens poſſit producere plures effectus, non tamen eadem productione. Non ſecundo, quia eſſet ordo inter illas productiones,ſicut & inter producta, & ſic oporteret aſſignare primam productionem,quæ non videtur aſſignabilis, cùm non ſit maior ratio, quòd producat vnum,quàm aliud.

Sexta difficultas.

30

Tum ſextò, quia nullo modo videtur, quòd poſſint produci in tali *eſſe*,primò,quia antequàm producantur in tali *eſſe*, aut ſunt producibilia, aut non; ſi non, ergo non poſſunt produci: ſi ſic,ergo priùs ſunt poſſibilia; ſed vt ſic habent eſſe obiectiuum. Patet, quia vt ſic ſunt intelligibilia. Tum etiam, quia illud poſſibile fundatur non in ſeipſo : ergo in aliquo, & non poteſt dari, niſi eſſe obiectiuum rei poſſibilis produci.

Septima difficultas.

Septimò arguitur ſic; ſi intellectus diuinus producit lapidem in *eſſe* intelligibili, aut producit propter finem, aut non propter finem : ſi ſic, quæro propter quem finem producit, ſi propter ſe, ordinando illud ad ſe, igitur intellectus præcognoſcit ipſum lapidem. Patet, quia cauſa non producit aliquid ad finem, non præcognito illo producibili; & ſic lapis fuiſſet præcognitus : ergo priùs habuiſſet *eſſe* intelligibile. Tum etiam, quia non poſſet producere illum propter finem, quod eſt inconueniens in primo intellectu : quòd autem non poſſit producere, patet, per argumentum Doctoris *in primo,diſt.2. q. 1.* vbi arguit de agente merè naturali, quod ſi ageret independenter, quòd ita ageret, ſi propter nullum finem ageret,vt patet ibi. Secundo, quòd ſi produceret lapidem non propter finem, igitur produceret fruſtrà : ſed agens per ſe agit propter finem, vt patet 2. Phyſic. & hoc eſt magis verum de agente cognoſcente, vt patet ibi.

Octaua difficultas.

Octauò, ſequeretur, quòd ab æterno fuiſſent productæ omnes ſecundæ intentiones,& ſic nunc non poſſunt produci, niſi idem bis producatur, quod eſt impoſſibile.

31

Reſponſio. Quomodo intellectus diuinus ſit operatiuus & productiuus ad intra.

RESPONDEO, & concedo, quòd producantur per actum productiuum : & ad primam inſtantiam contrà, Dico, quòd ſicut intellectus diuinus ad intra, & eſt operatiuus, & productiuus,vt patet à Doctore *in primo d. 2. par. 2. q.3.*& in iſto ſecundo *diſt. præſenti*, ita ad extra eſt operatiuus per intelligere obiecta ſecundaria, & eſt productiuus per productionem, quæ terminatur ad illa obiecta producta.

Ad ſecundam dico, quòd eo modo, quo eſt productiuus per modum naturæ poteſt producere effectum perfectum, ſed quia eſt tantùm productiuus rei in *eſſe* diminuto, puta in *eſſe* intelligibili, vel in *eſſe* cognito tantùm, ideò producit hominem in tali *eſſe* perfectè, quantùm poteſt produci homo ab ipſo intellectu : ſed ratio Doctoris facta *diſt. 8. primi* concludit de agente infinito per modum naturæ,quòd agens reſpicit effectum in *eſſe* verè reali.

Si dicatur, intellectus creatus eſt verè realiter productiuus alicuius entis realiter, quia eſt productiuus intellectionis habitus, & etiam ſpeciei intelligibilis:ergo à fortiori intellectus diuinus.

Dico, quòd ſi intellectio Dei eſſet realiter diſtincta, poſſet illam verè producere, ſicut realiter diſtinguitur ab intellectu creato. De hoc vide Doctorem *in primo d.2. part.2. q.vlt. diſt.27. & alibi*.

Dico ſecundò, quòd intellectui diuino repugnat ſic poſſe producere, ſcilicet *eſſe* reali, quia tunc diceret relationem realem ad creaturam, & & tandem ad *non eſſe* creaturæ,ſequeretur *non eſſe* ipſius intellectus diuini, vt patet per rationem Doctoris *in primo,diſt.8.q.vlt. & diſt.30.* ſed hoc non ſequitur de intellectu creato, quia ad cauſatum non haberet relationem eandem ſibi realem, ſicut haberet intellectus diuinus, vt patet à Doctore vbi ſuprà.

Dico tertiò,quòd quia *eſſe* reale rei neceſſariò præſupponit *eſſe* intelligibile, & poſſibile ipſius, & tale *eſſe* intelligibile,& poſſibile eſt tantùm ab intellectu diuino, loquendo de ſimpliciter primo *eſſe* intelligibili, & quia Deus tantùm agit contingenter ad extrà reſpectu entis realis, ideò intellectus diuinus tantùm producit in *eſſe* ſecundùm quid,ſiue diminuto,vt patet magis à Doctore *in 1.diſt.36.*

Deus actu intelligit ſimul infinita obiecta.

Ad tertium dico, concludendo, quòd ſimul producat infinitos effectus in *eſſe* diminuto,patet, quia actu intelligit, & ſimul infinita obiecta, vt probat Doctor *diſt.2.q.1.primi*,& per conſequens actu ſunt infinita intelligibilia.

Ad quartam,patet reſponſio,patet ex dictis ad ſecundam inſtantiam,quia non eſt productiuus in *eſſe* reali.

Ad quintam dico, quòd producit vna productione fundamentali,ſed pluribus ſola ratione diſtinctis,& concedo,quòd inter illas non eſt ordo,

32

quia

quia ſimul ſunt in eodem inſtanti, etiã fortè nũc. Cùm dicitur, quòd inter producta eſt ordo prioris,& poſterioris : Dico , quòd non eſt ordo, nec temporis, nec naturæ , & ſi eſt alius ordo fortè prioris ſecundùm perfectionem , concedatur etiam in illis productionibus denominatione extrinſeca , eo quòd vna terminatur ad vnum productum perfectius,& alia ad imperfectius.

Ad ſextã dico,quòd ſunt producibilia, & cùm dicitur,quòd vt ſic habẽt *eſſe* intelligibile,negatur, imò eſt implicatio , quòd ſcilicet in tali *eſſe* intelligibili ſint primò producibilia , & quòd ante illud *eſſe* ſint intelligibilia , aliter eſſet proceſſus in infinitum , quia quærerem de illo producibili in tali *eſſe*,ſi eſt intelligibile, aut hoc habet à ſe, aut ab alio:non à ſe,vt patet:ſi ab alio, ergo priùs fuit producibile in tali *eſſe* , & ſic proceſſus in infinitum. Cùm vltrà quæritur , illud *eſſe* poſſibile in quo fundatur ? Dico,quòd tantùm in potentia productiua , quia enim illa poteſt producere in tali *eſſe* , ideò eſt ſic producibile , vt aliàs expoſui,& patet etiam aliqualiter in primo , *diſt. 6. &* 43.

Ad ſeptimam , dico ſimpliciter, quòd producit illa ex ſola neceſſitate naturæ , & illa produceret , etiamſi ad nullum finem produceret ; & concedo , quòd producendo ad nullum finem ordinet. Cùm dicitur,ergo fruſtrà ; negatur,quia illud dicitur produci fruſtrà , quod propter aliquem finem producitur , & non attingit illum finem : ſed ſi propter nullum finem producitur, non dicitur produci fruſtrà , ſed ex perfectione naturali. Dico ſecundò , quòd poſſet fortè ſuſtineri , quòd producit illa propter ſe amatum amore naturali , ſic intelligendo , quòd intendit communicare eo modo , quo poteſt ſuam perfectionem creaturis.Cùm dicitur,agens naturale agit propter finem , patet reſponſio *in* 1. *diſt.*2. *quæſt.*1. *in illis præambulis* , quòd agit propter finem,inquantum regulatur ab agente ſuperiori intelligente.

Quid ſit produci fruſtrà?

Quomodo agens materiale , agat propter finẽ?

Ad vltimam. Dico primò,quòd omnia obiecta ſecundaria , quibus non repugnat *eſſe* realis exiſtentiæ , ſunt præcisè producta ab intellectu diuino in *eſſe* primo intelligibili : ſed hoc dictum Doctoris non intelligitur de entibus rationis, quia multæ ſunt relationes rationis , quæ non fuerunt ab æterno. Dico ſecundò , quod fortè non eſſet inconueniens omnes ſecundas intentiones fuiſſe productas ab intellectu diuino. Et cùm dicitur , quòd tunc bis producerentur. Dico non aſſerendo , quòd non eſſet inconueniens in entibus rationis. Dico etiam , quòd etſi omnes ſecundæ intentiones ſint productæ ab intellectu diuino in *eſſe* primo, & præcisè in *eſſe* intelligibili , tamen ab intellectu creato poſſunt produci vltra *eſſe* intelligibile in aliquo *eſſe* ſibi competente , vt puta , quòd producuntur in ſubiecto,quod denominãt , vel in aliquo alio *eſſe*.

Quomodo ſecundæ intentiones ſint productæ ab intellectu diuino?

33 *Dubium.* SECVNDO principaliter dubitatur in hoc quod dicit,quòd in nobis intentiones ſecundæ producuntur per intellectum , & non habent *eſſe* in memoria , vt memoria eſt. Contrà,primò, quod non producuntur per intellectum , quia quæro per quem actum intellectus , aut per actum intelligendi , & hoc non , quia illo actu nihil producitur , cùm ſit finis potentiæ , vt patet à Doctore *in* 1.*diſt.*2.*par.*2.*q.*3. *& in Quodl. quæſt.* 13,aut per actum productiuum;& hoc non, quia intellectus non habet actum productiuum, niſi reſpectu actus intelligendi , vel ſpeciei intelligibilis,vt patet à Doctore *in* 1.*diſt.*3.*q.*6.*&* 7. Si dicatur , quòd producitur per actum collatiuum,quæro an ille actus ſit actus intelligendi ? & hoc non , quia actus comparatiuus non eſt actus intelligendi.Si etiam poneretur, non eſſet productiuus , vt ſuprà patet;aut eſt actus productiuus; & hoc non , quia non videtur , quòd comparatio ſola aliquorum cognitorum ad inuicem ſit productiua alicuius , cùm illa ſit tantùm ens rationis.

Solutio. Reſpondeo primò , quòd producuntur per actum aliquem , qui nec eſt actus intelligendi, nec actus comparatiuus , ſed per actum productiuum.Et cùm dicitur , quòd tantùm eſt productiuus actus intelligendi, & ſpeciei intelligibilis, verùm eſt loquendo de ente reali. Sed vltrà poteſt producere ſecundam intentionem. Si dicatur , quòd ſecundùm Scotiſtas producuntur per actum collatiuum. Dico quòd ſic debet intelligi, quòd non poſſunt produci , niſi præſuppoſito de neceſſitate actu comparatiuo vnius cogniti ad aliud cognitum.Nam facta comparatione ſpeciei cognitæ ad indiuidua cognita , producit in ſpecie vnam intentionem, quæ dicitur *ſpecies* , & ſimiliter de indiuiduo. Dico etiam,vt aliàs expoſui *in* 1.*diſt.*3. *q.*7.quòd ſecundæ intentiones magis dicuntur derelinqui ex comparatione duorum obiectorum cognitorum , quàm cauſari , de quo aliàs.

Quomodo producantur ſecundæ intentiones?

Secundæ intentiones potiùs derelinquuntur quàm cauſentur.

CIRCA LITERAM Doctoris occurrunt duæ aliæ difficultates , quarum prima eſt in hoc,quòd dicit , quòd *Verbum gignitur ſimpliciter de memoria Patris , vt memoria eſt.* Contrà. primò , quia ſequitur , quòd Verbum ſit bis , vel ter productum ſimpliciter. Probatur, quia eſſentia diuina , & intellectus in Patre ſunt memoria perfecta, vt patet à Doct. *in* 1.*diſt.*2.*par.* 2. *q.*3. & ſic ab illa , vt principio formali productio accipit *eſſe* ſimpliciter : ſed bonitas diuina , vt præſens intellectui diuino ita pertinet ad memoriam ſimpliciter, ſicut eſſentia. Patet, quia ita formaliter infinita,& per conſequens productiua notitiæ infinitæ,& ſic eſſent , vel duæ notitiæ genitæ, vel vna bis genita. Hoc idem dico de aliis perfectionibus.

34 *Difficultas. Eſſentia diuina & intellectus in patre ſunt memoria perfecta.*

Secundò , aut enim ſola eſſentia pertinet ad memoriam , aut eſſentia cum aliis perfectionibus attributalibus:non primo,quia alia ſunt ita obiecta formaliter infinita , ſicut eſſentia : ergo æquè pertinent ad memoriam:non ſecundo,quia æquè primò eſſet Verbum à bonitate ſicut ab eſſentia. Sequeretur etiam quòd ita bonitas eſſet æquè primò terminus formalis , & per ſe generationis diuinæ , quod eſt contra Doctorem *in* 1.*diſt.*5.*q.*2. Quòd autem ſequeretur patet,quia in Deo,quod eſt principium formale productiuum primò , eſt primò terminus formalis productionis,vt patet à Doct.*vbi ſuprà.*

Tertiò,ſi eſt de memoria Patris,ſequitur,quòd Filius ita eſſet conſtitutus quiditatiuè per bonitatem, cùm pertineat ad memoriam, ſicut per eſſentiam, quia terminus formalis generationis diuinæ (loquendo de termino formali per ſe) eſt conſtitutiuus perſonæ productæ , vt patet à Doctore *in* 1.*diſt.*2.*&* *diſt.*13.*&* 26.

Quartò , Si filius eſt de omni perfectione intrinſeca,vt de memoria , ſequitur, quòd non erit vnum per ſe conſtitutum. Patet quia attributa non conſtituunt in *eſſe* eſſentiali perſonam.

Reſpondeo

Reſponſio.

Reſpondeo, quòd Filius eſt tantùm de eſſentia diuina intellectu, vt de per ſe, & primò memoria, à principio productiuo & concomitanter eſt de omni perfectione intrinſeca: non quòd ſit de attributis, vt memoria productiua, & ſic concedo, quòd Pater habens eſſentiam, vt perfectè præſentem, producit Filium, non autem habet attributa, quia illa non pertinent ad memoriam productiuam. Cùm dicitur, quòd ſunt æquè infinita, vt eſſentia: concedo formaliter, ſed non originaliter, & ſic non æquè productiua. Poteſt tamen concedi, quòd eſt de omnibus realiter, & identicè, formaliter verò de ſola eſſentia, vt eſſentia.

Eſſentia diuina eſt infinita radicaliter, & formaliter ex ſe, à ſe, & per ſe: attributa ſunt infinita formaliter ex ſe, ſed non à ſe, quia emanant ab eſſentia.

Ad ſecundum dico per idem.

Ad Ad tertium dico, quòd Filius quiditatiuè, & eſſentialiter eſt per eſſentiam, & ſic per illã habet *eſſe* primò, concomitanter tamen habet omnem perfectionem, quam habet eſſentia, & quaſi denominatiuè, vt patet à Doct. *in 1. diſt. 5. q. 2.* & concedo, quòd ſola eſſentia eſt terminus formalis. Attributa verò concomitantur primum terminum formalem.

Difficultas.

Ad quartum patet ex dictis ad tertium.

SECVNDA difficultas eſt in hoc, quod dicit quòd *Verbum gignitur de obiectis ſecundariis tantùm ſecundùm quid.* Contrà, primò, ſi gignitur de lapide, vt de memoria, & hoc ſecundùm quid, ergo lapis, vt ibi, pertinet ad memoriam productiuam ſecundùm quid. Patet conſequentia, quia vt gignitur ſimpliciter de eſſentia, eſſentia pertinet ſimpliciter ad memoriam productiuam ſimpliciter, ergo & lapis ſecundùm quid: conſequens eſt falſum, quia ad intrà omnis operatio, & omnis actio, ſiue ſimpliciter, ſiue ſecundùm quid eſt tantum à memoria diuina, quæ ſola eſt ratio formalis producendi Filium, ſiue ſecundùm *eſſe* ſimpliciter, ſiue ſecundùm *eſſe* ſecundùm quid, quia ſola eſſentia diuina eſt ratio cognoſcendi omnia cognoſcibilia, & producendi omnia in *eſſe* cognito.

Omnis operatio ad intra eſt à memoria diuina.

Secundò, arguitur, quia tunc Filius ſimul eſſet de infinitis lapidibus, & infinitis hominibus, & ſic de aliis, quod videtur inconueniens. Conſequentia patet, quia, vt dixi ſuprà, ſunt actu infinita obiecta ſecundaria.

Tertiò ſequitur, quòd ſi eſſet de infinitis obiectis ſecundariis productus ſecundùm quid eſſet infinities productus ſecundùm quid: patet, quia de lapide eſſet productus ſecundùm quid, & de homine ſecundùm quid, alia productione paſſiua ſecundùm quid, & ſic in Filio eſſent actu infinitæ productiones paſſiuæ ſecundùm quid.

Quartò arguitur, quia Filius producitur de vno lapide ſecundùm quid, & de alio lapide ſecundùm quid, & non eadem productione, vt patet: ergo alia, & alia, & ſic in infinitum: ergo vel ſunt infiniti filij ſecundùm quid, vel idem infinities productus ſecundùm quid, quorum vtrunque eſt impoſſibile.

Reſponſio.

Ad primum dico, quòd non dicitur produci de lapide, vt de memoria productiua etiam ſecundùm quid; ſed dicitur produci de lapide, pro quanto eſt declaratiuus lapidis, & hoc per attributionem. Poteſt etiam dici produci de lapide, pro quanto memoria diuina eſt productiua notitiæ lapidis, quæ attribuitur Filio.

Ad ſecundùm, concedo, quòd eſt de infinitis obiectis neceſſariò: hoc eſt neceſſarium, quia memoria diuina eſt ratio producendi infinita obiecta actu in *eſſe* cognito.

Ad tertium, concedo, quòd in Filio eſſent actu per attributionem infinitæ productiones paſſiuæ

Ad quartum, concedo, quòd poſſunt eſſe infinita Verba ſecundùm quid ſola ratione diſtincta, & hoc non videtur inconueniens, eſſet benè inconueniens eſſe plura Verba ſecundùm *eſſe* ſimpliciter. Poſſet etiam concedi, quòd tantùm eſſet vnum Verbum productum ſecundùm quid: ita quòd in illo Verbo eſſet tantùm alius, & alius reſpectus rationis: ſed pòſt non ſequitur ad numerationem illorum reſpectuum numeratio Verbi ſecundùm quid: ſicut non ſequitur, in homine ſunt tres colores ſecundùm quid: ergo ſunt tria colorata, vt patet à Doct. *in tertio, diſt. 8. q. vnica.*

55

Dubium.

DVBITATVR De iſta propoſitione Doctoris ſubtilis, quòd *quando duo effectus ſunt ab eadem cauſa ſecundùm ordinem, ita quòd poſterior non producitur, priori non producto, ſi per impoſſibile non eſſet productio prioris effectus, adhuc poſſet eſſe productio poſterioris effectus.*

Contra primò; quia ſequeretur quòd Angelus poſſet immediatè producere *velle* circa aliquod obiectum, circumſcripta cognitione eiuſdem. Patet, quia volitio eſt effectus poſterior.

Secundò ſequitur, quòd ſi intellectus non eſſet, ſaltem quaſi productus ab anima, adhuc ipſa anima poſſet quaſi producere voluntatem, quæ eſt poſterior intellectu, cùm præſupponat ipſum. Et ſi intellectus, & voluntas eſſent realiter diſtincta ab anima, eſſent verè producta, ergo per propoſitionem Doctoris, qualis eſt ordo inter aliqua, vbi diſtinguuntur realiter, talis eſt, vbi ratione diſtinguuntur.

Tertiò ſequitur, quòd Pater in diuinis poſſet immediatè ſpirare Spiritum ſanctum, Filio non genito, cùm Spiritus ſanctus ſit poſteriùs productus.

Quartò ſequitur, quòd Pater poſſet generare Filium ipſa eſſentiâ priùs non cognitâ, quia productio Filij eſt poſterior cognitione eſſentiæ, vt ſuprà patuit, *& primo, diſtin. 2.* Similiter Spiritus ſanctus poſſet immediatiatè ſpirati, eſſentiâ diuinâ priùs non amatâ.

Proprietates perſonales pullulant ab eſſentia diuina.

Quinto ſequitur, quòd Filius in diuinis poſſet eſſe prior Patre. Patet, quia proprietates perſonales pullulant ab eſſentia, & in eſſentia diuina, vt patet à Doct. *in primo diſt. 28.* & ordinatè pullulant, ſic, quòd proprietas Patris primò pullulat; ſecundò proprietas Filij; tertiò Spiritus ſancti: ergo ſequitur, quòd ſi per impoſſibile proprietas Patris non pullularet, quòd adhuc proprietas Filij poſſet immediatè pullulare, & ſic Filius eſſet prima perſona. Nec valet dicere, quòd propoſitio intelligitur de effectibus ordinatis realiter diſtinctis. Contrà, quia qualis eſt ordo inter aliqua, vbi diſtinguuntur realiter?

Intellectus & voluntas ſunt idem realiter, differunt formaliter vel ex natura rei.

Reſpondeo ad primum, primò quòd cognitio, & volitio non ſunt propriè effectus ordinati dependentes ab eadem cauſa, ſicut ponit concluſio, nam *velle* eſt à voluntate immediatè, & cognitio ab intellectu, quæ potentiæ etſi non differunt realiter, differunt tamen formaliter, vel ſaltem ex natura rei. Dico ſecundò, quod *velle* poſſet abſolutè produci, nulla cognitione præmiſſa. Si dicatur voluntas non fertur, niſi in præcognitum. Dico quòd aliud eſt loqui de *velle* abſolutè, & aliud de *velle*, prout terminatur ad obiectum, ſiue, vt dicit relationem ad obiectum. Primo modo non præſupponii neceſſariò cognitionem obiecti, ſed benè ſecundo

modo

modo. Hæc Diſtinctio patet à Doctore in ſimili, *quæſt.* 14. *Quodlibet.* Dico tertio, quòd cognitio obiecti,etſi ſit effectus, prior tamen ponitur cauſa,ſaltem partialis volitionis, tenendo opinionem illam.*diſt.*25.*ſecundi.* Propoſitio autem Doctoris intelligitur de effectibus , quorum prior nullo modo eſt cauſa poſterioris.

Ad ſecundum dico , quòd ſi per impoſſibile anima non produceret intellectum , quòd poſſet producere voluntatem , poſito quòd nec intellectus,nec voluntas ſint de eſſentia animæ, & quòd ſint quaſi effectus ordinati ab eadem cauſa.Si dicatur , quòd tunc voluntas poſſet elicere actum ſuum, intellectu non exiſtente. Dico, quòd licèt eſſet in potentia remota ad eliciendum , non tamen in potentia propinqua ; quia non elicit actum, niſi circa cognitum : requiritur ergo materia circa quam,ſcilicet obiectum cognitum.

Ad tertium dico, quòd non apparet aliqua impoſſibilitas,quin poſſet ſpirare Spiritum ſanctum filij generatione non exiſtente , quia illa nullo modo neceſſariò requiritur,vt patet ex multis dictis Doctoris.

Ad quartum dico,quòd ſi notitia eſſentialis,& notitia genita ſint duæ notitiæ , vt quaſi effectus ordinati eiuſdem cauſæ,quòd non apparet inconueniens, quin poſſit produci ſecunda, circunſcriptâ primâ.Licèt enim priùs cognoſcatur eſſentia, quàm producatur Filius, non tamen talis cognitio in aliquo genere cauſæ requiritur , vt patet à Doctore *in primo d.*2.*par.*2.*q.*3.

Filius eſt ab eſſentia , vt principio quo, à patre vt à principio quod.

Ad vltimum , quòd ad generationem Filij neceſſariò requiritur ſuppoſitum Patris , vt principium producens *quod*, vt expoſui *in primo diſt.*4. *quæſt.*2.*& alibi.* Licèt enim Filius ſit ab eſſentia, vt principio formali *quo*, tamen eſt à Patre , vt à principio *quod.*

NOTA, quòd obiecta ſecundaria producuntur in tali eſſe à memoria fœcunda,vt à cauſa remota,& ab actu intelligentiæ diuino,vt à cauſa proxima. De hoc vide quæ expoſui *in primo d.*3.*q.*4.reſpondendo ad quæſtionem.

f *In ſecundo tamen inſtanti naturæ,&c.* Hîc

36 *Quid ſit prius origine?*

nota , quòd tenendo prius origine per ſe illud, quòd eſt à ſe , & non ab alio, & quicquid habet, habet à ſe;& poſterius origine , quando habet ab alio. Si modo quæratur , an Pater priùs origine generet filium , quàm ſpiret Spiritum ſanctum? dico quòd non,exponendo *prius origine*,vt ſuprà; quia tunc ſpiraret Spiritum ſanctũ ab alio,& non à ſe. Sed loquendo de iſto priori originis , dico quòd in eodem priori originis generat filium , & ſpirat Spiritum ſanctum. Patet quia à ſe generat, & ſpirat.

Prio natura quomodo accipiatur?

Quomodo Pater dicatur prior natura filio?

Si iterum quæratur, nonne Pater in aliquo priori generat Filium , in quo non ſpirat Spiritum ſanctum ? Dico quòd ſic, & quod eſt illud prius? non origine vt patuit;non natura , quia in eodem priori naturæ completa eſt tota productio, vt patet ſuprà.

Prioritas naturæ dupliciter ſumitur.

Dico,quòd non habeo pro inconuenienti, Patrem priùs naturam generare Filium : diſtinguo tamen de*priori*,& *poſte. iori naturæ*,nam aliquando ordo naturæ accipitur inter quiditates , ita quod vna quiditas ex ſua ratione formali præcedit aliam, & poteſt perfectè intelligi,aliâ non intellecta Aliquando accipitur ordo naturæ , vt eſt inter aliqua, ſic , quòd vnum præſupponit aliud, licèt illud aliud non poſſit intelligi perfectè, alio non intellecto ; & hoc modo non habeo pro inconuenienti Patrem dici priùs naturâ Filio. De hoc vide quæ expoſui *in primo d.*1.*q.*2. *&* d.6. *&* 41.Tertio modo accipitur ordo naturæ,vt eſt inter aliqua,ſic,quòd vnum præſupponitur alteri,& ſic præſupponitur,quòd licèt ſecundùm rem non poſſit eſſe ſine poſteriori , poteſt tamen intelligi non intellecto poſteriori:& hoc modo poſſumus dicere , quòd generatio Filij eſt prior naturâ ſpiratione , cùm neceſſariò præſupponitur illi. Et quando Doctor dicit , quòd *in eodem priori naturæ completur totus vnus ordo originis* , debet intelligi de priori naturæ propriè , & primo modo,quod eſt , quòd in eodem inſtanti naturæ , in quo eſſentia diuina eſt perfectè præſens in ratione obiecti intellectui paterno completur tota originatio perſonarum, & in ſecundo inſtanti naturæ obiecta ſecundaria , quæ eſſentialiter diſtinguuntur ab eſſentia , ſunt in intellectu eo modo, quo ſuprà dixi.

Sed dubitatur , quia Doctor dixit in primo, quòd *aliquando ordo naturæ completur in primo ſigno originis.* Sic debet intelligi, quòd ex quo eſſentia diuina eſt prior natura intellectione,& volitione , vt dixi, & ſic in primo inſtanti originis, quo ſcilicet Pater habet à ſe quicquid habet, completur talis ordo naturæ , quia in eodem inſtanti habet Deitatem , & omnem perfectionem ſimpliciter,& hoc modo totus vnus ordo naturæ poteſt compleri in vno ſigno originis. Sed accipiendo ordinem naturæ , vt accipit Doctor vbi ſuprà,exponendo ſe, quid intelligat per primum ſignum naturæ , & per ſecundum , in vno ſigno originis ordo naturæ ſcilicet prioris & poſterioris naturâ,modo præexpoſito à Doctore,de priori,& poſteriori naturæ , non poteſt compleri , vt patet ex ſupradictis , & omnia iſta benè nota , & pondera.

ε *Ita dico in propoſito,quòd Verbum,&c.*

In hac litera ſunt aliqua notanda.

Primò quomodo Verbum dicatur notitia infinita genita,hoc expoſitum eſt *in primo d.*10.vbi expoſui quomodo Spiritus ſanctus dicitur amor infinitus ſpiratus. 37

Secundò eſt notandum in hoc , quòd dicit *Verbum dici notitiam infinitam genitam , eo quòd infinita notitia infinitæ eſſentiæ.* Hoc poteſt dupliciter exponi. Primò , vt ſi notitia infinita genita, quia eſt originatiuè à memoria fœcunda formaliter infinita, includente eſſentiam formaliter infinitam.Secundò, quòd talis notitia infinita genita ſit verè expreſſiua memoriæ fœcundæ formaliter infinitæ , & hoc ex vi productionis ſuæ , vt patet à Doctore *in primo diſ.*27.*q.*2. Et non poteſt eſſe talis notitia ſic infinita , niſi per productionem à Patre mediante memoria fœcunda, vt in principio formali productiuo,& vt ſic accipit *eſſe* ſimpliciter.

Tertiò nota,quòd *Verbum eſſe notitiam lapidis, vel habere notitiã lapidis à Patre gignente*,ſic debet intelligi,quòd aliquando aliquid generatur ſecundùm *eſſe* abſolutum , vt puta Franciſcus ſecundùm humanitatem.Aliquando ſecundùm aliquid ſibi adueniens, vt puta cùm dicitur generatur Franciſcus albus,quia albedo aduenit Franciſco iam præexiſtenti. Sic dico,cùm dicitur Filius in diuinis eſt notitia infinita expreſſiua eſſentiæ diuinæ formaliter infinitæ , eſt ipſum habere *eſſe* ſimpliciter per productionem, ita quòd ex vi talis productionis ſit ſic notitia expreſſiua,&c.Cùm verò dico , Filius habet notitiam lapidis à patre,

dico,

dico ipſum generari ſecundùm quid, quia filio præexiſtenti ſuo modo aduenit notitia lapidis, & quòd ſit ſic expreſſiuus lapidis exiſtentis in memoria.

h *Et ſi arguitur contra iſtud.* Hîc Doctor arguit probando,quòd Pater poſſit producere priùs origine lapidem in *eſſe* cognito, quàm Filius illum producat,& probatio clara eſt.

38 *Memoria fœcunda eadem præintelligitur in tribus perſonis.*

i *Reſpondeo, Pater producit lapidem.* Hîc Doctor ſoluit inſtantiam contrà, dicens, quòd eadem productione, qua Pater producit lapidem in *eſſe* cognoſcibili, vel in *eſſe* cognito, & Filius, & Spiritus ſanctus producunt, quia ex quo memoria fœcunda eſt ratio formalis producendi lapidem in tali *eſſe*, & eadem præintelligitur in tribus perſonis ante productionem lapidis, ideò tres perſonæ eadem productione producunt, propter vnitatem principij formalis productiui, ſicut patet de Patre, & Filio, qui dicuntur eadem ſpiratione ſpirare Spiritum ſanctum,propter vnitatem principij formalis ſpiratiui exiſtentis in vtroque ante ſpirationem Spiritus ſancti, vt clarè patet à Doctore *in primo diſtinct. 12. quæſtione 1.* Et ſicut Pater priùs origine ſpirat, quia à ſe, & Filius poſteriùs origine, quia virtutem ſpiratiuam habet à Patre, ſic dico, quòd Pater eadem productione priùs origine producit lapidem in tali *eſſe*, quia à ſe habet principium productiuum lapidis; & Filius poſterius origine, quia hoc habet à Patre,& ſic non ſequitur, quòd lapis ſit bis productus, vel poſtquam ſit productus iterum producatur.

k *Et ſi dicas:ſaltem antè origine præintelligitur productus à Patre.* Vis huius argumenti ſtat in hoc, quia ex quo ſuprà diximus, quòd Filius dicitur generari ſecundùm quid, propter cognitionem lapidis ſibi additam,videtur, quòd Filius generet ſeipſum. Patet, quia ſi Filius eadem productione producit lapidem in *eſſe* cognito, quâ & Pater, ergo eadem productione habet notitiam lapidis; & ſic producit ſeipſum in tali eſſe,quod videtur inconueniens,quia ſicut Filius non poteſt producere alium Filium, nec ſeipſum abſolutè, cùm tamen habeat memoriam fœcundam, quia memoria fœcunda, vt in Patre præintelligitur habere terminum adæquatum,ſic dico,quòd ex quo memoria fœcunda, quâ pater producit lapidem in tali *eſſe*; vel Filius in tali *eſſe* ſecundùm quid, in primo inſtanti originis videtur habere terminum adæquatum,puta Verbum ſic productum,ergo Verbum tali productione non poteſt producere ſeipſum in tali *eſſe*,& ſic patet vis argumenti.

An aliquid poſſit producere ſeipſum.

l *Reſpondeo, & dico.* Hîc Doctor ſoluit inſtantiam,quæ ſolutio eſt ſatis clara & dicit,quòd licèt aliquid non poſſit producere ſeipſum in *eſſe* ſimpliciter, poteſt tamen producere ſeipſum in *eſſe* ſecundum quid, videlicet producendo aliquid in ſe, quod prius non habuit, & ſic licèt Filius non poſſit producere ſeipſum mediante memoria fœcunda ſecundum *eſſe* ſimpliciter, vt patet, quia tunc eſſet antequam eſſet, poteſt tamen producere ſeipſum ſecundùm quid: quia ſecundùm aliquod ſibi aduenians, & ſic eadem productione, qua Pater producit Filium in eſſe ſecundùm quid, & Filius ſimiliter producit ſeipſum in tali *eſſe*,licèt poſteriùs origine:nec habeo pro inconuenienti,quòd hoc modo Pater producat ſeipſum priùs origine,quia producit in ſe notitiam lapidis.

m *Reſpondeo iſta propoſitio*, &c. Aduerte, quòd hæc reſponſio non vadit contra dicta ſuperiùs de productione ſecundùm quid, ſed contra hoc, quòd Filius non poſſit generare alium filium: ideò dicit Doctor quòd illa propoſitio non eſt abſolutè vera,niſi addatur. Ad hoc enim quòd hæc propoſitio ſit vera, ſcilicet, Potentia præhabens origine terminum adæquatum, antequam ſit in alio,non eſt illi alij principium producendi,requiritur quòd addatur,videlicet,quòd habens illud principium communicatum non poſſit eſſe realiter ante terminum illum; quia ſi poſſet eſſe, poſſet eadem productione verè producere. Vel oportet addi, quòd ab alio habente illud principium ille terminus non eſt ſecundò producibilis,quia ſi terminus ille adæquatus eſſet ſecundò producibilis,poſſet ab habente tale principium verè produci:modò in productione ſimpliciter Filij ita eſt, quòd Filius habens eandem memoriam cum Patre non poteſt eſſe priùs realiter, quàm Filius ſit productus,ſiue Verbum:nec etiam eſt aliquod verbum producibile à Verbo habente memoriam illam. Et quare non poſſit eſſe aliud verbum à memoria fœcunda aſſignatur ratio à Doctore *in quodlibet. quæſt. 2.* quia quando aliquid eſt communicabile in plura eiuſdem rationis, quantùm eſt ex ſe poteſt eſſe in infinitis, niſi determinetur aliunde; & ſic, ſi poſſent eſſe duo Verba,ita & infinita;& ſi poſſent eſſe de neceſſitate, actu eſſent, & addit Doctor ibi, quòd ſic generatio filij eſt tantùm vna;quòd ſi per impoſſibile illa non eſſet,nulla alia poſſet eſſe. Vide ibi diffusè.

n *Sed iſta reſponſio deſtruit poſitionem*, &c. Hæc litera clara eſt vſque ibi: *quærendo autem vltra*, &c. Et ideò Doctor in quæſt. 2. quodlib. aliter probat quàm per terminum adæquatum, vide ibi.

SCHOLIVM.

Quoad tertium articulum, oſtendit, etſi per impoſsibile non eſſet productio ad intrà,adhuc poſſe eſſe productionem ad extrà:quia quando duo effectus ordinantur inter ſe,maior eſt vtriuſque dependentia à cauſa, quàm alterius ab altero: & ideò, ablata dependentia hac poſſet ſtare dependentia illa:cùm ergo productum ad intrà,& productum ad extrà, habeant inter ſe ordinem & eſſe à producente,ſi per impoſsibile,alterum non eſſet alterum, poſſet eſſe & dependere à ſuo producente.

20. Quantũ [a] ad tertiũ articulũ,intelligẽdũ eſt,quòd in creaturis,ſi cõparetur cauſa ad duos effectus ordinatos,eſsẽtialior eſt eius cõparatio ad effectũ vtrũque,quàm vnius effectus ad alterum: propter dependentiam enim eorum ad cauſam eandẽ,ordinatè dependent ad inuicem: & non èconuerſo: propter dependentiam vnius ad alterum, dependent ordinatè ad cauſam eandem:igitur ſi per impoſsibile deſtruatur ibi ordo

Ob minus impoſſibile, non eſt dandum maius impoſſibile. Scot. 1. d. 8 q. 5. n. 18.

effectuum inter ſe ordinatorum, non propter hoc adhuc eſt negandus ordo, & dependentia vtriuſque ad cauſam: quia propter minus impoſſibile, non eſt concedendum maius impoſſibile: nec propter minus neceſſarium, eſt negandum maius neceſſarium.

Exemplum, ſi ponatur, ignem habere iſtos duos effectus ordinatos, ſcilicet calefacere, & ignire: ſi eſſentialiùs ſe habeat ignis ad vtrumque, quàm ignire ad calefacere, quamuis ignire præſupponat calefacere, ſi ponatur per impoſsibile ignem non poſſe calefacere, non propter hoc negandum eſt ipſum poſſe ignire: & ideò obligans ſeipſum ad tenendum antecedens, non eſt obligatus ad tenendum conſequens. Non enim teneret iſta conſequentia, ſi ignis non poſsit calefacere: igitur nec ignire: niſi per hanc propoſitionem affirmatiuam intellectam: *potens ignire, poteſt cafacere*: quæ deſtruitur ex poſitione, vbi ponitur perfecta ratio ipſius ignis. Nam poſſe ignire, poteſt ſtare cum oppoſito eius, quod eſt calefacere, & ita illud, quod eſt immediatius igni, quàm ſit calefacere, quod eſt ignire, poteſt ſtare cum oppoſito eius, quod eſt calefacere: quia cùm non calefacere ponitur ſtare ignire, & ita illa poſitio deſtruit talem conſequentiam, quia deſtruit illam propoſitionem, per quam tenet talis conſequentia.

Ita ad propoſitum applicando, poteſt dici, quòd aliquid eſt in Deo principium productionis intrinſecæ, & aliquid in eo eſt principium productionis extrinſecæ: ita quòd iſtæ productiones ordinatæ ſunt ad idem principium: & quodammodò magis neceſſarius eſt ordo vtriuſque productionis ad cauſam, quàm alterius ad alteram: ſi igitur per impoſsibile ponatur aliquod principium non eſſe principium productionis prioris, quod ponitur ponendo vnam perſonam eſſe abſolutam, & negando productionem intrinſecam: non propter hoc videtur eſſe negandum illud principium eſſe principium productionis extrinſecæ: quia adhuc hoc poſito, habetur tota ratio principij productionis extrinſecæ: & tantummodò negatur ille ordo productionis ad productionem, qui non ſtat ſed deſtruitur per poſitum. 21.

Et ideò ſi arguatur, [b] iſta perſona non poteſt producere intra: igitur nec extra: neganda eſſet conſequentia ab obligato ad antecedens. Non enim illa conſequentia tenet, niſi per hanc propoſitionem, potentia ad aliquid producendum extra præſupponit productionem intra: quæ deſtruitur per hypotheſim, & ideò videtur, quòd cauſalitas perfecta ex ſui ratione, inquantùm ſcilicet dicit comparationem ad productum extrà, vel ad productionem extrinſecam, non requirat habitudinem ad productionem intrinſecam: licet idem fundamentum neceſſariò ſit ratio & cauſa vtriuſque productionis intrinſecæ, & extrinſecæ: & priùs intrinſecæ quàm extrinſecæ.

Quid Philoſophi poſuerint de creatione?

Ex hoc videtur [c] quòd Philoſophi non poſuerunt habitudinem in eis: licèt enim viderent neceſſariam habitudinem creationis, vel productionis extrinſecæ ad efficiens, vel producens: non tamen viderunt neceſſariam habitudinem creationis, vel productionis extrinſecæ ad productionem intrinſecam: & ideò licèt negarent illam productionem intrinſecam, concederent tamen illam productionem extrinſecam.

Reſolutio quæſtionis principalis.

Ad quæſt. [d] igitur principalem, patet quòd neceſsitate cauſalitas perfecta reſpectu cauſabilium extrà eſt in tribus, & hoc reſpectu omnium cauſabilium in quocumque eſſe cauſabili, ſiue ſimpliciter, ſiue ſecundùm quid, ita quòd non poſſet non eſse in tribus. Tamen ſi per impoſsibile eſſet vna perſona abſoluta, conſequenter eſſet dicendum, quòd in illa perſona abſoluta ſimpliciter, eſſet talis cauſalitas perfecta, & ita cauſalitas perfecta ex ratione iſtius termini, non videtur neceſsariò includere, quòd ipſa ſit in tribus: ſicut nec ex ratione iſtius termini, includit rationem productionis ad intrà, licèt illa in re neceſsariò præſupponatur ſibi: ſicut nec poſſe ignire ex ratione ſui, neceſsariò includit poſſe calefacere, licèt in re præſupponatur. 22.

q. 1. num. 2. Ad argumenta [e] principalia. Ad Richard. patet, quod concludit pro tertio articulo quæſtionis. 23.

q. 2. num. 2. q. vn. n. 4. Ad ſecundum dictum eſt in ſimili *diſtinct. 12 primi lib.* vbi dictum eſt, quomodo Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti: & meliùs quo ad propoſitum *diſt. 4 primi lib.* vbi dictum eſt de veritate huius, *Deus eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus*: & tactum eſt ſuprà *diſtinct. 20. primi lib.* de potentia, quomodo eſt eadem in tribus perſonis.

Ad

Ad tertium dico, quòd licèt aliquod eſſentiale ſit principium productionis alicuius ad extrà: non tamen eſt principium ſtatim applicabile ad actum, niſi vt intelligitur in tribus, quia ſicut dictum eſt *diſtinct. 12. primi*, illud quod eſt principium actiuum ordinatorum, non intelligitur eſſe in potentia proxima ad actum remotum, niſi vt eſt ſub actu priori. Sicut anima nunquam intelligitur eſſe in potentia proxima ad actum volendi, niſi vt eſt actu intelligens: quia quando eſt in potentia proxima volendi aliquid, actu intelligit illud: quia nihil eſt volitum niſi cognitum, & ita licèt quodlibet eſſentiale ad ſe præcedat aliquo modo notionale: tamen non oportet omne eſſentiale ſub omni reſpectu ad extrà, poſſe præcedere quodcunque notionale, *q.1.n.11.*

Eſſentiale non eſt ſub omni reſpectu prius notionali.

Ad primum argumentum in oppoſitum dico, quòd perſonæ diuinæ neceſſariò conueniunt in omni operatione ad extrà, plus quàm ſubſtantia & virtus: quia perſonæ diuinæ vnam operationem habent, qua ſunt ſimpliciter vnus operator: tamen ſi per impoſsibile illa virtus eſſet in vna perſona abſoluta, nihil perfectionis deeſſet ſibi quin perfectè poſſet producere omne producibile.

Videtur loqui in ſententia aliorũ ponentiũ virtutem ſeu potentiam diſtinguire à ſubiecto.

Ad ſecundum dico, quòd procedit de facto, quòd productio præſupponit productionem: non tamen vt formaliter cauſam ſuam ſub ratione quâ eſt productio: ſed quia principium immediatiùs comparatur ad vnam productionem quàm ad aliam.

COMMENTARIVS.

a *Quantum ad tertium articulum*, qui erat, ſi per impoſſibile poneretur vna perſona abſoluta, vtrùm poſſit eſſe in ea perfecta cauſalitas reſpectu omnium cauſabilium; Dicit Doctor quòd ſi hoc poneretur per impoſſibile, in tali perſona eſſet perfecta cauſalitas omnium cauſabilium; & hoc probat, quæ probatio eſt ſatis clara, & ſtat in hoc, quòd ex quo eſt eſſentialior ordo effectus poſterioris ad cauſam, quàm ad effectum priorem, quia effectus poſterior non dependet eſſentialiter ab effectu priori, ſed tantùm à cauſa producente illos effectus ordinatè, ſequitur, quòd ſi per poſſibile, vel impoſſibile circumſcriberetur effectus prior, adhuc effectus poſterior poſſet immediatè produci à tali cauſa, cùm tota ratio formalis producendi ſit in tali cauſa, circumſcripto effectu priori, ſic erit in propoſito, quia cum natura diuina ſit perfectiſſima ratio producendi plura ordinatè, ita quòd per prius eſt ratio producendi vnum, & per poſterius aliud; per prius enim reſpicit productum ad intrà, & per poſterius productum ad extrà, ſequitur, quòd ſi per impoſſibile nullum eſſet productum ad intrà, adhuc natura diuina eſſet perfectiſſima ratio producendi ad extrà aliquid. Patet, quia per circumſcriptionem producti ad intrà non tollitur à natura diuina, nec ratio formalis producendi ad extrà, nec aliquid pertinens ad rationem formalem producendi ad extrà: ſi ergo per poſſibile, vel impoſſibile natura diuina eſſet tantum in vno ſuppoſito, adhuc in illo ſuppoſito eſſet perfecta cauſalitas reſpectu omnium cauſabilium tam in *eſſe* ſimpliciter, quàm in *eſſe* ſecundùm quid.

b *Et ideò ſi arguatur: iſta perſona non poteſt producere intra* ſupple id eſt, poſito quòd tantùm ſit vna perſona, *Igitur nec extrà. Neganda eſſet conſequentia*, &c. Videlicet poſito, quod aliquis admittat antecedens, ſecundum quòd ſit vna perſona in diuinis, quæ non poſſet producere ad intrà, adhuc ab illo neganda eſſet conſequentia, quia illa conſequentia tantùm tenet per hanc propoſitionem: *Potentia ad aliquid producendum extrà præſupponit productionẽ intrà*, quæ tamen *propoſitio deſtruitur per hypotheſim*, ſcilicet per conceſſum, quòd illa vna perſona nõ producat ad intrà. Sequitur: *Et ideò videtur quòd cauſalitas perfecta licèt idem fundamentum neceſſariò ſit ratio, & cauſa vtriuſque productionis*, quia habitudo ad extrà, licèt de facto præſupponat habitudinẽ ad intrà, non tamen præſupponit illam, vt ſimpliciter neceſſariò requiſitam ad productionem extrà, cùm talis habitudo intrinſeca non ſit aliquo modo ratio formalis, nec aliquid pertinens ad rationem formalem principij productiui ad extrà.

c *Ex hoc videtur quòd Philoſophi non poſuerunt habitudinem in eis.* Hìc Doctor confirmat, quod priùs dixit, ſcilicet ſi per impoſſibile non eſſet productio intrà, adhuc eſſet productio ad extrà, quia Philoſophi non poſuerunt eſſe neceſſariam habitudinem productionis extrà ad productionem intra: patet, quia licèt illi negarent productionem intrà, conceperunt tamen productionem extrà, vt patet.

d *Ad quæſtionem igitur principalem.* Nunc Doctor reſpondendo ad principalem quæſtionem dicit, quòd cauſalitas perfecta reſpectu omnium cauſabilium extrà de neceſſitate eſt in tribus, & hoc reſpectu omnium cauſabilium in quocunque eſſe cauſabili, ſiue ſimpliciter, ſiue ſecundùm quid. Et ratio formalis aſſignata eſt priùs in primo articulo, quia productio ad intrà neceſſariò eſt prior productione ad extrà, ſiue productione ſimpliciter, ſiue ſecundùm quid, & in productione ad intrà neceſſariò communicatur perſonis productis eadem ratio formalis producendi ad extrà, quæ eſt in producente.

Occurrit tamen difficultas, videtur enim quod productio obiecti ſecundarij ſit ſimpliciter prior, ſaltem productione Spiritus, ſcilicet ad intrà, quia actio naturalis in eodem, præcedit actionem non naturalem. Hoc patet de intellectu, & voluntate in eodem, quia intellectus cùm agat de neceſſitate naturæ, eſt priùs operatiuus, quàm voluntas, & ſimiliter prius productiuus, quàm voluntas ſit productiua, vt patet à Doctore *in 1. diſt. 2. p. 1. q. 3.* Cùm ergo intellectus diuinus de neceſſitate naturæ producat omnia obiecta ſecundaria in eſſe intelligibili, ſequitur; quòd priùs producet illa, quàm voluntas diuina ſpiret Spiritum ſanctum, cùm ſpiret illum merè liberè, licèt neceſſariò, non tamen per modum naturæ, vt probat Doct. *in 1. diſt. 10.* *Obiectio.*

Reſpondet Doctor *in quodl. q. 14. a. 2.* dicens ſic; *Maior eſt vera, loquẽdo in eodem ordine ex parte termini, hìc autẽ eſt alius ordo ex parte primi termini, & ſecũdi, & idcò naturalis in vno ordine ſequitur non naturalem in alio ordine. Prima enim* *Solutio.*

diſtinctio ordinum utenditur ex parte terminorum ; ſecunda ex parte principiorum , quantùm ad modum principiandi. Hæc ibi. Vult dicere Doctor quòd ſi intellectus diuinus , & voluntas diuina comparentur ad terminum primum, puta ad eſſentiam diuinam , quæ communicatur per modum intellectus , & naturæ , vt in generatione Filij , & per modum voluntatis , & liberè, vt in ſpiratione Spiritus ſancti , tunc actio intellectus diuini eſt prior actione voluntatis diuinæ, quia productio Filij eſt prior productione Spiritus ſancti. Similiter ſi accipiatur primus terminus perſona producta , productio intellectus diuini eſt ſimpliciter prior productione Spiritus ſancti. Si verò intellectus diuinus comparetur ad terminum ſecundum , ſiue ad obiecta ſecundaria , & voluntas ad terminum primum, ſcilicet ad Spiritum ſanctum , tunc non ſequitur , quòd maior ſit vera , cùm fiat comparatio alterius , & alterius ordinis. Si autem intellectus diuinus comparetur ad obiecta ſecundaria , & ſimiliter voluntas diuina ad illa eadem obiecta , tunc actio intellectus diuini eſt prior actione voluntatis diuinæ, quia actio naturalis comparatur ad actionem liberam in eodem ordine , &c. Sunt benè multæ aliæ difficultates in hac materia , quas relinquo exponendas , & pertractandas in Quodlibet. quæſtione 14. art. 2.

Quomodo cõmunicetur eſſentia Diuina.

Notandum bene.

Quomodo actio intellectus Diuini, ſit prior actione voluntatis Diuinæ?

e *Ad argumenta principalia.* Ad primum, reſponſio patet , ex ſupradictis in tertio articulo.

Ad ſecundum dico , &c. Reſpondet quòd vnitas actionis tantùm ſumitur ab vnitate principij formalis agendi , quia ſicut tota perfectio actionis eſt à ratione formali agendi , vt ſuprà expoſui *in primo , diſtinct. 1. quæſtione 2. reſpondendo ad principalia argumenta* , ita & vnitas actionis erit ab vnitate rationis formalis agendi, & ex hoc probat Doctor *in primo , diſtinct. 12.* quòd quamuis Pater , & Filius ſint duo ſuppoſita ſpirantia , tamen in eis eſt tantùm vna ſpiratio numero, propter vnitatem formalis rationis ſpirandi , quæ eſt eadem voluntas in Patre,& Filio. Cùm ergo in propoſito ratio formalis producendi ad extrà in eſſe ſimpliciter ſit tantum vna in tribus ſuppoſitis , ſequitur ; quòd tantùm vna actione agent. Iſta etiam vnitas actionis , quæ ſumitur tantùm ab vnitate principij actiui, patet à Doctore *in 1. diſtinct. 4. quæſtione 2.* vbi vult: quòd hæc ſit primò vera , *Deus creat*, vt ly *Deus* non includit aliquam rationem incommunicabilitatis.Hoc idem patere poteſt *in 20. diſtinct. primi* , vbi probat quomodo omnipotentia ſit ſimpliciter eadem in tribus perſonis.

Eadem difficultas eſt in primo, diſt. 20.an perſonæ ſint æquales in potentia.

Ad tertium dico , &c. Dicit , quòd eſſentiale eſt principium producendi ad extrà tantùm re-

In diuinis eſſentialia ſũt

motum , & ad hoc vt ſit propinquum,& proximum requiritur,vt ſit in tribus ſuppoſitis,& probat in ſimili, quia licèt voluntas, ſiue anima, ſit principium volitionis per voluntatem , non tamen eſt principium proximum, quia priùs de neceſſitate eſt principium intellectionis per intellectum,ſic eſt in propoſito. Sed an hæc reſponſio concludat, vel non,patet ex his,quæ ſupra dixi,reſpondendo ad illas inſtantias, quas feci reſpondendo ad quæſtionem principalem.

in duplici differetia vide primæ quæſt. quodl.

Deinde Doctor reſpondet ad duo argumenta facta ad oppoſitum , & quia videntur concludere in tertio articulo , vbi dixit , quòd ſi per impoſſibile eſſet tantùm vna perſona , adhuc in ea eſſet perfectiſſima cauſalitas reſpectu omnium cauſabilium.

Quòd ſi per impoſſibile pater eſſet ſolus , potuiſſet tamen creare mundum.

Reſpondet ad primum , quod concludit de facto, & litera clara eſt. Eſt tamen aliqualis difficultas in hoc , quod dicit , quòd ſubſtantia , & virtus minùs conueniunt , quàm tres perſonæ; quia ſubſtantia , & virtus ſunt idem realiter , & perſonæ ſunt diſtinctæ realiter. Dico , quòd facilis eſt reſponſio,quia eſt ſimpliciter maior vnitas perſonarum in eſſentia diuina , quàm cuiuſcunque virtutis creatæ,ſiue potentiæ actiuæ,cum ſubſtantia , cuius eſt talis potentia actiua. Dico ſecundò, quòd fortè Doctor loquitur non ſecundùm intentionem propriam , ſed ſecundùm opinionem dicentium,quòd potentia actiua realiter diſtinguitur à ſubſtantia , quia dicunt, quòd ſubſtantia non poteſt eſſe immediatum principium alicuius actionis, cuius oppoſitum probat Doctor in plurib locis,præcipuè *in quarto , diſtinct.12.* Tenet enim ipſe,quòd ſubſtantia ſit immediatum principium producendi aliam ſubſtantiam , & tunc potentia producendi , & ſubſtantia producens eſſent ſimpliciter eadem. Ideò ad probandum, quòd cauſalitas omnium cauſabilium ſit de neceſſitate in tribus , ſumpſit media euidentiora: patet in primo articulo.

Creatio eſt opus omnipotentiæ· omnipotẽtia autem eſt in Patre à ſe , non ab alio : ergo Pater potuiſſet creare mundum.

Reſpondet Doctor , ad ſecundum , *quòd procedit de facto , quòd productio præſupponit productionem , non tamen vt formaliter cauſam ſuam, ſub ratione , quâ eſt productio* , id eſt , quòd etſi productio ad intrà præſupponitur productioni ad extrà non tamen præſupponitur, vt cauſa formalis productioni ad extrà , nec vt aliquid pertinens ad cauſam formalem productionis ad extrà, accipiendo ſemper productionem ad intra ſub illa ratione formali , qua eſt productio,& non accipiendo *productionem* pro immediato fundamento , quia illud tale eſt ratio formalis producendi ad extrà , & ſic finis quæſtionis.

):(

QVÆSTIO II.

Vtrùm [a] *Deus poſsit aliquid creare?*

Alenſis 2.*part.quæſt.* 6. *m.*2. *art.*1.& 4. D.Thom.1.*part.quæſt.*45. *art.* 1.& 2. D.Bonauent. *hìc art.*1. *quæſt.*1, Ric. *art.*1. *quæſt.*1.& 2. Durand.*quæſt.*4. Henric.*ſum.art.*2. *quæſt.* 23. Vaſquez 1.*p.d.* 172. Occham *hìc quæſt.*4. Ægid. *quodlib.*6.*quæſt.*4. Vide Scot.5. *Met.quæſt.* 2.& 7. *Met.quæſtione* 8.9.*in Theorem.*§. Cauſa naturaliter eſt. & §. creans non eſt niſi. Mayron. *hìc diſtin.*1. *quæſt.* 2. Biel. *ibid. quæſt.* 3. Anton. Andreas *ibid. quæſtione* 2. Carthuſ. *ibid.* Thomas de Argent. *q.* 1.

1. VIdetur [b] quòd non, quia ſi aliquid producitur, quod nõ priùs producebatur, hoc eſt, quia aliquid aliter ſe habet nunc quàm priùs: iſtud in propoſito non poteſt poni paſſum, quia non præfuit: igitur oportet agens aliter ſe habere nunc quàm priùs, & per conſequens mutari: ſed primum agens non poteſt mutari: igitur, &c. *Mag.B. 8.Phyſ.co. 8.& 15.*

Si dicatur, quòd agens ſine ſui mutatione poteſt producere nouum effectum; Contrà, quia agens dat *eſſe*, ideò productum, vel paſſum recipit eſſe: & non ècontra, quia productum recipit *eſſe*, ideò producens dat *eſſe*: igitur in agente oportet naturaliter præcedere aliquam habitudinem nouam ad productum, & non ècontrario; igitur & mutationem, quæ non eſt ponenda in Deo, igitur nec creatio.

Item, cauſa [c] ſemper æquè determinata ad agendum, æquè videtur agere ſemper, & effectum producere: quia non videtur ratio quare nunc debeat aliquid producere: & non aliàs, ſi fuit aliàs ita determinata ad agẽdum, ſicut modò: ſed ſi creatur aliquid nunc, aliter aliquo modo ſe habet nunc quàm priùs, & per maiorem determinationem cauſæ ad ipſum nunc quàm priùs: ergo cauſa illa aliquando eſt magis determinata ad producendum effectum quàm aliter, & ſic non æquè ſemper, & per conſequens mutata.

2. Præterea, ſecundo de Generatione, *Idem manens idem, ſemper natum eſt facere idem:* ergo non erit aliqua variatio in effectu, niſi priùs naturaliter ponatur in cauſa. *T.com. 56.*

Præterea, ſi nulla [d] ponatur mutatio ex parte cauſæ, vt modò dicatur magis approximata, vel minùs approximata, quàm aliàs, vel cùm nec poſſit eſſe aliquod impedimentum ex parte eius non videtur ratio, quare nunc agit, & priùs non egit.

Et ſi dicas, quòd voluntariè agit, & ideò poteſt agere quando vult; Contra hoc, non videtur ratio quare voluntarium agens aliquando agat, & non aliàs: niſi quia expectat maiorem opportunitatem agendi tunc, quàm aliàs: hoc autem aſſignari non poteſt in primo mouente reſpectu ſui effectus: ergo nec quia voluntariè agit, poteſt agere quando vult.

Oppoſitum Geneſ. primo. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* *Ratio ad opp.*

COMMENTARIVS.

1. IN hac [a] quæſtionis intelligitur de *creatione* propriè dicta, quæ eſt de nihilo ad aliquid, vt ly *nihil* duratione præcedit ipſum *eſſe*; ſiue quæ eſt cum nouitate effectus. Et quod ſic intelligatur titulus quæſtionis, patet reſpondendo ad quæſtionem.

Primò [b] arguit Doctor ſic: Si *A* poteſt produci de nouo, ergo aliquid aliter ſe habet nunc quàm priùs. Aut ergo productum, aut producens. Non primum, quia non præfuit, ideò nunc aliter ſe habere non poteſt, quàm priùs, cùm priùs non fuerit. Non ſecundum, quia tunc primum agens mutaretur. *Si dicatur quòd agens*, &c. Contrà, quia agens dat *eſſe*, ideò productum recipit *eſſe* & non ècontrà: & ſic in agenti *B* naturaliter præcedere *A* oportet aliquam habitudinem nouam ad productum, & non ècontrà.

Secundò [c] principaliter arguit: Item, *cauſa æquè*, &c. Et patet argumentum: & tertium ſimiliter.

Vltimò arguit: *Si nulla mutatio*, &c. *quàm alias.* Nec valet dicere quòd voluntate agit, ideò agit quando vult, quia ſi agens voluntarium aliquando agit, & aliàs non, hoc non eſt *niſi quia expectat maiorem opportunitatem agendi*, quod non contingit in primo agente.

***

SCHOLIVM.

Explicat definitionem creationis, & quòd Philoſophi eam admittant, ſi nihilum *dicatur præcedere ſecundùm ordinem naturæ, non durationis. Explicat etiam duplicem prioritatem naturæ, poſitiuam & priuatiuam, declarans creaturam ex ſe eſſentialiter, non habere* eſſe, *vel non eſſe; quod intellige etiam de* eſſe *eſſentiæ, ex d.36. primi. Reiicit rationem, quâ Ægidius probat creationem, probans eam dari vnica ratione, quia aliàs Deus nihil ageret mediatè, ſi non faceret aliquid immediatè & per ſe: hoc autem repugnat, cùm ſit agens primum, ex* 1.*d.*2. *q.*1. *& omne præter ipſum ſit poſsibile, ex* 1.*d.*8. *q.fin.*

Vide 24. *q.* 3. *cap. Quidam autem hæretici.*

REſpondeo [a], creare eſt aliquid de nihilo producere in effectu. *De* autem, licèt poſſit multipliciter ſumi, ſicut patet per Anſelmum *Monol.cap.*8. vno tamen modo accipitur, vt notat ordinem. Tamen vt notat ordinem adhuc eſt multipliciter dictum: quia poteſt notare ordinem naturæ, vel durationis. Si primo modo, concedunt Philoſophi Deum poſſe creare, & aliquid de nihilo producere: vt patet per Auicen. 6.*Metaph.cap.*2. quære literam eius. Et intelligo [b] illud de prioritate naturæ, ſic: prius natura poteſt aliquid dici poſitiuè, quia ipſum ineſt alicui, & prior eſt entitas eius quã illa quæ dicitur poſterius natura ineſſe illi: ſicut eſt de animali, & rationali in homine: de ſubſtantia & accidente in compoſito per accidens: de materia & forma reſpectu compoſiti per ſe. Alio modo prius natura dicitur eſſe vnum alio, quaſi priuatiuè, quod ſcilicet non ineſt ei, cui dicitur primò conuenire: ſed ineſſet ei, niſi per aliud impediretur; ſicut ſi dicatur in materia priùs naturaliter eſſe priuatio quàm forma, non quidem quòd iſta duo ſint ſimul in materia, ita quòd priuatio priùs inſit quàm forma: ſed priuatio pro tanto poteſt dici prior natura, & prius natura in materia, quàm forma, quia priuatio ſemper ineſſet materiæ, niſi ab aliquo agente reciperet formam: ita quòd ad habendum priuationem ſufficit ſola materia cum negatione, vel priuatione cauſæ extrinſecæ: ad habendum autem formam requiritur cauſa extrinſeca. Nec tamen priuatio eſt de ratione materiæ, ſicut nec forma, nec ambo ſunt ſimul in materia. 3.

Prius natura duplex, poſitiuè & priuatiuè

Priuatio magis intrinſeca eſt materiæ, quã forma.

Ita intelligo [c] in propoſito, quòd creatura non habet ex ſe *non eſſe*, nec habet ex ſe *eſſe*: nec quòd ſimul ſint in ea *eſſe* & *non eſſe*, quaſi ſimul ſint *eſſe*, & *non eſſe*: nec aliquo modo habet *non eſſe*, quando eſt: ſed quantùm eſt ex ſe, haberet *non eſſe*, niſi cauſa extrinſeca ſuũ *non eſſe* impediret, dando ſibi *eſſe*: quia ex ſola ratione creaturæ, non haberet *eſſe*, circumſcripta omni cauſa extrinſeca dante *eſſe*: quia nullo modo haberet *eſſe*, niſi per cauſam extrinſecam produceretur in *eſſe*: ita quòd magis propriè dicendum eſt creaturam non habere *eſſe* ex ſe formaliter, quàm habere *non eſſe* ex ſe formaliter, quia formaliter provt ex ſe, affirmatur, nec habet *eſſe* ex ſe, nec *non eſſe*.

*Auerr.*1. *Phyſ. com.* 69.*&* 70.

Pro iſta [d] opinione ſic intellecta arguitur: Agens perfectius minùs præſupponit in agendo quàm agens imperfectius: ſicut natura minùs præſupponit in agendo quàm ars: quia natura præſupponit ens in potentia, & ars ens in actu. Sed Deus eſt agens perfectius quàm natura, vel ars: igitur minùs præſupponit, quàm natura, aut ars in ſua actione: & ita minùs quàm ens in potentia quod eſt præſuppoſitum à natura, & ita nihil: & per conſequens poteſt creare. 4.

Ægid. quodlib. 6. *q.* 4. *quære eũ in* 2.*q.*1. *& Bo. & Var. diſt. præſenti.*

Iſtam rationem [e] adducunt aliqui ad ſecundum membrum, provt *de* notat ordinem durationis: ſed ibi omnino non valet: quia etſi Deus nihil præſupponat in producendo, de quo producat; non tamen ſequitur, quòd poſſit producere nouum ſic, ſicut nec de natura & arte ſequitur ex virtute argumenti, quòd quia natura non præſupponit in actione ſua ens in actu, igitur poteſt producere aliquid omnino nouum ſecundùm *eſſe* in actu: non ſequitur. Sed [f] nec ad iſtud primum membrum valet, quia ſecundùm Philoſophos, quæcunque Intelligentia eſt agens ſuperior quàm agens naturale: & tamen non conceditur conſequenter ab eis, licèt Auicenna concedat, quòd Intelligentia poſſit creare ſiue aliquid de nihilo producere.

9.*Met.c.*4. *Quæſt.* 1.

Ideò aliter [g] arguo ad iſtud membrum ſic: Deus poteſt immediatè aliquid cauſare & efficere: igitur poteſt creare, & aliquid de nihilo facere: igitur poteſt aliquid immediatè facere. Imò antecedens eſt manifeſtum, quia Deus eſt primum efficiens *ex ſecunda diſtinct.* 1. *lib.* igitur poteſt aliquid immediatè facere. Imò ſi nihil poteſt immediatè facere, tunc nec etiam mediatè poteſt facere aliquid, quia eſt primum efficiens; & ita nullum effectum producet. Conſequentiam probo ſic; quia ſi poteſt efficere aliquid, igitur illud non habet *eſſe* ex ſe neceſſarium formaliter, & habet *eſſe*

à

à cauſa : igitur habet *eſſe* poſt *non eſſe*, ſecundùm intellectum iſtius membri. Immediatè etiam producit nullo alio præſuppoſito : quia ſi aliquid aliud præſupponeretur,illud aliud eſſet effectum ab eo,ſicutpatet *ex diſtinct.8.primi.*igitur iſtud non eſſet immediatè effectum ab eo. Habemus igitur à primo antecedente ad iſtud conſequens, quòd producit aliquid ordine naturæ,de *non eſſe* ad *eſſe* : nullo præſuppoſito: ſecundùm ergo iſtum intellectum creat. Iſta ratio videtur innui ab Auicenna 6. *Metaphyſicæ cap.2.vbi priùs.* Quære eam ibi. *Quæſt.fi.& diſt.2.q.1.*

COMMENTARIVS.

2. *Declaratio illius propoſitionis de non eſſe.*

De nihilo poteſt multipliciter intelligi. Vide Alenſem. 1. p. q.42. art. 2. & D. Bona. 1 diſt.5.q.2. bene declarãtes.

RESpondeo [a] *creare eſt aliquid de nihilo producere in effectu.* Hîc Doctor primò exponit quid intelligatur per *creare*. Et primò *de nihilo*, exponit per ly *de* quomodo intelligatur. Pro quo nota, quòd ly *de nihilo*, poteſt multipliciter intelligi. Primò materialiter, ſcilicet an de nihilo, tanquam de materia poſſit fieri aliquid, ita quod ly *nihil* ſit cauſa materialis, & intrinſeca illius; vel materialiter ſic intelligendo, quòd *A*, non poſſet fieri, niſi agens priùs præſupponat *non eſſe* ipſius *A*, non quòd ly *non eſſe*, ſit cauſa intrinſeca, ſicut etiam expoſitum eſt *in 1. diſtinct.2.part.2. quæſt.4.* exponendo opinionem Henrici,ſicut etiam expoſui *in 1. diſtinct. 3. q. 6.* declarando illud quomodo intellectus agens producit ſpeciem intelligibilem de phantaſmate, ſiue ly *de* accipiatur materialiter,ſiue virtualiter. Secundò ly *de nihilo* poteſt intelligi effectiuè, id eſt, quòd ly *nihil*,efficiat aliquid, ſicut etiam expoſui ly *de aliquo*,in 1.diſtinct.3. quæſt.6.vbi expoſui quomodo intelligitur, quòd intellectus agens de phantaſmate producit ſpeciem intelligibilem,accipiẽdo ly *de* virtualiter,ſiue effectiuè. Tertiò ly *de nihilo*, poteſt accipi vt dicit ordinè, id eſt, an poſt *nihil* poſſit fieri aliquid. Primis duobus modis nõ poteſt accipi,vt patet intuenti, ſed benè tertio modo,& iſta eſt quæſtio, ſcilicet an Deus poſſit producere aliquid de nihilo, id eſt, an poſſit producere aliquid, quod priùs fuit nihil,ita quòd ly *nihil* præcedat *eſſe* illius. Deinde addit Doctor quod vt ly *nihil* notat ordinem, poteſt dupliciter intelligi; aut quod ly *nihil* præcedat eſſe durationè; aut quòd tantùm præcedat in aliquo priori naturæ ; & iſto ſecundo modo cõcedunt Philoſophi Deum poſſe creare,& aliquid de nihilo producere, vt patet per Auicennam 6. Metaph.cap.2.

De nihilo poteſt accipi duobus modis.

Vt nihil notat ordinẽpoteſt dupliciter intelligi.

3 *Prius natura poteſt intelligi duobus modis.*

Et intelligo [b] *iſtud de prioritate naturæ.* Hîc dicit Doctor quòd *priùs natura* poteſt dupliciter accipi. Primò poſitiuè,quando ſcilicet ipſum *prius* ineſt alicui, quod tunc eſt,quando prior eſt entitas eius, quàm illa, quæ dicitur poſterius natura ineſſe illi, ſicut eſt de animali, & rationali in homine; quia prius naturâ poſitiuè animal præcedit rationale. Et de iſto priori naturæ vide quæ priùs expoſui *ſuper 3. diſtinct.3. quæſt.1. tertij. Doct.* Secundò, *prius naturâ* accipitur tantùm priuatiuè,quod ſcilicet prius actu non ineſt illi entitati,cui dicitur primò conuenire. Sed ineſſet, niſi per aliud impediretur, ſicut ſi dicatur in materia priùs naturaliter eſſe priuatio, quàm forma, non quòd iſta duo ſint ſimul in materia, ſed priuatio pro tanto poteſt dici prior natura, quia ſemper ineſſet materiæ, niſi in illo inſtanti, quo ſibi ineſſet, reciperet formam ab aliquo agente. Ad habendum ergo priuationem ſufficit ſola materia cum negatione cauſæ extrinſecæ: ad habẽdum autem formam requiritur cauſa extrinſeca, quia in materia non eſt cauſa intrinſeca formæ producendæ,vt habet ſubtiliter videri infrà diſt.18.

Quomodo priuatio ſit prior natura ipſa forma.

Ita [c] *intelligo in propoſito*, &c. Dicit Doctor in iſta litera, quòd creatura non habet ex ſe *eſſe*, ſcilicet formaliter, nec habet de ſe *non eſſe* formaliter. Et aliqui exponunt de ſe *eſſe* exiſtentiæ; & dicunt, quòd *eſſe* exiſtentiæ non includitur in ratione formali creaturæ ; & ſimiliter *non eſſe* exiſtentiæ, quia tunc creatura non poſſet eſſe. Sed iudicio meo non rectè intelligunt Doctorem ſi tamen intelligant de *eſſe* exiſtentiæ, vt patet à Doctore *in primo diſt. 36. & 43. & infrà in reſponſione ad quæſtionem.* Dico enim,quòd creatura non habet de ſe *eſſe* formaliter, nec *eſſe* eſſentiæ, nec *eſſe* exiſtentiæ, ita quòd in ſua ratione formali includat *eſſe* eſſentiæ reale, & *eſſe* exiſtentiæ,quia haberet *eſſe* à ſe:ſi enim tale *eſſe* formaliter includeret, neceſſariò eſſet à ſe:Imò ſi de ſe formaliter includeret *eſſe* eſſentiæ de facto,includeret de ſe *eſſe* exiſtentiæ, cùm *eſſe* eſſentiæ non diſtinguatur ab *eſſe* exiſtentię,vt patet à Doctore *præſenti diſtinct. quæſt. præſenti, & diſt.36: primi. & diſt.63.* *Quomodo creatura non habeat ex ſe non eſſe.*

4 *Quomodo omnis creatura ab æterno habuit eſſe cognitum,hoc habetur diſt. 43.primi.*

Eſt ergo ſic imaginandum, quòd omnis creatura ab æterno habuit *eſſe* intelligibile, ſiue *eſſe* cognitum, in quo *eſſe* fundatur *eſſe* poſſibile, vt patet à Doctore *in 1. diſt. 36. & 43.* & tale *eſſe* dicitur aliquando *eſſe* quiditatiuum; aliquãdo *eſſe* eſſentiæ : nulla tamen creatura in tali *eſſe* aliquid reale dicit, & omnes creaturæ, vt includunt tale *eſſe* ſecundùm quid, per ſe inuicem diſtinguuntur,& ordinatè per ſe ponuntur in Prædicamentis. Hoc etiam modo indiuiduą dicuntur eſſe in Prædicamento,vt patet à Doctore *in præſenti diſt. q.3.* & omnis creatura, vt ſic,tãtùm producitur per actum intellectus diuini, vt ſuprà dixi in 1. quæſt. *Eſſe* autem eſſentiæ reale,quod nullo modo realiter, nec fortè formaliter poſitiuè eſt diſtinctum ab exiſtentia, tãtùm contingenter producitur ab actu voluntatis diuinæ. Dico ergo, quòd creatura in tali *eſſe* diminuto nõ habet ex ſe *eſſe* formaliter modo præexpoſito:nec *eſſe* realis exiſtentiæ, nec *eſſe* realis eſſentiæ, nec etiam habet formaliter *non eſſe* realis eſſentiæ, nec realis exiſtentiæ, quia ſi negatio talis *eſſe* includeretur formaliter in creatura., vt habet *eſſe* cognitum, tunc eſſet impoſſibile ipſam creari poſſe, ſicut dicimus, quòd homo non eſt formaliter albus, nec formaliter non albus:nam ſi eſſet non albus formaliter, id eſt, ſi non eſſe album includeretur formaliter, ſiue quiditatiuè in homine; nunquam homo per quamcunque potentiam poſſet fieri albus. Et ſi dicatur, habere *eſſe* de ſe formaliter, & habere *non eſſe* de ſe formaliter, contradicunt, ergo alterum verificatur de creatura. Dico, quòd iſta non ſunt contradictoria : eo quòd aliquid negatur in prima, quod

affirmatur in ſecunda, quia in prima negatur ly *habere eſſe*, in ſecunda verò affirmatur *habere*, & negatur *eſſe*. Sed iſta benè contradicunt, *A* aut habet de ſe formaliter eſſe, *A* non habet de ſe formaliter *eſſe*, & ſecunda eſt vera, quia tunc ſenſus eſt, quòd *eſſe* de ſe non includitur formaliter in creatura, & ſimile patet à Scoto *in primo, diſt. 4. quæſt. 1. in reſponſione ad principalia argumenta, & diſt. 2. part. 2. q. 1. & diſt. 28.* & ſic patet iſta litera.

Opinio Ægidij Romani, quodl. 6. q. 4.

[d] *Pro iſta opinione ſic intellecta.* Hîc recitatur vna ratio Ægidij de Roma, quodlib. 6. quæſtione 4. qua probat, quòd Deus poteſt immediatè producere aliquid de nihilo, quia minus præſupponit in agendo, &c. Et litera clara eſt.

[e] *Iſtam rationem adducunt aliqui ad ſecundum*, &c.

Nota ibi, *ſicut nec de natura, & arte.* Aliqui exponunt ſic; non ſequitur, ſi natura nihil præſupponit in actu, quòd poteſt producere de nouo aliquid in actu, dicunt, quòd ex hoc non ſequitur, quia materia eſt ens in actu, & non poteſt produci à natura; ſed credo, quòd iſta expoſitio ſit nulla, cùm ipſa materia præſupponatur actioni naturæ, ſed vt dicit Doctor, abſolutè non ſequitur, ex vi argumenti: non præſupponit ens in actu, quod eſt ipſum compoſitum: ergo poteſt producere ipſum compoſitum omnino de nouo. non ſequitur, quia ſi natura fuiſſet ab æterno, & benè diſpoſita, ac nullo modo impedita, ſtatim produceret effectum in actu, & ſic non produceret omnino de nouo.

Materia præſupponitur actioni naturæ.

[f] *Sed nec ad iſtud primum membrum valet.* Dicit Doctor quòd argumentum Ægidij non valet, etiam ad primum membrum, ſcilicet vt ly *nihil* tantùm natura præcedit, quia ſecundùm Philoſophum quæcunque Intelligentia eſt agens ſuperius quàm agens naturale, & per conſequens in agendo minùs præſupponit, ſecundùm iſtos, quàm agens naturale, & tamen non conceditur conſequenter ab eis, ſcilicet quòd poſſit ab æterno producere de nihilo. Et quod dicit de Intelligentia, quòd non poteſt creare, licèt hîc hoc ſupponat pro certo, ſubtiliter tamen probat *in quarto, diſt. 1. q. 1.* vbi pertractat opinionem Auicen. de iſta materia, quam ibi improbat.

Contra Ægidium.

[g] *Ideò aliter arguo ad iſtud membrum*, &c. Hîc Doctor oſtendit quomodo Deus poteſt aliquid producere de nihilo, vt ly *nihil* tantùm natura præcedit, & arguit ſic; Deus poteſt immediatè aliquid cauſare, hoc eſt nulla ſecunda cauſa in quocunque genere cauſarum concurrente: ergo poteſt creare, & aliquid de nihilo facere. Antecedens eſt manifeſtũ, quia Deus eſt primum efficiens, vt probauit *d. 2. primi. part. 1. quæſt. 1.* ergo ſi aliquid non poteſt immediatè facere: ergo nec mediatè. Patet, quia ſi produxit *A* mediatè, oportet quòd illud quod mediat ſit productum; aut ergo immediatè à primo efficiente, & habetur propoſitum; aut mediante aliquo alio: ſi mediatè, ergo illud, quod mediat erit productum, à primo efficiente, vel aliter erit proceſſus in infinitum, vel oportebit ſtare ad aliquod, quod erit immediatè productum. Conſequentiam probat ſic: Scilicet, quòd poſſit illud producere ex nihilo, *quia ſi poteſt efficere aliquid* immediatè, *igitur illud non habet eſſe*, &c. Hæc litera patet de ſe.

Quomodo Deus poſſit producere aliquid de nihilo.

Deus eſt primum efficiẽs.

Contra illud, quod dicit Doctor, *illud non habet eſſe ex ſe neceſſarium formaliter, & habet eſſe à cauſa.* In hoc enim videtur ſibi contradicere, ponendo primam cauſam ad intentionem Auicennæ de neceſſitate cauſare effectum immediatum, puta ſecundam Intelligentiam: nam dicit ſuprà *in primo diſt. 2. part. 2. q. 3.* quòd Intelligentia ſecunda, ſi eſſet cauſata de neceſſitate à prima cauſa, tunc eſſet ex ſe formaliter neceſſaria. Hoc idem dicit *in eodem primo, diſt. 8. q. vlt.* & hîc dicit; quòd tale cauſatum non habet *eſſe* ex ſe neceſſarium formaliter. *Obiectio.*

Reſpondeo, quòd nulla eſt hîc contradictio, ſi Doctor rectè intelligatur: nam Intelligentia ſecunda non includit in ſuo conceptu quiditatiuo eſſe à ſe, ſiue realis eſſentiæ, ſiue realis exiſtentiæ, quod patet à Doctore *d. 8. q. vlt. prima* declarando poſitionem Auicennæ, quomodo neceſſariò cauſatum dicatur poſſibile, vbi ſic dicit: *Auicenna autem videtur ſtatim contradicere ſibi ipſi, ponendo illud neceſſarium eſſe poſſibile, quia tunc neceſſarium non neceſſariò comparatur ad illud. Sed arguitur pro Auicenna: ſi eſt ab alio, ergo in conceptu quiditatiuo eius non cadit eſſe: ergo eſt de ſe poſſibile eſſe, & non exiſtens, ſicut humanitas non eſt de ſe vna, nec plures, conceditur de iſto modo poſſibilitatis, quæ ſcilicet poſſibilitas non eſt, niſi quòd ordine naturæ hoc eſt capax huius, & non eſt illud quiditatiuè, ſcilicet ex ſe.* Hæc Scotus ad literam. Ex quo ergo cauſatum neceſſariò non includit tale *eſſe* quiditatiuè, ſequitur quòd nec ſic includat neceſſitatem conſequentem huiuſmodi *eſſe*: & ſic intelligit Doctor in iſto ſecundo. *Solutio.*

Quando verò dicit in primo, *diſtinct. 2.* quòd *eſt ex ſe formaliter neceſſe eſſe*, ſic debet intelligi, quòd illa entitas cauſata à prima includit formaliter neceſſitatem, puta tanquam gradum intrinſecum, ſicut dictum fuit ibi de Verbo, quod eſt ex ſe formaliter neceſſe eſſe, id eſt, quòd includit in ſe formaliter eſſentiam diuinam, quæ formaliter eſt neceſſe eſſe. Et ſic patet quomodo ſibi non contradicit. *Nota.*

SCHOLIVM.

Opinio Philoſophorum.

Ponit ſententiam Philoſophorum, negantium creationem in tempore eſſe poſſibilem, quam refutat, 1. diſt. 8. q. fin. vbi num. 13. & diſt. 39. & 43. probat Deum omnia ad extrà continuè cauſare, & conſequenter nihil neceſſariò facit ab æterno, quia etiam ſecundùm Philoſophum, ſola neceſſaria ſunt æterna. Adducit aliam rationem, ſed facilè ſolubilem à Philoſophis: de quo agit 1. d. 2. q. 1. num. 28. & 4. d. 48. q. 2.

De ſecundo membro, [a] prout ly *de*, notat ordinem durationis, negatur communiter creatio à Philoſophis: quia dicunt Deum neceſſariò producere quicquid immediatè producit, & nullo præſuppoſito: quod autem mediatè producit, producit aliquo præſuppoſito, de quo producit: quia tunc producit per cauſas ſecundas: & ita 5.

nec

nec mediatum, nec immediatum effectum contingenter producit de nihilo, ſic accipiendo *de*.

Sed contra [b] iſtud probatum eſt diſtinct.8 primi, lib.& tactum eſt diſtinct 39.eiuſdem, quod Deus cauſat omnia, quæ ſunt ad extra contingenter, & ex hoc ſequitur, quòd non neceſſario: & per conſequens nec ſempiternum, quia Philoſ. 9. Metaph. videtur concedere omne neceſſarium eſſe ſempiternum & econtra, idem etiam videtur innuere primo de Cœlo, & Mundo, contra Platonem, qui conceſſit aliquid ſempiternum eſſe: & tamen poſſibile non eſſe. *q.vlt. Arguit contra Philoſoph. T.com.17. Tex.c.101. 103.&138.*

Sed inſtabis huic [c] rationi, quòd non oportet vbi eſt contingentia in effectu, quòd ibi inferatur poſſibilitas ad nouitatem. Deus enim contingenter vult *A, ex diſt.8.1.lib.* & tamen non poteſt de nouo non velle *A*, quia tunc eſſet mutabilis. *Quæſt.vlt.*

Reſpondeo [d] nouitas poteſt eſſe in productione diuina propter nouitatem producti, licet non ſit nouitas in ipſo producente: quia in productione prima nouitas eſt ex parte producti, ſicut patebit reſpondendo ad primum argumentum principale. Sed circa velle, non poteſt eſſe nouitas, vel mutatio ex parte voliti, niſi eſſet aliqua nouitas ex parte actus volendi: quia actus volendi idem & eodem modo ſe habens, non poteſt eſſe alicuius nouiter voliti. Volitum enim non habet eſſe volitum, niſi per actum volendi: & ita non eſt nouum in *eſſe* volito, niſi per nouum actum volendi. *Quare Deus poteſt facere effectum nouũ ſine noua volitione, quia nõ poteſt habere niſi æternã.*

Sic [e] igitur videtur aliqualiter ſequi quod ſi Deus poſſit aliquid contingenter cauſare; poteſt etiam contingenter cauſare aliquid nouum: quia non eſt ratio quare non poſſit cauſare non ſempiternum contingenter, ſicut poteſt contingenter cauſare ſempiternum, ex quo non cauſat neceſſariò. Quod enim oporteret cauſatum eſſe ſempiternum, videtur ſequi ex neceſſitate cauſationis, vel ex immutabilitate ipſius cauſantis: quorum neutrum infert ſempiternitatem: igitur poſsibilis eſt nouitas inferri.

Arguitur etiam ad iſtud membrum, quia ſi aliquid ſit nouum, quæro à qua cauſa ſit nouum? Sit illa cauſa *A*, tunc arguo, aut *A* eodem modo ſe habens produxit hoc nouum; aut aliter: ſi eodem modo, habetur propoſitum, quia ab eadem cauſa non mutata, poteſt eſſe aliquis effectus nouus: ſi ab *A*, aliter ſe habente, quæro à quo mouente aliter ſe habuit ad hunc nouum effectum producendum? non eſt proceſſus in infinitum: ergo ſtabitur tandem quòd aliquid erit nouum à cauſa vniformiter ſe habente. *Ratio 2.cõtra Philoſ.* *Quia ponitur ab eis difformitas in partibus motus, & hinc contingentia.*

Et confirmatur ratio, quia ſi poteſt eſſe à primo mouente hæc pars motus noua, quæ nunquam præfuit: quare non poteſt ita aliquid totum eſſe nouum, cuius nihil vnquam præfuit?

Sed iſta ratio [f] cum ſua confirmatione contra Philoſophos parum valet, & leuiter ſolueretur ab eis. Concluſio tamen vera eſt, quòd ab aliquo agente non mutato, poteſt eſſe productum, quod omnino ſit nouum. *Scot. 1.d.2. q.1.& 4.d. 48.q.2.*

COMMENTARIVS.

7. [a] *De ſecũdo mẽbro, &c. Quia dicũt Philoſophi*, quòd Deus non poteſt producere aliquid de nihilo, ita quòd ly *nihil* procedat duratione. Volunt enim, quòd prima cauſa quidquid producit immediatè, quòd de neceſſitate naturæ producat, & ſic tale productum erit ſimpliciter neceſſarium, vt patet à Doctore *in primo, diſtinct.2. part.1.quæſt.1. & diſtinct.8. quæſt.vltim. & q.7. quodlib.* omne neceſſarium apud Philoſophum, *9.Met. text. com.17. & primo Cœli, & mundi. text.com.138.* eſt ſempiternum, & è contrà: & ſic non poteſt aliquid produci immediatè de nouo à prima cauſa. Et ſi dicatur nonne Ariſtot. *16. de Animalibus* ponit intellectum venire de foris, & immediatè eſſe à Deo? Et Doctor *in diſt. 43. quæſtione 2. art. 2. quarti* dicit, quòd Ariſtot. ponit intellectum immediatè accipere *eſſe* à prima cauſa, & nouum *eſſe*, ergo non videtur mens Ariſt. quod omne productum immediatè à Deo ſit ſempiternum. De hoc vide quod dicit Doctor in quarto vbi ſuprà, exponendo mentem Ariſtotelis.

b *Sed contra iſtud.* Hîc Doctor intendit probare contra Philoſophos, quòd etiam immediatè productum à prima cauſa non ſit ſempiternum. Et ſupponit vnum probatum ab ipſo *in primo diſtinct.2. part.1. quæſtione 1.& diſtinct.8. quæſt. vltim. & 39. & 42. primi. & 7. quæſtione quodlib.* videlicet, quòd prima cauſa cauſat omnia, quæ ſunt ad extra merè contingenter. Et ex hoc ſequitur, quòd non neceſſariò, & per conſequens nec ſempiternum, quia Philoſophus *9. Metaph. text. cam. 17.* videtur concedere omne neceſſarium eſſe ſempiternum, & è contrà. Idem etiam videtur innuere *primo Cœli, text. com.102, 103. & 138.* contra Platonem, qui conceſſit aliquid ſempiternum eſſe, & tamen poſſibile eſſe.

c *Sed inſtabis huic rationi.* Hîc Doctor intendit probare, quòd non ſequatur, ſcilicet quòd ſi Deus vult immediatè, & contingenter, quòd poſſit illud velle de nouo, quia probatum eſt *in primo diſt.8. q.vlt.* quòd Deus contingenter ab æterno vult *A*, & tamen non poteſt de nouo non velle *A*, quia tunc eſſet mutabilis. Hoc idem *in 39.diſt.& 45.* in qua oſtendit, quòd quicquid vult æternaliter, & ab æterno vult.

d Reſpon

8

Quomodo nouitas ſit ex parte producti, non autẽ producentis.

d *Reſpondeo, nouitas poteſt, &c. Sed circa velle non poteſt eſſe nouitas, vel mutatio ex parte voliti*, id eſt, quòd nunquam poteſt eſſe aliquid aliter volitum, quàm prius à voluntate diuina, *niſi ſit aliqua nouitas*, &c. Dicit ergo Doctor quòd licèt *eſſe* cauſabile à voluntate diuina ſit ab æterno volitum, ita quòd de nouo non poteſt eſſe volitum, non tamen ſequitur hoc de cauſatione, quia temporaliter poteſt cauſari.

e *Si igitur videtur aliqualiter ſequi*, &c. quia ſi ſecundùm Auicennam poteſt contingenter cauſare aliquid ſempiternum, multò magis poteſt contingenter cauſare non ſempiternum, quia ſempiternum videtur magis habere rationem neceſſarij, quàm non ſempiternum, & magis rationem incauſabilis. Sequitur, *quod enim oporteret cauſatum eſſe ſempiternum, videtur ſequi*. &c. Non enim valet formali conſequentia cauſa eſt ſimpliciter immutabilis: ergo non poteſt aliquid de nouo cauſare, quia cum immutabilitate cauſæ poteſt ſtare nouitas effectus, vt patebit reſpondendo ad primum argumentum principale. Nec ſimiliter ſequitur, Deus cauſat neceſſariò: ergo cauſatum eſt ſempiternum. Et dicunt aliqui, quòd conſequentia eſt bona, ſed tam antecedens, quàm conſequens eſt falſum. De antecedente patet, quia iſta repugnant, quòd aliquid cauſetur, & neceſſariò, vt patebit quæſtione ſequenti. Sed quomodo conſequens ſit falſum, non oſtenditur ab eis, imò videtur, quòd ſi Deus cauſat *A*, neceſſariò, quòd ipſum, *A* ſit neceſſe eſſe, & ſi *A* eſt neceſſe eſſe, *A* erit ſempiternum: aliter non eſſet neceſſe eſſe. Poſſet ergo dici primò, quòd quando Doctor dicit, quòd neceſſitas cauſationis non infert cauſatum eſſe ſempiternum, quòd poteſt ſic intelligi in propoſito, quia Deus non cauſat neceſſariò: ideò non ſequitur neceſſariò ſempiternitas effectus, & ſic iſta conſequentia, quia Deus non cauſat aliquem neceſſariò, ideò ex neceſſitate cauſationis non poteſt ſequi ſempiternitas effectus, cùm talis neceſſitas cauſationis nullo modo ſit in Deo. Secundò poteſt dici, tenendo illud antecedens, quòd Deus cauſet neceſſariò, quòd adhuc non ſequitur, quia comparatur ad effectum mediatè, etiam ſecundùm Philoſophos cauſat neceſſariò, & tamen effectus erit nouus. Si etiam comparatur ad effectum immediatè, adhuc erit nouus: patet de anima intellectiua, quæ per Philoſophum 16. *de Animalibus*, immediatè cauſatur à Deo, & non neceſſariò. Si dicatur, quòd ſi cauſatio animæ eſt neceſſaria, ergo, & ipſa anima habet neceſſe eſſe. Reſpondeo, quòd cauſatio neceſſaria eſt duplex. Quædam eſt ſimpliciter abſoluta, quæ non fit ex præſuppoſitione alterius. Alia eſt, quæ fit præcisè ex aliquo præſuppoſito, & hoc ſecundo modo anima neceſſariò cauſatur, quia in eodem inſtanti, quo corpus eſt organizatum, neceſſariò anima infunditur à Deo. Dico etiam, quòd anima intellectiua non immediatè cauſatur à Deo alia cauſatione quâ cauſatur, & corpus organizatum, ita quòd cauſatio Dei in aliquo priori terminetur ad *eſſe* ipſius animæ, ideò non dicitur abſoluta neceſſitate cauſari, & de hoc vide Doctorem in quarto, diſt. 3.

Deus non cauſat neceſſariò.

Cauſatio neceſſaria eſt duplex.

9

Quamuis Doctor expreſsè dicat, quòd nihil poteſt eſſe volitum de nouo à voluntate diuina ſine nouitate actus volendi, vt patet *in primo, diſtinct. 8. quæſtione vltima, & diſtinct. 39. & 45. & præſenti diſtinct.* Aliqui tamen nituntur ex aliquibus dictis Doctoris ſaluare, quòd aliquid poteſt eſse de nouo volitum, qui ſic dicunt. Tamen cum ſupportatione tanti viri, & ſaluo ſemper meliori iudicio, & in omnibus me ſubmittendo ſacroſanctæ Eccleſiæ determinationi, necnon dictis Sanctorum, occurrunt mihi multæ dubitationes, ex quibus fortè non videretur ſequi inconueniens aliquid eſse de nouo volitum à voluntate diuina, nulla penitus mutatione facta in ipſo actu volendi, quæ dubitationes ſumuntur ex dictis Doctoris in diuerſis locis.

Voluntas diuina ſemper eſt prior ipſo actu.

Prima ergo dubitatio eſt, quia Doctor *in 1. diſt. 39.* dicit, quòd ſicut voluntas diuina contingenter vult, puta Franciſcum fore, ita ſtat ſemper in tali contingentia. Nam in eodem inſtanti, quo elicit actum, ſiue ipſum *velle*, poteſt non elicere, quia ſemper voluntas diuina, etiam quando actum elicit, intelligitur prior ipſo actu, vt etiam patet à Doctore *in 1. d. 39. & in iſto 2. di. 25.* Et quia ſemper elicit, ideò ſemper intelligitur ſic prior, quòd poteſt non elicere: non enim eſt intelligendum, quòd ſic ab æterno voluerit, quòd etiam nunc non velit, imò ſicut ab æterno voluit, ita & nunc vult, & ſi ſic, videtur quòd poſſit velle oppoſitum: & ſi ponatur in *eſſe*, quòd velit oppoſitum, tunc ſequitur, quòd poſſit velle de nouo, & tamen non eſt dicendum, quod ſit nouitas in tali *velle*. Et licèt dictum Doctoris ſic exponatur, quod quando vult contingenter A, & ſemper ſtat in tali actu contingenti, ſic exponitur, quia quando actu vult, pro quocunque inſtanti ſemper poteſt velle oppoſitum, quia, vt ſic, voluntas intelligitur prior actu volendi. Sed poſita prima determinatione non poteſt velle oppoſitum, & ideo non ſequitur, Deus vult Franciſcum ſedere, & poteſt velle ipſum non ſedere, modo poſſibili in eſſe poſito nullum ſequitur impoſſibile, ponatur ergo in eſſe, non ſequitur, quia poſita prima determinatione, quâ vult ipſum ſedere, non poteſt poni alia determinatio, qua velit ipſum non ſedere, & de hoc vide quæ notaui *ſuper primo Doctoris diſtin. 39.*

10

Quicquid tamen ſit, eſt valde difficile credere, quod voluntas non poſsit velle oppoſitum, nulla facta mutatione in actu volendi, quia ſi ponatur ſecundùm aliquos potentia exequutiua in Deo, ſine mutatione aliqua, in tali potentia poteſt aliquid cauſari de nouo, quod priùs non cauſauit. Non enim credo aliquid mutari ex hoc ſolo, quod habet aliquem reſpectum rationis, quem priùs non habuit, vel quod non habeat reſpectum rationis, quem priùs habuit; non enim actus intelligendi diuinus diceretur mutari propter alium, & alium reſpectum rationis. Vnde Ocham in ſuo Centiloquio non habet pro inconuenienti, quod intellectus diuinus nunc incipiat ſcire aliquid, quod priùs neſciuit, & quod nunc deſinat ſcire aliquid, quod priùs ſciuit. Sic pariformiter dico, quod fortè non videtur impoſsibile, quod voluntas diuina nunc velit Antichriſtum non fore, quem tamen priùs voluit eſſe, & hoc ſine ſui mutatione, quia ſemper remanet idem actus voluntatis diuinæ, vt idem ſibi, licèt in eo poſsit eſſe alius, & alius reſpectus; ſiue alius, & alius tranſitus ſuper creaturam.

Sicut

Sicut enim voluntas diuina eodem *velle* ſemper immutabiliter ſe habente poteſt velle mille obiecta, quæ *velle* dicuntur habere *eſſe* volitum, & tamen non ſequitur mutatio in voluntate diuina; quia tantum ſunt ibi alij, & alij reſpectus, ſiue aliæ, & aliæ tranſitiones ſuper obiecta cognita; ſic videtur quòd manente eodem *velle* circa idem obiectum cognitum, poſſit poni aliud, & aliud volitum, nulla facta mutatione in actu voluntatis diuinæ; non enim videtur ſequi abſolutè, vult hoc, & priùs noluit: ergo mutatur, non ſequitur, quia eodem actu, quo vult hoc eſſe, priùs voluit hoc non eſſe. Poſito enim, quòd in me eſſet vnica intellectio, quia intelligo omnia intelligibilia, in inſtanti *A*, non intelligo *B*, & in alio inſtanti intelligo illud eodem actu, tantùm ſequitur, quòd actus intelligendi nunc terminatur ad *B*, ad quod priùs non terminabatur. Et patet, quòd alia, & alia terminatio in actu manente eodem, nullam facit mutationem.

II Secunda dubitatio eſt, quia Doctor *in primo diſtinct.* 40. & communiter alij Doctores expreſsè dicunt, quòd prædeſtinatus poteſt damnari in ſenſu diuiſo, & tunc eſt ſenſus, quòd ille, qui nunc eſt prædeſtinatus poteſt damnari, puta cras, licèt dicat ibi, quòd hoc eſt in æternitate, quia in eodem inſtanti æternitatis, quo vult Petrum prædeſtinare, poteſt velle oppoſitum, vt diffusè expreſſum eſt *in primo, diſtinct.* 39. Non video tamen, quin Deus ſi vellet poſſet nunc Petrum damnare ſine ſui mutatione, vt infrà dicam.

Tertia dubitatio eſt, quia Doctor *in* 1. *diſt.* 44. *& in* 2. *diſtinct.* 7. declarando de potentia Dei ordinata, & abſoluta Ibi dicit quòd facere aliquid de potentia Dei abſoluta eſt facere contra legem, priùs determinatam, & quòd poteſt facere contra illam legem, niſi fortè exponatur, quòd pro illo inſtanti quo ordinauit aliquam legem oppoſitum potuit ordinare. Sed certum eſt, quòd omnis finaliter peccator ſecundùm legem diuinam eſt æternaliter damnandus, & tamen non video quin voluntas diuina poſſet nunc ordinare oppoſitum, nulla mutatione facta in actu volendi.

Quarta dubitatio eſt, quia videtur, quòd ſi voluntas diuina nunc vellet, poſſet omnes damnatos glorificare, & ſic eſſet nouum volitum ſine mutatione voluntatis diuinæ. Et Franciſcus de Mayron. *in primo diſtinct.* 40. dicit, quòd Deus non ſic determinatè reprobauit aliquem, quin ſemper poſſit illum prædeſtinare ſi vult.

Quinta dubitatio, quia ex quo voluntas diuina ſecundùm communem opinionem ab æterno ordinauit Antichriſtum fore. Quæro an Antichriſtus poſſet non eſſe? & ſi ſic, tunc habeo propoſitum, aut non poteſt non eſſe? & ſic voluntas diuina non poterit facere, quòd Antichriſtus non ſit, licèt ab æterno potuiſſet facere: quod videtur inconueniens.

Sexta difficultas eſt, quia dicit Doctor *in primo, diſtinct.* 8. *quæſtione vltim. & in iſto ſecundo præſenti diſtinct.* & eſt etiam communis reſponſio Theologorum, quòd voluntas diuina voluit ab æterno quicquid voluit, ſed non pro æterno, ſed pro aliquo tempore determinato. Quæro tunc quomodo in illo tempore determinato voluntas diuina ponit illud in eſſe? aut volitione, quâ ab æterno voluit, & habeo intentum; ſcilicet quòd ipſa habeat reſpectum nouum; aut non volitione, ſed aliqua alia potentia, & tunc videtur mutatio, quia priùs illa potentia non ponebat illam creaturam in *eſſe*. Nunc autem ponit, & ſi hîc non ponitur mutatio, ita nec debet poni in voluntate diuina ex hoc, quòd nunc vult aliquid eſſe, cuius oppoſitum priùs voluit non eſſe.

Quid ſit mutari 5. *Phyſ. contex.* 7. *&* 12. *met.* 38. *&* 63.

Iſtis ergo dubitationibus poſitis, dico ſemper me ſubmittendo Scripturæ diuinæ, & pedibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, offerendo me tam publicè, quàm ſecretè ſemper retractare, quòd non fuerit ita benè dictum, & dictis Sanctorum non conſonum, quòd non haberem pro inconuenienti voluntatem diuinam poſſe velle aliquid de nouo ſine ſui mutatione. Pro cuius clariori intelligentia ſuppono aliqua. Primum, quòd mutari eſt aliter ſe habere nunc, quàm prius, vt patet 5. *Phyſicorum*, & hoc ſecundùm aliquid reale; & ſic homo mutatur à non albo in album, vel è contra. Eſt etiam mutatio viſionis cùm homo mutatur à non *eſſe* ſimpliciter ad *eſſe* ſimpliciter, vel è contra. Sed aliter ſe habere nunc quàm prius ſecundùm quam relationem rationis non dicitur propriè mutari, ſicut Deus, quia nunc amatur à me, & priùs non amabatur, aliter ſe habet nunc, quàm priùs ſecundùm reſpectum rationis cauſatum à me amante, & tamen non mutatur, vt patet à Doctoribus, & præſertim à Scoto *in primo diſt.* 30. *&* 39. *& alibi.* 12.

Quomodo velle diuinũ manens idem ſimpliciter aliquãdo dicatur neceſſariũ, aliquãdo contingens.

Secundò ſuppono, quòd in voluntate diuina eſt tantùm ſimplex *velle* idem realiter, & eſſentialiter ſibi, vt ſubtiliter probat Doctor *in primo, diſtinct.* 2. *quæſt.* 1. & eodem *velle* creat, gubernat, prædeſtinat, & reprobat, & vult, quicquid vult, vt patere poteſt in multis locis à Doctore.

Tertiò præſuppono, quòd *velle* diuinum manens ſimpliciter idem in ſe aliquando dicitur *velle* contingens, vt quando tranſit ſuper obiecta contingentia, vt cùm vult creaturam eſſe; & aliquando dicitur neceſſarium, vt quando tranſit ſuper obiecta neceſſaria, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 10. & illud *velle* poteſt dici diuerſificari ſecundùm quòd tranſit ſuper diuerſa obiecta, etiam contingentia, ita quòd talis diuerſificatio non eſt in entitate ipſius *velle*, ſed in diuerſis tranſitionibus, ſiue determinationibus, ſiue relationibus rationis, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 39.

Quarto præſuppono, quòd illud *velle*, quo vult quicquid vult ſic eſt idem eſſentialiter eſſentiæ diuinæ, quòd non poteſt in ſe eſſe nouum, nec elici de nouo.

Iſtis præſuppoſitis, dico ſine aſſertione, quòd voluntas diuina poſito, quòd ab æterno voluerit me ſaluum fore, adhuc ipſa eodem velle poteſt me nunc velle damnare, etiam antequam producar in *eſſe*, & hoc ſi ponatur in *eſſe*, in *velle* diuino tantùm erit nouus tranſitus. Et cùm dicit Doctor quòd hoc non poteſt eſſe ſine nouitate ipſius *velle*. Dico, quòd vel oportet ipſum exponere, puta quòd non loquatur ſecundùm propriam opinionem, vel quod non poſſit velle de nouo noua volitione reali ſine nouitate ipſius, ſed quod non poſſit eſſe nouus tranſitus ſine nouitate in voluntate diuina, ego non video. 13.

Et

Relationes rationis non ſunt nouæ, nec per intellectum diuinũ, nec per intellectum creatum.

Et ſi dicatur, quòd ipſe Doctor *in primo diſt.* 30. dicit quòd intellectus diuinus non poteſt cauſare aliquam relationem rationis de nouo, ſine ſui mutatione, hoc idem videtur de voluntate. Dico, quod etſi hoc verum ſit, ſuſtinendo, quòd ipſe loquatur ſecundùm opinionem propriam: poteſt tamen dici, non contradicendo Doctori quòd quando voluntas vult aliquid de nouo, & ſimiliter quando intellectus intelligit aliquid de nouo, non cauſatur ibi aliqua relatio rationis. Et ſi dicatur: Si intellectus aliquid de nouo intelligit, ergo de nouo poteſt ſe comparare ad obiectum cognitum, & talis comparatio erit relatio rationis: Poſſet dici, quòd ſi talis relatio ſit, erit in obiecto cognito, non autem in intellectu diuino.

Si etiam ponatur, quod ſit in intellectu diuino talis comparatio, ego non video quomodo propter nouam comparationem rationis ſit mutatio in actu intellectus diuini. Nam ſicut ab æterno ſecundùm ipſum, poteſt per ſe comparare ad alia & alia obiecta, & ſic ibi eſſe plures comparationes, & tamen ipſum non mutari. Sic in propoſito; ſimiliter videtur difficultas, quomodo eodem actu intellectus poſſit ſimul, & ab æterno cauſare diuerſas comparationes circa diuerſa obiecta ſine ſui mutatione, & quòd non poſſit cauſare de nouo aliquam comparationem ſine ſui mutatione, cùm illa ſit tantùm ens rationis, quæ nullam mutationem facit.

Et ſic breuiter ſuſtinendo hanc viam, poſſumus ſoluere multas difficultates, quæ poſſent inducere rationalem creaturam in deſperationem, & in multa alia inconuenientia. Dicerem ergo ſine aſſertione tamen, quod ſi voluntas diuina ab æterno ſtatuiſſet hominem homicidam fore puniendum pœna capitis, quod nunc de nouo poteſt ſtatuere oppoſitum, quia ſicut ſtatuens ab æterno eſt ibi tantùm tranſitio contingens ſuper obiecta, ita & nunc quando oppoſitum ſtatuit ſimiliter, quòd ipſa voluntas, ſicut ab æterno eodem *velle* voluit me eſſe pro iſto tempore, ita & nunc eodem *velle* ponit me in *eſſe*, diuerſificata alia tranſitione à prima. Similiter ſicut eodem *velle* voluit ab æterno Iudam fore damnatum, ita & nunc poteſt velle noua tranſitione, ſine nouo reſpectu rationis Iudam eſſe ſaluum, & ſic de aliis. Nam vide Sco. in quarto cap. 46. qu. 1. vbi dicit expreſsè, quod ſi Petrum ſaluari iuſtum eſſet, ſi ipſum damnaret, iuſtè faceret, quod enim inconueniens eſſet voluntatem diuinam, ſi Petrum nunc beatum damnaret, ita quòd eſſet tantùm noua tranſitio ſuper Petrum damnatum.

Et vltra quæro à te, an Deus poſſet velle nunc facere alium mundum præſtantiorem iſto? Si ſic, ergo eodem *velle*, ſed noua tranſitione, ſi non expreſsè non eſt dicendum, quia non video oppoſitum.

Si dicatur: Pono caſum, quòd voluntas diuina voluit ab æterno Petrum ſaluum, & nunc voluntas diuina damnat Petrum. Quæro an intellectus diuinus ab æterno cognouit Petrum fore damnandum? Si ſic contrà; quia ab æterno non determinauit Petrum fore damnandum, & tamen intellectus diuinus omnia contingentia cognoſcit poſt determinationem voluntatis diuinæ *quæſt. vlt. prologi, & diſt. 36. primi, & diſt. 14. quodlib.* ſi non cognouit ab æterno, ergo non cognouit omnia futura contingentia.

Reſpondeo, & priùs quæro à te, an Deus poſſit producere nouum mundum, quem priùs non determinauit ab æterno? Sic ſic, ergo intellectus diuinus hoc non cognouit ab æterno, cùm non fuerit volitum ab æterno, ergo non cognouit omnia futura contingentia. Dico ergo, quod intellectus diuinus, quando tranſit ſuper obiecta ſecundaria, non fit perfectior, neque imperfectior, cùm talis tranſitus non pertineat ad perfectionem illius; primò ſi, per impoſſibile, non cognoſceret aliquod obiectum ſecundarium, nulla ſimpliciter perfectio ſibi deeſſet, imò ſimpliciter omnis perfectio ſibi adeſſet. Nam vltimata perfectio illius eſt intelligere eſſentiam diuinam, vt patet à Doctore *in primo diſt. 2. & in ſecundo diſt. 2. q. 1.* Si ergo non cognoſcere obiecta, etiam neceſſaria non pertineret ad imperfectionem illius, nec etiam cognoſcere huiuſmodi obiecta pertinet ad perfectionem illius, quæ tamen relucent in eſſentia diuina, non ex natura rei, ſed ex actu intellectus diuini ante omnem productionem voluntatis ad extrà producentis talia in tali *eſſe* intelligibili, vt patet à Doctore *in primo diſt. 3. quæſt. 4. & diſt. 39. & in præſenti diſt. 1. quæſt. 1.* quantò magis non cognoſcere ab æterno aliqua obiecta ſecundaria contingentia, non pertinebit ad imperfectionem illius. Dico quòd tantum cognoſcit illa futura contingentia, quæ ſunt determinata à diuina voluntate: quia cognoſcit antecedens, ſcilicet illam determinationem; ergo & futurum contingens ſic determinatum, quod dicitur conſequens, vt patet à Doctore *in primo diſtinct. 39. & 44.* quorum eſſet tamen inconueniens, ſi aliquid eſſet determinatum à voluntate diuina & nõ cognoſceretur ab intellectu diuino, & cum non cognoſcit illud, quòd non eſt natum cognoſci, niſi priùs voluntas diuina determinet, nullum ſequitur inconueniens: non enim cognoſcit hanc; *alius mundus perfectior eſt producendus*, & tamen hoc eſt poſſibile, & hoc eſt, quia non eſt determinatum à diuina voluntate. 15

Etſi dicatur, nonné intellectus diuinus cognoſcit omnia futura contingentia? Dico, quòd ex quo illud eſt futurum contingens, quod eſt ſic determinatum à diuina voluntate, vt patere poteſt à Doctore *in quæſt. vltima prolog. & in primo diſt. 2. quæſt. 1. & diſt. 8. vltim. & 39. & quæſt. 14. quodli.* quòd cognoſcit omnia futura cõtingentia, pro quanto cognoſcit determinationem diuinæ voluntatis; intelligendo tamen ſic, quòd eſſentia diuina eſt ratio cognoſcendi intellectui diuino, & determinationem diuinæ voluntatis, & determinata per illam, vt patet à Doct. *in primo diſt. 39.* Sed ſi poſt voluntas diuina aliter determinaret, tunc intellectus diuinus aliter cognoſceret, cum in huiuſmodi contingentibus ſemper ſequatur determinationem diuinæ voluntatis, nec ſequitur mutatio in intellectu ſic, vel ſic, cognoſcere, cùm tantùm ibi ſint diuerſæ tranſitiones, vel relationes rationis, quæ nullam faciunt mutationem, vt dixi ſuprà de voluntate. Iſtis ergo benè intellectis, iudicio meo ſatis debili, nonnullæ difficultates ſolui poſſunt, quæ multũ impedimenti præſtant in via Dei ambulare volenti. Et omnia, quæ dixi in iſta materia non aſſero firmiter tanquam vera, innitendo ſententiæ & opinioni meæ, & ſi melior ſententia apparet, ſemper paratus 16

Quomodo intellectus diuinus cognoſcat futura contingentia.

ſum

ſum illi firmiter adhærere, credo tamen in iſtis non decipi, ſed magis veritati conſona dicere.

17. c *Sed iſta ratio cum ſua confirmatione parum valet contra Philoſophos, & leuiter ſolueretur ab eis.* Quia nouitas poneretur ab eis ex motu, qui neceſſariò cauſatur inquantum vniformis, ſed difformitas ſequitur in partibus eius, & ita nouitas, & de hoc vide Doctorem *in primo, diſt.2. quæſt.1. & in 4. diſt.* 48. vbi quærit, an ceſſante motu ptimi mobilis aliquid poſſit moueri? & ſic diceretur ab eis, quòd nouitas eſſet tantùm à cauſa ſecunda, & non à prima, & ſic motus primi mobilis, & quælibet pars eius. Vnde Commentator 12. *Metaphyſ.* 41. dicit, quòd præter primum mouens quod eſt infinitæ potentiæ, requiritur mouens coniunctum potentiæ finitæ, ita quòd ex primo mouente ſit infinitus motus, & ex ſecundo ſit ſucceſſio, quia aliter non poſſet eſſe ſucceſſio, & per conſequens nec nouitas, niſi concurreret illud mouens finitũ.

Opinio Henrici in ſumma art.2 q. 23. & 24.

SCHOLIVM.

Ponit ſententiam Henrici dicentis, creationem non eſſe de nihilo exiſtentiæ ſed de aliquo eſſentiæ: ponit enim eſſentiam dari creaturæ per omnipotentiam Dei. Hanc refutat Scotus 1. d. 43. quia eo ipſo quod res eſt in eſſe intelligibili per intellectum, cùm non repugnet ſibi eſſe, nec neceſſariò ſit, eſt poſſibilis.

6. IN Iſto [a] tamen membro ſecundo, ſcilicet intelligendo *de* prout dicit ordinem durationis, diſtingui poteſt de *nihilo*, quod poteſt accipi pro nihilo omnimodo, vel pro nihilo ſecundùm *eſſe* exiſtentiæ; aliquo tamen ſecundùm *eſſe* eſſentiæ. Et ponitur ab aliquibus, quòd licèt Deus poſſit creare de nihilo ſecundo modo: non tamen primo modo: quia non poteſt aliquid producere, quod non eſt ex parte ſui poſſibile, ſecundùm Auicennam 2. Metaph. *nihil* autem non eſt poſſibile ex parte ſui: quia non eſt ratio aliqua, quare vnum *nihil* non eſſet poſſibile, & aliud *nihil* eſſet poſſibile. *Hen. in ſum. ar. 2. q. 23. & 24.*

Confirmatur iſta [b] ratio, quia in omni creatura eſt compoſitio ex actu & potentia: & vbicunque iſta ſunt, præcedit ordine naturæ poſſibilitas, vel potentialitas: igitur potentialitas in quacunque re creata, ſic præcedit naturaliter, & eſt prior natura actualitate; & tunc iſta potentialitas non eſt nihil, ſed eſt alicuius entis ſecundùm aliquod *eſſe*; non *eſſe* exiſtentiæ: igitur ſecundùm *eſſe* quiditatiuum. Et hoc ponitur ſecundùm illum modum, qui recitatus eſt *diſtin. 43. primi*, ibi enim ponitur, quòd per potentiam actiuam Dei ad ſe, producitur primò res in *eſſe* poſſibili paſſiuè ad ſe; & tunc vltra poteſt produci in *eſſe* exiſtentiæ, non tamen niſi priùs natura fuerit producta in *eſſe* quiditatiuo, & in eſſe poſſibili paſſiuè. *2. Periher. circa finem.*

Contra iſtud [c] eſt argumentum ibi *diſtin. 43.* quia non producitur res aliqua in *eſſe* poſſibili per omnipotentiam, ſed per intellectum, quo producitur in *eſſe* intelligibili: & quando eſt in *eſſe* intelligibili, non repugnat ſibi eſſe, nec eſt ex ſe formaliter neceſſarium: igitur eſt poſſibile.

Similiter [d] ſicut argutum eſt *diſtin. 36. primi*, contra illud *eſſe* eſſentiæ, ſi illud *eſſe*, eſſet verum *eſſe*, productio in illo *eſſe*, verè eſſet creatio: quia ad aliquid eſſe ſimpliciter de nihilo, igitur illa productio eſt ſimpliciter alia à productione rei in eſſe poſſibili: quia ſi res non ſit poſſibilis antequam ſit in eſſe eſſentiæ, & producitur in iſto eſſe; igitur aliquid producitur in aliquo eſſe aliqua productione, quod non eſt poſſibile ex parte ſui.

COMMENTARIVS.

a *IN iſto tamen membro ſecundo, &c.* Diſtinguitur ab Henrico in ſumma art.2. quæſt.23. & 24. quòd ly *de nihilo* poteſt accipi, vel *pro nihilo omnimodo* ſcilicet ſecundùm eſſe eſſentiæ & exiſtentiæ, vel *pro nihilo tantum ſecundùm eſſe exiſtentiæ, aliquo tamen ſecundùm eſſe eſſentiæ.* Et ponitur ab Henrico quòd Deus poteſt facere aliquid de nihilo ſecundo modo, non tamen primo modo; quia omne creabile eſt priùs poſſibile, & illud poſſibile præſupponit *eſſe* eſſentiæ. Et hanc opinionem Henrici clariùs vide *in primo, diſt.36. quæſt. vnica*, vbi vult, quòd *eſſe* eſſentiæ ſit de neceſſitate ab æterno.

b *Confirmatur iſta ratio, quia in omni creatura eſt compoſitio ex actu, & potentia*: ergo in omni re creata potentialitas eſt prior natura actualitate; *& tunc iſta potentialitas non eſt nihil, ſed eſt alicuius* & hanc opin. clariùs vide in expoſitione, quam feci ſuper diſt.43. primi Doctoris.

c *Contra iſtud eſt argumentum, per omnipotentiam*, quia omnipotentia tantùm reſpicit *eſſe* actualis exiſtentiæ, *ſed producitur in eſſe poſſibili tantum ab intellectu diuino*, quo etiam producitur in eſſe intelligibili, &c. Hoc clariùs vide in expoſitione facta, diſt. 36. & 43. primi Doctoris. *Omnipotentia tantùm reſpicit eſſe actualis exiſtentiæ.*

d *Similiter ſicut argutum eſt*, &c. Vide diffusè multas rationes Doctoris, quas facit contra Henricum *in 36. d.* & vide illa, quæ ibi notaui exponendo rationes Doctoris.

SCHOLIVM.

Sententia Doctoris, creationem eſſe de nihilo eſſentiæ & exiſtentiæ, ſed non de nihilo eſſe intelligibilis, tamen ipſum eſſe intelligibile, producitur de nihilo omnis eſſe, de quo Scot. 1. d. 3. quæſt. 4. & diſt. 36. & 3. diſt. 6. quæſt. 1.

Eſſentia idem quod exiſtentia realiter, de quot Sco. 1. d. 36.

QVantum ad[a] iſtum articulum dico, quòd *de nihilo*, id eſt, non de aliquo ſecundùm *eſſe* exiſtentiæ, poteſt Deus creare: & per conſequẽs de nihilo, id eſt, nõ de aliquo ſecundùm *eſſe* eſſentiæ, quia, vt probatum eſt *diſt. 36. primi*, nunquam *eſſe* eſſentiæ ſeparatur realiter ab *eſſe* exiſtentiæ. Tamen non poteſt aliquid creari, id eſt, produci ad *eſſe* ſimpliciter de nihilo, id eſt, nullo modo ente, nec ſimpliciter, nec ſecundùm quid. Nihil enim creatur, quod non priùs habuit *eſſe* intellectum, vel volitum: & in *eſſe* intellecto fuit poſſibile formaliter, ſicut dictum eſt in prima ratione contra illam poſitionẽ; & tunc fuit quaſi in potentia propinqua, vt poſſet eſſe obiectũ omnipotentiæ, & poni in *eſſe* ſimpliciter. Poteſt tamẽ aliquid produci, licèt nõ creari, de ſimpliciter nihilo, id eſt, non aliquo ſecundùm *eſſe* eſſentiæ, nec ſecundùm *eſſe* exiſtentiæ, nec ſecundùm aliquod *eſſe* ſecundùm quid: quia creatura producitur in *eſſe* intelligibili, non de aliquo *eſſe*, nec ſimpliciter, nec ſecundùm quid, nec poſſibili ex parte ſui in iſto *eſſe*. Iſtud tamen produci, non eſt creari: quia non terminatur ad *eſſe* ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. 7.

Non poteſt aliquid fieri ſimpliciter de nihilo eſſe intelligibilis, ſed bene de nihilo eſſentiæ & exiſtentia.

Ad arg. 1. Deus poteſt producere effectũ abſque ſui nouitate, declaratur exemplo.

Ad primum[b] argumentum principale dico, quòd cauſa poteſt primò, & immediatè aliquem effectum nouum producere, abſque omni nouitate in ipſa. Quod patet per exemplum: ſi ponatur Sol ſemper eſſe in ſe æquè luminoſus, & creetur aliquod medium perſpicuum approximatum, de nouo illuminabit illud: ita quòd nihil nouum erit in Sole ad hoc, quòd ab ipſo ſit noua illuminatio; & ſi poſſet ex ſe ponere medium perſpicuum, & ſub lumine, ſicut cauſat in ipſo lumen: ita poneret in *eſſe* hoc totum, ſcilicet medium illuminatum, ſine aliqua nouitate in ſeipſo.

Et ſi dicas, hoc non poſſet, ſi eſſet agens naturale, & vniformiter ſe habens: quia tunc ſemper vniformiter produceret: igitur exemplum non valet ad propoſitum oſtendendum.

Reſpondeo, verum eſt, quòd iſtud exemplum, quoad hoc valuit, quòd non oportet propter nouitatem effectus ponere nouitatem in cauſa: tamen non valuit quoad hoc, quòd effectus poſſit eſſe nouus à cauſa naturaliter agente, & totali: quia tale agens ſemper vniformiter ageret, ſi tale eſſet reſpectu effectus: agens autem liberum poteſt eadem volitione antiqua, effectum nouum producere, pro tunc, pro quando vult effectum nouum eſſe. Non enim eſt neceſſe ſi ſempiternaliter vult, & non poteſt de nouo velle: igitur vult pro ſempiterno, ſicut non eſt neceſſarium in me, quod ſi nunc volo aliquid, quod pro nunc velim illud: ſed poſſum velle illud eſſe pro cras, & eadem volitione ſtante ſine omni mutatione à parte voluntatis meæ, poſſum illud nouum cauſare cras, pro quo volo illud,

Aliud sẽpiternaliter velle, & aliud velle pro ſempiterno. & d. 30. & 43. eiuſdẽ.

Et quando[c] arguitur contra iſtud, per illam rationem, quod oportet habitudinem nouam aliquam naturaliter præcedere in producente ad productum, & non è conrario, dico ſicut dictũ eſt *diſt. 35. primi* & aliàs frequenter, quòd ad abſolutum in cauſa, immediatè ſequitur abſolutum in effectu: & in effectu primo conſequitur reſpectus ad cauſam, & tunc ſi aliquis eſt reſpectus cauſæ ad effectum, ille reſpectus ad effectum eſt vltimus, & aliquando nullus. 8.

Ab abſolutum in cauſa, immediatè ſequitur abſolutum in effectu. Sco. 1. diſt. 1. q. 2. ad arg. pri. & d. 3. q. 6.

Cùm[d] igitur dicis quòd quia cauſa dat *eſſe*: ideò effectus recipit *eſſe*, & non è contrario, dico quòd ſi intendas per ly *quia* reduplicationem relationis in cauſa, vel aliquam realitatem nouam in cauſa, ſiue relatiuam, ſiue abſolutam, propoſitio eſt falſa: Si autem intelligas reduplicare actum primum cauſæ, qui præcedit naturaliter cauſatum; illo modo propoſitio eſt vera: abſolutum enim in cauſa præcedit naturaliter cauſatum.

Et ſi dicas,[f] quòd non tantùm, quia eſt abſolutum cauſat, quia ſimiliter tale eſt, ſcilicet abſolutum, quando non cauſat.

Dico quòd in illo inſtanti, in quo cauſat, adhuc cauſat vt prius naturaliter ipſa cauſatione: & vt ſic nihil intelligitur niſi abſolutum, à quo ponitur ipſum cauſatum in *eſſe*, & ideò nihil poteſt accipi cum hoc cauſa huius, quod eſt cauſari, niſi illud ſit prius, nec reſpectu huius inſtantis, nec reſpectu alterius. Fallit autem imaginatio, quia

ſemper

ſemper videtur,quòd cauſa ſit indeterminata vſque ad illud inſtans, quando cauſat: & tunc quod aliqua relatio determinans ipſam ad effectum,primo requiratur à parte eius,quod falſum eſt:Illud enim idem abſolutum, quod in cauſa præceſſit,tam natura quàm duratione ipſum effectum productum, vel cauſatum, eſt etiam in ea in illo inſtanti prius naturaliter quàm cauſet:& ſecundùm illud abſolutum ſecundùm quòd prius fuit cauſatiuum, eſt nunc cauſans, & nõn ſecundùm aliquid additum, neque abſolutum,neque reſpectiuum.

Cauſa, per ſuam entitatem, ſine ſuperueniente determinatiuo,eſt cauſans. Ad arg. 2.

9. Ad ſecundum [g] patet per idem, quia cauſa æquè determinata ad producendum aliquod productum,quantùm eſt ex parte ſui,poteſt quandoque producere,& quandoque non producere.Quia ſicut in naturalibus,cauſam determinari ex parte ſui,eſt ipſam habere formam,qua cauſet: ita in liberis,cauſam eſſe determinatam eſt ipſam habere volitionem reſpectu volibilis,& ſicut ibi forma haberi poteſt antequam effectus cauſetur,ſi tunc eſt impedimentum extrà, vel abſentia paſſi,ita quoque hîc poteſt volitio haberi, antèquam volibile habeatur, & prius natura & duratione.

Ad tertium de [h] Philoſopho 2.*de Gener.*dico quod Philoſophus intelligit de agente naturali,ſicut patet per eum ibi. *Ad arg.3.*

Ad quartum [i] dico, ſicut dictum eſt diſtinct.8.primi,indiſciplinati eſt quærere omnium demonſtrationem, ſecundùm Philoſophum, quarto Metaphyſ.*principiorum enim demonſtrationis non eſt demonſtratio:*& eodem modo in contingentibus, alioquin eſſet proceſſus in infinitum in contingentibus: quia contingentia non ſequuntur ex neceſſariis: & ideò iſta voluntas Dei, quâ vult hoc & producit pro nunc, eſt immediata, & prima cauſa, cuius non eſt aliqua alia cauſa quærenda,ſicut enim non eſt ratio quare voluit naturã humanam in hoc indiuiduo eſſe,& eſſe poſſibile,& contingens:ita non eſt ratio,quare hoc voluit nunc,& non tunc eſſe:ſed tantùm quia voluit hoc eſſe: ideò bonum fuit illud eſſe,& quærere huius propoſitionis,licèt contingentis immediatè cauſam,eſt quærere cauſam,ſiue rationẽ,cuius non eſt ratio quærenda. *Ad 4. q.vlt. Text.com. 9.& 1. Poſt.tex. com.6.*

10. Et cùm dicit de expectare,verum eſt,quòd ipſa voluntas,quæ habet bonitatem ex ipſo volibili,ipſa,ſi eſt recta,vult volitum ſtatim eſſe:niſi ſit aliqua ratio,propter quam velit aliquid aliud eſſe: & tunc expectet illud aliud eſſe tempore opportuniori, ſed voluntatem,quæ nullam habet bonitatem ex volito, ſed è conuerſo: nec rationem habet quare nunc vult aliquid, ſicut nec abſolute rationem habet quare hoc velit, non oportet aliam opportunitatem in volito expectare. *Quare voluntas creata ſtatim ponit ſuum effectum niſi expectet maiorem opportunitatem; & diuina non ſic? Ad rat. Henr. Huic ſententiæ contradicit Franc. in Conſta. d.42.*

Quod arguebatur [k] pro ſecunda poſitione de *eſſe* eſſentiæ patet reſponſio per dicta priùs,concedo enim, quòd omne creabile, priùs erat poſſibile creari ex parte ſui: ſed iſta poſſibilitas non fundatur in aliquo *eſſe* ſimpliciter,ſed in *eſſe* cognito: ita quòd *eſſe* cognitum, concomitatur poſſibilitas ad *eſſe* ſimpliciter:licèt formaliter *eſſe* cognitum non ſit *eſſe* poſſibile:quia *eſſe* cognitum eſt *eſſe* in actu, licèt ſecundùm quid: ſed *eſſe* poſsibile, eſt *eſſe* potentia ad *eſſe* ſimpliciter, & non in actu, nec tamen *eſſe* in potentia,eſt *eſſe* ſimpliciter: ſed eſt fallacia ſecundùm quid & ſimpliciter:ſicut nec futurum eſſe, eſt eſſe ſimpliciter,nec eſſe præteritum, eſt eſſe ſimpliciter,ſicut enim præteriſſe in *eſſe* ſimpliciter, non infert *eſſe* ſimpliciter: ſic nec futurum eſſe,in *eſſe* ſimpliciter,infert *eſſe* ſimpliciter: igitur nec multo magis poſſe *eſſe* ſimpliciter,infert *eſſe* ſimpliciter,quia poſſe eſſe,videtur eſſe remotius ab eſſe ſimpliciter,quàm fore.

Per idem ad aliam rationem de compoſitione ex actu,& potentia, licèt enim concedatur potentiam, ſcilicet obiectiuam, præcedere actum, non tamen ipſa eſt in aliquo actu reali:licèt ſit in aliquo eſſe cognito,ſecundùm quod conceditur eſſe cognitum,non tamen eſt formaliter eſſe cognitum.

Iſta tamen ratio non valet, quia compoſitio non eſt ex potentia obiectiua & actu terminante:ſed alio modo eſt ipſa compoſitio,ſicut dictum eſt diſt.8.primi.

COMMENTARIVS.

1. *Quomodo Deus poſſit creare aliquid de nihilo.*

a *Vantum ad iſtum articulum.* Hîc Doctor ponit opinionem propriam,dicẽs,quòd Deus poteſt aliquid creare de nihilo id eſt nõ de aliquo ſecũdùm *eſſe* exiſtentiæ, & per conſequens ſecundùm *eſſe* eſſentiæ, quia *eſſe* eſſentiæ, & *eſſe* exiſtentiæ ſunt idem, & omnino inſeparabilia,vt probatum eſt *in primo,diſt.36.& in tertio,diſt.6.*& addit Doctor quòd ſi accipiatur ly *de nihilo* ſimpliciter id eſt non de aliquo, nec ſecundùm *eſſe* exiſtentiæ, nec ſecundùm *eſſe* eſſentiæ, quod eſt *eſſe* ſimpliciter; nec ſecundum *eſſe* cognitum, vel volitum, vel poſſibile, quod eſt *eſſe* ſecundùm quid; tunc eſt impoſſibile aliquid creari de nihilo, accipiendo ly *de nihilo* id eſt non de aliquo ſecundùm *eſſe* ſecundùm quid.Quod patet,quia creare tantùm eſt actus diuinæ voluntatis,quæ non operatur,niſi circa præcognitum, & intellectus diuinus ante omnẽ *actũ voluntatis ad* extrà de neceſſitate naturæ producit

ducit obiecta ſecundaria in *eſſe* cognito, in quo *eſſe* cognito fundatur *eſſe* poſſibile. De hoc vide Doctorem *in primo,diſt.3.q.4. & 36. q. vnica*, & quæ ibi prolixius expoſui. Et addit Doctor quod obiectum productum in *eſſe* cognito, & in *eſſe* volito (quod *eſſe* volitum de neceſſitate præcedit ipſum *eſſe* actualis exiſtentię, vt patet à Doctore *in primo,diſt.45.*) vt ſic eſt quaſi in potentia propinqua, vt poſſit eſſe obiectum omnipotentiæ, & poni in *eſſe* ſimpliciter. Et addit Doctor quòd aliquid poteſt produci de nihilo ſimpliciter, id eſt non de aliquo, nec ſecundùm *eſſe* ſimpliciter, nec ſecundùm *eſſe* ſecundùm quid, quia producitur in *eſſe* intelligibili de nihilo ſimpliciter, non tamen illud creatur, quia creatio tantùm terminatur ad *eſſe* ſimpliciter, vt patet à Doctore *hìc, & in primo,diſt.36.& in tertio,d.2. & alibi.* De hoc etiam, quod dicit de nihilo ſimpliciter, & de nihilo ſecundùm quid, vide infrà in Doctore diſt. 18.

b *Ad primum argumentum principale.* Vltimo loco Doctor ſoluit argumenta principalia facta ad oppoſitum concluſionis ſuæ.

Ad primum reſpondet, quòd poteſt producere effectum nouum abſque nouitate in producente, *quia voluntate antiqua*, &c. litera clara eſt, & vide quæ expoſui ſuprà in primo, diſtin. 8. quæſt. vlt. reſpondendo ad principale argumentum.

c *Et quando arguitur contra iſtud, &c. ille reſpectus ad effectum eſt vltimus, & aliquando nullus*; quia poteſt eſſe relatio in effectu, nulla exiſtente in cauſa correſpondente ad effectum, quia Deus non poteſt realiter referri ad creaturam, vt ſuprà probatum eſt *in primo,diſt.30.*

Et quod dicit Doctor quòd *reſpectus cauſæ ad effectum eſt poſterior reſpectu effectus ad cauſam*, debet ſanè intelligi, quia non poteſt eſſe poſterior natura, nec origine, nec aliqua duratione, vt patet, ſed debet ſic intelligi, quòd poſito abſoluto in effectu ab aliqua cauſa, ſtatim de neceſſitate naturæ, conſurgit relatio, quæ terminatur ad abſolutum in cauſa, ita quòd quaſi priùs intelligitur relatio effectus ad cauſam, & non è contra, non quòd ita ſit in re, in eodem enim inſtanti, quo ponitur relatio effectus ad cauſam ponitur relatio cauſæ ad effectum, ſi illa cauſa nata eſt referre relatione reali.

Item, cùm dicit, quòd *ad abſolutum in cauſa, priùs ſequitur abſolutum in effectu*; vt hoc clariùs intelligatur, aliqua præſuppono. Primò dictum Doctoris *in 1. diſt. 1. q.2.* reſpondendo ad argumenta principalia, quòd ratio agendi, eſt tantùm ratio quiditatiua, & ſimiliter ratio terminandi, & vult ibi, quòd nulla relatio ſit ratio agendi, & *in d. 3. q. 6.* primi reſpondendo ad principale argumentum, ponit differentiam inter rationem formalem agendi, & conditionem agentis, ita quòd ratio agendi eſt natura, & conditio agentis eſt ſingularitas, & in creaturis, ſi ratio formalis agendi eſt abſolutum, & conditio agentis erit abſoluta, & per conſequens ipſum agens erit abſolutum, hoc idem dico de producto.

Quomodo ad abſolutum in cauſa ſequitur abſolutum in effectu.

Secundò ſuppono, quòd cauſa non tantùm abſolutè ſumpta, ſed etiam vt actu cauſat eſt prior natura ipſo effectu, vt patet à Doctore *præſenti diſt.& infra,diſt.15.25.& alibi.*

3. Iſtis præſuppoſitis, dico quòd ex quo natura abſoluta eſt ratio formalis producendi effectum abſolutum, in quocunque ponatur ſine imperfectione, illud habens talem naturam ſtatim poteſt producere abſolutum. Secundò ad abſolutum in cauſa id eſt ad rationem formalem agendi abſolutam, ſequitur abſolutum in effectu id eſt quòd abſolutum in effectu eſt à natura abſoluta in cauſa, & ratione formali producendi, & in tali inſtanti naturæ, quo producitur abſolutum in effectu, nulla eſt relatio, neque in cauſa, neque in effectu, non in cauſa patet, quia vt producit eſt prior natura effectu, vt dixi ſuprà, quia vt ſic relatio producentis eſſet prior natura relatione producti, quod eſt contra Ariſtotelem in Prædicamẽto *Ad aliquid.* Tum etiam, quia relatio realis ſemper præſupponit extrema, ſed in illo priori, quo cauſa producit effectum, non intelligitur productus, qui eſt vnum extremum. Tum etiam, quia tunc eſſet relatio aliqua, & non poſſet terminari ad aliquid, quod eſt impoſſibile, non enim in illo inſtanti, quo cauſa producit, talis relatio poteſt terminari ad effectum, quia in illo inſtanti naturæ non intelligitur effectus habere eſſe. Tum etiam, quia tunc poneretur aliquid dependere actu ab aliquo quando non eſt, ſed in inſtanti naturæ, quo cauſa cauſat effectum, non intelligitur habere *eſſe*, & tamen relatio cauſantis de neceſſitate dependet à cauſato, vt à termino, cùm relatio in ſuo eſſe neceſſariò dependeat à termino, vt patet à Doctore in pluribus locis, præcipuè tamen *in 30. diſ. primi*, patet ergo, quòd nulla relatio producentis, ſiue cauſantis ad productum, ſiue cauſatum, poteſt eſſe prior ipſo producto, ſiue cauſato.

Relatio dependet à termine.

Nec ſimiliter relatio producti ad producens, poteſt eſſe prior ipſo producto. Tum, quia in ad aliquid non poteſt eſſe motus, neque productio, vt patet per Ariſtotelem *5. Phyſ.tex.com.10.* & ſi eſſet prior de neceſſitate eſſet terminus productionis. Tum, quia relatio talis eſſet ſine aliquo fundamento, quia non eſt nata fundari, niſi in producto, nec eſt ſimul natura cum producto. Tum, quia videretur ſic poſſe produci, ſicut & productum, vt patet, quod eſt contra Philoſophum vbi ſuprà. Tum, quia relatio de neceſſitate præſupponit fundamentum, vt prius natura. Tum, quia relatio realis eſt inter extrema realia realiter diſtincta & de neceſſitate præexigit illa. Tum, quia ſi eſſet ſimul naturâ cum fundamento, non dependeret ab illo, quia omne dependens eſt poſterius; omnis autem relatio quantùm ad ſuum *eſſe* neceſſariò dependet à fundamento, & termino, ſi ergo non poteſt eſſe prior, neque ſimul, ſed de neceſſitate poſterior, ſequitur, quod Doctor dicit, quòd ad abſolutum in cauſa, ſequitur abſolutum in effectu, id eſt, quòd effectus quo ad entitatem abſolutam immediatè eſt à natura abſoluta in cauſa, vt à ratione formali, ad quæ abſoluta, ſequitur relatio cauſati abſoluti, quæ terminatur ad abſolutum in cauſa, & relatio cauſæ abſolutæ, quæ terminatur ad abſolutum in effectu.

Ad relationem non eſt motus.

d *Cùm igitur dicis, quòd quia cauſa dat eſſe,* 4.
&c. quia ſenſus eſt, quòd relatio, vt noua realitas in cauſa eſt ratio formalis dandi eſſe, quod eſt falſum, de relatione patet, quia nulla relatio poteſt eſſe ratio producendi aliquid, quia ſicut relatio non poteſt eſſe terminus formalis productionis, ita non poteſt eſſe ratio formalis producendi, vnde expreſsè patet ab Ariſt. *5. Phyſ.t. c.10.* & expreſsè à Commẽtatore ib. De realitate noua patet, quia tunc ſequeretur, quòd cauſa ſemper haberet aliam, & aliam realitatem quando cauſat alium, & aliũ effectũ, & ſic ſecundùm diuerſitatẽ effectuũ, etiam numeralem, oporteret ponere in cauſa

diuerſita

diuerſitatem rationum formalium correſpondentem effectibus,quæ omnia ſunt valde abſona.Sequitur in textu [c] *ſi autem intelligas*, illo modo propoſitio eſt vera, quia ſenſus eſt huius propoſitionis ſcilicet quia cauſa dat *eſſe*, ideò effectus recipit *eſſe*,videlicet, quia abſolutum in cauſa eſt prius effectu,& eſt ratio formalis producendi effectum, & vt ſic dicitur actus primus, ſi dat *eſſe*, effectus,vt actus ſecundus, recipit verè *eſſe* à tali abſoluto,vt actu primo.

Vide ſenſum huius propoſitionis.

[f] *Et ſi dicatur,quod non tantùm,quia eſt abſolutum, &c.* Hîc arguit Doctor ſic, ex quo enim *A* eſt verè abſolutum quando non cauſat, ergo videtur, quòd quando cauſat aliquid ſibi aduenìat.Reſpondet Doctor ibi, *Dico, quod in illo inſtanti*,&c. & litera eſt ſatis clara.

5

Bona difficultas.

Videtur tamen aliquale dubium, quia ſi iſta eſt vera,agens actione agit, talis actio eſt relatio, ſi ergo agens priùs non agebat,& nunc in inſtanti *A* verè agit, & per te,vt agit, eſt prius effectu, ergo actio, qua agit erit prior, & per conſequens aliqua relatio erit ibi noua, & prior ipſo effectu. Tum etiam,quia Doctor ipſe, concedit *in prolog. quæſt. vlt.* quòd voluntas elicit praxim mediante elicitione de genere actionis,ſi ergo elictione elicit,& du elicit priorem praxim ſequitur,quòd erit ibi priùs actio, quæ erit de genere actionis, quæ eſt verè relatio, hoc idem videtur patere, *diſt.25. huius ſecundi*, vbi dicit, quòd voluntas intelligitur libera,quando actu elicit,quia vt elicit actum, eſt prior natura ipſo actu, & dum elicit contingenter ſe habet ad illum, & tamen ex ſupradictis, vt elicit elicitione elicit, quæ eſt de genere actionis.

Quando voluntas dicitur libera.

Pulchra reſponſio.

Reſpondeo, quòd verba Doctoris debent ſanè intelligi,& quando in vno loco expreſsè habetur intentio eius,ſi alibi aliter videtur dicere ſecundùm ſenſum verborum debet exponi conformiter intentioni ſuæ; cùm ergo expreſsè habeatur intentio Doctoris circa hoc,quòd abſolutum (vt cauſat) eſt prius cauſato, & tota ratio formalis cauſandi eſt entitas abſoluta in cauſa, ſequitur, quòd nulla relatio præcedit ipſum effectum in cauſa,dum cauſat, ita quòd talis relatio ſit de neceſſitate præexigatur ad cauſationem effectus, quod impoſſibile ſit talem effectum cauſari, circunſcripta tali relatione. Et cùm arguis: agens actione agit,&c.Dico, quod *actio* poteſt capi dupliciter. Vno modo, quòd ſit actio de genere actionis, alio modo pro ratione formali agendi, quæ eſt entitas abſoluta. Primo modo actio non præcedit effectum, imò eſt poſterior, ſed ſecundo modo benè præcedit, & tunc iſta propoſitio, *agens actione agit*, poteſt habere duplicem ſenſum ſcilicet agens formaliter actione,formali agit, vel agens fundamentaliter actione fundamentali agit.Primo modo acipitur *agens* pro ſubiecto, & actione de genere actionis. Secundo modo accipitur *agens* pro ſuppoſito, & ratione formali agendi. Primo modo agens non eſt prius effectu, ſed benè ſecundo modo. Sicut etiam dicimus, pater eſt prior filio, ſi accipiatur fundamentaliter,ſcilicet pro re,quæ eſt pater,ſenſus eſt verus;ſi formaliter ſenſus eſt falſus.

An agens ſit prius effectu?

Ad aliud de voluntate, cùm dicitur, voluntas elicit actum elicitione.Hæc propoſitio poteſt dupliciter intelligi. Primò, quod voluntas elicit elicitione formaliter, ita quòd elicitio ſit actio de genere actionis, & elicitio ſit effectus formalis illius, & hoc modo voluntas, vt eliciens non eſt prior actu elicito.Secundo poteſt intelligi fundamentaliter, ita quod elicitio accipiatur pro ratione formali fundamentali eliciendi actum, & ſic voluntas eliciens, elicitione fundamentali, eſt prior,hæc diſtinctio, quæ eſt valde neceſſaria poteſt elici à Doctore in pluribus locis,præcipuè *in primo,diſt.7.in quodlib.q.1.& alibi*,& ſic patet ad aliam inſtantiam de 25.ſecundi,patet enim, quòd voluntas, vt libera dicitur liberè agere, quando elicit, & vt ſic eſt prior actu elicito, accipiendo abſolutum in voluntate, & hanc expoſitionem benè nota.

An voluntas eliciens ſit prior actu elicito?

6

[g] Ad ſecundum principale reſpondet Doctor ibi. *Ad ſecundum patet per idem*,dicit Doct. quod cauſa æquè determinata ad producendum aliquod productum quantum eſt ex parte ſua poteſt quandoque producere, & quandoque non producere, & littera clara eſt de determinatione, & indeterminatione cauſæ, vide Doct. in primo in multis locis.

[h] Ad tertium reſpondet Doctor quod Philoſophus loquitur de agẽte naturali, quod patet per ipſum, qui ſic dicit: *Idem enim & ſimiliter ſe habens ſemper idem natum eſt facere, quocirca generatio ſemper erit,aut corruptio*,& paulò infrà,*Neceſſe enim ſi erit ſemper,& continua generatio, & corruptio ſemper aliquid moueri, vt non deficiant tranſmutationes.* Hæc ibi. Et ibi Commentator: *Oſtenſum eſt,quòd entia ſemper ſunt in generatione,& corruptione,& quod generatio corporis iſtius eſt corruptio alterius,manifeſtum eſt,quòd ponendo vnum motum, impoſſibile eſt iſtas duas operationes ſcilicet generationem, & corruptionem eſſe idem, idem enim non facit contraria, quapropter, aut ſemper erit generatio,aut sẽper corruptio.* Hæc ille: & ſic patet quomodo loquitur de agente naturali.

7

Deus expectauit quia ſic voluit primum inſtans temporis, non vt menſuram ſuæ operationis,ſed vt illud crearet.

[i] Ad vltimum reſpondetur ibi: *Ad quartum dico*,ſicut dictum eſt, diſt. 8. primi.quæſt. vlt. indiſciplinati eſt quærere omnium demonſtrationem ſecundùm Philoſophum 4. Meta. & dicit Doctor quòd non eſt aſſignanda alia ratio, niſi quia ſic vult, & litera clara eſt, quæ magis patet in primo,diſt.41.Et ibi vide quæ expoſui.

[k] *Quod arguebatur pro ſecunda propoſitione, &c.* Nunc Doctor reſpondet ad rationes Henrici, quæ ſunt factæ, in ſecundo articulo huius quæſtionis. De hac tamen materia clariùs vide in Doctore diſt.36.primi,vbi diffusè pertractatur iſta materia de *eſſe* creaturarum ante eſſe exiſtentiæ, & vide multa, quæ ibi notaui, exponendo ibi literam Doctoris & ſic finis.

):(

QVÆSTIO III.

Vtrùm a poſſibile ſit Deum producere aliquid aliud à ſe ſine principio durationis ?

Alenſis 2.*p.q.*14.*m.*1.D.Tho.1.*p.quæſt.*46.*art.*1.*& 3.ſecundo contra Gen. c.*28.*& hìc q.*2.Hentic.*quodl.*1. *quæſt.*7.Bonau.*hìc art.*1.*q.*2.Richard.*art.*3.*q.*4. Alber. *ibidem* Marſ.*quæſt.*1.*art.*2. Gabr. *q.*3. Capreol. *quæſt.*1.Dur.*quæſt.*2.Holcot.*q.*2.*art,*5.Ant.Andreas *q.*3.*&* 6. Bacconitan.*q.*4.5. Argen. *q.*2. Conimb. 8.*Phyſ.q.*6.*&* 7.Vaſq.1.*p.d.*177.*c.*3.*&* 5.Sot.8.*Phyſ.q.*3.Tolet. *quæſt,*2.*Vide Scot.*9.*Met.quæſt.*15.*de primo princ.c.*4.*con.*9.*&* 2. *Phyſ.quæſt.*8.*&* 8.*Phyſ.q.*1.*&* 2.

*Mag.C. Arg.*1. *Tex.c.*82.

VIdetur quòd ſic, Philoſophus primo Phyſic.probat quòd materia eſt ingenita & incorruptibilis:alioquin eſſet proceſſus in infinitum in materiis: igitur materia,vel non fuit producta;vel fuit producta ſine principio : & hoc eſt propoſitum ; vel ſi non, ſaltem aliqua forma fuit in ea producta ſine principio:quia materia nunquam fuit ſine forma:igitur,& cætera. I.

*Arg.*2. *Tex.*10. *&* 11. *Tex.*29,

Præterea, tempus ſecundùm Philoſophum 8.Phyſicor. & 12. Metaphyſ. eſt ſine principio,quod probari videtur ex hoc,quia ſi non, igitur priùs potuit fuiſſe tempus quàm fuit,vel priùs eſſe quàm eſſet, ſed *ante* eſt differentia temporis:igitur ante tempus fuit tempus.

*Arg.*3. *Tex.*17. *&* 20. *&* 2.*Met.*7.

Tertiò ſic, ſecundùm Philoſophum primo de Generatione, *Generatio vnius eſt corruptio alterius* ; igitur nunquam fuit aliqua prima generatio : & per conſequens ſine principio ſunt aliqua generabilia.

Item,cauſa non agens per motum,& non impedibilis, poteſt habere effectum ſibi coæuum, ſicut apparet in creaturis:igitur,&c.

Ratio ad opp.

Contra Auguſtinus ad Felicianum aſſignat definitionem creaturæ, & dicit, quòd creatura eſt ex eo quòd omnipotentis Dei voluntate, ex *non eſſe* ad *eſſe* producta eſt eius ſubſtantia:ſed ſi de ratione creaturæ eſt produci ex non ente : igitur impoſſibile eſt eam produci ſine principio,

Præterea, qua ratione Deus potuiſſet produxiſſe vnum ſine principio,& aliud,& ita eſſent producta actu infinita in multitudine, potuiſſet etiam aggregaſſe omnes lapides, qui poſtea fuiſſent:& ita infinitum mole feciſſe:ſed tam infinitas in numero, quàm in mole improbatur 3.Phyſic.

*Text.*37. *&* 61.

COMMENTARIVS.

a TItulus quæſtionis huius intelligitur ſic ; an Deus potuit producere aliquid aliquid aliud à ſe, ſine principio ſcilicet durationis,id eſt,an poſſit producere aliquid in *eſſe*, ita quòd non eſſe ita nulla duratione præcedat *eſſe*,& breuiter ſenſus eſt,an aliquid aliud à Deo poſſit ab ipſo produci ab æterno, ità quòd dicatur verè cauſatũ,& tamen æternaliter cauſari.

Arguit primò, quòd Deus poteſt producere aliquid aliud à ſe ſine principio durationis,& arguit ſic per Philoſophum : materia eſt ingenita &c. patet,quia omne quod generatur, apud Philoſophos,ex materia generatur:& quæritur an illa materia ſit ingenita,aut genita?Si primò,habetur propoſitum : ſi ſecundò, ergo ex alia materia erit genita,& ſic proceſſus in infinitum.Item,patet quòd ſit incorruptibilis, quia quod corrumpitur:quæro de illa materia, aut eſt incorruptibilis, & ſic habetur propoſitum ; aut corruptibilis; ergo in aliam materiam eſt corruptibilis, & ſic proceſſus in infinitum. Si ergo materia eſt ingenita, ergo materia vel non fuit producta, vel fuit producta ſine principio durationis:& ſi non fuit producta, ſaltem aliqua forma fuit in ea ſine principio durationis : quia materia nunquam fuit ſine forma.Alia argumenta patent.

SCHOLIVM.

Ponit ſententiam D. Thomæ & multorum, potuiſſe aliquid ab æterno creari, & probat octo rationibus & auctoritatibus.

HIc dicitur b quòd Deus potuit producere aliquid aliud à ſe ſine principio : quia ipſum non potuiſſe hoc feciſſe, ſcilicet produxiſſe aliquid ſine principio, non poteſt demonſtrari, nec per medium extrinſecum, nec per medium intrinſecum:non per medium extrinſecum,quia illud eſt voluntas Dei, cuius non poteſt ſciri, nec haberi

beri ratio,quare magis vult hoc eſſe cum principio,quàm ſine principio: nec per medium intrinſecum,ſcilicet per *quod quid eſt* ipſius factibilis:quia *quod quid eſt*,abſtrahit ad *hic* & *nunc*:ergo non eſt ratio demonſtrandi *hic* & *nunc*. *Opinio D. Tho.1.par. Cap.Gabr. Dur. Soti. Conim. Vaſq. Ret.2.*

Item,quodlibet aliud à Deo factum eſſe ex tempore,eſt articulus fidei:ergo ad hoc non expedit fieri demonſtrationes, nec propter fideles, nec propter infideles. Imò videtur periculoſum: quantùm ad fideles quidem, quia ſic euacuaretur meritum fidei,vt videtur: nec quantùm ad infideles, quia tunc poſſent nos arguere, quòd talia crederemus propter demonſtrationes,& ſic tenerent nos eſſe ſine fide,& ſi viderentur eis eſſe ſophiſtica,ſicut quibuſdam fidelibus videntur, poſſent deridere infideles quod propter talia crederemus.

3. Præterea tertiò,Auguſtinus 6. *de Trin. cap.* 1.dicit,quòd ſi ignis eſſet æternus,ſplendor ab eo cauſatus ſibi eſſet coæternus. Et ex hoc arguitur efficaciter pro iſta opinione vt videtur,quia conſequentia Auguſtini eſt naturalis:alioquin non valeret contra Arium ad probandum coæternitatem Filij cum Patre: non autem poteſt tenere, niſi ex perfecta ratione cauſæ, & cauſati: igitur ſicut ibi infertur ex perfecta cauſa naturaliter agente coæternitatis neceſſitas;ita ex perfecta cauſa voluntariè cauſante, poteſt inferri poſſibilis coæuitas effectus limitati ad cauſam illimitatam. Quia non videtur eſſe differentia inter agens naturale, & liberum, niſi in contingenter, & naturaliter agere: non eſt autem differentia in poſſe agere,& non poſſe agere, quia quidquid poteſt naturale agens agere, & liberum: & non differunt niſi in modo cauſandi. *Rat.3. Sco. corroborat opi. D.Th.*

Et illud argumentum poteſt multipliciter replicari, quia nulla conditio perfectionis in ſecunda cauſa reperitur, quacumque poſitione facta, quæ non ſit in prima cauſa, vt cauſa: ſed perfectionis eſt in aliqua cauſa ſecunda habere effectum ſibi coæuum: & ex hoc ſi eſſet æternus, vel coæternus effectus ſuæ cauſæ, perfectio eſſet in cauſa: igitur, &c. *Perfectionis eſt in cauſa poſſe habere effectum coæuum.*

Aliter etiam deducitur, & eſt quaſi idem: quia modus cauſandi, non formaliter variat ipſum cauſatum ſecundùm Ambroſium de Incarnatione Verbi: ſed ſi Deus naturaliter cauſaret, neceſſariò cauſaret, & poſſet cauſare effectum ſibi coæuum, & coæternum: igitur ſi modò voluntariè cauſaret, licèt non neceſſariò cauſet, poterit tamen cauſare effectum ſibi coæuum.

Et ſi dicatur Auguſt. intelligere de ſplendore immanente igni, qui non eſt formaliter cauſatus ab eo: contra hoc eſt litera ſua, quæ dicit; *Splendor ab eo genitus atque diffuſus*. Eandem etiam ſententiam dicit Auguſtinus ſuper Ioan. *homil.* 26. de virgulto, & imagine eius in aqua: certum eſt autem, quòd imago ſi eſſet, eſſet cauſata, & genita à virgulto.

4. Prætereà quartò,quicquid non repugnat limitationi,non repugnat creaturæ, ſi eſt aliqua entitas: ſed quantacunque duratio non repugnat limitationi: quia non eſt perfectius, quod durat per decem annos,quàm quod durat per vnam diem:igitur videtur quod infinita duratio non poneret maiorem perfectionem in creatura quam minor:& per conſequens non ponit repugnantiam eam ſemper fuiſſe ſine principio. *Rat. 4. 1. Ethic. c.7.*

Item, creatura ita tendit in *non eſſe*, quantùm eſt ex ſe ſi ſemper eſſet, ſicut ſi non ſemper eſſet:& hoc quia eſt ex nihilo:ſed abſque contradictione poteſt aliqua creatura ſemper tendere in *non eſſe*,& tamen *ſemper eſſe*, ſicut patet de Angelo & anima: igitur abſque contradictione poteſt ſemper fuiſſe,& tamen quantùm eſt ex ſe habuiſſe *non eſſe*. *Rat. 5.*

Item Auguſtinus 10.de Ciuit.cap.31.dicit, quòd ſi pes ab æterno,vel ex æternitate fuiſſet in puluere,ſemper ei ſubeſſet veſtigium: quod tamen veſtigium à calcante eſſe factum,nemo dubitaret:nec alterum altero prius eſſet, quamuis alterum ab altero factum eſſet. *Rat. 6.*

5. Item ibidem lib.11.cap.4 *Modo quodam vix intelligibili, Philoſophi dixerunt mundum eſſe factum:& tamen non habere principium durationis*, igitur ille modus ſi eſt vix intelligibilis,eſt intelligibilis; & ita non includit contradictionem aliquid ſemper fuiſſe & ſine principio. *Rat. 7.*

Confirmatur etiam, quia non videtur probabile, quòd tam præclari Philoſophi, & tam diligenter veritatem inquirentes, & tam perſpicaciter rationem terminorum concipientes, non vidiſſent contradictionem incluſam,ſi fuiſſet incluſam,ſi fuiſſet incluſa in terminis. Et confirmatur etiam ſecundùm Philoſophos quòd non ſit ibi contradictio, quia non ſolùm Naturalis conſiderat quatuor cauſas, ſed etiam Metaphyſicus: *Rat. 8. Auer. 2. Metaph. com. 31.*

cus: ſub priori tamen & communiori ratione: efficiens ergo in plus eſt quàm mouens, vel mutans: & per conſequens poteſt dare *eſſe* ſine motu. Primum igitur efficiens poteſt dare *eſſe* abſque hoc, quod det *eſſe* per motum, vel mutationem: & ita abſque hoc quod det *eſſe* nouum poſt non eſſe.

ADDITIO. *Item motus eſt effectus coæuus, & coæternus ipſius primi mouentis: igitur poteſt aliquid eſſe productum vel effectum à primo efficiente ſibi coæternum vel coæuum.*

COMMENTARIVS.

2 HIc dicitur, &c. Doctor in iſta quæſtione non ponit determinatè intentionem ſuam. Sed duas opiniones, quæ ſunt in extremo, videtur ſuſtinere, vt probabiles, & recitat primò argumenta pro vtraque opinione, & ipſa ſoluit, ita quòd argumenta facta pro opinione ſancti Thomæ, qui tenet eſſe poſſibile aliquid aliud à Deo poſſe cauſari ab æterno, ſoluit ſuſtinendo opinionem Henrici, qui tenet eſſe impoſſibile aliquid aliud à Deo poſſe ab æterno cauſari. Et deinde recitat argumenta facta pro opinione Henrici, tenentis eſſe impoſſibile aliquid aliud à Deo poſſe ab æterno cauſari, & ſoluit illa ſuſtinendo opinionem ſancti Thomæ tenentis oppoſitum. Videtur tamen in reſponſionibus Doctor magis declinare ad opinionem ſancti Thomæ, quàm ad opinionem Henrici, licèt vtraque via ſit probabilis. Primò ergo recitatur opinio ſancti Thomæ, quæ ponitur in prima parte Summæ, *quæſt.46. art.2.* quæ opinio eſt, (vt ſuprà dixi,) quòd verè Deus poteſt producere aliud à ſe ab æterno, & probat multis rationibus, & ſingillatim. Prima ergo ratio pro opinione Thomæ eſt iſta, quia ſi Deus non poteſt producere A ab æterno, hoc erit demonſtrabile, aut per medium intrinſecum ipſi Deo, puta per aliquam rationem intrinſecam Dei, quòd ſibi repugnet producere A ab æterno, aut per medium extrinſecum, puta per medium ſumptum à creatura. Si ergo non poteſt demonſtrari ſic vel ſic, quòd Deus non poſſit producere A ab æterno, ergo ſequitur, quòd poteſt producere A ab æterno. Et nota de medio demonſtrandi extrinſeco, medium enim extrinſecum eſt ſemper ſeparatum à ſubiecto, de quo demonſtratur aliquid vel ſaltem ſe habet vt ſeparatum, medium intrinſecum includitur in ſubiecto demonſtrationis, vt patet *ſecundo poſteriorum*, poſſet tamen ſic argui pro opinione ſancti Thomæ. Si Deo repugnat producere A ab æterno, aut eſt ex parte Dei, aut ex parte creaturæ, ſi ex parte Dei erit demonſtrabile, aut per intrinſecum, aut extrinſecum, ſi ex parte ipſius A hoc erit demonſtrabile, aut per medium intrinſecum ipſi A aut per medium extrinſecum, & patet ratio. Si enim dico, quòd homini repugnat eſſe lapidem, iſta repugnantia poteſt demonſtrari, aut per medium intrinſecum ipſi homini, puta animal rationale, aut per extrinſecum ipſi homini, puta per medium ſumptum à lapide.

Opinio D. Th. cui videtur Scotus magis fauere.

Secundo poſt com. tex. 41.

Quid ſit medium intrinſecum, & extrinſecum?

SCHOLIVM.

Ponit oppoſitam ſententiam Henr. Bonau. Richar. Alber. Marſ. ſcilicet repugnare aliquid ab æterno creari, quam probat quatuor rationibus Henrici, quibus addit efficaciores.

6. COntra iſtam [a] poſitionem arguitur, quòd includat contradictionem, aliud à Deo fuiſſe ſine principio: quia de omni producto, aliquando verum eſt, vel aliquando erit verum dicere, quòd producitur: quia de Filio Dei in æternitate producto, verè poteſt dici, quòd producitur in æternitate, creatura igitur aut ſemper producitur, quando eſt, aut aliquando producitur, & non ſemper: ſi ſecundo modo, in illo inſtanti, in quo ſic producitur, primò capit *eſſe*: tunc patet propoſitum, quia quod primò capit *eſſe*, habet principium. Si primo modo, igitur creatura eſt in continuo *fieri*, quòd videtur inconueniens quia tunc non eſſet permanens.

Hen. quodlib. 1. q. 7. & 8. & quodl. 9. q. 12. arguit contra D. Th. ex dictis eius.

Videtur etiam quòd tunc [b] non differret *creari* à *conſeruari*, quod improbatur dupliciter. Primò, quia creari eſt produci de *non eſſe* ad *eſſe*: conſeruari autem eſt ipſius præhabiti *eſſe*: & ita creari non eſt conſeruari. Secundò, quia ageus particulare generat, & non conſeruat: igitur vbi ambo concurrunt in eodem, aliud eſt vnum, & aliud eſt alterum: & additur huic rationi, quia creatura habet *eſſe* acquiſitum, & per conſequens *eſſe* poſt *non eſſe*, aliàs eſſet Deus.

Creari & conſeruari an differunt.

Secundò, arguitur, *omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe*, 1. Periherm. igitur nihil poteſt non eſſe, niſi quia potentia præcedit *eſſe* eius, per quam poteſt impediri eius *eſſe*: ſed ſi aliquid fuit ab æterno à Deo; nulla potentia præceſſit *eſſe* eius à Deo: ergo non potuit non eſſe à Deo.

Ratio 2. Cap. vlt.

Inſtat ſibi, quia prædeſtinatus poteſt ſaluari, & non ſaluari: ergo à ſimili de facto ab æterno, poſſibile eſt ipſum fuiſſe & non fuiſſe. Reſpondet quòd prædeſtinatio reſpicit rem extrà, pro certo *nunc*, pro quo ſcilicet res poteſt non eſſe, & ita non prædeſtinari: quia prædeſtinatio correſpondet naturæ rei, ſed dare *eſſe* alicui ab æterno, reſpicit potentiam pro infinita æternitate, in qua nulla eſt potentia ad oppoſitum, & ita nec in actu eſſendi.

Hen. quodlib. 1. q. 8.

Confirma

Confirmatur,quia *in perpetuis non differt eſse à poſse*, 3. Phyſ.& 9. Metaph e pen.igitur nullum ſempitern um eſt in potentia. *Tex.com. 32.*

7. Præterea,tertiò arguit idem alibi ſic : Quælibet ſpecies æquè eſt in potentia vt ſic, comparando ad Deum vt dantem *eſse* : igitur ſicut Sol potuit fuiſſe ab æterno , ita & aſinus , & hic perfectus potens generare : & ab illo poſſent fuiſſe omnes aſini alij generati, qui ſunt, vel fuerunt vſque ad hunc diem modò geniti. Et tunc quæro,vtrùm omnes fuiſſent tunc finiti, aut infiniti ? ſi finiti , igitur totum tempus ab illo vſque ad iſtum,fuiſſet finitum : ſi infiniti,igitur poſitis extremis,potuiſſent media fuiſſe infinita actu,quod eſt inconueniens. *Tex.com. 12.* *Rat. 3.*

Prætereà , quartò arguit ſic : Creatura ab æterno poſſibilis eſt eſſe , & poſſibilis eſt non eſſe : ſi ergo ponatur in *eſse*, habet illud *eſse* acquiſitum : ergo duratione , non *eſse ſuum* præceſſit ſuum *eſse* nouum, vel acquiſitum: vel format eam ſicut ſoluendo formatur,& ponitur prolixè nimis in quodlibet.8.q.9. *Ratio. 4.* *Vide in li. de ſenſ.& ſenſa. c.2.*

Item,arguitur pro iſta opinione quòd ſequitur fuiſſe infinitas animas intellectiuas, ſi potuiſſet mundus fuiſſe ſine principio.

Prætereà,contra rationem infiniti in quantitate eſt,ipſum poſſe excedi, vel eſſe totaliter acceptum,ſicut patet ex definitione eius, 3. Phyſic. *Infinitum eſt,cuius quantitatem accipientibus,ſemper eſt aliquid vltrà ſumere* : ſed ſi mundus potuiſſet fuiſſe ab æterno & ſine principio , infinita duratio fuiſſet accepta : igitur nihil fuiſſet vlterius accipiendum. *Tex.com. 60.62.63.*

Nec valet reſponſio illa, quæ dicit, quòd fuiſſent infinita in potentia , & ſemper in accipiendo quantùm ad ſignationem intellectus, & non in accepto *eſse* : quia ſignatio intellectus nihil facit ad hoc quòd infini um ſit acceptum actu : quia impoſſibile eſt infinitum futurum aliquando fuiſſe acceptum, licèt nullus intellectus fuiſſet, qui ſignaret partes illius temporis infiniti. *Al.ſecundum imaginationem intellectus.*

8. Item arguitur, quòd pars eſſet maior toto ; quia ſit meridies huius diei A, & meridies craſtinæ diei ſit B, ſi ex vtraque parte A, potuit eſſe tempus infinitum, pari ratione de præterito reſpectu B, ad futurum reſpectu B : ergo quocunque præteritum ad B,eſt maius,eo futurum ad B;quod eſt æquale præterito ad B, eſt maius , quia ſunt æqualia : ſed præterito ad A, eſt maius præteritum ad B , ſicut totum parte : ergo futurum ad B, quod eſt æquale præterito ad B , eſt maius præterito ad A , ſed futurum ad A eſt æquale præterito ad A, igitur futurum ad B, eſſet maius futuro ad A , & ita pars maior toto. Aliæ rationes poſſunt multæ adduci, aliquæ ſunt ſophiſticæ , & aliæ multæ fiunt ſæpè.

COMMENTARIVS.

[a] ESt opinio Henrici *quodl.1.quæſt.7.*& quodl. 9. quæſt.17. quæ tenet oppoſitum opinionis S. Thomæ , videlicet quòd contradictionem includat , aliud à Deo fuiſſe ſine principio durationis , ſiue ab æterno fuiſſe : & pro hac opinione multas adducit rationes. Prima eſt ibi : *Contra iſtam poſitionem*, &c. & ſtat in hoc : Quia ſi producitur capit eſſe : & omne tale habet principium. [b] Si dicatur quòd ſemper producatur quando eſt , ergo creatura eſt in continuo *fieri* , & ſic non differet *creari* à *conſeruari* , quod eſt falſum.

SCHOLIVM

Doctor videtur problematicus in hac quæſtione, & ideò ſoluit argumenta vtriuſque ſententiæ, & primò argumenta adducta pro parte affirmatiua , ſupr. num. 2. contra ſententiam Henr. & aliorum.

9. TEnentes iſtam [c] poſitionem potiſsimè (qui ponunt eandem impoſsibilitatem eſſe ex parte ſpeciei cuiuſcunque & cùm in aliqua ſpecie,ſicut in ſucceſsiuis, omne quod eſt acceptum videtur eſſe finitum , licèt totum ſit infinitum in accipiendo partem poſt partem)reſpondent ad rationes primæ opinionis.

Ad primum , licèt non poſſet ſciri naturaliter voluntas Dei , an ſit reſpectu huius: tamen naturaliter poteſt ſciri,quod ipſa non eſt alicuius , quod non eſt ex ſe volibile; & ideò illud includit contradictionem , & per conſequens incompoſsibilitatem : voluntas autem diuina non eſt eius,cuius non eſt ratio : ſed tunc oportet ponere non volibilitatem ex parte obiecti,ſicut impoſsibilitatem,ex 43. diſtinct. primi.

Et tunc cùm arguitur,quòd *quod quid eſt* non eſt medium demonſtrandi eſſe hîc, & nunc:

Vnde poſſibilitas rei. Vide Scot. 1. d. 43. Henr. quodl. 1. q. 8. v.g. potẽs eſſe poſt non eſſe, eſt de nouo: lapis eſt tale: ergo exiſtentia in minori ſi eſt aptitudinalis eſt fallacia cõſequentis, ſi actualis, concluſio eſt contingens, quia ex vna de cõtingenti, ex primo Priorum. Reijcit ſolutionem Henr. ad D. Thom.

nunc: dicitur, quod etſi illud verum ſit: tamen creatura poteſt eſſe medium demonſtrandi inceptionem exiſtentiæ eius.

a Contra hoc, quia [d] medium illud, per quod demonſtrabitur inceptio exiſtentiæ, non poteſt eſſe *quod quid eſt*, ſecundùm iſtos: igitur exiſtentia, & tunc videtur illa ratio dupliciter peccare. Primò ſecundum fallaciam Conſequentis, quia exiſtentia in minori non infert exiſtentiam actualem nouam. Secundò, quia præmiſſa in qua applicatur exiſtentia ad lapidem, erit contingens: & ita demonſtratio illa non erit ratio multùm probabilis, ſed ſophiſtica.

Ad argumentum [e] tamen poteſt reſponderi, quod licèt, *quod quid eſt* contingenter ſe habet ad exiſtentiam actualem, vel non actualem, & ideò non ſit medium demonſtrandi exiſtentiam abſolutè, nec aliquam conditionem exiſtentiæ abſolutam: alicui tamen *quod quid eſt*, poteſt repugnare aliqua conditio exiſtentiæ; & ideò poteſt eſſe medium demonſtrandi, ita quòd exiſtentia ſub tali conditione poteſt demonſtrari per *quod quid eſt* ipſius: ſicut quiditas lapidis, licèt in ſe non includat exiſtere: tamen ſibi repugnat ex ſe eſſe increatum; & ideò ex ratione huius quiditatis poteſt concludi, quòd non habet *eſſe* increatum nec ſempiternum.

Ita dicendum eſt in propoſito ſecundùm iſtam poſitionem, quod lapidi repugnat exiſtere ſempiternum, & ideò ex quiditate lapidis poteſt demonſtrari, quòd non habeat eſſe ſempiternum, & ideò ex hoc vltrà non abſolutè, quòd habeat eſſe nouum: ſed ſi eſt, quòd habet *eſſe* nouum, quod eſt propoſitum.

Aliter etiam peccat ratio, [f] vt videtur, ſecundùm fallaciam Conſequentis. Non enim ſequitur: oppoſitum huius non poteſt demonſtrari: igitur iſtud eſt poſsibile: ſed eſt fallacia conſequentis: nam prima impoſsibilia ſunt impoſsibilia ex terminis, ſicut oppoſita eorum, ſcilicet prima neceſſaria, ſunt neceſſaria ex terminis, licèt eorum oppoſita non poſſunt demonſtrari, quia ſunt prima vera. Sed oporteret ad iſtud antecedens: *Oppoſitum non poteſt demonſtrari*, addere, quòd oppoſitum non eſt neceſſarium primum, ſiue notum ex terminis, & fortè illud negaretur ab aliquibus in propoſito, licèt illa neceſsitas oppoſiti ex terminis latens ſit, & non euidens cuicunque intellectui, confusè concipienti terminos.

Ad rat. 2. D. Thom.

Ad ſecundum dici poteſt, quòd ſi ſint rationes aliquæ neceſſariæ pro creditis, non eſt periculoſum eas adducere, nec propter fideles, nec propter infideles: non quantùm ad fideles, non enim Doctores Catholici inquirentes veritatem creditorum per rationes, & nitentes intelligere illud quod crediderunt, per hoc intendebant deſtruere meritum fidei: imò Auguſtinus & Anſelmus crediderunt meritoriè laborare, vt intelligerent, quod crediderunt, ſecundùm illud Iſa. 7. ſecundùm aliam tranſlationem: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Credentes enim inquirebant, vt intelligerent ea quæ crediderunt, per rationes. Si autem demonſtrationes, ſi quæ poſſent haberi, euacuant fidem, vel non, de hoc in lib. 3. de materia fidei. Nec periculoſum eſt quantùm ad infideles, ſi rationes neceſſariæ poſſent haberi: & ſi non poſſunt haberi rationes neceſſariæ ad probandum eſſe factum, ſcilicet, articulum fidei; ſi tamen haberentur ad probandum poſſibilitatem facti, etiam vtile eſſet eas adducere contra infidelem: quia per hoc aliqualiter perſuaderetur, ne reſiſteret talibus creditis, ſicut impoſſibilibus. Adducere tamen ſophiſmata pro demonſtrationibus, periculoſum eſſet contra infideles: quia ex hoc exponeretur fides deriſioni, & ita etiam eſt in omni materia alia, etiam indifferenti, vt in geometricis, ſi ſophiſmata tanquam demonſtrationes proponerentur. Melius eſt enim ignorantem ſe ſcire ignorare, quàm propter ſophiſmata opinari ſe ſcire. Illi autem, qui dicunt partem oppoſitam, dicunt ſe non adducere ſophiſmata, ſed rationes neceſſarias, & veras demonſtrationes: & ideò nullum præiudicium videntur facere fidei, nec reſpectu fidelium, nec reſpectu infidelium, ſed magis confirmare eam huiuſmodi rationibus. 10.

In tranſlatione Hieronym. pro intelligetis habetur permanebitis, ſcilicet in veritate d. 24. Vtile adducere rationes pro articulis fidei, quoad fideles & infideles.

Ad rat. 3.

Ad tertium dico, [g] quòd licèt dicatur ibi multipliciter à diuerſis, reſpondeo tamen breuiter, quòd in eadem conſequentia poſſunt eſſe multæ rationes, propter quas illatio ſit neceſſaria: & ita multi loci ſumpti ex multis rationibus talis conſequentis in ipſo antecedente: & ideò vbicunque aliqua illarum rationum, ſiue aliquis illorum locorum inueniti poteſt, ſimilis illatio inueniri poteſt, & inferri. Exemplum, homo currit, ergo animal currit, ſequitur benè, per locum à ſpecie: & non ſolùm hoc, ſed etiam per locum communiorem, quia per locum à parte ſubiectiua, & non tantùm vbi unque eſt illatio ſpeciei ad genus, eſt bona conſequentia: ſed & vbicunque eſt argumentum à parte ſubiectiua ad totum, eſt bona conſequentia. Et poſſet poni 11.

aliud

aliud exemplum, vbi plures rationes inferendi concurrunt: ſed iſtud ſufficit ad propoſitum. Ita dico, quòd ſequitur, ignis eſt in hoc *nunc* non impeditus: igitur lux eſt, locus eſt à cauſa naturaliter cauſante non impedita, & non ſolùm hoc, ſed etiam à ratione quadam cõmuniore in antecedente poteſt iſta conſequentia tenere ſcilicet à ratione producentis naturaliter, & non impediti: non enim tantùm cauſa cauſans naturaliter non impedita, habet cauſatum ſibi coæuum, 2. *Phyſ.* ſed etiam producens naturaliter, habet productum ſibi coæuum, ſicut eſt manifeſtum per ſimilem rationem. Vbicunque igitur eſt ſimilis ratio inferendi, non tantùm ſecundùm illam rationem generalem, ſed etiam ſpecialem erit conſequentia neceſſaria, & naturalis. *T. c. 32. & 38.*

Et ita dico, quòd exemplum benè eſt ad propoſitum, quod ſi ignem eſſe ab æterno, inferat ſplendorem diffuſum eſſe ab æterno, per rationem producentis naturaliter, licèt antecedens hoc fuerit impoſſibile, & incompoſſibile, & conſequens ſimiliter: conſequentia tamen eſt neceſſaria, & bona: igitur vbicunque eſt illa ratio illationis, erit conſequentia bona, & neceſſaria, quomodocunque ſit de antecedente, & conſequente. Sed ita eſt hîc de Patre, & Filio, quia Pater eſt producens naturaliter reſpectu Filij: igitur ibi erit ſimilis conſequentia bona & neceſſaria. *Producens naturale poteſt habere coæuũ productum licet cauſa naturalis non poſſit.*

12. Per hoc patet ad confirmationem [h] illius rationis, quòd nulla perfectio tollitur à prima cauſa, quæ poteſt eſſe in ſecunda: poſſe autem habere cauſatum ſimpliciter neceſſarium, non eſt perfectionis in cauſa ſecunda: imò hoc nulli cauſæ ſecundæ conuenit, vt dictum eſt *diſt. 2. primi*, licèt aliqua cauſa ſecunda hoc habeat ſecundùm quid. Simpliciter enim neceſſariò cauſare includit contradictionem: & ideò hoc nulli cauſæ ſecundæ conuenit. Nec ex hoc tanquam ex impoſſibili inferendo quodlibet ex parte ignis, arguit Aug. ſed ex ratione communiori arguit Auguſt. ſcilicet ex ratione producentis, quod non includit contradictionem, & hoc ſufficit ad rationem ſuam. *q. 1. & diſt. 8. eiuſdem q vlt. 2. di. 39.*

Per idem [i] patet ad illam aliam rationem, quòd diuerſus modus cauſandi, non variat cauſatum formaliter: verum eſt de diuerſis modis cauſandi, qui poſſunt eſſe cauſæ in aliqua cauſatione: ſed ſi vnus modus in cauſando ſit poſſibilis, & alius impoſſibilis, ſecundùm modum poſſibilem cauſatum erit tale, & ſecundùm modum impoſſibilem cauſatum erit aliud: ſicut ex impoſſibili ſequitur impoſſibile, naturali tamen conſequentia. Ita dico, quòd naturali conſequentia ſequitur, quòd ſi naturaliter cauſaret, quòd neceſſariò cauſaret, & coæternè: ſed iſte modus cauſandi includit contradictionem ad ipſum *cauſare*. Alius autem modus cauſandi, ſcilicet liberè, compoſſibilis eſt cauſæ: & ideo non tollit compoſſibilitatem in antecedente & conſequente. *Diuerſus modus cauſandi non variat cauſatum.*

Ad quartum diceret [k] aliquis pro iſta via, quòd ſempiternum eſſe includit aliquam illimitationem: quia includit adæquari Deo ſecundùm aliquid, ſcilicet ſecundùm illimitationem durationis, quod non poſſet eſſe ſine illimitatione entitatis: quia non poſſet ſibi adæquari in aliquo vno ſine alio. Sed hoc nihil eſt, quia etiam coëxiſtens Deo hodie, non propter hoc æquatur æternitati, cui coëxiſtit hodie: quia etiam æternitas vt coëxiſtens huic diei, eſt infinita, & independens: & creatura, vt hodie coëxiſtens æternitati, eſt finita, & dependens: & ideò non coæquatur ſibi. Oporteret igitur dicere quòd ſempiternum eſſe aliquam illimitationem dicit in creatura vnde repugnet ſibi: ſed vnde ſit illa illimitatio, & repugnantia, quilibet oſtenderet per illam rationem fundamentalem, quam pro ſe poneret. *Ad rat. 4.*

13. Ad quintum reſpondetur [l] ducendo ad oppoſitum, quia ſicut creatura non [f] poteſt actualiter tendere in *non eſſe*, & tamen ſemper fore: ita non poteſt actualiter uiſſe poſt *non eſſe*, & tamen ſemper fuiſſe. De ratione autem creaturæ ſecundùm iſtam poſitionem non tantùm eſt habuiſſe *non eſſe* ante *eſſe* aptitudinaliter: ſed etiam actualiter ante *eſſe* habuiſſe *non eſſe*. *Ad rat. 5.*

Ad auctoritates dico, quòd auctoritas Auguſt. 10. de Ciuit. Dei, non eſt ſecundùm intellectum ſuum ibi poſita: ſed ponit eam ſecundùm intellectum Philoſophorum, vnde præmiſit ibi de Philoſophis: ſic enim inquiunt, *Si pes eſſet in puluere ab æterno*, &c. Vnde ſecundùm veritatem, pedem ſemper fuiſſe, & cauſaſſe veſtigium in puluere, includit contradictionem, quia veſtigium cauſatur per impreſſionem pedis in puluere per motum localem: & ita motum aliquem talem fuiſſe ſine principio, qui de ratione ſua eſt inter oppoſita, contradictio eſt. *Ad rat. 6.*

14. Ad illud de vix intelligibili dico, quod contradictoria poſſunt apprehendi ab intellectu, & etiam ſimul apprehenduntur: alioquin nullo modo intellectus diceret ea eſſe *Ad rat. 7.*

contra

Tex. 45. contradictoria, ſicut generaliter patet ex argumento Philoſophi *ſecundo de Anima*, vbi probat de ſenſu communi,& aliis ſenſibus particularibus,quòd nullus ſenſus nec intellectus comparat extrema, niſi apprehendat vtrumque: ſed ſic apprehendi eſt vix intelligi, quia non eſt intelligi cum aſſenſu; quomodo dicimus nos intelligere quod credimus eſſe verum, & non intelligere quod non credimus eſſe verum, licèt tamen apprehendamus illud.

Contradictio latens dicitur vix intelligibilis.

Vel aliter poteſt dici, quòd ſi accipiatur *intelligibile* pro eo, cui intellectus poteſt aſſentire,& dicatur modus iſtorum Philoſophorum fuiſſe vix ſic intelligibilis, poteſt exponi,quòd in ſuo vniuerſali,modus ille fuit intelligibilis,non autem in ſe,& in particulari. Intelligibilis enim erat cum aſſenſu in ratione producentis, & non in ratione cauſantis: & intelligere cauſans in ratione producentis, eſt intelligere cauſans imperfectè etiam in vniuerſali: ſicut intelligere hominem in ratione animalis, eſt intelligere hominem imperfectè.

Vel tertio modo poteſt dici,(& fortè ad mentem eius)quòd contradictoria latentia quamdiu non percipitur contradictio euidens in eis, poſſunt aliquo modo apprehendi ab intellectu: non tamen certitudinaliter: & ita contradictio iſta ſi eſt, tamen latuit,& potuit ab eis vix intelligi.

Ad rat. 8. Contradictionem inuoluit,cauſam primã neceſſario agere, & tamen eſſe in rebus contingentiam. q. 5. q. 2.

Ad illud quod additur de Philoſophis, poteſt dici, quòd multas contradictiones latentes conceſſerunt: ſicut negauerunt communiter eſſe aliquod primum principium contingenter cauſans,ſed dixerunt primam cauſam eſſe neceſſariò cauſantem: & tamen dixerunt contingentiam eſſe in entibus & aliqua contingenter fieri: ſed contradictionem includit aliquid contingenter fieri in entibus, & primam cauſam neceſſario cauſare,ſicut deductum eſt diſtinct. 8. primi, & diſtinct. 2. & 39. eiuſdem, & aliquantulum in qu. præcedente. 15.

Ad illud quod additur de quatuor cauſis, quæ conſiderantur à Metaphyſico,poteſt dici,quòd probat abſtractionem ſecundùm intellectum efficientis à mouente & mutante: non autem omne abſtractum ſecundùm conſiderationem intellectus, oportet poſſe ſeparari ſecundùm *eſſe* ab eo,à quo poteſt fieri abſtractio ſecundùm intellectum; & ideò ex hoc non ſequitur, quòd in re ſit aliquod efficiens, quod eſt mouens, vel mutans.

ADDITIO. *Ad illud de motu,& primo mouente, poteſt negari antecedens, loquendo de primo vt primo: licèt non vt mouente,ita quòd diuiſim ſit falſum,licèt coniunctim ſit verum.*

COMMENTARIVS.

1. c RESpondet Doctor rationibus S. Thomæ,ibi: *Tenentes iſtam poſitionem. Ad primam* dicerent, *quòd licèt non poſſit*, vult dicere inſtantia iſta,quare lapis non eſt volibilis ab æterno,& pro æterno? Hoc non eſt ratione voluntatis diuinæ, ſed ratione intrinſeca lapidis, propter quam repugnat ſibi eſſe ab æterno, & cùm dicit de 43. diſt. primi, vide ibi,quia vult Doctor quòd impoſſibilitas rerum non eſt ex parte impoſſibilitatis terminorũ,loquendo tamen de ratione impoſſibilitatis proximã, & non de remota, ſicut ibi dicit Doctor. Et nota quæ ibi expoſui. Dicit ergo Henricus quòd creatura eſt ratio demonſtrandi nullum cauſatum poſſe eſſe ab æterno, quia de ratione creaturæ eſt, quòd actualiter habeat *eſſe* poſt *non eſſe*,& ita de ratione ipſius eſt, quòd incipiat eſſe de nouo.

d *Contra hoc,quia medium illud*,&c. Hîc Doctor reprehendit reſponſionem Henrici, eo quòd non euacuat argumentum ſancti Thomæ, & patet argumentum, & vt clariùs intelligatur,formetur ſic: ſupponendo ſecundùm Henricum quòd *quod quid eſt*, ſiue definitio, puta lapidis, non eſt ratio demonſtrandi ipſum lapidem nunc incipere eſſe, ſed exiſtentia lapidis;tunc ſic: Quicquid includit poſſe eſſe poſt *non eſſe* incipit eſſe de nouo; ſed lapis eſt huiuſmodi,ergo. Dicit Doctor aut in minori prædicatur exiſtentia aptitudinalis, & ſic eſt fallacia Conſequentis, à poſitione conſequentis ad poſitionem antecedentis; non enim ſequitur, lapis poteſt eſſe hinc ad menſem poſt *non eſſe*, ergo lapis incipit eſſe hinc ad menſem;ècontra tamen ſequitur, à poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis A incipit eſſe actu nunc, ergo aptus fuit eſſe nunc; aut exiſtentia actualis prædicatur de lapide, & tunc minor erit contingens,& ſic non ſequitur concluſio neceſſaria,quia ex vna de neceſſario, alia de contingenti, ſequitur concluſio de contingenti, vt patet *primo Priorum*; & tamen eſt intentum Henrici, per hoc argumentum, quòd ſit neceſſe ipſum lapidem incipere eſſe de nouo. Dicit ergo Doctor quòd argumentum Henrici tantùm procedit probabiliter, vel ſophiſticè. Maior etiam argumenti Henrici poſſet conſimiliter diſtingui, licèt Doctor nullam aliam mentionem faciat, & ſic patet iſta litera.

Primo priorum cap. 21.

Ratio Henrici.

2. e *Ad argumentum tamen poteſt reſponderi*, &c. Hîc Doctor aliter reſpondet ad argumentum Thomæ, ſuſtinendo opinionem Henrici, & primò dicit, quòd *quod quid eſt*, id eſt, definitio *contingenter ſe habet ad exiſtentiam actualem, vel non actualem*, id eſt, hæc definitio, puta lapidis, non eſt ratio demonſtrandi lapidem actu exiſtere neceſſariò, quia tunc de neceſſitate exiſteret; nec eſt ratio neceſſaria demonſtrandi lapidem actu non exiſtere, ſcilicet quòd actualis exiſtentia non conueniat ſibi, quia tunc nunquam poſſet actu exiſtere.

Quæ ſint cõditiones exiſtentiæ.

exiſtere. Secundò dicit, quòd *quod quid eſt*, ſiue definitio, non eſt ratio demonſtrandi aliquam conditionem exiſtendi abſolutè; nam conditiones exiſtentiæ ſunt iſtæ, *æternitas, temporalitas, neceſſitas, coutingentia*, & huiuſmodi; nam aliqua exiſtentia eſt neceſſariò æterna, vt diuina, aliqua eſt temporalis, & contingens, vt exiſtentia Franciſci. Dicit ergo, quòd definitio, puta lapidis, non eſt ratio demonſtrandi abſolutè, vel quòd ſit æternus, vel non æternus, quia ſi primò, de neceſſitate eſſet æternus, ſi ſecundò, de neceſſitate repugnaret ſibi æternitas. Tertiò dicit ibi, *alicui tamen quod quid eſt*, &c. quòd exiſtentia ſumpta ſub aliqua conditione, poteſt repugnare definitioni lapidis, vel hominis; puta ſi ſumatur exiſtentia hominis ſub iſta conditione, quòd ſit increata, vel quòd ſit neceſſe eſſe, repugnat ſibi: ſic dico pariformiter, quòd exiſtentia hominis ſumpta cum ſempiternitate, & ideò ex quiditate hominis, poteſt demonſtrari, quòd non exiſtat ſempiternaliter, quia ſicut definitio eſt ratio demonſtrandi aliquid de ſubiecto ſibi conuenire, ita eſt ratio demonſtrandi aliquid incompoſſibile ſibi repugnare. Et nota, quòd nõ ſequitur, homini repugnat eſſe æternaliter, ergo neceſſariò habet eſſe de nouo; ſed benè ſequitur cum conſtantia ſubiecti homini repugnat eſſe æternaliter, & actu exiſtit; ergo de neceſſitate habet eſſe de nouo.

3 *Primo poſt contex. ſecundo.*

f *Aliter etiã peccat ratio.* Hæc reſponſio clara eſt, ſed pono exemplum de primis impoſſibilibus, & de primis neceſſariis: prima enim neceſſaria sũt prima principia per ſe nota; & prima impoſſibilia ſunt oppoſita primorum principiorum, & ſicut prima principia ſunt notiſſima in veritate. ita oppoſita primorum principiorũ ſunt notiſſima in falſitate, vt patet *primo Poſteriorum*, & ſic nec veritas nec falſitas eorum demonſtrari poteſt.

Secunda ratio D. Thomæ. Tertia ratio D. Thomæ.

Secundò principaliter arguitur, pro opinione ſancti Thomæ ibi: *Item quodlibet aliud à Deo eſſe factum ex tempore eſt articulus fidei*, & litera clara eſt. Reſpondet Doctor ibi: *Ad ſecundum dici poteſt*, & reſponſio de ſe patet in litera.

Tertiò arguitur pro opinione Thom. ibi; *Præterea Auguſt. 6. de Trinit.*

Reſpondet Doctor ibi, *Ad tertium dico*, quòd aliqua conſequentia, ſiue illatio poteſt tenere ex multis rationibus, ſiue locis: & exemplũ patet in litera, quæ clara eſt vſque ibi; *vbicunque igitur eſt ſimilis ratio inferendi*, &c. dicit ibi: *Si ignis eſt æternus, & non impeditus, ergo ſplendor eſt æternus*, antecedens eſt impoſſibile, nam implicat ignem eſſe æternum, quia dicerent iſti, quòd ex quo ignis eſt verè cauſatus, implicat ipſum eſſe æternum, & ſimiliter conſequens eſt impoſſibile: ſed ſplendorem eſſe æternum propter eandem rationem de antecedente. Conſequentia tamen eſt neceſſaria, & naturalis, ſicut ſi homo curreret, ergo neceſſariò moueretur, tamen quia Auguſt. vult probare coæternitatem Filij ad Patrem; ponit exemplum de igne, &c. quod quidem exemplum valet in Patre, quoad productionem, non quo ad cauſationem, quia ſi Pater ab æterno eſt perfectus, & habet memoriam fœcundam, perfectam, ergo productum ab ipſo eſt ſibi coæternum, cùm ſit eiuſdem naturæ: non ſic ſequitur de cauſato, quod eſt alterius naturæ à cauſante.

Exemplum de igne valet in patre, quo ad productionẽ, nõ quoad cauſationem.

Per hoc patet ad confirmationem illius rationis, &c. hæc litera clara eſt, & quod dicit ibi: *Nec ex hoc tamquam ex impoſſibili inferendo quodlibet*, vult dicere Doctor quòd ſi cauſa naturalis eſt æterna, & non impedita, ergo effectus eius erit æternus: iſta conſequentia eſt naturalis, & neceſſaria, & non ſequitur hoc conſequens ſicut ex impoſſibili ſequitur quodlibet, ſed ſequitur formali conſequentia, quia conſequens neceſſariò includitur in antecedente.

Ex impoſſibili ſequitur quodlibet.

4

i *Per idem patet ad illam aliam rationem*, &c. Hæc reſponſio clarè patet in primo *diſtinct.* 8. *q. vlt.* quam ibi expoſui: nam *cauſare*, & *contingenter*, ille modus, ſcilicet *contingenter*, eſt poſſibilis, & compoſſibilis, *cauſare* verò, & *neceſſariò*, ille modus, ſcilicet *neceſſariò*, eſt incompoſſibilis cauſæ, & ſicut ad *cauſare* modo compoſſibili ſequitur effectus poſſibilis, ſic ad *cauſare* ſub modo incompoſſibili, ſequitur naturali conſequentia modò præexpoſito, de naturali conſequentia effectus, videlicet incompoſsibilis, & patet litera.

5

k Quartò arguitur pro via ſancti Thomæ, Ibi: *Præterea quartò*, &c.

Reſpondetur ibi: *Ad quartum diceret aliquis.* Hîc Doctor primò recitat opinionem alterius, quàm confutat. Aliqui dicunt, quòd ſempiternum eſſe includit aliquam illimitationem, quia includit adæquari Deo ſecundùm illimitationem durationis, & patet litera.

Quarta ratio D. Thomæ.

l Quintò arguitur pro opinione ſancti Thom. ibi. *Ita creatura tendit in non eſſe*, &c.

Reſpondet Doctor ducendo hoc argumentum ad oppoſitum.

Quinta ratio. Vltima ratio D. Thomæ.

Vltimo loco pro opinione ſancti Thomæ, arguitur per auctoritates.

Reſpondet Doctor ibi: *Ad auctoritates dico*, &c. tota iſta litera clara eſt, & ſic patet iſta prima opinio.

SCHOLIVM.

In fauorem opinionis tenentis creationem æternam eſſe poſsibilem, in quam Doctor videtur inclinare quod permanentia, ſoluit argumenta in contrarium allata, ex Henrico, num. 6. confirmans illam ſententiam tribus rationibus.

TEnentes autem a primam opinionem, potiſſimè propter hoc, quòd non inuenitur contradictio in iſtis terminis, *aliud à Deo eſſe ſempiternum*: & ſecundò propter hoc, quòd rationes, quæ videntur probare contradictionem ſunt ſpeciales: & ideò ſi de aliquo ſpeciali probent contradictionem: non tamen probant hoc de omni alio à Deo: & tertiò, quia quædam rationes fiunt de præterito, quæ videntur ſimiliter poſſe fieri de futuro ſicut de præterito, cùm tamen nulli negent poſſibilitatem futuri ſine fine: aut poſſent fieri de ſucceſſione ſicut de permanentia.

Soluntur rationes poſitæ n. 6.

Iſti reſpondent ad rationes contra iſtam opin. quæ probant contradictionem. Ad primam dicunt, quòd creatura aliqua potuit ſemper producta fuiſſe, puta Angelus, cuius *eſſe* eſt in æuo. Et ſi dicas, quòd creatura illa aliquando fit; concederent, quòd illa fit in inſtanti æui: & cùm infertur, quòd tunc eſſet ens ſucceſſiuum non ſequitur: quia filius Dei ſemper generatur, & tamen non eſt aliquid ſucceſſiuum, ſed ſummè permanens: quia idem inſtans, in quo generatur, ſemper manet: ita dicerent iſti, quod idem nunc manet, in quo angelus accipit eſſe: & ita non eſt ſucceſſio: ſucceſſiua enim ſemper aliam, & aliam partem accipiunt ſui eſſe.

Infr. d. 2. q. 1. & in quodl. q. 12.

Ad aliam probationem de *conſeruari* & *creari* parebit in quæſtione de æuo. Ad illud additum de *eſſe* acquiſito, concedunt, quòd habet *eſſe* acquiſitum: quia non habet *eſſe* quod ex ſe ſit formaliter neceſſarium: tamen non videtur neceſſarium, quod ſit acquiſitum poſt *non eſſe*; quia acquiſitio, ſicut & receptio, videtur ſufficienter ſtare, ſi ex ſe non habeat illud, quod dicitur acquirere, ſiue ſit nouum, ſiue antiquum.

Ad rationẽ 2. §. ſed contra iſtã n. 18. Ad id in perpetuis, &c. ſup. n. 6. procedit de calo, quod ſecundum Philoſoph. non fuit prius poſſibile, quam exiſtens.

Ad ſecundam [b] rationem de Philoſopho primo Perihermenias, *omne quod eſt*, &c. patet reſponſio diſt. 39. primi. vbi eſt adducta iſta inſtantia ad probandum, quòd nihil contingenter eſt in illo inſtanti, pro quo eſt, quoniam oppoſitum tunc poſſet ineſſe; & ex hoc patet, quòd aſſumptum eſt falſum: imò in illo inſtanti, in quo & pro quo eſt, contingenter eſt: ſicut ibi deductum eſt, & iam determinatum Et idem dico de cauſa, quòd cauſa non cauſat in quantum præcedit effectum duratione: ſed eſt cauſa inquantum præcedit effectum natura: ſi igitur omnis cauſa pro illo inſtanti, pro quo cauſat. neceſſariò cauſat, & nulla contingenter; omnis cauſa inquantùm cauſat, neceſſariò cauſat, & nulla contingenter. 17.

Ad 3. licet aſinus ab æterno potuiſſet produci, & ab æterno generare aſinos illi tamen nõ fuiſſent infiniti. De quo 1. d. 2. p. q. 3. & d. 5. q. 2. & d. 28.

Ad tertium [c] poſſet negari, quòd in quacunque ſpecie eſt ſimilis impoſſibilitas ad æternitatem, & ſempiternitatem: quia non apparet contradictio ex parte cuiuſcunque ſpeciei: & ideò nec ſimilis poſſibilitas. Vel ſi concedatur de aſino, quòd potuit fuiſſe productus ab æterno, & potuit generare, & per conſequens ab ipſo potuiſſent fuiſſe omnes aſini geniti vſque ad iſtum. Et cùm quæris, vtrùm fuiſſent finiti, vel infiniti, negatur quòd ſint infiniti, imò finiti. Et cum infers: igitur tota duratio à productione illius aſini vſque ad iſtum, fuiſſet finita, negatur conſequentia. Ille enim etſi productus fuiſſet ab infinito, non tamen potuit generaſſe ab infinito: quia generatio neceſſariò includit in creaturis, quòd ſit mutatio inter terminos oppoſitos, ſcilicet priuationem & formam: & quicquid eſt inter oppoſita ſibi ſuccedentia, non poteſt eſſe ſempiternum.

Et ſi dicas [d] quod tunc oportuit ipſum per tempus infinitum quieuiſſe ad generandum, cùm tamen fuiſſet perfectus, & potens generare, quod videtur inconueniens.

In generatione, quæ eſt à priuatione ad formam includitur nouitas.

Reſpondeo, aſinus non fuiſſet factus perfectior ab æterno ad generandum, quam Deus ad creandum: & tamen per te oportuiſſet Deum quieuiſſe à creando A per infinitum quaſi imaginatum, ita quod contradictio eſſet ipſum aliquid creaſſe, quin infinitum quaſi præteritum imaginatum præceſſiſſet: & tamen in creatione eius, ſcilicet in dando totum *eſſe*, ei, quod habet in ſe *eſſe*, non videtur ita neceſſario includi nouitas, ſicut in generatione, quæ eſt à priuatione ad formam: non igitur eſt inconueniens ſi oportuit aſinum generaſſe, quod quieuiſſet per infinitum imaginatum à parte antè ab illa actione, quæ neceſſario includit, quod ſit noua: cùm ponas Deum neceſſario quieuiſſe ab illa actione, quam non oſtendis includere formaliter nouitatem.

Ad quartã rationẽ. Hẽ. quodl. 8. q. 9. Tex. c. 118. Vide tertio Phyſ. t. c. 10.

Ad quartum [e] dico, quod tota deductio de potentiis illis videtur eſſe ſuperflua, & multipliciter peccare: & tamen loquendo de potentia ſicut ipſe procedit in argumentando in fine, concludendum eſſet, ſecundùm eum, quod potentia ad *non eſſe*, neceſſario præcedit potentiam ad *eſſe*: & ſi argumentum ſuum valet de potentiis contrariis ſecundùm quod accipitur à Philoſopho *primo de Cæ. & mundo* debet intelligi de potentiis incompoſſibilibus actibus ſuis: & tunc ſi potentia ad *non eſſe*, neceſſario præcedat potentiam ad *eſſe*, tunc *eſſe* neceſſario præcedit *non eſſe*: quia potentia ad *non eſſe*, nunquam eſt ſecundùm *eſſe* intellectum, niſi in eodem præaeſſerit *eſſe*. 18.

V. g. in potentia ad albedinem & carentiam eius.

Vbi ſciendum eſt, quod loquendo propriè de potentia, ſcilicet ante actum, ſubiectum immediatorum oppoſitorum, nunquam eſt in potentiis oppoſitis ſimul: quia tunc careret vtroque actu ſimul: & ita non eſſent oppoſita immediata circa illud ſubiectum, & de illis verum eſt, quod potentia ad vnum, non eſt ſine actu alterius: non quod ille actus ſit receptiuus illius potentiæ, imo ſubiectum tantùm recipit illam potentiam

tentiam, ſicut & eius actum. Si enim actus *A*, prior ſit potentia ad *B*, quia ratio receptiui:igitur ipſo *B*, quia in eodem eſt prius natura potentia actu. 9. *Metaph. B* autem pari ratione prius eſt potentia ad *A*, & ita idem prius,& poſterius eodem: ſed potentia ad vnum, neceſſariò concomitatur alterius actus propter immediationem actuum ad vnum. *Text. c.15.*

Ad propoſitum dico [f] quòd non fuit ab æterno ſub potentia ad *eſſe*,& ſub potentia ad *non eſſe*: ſub qua tamen priùs? Dico, quod ſub potentia ad *eſſe* ſecundùm veritatem, quia ſub *non eſſe*, & ita non ſub potentia ad illud. Si autem fuiſſet ab æterno, fuiſſet ſemper ſub potentia ad *non eſſe*,& nunquam ſub potentia ad *eſſe*, ſed ſub actu. Si autem non loquaris de potentia ante actum illum,ſed quaſi ſubiectiua,& aſſumas ibi creaturam non eſſe ſic in potentia ad *eſſe*, niſi ſub *non eſſe*: falſum eſt, & ſuprà improbatum.

19. Omittendo [g] igitur de potentiis, argumentum breuiter videtur ſtare in hoc: oppoſita,quæ inſunt eidem ordine naturæ,non poſſunt eidem ineſſe ſimul ordine durationis:quia prius duratione ineſt, quod prius naturâ ineſt. *Eſſe* igitur, & *non eſſe* cùm inſint ordine naturæ lapidi, non poſſunt ſimul ineſſe eidem ſimul duratione, nec indifferenter ſe inuicem præcedere: ſed neceſſariò *non eſſe* præcedit duratione ipſum *eſſe*: & ita non potuit ſemper fuiſſe. Quod autem *non eſſe* prius natura inſit quàm *eſſe*, hoc probat:quia *non eſſe* competit lapidi ex ſe: aliud,ſcilicet *eſſe*,non competit ſibi ex ſe,ſed ex alio.

Hîc dico [h] quòd duo oppoſita non inſunt ordine naturæ eidem quaſi poſitiuè, loquendo de ordine naturæ:ſicut eſt de animali & rationali:ſubſtantia,& accidente,ſed quaſi priuatiuè:ſcilicet quòd alterum ineſſet,niſi impediretur, qui modus expoſitus eſt in q. præced. exponendo opinionem Auic. Et hoc modo non oportet illud, quod prius naturâ conuenit alicui, priùs duratione conuenire ſibi. Poteſt enim illud, quod non habet *eſſe* aliquod ex ſe, præueniri à cauſa poſitiua dante ſibi aliquid, quod iſtud non habet ex ſe: & ita prius duratione haberet oppoſitum, quàm iſtud. Iſta reſponſio patet in aliis. Probaret enim argumentum, quòd Deus non poſſet creare materiam ſub forma: quia materia prius natura eſt priuata, quàm informata, quia ex ſe habet quòd ſit priuata: ex alio, quòd ſit informata: igitur non poſſet in materia eſſe forma,niſi duratione præceſſiſſet materia informis. Sed hoc non concludit,quia materia non eſt ex ſe poſitiuè priuata, ſed priuatiuè tantùm: quia non ex ſe habet formam,ſed ab alio,vt generante vel creante,& ipſa ſola ſine alia cauſa poſitiua ſufficit ad hoc, quòd ipſa ſit priuata: eſſet igitur ſemper priuata niſi eſſet aliqua cauſa poſitiua impediens eius priuationem continuam:& tamen quia cauſa poſitiua poteſt à principio impedire ipſius materiæ priuationem,dando ſibi *eſſe*,ne ſemper ſit priuata, ideò non oportet ex tali prioritate naturę,neceſſariò cõcludere prioritatẽ durationis.

§. Reſpondeo num.3. Oppoſita nata eidem ineſſe ordine naturæ, vt priuatio & forma non ſunt ſimul duratione, ſecus eſt de oppoſitis priuatiuè, de quo n.3.q.2.

20. Ad aliud [i] de infinitis animabus, reſpondeo, quicquid non poteſt fieri à Deo in vno die, quia includit contradictionem, hoc non poſſet fieri in infinito præterito, ſi fuiſſet propter eandem rationem. In iſta enim die ſunt infinita inſtantia,(imò in vna hora vnius diei) in quorum quolibet poſſet creare animam, ſicut in vno die totius temporis infiniti,ſi eſſet. Non enim oportet eum quieſcere à die in diem, vt creet vnam animam poſt aliam:& ita ſi in infinitis inſtantibus huius diei, non poteſt creare infinitas animas, quia hoc non eſt factibile, nec in infinitis diebus totius præteriti, poſſet infinitas animas creaſſe.

Tot animas poteſt Deus creare in hora vna; ac in tempore infinito,ſi daretur.

Et ſi dicas [k] inſtantia huius diei non fuiſſe in actu,ſicut ſunt infiniti dies præteriti; hoc non ſufficit:quia ſicut inſtantia infinita infinitorũ dierũ,in quibus creaſſet,fuiſſent in potentia per te(ſicut indiuiſibile eſt in continuo)& non in actu, quia nullũ illorum fuiſſet in actu terminus temporis:ita eſt etiam de infinitis inſtantibus huius diei:igitur æqualem infinitatem videntur habere inſtantia vnius diei,vel huius horæ,cum infinitis inſtantibus infinitorum dierum,& ita videtur ſequi propoſitum. Concederent tamen aliqui Philoſophi,non eſſe impoſsibile infinitatem eſſe in accidentaliter ordinatis,ſicut patet per Auic.6.Metaph.c de Cauſis.

De indiuiſibilibus his. Vide Scot. 6. Phyſ. q. 7. & 8.

Ad aliud [l] de tranſitu infiniti,videtur improbare ſempiternitatem ſucceſsiuorum. Sed ſecundùm tenentes iſtam opin.non eſt ſimilis ratio impoſsibilitatis in ſucceſsiuis, & in permanentibus:quia permanentia quæcunque,licèt ſecundùm motus ſuos poſſint menſurari tempore, tamen ſecundùm *eſſe* ſubſtantiale, ponuntur menſurari æuo:& ideò ponens permanens eſſe ſine principio, non videtur ponere aliquod infinitum eſſe acceptum. Iſtam rationẽ de infinito ſucceſsiuo, confirmat illa imaginatio de linea conuerſa:quia ſi aliqua linea eſſet quaſi protenſa in infinitum, incipiẽs ab

Permanentia quæuiẽ ſura menſurentur? Doctor non admittit ſucceſſiua poſſe eſſe æterna.

hoc puncto *A*, non eſſet poſſibile quòd eſſet pertranſita: igitur videtur, quòd eſſet èconuerſo, imaginando lineam quaſi ſic acceptam in præteritum, non videtur poſsibile, quod ſit accepta vſque ad *A*.

Quantum molis prius diuidendũ per finitũ, & infinitũ quam per maius, & minus.

Ad vltimum argumentum [m] dici poteſt, quòd æquale, maius, & minus, non conueniunt quantitati molis, niſi finitæ: quia priùs diuiditur *quantum* per finitum & infinitum, quàm ſibi conueniat æquale vel inæquale. De ratione enim quantitatis maioris eſt excedere, & minoris excedi; & æqualis commenſurari: quæ omnia videntur concludere finitatem: & ideò negaretur infinitum eſſe æquale infinito, quia æquale, & inæquale, & maius, & minus, ſunt differentiæ quantitatis finitæ, & non infinitæ.

Ad arg. in initio q. pro parte affirmatiua.

Ad primum argumentum [n] principale concedo, quòd materia eſt ingenita & incorruptibilis: non tamen ex hoc ſequitur, quòd ſit ſempiterna, quia non habet materiam vnde fiat. Eſt tamen producta tota, quæ productio non eſt generatio: quia generatio & corruptio ſunt compoſitorum, non ſimplicium. 21.

2. & 8. Metaph. vt inquit Philoſoph. 1. Phyſ. t. c. 54. & inde & Auerr. 12. Metap. com. 18.

Ad aliud [o] de ſempiternitate temporis, dico quod non valet, quia alias concludit mouens non poſſe ſine nouitate ſeu mutatione mutare: & reſponſum eſt ad illud in quæſt præcedenti. Et quod arguitur de *ante*: dico, quod non concludit niſi de *ante* imaginato vel priuato, ſicut æternitas eſt ante quod nihil eſt; vel ſicut extra vniuerſum nihil eſt, ibi vel negatur *extra*, vel non affirmatur niſi imaginatum *extra*.

Ad 3. Theologicè loquendo.

Ad illud *primi de Generatione* [p] quamuis iſta ſit aliquo modo probabilis. *Corruptio vnius eſt generatio alterius*, quòd pro tanto verum eſt, quia nullum agens naturale per ſe intendit corrumpere aliquid, ſed per accidens corrumpit illud, quod eſt incompoſsibile generato, quod per ſe intendit: tamen ex illo non ſequitur perpetuitas generationis, quia vltima corruptio poteſt concomitari vltimam generationem: puta quando omnia miſta reſoluentur in elementa; & tunc erit ſtatus tam generationis quàm corruptionis: licèt illa vltima corruptio non ſit annihilatio, quia eſt ad materiam. Philoſophus tamen ſupponit cum iſta propoſitione, vnam aliam propoſitionem, ſcilicet quòd tale generabile eſt iterum corruptibile, & quòd eius generatio alterius ſit corruptio: quod non eſt verum. Sed arguendo in præteritis, oportet accipere iſtam, *generatio vnius eſt corruptio alterius*; & iſta non eſt ita vera ex per ſe intentione agentis naturalis, ſicut illa præcedens. Accidit enim quòd generans corrumpat propter incompoſsibilitatem termini corrumpendi, cum termino, quem intendit quia non poteſt producere formam quam intendit, niſi in materia præexiſtente; & illa materia præexiſtens communiter eſt ſub forma incompoſsibili formæ, quam intendit, & ideò oportet ipſum corrumpere compoſitum præexiſtens, vt generet illud quod intendit. Et dato quòd ex hoc ſequeretur quòd nulla eſſet generatio, niſi quando producitur totum: non tamen oportet, quòd pars eius præexiſtat ſub forma incompoſsibili: & ideò talem productionem alicuius entis non oportet eſſe deſtructionem alicuius alterius entis: ſed tantùm deſtructionem nihili, ſiue non entis præcisè, & tunc non oportet illam primam productionem præceſsiſſe aliam, quia terminus *à quo* huius productionis, non fuit terminus *ad quem* alterius productionis: quia nihil, nulla productione producebatur.

In præterito ſumitur quãdo præmittitur generatio, quia tunc præceſſit corruptio, ècõtra quando præmittitur corruptio tunc enim futura eſt generatio.

De hoc axiomate vide Scot. 4 d. 11. q. 3. vbi de forma corporeitatis.

Ad 4.

Ad illud quartum [q] argumentum de ſucceſsione propter motum, quando dicitur, quòd agens non cauſans per motum, & non impedibilis, poteſt habere effectum ſibi coæuum: diceretur quòd vbi agens & effectus poſſunt habere eſſentiam vnigeneam, vera eſt maior illa: ſed vbi non poſſunt eſſe vnigenea, ſed prioritas naturæ in cauſa de neceſsitate requirit prioritatem durationis eius reſpectu effectus: ibi maior eſt falſa, ſic eſt in propoſito. 22.

Ad rationes in initio qu. pro parte negatiua.

Ad primum in oppoſitum dico, quòd vel illa non eſt definitio creaturæ, ſed deſcriptio quædam conceſſa ab Ario, contra quem arguit Auguſt. quia dicit Filium Dei aliquando non fuiſſe; & tunc ſufficit Auguſtino accipere iſtam definitionem vel deſcriptionem contra eum vt conceſſam: & ex negatione huius deſcriptionis à Filio Dei conceſſæ ab eo, concludere contra eum, quòd non ſit creatura. Vel ſi eſt definitio creaturæ, propriè loquendo de creatura inquantùm creatura: non tamen propter hoc eſt definitio cuiuſlibet alterius à Deo, puta Angeli, vel hominis, quia diceretur, quòd huic quod eſt *eſſe creaturam*, accidit hæc definitio: ſed ſi illa poneretur definitio incipientis & de facto, ita eſſet omne aliud à Deo tunc arguendo ſic: Omne aliud à Deo, eſt incipiens: ergo omne aliud à Deo eſt creatura, non ſequitur ſed eſt fallacia Accidentis, propter extraneitatem medij reſpectu tertij, inquantùm comparatur ad primum

Creatura tũc in ſenſu Aug. nõ eſſet res æterna.

Mediũ eſt incipiẽs eſſe tertiũ aliud à Deo, primum creatura, id eſt, res temporalis.

primumnon enim quidquid repugnat accidenti, repugnat ſubiecto, cui accidit tale accidens.

Ad aliud [f] de infinitó in multitudine & magnitudine, reſponſum eſt priùs in reſponſione de infinitate actuali animarum.

COMMENTARIVS.

1 *Scotus magis hic declinat ad opinionem D. Thomæ, quàm Henrici.*

a Respondet Doctor rationibus Henrici, ibi: *Tenentes autem primam opinionem.* Hîc Doctor magis videtur declinare ad opinionem ſancti Thomæ propter tria, quæ ponuntur hîc in litera. Vnde iſti reſpondent ad rationes Henrici, quæ probant contradictionem, dicunt, *quòd aliqua creatura, puta Angelus, potuit ſemper producta fuiſſe, quia eius eſſe eſt in auo*, & ſic conceditur, quòd ſit in inſtanti æui, & tamen non ſequitur, quòd ſit ſucceſſiuum: *quia Dei filius ſemper generatur*, &c. Ad illa de *conſeruari*, & *creari* patebit infrà *diſt.* 2. *quæſt.* 1. & multo clariùs *in quodlib. quæſt.* 12. & ibi vide expoſitiones, quas ibi feci. Ad illud additum de *eſſe* acquiſito concedunt, quia non habet *eſſe*, quod ex ſe ſit formaliter neceſſarium, vt ſuprà patuit quæſt. immediatè præcedenti, non tamen videtur neceſſarium, quòd ſit acquiſitum poſt *non eſſe*; ita quòd ly *non eſſe* duratione præcedat ipſum *eſſe*, ſufficit enim quòd ly *non eſſe* tantùm præcedat naturâ, accipiendo *prius natura* priuatiuè tantùm, vt ſuprà expoſui in quæſt. de creatione.

Ad primum argumentũ.

2 *Primo Periher. cap. vlt.*

b Secundò principaliter arguitur, per illud Ariſtotelis. *Omne quod eſt, quando eſt neceſſe eſt eſſe*, &c.

Reſpondet Doctor ad aliud Philoſophi, *&c.* & remittit ſe ad ea, quæ dixit, *in primo diſt.* 39. pro nunc tamen vltra ea quæ dixit & expoſui in primo, *vbi ſuprà*, nam hæc propoſitio, *omne quod eſt*, &c. vel eſt vna hypothetica temporalis, cuius ſubiectum ſit, *omne quod eſt*, & prædicatum ſit *eſſe cum neceſſitate*, ita quòd ly *neceſſe eſſe* dicat neceſſitatem conſequentiæ, & ſit ſenſus, *omne quod eſt, quando eſt neceſſe eſt eſſe*, ideſt de neceſſitate habet *eſſe*: ſicut dicimus, omne quod currit, quando currit de neceſſitate mouetur, & omni modo illa eſt vera. Vel quòd ly *neceſſe eſſe* dicat neceſſitatem conſequentis, vt ſit ſenſus, omne eſt, quando eſt habet entitatem ſimpliciter, & abſolutè neceſſariam, & ſic nunquam poſſet non eſſe, & hic ſenſus eſt falſus. Vel eſt vna categorica de ſenſu compoſito, cuius ſubiectum eſt hoc, *omne quod eſt, quando eſt, eſt*, ita quòd ly *neceſſe eſſe* ſit modus iſtius propoſitionis ſub tali conditione, *quando eſt*, ſicut dicimus (vt dicit Doctor in primo, diſt. 39.) animal currit, ſi homo currit eſt neceſſe, & hoc modo eſt vera, vide tamen diffusè hanc materiam, in primo vbi ſuprà. Et addit Doctor vnum, quod diffusè probatum eſt in primo vbi ſuprà, videlicet, quod *creatura in illo inſtanti, in quo, & pro quo eſt, contingenter eſt*, id eſt quòd non habet entitatem in ſe neceſſariam: nam voluntas diuina quando in inſtanti *A* producit *B*, ipſum *B* contingenter producit, ita quòd in illo inſtãti, in quo producit *B*, poteſt ipſum non producere, quia vt producit, ſemper intelligitur prior producto, vt ſuprà patuit in quæſt. de creatione, & ſic patet quomodo in illo inſtanti, in quo producitur, contingenter producitur. De hoc vide Doct. *in primo diſt.* 29. & ea quæ ibi expoſui. Et ſic patet ſolutio argumenti Henrici, quia ſi creatura haberet *eſſe* ab æterno adhuc in illo inſtanti, quo produceretur ab æterno, haberet *eſſe* contingens. Si dicatur quomodo in inſtanti *A*, in quo eſt, habet eſſe contingens, cùm dictum ſit, quòd quando eſt neceſſe eſt eſſe? dico, quòd pro tanto dicitur habere *eſſe* contingens in primo inſtanti, quia contingenter producta eſt, quia potuit non produci, licèt in illo inſtanti, in quo eſt, *eſſe* competat ſibi de neceſſitate dum eſt, non tamen de neceſſitate abſoluta, quia in illo inſtanti potuit non produci, & poſtquàm producta eſt, potuit deſtrui.

Quomodo creatura contingenter ſit.

Confirmatur. Hæc eſt vna confirmatio, quam facit Henric. quia in perpetuis non differt *eſſe* à *poſſe*, vt patet tertio Phyſic. *t.c.* 31. & 9. *Metaph. cap. penult. text. com.* 17. igitur nullum ſempiternum eſt in potentia. 3

In perpetuis non differt eſſe à poſſe quomodo intelligatur iſta propoſitio.

Dico, quòd licèt hîc in litera non reſpondeatur ad hanc auctoritatem, poteſt tamen ſic reſponderi; primò ad mentem Ariſtotelis, quia in perpetuis, puta in cœlo, quod eſt perpetuum, *eſſe* ipſius cœli non differt à *poſſe*, id eſt, quòd poſſe eſſe cœli nunquam præceſſit duratione ipſum cœlum. Secundùm aliquos *In perpetuis*, &c. exponitur ſic; quia ibi ſecundùm Philoſophos, puta in cœlo non eſt materia, quæ eſt potentia receptiua diuerſarum formarum, ideò in cœlo non differt *eſſe* à *poſſe*, quia cùm ibi non ſit materia, quæ ſemper machinatur ad malum, &c. Scotus verò *in primo diſt.* 2. & *quæſt.* 2. *quodlibetorum dicit*, quòd in Deo non differt *poſſe* ab *eſſe*, id eſt, quòd quicquid poteſt eſſe in Deo ad intrà, ibi de neceſsitate actu eſt, quia quicquid eſt in Deo, eſt ibi neceſſe eſſe, & hoc vel formaliter, vel identicè. Suſtinendo etiam, quòd cœlum ſit neceſſe eſſe, quicquid poteſt eſſe in cœlo intrinſecum, ibi actu eſt, vt patet. Si ergo Philoſophus intelligat, quòd non ſit ibi potia præcedens ipſum *eſſe* conceditur; ſi verò intelligat, quòd non ſit ibi potentia cõiuncta actui, de qua Doctor *in primo diſtinct.* 8. *quæſt. vlt.* negatur. Si tertiò intelligat, quòd non ſit ibi potentia ad ipſum *eſſe* prius natura, ſic intelligendo, quòd ineſſet, niſi præueniretur à voluntate diuina, dando ſibi *eſſe*, adhuc negatur, vt patet ſuprà *in qu. immediatè præcedenti, & in primo diſt.* 8. *q. vlt. & in ſecundo, diſtinct.* 2. *in tertio, diſt.* 3. *q.* 1. *& alibi.* Si quartò intelligat, quòd non ſit ibi in potentia ad *non eſſe* ſequens ipſum *eſſe* ab æterno, negatur, quia ex quo haberet *eſſe* contingenter ab æterno, ſemper poſſet non eſſe, & ſic patet ad illam auctoritatem.

4 *Tertium argumentum ſingularis reſponſio.*

c Tertiò principaliter arguit idem Henricus quodlib. 1. quæſt. 8. quælibet ſpecies æquè eſt in potentia, &c.

Reſpondet Doctor & dicit, quòd poſſet negari iſta propoſitio, quod *in quacũque ſpecie ſit ſimilis impoſſibilitas ad æternitatem*, quia non patet contradictio ex parte cuiuſcunque ſpeciei, & ideò nec ſimilis poſsibilitas, & ſic negaretur de aſino, & multis aliis: ſupponendo tamen,

quòd aſinus fuiſſet ab æterno, non potuiſſet generare ab æterno, puta vt generatio ſecundi aſini fuiſſet æterna, quia generatio in creaturis ſemper dicit mutationem inter terminos oppoſitos, ſcilicet inter priuationem, & formam generandam, vt dicit Doctor *in primo diſt. 2. part. 2. quæſt. 3. & diſt. 5. quæſt. 2. & 28.* & ſic priuatio formæ generandæ de neceſſitate præcedit generationem ipſam formam; quia impoſſibile eſt, quòd in eodem inſtanti temporis ſit vera priuatio alicuius formæ, & ipſa forma, vt patet à Doctore *in primo, diſtinct. 19.* & vide quæ ibi expoſui, exponendo illam propoſitionem: *Impoſſibilis eſt tranſitus de contradictorio in contradictorium ſine mutatione.* Et cùm dicit Doctor, quòd non eſt ſimilis impoſſibilitas de omni ſpecie, & per conſequens nec ſimilis poſſibilitas: fortè dicit, propter hoc, quia concederetur à Philoſopho, quòd Angelus potuit eſſe ab æterno, ita quòd *non eſſe* Angeli non præceſſiſſet duratione ipſum Angelum; & ſimiliter poſuiſſet hoc de cœlo, quia huiuſmodi permanentia ſunt formaliter neceſſaria, & omne tale eſt ſempiternum, patet per Ariſtotelem 1. *Cœli & mundi text. comment.* 188. *& 9. metaph. cap. penultim. text. comment.* 17. Non poſſet autem, & ſecundùm Ariſtotelem fuiſſe aſinus ab æterno, quia Philoſophus poſuiſſet ipſum tantùm poſſe produci per motum; & per conſequens in tempore: quia, ſecundum ipſum, omnis effectus imperfectus non poteſt immediatè produci à prima cauſa, ſed mediante motu producitur, vt patuit *in primo diſtinctione 2. part. 1. quæſtione 1. & in quarto, diſt.* 48. & ſic patet quomodo non eſt ſimilis impoſſibilitas ad æternitatem, & non apparet ſimilis contradictio ex parte cuiuſcunque ſpeciei; ideò nec ſimilis poſſibilitas, quia multa entia potuerunt fuiſſe ab æterno, vt intelligentia ſecundùm Auic. 9. *Metaph.* & multa alia entia non potuerunt fuiſſe ab æterno, vt omnia illa, quæ habent eſſe per generationem, &c.

Quomodo generatio creaturis indicat mutationem.

9. Met. c. 1.

d *Et ſi dicas*, &c.

Reſpondet Doctor, quòd *aſinus non fuiſſet factus perfectior ab æterno ad generandum*, &c. *Quaſi præteritum imaginatum præceſſiſſet*, &c. Vult dicere Doctor quòd aliud eſt loqui de tempore infinito ſecundùm imaginationem tantùm, quod tempus imaginatum nihil eſt in re, & aliud eſt loqui de tempore infinito in re; quia Doctor vt infrà patebit, licèt concedat, quòd aliquod permanens, puta aſinus, poſſit eſſe ab æterno, & ſi non produxiſſet, tunc alium aſinum, tunc quieuiſſet per tempus infinitum, verum eſt, quòd quieuiſſet per tempus imaginatum, non autem per verum tempus, quod eſt menſura motus, & quietis ſecundùm prius, & poſterius, *quarto Phyſicor.* Talis autem motus non potuit eſſe ab æterno, patet quia motus tantùm tempore menſuratur, vt ſuprà patuit *in primo diſt. 2. part. 1. quæſt. 1.* reſpondendo ad vltimum argumentum principale, exponendo illam auctoritatem Ariſtot. 8. Phyſicor. text. com. 79. *Virtus infinita ſi eſſet, moueret in non tempore*, nulla autem virtus poteſt mouere in non tempore, vide ibi.

5 *Ad quartum argumentū.*

e Quartò principaliter arguit Henricus. Et ratio ſtat in hoc, quòd ſi fuiſſet creatura habuiſſet *eſſe* acquiſitum, ergo duratione *non eſſe* ſuum præceſſit ſuum *eſſe* nouum, vel acquiſitum ab aliquo.

6 *Quartū argumentum Henrici.*

Reſpondet Doctor *Ad quartum.* Et in iſta reſponſione multa ſunt notanda. Primò, quia ſecundùm Henricum, *quodlib. 8. quæſtione 9.* potentia ad *non eſſe* de neceſſitate præcedit potentiam ad *eſſe*, puta quòd Franciſcus priùs eſt in potentia ad *non eſſe*, quàm ſit in potentia ad *eſſe*, & ſic ſequeretur, quòd *eſſe* Franciſci de neceſſitate præcederet *non eſſe* ipſius, quia ſi eſt in potentia ad *non eſſe* præcedat potentiam ad *eſſe*, ſequitur, quòd *eſſe* prius eſt *non eſſe*, quod eſt inconueniens. Secundò nota, quòd potentiæ contrariæ dicuntur illæ, quæ reſpiciunt actus contrarios, ſicut potentia ad albedinem, & potentia ad nigredinem. Tertiò nota, quòd potentiæ ſunt incompoſſibiles actibus ſuis vt potentia ad albedinem, quia eſt incompoſſibile, quòd albedo actu ſit in ſubiecto, & quòd ſubiectum ſit in potentia ad illam, & ſic de aliis. Quædam ſunt compoſſibiles actibus ſuis, vt potentia ſubiectiua; ſicut quantitas eſt in potentia ſubiectiua ad albedinem, & ipſæ ſtant ſimul, quia aduenientе albedine, quantitas non deſtruitur,

Potentia ſuę in teiplici genere.

7 *Potentia ante actum eſt potentia obiectiua.*

Quartò nota ibi, quòd *loquendo propriè de potentia, ſcilicet ante actum*, &c. Dicit Doctor in iſta litera, quòd quando ſubiectum comparatur ad contraria immediata, vt ad ſanitatem, & ægritudinem, ſic quòd alterum ſemper ineſt, tunc ſi eſt in potentia ad vnum, puta ad ſanitatem: tunc actu erit ægrum, & è contra, & hoc eſt, quod dicit, quòd non poteſt ſimul eſſe ſub potentiis huiuſmodi contrariorum, quia tunc careret vtroque actu. Et addit Doctor quòd actus vnius potentiæ non eſt ratio recipiendi aliam potentiam; exemplum, ægritudo in homine non eſt ratio receptiua potentiæ ad ſanitatem, id eſt, quòd potentia ad ſanitatem non requirit de neceſſitate ipſam ægritudinem, tanquam rationem recipiendi, quia tunc idem reſpectu eiuſdem eſſet prius, & poſterius eſſentialiter, quod eſt impoſſibile, vt patet, quia ſi ægritudo eſt ratio recipiendi potentiam ad ſanitatem, ergo eſt prior ipſa potentia, quia receptiuum, & ratio recipiendi ſemper ſunt priora eſſentialiter recepto; & cùm potentia ad ſanitatem ſit prior ipſa ſanitate, ſequitur quòd ægritudo ſub ratione propria erit prior eſſentialiter ſanitate; tunc vltrà erit idem de ſanitate, quia ſi ſanitas eſt ratio recipiendi potentiam ad ægritudinem, ſequitur quòd ipſa ſanitas ex ſua ratione formali erit eſſentialiter prior ægritudine, & ſic ſanitas reſpectu ægritudinis erit eſſentialiter prior, & poſterior ipſa ægritudine, & è contra. Et cùm dicit paulò infrà ibi, *ſed potentiam ad vnum neceſſariò concomitatur alterius actus, propter immediationem actuum ad vnum*; vult dicere, quòd ex quo iſti actus ſunt immediati, puta ſanitas, & ægritudo circa idem ſubiectum, quòd quando ſubiectum eſt in potentia ad vnum, puta ad ægritudinem, concomitatur de neceſſitate iſtam potentiam actus alterius potentiæ, quia concomitatur ſanitas in actu.

Nota.

f *Ad propoſitum dico.* Dicit Doctor quòd homo non fuit ab æterno in potentia ad *eſſe*, & in potentia ad *non eſſe*, cùm iſta repugnent, quia ſi ab æterno eſt homo, non præcedit potentiam ad ipſum *eſſe* hominis, & infrà ibi: *Sub qua tamen prius*, &c. Dicit Doctor quòd loquendo de facto, homo priùs fuit in potentia ad *eſſe*, quia potentia ad *eſſe* præceſſit duratione ipſum *eſſe*, & ſic ſub tali duratione fuit ſub *non eſſe*, & ita non ſub potentia ad illud *non eſſe*, quia tunc præfuiſſet,

8 *Opinio Doctoris.*

præfuiſſet, vt ſuprà patuit, quia quod eſt in potentia ad *non eſſe*, prius eſt; & hoc eſt quòd ſequitur, quòd ſi fuiſſet ab æterno ipſe homo, fuiſſet ſemper ſub potentia ad *non eſſe*, quia cùm ſit contingens, potuit ſemper non eſſe, vt ſuprà declaraui. Et parum poſt ibi, *& nunquam ſub potentia ad eſſe, ſed ſub actu*: hoc eſt intelligendum de potentia præcedente actum, & incompoſſibile ſibi: quia ſi homo fuit ab æterno, potentia ad *eſſe* ipſius non præceſſit, iſtæ enim potentiæ ſunt contrariæ, vel repugnantes ad inuicem, ſcilicet potentia ad *eſſe*, & potentia ad *non eſſe*, & etiam ſunt incompoſſibiles actibus ſuis, quia potentia ad *eſſe* non poteſt ſimul ſtare cum *eſſe*; potentia ad *non eſſe*, non poteſt ſimul ſtare cum *non eſſe*. Et infrà: *Si autem non loquaris*, &c. vult dicere Doctor quòd ſi Henricus ſic intelligat, puta quòd homo non poteſt eſſe in potentia ad *eſſe*, ſupple exiſtentiæ, niſi prius ſit in potentia ſubiectiua ad *non eſſe* exiſtentiæ, ita quòd ipſum *non eſſe* exiſtentiæ, fundatur prius in *eſſe* eſſentiæ, hoc falſum eſt, & improbatum ſuprà quæſtione præcedenti, quia *eſſe* eſſentiæ non præcedit *eſſe* exiſtentiæ, cùm ſint idem realiter.

9 *Eſſe eſſentiæ realiter exiſtens non differt ab ipſa exiſtentia, bene eſſe eſſentiæ quoad eſſe cognitum differt ab exiſtentia.*

Omittendo igitur de potentiis, Argumentũ Henrici, videtur ſtare in hoc ſecundùm Henricum, vult enim dicere; quòd oppoſita, quæ nata ſunt ineſſe eidem ordine naturæ, ita quòd vnum ſit prius naturâ alio, non poſſunt ſimul eſſe ſimul duratione, vt patet de priuatione, & de forma: cùm ergo *non eſſe* creaturæ ſit prius ipſo *eſſe* natura, ergo *eſſe* non poteſt ſimul ſtare in eadem duratione cum *non eſſe*, & ſic non æternum.

h Reſpondet Doctor ibi, *Hic dico*, & hæc reſponſio clara eſt, & ſuprà quæſtione præcedenti. Nam ſi *non eſſe* eſſet verè prius natura, ita quòd prius natura actu eſſet ipſum *non eſſe*, puta *non eſſe* hominis, tunc *eſſe* hominis non poſſet eſſe ſimul duratione, ſiue in eadem duratione; ſed Doctor dicit, quòd ipſum *non eſſe* dicitur prius natura ex hoc: non quòd ipſum *non eſſe* actu inſit, ſed quia infuiſſet, niſi homo in illo inſtanti, quo ineſſet *non eſſe* hominis produceretur ineſſe, & non eſt ſimile de inſtanti naturæ, in quo ponitur priuatio actu, & de inſtanti, in quo ponitur in *eſſe* ad quod terminatur talis priuatio, & de inſtanti, quo homo eſt priùs riſibilitate, quia in primo non poſſumus tranſire de priuatione ad habitum ſine mutatione, & ſic talis priuatio erit prior duratione, non ſic eſt de homine, & riſibilitate, quæ ſunt compoſſibilia in eadem duratione, & ſic patet tota iſta litera.

10 *Quintum argumentum Henrici.*

i Quintò arguitur pro opinione Henrici, quia ſi mundus potuit eſſe ab æterno, ergo infinitæ animæ intellectiuæ potuerunt eſſe ab æterno, quod videtur impoſſibile. Antecedens patet, quia cùm infiniti homines ſint poſſibiles ſucceſſiuè, ita quòd vnus poſt alium, & quilibet homo habet animam propriam, vt formam ſibi inhærentem; ſi ergo vna anima potuit eſſe ab æterno, ergo & infinitæ, cùm non ſit maior ratio de vna, quàm de alia, & infinitæ ſunt poſſibiles ſucceſſiuè. Impoſſibilitas conſequentis patet, quia ſi poſſent eſſe infinitæ animæ ab æterno, ergo poſſet eſſe infinitum in actu, quod eſt impoſſibile apud Philoſophos.

Reſpondet Doctor, quòd quicquid non poteſt fieri à Deo in vno die, quia includit contradictionem, hoc non poſſet fieri in præterito infinito, ſi fuiſſet, propter eandem rationem, ſcilicet contradictionis, &c. *Ad quintum argumentũ.*

k *Et ſi dicas inſtantia huius diei*, &c. Et nota cùm dicit de puncto in actu, & in potentia, punctus in actu eſt ille, qui eſt in linea indiuiſa, & in quolibet continuo permanenti ſunt infinita puncta in potentia: patet, quia eſt diuiſibile in infinitas partes, vt patet primo & tertio Phyſicor. & ſic quando actu diuiditur punctus terminans lineam, dicitur punctus in actu. Similiter inſtans in tempore in actu eſt illud, quod terminat tale tempus, puta inſtans, quod terminat tempus vnius diei; inſtans autem in potentia, quod eſt aptum natum terminare, & in quolibet tempore ſunt infinita inſtantia in potentia. Patet, quia quodlibet tempus eſt diuiſibile in infinitas partes, ſimiliter in motu dicimus, quòd *mutatum eſſe* in actu eſt illud, quod terminat motum, & *mutatum eſſe* in potentia, quod eſt aptum natum terminare, & in quolibet motu ſunt infinita *mutata eſſe* in potentia, vt patet ſexto Phyſic. *Quid ſit punctus in actu.* *Tertio Phyſ. contex. 1. & 31. & 68.*

l Sexto arguitur pro iſta opinione, quia contra rationem infiniti in quantitate eſt ipſum poſſe excedi, &c. 11 *6. Phyſ. contex. 38. & infrà.*

Reſpondet Doctor, & reſponſio eſt ſatis clara in litera; & benè concedit, quòd non poteſt dari tempus ab æterno, nec ſimiliter motus, quia tunc daretur infinitum in actu. Sed de permanente non eſt ſimile, quia permanens ſi eſſet ab æterno non menſuraretur tempore, ſed tantùm æuo; nam permanens dicitur tantùm menſurari tempore per accidens, quia tantùm ratione motus, vt patet infrà. Et ſi dicatur ſi Angelus eſſet ab æterno, & applicatus orbi ſuo ab æterno, & optimè diſpoſitus, nonne poſſet mouere orbem ab æterno, & ſic motus eſſet ab æterno, & per conſequens tempus eſſet ab æterno, cùm ſit paſſio motus *ex 4. Phyſ.* Dico, quòd non poſſet mouere ab æterno, cùm motus ſit ſucceſſiuus, & de ratione ſucceſſiui eſt non habere omnes partes ſimul, ſed vnam poſt aliam. *Ad ſextum argum.* *Ioannes de Baſſolis tenet poſſe dari infinitum in actu, vide in primo ſentent. diſt. 43. qu. vnica. 4. Phyſ. contex. 130.*

m Septimò, & vltimò arguitur pro iſta opinione, quia tunc pars eſſet maior toto. Hæc ratio ſtat in hoc; ſuppono quòd meridies præſentis diei ſit *A*, & præteritum ad *A* ſit infinitum, & ſimiliter futurum ad *A*, & ſic ſint æqualia; & ſimiliter ſuppono quòd meridies craſtinæ diei ſit *B*, & præteritum ad *B* ſit infinitum, & ſimiliter futurum ad *B* ſit infinitum, & ſic ſint æqualia; tunc ſic, præteritum ad *B*, eſt maius præterito *A*, patet, quia præteritum vſque ad meridiem præſentem, eſt pars præterita craſtinæ diei. Sed totum eſt maius ſua parte, ſi ergo præteritum ad *B*, eſt maius præterito ad *A*, ſequitur, quod futurum ad *B*, ſit maius præterito ad *A*, quia præteritum ad *B*, & futurum ad *B*, ſunt æqualia, tunc vltrà futurum ad *B*, eſt maius præterito ad *A*: ergo eſt maius futuro ad *A*. Patet, quia præteritum ad *A*, & futurum ad *A*, ſunt æqualia, ſed futurum ad *B*, eſt pars futuri ad *A*. patet, quia futurum ad *A*, incipit à præſenti meridie, & futurum ad *B*, incipit à meridie craſtinæ diei, & ſic futurum ad *B*, eſt pars futuri ad *A*: ergo ſequitur, quòd pars eſt maior toto, quia fu-

turum ad *B*,quod eſt pars futuri ad *A*, erit maius futuro ad *A*,quod eſt totũ reſpectu futuri ad *B*.

Ad vltimum argumentum dici poteſt, quod aquale, maius & minus non conueniunt quantitati molis, &c. & ſic patet reſponſio ad omnes rationes pro opinione Henrici.

Ad vltimum argumentũ.

n Ad primum.

Ad Argumenta principalia, &c.

Quare materia ſit ingenerabilis, & incorruptibilis.

Reſpondet Doctor quòd verum eſt materiam primam eſſe ingenitam,loquendo de generatione propriè dicta;quæ in creaturis includit mutationem, vt patet à Doct. *in primo diſt.2. part.2.q.3, diſt.5. q.2. & alibi*, quia omne quod generatur, eſt compoſitum ex materia,& forma, & ſic generatur ex materia; ſi ergo materia generaretur, eſſet compoſita ex materia, & forma,& ſic eſſet proceſſus in infinitum in materiis, vt dixi ſuprà.

Ad primum argumentũ.

Materia eſt tota producta per creationẽ.

Concedit tamen, quòd etſi non ſit genita, eſt tamen tota producta per creationem, vt ipſe dicit infrà diſtinct.12.

o Ad ſecundùm.

Ad ſecundũ argumẽtum.

Reſpondet Doctor,dicens quòd nõ valet, &c. Et quod dicit de *ante*, dicit Doctor quòd ante tempus reale non eſſet niſi tempus imaginarium, & per conſequens ly *ante* eſſet differentia temporis imaginarij, ſicut extra vniuerſum nihil eſt, ibi vel negatur extra,vel non affirmatur niſi imaginatum.

p Ad tertium.

Ad tertium argumẽtum.

Quomodo generatio vnius ſit corruptio alterius.

Reſpondet Doctor dicens primò, quòd reſpiciendo ad futurum, iſta eſt vera, & ſatis propria, *corruptio vnius eſt generatio alterius*, quia agens non intendit corrumpere per ſe, ſed tantùm per accidens, propter incompoſſibilitatem formarum, ideò enim corrumpit, vt generet, & ideò expellit,puta formam à materia aquæ, vt ibi introducat formam terræ.

Et addit quòd dabitur vltrà corruptio, poſt quam non ſequetur alia generatio, vt quando omnia miſta corrumpentur, & reſoluentur in quatuor elementa. Secundò dicit, quòd reſpiciendo ad præteritum,generatio vnius eſt corruptio alterius,& hæc non eſt ità propria,quia ex vi ſermonis videtur,quòd agens ideò corrumpit, vt generet. Et addit, quòd datur prima generatio, nulla corruptione præcedente : patet,quia prima forma,quæ producitur in materiam, ex tali forma, & ex tali materia verè generatur compoſitum, & tamen nihil corrumpitur:patet,quia non materia,cùm ſit incorruptibilis;non forma, cùm nulla præfuerit.

q Ad quartum.

13

Ad quartum argumentũ.

Reſpondet Doctor,quòd vbi agens,& effectus poſſunt habere eſſentiam vnigeneam, id eſt, vbi poſſunt habere eandem eſſentiam,maior eſt vera, ſcilicet quòd cauſa perfecta,& non impedita poteſt habere effectum ſibi coæuum ; ſed vbi non poſſunt eſſe vnigenea,ſed prioritas naturæ in cauſa de neceſſitate requirit prioritatem durationis eius,reſpectu effectus ibi maior eſt falſa.

r Nunc Doctor reſpondet ad argumenta ad oppoſitum,quibus probatur,quòd eſt impoſſibile aliquid aliud à Deo poſſe produci ſine principio; & primum argumentum ſtat in hoc;omne,quod de neceſſitate producitur de *non eſſe* ad *eſſe* de neceſſitate producitur de *non eſſe* duratione præcedente : ſed omnis creatura eſt huiuſmodi;ergo. Maior videtur nota : minor probatur auctoritate Auguſtin. dicentis,quòd creatura ex eo,&c.

Infinitas numeralis indiuiduorum nõ eſt impoſſibilis ſucceſſiuè.

Secundò probatur idem, per argumentum ducens ad impoſſibile, quia ſi potuit producere vnum ſine principio durationis, ita & aliud, cùm non ſit maior ratio de vno, quàm de alio; ergo potuiſſent eſſe producta actu infinita in multitudine, quia infinitas numeralis indiuiduorum non eſt impoſſibilis ſucceſſiuè : potuiſſet etiam aggregaſſe omnes lapides, qui poſtea fuiſſent, & ita infinitum mole feciſſe. Sed tam infinitas numeralis in actu, quàm in mole actu eſt impoſſibilis, vt patet 3. *Phyſicor. text.comm. 61.& 37.*

14

Reſpondetur ad primum, & dicit Doctor primò,quòd hæc eſt deſcriptio Arij,nam Arius dixit Filium Dei eſſe creaturam ; & Auguſtinus contrarium probando, quòd filius Dei non ſit creatura, aſſumit hanc definitionem contra Arium, quaſi dicat : tu dicis, quòd creatuta eſt ex eo, quòd omnipotentis Dei,&c. Contrà, Filius Dei non producitur voluntate omnipotentis Dei, ſed intellectu,vt tu concedis:ergo Filius Dei non eſt creatura. Secundò dicit,quòd ſupponendo, quòd hæc ſit definitio creaturæ, loquendo propriè de creatura vt creatura, dicit quòd creatura vt creatura, de neceſſitate habet *eſſe* poſt *non eſſe*,vt puta Angelus, vt creatura neceſſariò habet *eſſe* poſt *non eſſe* & repugnat ſibi eſſe ab æterno, vt creatura:tamen Angelo, vt Angelo,non repugnat ſibi fuiſſe ab æterno,& ſi fuiſſet ab æterno, non diceretur creatus, ſed magis productus. Et quòd dicit de fallacia Accidentis, vt clariùs cognoſcatur fiat ſic argumentum : omne quod incipit eſſe eſt creatura : ſed omne aliud à Deo de neceſſitate incipit eſſe:patet,quia de facto incipit eſſe, ergo omne aliud à Deo eſt creatura. Dico quòd eſt fallacia Accidentis ; nam *incipere eſſe* accidit minori extremitati, quia non repugnat omni alij à Deo vel ſaltem alicui eſſe ab æterno, & hoc eſt quod dicit. *Sed eſt fallacia accidentis propter extraneitatem medij*, quod eſt *incipiens eſſe* reſpectu tertij, quod eſt minor extremitas, inquantum comparatur ad primum,ſcilicet ad maiorem extremitatem, non enim quicquid repugnat accidenti, repugnat ſubiecto, cui accidit tale accidens,ſicut in iſta, *Animal eſt genus, homo eſt animal,ergo homo eſt genus*,non enim quod repugnat animali, quod accidit homini, inquantum animal comparatur ad genus, repugnat ipſi homini, nam animali, vt comparatur ad genus repugnat abſolutè quòd prædicetur de alio perſonaliter. Patet,quia *animal*, vt eſt genus, tantùm ſupponit ſimpliciter, & tamen ſupponere perſonaliter non repugnat homini, quia *homo* poteſt ſupponere pro inferioribus; ſic in propoſito, non enim quod repugnat accidenti, id eſt, huic quod eſt *incipere eſſe*, quod accidit alij à Deo,repugnat alij à Deo,nam æternitas repugnat huic, quod eſt *incipere eſſe*, vt ly *incipere eſſe* comparatur ad creaturam, & tamen non repugnat Angelo, & hoc eſt, quod dicit Doctor.

Definitio creaturæ.

ſ Ad ſecundum de infinito in multitudine, & magnitudine,patuit reſponſio ſuprà in reſponſione de infinitate actuali animarum ; quia eſt repugnantia ex parte creaturæ, quòd ſint infinitæ actu. Pariformiter dicendum eſt de infinitate tam numerali, & ſimiliter de infinitate molis,

ſicut

ſicut ibi expoſui. Nam ibi dictum eſt,quòd quicquid non poteſt fieri à Deo in vno die, quia includit contradictionem, hoc non poſſet fieri in infinito præterito, ſi fuiſſet propter eandem rationem. Patet; quia in iſta die ſunt infinita inſtantia, in quorum quolibet poſſet cauſare vnam animam;imò in vno poſſet creare mille ſi vellet; ſi ergo in infinitis inſtantibus vnius diei non poteſt creare infinitas animas, ita nec in infinito tempore; ſic ſimiliter non poſſet creare infinitos lapides in numero;non enim oportet eum quieſcere à die in diem, vt creet vnam animam poſt aliam, ita non oportet eum quieſcere à die in diem, vt creet vnum lapidem poſt alium. Sic ſimiliter ſi in vno die non poteſt creare magnitudinem infinitam addendo partem poſt partem in infinitum, cùm in vna die ſint infinita inſtantia, in quorum quolibet poteſt partem addere, ſic nec in infinito tempore. De iſta tamen quæſtione, non multùm curandum eſt,cùm ſit problematica, & vtraque pars ſuſtentabilis. Et ſic finis præſentis quæſtionis. *Iſta quæſtio eſt problematica.*

QVÆSTIO IV.

Vtrùm [a] *creatio Angeli ſit idem Angelo.*

Alenſis 2. *p. q.6. m.2. & 3.*D.Thom. 1.*p.q.45.art.3.* Henric. *quodl.9. qu.3.* D. Bonau, *hic art.3. q.2.* Ric.*art.* 1. *q.* 4. Marſ. 1. *q.32.art.2.* Soncinas 5.*Met. quæſt.*28. Vaſquez 1.*p.d.*173.*cap.*3. Durand. 1.*d.*30.*quæſt.*2. Suar.2. *Met. d.*47.*ſect.*2. Occham 1.*d.*3. Vide Scot. 9. *Met. quæſt.*3. 4. *&* 11, *in Theorem.*§.creans non eſt niſi. Mayron. 2.*d.*1.*quæſt.*4. Bacon.2.*diſt.*1.*quæſt.*3.Argentin.2. *d.*20. *q.*1. Biel.2.*d.*1. *quæſt.*1.

1. [b] ARGVITVR primò quòd non, quia ſecundùm Auic. 5. Meta. *equinitas eſt tantum equinitas,nec vna,nec plures:* igitur pari ratione, Angelus tantùm eſt Angelus, & non eſt idem ſibi realiter aliquis reſpectus. *Mag. D. Argum.* 1. *C.* 1. *&* 2. *D. Thom. p.* 1. *q.* 45. *art.*3. *Arg.*2.

Prætereà, Creatio [c] Angeli non eſt niſi in primo inſtanti naturæ,quando Angelus accipit *eſſe*: ſed Angelus manet poſt primum inſtans, & nihil manet ſine eo quod eſt idem ſibi realiter igitur, &c.

Item, ſi ita eſſet [d] Deus non poſſet Angelum annihilatum eundem numero reparare: conſequens eſt falſum: igitur & antecedens. Probatio conſequentiæ, quia non poteſt eandem creationem reparare, vt videtur, quia nec eundem motum numero ſecundùm aliquos:quia interruptio prohiberet illum eſſe eundem numero. *Argum.* 3.

Prætereà, Ignis [e] genitus eſt cauſaliter ab alio igne generante,& per conſequens habet naturam ab ipſo: & tamen creatio non eſt in igne genito,cauſaliter ab igne generante: igitur, &c. Minor probatur, quia tunc ignis genitus haberet ab igne generante,quòd eſſet creatura:quia à quocunque agente eſt creatio in igne,ab illo ignis creatur. Conſequens videtur eſſe falſum:quia ipſum eſſe creaturam,tantùm dicit reſpectum ad creatorem. *Argum.* 4.

2. Item,mutatio [f] differt à termino *ad quem*:creatio eſt mutatio:igitur,&c. Probatur maior tum,quia mutatio præcedit terminum:tum, quia mutatio eſt in genere Paſſionis, quia & motus, ſecundùm Comment. 5. *Phyſic.* terminus autem intrinſecus eſt eiuſdem generis cum terminato, ſicut punctus circuli:forma autem ad quam eſt mutatio,vel motus non eſt de genere paſſionis,*ex* 5. *Phyſicor.* Probatio minoris,tum,quia noua relatio non aduenit alicui ſine mutatione alterius extremi: ſed per creationem eſt noua relatio creaturæ ad Deum: quia aliquid nouum dicitur de creatore, & non niſi propter nouam relationem in eo, ad quod dicitur. *Argum.* 5. *Argum. Comm.* 9. 10. *&* 18. *Ibidem*

Confirmatur per Auguſtinum 5. de Trinit. cap. vltim. *Ea,quæ ſunt relatiua ad Deum, cum mutatione eius,de quo dicuntur,exiſtunt,* tum quia in omni genere eſt aliquid vnum, quod eſt menſura omnium aliorum, quæ ſunt in illo genere, *ex* 10. *Metaph.* primum autem in genere mutationum non videtur poſſe poni generatio, quia non eſt ratio mutabilitatis in omnibus mutabilibus:quia non omnia mutabilia ſunt genita. Similiter non eſt maxima oppoſitio inter terminos generationis, qui ſunt priuatio, & forma: ſed maior oppoſitio eſt inter terminos creationis, qui ſunt contradictorij, vt ens & nihil: igitur creatio eſt prima mutatio. *Text.*2.

Oppoſitum, quia ſi eſt alia:aut ergo creator, quod non conuenit, quia creatio eſt noua; aut medium inter creatorem,& creaturam, quod non conuenit, quia non eſt *Ratio ad oppoſ.*

medium;

medium aut poſterius re creata, quod non conuenit, quia eſt quaſi via ad *eſſe* creaturæ: igitur, &c.

SCHOLIVM.

Occaſione huius quæſt. quærit in genere, Vtrùm relatio creaturæ ad Deum, ſit eadem fundamento, & pro parte negatiua affert duas rationes, & pro affirmatiua vnam.

Lib. 1. d. 30. De identitate relationis ad ſuum fundamẽtum. Text. c. 25. & 27. T. com. 14. T. com. 13. Quære 5. Phyſ. & 1. Poſterior. t. com. 31.

ET quia hæc quæſtio dependet à quadam alia, ſcilicet de identitate relationis ad ſuum fundamentum, & hîc ſpecialiter loquendo de relatione, quæ eſt creaturæ ad Deum: ideò quæro, *Vtrùm relatio creaturæ ad Deum ſit eadem fundamento?* Quòd non ſi omnia alia à Deo habent relationem ad ipſum: igitur omnia alia eſſent ad aliquid, non tantum accidentaliter, ſed etiam per identitatem: conſequens videtur impoſſibile, quia illud infert Philoſophus 4. *Metaph.* ex dictis dicentium, omnia apparentia eſſe vera. 3.

Prætereà, Prædicamenta ſunt primò diuerſa *ex* 5. *&* 10. *Metaph.* & ſimpliciter diuerſa entia: quia ens ſecundùm ſe diuiditur in illa: ergo nihil vnius Prædicamenti eſt idem ens alicui alterius prædicamenti: ergo nulla relatio eſt eadem alicui abſoluto.

Oppoſitum, non minùs dependet quodlibet creatum ad Deum, quàm quodcunque cauſatum ad aliud cauſatum, quia dependentia ad primum videtur eſſe eſſentialiſſima: ſed totum habet relationem ad partes eandem ſibi, quia non poteſt eſſe totum, & non eſſe ex partibus: ergo pari ratione ad cauſam primam, licèt extrinſecam, habebit dependentiam eandem ſibi: licèt enim cauſa extrinſeca non componat rem ſicut facit cauſa intrinſeca, perfectiùs tamen cauſat rem, quàm cauſat intrinſeca: componere enim includit imperfectionem, ſcilicet potentialitatem.

COMMENTARIVS.

1 HIc Doctor ponit duas quæſtiones ſimul, quarum prima eſt, *Vtrùm creatio Angeli ſit idem Angelo*, id eſt, an creatio paſſiua, quæ eſt relatio fundata in Angelo ſit ſimpliciter idem ipſi Angelo. Secunda quæſtio eſt, *Vtrùm relatio creaturæ ad Deum ſit eadem fundamento*, qui titulus quæſtionis intelligendus eſt de reali identitate.

b Arguit primò quòd creatio paſſiua, ſiue relatio creaturæ ad Deum, quod idem eſt, non ſit idem realiter ipſi creaturæ, ſiue ipſi Angelo authoritate Auicennæ. *Equinitas eſt*, &c. Ergo pari ratione Angelus eſt tantùm, & vt ſic non includit aliquem reſpectum.

c Secundò ſic: Illa relatio diſtinguitur realiter à fundamento, quæ deſtruitur, fundamento manente: ſed Angelus poteſt manere, creatione paſſiua non manente, quia illa creatio eſt tantùm in primo inſtanti, in quo accepit *eſſe* & tamen Angelus manet etiam in ſecundo inſtanti.

d Tertiò, per Argumentum ducens ad impoſſibile, quia ſi talis creatio eſſet idem realiter Angelo, ſequeretur quòd Deus non poſſet Angelum annihilatum eundem reparare, quod eſt falſum. Et quod ſequatur patet, quia non poteſt eundem reparare, quia nec eundem motum numero, ſecundùm aliquos, quia interruptio prohibet illum eſſe eundem numero.

e Quarta ratio ſtat in hoc, ſupponendo vnũ qnòd quodlibet ens aliud à Deo dicitur creatum, loquẽdo de creatura propriè, & ſpecialiter, quia vt ſic nulla ſecunda cauſa concurrit ad eam, vt ſuprà poſuit in quæſt. 2. Hoc præſuppoſito, arguitur ſic: Ignis generatur ab igne, & per te, ignis etiam dicitur creatus, & creatio paſſiua eſt idem realiter, quod ignis genitus: ergo creatio paſſiua erit ab igne generante, & ſic ignis genitus erit creatus ab igne generante, quod eſt falſum; quia creatura tantùm dicit reſpectum ad Deum creantem.

f Quintò, & vltimò arguit Doctor, probando quòd creatio ſit alia res à creatura; & arguit ſic: Omnis mutatio differt à termino, ad quem eſt; creatio eſt mutatio: ergo differt à creatura, ad quam terminatur. Probatur maior, tum quia mutatio precedit terminum, quia eſt via in terminum, ſicut etiam dicimus, quòd generatio dicitur natalis, quia eſt via in formam, de qua prædicatur natura, vt patet 2. Phyſic. text. com. 14. Tum etiam quia mutatio eſt in genere Paſſionis, quia & motus, ſecundum Commentatorem, 5. Phyſic. Vnde in comment. 9. ſic dicit: *Dixerunt quidam quòd motus præcisè eſt in Prædicamento Paſſionis, & quod Ariſtoteles attribuit illum iſtis Prædicamentis, videlicet Prædicamento Quantitatis, Qualitatis, & Vbi.* Et infrà circa finem comm. dicit ſic Commentator: *Motus igitur habet duplicem conſiderationem quoniam ſecundùm ſuam naturam, eſt in genere eius, ad quod eſt motus, ſecundùm autem formam, id eſt ſecundùm quòd tranſmutatio coniuncta cum tempore eſt in Prædicamento Paſſionis.* Hæc ille. Hæc idem in com. 10. & 18.

Si ergo mutatio eſt in genere paſſionis, quia & motus, ſequitur quòd forma, ad quam eſt mutatio, vel motus, non eſt de genere Paſſionis; vt patet ex 5. Phyſic. Ergo ſicut motus differt à termino, ad quem eſt, ita & mutatio quælibet differt à termino, ad quem eſt, & ſic patet maioris probatio. Minor probatur videlicet quod creatio ſit mutatio, quia noua relatio non aduenit alicui ſine mutatione alterius extremi; ſicut etiam patet ex Ariſtotele, qui ponit, quod non eſt poſſibile aliquid aliter

ſe

ſe habere ad alterum, niſi aliter ſe habeat ad ſe, vt ſuprà expoſui; modò per creationem eſt noua relatio creaturæ ad Deum; quia aliquid nouum dicitur de creatore, & non niſi propter nouam relationem in eo primò, ad quod dicitur, vt ſuprà patuit in diſt. 30. ergo ipſa creatio differt à creatura.

SCHOLIVM.

Sententia Henrici, & aliorum relationem in vniuerſum non diſtingui realiter à fundamento, ſuadetur quinque rationibus.

4. HIc dicitur, [a] quod omnis relatio eſt eadem fundamento. Pro iſta opin arguitur multipliciter, primò, quia relatio transfertur ad Deum, ſecundùm propriam rationem relationis: & ideò in diuinis dicuntur manere duo Prædicamenta propriè, ſcilicet Subſtantia, & Relatio: ſed ſi de ratione relationis eſſet, quòd eſſet alia res à fundamento: igitur in Deo eſt res, & res, & ita compoſitio, quod eſt contra ſimplicitatem diuinam. Et ex hoc medio arguitur generaliter, ſcilicet ex ſimplicitate diuina: non enim eſt compoſitius album ſimile, quàm album tantùm, & per conſequens relatio ſimilitudinis non addit aliam rem à fundamento. *Opinio Henrici quodlib. 9. quæſt. 3. & quodlib. 5. q. 6. & 7. & quodlib. 7. q. 1.*

Secundò hoc idem arguitur per viam mutationis, quia ſi eſſet alia res à fundamento, igitur cuicunque fundamento ipſa adueniret de nouo, ipſum mutaretur realiter. Hoc videntur negare multæ auctoritates, Philoſ. 5. Phyſicor. vbi negat in *ad aliquid* eſſe motum vel mutationem: Boëtij *tertio de Trinit.* Anſelm. etiam *Monol.* 3. quære eum ibi. *Ratio 2. Henric. T. com. 10.*

Tertiò arguitur ex hoc, ſi relatio eſſet alia res à fundamento: ergo ſimilitudo haberet ſuum proprium ineſſe aliud ab ineſſe albedinis, quod videtur inconueniens prima facie: quia tunc relatio fundata ſuper ſubſtantiam, ſi qua eſſet, eſſet accidentalis propter ſuam propriam accidentalitatem, quod videtur eſſe contra Simplicium ſuper Prædicamenta, vbi dicit, quod Philoſ. priùs tractat de Quantitate, & Qualitate, quàm de Relatione, quia relatio fundatur in iſtis immediatè, & hoc loquendo de relatione accidentali: igitur relatio fundata ſuper ſubſtantiam, non habet ex ſe propriam accidentalitatem, *Ratio 3. Henric.*

Probatur etiam idem illatum prius, eſſe inconueniens: quia tunc genus relationis non eſſet ſimplex, ſed quaſi compoſitum, ex *in* & *ad*; quod videtur inconueniens: quia primus conceptus cuiuſlibet generis primi, debet eſſe ſimplex omnino, vt videtur: ergo, &c.

Quartò, ſi eſſet ita quod eſſet alia res à fundamento, eſſet tunc proceſſus in infinitum in relationibus: nam ſi iſta relatio ſit alia res à fundamento, pari ratione & illa alietas, quæ eſt quædam relatio, eſt alia res à fundamento; & ſic erit proceſſus in infinitum in relationibus, & hoc eſt inconueniens. *Ratio 4.*

Quintò, relatio non habet diſtinctionem in ſpecies ſuas, niſi penes fundamenta, non enim differt dominium à paternitate penes hoc, quod eſt *eſſe ad*, ſed penes fundamentum: nec relationes illæ diſquiparantiæ diſtinguuntur, vel ſunt eædem cum relationibus æquiparantiæ, niſi propter vnitatem, & difformitatem in fundamentis: ſed ſed ſi relatio eſſet alia res à fundamento haberet ex ſe formaliter diſtinctionem in ſuas ſpecies: igitur, &c. *Ratio 5. Henric.*

SCHOLIVM.

Sententiam non diſtinguentem relationem realiter à fundamento, impugnat Doctor ſex rationibus continentibus pulchram doctrinam Philoſophicam, & ſex authoritatibus, tribus ſcilicet ex patribus, & aliis tribus ex philoſophis, deſumptis.

5. COntra iſtam [b] opinionem arguo ſic, primò, nihil eſt idem realiter *A*, ſine quo *A* poteſt eſſe realiter ſine contradictione: ſed multæ ſunt relationes, ſine quibus fundamenta poſſunt eſſe ſine contradictione: ergo multæ ſunt relationes, quæ non ſunt realiter eædem cum fundamento. probatio maioris, quia quod idem ens realiter ſit realiter, & non ſit realiter, videtur eſſe oppoſitum primi principij: ex quo principio, videtur ſtatim concludi diuerſitas entium, quia ſi de aliquibus duobus dicantur contradictoria, eodem modo, quo dicuntur de eis, videntur eſſe non idem: & ita ſi contradictoria, ſcilicet eſſe & non eſſe, dicantur de eis, videntur eſſe non idem in *eſſe*, ſiue non idem ens. *4. Metaph. text. 3. contra Henric. contradictoria dici de eodem eſt oppoſitum primi principij.*

Confirmatur,

Confirmatur, [c] iſtudquia ſi illa maior negetur, non videtur relinqui vnde poſſit diſtinctio entium probari: diceretur enim à proteruo, non tantùm, quòd in vno ſuppoſito plures naturæ, vt ſubſtantia & accidentia, ſint eadem: ſed quòd Socrates, & Plato, vel Socrates, & lapis, vel album non differunt realiter.

Et ſi arguatur contra eũm, quòd Socrates poteſt eſſe Socrates, non exiſtente lapide: & per hoc concludatur diſtinctio vnius ab alio: vel Socrates poteſt eſſe Socrates, & non eſſe albus: & per hoc concludatur diſtinctio ſubiecti & accidentis, & negabitur conſequentia: quia proteruus negabit tibi propoſitionem cui inniteris, & cui innituntur iſtæ conſequentiæ, quam propoſitionem etiam tu negas.

Hanc [d] etiam propoſitionem: Illa ſunt diſtincta realiter, quorum vnum poteſt manere ſine altero, negaret proteruus. Negatâ verò iſtâ, petit tota doctrina Phil. 7. Topicorum, qua docet, quòd propoſitio, vel problema, faciliter deſtruitur per contradictionem inuentam, ſed difficulter conſtruitur: ſi autem negetur propoſitio iſta, non videtur poſſe deſtrui: quia ſi non deſtruitur per contradictionem, nec per aliquam aliam oppoſitionem, aut ſaltem non faciliter: & facillimè videtur poſſe ſuſtineri, quia nullus locus ſecundùm eum, vel ab eo aſsignatus, videtur efficax ad deſtruendum aliquid, ſi iſte locus deſtruatur.

6. 8. & 9.

In iſta [e] etiam via Philoſophi, fundatur illa via de motu, ſiue mutatione, ad probandum diſtinctionem, quâ vtitur Philoſophus ad probandum materiam eſſe aliam rem à forma, quia manet eadem ſub oppoſitis formis: qua etiam vtitur Philoſoph. 4. *Phyſic.* ad probandum locum eſſe aliud à locato, quia idem locus manet cum diuerſis locatis.

7. Topic. vide 1. 2. 5. & 7. Phyſ. te. 6. & 1. de Gen. 5. 7. & 12. Met. Text. 3. Æquiparãtia extrema eiuſdem rationis, diſquiparantiæ è contra.

Minor [f] etiam apparet in omnibus relationibus, quarum fundamenta poſſunt eſſe ſine terminis, ſicut eſt in omnibus relationibus æquiparantiæ, ſicut ſunt *ſimile, æquale,* & huiuſmodi: ſi enim hoc album ſit, & aliud album non ſit, hoc album eſt ſine ſimilitudine: & ſi aliud album fiat, in hoc albo eſt ſimilitudo. Poteſt igitur eſſe ſine iſta, & cum iſta. Similiter eſt in multis relationibus diſquiparantiæ: ſi enim iſte ſit homo, & nullus alius ſubſit poteſtati ſuæ, eſt ſine dominatione: & poteſt eſſe dominus ſeruorum acceſsione, ſicut dicit Boëtius & ita eſt de multis aliis, de quibus omnibus non oportet exempla adducere.

Infert 4. abſurda ex indiſtinctione relationis à fũdamento.

Confirmatur etiam iſta ratio, quantùm ad ſe totam, quia iſtæ confirmationes tactæ, valent pro maiori. Si enim relatio nihil aliud ſit realiter à fundamento, quod tamen manet ſine ea; videtur negari incarnatio: & ſeparatio accidentium à ſubiecto in Euchariſtia: videtur etiam negari omnis compoſitio in entibus, & omnis cauſalitas cauſarum ſecundarum. 6.

Si vnionis relatio eſt idem natura, ſine incarnatione homo eſſet Deus.

Probatio, [g] primi inconuenientis, ſi idem realiter naturæ humanæ ſit vnio eius ad Verbum: igitur ſi Verbum nunquam aſſumpſiſſet naturam illam, & feciſſet illam abſolutam eandem, ipſa æquè realiter fuiſſet vnita Verbo, ſicut modò eſt vnita Verbo: quia tota realitas fuiſſet tunc, quæ modò. Si etiam deponeret illam naturam, manente tamen ipſa eadem in ſe, maneret natura illa realiter vnita Verbo; & ita realiter ſicut nunc eſt vnita, quia ſaluaretur tota realitas naturæ tunc, ſicut modò.

Si inhærentia eſt ipſum accidens ſpecies euchariſtiæ informarẽt ſubſtantiam, ſicut vnita faciebant.

Secundum etiam de Euchariſtia probatur, quia ſi manet eadem quantitas, quæ priùs erat panis, & nihil aliud eſt inhærentia eius pani, quàm realiter ipſamet quantitas: igitur illa vnitur realiter pani, vel eum informat nunc ſicut priùs.

Tertium probatur, quia ſi *A*, & *B*. componant *A B*. & iſtarum partium vnio ad inuicem nihil aliud ſit realiter niſi iſta abſoluta. *A* & *B*: ergo ſeparatis realiter *A*, & *B*. manet tota realitas illa, quæ eſt ipſorum *A*, & *B*. vnitorum, & tunc *A*, & *B*. ſeparata manent realiter vnita: & ita manet compoſitum ſeparatis partibus componentibus: & ita compoſitum non erit compoſitum, quia quod manet compoſitum ſeparatis partibus componentibus non eſt compoſitum ex eis: nihil enim eſſet tunc niſi vnum aggregatione, ſicut Philoſophus videtur deducere 7. Metaphyſicæ. 7.

Text. 60. Vide 8. Metaph. t. 6. & ad finem idem

Probatur etiam quartum, quia quidquid cauſatur à diuerſis cauſis ſecundis, præexigit in eis debitam proportionem & approximationem ad hoc, quòd cauſetur ab eis: ſed ſi iſta approximatio & proportio nihil ſint, niſi ipſamet abſoluta: igitur iſta ſunt realiter ita cauſatiua huius effectus, quando non ſunt approximata, ſicut quando ſunt approximata: & ita ipſa approximata, nihil poſſunt cauſare realiter, quod non poſſunt cauſare etiam non approximata: nulla enim realitate alia poſita non poteſt aliqua res cauſari, quæ priùs non potuit cauſari: & ita potuit fuiſſe argutum in tertio inconuenienti

uenienti de partibus componentibus, quia ſi *A.* & *B.* ſeparata non componant *A B*, igitur nec ipſa vnita: quia eadem res ſicut abſque omni realitate alia, non poteſt aliquid cauſare modò, quod priùs non potuit: ita nec eædem res abſque omni realitate poſſunt aliquid componere, quod priùs non potuerunt componere: igitur, &c.

8. Præterea[h], ſecundò principaliter arguo ſic contra prædictam opinionem: Nihil finitum continet ſecundùm perfectam continentiam formalem, & virtualem, oppoſita formaliter: quia quantumcunque concedatur in Deo perfectiſſima continentia omnium perfectionum, ſecundùm identitatem eorum, quæ ſunt in eo, non tamen poteſt continere oppoſita formaliter abſoluta in ſe, licèt in ſe poſſit habere talia oppoſita virtualiter, & relatiua formaliter: ſed ex hoc concluditur infinitas fundamenti: ſed æqualitas & inæqualitas ſunt oppoſita formaliter. & ſimilitudo & diſſimilitudo ſimiliter, ſaltẽ ad idẽ correlatiuũ iſta autẽ perfectè poſſunt fundari in eodem fundamento ſucceſſiuè: igitur idem fundamentum, neutrũ iſtorũ continet virtualiter, & ſecundùm perfectam identitatem; quia qua ratione non ambo, eadem ratione nec alterum.

Ratio 2. Sco. contra Henr. Nihil limitatum continet identice oppoſita formaliter.

Ratio 3.

Præterea tertiò arguitur: Idem non continet plura eiuſdem rationis ſecundùm perfectam identitatem eadem ſibi: ſed plures relationes eiuſdem rationis ſunt in eodem fundamento: ſicut plures ſimilitudines fundantur in eadem albedine. Maior apparet inductiuè in omnibus, quæ continent plura per identitatem, quia vnum continens continet vnum tantùm eiuſdem rationi.

Item[i] quartò ſic: Continens aliquid per identitatem, ſi eſt perfectius, concludit etiam contentum in eo *eſſe* perfectius per identitatem: ſicut anima perfectior habet perfectiorem intellectum, & ſecundùm ponentes eandem eſſe formam intellectiuam & ſenſitiuam corporeitatis & ſubſtantiæ, intellectiua perfectiorem ſenſitiuam includit quàm ſit ſenſitiua in brutis: non autem ſemper fundamentum perfectius continet in ſe perfectiorem relationem: quia non omne albius eſt ſimilius, vt manifeſtum eſt ad ſenſum: igitur, &c.

Ratio 4. Si relatio eſt idem fundamẽto albedo vt duo erit perfectior albedine vt 8. quia eſt ſimilior alteri albedini vt duo.

9. Præterea,[k] quintò: Contẽta in aliquibus per identitatẽ, nõ minùs differũt incontinẽtibus magis diſtinctis: ſed relationes fundatæ in duobus generibus minùs differunt, quàm duæ relationes fundatæ in re eiuſdem generis: imò in eadẽ ſpecie ſpecialiſſima: quia æqualitas, quæ fundatur ſuper quantitatem, & ſimilitudo fundata ſuper qualitatem, minùs differunt (quia vnius modi) quàm ſimilitudo & relatio potentiæ actiuæ, quæ poſſunt fundari ſuper eundem calorem, quia alterius modi: igitur, &c.

Ratio 5

Sexto,[l] relatio rationis eſt alia res rationis à ſuo fundamento, ergo relatio realis erit alia res realis à ſuo fundamento. Conſequentia probatur, quia ſicut relatio rationis eſt modus obiecti in primo actu intellectus, & tamen non eſt in ſe nihil in genere intelligibilium, ſed eſt in ſe aliquid verè intelligibile, licèt non ita primum, vel æquè primum, ſicut illud cuius eſt modus: & ita non intelligitur niſi in actu reflexo: & ideò non ita perfectè ſicut illud, cuius eſt modus: ita etiam relatio realis, licèt ſit modus ſui fundamenti, & non æquè primò cum eo, nec æquè perfectum cum eo: tamen in ſe eſt res aliqua, quia quod in ſe nihil eſt, nullius eſt modus realis, non enim eſt aliquod nomen generalius, quàm *ens* vel *res*, ſecundùm Auicennam 1. *Metaph. cap.* 5. & ideò cui non conuenit eſſe ens, vel res, ei non conuenit aliquod eſſe reale.

De his modis 5. Met. text. com. 20.

Ratio 6.

10. Præterea,[m] probatur cõcluſio iſta, ad quã adductæ ſunt rationes, per auctoritates, & primò per Aug. 5 de Trin. c. 5. *In rebus creatis quod nõ ſecundũ ſubſtantiam dicitur, reſtat vt ſecundũ accidẽs dicatur*, vbi expreſsè vult, quòd relatio ſit accidẽs in creatura: & licèt ſit dubium, ſi hoc habeat intelligi de relatione, quæ eſt creaturæ Deum: tamen verum eſt de illa relatione, quæ amitti poteſt manente fudamento, & ſecudùm veritatem ſecundùm ſuam intentionem.

Probatio eiuſdem per auctoritates, pp. & phil.

Item per Ambroſ 1. de Trin. c. 5. *Si priùs erat Deus, & poſtea pater generationis acceſſione mutatus eſt, auertat Deus hanc dementiam à fidelium mentibus*: ergo per ſolam acceſſionem relationis realis fieret mutatio in perſona diuina ſecundùm ipſum, quod non eſſet, niſi eſſet illa relatio aliqua res alia fundamento: quia fundamentum præexiſtit

Eſt li. 1. de fide ad Gratianũ. Vide Aug. 5. Trin. 6. Circa medium.

Item Hilar 12 de Trin dicit. *Naſci quod erat eam non tantum naſci eſt, ſed ſeipſum demõſtrare naſcẽdo eſt*, & loquitur de natiuitate filij Dei: igitur relationẽ nouã dicit naſci.

Item Philoſophus, in Prædicamentis. *Ad aliquid ſunt quæcunque hoc ipſum, quod ſunt ad aliud sũt*: & per hanc rationem excludũtur ſubſtãtiæ, quæ licèt ſint aliorũ, non tamẽ ſunt ad aliquid: igitur accipitur hoc ipſum, quod ſunt, non pro eſſe in intellectu; ſed pro eſſe in re, ſcilicet quod relationes in re hoc ipſum, quod ſunt, aliorum ſunt, fundamentum autem non eſt ad aliud hoc ipſum, quod eſt: igitur eſt aliud *eſſe* huius, & aliud *eſſe* illius: ergo, &c.

Item Simpliciusibidem ſuper Prædicamenta ex intentione declarat relationem ad aliud eſſe.

Text.19. Item Philoſophus 12.Metaph.c.2.vult,quòd ſicut principiata ſunt alia, ita & principia:& exemplificat ſpecialiter de diſtinctione relationis ad alia,& principiorum relationis ad principia aliorum.

Item [n] Auicen.3.Metaph.c.de Relatione,videtur velle ex intentione,quòd relatio habeat certitudinem propriam: & in principio capitis, vult quòd ſecundùm ſuam certitudinem,habeat proprium *ineſſe* & propriam accidentalitatem.

COMMENTARIVS.

PRimò reſpondendo ad ſecundam quæſtionem adducit opinionem Henrici.

Opinio Henrici. Dicitur ab Henrico, *quolib. 9. quæſtio 3.& quolib.5.q.6. & 7. & quolib.7. q.1.* quòd omnis relatio eſt eadem fundamento. In iſta quæſtione hunc ordinem ſeruabo: Primò exponam argumenta facta à Doctore contra opinionem Henrici.Et ſecundò reſpondebo ad argumenta pro opinione Henrici. Primum eſt ibi, *Contra iſtam opinionem arguo.* Secundum eſt ibi, *ad primum alterius opinionis.*

Quantùm ad primum arguit primò Doctor probando, quòd aliqua relatio realiter diſtinguatur à fundamento. Et ratio ſtat in hoc, nihil eſt idem realiter *A*, ſine quo *A* poteſt eſſe realiter ſine contradictione.Sed multæ ſunt relationes, ſine quibus fundamenta poſſunt eſſe ſine contradictione, vt probabit infrà. Ibi *probatio maioris.* Hîc Doctor probat maiorem multipliciter;licèt de ſe videatur manifeſta, & ſententia literæ ſtat in hoc, quia ſi *A* & *B* poſſunt fundare duo contradictoria, realiter diſtinguuntur, quia da oppoſitum, id eſt ſi non diſtiguuntur realiter, ergo duo contradictoria realiter poſſunt verificari de eodem, quod eſt oppoſitum primi principij, & ſenſus eſt, quòd quando aliqua duo ſunt penitus idem ex natura rei, quod realiter competit vni de neceſſitate, illud idem competit alteri; quia da oppoſitum ſcilicet quòd aliquid poteſt competere vni,& non alteri, ergo illa non ſunt idem ex natura rei, non enim eſt imaginabile oppoſitum, & hoc eſt, quod dicit in iſta litera,quam tamen expono de verbo ad verbum:Cùm dicit, *quòd idem ens realiter ſit realiter,& non ſit realiter.* Hæc propoſitio poteſt habere multiplicem ſenſum.Primus eſt,quòd *A* ſit realiter *B*,& non ſit realiter *B*.&c.id eſt,quòd *A* poſſit realiter exiſtere, *B* non exiſtente, & quòd non differat realiter à *B*.eſt oppoſitum principij, quia ſi *A* eſt realiter idem quòd *B*. ſequitur quòd non poſſit realiter exiſtere ſine *B*: ergo ſi realiter poſſit eſſe ſine *B*, realiter diſtinguitur ab ipſo *B*.& ſecundus ſenſus poteſt eſſe, quòd quærat tantùm de diſtinctione ex natura rei,vel formaliter,id eſt, quòd idem realiter ſit, & realiter non ſit,id eſt,quòd ex natura rei aliquid competit *A*,quod non competit *B*. & quòd *A*, ſaltem ex natura rei,non diſtinguatur à *B*, videtur eſſe oppoſitum primi principij.In propoſito autem Doctor accipit primum ſenſum.

Expoſitio literæ.

2. Ratione contradictionis poteſt inferri multipliciter omnis identitas. Sequitur. *Quia ſi de aliquibus duobus dicantur contradictoria eo modo,quo dicuntur de eis videntur eſſe non idem.* Hæc propoſitio ſimiliter poteſt habere multiplicem ſenſum, quia ratione contradictionis poteſt inferri non identitas multipliciter, puta aliquando non identitas ex natura rei; aliquando non identitas eſſentialis; aliquando non identitas realis & ſic de aliis. Pro cuius intelligentia eſt ſciendum pro nunc, quòd non identitas, ſiue diſtinctio realis eſt propriè inter rem,& rem actu exiſtentem, ſic, quòd repugnet priori ex ſua natura eſſe ſine poſteriori, & per hoc excluditur inſtantia de correlatiuis, quæ realiter diſtinguuntur, & tamen vnum non poteſt eſſe ſine alio, quia ſunt ſimùl naturâ. Diſtinctio verò eſſentialis propriè reſpicit diſtinctas eſſentias,ſiue numeraliter, ſiue ſpecificè non curo. Diſtinctio ex natura rei propriè reſpicit diſtinctas realitates incluſas in eadem re realiter,& eſſentialiter; ſi volo ergo probare realem diſtinctionem aliquorum per rationem contradictionis,probabo ſic;impoſſibile eſt idem realiter exiſtere,& realiter non exiſtere, ſed *A* realiter poteſt exiſtere ſine *B*.ergo realiter diſtinguitur à *B*, quia da oppoſitum, ſi non diſtinguitur realiter à *B*.ergo dicit eandem exiſtentiam cum *B*, & ſic non poterit realiter exiſtere ſine *B*. Deinde ſi volo probare diſtinctionem ex natura rei, puta quòd vna realiter tantùm ex natura rei diſtinguatur ab alia, quæ tamen realitates ſunt idem realiter reſpectu tertij,cui realiter identificantur, arguo ſic;Aliquid poteſt competere *A* ex natura rei,quod repugnat *B* ex natura rei,ergo *A* diſtinguitur ex natura rei à *B*:quia ſi ſunt omnino idem ex natura rei, ergo quòd competit ex natura rei, competit alteri,& hoc eſt, quod dicit Doctor, ſi de aliquibus duobus dicuntur contradictoria eo modo,quo dicuntur videntur eſſe non idem. Sequitur,*Et ita ſi contradictoria eſſe, & non eſſe dicantur de eis,* videntur eſſe non idem in *eſſe*, Hîc loquitur de *eſſe* actualis exiſtentiæ: & vult dicere, quòd actu exiſtere & actu non exiſtere contradicunt, & non poſſunt verificari de eodem, ergo,ſi *A* eſt idem realiter cum *B* Et ex alia parte poteſt exiſtere ſine *B*,ſtatim verificantur duo contradictoria,quia tunc *A* actu exiſteret ſine *B*. quia diceret eſſe ſeparatum à *B*. & actu non exiſteret ſine *B*. quia diceret eandem exiſtentiam cum *B*.& hoc eſt quod dicit.

Diſtinctio eſſentialis. Diſtinctio ex natura rei.

c *Confirmatur iſtud*, quia ſi illa maior negetur, (ſcilicet nihil eſt idem realiter *A*. ſine quo *A* poteſt eſſe realiter ſine contradictione)non videtur relinqui, vnde poſſit diſtinctio entium probari: patet, ex hoc enim probamus diuerſitatem entium: quia experimentaliter videmus, quòd vnũ actu exiſtere poteſt,altero non exiſtẽte. 3.

d *Hanc etiam propoſitionem*, &c. Quomodo autem conſtruatur problema, & deſtruatur,patet ibi:ſi enim fieret tale problema,*an homo ſit penitus idem,quòd riſibile,* facilè deſtruitur hoc problema ſ. quod non ſit idem per contradictionem inuentam, puta, quia tunc contradictoria verificarentur

de

de eodem, quod patet; nam riſibile ex natura rei eſt proprietas hominis; ergo homo cùm ſit penitus idem, erit ex natura rei proprietas hominis, & ex alia parte cùm ipſe homo ſit ſubiectum proprietatis, non erit proprietas, & ſic per aliquam contradictionem inuentam faciliter deſtruitur problema: & hic modus eſt facilior omni alio modo ad deſtruendum. Et patet litera.

e *In iſta etiam via Philoſophi fundatur, &c.*

4. *Materia diſtinguitur realiter à forma.*

Probat enim Ariſtoteles quòd materia diſtinguitur realiter à forma, quia per trāſmutationem innoteſcit, quòd aliquando materia eſt ſub vna forma, aliquando eſt ſub altera, ſed ſi ex alia parte diceretur, quod materia eſt eadē realiter cū forma, & argueretur ſic: Experientia notum eſt, quòd materia poteſt eſſe ſine iſta forma, ergo realiter diſtinguitur; ſi negatur conſequentia, antecedente conceſſo, per experientiam noto, ſtatim ſequitur contradictoria realiter verificari de eodem.

Qua etiam via vtitur Philoſophus 4. *Phyſi. tex. commen.* 3. ad probandum locum eſſe aliud à locato, quia idem locus manet cum diuerſis locatis ſucceſſiuè. Ex his ergo patet probatio maioris, quàm probationem benè nota, quia Doctor ſæpè vtitur illa propoſitione.

f *Minor principalis argumenti apparet, &c.* Et loquitur hîc Doctor de ſimilitudine, & æqualitate propriè ſumpta, vt ſimilitudo fundatur ſuper qualitate propriè, & æqualitas ſuper quātitate. Et patet per Philoſophū quinto Metaphyſicorum, c. de *ad aliquid, tex. com.* 20. & de hoc vide Doctorem *in primo, d.* 19. & *in quoli. q.* 6. Nō autem loquitur de ſimilitudine qualitercunque, quia in diuinis eſt veriſſimè ſimilitudo & æqualitas, quæ tamē realiter identificātur fundamento.

5. *Probantur quatuor inconuenientia, ſi relatio non diſtingueretur à fundamento.*

g *Probatio primi inconuenientis.* Hic Doctor ſupponit, quòd incarnatio paſſiua, qua natura humana dicitur vnita Verbo, dicit relationem realem fundatam in ipſa natura humana, & terminatam ad Verbum diuinum, patet communiter per Doctores & præcipuè ab iſto *in tertio, diſt.* 1. *q.* 1. & vide diffusè quæ ibi expoſui, & quamdiu talis relatio eſt in natura humana, tamdiu dicitur aſſumpta à Verbo; ſi ergo talis vnio eſt idem realiter cum natura humana: ſequitur, quòd ſi verbum non aſſumpſiſſet eam æquè realiter fuiſſet vnita Verbo, ſicut modò; ſi etiam deponeret illam naturam, manente tamen ipſa eadem in ſe, maneret natura illa realiter vnita Verbo.

6. *Quomodo eſſentia diuina contineat relatiua.*

h *Præterea ſecundò.* Hæc eſt ſecunda ratio principalis contra opinionem Henrici. Et ratio ſtat in hoc; ens limitatum non poteſt contīnere per identitatem realem aliqua oppoſita formaliter, ita quòd eadem albedo ſit realiter ſimilitudo, & diſſimilitudo, & ſimiliter, quòd aliqua natura ſit realiter paternitas, & realiter filiatio, videtur impoſſibile, niſi de natura omninò illimitata, cuiuſmodi eſt eſſentia diuina, quæ propter ſui infinitam illimitationem continet per realem identitatem generationem actiuam, & paſſiuam, ſiue paternitatem, & filiationem. Si ergo eadem albedo non ſic continet ſimilitudinem, & diſſimilitudinem, ſequitur, quòd ſi nunc eſt realiter diſſimilis; & ſic poterit ſeparari à diſſimilitudine. Et cùm dicit, quòd *eſſentia diuina continet ipſa relatiua formaliter*, debet intelligi tantummodo ſecundùm identitatā realem, & non ſic formaliter, ita quòd eſſentia diuina, & paternitas ſint vna formalitas: nā ſecundùm Doctorem *d.* 2. *primi, parte ſecūda, q. prima*, dicūtur nō eſſe eadē formaliter, & negat ibi iſtā conſequentiam, *ergo diſtinguuntur formaliter*, tamen expreſsè diſt. 8. q. 3. tenet, quòd diſtinguuntur formaliter, & hoc idem alibi tenet.

7. *Quarta ratio. Dubitatiò facilis.*

i *Item, quartò ſic, continens aliquid, &c.*

Sed non omne albius eſt ſimilius: ergo. Aduerte tamen, quòd dictum Doctoris ſcilicet *continens perfectius realiter, & contētum erit perfectius*, videtur dubium, quia Angelus continet realem relationem ipſis ad Deum, & hoc per identitatem realem, & ſimiliter lapis creatus, & tamen relatio Angeli non eſt perfectior relatione lapidis. Si dicatur, quòd dicitur perfectior nō ratione ſuæ formalitatis, cùm ſint eiuſdem rationis, ſed ratione fundamenti, cum quo identificatur realiter, idem dicam de albo vt 8. comparato ad albū vt duo, & de albo vt duo cōparato ad aliud albū vt duo. Nā album vt duo, eſt magis ſimile albo vt duo, quàm albo vt 8. & ſic ſimilitudo albi vt 8. ad album, vt duo erit maior ſecundùm ipſum. Sed ego dicam, quòd licèt ratione ſuæ formalitatis dicatur minor, & imperfectior, tamen ratione fundamenti, cum quo identificatur realiter, erit perfectior, & ſic videtur hoc argumentum non concludere. *Reſponſio.*

Dico primò, quòd argumentum Doctoris benè concludit, præcipuè in propoſito, quia ſi ſimilitudo realiter nihil aliud ſit, quàm ſuum fundamentum, ſequitur de facto, quòd fundamentum nobilius erit magis ſimile, quàm fundamentum valde minùs nobile, cuius tamen contrarium experimur, vt patet in exemplo de albo vt 8. comparato ad album vt duo.

k *Præterea quintò, contenta, &c.* *Quinta ratio.*

Hoc argumentum ſtat in hoc, quòd ſi relationes ſint eædem fundamento, quòd quantò fundamenta plus differunt, tantò & ipſæ relationes plus differunt, cùm ſint eædem res. Sed hoc eſt falſum, quia æqualitas, quæ fundatur in quantitate, & ſimilitudo, quæ fundatur in qualitate minùs differunt, quia vnius modi, quàm ſimilitudo, & actio, quæ fundantur ſuper eundem calorem, cùm ſint alterius, & alterius modi, vt patet 5. Met. tex. comment. 20.

l *Sextò, relatio rationis eſt alia, &c.* 8. *Sexta ratio.*

In iſta litera dicit Doctor, ſicut multæ relationes rationis ſic diſtinguuntur à fundamento, quòd fundamentum poteſt eſſe ſiue illis: & hoc patet, quia vna ſecunda intentio, vt cognita, poteſt comparari ad aliam ſecundam intentionem cognitam, talis comparatio paſſiua eſt relatio rationis, quæ fundatur in alia relatione rationis cognita; ſic ſimiliter erunt multæ relationes reales, ſine quibus fundamentum poteſt eſſe. Et cùm dicit ibi, probando conſequentiam, quòd *relatio rationis eſt modus obiecti in primo actu intellectus*. Notandum, quòd duplex eſt relatio rationis, nam quædam eſt, quæ vocatur ſecunda intentio, quæ fit per ſecundum actum intellectus, ſcilicet per actum comparatiuum, & actus comparatiuus dicitur ſecundus actus: quia non poteſt eſſe talis actus, niſi præſuppoſita cognitione extremorum, quæ adinuicem comparantur: Et quædam relatio rationis fit per actum rectum intellectus, quo intelligit *A* per ipſam intellectionem *A* dicitur habere eſſe cognitum, denominatione tamen extrinſeca, vt notat Doctor *in quarto, diſt.* 1. *q.* 1. & tale eſſe cognitum eſt modus obiecti, quia per illud modificatur obiectum in tali *eſſe*; ſicut dicimus, quòd albedo in homine eſt modus, quia modificat *Duplex relatio rationis.*

ipſum, cùm facit ipſum ſtare pro homine albo. Dicit ergo Doctor quòd ſicut relatio rationis eſt modus obiecti in primo actu intellectus, quo intellectus primò intelligit obiectum, & tamen non eſt in ſe nihil in genere intelligibilium, &c. id eſt, quòd ille modus, ſiue eſſe cognitum eſt aliquid de numero intelligibilium, licèt non ita primum, ſicut primum obiectum cognitum. Quomodo autem relatio rationis ſit de numero intelligibilium, & quomodo dicatur per ſe intelligibilis, & quomodo contineatur ſub adæquato obiecto intellectus, vide quæ diffusè expoſui ſuper primo Doctoris *diſt.3.q.3.* vbi ſunt valde notabilia.

Addiuentur auctoritates ad probandum idem.

m *Prætera probatur concluſio iſta.* Hîc Doctor intendit probare prædictam concluſionem per auctoritates, quæ auctoritates ſic claræ ſunt in litera, quòd non indigent expoſitione, & vt dicitur ibi; *Item Philoſophus 12.metaph.cap.2. tex. commen.19.vbi vult*, quòd ſicut principiata ſunt alia, ita principia, nam ſi principiatum eſt abſolutum, neceſſariò principia intrinſeca erunt abſoluta; aliter eſſet abſolutum, & non abſolutum, cùm entitas abſoluti realiter dependeat à principiis intrinſecis, & ſi principiatum eſt relatio, principia intrinſeca puta genus, & differentia erunt relationes.

9

n *Item Auicen.3.Metaphyſ.&c.*

Vbi ſic ait, *oportet* inquit *loqui de ad aliquid, & oſtendere quomodo debeat certificari quiditas relata, & relationes, & eorũ definitio.* Sed quod præmiſimus in litera, poteſt ſufficienter intelligi. Si autem poſuerint relationem eſſe, profectò erit accidens, & hoc non eſt dubium, quia eſt res, quæ non intelligitur per ſe, ſed intelligitur ſemper alicuius ad aliquid: non enim eſt relatio, quæ non ſit accidens, cuius prima accidentalitas eſt ſubſtantia, ſicut pater, & filius, vel quantitati. &c. Apparet enim expreſsè, quòd relatio talis habeat propriam entitatem.

Aliquid habere propriã certitudinem dupliciter poteſt intelligi.

Aduerte tamen, quòd aliquid habere propriam certitudinem, poteſt dupliciter intelligi. Primò, quòd poſſit ea ſe certificare intellectum, cauſando ſpeciem intelligibilem ſui: & hoc modo nulla relatio habet propriam certitudinem, quia talis cognitio non poteſt cauſari ab aliqua relatione, ſed tantùm à fundamento, & termino, quia nec mouere intellectum, nec cauſare ſpeciem intelligibilem ſui, quia ſi ſic, ſequeretur, quòd abſolutum, ſiue effectus abſolutus, puta ſpecies intelligibilis, quæ eſt ens abſolutum, eſſentialiter dependeret in *eſſe*, & in *conſeruari* ab aliquo, quod eſſentialiter, & formaliter, & quiditatiuè eſſet relatio, quod eſt abſurdum, & impoſſibile. Et ſi quæratur, à quo cauſatur cognitio relationis? Reſpondeo eo modo, quo expoſui in primo, *diſt.3. q.3.* Secundò, poteſt dici habere propriam certitudinem ex hoc, quòd habet propriam intelligibilitatem, & diſtinctam à fundamento, & termino, ita quòd ſit nata cognoſci cognitione diſtincta, & & aliâ à cognitione fundamenti, & termini, licèt talis cognitio cauſetur à fundamento, & termino, & hoc modo relatio poteſt dici habere propriam certitudinem.

A quo cauſetur cognitio relationis.

SCHOLIVM.

Refutat modum dicendi ipſorum, qui volunt relationes eſſe tantùm entia rationis, & ſic non eſſe idem fundamentis, nec realiter diſtingui ab eis, quia non ſunt realitates, contra quos infert quatuor abſurda grauiſſima. 11.

Hanc viã ſequitur Occam & ſequaces Artic. 2. in quo vult euertere rationes Henr. Text.52. 4. abſurda infert, ex eo quod relationes omnes dicantur eſſe entia rationis.

ET [a] quia poſſet proteruiri de relationibus, concedendo eas non eſſe eaſdem, realiter fundamento, non tamen eſſe alias realitates, negando eas eſſe aliquas res, dicendo relationem tantùm eſſe in actu intellectus cõparantis.

Contra hoc arguitur primò, quia hoc deſtruit vnitatem vniuerſi. Secundò, quia deſtruit omnem compoſitionem in vniuerſo, ſubſtantialem, & accidentalem. Tertiò, quia deſtruit omnem cauſalitatem cauſarum ſecundarum. Quartò, quia realitatem ſcientiarum mathematicarum deſtruit.

Primum probatur faciliter, quòd ſcilicet deſtruat vnitatẽ vniuerſi: quia ſecundùm Philoſophũ 12. *Met.* vnitas vniuerſi, eſt in ordine partiũ ad ſe inuicem, & ad primũ, ſicut vnitas exercitus, eſt in ordine partium exercitus inter ſe & ad ducẽ. Et ex hoc contra negantes relationem eſſe rem extra actum intellectus, poteſt dici verbum Philoſophi 12 *Met.* quòd tales qui ſic dicunt *inconnexam faciunt vniuerſi ſubſtantiam.*

Secundũ [b] probatur, quia nihil eſt cõpoſitũ ſine vnione partiũ componentium, ita quòd partibus ſeparatis nõ manet compoſitũ: nihil autẽ reale depẽdet ab eo, quod eſt tantùm ratio, & præcipuè quod eſt tantùm ratio cauſata per actũ intellectus noſtri: & ſaltẽ reale tale, quod nõ eſt artificiale: igitur nullum totũ compoſitum erit reale naturale, ſi neceſſariò ad ſuum *eſſe* requirat relationẽ, quæ relatio nihil eſt, niſi ens rationis.

1.d.5.q.2.a. 9.

Tertiũ [c] probatur, quia cauſatio effectus realis non requirit ens rationis in cauſa, & non poſſunt cauſæ ſecundæ cauſare niſi proportionatæ & approximatæ: igitur ſi iſta approximatio eſt tantùm ens rationis, nõ poterũt ſub iſta approximatione cauſare aliquid reale: quod ſine iſtã approximatione non poſſunt cauſare: & ſi iſta approximatio, quæ eſt relatio, nulla res eſt per te: igitur cauſæ ſecundæ nihil confert ad poſſe cauſare 12.

Com.22.1. Euclidis Remouet reſp. Nominalium.

Quartũ [d] probatur, quia omnes concluſiones Mathematicæ demonſtrant relationes de ſubiectis, quod apparet primò ex auctoritate Phi.13.Meta.c.1.in fine. *Boni autem maximè ſpecies, & ordo, & commenſuratio & determinatum, quæ maximè oſtendunt Mathematicæ ſcientia: quia illa ars eſt in proportione, & menſuris aliquorum ad inuicem.*

Secundò

Secundò,[c] patet hoc per experientiam, diſcurrendo per concluſiones Mathematicas,in quibus omnibus communiter prædicatum eſt aliqua paſſio relatiua, ſicut patet incipiendo à prima concluſione Geometriæ, vbi oſtenditur æqualitas laterum de triangulo,vel de linea recta,hoc prædicatum poſſe eſſe baſim,vel latus trianguli æquilateri:& ita in omnibus aliis:puta quòd triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis,paſſio demonſtrata de tribus angulis trianguli eſt iſta, ſcilicet æqualitas duobus rectis:& ita eſt in aliis.

COMMENTARIVS.

11. *Arguit Scotus contra opinionem Henrici.*

ET quia poſſet proteruiri de relationibus, &c. à *Contra hoc arguitur.* Hîc Doctor intendit probare multiplici via, quòd relatio ſit aliqua res præter omnem operationem intellectus. Prima via,quia ſi ſic non eſſet, deſtrueretur vnitas vniuerſi,quia ſecundùm Philoſophum.12. *metaph.tex.comment.52.* vnitas vniuerſi eſt in ordine partium ad ſe inuicem,& ad primum. Cùm ergo vniuerſum non conſiſtat in ſola operatione intellectus,vt patet:ergo talis vnitas,quæ eſt relatio ordinis partium ad inuicem, & ad primum erit realis,& addit Doctor. quòd contra negantes relationem eſſe rem extra actum intellectus, poteſt dici verbum Philoſophi.11.metaph. tex. ſine commento, quòd tales qui ſic dicunt,inconnexam faciunt vniuerſi ſubſtantiam.

b *Secundum probatur.* Secundò probat Doctor idem, quia ex hoc deſtrueretur omnis compoſitio in vniuerſo,quia nihil eſt compoſitum ſine vnione partium,patet:ergo in compoſito reali erit vnio realis partium:vnio autem eſt formaliter relatio. Et quod dicit Doctor, quòd *corapoſitum reale non dependet ab eo, quod eſt ratio tantùm.* Vult dicere, quòd compoſitum reale non præexigit de neceſſitate relationem rationis,cuia ens reale non præexigit de neceſſitate ens rationis,vt patet à Doctore *primi diſt.8. q.pen.* & vide quæ ibi expoſui.Cùm ergo compoſitum reale de neceſſitate præexigat vnionem partium,ſequitur, quòd talis vnio erit relatio realis. Nota etiam, quòd compoſitum non dependet à tali vnione, vt ab aliquo,quod ſit de eſſentia illius, quia tunc relatio realis eſſet de eſſentia abſoluti, quod eſt impoſſibile; nec etiam dependet in eſſendo, ſic quòd ſit dependentia eſſentialis entitatis compoſiti ad illam relationem,quia vt ſic tantùm dependet à cauſa in eſſendo.

Quid ſit vnio.

12. *Nullum cõpoſitum reale poteſt eſſe ſine vnione partiũ componentium.*

Secundum probatur, quia ſi non eſſet relatio realis,deſtrueretur omnis compoſitio invniuerſo: & ratio ſtat in hoc; quia nullum compoſitum reale poteſt eſſe ſine vnione partium componentium; ſed talis vnio de neceſſitate eſt relatio realis,quia da oppoſitum, tunc ſequeretur, quòd ens reale depẽderet ab eo,quod eſt tantùm ens rationis,cuius oppoſitum experimur; quia poſito per impoſſibile, quòd nullus intellectus eſſet applicatus ligno ex materia ligni,& forma introducta ab igne,cauſaretur compoſitum reale, quod non poſſet eſſe ſine vnione partium: ergo talis vnio eſſet ibi non per conſiderationem intellectus. Similiter poſito,quòd intellectus eſſet, & actu non conſideraret, verè cauſaretur compoſitum naturale, in quo eſſet realis vnio partium. Et addit Doctor, quòd hoc eſt ſpecialiter verum in compoſito naturali, quicquid ſit de artificiali: ſi tamen artificiale diceret poſitiuum reale, idem ſequeretur,ſed quia adhuc non eſt terminatum apud omnes, quòd artificiale inquantum artificiale dicat entitatem poſitiuam, licèt Doctor expreſsè teneat ipſum dicere entitatem poſitiuam, vt patet in libro ſex Principiorum.

13. *Pulchra dubia.*

Et nota in litera, vbi videntur duo dubia. Primò, quia dicit, nihil reale dependet ab eo, quod eſt tantùm relatio rationis: ex hoc videtur ſequi, quòd compoſitum reale dependeat ab vnione partium, & tunc quæritur, cùm omnis dependentia ſit cauſati ad cauſam, vel menſurati ad menſuram, vel ſuſtentati ad ſuſtentans: ſed nullo iſtorum modorum dependet compoſitum abſolutum ab vnione partium diſcurrendo per omnia iſta. Secundum eſt ibi, *nullum totum compoſitum erit reale naturale, ſi neceſſariò ad ſuum eſſe requirat relationem rationis:* nam partes componentes ab æterno habuerunt *eſſe* cognitum, & diminutum, quod eſt tantùm relatio rationis, vt ſubtiliter patet à Doctore in primo, diſtin. 35. & 36. ergo compoſitum reale de neceſſitate præſupponit relationem rationis.

Ad primum dubium.

Reſpondeo ad primum dubium, quòd compoſitum reale non dicitur dependere in aliquo genere cauſarum ſupradictarum: ſed dicitur dependere ex hoc, quòd de neceſſitate præexigit vnionem partium: ſicut etiam dicimus, quòd Filius in diuinis dependet à Patre ex hoc ſolo, quòd præexigit ipſum Patrem, vt notat Doc. *in primo diſt.2.par.2.quæſt.3.* modò manifeſtum eſt, quòd compoſitum reale non neceſſariò præexigit ad ſui *eſſe* ens per actum intellectu fabricatum.

Quomodo filius dependet à patre.

14. *Ad ſecundũ.*

Ad ſecundum dico, quòd etſi ideæ præexigantur, quæ dicunt relationem rationis, non tamen ſic præexiguuntur, vt compoſitum neceſſariò dependeat ab illis, quia ſi per poſſibile, vel impoſſibile non eſſent huiuſmodi ideæ, adhuc agens naturale non impeditum produceret compoſitum reale.

Tertium probatur. Dicit Doctor, quòd ſi non eſſet relatio realis deſtrueretur omnis cauſalitas cauſæ ſecundæ, quia certum eſt, quòd cauſæ ſecundæ non poſſunt cauſare, niſi proportionatæ & approximatæ; ergo talis approximatio erit relatio realis ſuperaddita ipſis cauſis. Probatur conſequentia quo ad duo, ſcilicet quòd talis approximatio ſit aliquid de nouo: patet, quia quando ſunt omnes ſeparatæ, non poſſunt agere, ergo ſi agunt, vt approximatæ: ergo aliquod nouum habent, quod priùs non habuerunt. Secundum eſt, quòd talis approximatio ſit relatio realis, quia ſi non, tunc talis approximatio eſſet tantùm per actum intellectus collatiuum, quod eſt manifeſtè falſum.

15. *Quid ſit negare relationem realem.*

d *Quartum probatur*, Deinde probat Doctor quòd negando relationem realem, eſt deſtruere realitatem ſcientiæ Mathematicæ;patet,quia omnes concluſiones Mathematicæ demonſtrant relationes de ſubſtantiis,quod patet per Philoſophum 13. *Metaph. cap.* 1. *in fin.* qui ſic ait: *Boni autem maximè ſpecies, & ordo, & commenſuratio*, quæ maximè oſtendunt mathematicæ ſcientiæ, quia illa ars eſt maximè in proportione, & menſuris aliquorum ad inuicem.

e *Secundò patet per experientiam*, diſcurrendo per concluſiones mathematicas, in quibus omnibus communiter prædicatum eſt aliqua paſſio relatiua. Patet de prima concluſione Geometriæ, in qua demonſtratur æqualitas lateris de triangulo,quia triangulus æquilaterus eſt ille,qui habet tria latera æqualia:& ſimiliter de linea recta poteſt prædicari hoc, quod eſt eſſe baſim anguli æquilateri:& ſic illa linea, quæ dicitur *baſis*, eſt æqualis aliis lateribus, vel de linea recta poteſt prædicari hoc, quod eſt *eſſe latus trianguli æquilateri*, quia triangulus æquilaterus conſtat ex tribus lineis rectè ad inuicem æqualibus,&c.

SCHOLIVM.

Oſtendit eos qui admittunt relationes eſſe extra intellectum, non tamen eſſe alias res à fundamento,ſed modos,tantùm de voce agere,quia hoc tantùm eſt dicere,quòd non ſunt res ita perfectæ,ſicut qualitas,vel ſubſtantia.

QVod[e] ſi adhuc proteruiatur,quod licèt relationes non ſint formaliter entia rationis,ſed aliquid extra intellectum,& non idem fundamento,non tamen ſunt alia res a fundamento,ſed tantùm ſunt modi proprij rei. 13.

Iſta inſtantia videtur tantùm contẽdere de nomine modi & rei:licèt enim modus non ſit ita res,ſicut illa,cuius eſt modus:non tamen nulla res eſt,ſicut nec nullum ens, quia tunc nihil eſſet,dicit enim B. Aug. 1. de Doct. Chriſt c. 1. quòd *ſignum ſecundùm quòd tantùm eſt ſignum,eſt res aliqua & modus ſignati*:& hoc probat, quia omnino quod nulla res eſt,nihil eſt: & ita relatio cadit ſub diuiſione entis ſecundùm ſe, iuxta Phi-
Text. com. 14. loſph. 5. Metaph. nec omnia in quæ diuiditur ens ſecundùm ſe,ſunt æquè perfecta entia:imò qualitas reſpectu ſubſtantiæ,poteſt dici modus,& tamen in ſe eſt vera res, ita relatio,licèt ſit modus adhuc tamen eſt imperfectior modus qualitate, ſi ſit extra intellectum:& non modus intrinſecus fundamenti,ſicut eſt infinitas in Deo & omnium
q. 3. *&* 4. eſſentialium quæ ſunt in eo ſicut dictum eſt *d* 8 1. *hic*. ſequitur ergo, quòd talis modus alius à re ex natura rei,ſit res alia à fundamento,accipiendo *rem* generaliſſimè, vt diuiditur in decem genera.

Et ſi dicas,quòd genus Relationis eſt res,non propter modum illum, qui eſt habitudo ad aliud:ſed propter rem, cui conuenit eſſe ad aliud Hoc non eſt verum, quia 14.
omne ens ad ſe conſideratum ſub ratione abſoluta, poteſt pertinere eſſentialiter ad aliquod genus abſolutum, ſi eſt per ſe vnum, nullus enim modus concipiendi, cum quo ſtare poteſt vnitas per ſe conceptus,qui conceptus ſit abſolutus, tollit quin illud ſic conceptum pertineat ad genus abſolutum: quia illud ſic conceptum includit aliquid abſolutum dictum de ſe in *quid*,& aliquid in *quale*,per quod diſtinguitur ab aliis conceptibus abſolutis, vt genus & differentiam extra intellectum: omnis talis eſt reſpectus,ſiue habitudo,ſiue relatio,ſiue qualitercunque nominetur,quia iſta ſunt ſynonyma:& ille reſpectus poteſt per ſe concipi vt per ſe vnum, habens aliquod prædi-
in art. 2. catum quiditatiuum dictum de eo in *quid*, & eſt aliquid extra animam, vt probatum eſt,& diſtinctum ab illo in quo fundatur,vt probatur in 1. art. ergo poteſt habere quilibet iſtorum reſpectuum genus proprium vt reſpectus ſunt,non includendo eſſentialiter fundamenta:& ita realitas eorum, quæ ſunt in iſto genere: non eſt præcisè talis propter fundamentum formaliter loquendo, quia fundamentum eſt extra per ſe rationem iſtorum,vt habent completam rationem entis in genere reali.

Sic igitur declarata realitate relationis in ſecundo articulo,& etiam eius diſtinctione reali à fundamento, in primo articulo & hoc quantùm ad illas relationes, de quibus concludunt rationes ibi adductæ: videtur ſufficienter improbata prima opinio ſecundùm quemcumque intellectum ponatur intelligi.

COMMENTARIVS.

f QVod *ſi adhuc proteruiatur*, &c.

Hîc Doctor ſoluit rationes pro opinione Henrici, qui Henricus quaſi in principio quæſtionis, primò ſic arguit probando, quòd omnis relatio ſit eadem fundamento,& ratio prima ſtat in hoc;quia ſi de ratione relationis eſt, quòd ſit alia à fundamento: ergo relatio in diuinis, quæ transfertur ad Deum ſecundùm propriam rationem relationis, erit alia res ab eſſentia diuina, quod eſt impoſſibile,& addit,quòd albũ ſimile nõ eſt magis cõpoſitũ,quàm album tantùm:ergo relatio ſimilitudinis non addit aliam rẽ fundamẽto.

SCHO

SCHOLIVM.

Soluit quinque argumenta Henrici poſita n. 4. probantia indiſtinctionem realem relationis à fundamento.

15. AD primum [g] alterius opinionis dico, quòd nihil alicuius generis dicitur de Deo, ſicut dictum eſt *diſt.8. primi* : & ſicut abſoluta, ita relationes, quæ formaliter dicuntur de Deo, non ſunt alicuius generis ; ſed tranſcendentia & paſſiones entis in communi : quia quicquid conuenit enti inquantum eſt indifferens ad infinitum & finitum, conuenit ei priùs quàm diuidatur in genera, & ita eſt tranſcendens. *q.3. Ad 1. Nihil quod dicitur formaliter de Deo eſt in genere.*

Ad illud, [h] quòd non eſt compoſitius album ſimile quàm album tantùm, quamuis illud poſſet faciliter exponi, faciendo vim in vocabulo, dicendo, compoſitio eſt ſimul poſitio; tamen non curando de vocabulo, dicendum eſt conſequenter, quòd album ſimile eſt compoſitius quàm album tantùm ; quia habet in ſe actum & potentiam diſtincta realiter. Hoc etiam debet concedere ille, pro cuius opinione fit iſtud argumentum. Concedit enim ipſe, nuſquam eſſe differentiam intentionis ſine compoſitione, & quòd relatio differt à fundamento in creaturis, differentia intentionis. Concedit etiam in diuinis, perſonam eſſe quaſi compoſitam, & eſſentiam eſſe quaſi potentiam, & relationem quaſi actum : ſed vbi iſta ſunt : *quaſi actus*, & *quaſi potentia*, ibi eſt quaſi compoſitio : igitur vbi eſt actus & potentia, ibi eſt verè compoſitio ; non tamen eſt compoſitio ex duabus entitatibus abſolutis, quia altera entitas non eſt abſoluta entitas. *Vide 1.d.5. q.2.n.2.& ſeqq. Vide Hen. vbi citatur 1.d.3. q.de veſtigio & d.36.& 43.*

Ad ſecundum [i] de mutatione, reſpondet Simplicius ſuper Prædicamenta quòd ſicut relatio non eſt forma ad ſe, ſed ad alterum : ita ille, cui aduenit, non mutatur ad ſe, ſed ad aliud. *Ad 2.*

Et ſi tunc mutari dicatur ſolùm illud, quod aliter ſe habet ad ſe, nunc quàm priùs, tunc non eſt mutatio in *ad aliquid*. Si verò *mutari* ſit commune ad aliter ſe habere ad ſe, & ad alterum : tunc mutatio eſt in *ad aliquid*, ſicut vult Simplicius, quia ſecundùm relationem ſe habet aliquid aliter ad alterum. Philoſophus tamen quia ponit, quòd non eſt poſſibile aliquid aliter ſe habere ad alterum, niſi aliter ſe habeat ad ſe, ideò dicit, quòd in *ad aliquid* non eſt motus. Vnde ſolùm oſtendit in quibus Prædicamentis eſt per ſe primò motus, & in quibus non. *Non datur mutatio relatiua ſine abſoluta in altero extremorum. 5. Phyſ.& 7.*

Item Philoſophus ibi oſtendit, quòd in ſubſtantia non eſt motus, & tamen ibi eſt mutatio : ergo ex intentione Philoſophi, non poteſt habere niſi quòd in ad aliquid non ſit motus, cum quo tamen ſtat, quòd ibi ſit mutatio.

Et confirmatur iſta reſponſio per auctoritatem Ambroſij ſuprà adductam, qui relationem concedit eſſe aliam rem à fundamento & eſſe mutationem ad illam.

16. Ad tertium [k] de *ineſſe*, concedo quòd relatio habet proprium ſuum *ineſſe*, ſicut dicit Auic.3. Metaph. & tamen non ſequitur compoſitio iſtius generis ex aliquibus eſſentialiter incluſis : quia etiam quantitas habet ſuum *ineſſe*, quod non eſt de ratione ſui generis formaliter, & tamen non eſt compoſita compoſitione reſpiciente naturam generis. Hoc autem ideò eſt, quia paſſio ineſt rei cuius eſt, & non eſt de per ſe intellectu illius : quod tamen magis videtur eſſe verum de paſſione, quàm de relatione. *Ad 3. Id eſt ex genere & differẽtia, benè tamen ex compoſitione ex cõceptu ſubiecti & paſſionis.*

Cùm ergo arguitur, quòd relatio fundata ſuper ſubſtantiam haberet propriam accidentalitatem, quia proprium *ineſſe*, reſpondeo, ſi aliqua ſit talis relatio, & de ipſa concludant rationes ſupradictæ in primo articulo, concedo concluſionem : vtraque pars antecedentis videtur eſſe vera de identitate ſpecifica indiuidui ad aliud indiuiduum in ſpecie, ſiue de ſimilitudine eſſentiali ſecundùm formam ſpecificam.

Ad quartum [l] de proceſſu in infinitum dico, quòd non ſequitur : quia relatio ſe ipſa refertur ad fundamentum : non enim poteſt eſſe abſque fundamento, nec abſque ſe ſine contradictione : ipſa enim exiſtente & fundamento ſimul, ambo ſunt extrema illius relationis, quæ eſt eius ad fundamentum : ergo ipſa non eſt abſque contradictione ſine relatione eius ad fundamentum : & ita ſine contradictione non poteſt eſſe ſine fundamento : & ita relatio illa, quâ ad fundamentum refertur, erit eadem ſibi, & hoc magis patebit in proxima ſolutione ſequentis quæſtionis. *Ad 4. Relatio ſe ipſa refertur ad fundamentum. Scot.5.d.8.*

Ad quintum, [m] de diſtinctione dico, quòd relatio habet ſuam diſtinctionem in ſuas ſpecies, ſicut aliud genus habet diſtinctionem in ſpecies ſuas : & tamen illa non innoteſcit niſi per fundamenta, propter modicam entitatem ſuam, quam habet in funda- *Ad 5. Quomodo relationis diſtinctio nobis innoteſcat.*

mentis ſuis: ita etiam & in aliis accidentibus, quæ habent maiorem entitatem & realitatem, quòd aliquando diſtinctio ſit per extrinſeca, & per illam cognoſcitur diſtinctio intrinſeca, quæ eſt in eis: eſt tamen formalis intrinſeca, ſed non innoteſcit, niſi per extrinſeca.

COMMENTARIVS.

1. g AD primum alterius opinionis, dicit, quòd ſicut nullum abſolutum alicuius generis formaliter transfertur ad diuina, ita nec aliqua relatio generica; & hoc diffusè oſtendit in primo, *diſtin.* 8. *q.*2. Et nota duo in iſta litera Doctoris. Primum ibi, *relationes quæ formaliter dicuntur de Deo non ſunt alicuius generis.* Hoc debet ſanè intelligi, aut formaliter accipitur, quiditatiuè, aut denominatiuè. Primo modo nulla relatio includitur quiditatiuè in Deo, vt patet à Doct. *in primo, diſt.* 1. *q.* 2. *& diſt.* 2. *par.* 2, *q.* 3. Dicuntur ergo prædicari formaliter denominatiuè tantùm, quia verè, & ex natura rei prædicantur de Deo: ſicut dicimus, quòd Deus eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, vt patet à Doct. in primo, *diſt.* 4. *q.* 1. *& diſt.* 5. *q.* 2. Non intelligas tamen, quòd relatio poſſit prædicari formaliter de Deitate, quia de vltimatè abſtracto non poteſt aliquid formaliter prædicari, niſi in primo modo dicendi per ſe, vt patet à Doctore *in primo, diſtinct.* 5. *q.*1. Et licèt paternitas immediatè fundetur in eſſentia diuina, non tamen denominat ipſam, vt patet à Doctore vbi ſuprà, poteſt tamen prædicari identicè, quia hæc eſt vera, *Deitas eſt paternitas*, vt patet à Doctore vbi ſuprà.

Quomodo relationes formaliter dicantur de Deo.

2. Secundò nota ibi, quòd dicit, quòd *abſoluta, & relationes, quæ formaliter dicuntur de Deo non ſunt alicuius generis, ſed tranſcendentia, & paſſiones entis in communi.* Hoc debet intelligi de paſſione diſiuncta, quia abſolutum, & reſpectiuum diuidunt ens. Et quia dicit, quòd competunt enti, inquantum ens, videtur dubium, quia ens inquantum ens priùs diuiditur per ens quantum, & non quantum, & ens non quantum eſt relatio in diuinis, vt patet à Doctore *quæſt.* 4. *quodlib.* Ens verò quantum, quod dicit aliquam entitatem includentem perfectionem, & excludentem imperfectionem, vel entitatem includentem perfectionem, & non excludentem omnem imperfectionem, vel entitatem nullam includentem perfectionem, nec excludentem omnem imperfectionem, imò neceſſariò includentem imperfectionem, puta limitationem, cuiuſmodi forte ſunt relationes genericæ: & ſic debet intelligi iſta diuiſio entis quanti, & non quanti, ita quòd ens non quantum, de neceſſitate excludit omnem imperfectionem, & non includit formaliter aliquam perfectionem. Dico ergo, quòd ens prima ſui diuiſione diuiditur per quantum, & non quantum; & quantum diuiditur in abſolutum, & reſpectiuum, finitum, & infinitum; & ſic videtur, quòd abſoluta, & reſpectiua dicta de Deo, competant enti inquantum ens. Dico, quòd quamuis ens non quantum immediatè diuidat ens reale, quod eſt communiſſimum; & ens quantum diuidatur per abſolutum, & reſpectiuum, &c. & ſic ens non quantum eſt paſſio non conuertibilis cum ente, ſed eſt paſſio diſiuncta entis inquantum ens, & ens abſolutum, dicens perfectionem, ſit paſſio entis quanti, dico quòd ſic debet intelligi, quòd ſunt paſſiones entis inquantum ens, id eſt, quòd competunt enti, antequam diuidatur in decem genera; & loquitur hîc de abſolutis, quæ dicunt perfectionem ſimpliciter, & ſic patet iſta littera.

Quomodo quæ dicuntur de Deo ſunt tranſcendentia. Ens quãdo diuiditur per quãtum, & non quãtũ eſt diuiſio Theologica.

3. h *Ad illud, quod non eſt compoſitum album ſimile*, &c. Dicit Doctor, quòd album ſimile ex quo conſtat ex duabus rebus, quarum vna eſt potentia, & reliqua eſt actus: erit magis compoſitum, quàm album tantùm, & præſertim hoc debet concedi ab Henrico, qui vult, quòd in diuinis ſit quaſi compoſitio ex quaſi potentia, & ex actu. Vult enim, quòd perſona diuina dicatur quaſi compoſita ex relatione, & eſſentia, vt patuit à Doctore improbando opinionem Henrici de quaſi compoſitione. diſt. 5. quæſtio. 2. primi.

Secundò principaliter arguit Henricus per viam mutationis, quia ſi relatio eſſet alia res à fundamento: ergo fundamentum realiter poſſet mutari ad illam, & ſic relatio eſſet terminus alicuius mutationis, quod eſt contra Philoſophum, *quinto Phyſic. tex. commen.* 10.

Reſpondet Doctor ibi: *Ad ſecundum de mutatione.* Hîc adducit reſponſionem Simplicij ſuper Prædicamentis: qui vult, quòd ſicut relatio non eſt forma ad ſe, id eſt, non eſt forma abſoluta, ſed ad alterum, ita illud, cui aduenit non mutatur ad ſe, ſed ad aliud, id eſt, quòd non mutatur ad aliquod abſolutum recipiendo illud, ſed ad aliud ſcilicet recipiendo relationem, ſecundùm quam eſt ad aliud. Secundum enim mutari ad ſe eſt, quando mutatio terminatur ad abſolutum receptum in ſubiecto. Mutari verò ad aliud eſt, quando mutatio terminatur ad relationem, quæ recipitur in abſoluto. Primo modo in *ad aliquid* non eſt mutatio, ſed benè ſecundo modo, quia ſecundùm relationem ſe habet aliquis aliter ad alterum, quàm priùs ſe habuerit.

Cap. de relatiuis.

Quid ſit mutari ad aliud.

4. *Philoſophus tamen.* Quia ponit, quòd non eſt poſsibile aliquid aliter ſe habere ad alterum, niſi aliter ſe habeat ad ſe, ideò dicit, quòd in *ad aliquid* non eſt motus: vnde ſolùm oſtendit in quibus Prædicamentis eſt per ſe primò motus, & in quibus non. Et pro clariori intelligentia huius dicti, patet per hoc exemplum, quia ſi aliquid mutatur ad alterum, hoc non poteſt eſſe, niſi acquiratur aliquod abſolutum, vel in ſubiecto, vel in termino, vel ſaltem aliquod abſolutum remittatur: nam ſi album vt octo, comparetur albo vt quatuor, nunquam album vt octo erit perfectè ſimile alteri albo vt quatuor, niſi album vt quatuor intendatur vſque ad octo gradus, & ſic fit mutatio abſoluta in termino; vel poteſt fieri mutatio in ſubiecto, vt ſi album vt octo deperdat quatuor gradus albedinis, & tunc erit perfectè ſimile albo vt quatuor, & ſic patet, quòd non eſt mutatio ad alterum, niſi ſit mutatio ad ſe in ſubiecto, vel in termino, mutatione ſiquidem acquiſitiua, vel deperditiua: & quia ad tale abſolutum acquiſitum, vel deperditum in inſtanti reſultat relatio, puta ſimilitudo, ſequitur, quòd ad relationem non ſit motus, quia motus ſit in tempore. Et licèt poſsit eſſe motus ad fundamen

Mutatio duplex.

Ad relationẽ non eſt motus, ſed mutatio.

damentum, vel ad terminum, cùm poſſint acquiri in tempore; ad relationem tamen non poteſt eſſe motus, cùm illa poſitis extremis de neceſſitate naturæ in inſtanti reſultet. Poteſt tamen concedi, ſanè intelligendo, quòd ad relationem ſit mutatio, non quòd propriè ipſa relatio intrinſecus adueniens, ſit immediatè terminus alicuius mutationis, cùm ad relationem talem non ſit motus, nec mutatio, vt patet 5. *Phyſic. text. commen.* 10. Sed ex hoc dicitur acquiri per mutationem, quia in vltimo inſtanti acquiſitionis termini, vel fundamenti de neceſſitate naturæ reſultat talis relatio. De hac tamen materia vide quæ diffusè expoſui ſuper tertio Doct. diſt. 1. q. 1.

Tertiò principaliter arguit Henricus ibi: *Tertio arguitur*, & ratio clara eſt in litera.

5. Quartò arguitur ibi: *Quarto ſi eſſet*, &c. & ratio ſtat in hoc, quòd ſi relatio, puta ſimilitudo eſſet alia res à fundamento, cùm illa ſit accidens, tunc haberet propriam accidentalitatem, videlicet propriam inhærentiam; & talis inhærentia eſt relatio, & tunc quæro, aut eſt eadem fundamento, aut alia: ſi eadem, ergo ſimilitudo erit eadem fundamento, quia non eſt maior ratio de vna relatione, quàm de alia; ſi alia, erit proceſſus in infinitum.

Cap. 10. de ad aliquid. Plura notanda. Duplex inhærentia. Differentia inter accidens abſolutum, & reſpectiuum.

k Reſpondet Doctor ibi, *Ad tertium de ineſſe*, &c. Pro clariori intelligentia huius literæ, Nota aliqua, quæ dicit in iſta litera. Primò, quòd relatio prædicamentalis habet ſuum proprium *ineſſe*, ſiue propriam inhærentiam ad ſubiectum: & hæc eſt duplex, ſcilicet actualis, & aptitudinalis, ſicut etiam de accidente abſoluto. Sed differentia eſt inter accidens abſolutum, & reſpectiuum, quia reſpectiuum nunquam poteſt habere inhærentiam aptitudinalem, quin ſimul habeat & actualem; quia impoſsibile eſt eſſe aliquam relationem actu ſeparatam à fundamento, vt probat Doctor in quarto, in materia de Euchariſtia: abſolutum verò poteſt habere aptitudinalem ſine actuali, vt patet de quantitate ſeparata in Sacramento altaris, quæ actu nulli ſubiecto inhæret, ſed tantùm aptitudine, & quòd ſit ibi aptitudinalis, patet à Doctore vbi ſupra, & in ſeptimo Metaph. ſuæ.

6. *Inhærentia non eſt de eſſentia accidentis.*

Secundò dicit, quòd tale *ineſſe*, ſiue inhærentia, ſiue actualis, ſiue aptitudinalis, non eſt de eſſentia accidentis, cùm de neceſsitate ſit poſterior ipſo accidente, & ſic non pertinet ad intrinſecam compoſitionem eſſentialem accidentis, vt probat Doctor, vbi ſuprà. Nam tale eſſe aptitudinale eſt tantùm paſsio, & hoc eſt quod dicit, & tamen non eſt compoſita compoſitione reſpiciente naturam generis; quia illud quod eſt per ſe in aliquo genere, componitur per ſe ex genere, & differentia, ſi eſt ſpecies; ſi verò indiuiduum ex natura ſpeciei, & hæcceitate; ſi verò generaliſsimum, & ſit compoſitum, illud compoſitum ex realitate A, & realitate B, quæ ſunt ignota nobis, quarum nulla dici poteſt genus, vel differentia.

Tertiò nota, quòd relatio, &c. dicit, quòd ſi aliqua relatio immediatè fundaretur ſuper ſubiectum, quaſi dubitando an aliqua fundetur immediatè, licèt ſecundùm eum multæ relationes immediatè fundentur, vt patet de paternitate, & filiatione, vt innuit Doctor *in tertio, diſtinct.* 8. Patet etiam de ſimilitudine, & æqualitate, accipiendo *ſimile*, & *æquale* largè, vt notat Doctor *in primo, diſtinct.* 31. & *in quodlib. quæſt.* 6. de identitate. Patet etiam ab ipſo, vbi ſuprà. Et cùm dicit Henricus allegando Simplicium, quòd relatio immediatè fundatur in quantitate, & qualitate, & non in ſubſtantia. Dico, quòd ſi loquamur de ſimilitudine, & æqualitate, vt loquitur Ariſt. 5. Metaph. c. de *ad aliquid*, tex. com. 20. dico, quòd verum eſt, loquendo de ſimilitudine ſtrictè, & propriè, non autem impropriè, vt patet à Doctore vbi ſuprà.

In quo fundatur immediatè relatio.

7. *Dubium.*

l Circa quartum de proceſſu in infinitum, occurrit dubium, quia non videtur, quòd Doctor directè reſpondeat ad argumentum Henrici, vt patet intuenti argumentum illud. Dico, quòd ſi benè attendantur verba Doctoris, directè reſpondet, & ſoluit argumentum Henrici: nam primò probat Doctor quòd impoſsibile eſt relationem, puta ſimilitudinem, eſſe ſine fundamento (puta albedine) in quo fundatur, quia non poteſt eſſe, nec habere *eſſe*, niſi habeat fundamentum, & terminum, puta aliud album pro termino, quia neceſsariò dependet ab illis. Deinde ſequitur, quòd ſi talis ſimilitudo non poteſt eſſe ſine fundamento: ergo ipſa refertur ad fundamentum. Patet, quia diſtinguitur à fundamento, & diſtinctum, inquantum diſtinctum, diſtinctione refertur ad aliud diſtinctum; & ſimiliter alietate refertur ad fundamentum; & talis alieras, quæ fundatur in ſimilitudine, eſt ſimpliciter eadem res cum ſimilitudine. Patet per fundamentum Scoti *præſenti quæſtione, & in tertio, diſtinct.* 8. qui ſic dicit: Cuicunque fundamento repugnat eſſe ſine termino, relatio fundata in illo realiter identificatur illi. Sed repugnat ſimilitudini eſſe ſine termino, puta albo, & alietas fundatur in tali ſimilitudine, & terminatur ad album: ergo eſt eadem realiter cum ſimilitudine, & ſic patet reſponſio ad argumentum Henrici. Cùm ergo dicitur ab Henrico, ſimilitudo eſt alia res à fundamento, conceditur: ſed alietas eſt quædam relatio fundata in ſimilitudine: ergo erit alia à ſimilitudine, & ſic erit proceſſus in infinitum. Dico, quòd ſimilitudo eſt alia à fundamento realiter alia ſeipſa, quia illa alietas eſt realiter ipſa ſimilitudo. Per idem dico de inhærentia, ſi argumentum Henrici intendit ſimile concludere de inhærentia, vt dixi ſuprà. Dico enim, quòd ſi ſimilitudo inhæret, puta albo, & concedo, quòd inhærentia inhæret. Et cùm quæritur de illa inhærentia, aut eſt alia à ſimilitudine, aut eadem. Dico, quòd eadem, quia ſimilitudini repugnat eſſe ſine termino: ergo relatio fundata in tali ſimilitudine, quæ eſt ad terminum, ſine quo ſimilitudo non poteſt eſſe, erit eadem ſimilitudini, & concedo, quòd ſimilitudo ſeipſa inhæret realiter, & ſic non eſt proceſſus in infinitum.

Reſponſio.

Quintò, & vltimò arguit Henricus ibi: *Quinto* relatio non habet diſtinctionem in ſpecies ſuas, niſi penes fundamenta, ergo ſi relatio eſſet alia res à fundamento, haberet ex ſe formaliter diſtinctionem in ſuas ſpecies.

8. *Duplex diſtinctio per intrinſeca.*

m Reſpondet Doctor ibi: *Ad quintum de diſtinctione*, &c. & reſponſio clara eſt, nam duplex communiter aſſignatur diſtinctio. Quædam eſt per intrinſeca, & hoc dupliciter, ſcilicet quiditatiuè, & denominatiuè. Exemplum primi, homo diſtinguitur quiditatiuè ab aſino per rationale, quod eſt ratio formalis diſtinguendi quiditatiuè hominem ab aſino. Exemplum ſecundi, homo albus differt ab homine nigro,

nigro, quia albedo in homine eſt ratio formalis diſtinguendi ipſum accidentaliter à nigro. Eſt alia diſtinctio, quæ ſumitur tantùm ratione fundamenti, Eſt etiam alia diſtinctio, quæ ſumitur à cauſa extrinſeca, ſicut dicimus, quòd A, & B, habent effectiuè diſtinctionem à cauſa producente A, & B. Ad propoſitum ergo dico, quòd paternitas, & filiatio diſtinguuntur ſpecie per proprias differentias intrinſecas, & eſſentiales,& ſi diſtinguuntur per fundamenta,hoc accidit eis. Et ex his patet reſponſio ad omnes obiectiones Henrici.

SCHOLIVM.

Nunc agit Doctor ſpecialiter de relatione creaturæ ad Deum, referens opin. Henr. & aliorum dicentium ipſum fundamentum nihil eſſe, niſi relationem ad Deum, quam impugnat quinque rationibus.

Hen. quodlib. 3. q. 9. Vide Var. q. 4. huius.

2. monol. c. 31.

17. a Hoc ergo viſo de relationibus in communi, videndum eſt de relationibus in ſpeciali creaturæ ad Deum,& eſt vna opinio, quæ dicit illam relationem eſſe eandem fundamento, & hoc ita quòd fundamentum nihil eſt, niſi quædam relatio ad Deum: quia licèt creatura in ſe ſit ens; in reſpectu tamen ad Deum dicitur non ens, ſecundùm Anſelmum: ſic etiam licèt in ſe ſit ens abſolutum, tamen reſpectu Dei non eſt niſi quidam reſpectus Cum iſta videtur concordare illud, quod dicitur quòd relatio ſit ratitudo ſui fundamenti, quod improbatum eſt d. 3 primi. q. de Veſtigio.

b Contra iſtam opinionem eſt Aug. 7. de Trin. cap. 2. *Omne quod relatiuè dicitur, eſt aliquid excepto relatiuo*, & in principio tertij, *Quod nihil eſt ad ſe, non eſt quod ad alterum dicatur.* Fundamentum ergo relationis eſt aliqua entitas formaliter non includens illam relationem formaliter, quia ſi formaliter includeret eam, non eſſet formaliter relatio ad aliud, ſed ad ſe, quia fundamentum ſuum eſt formaliter ad ſe, cum quo ponitur formaliter idem. Nec poſſet eſſe fundamentum primum relationis: ad hoc enim eſſet quærere de illa relatione prima, in qua poneretur: non eſt ergo præcisè aliqua relatio fundamentum alicuius relationis, quod etiam apparet in relationibus diuinis, vbi eſt maxima identitas in fundamento, & tamen fundamentum non eſt formaliter relatio, quia tunc non eſſet perfectio formaliter infinita.

Relatio fundatur ſemper in abſoluto, ſaltem remote de quo 1. d. 19.

1. & 6. Top. & 2. Poſteri. & 7. Meta. t. com. 41. & 42.

18. c Præterea, definitio indicat totam quiditatem rei, ſi eſt perfecta: ſed definitio lapidis non includit eſſentialiter, vel formaliter reſpectum ad aliud, quia tunc non eſſet definitio lapidis, vt eſt in genere abſoluto, & ita non eſſet definitio lapidis, vt eſt in genere Subſtantiæ, vel vt ſpecies ſubſtantiæ: ergo in eſſentia lapidis non includitur formaliter aliquis reſpectus.

d Tertiò ſic, ſecundùm iſtam opinionem, creaturæ non magis diſtinguuntur à Deo, quàm relationes in diuinis inter ſe: quia omnes relationes oppoſitæ ſunt æquè diſtinctæ, & ſpecialiter quæ pertinent ad eundem modum relatiuorum: relationes autem diuinæ, quæ ſunt relationes originis, pertinent ad ſecundum modum relatiuorum, ad quem etiam videntur pertinere illæ relationes, quæ ſunt in Deo ratione cauſæ efficientis ad creaturam: igitur ſi creatura tantùm ſit relatio, & relatio oppoſita in Deo, ſicut filiatio eſt relatio ſubſiſtens oppoſita relationi patris, æqualis erit diſtinctio hinc & inde.

Loquitur in ſententia Henr. quia 1. d. 3. q. 5. negat relationem mutuã in Deo.

e Et confirmatur ratio, quia tunc ſuppoſitum creatum non eſſet niſi relatio quædam ſubſiſtens: & ſic difficilius eſſet concipere modum exiſtendi perſonæ creatæ quàm increatæ.

f Et ſi dicas, quòd creaturæ differunt in natura abſoluta in ſe, non ſic diuinæ perſonæ; hoc videtur deſtruere poſitum, quia tunc creatura habebit eſſentiam abſolutam, quæ non tantùm erit relatio.

Videtur etiam ſequi vlteriùs, quòd minùs differat creatura à Deo, quàm vna perſona diuina ab alia perſona diuina: quia in perſonis diuinis eſt relatio realis & mutua: ſed inter creaturam & Deum non eſt mutua relatio realis: ergo, &c.

Relationes creaturarũ ad Deum ſunt eiuſdẽ rationis.

19. g Quartò ad principale arguitur ſic; quæ diſtinguuntur formaliter non ſunt idem formaliter & præcisè: quia diſtinguerentur formaliter, & non diſtinguerentur formaliter, quia nihil eſſent niſi illud indiſtinctum formaliter: ſed relatio creaturæ ad Deum, non diſtinguitur formaliter, nec ſpecie in diuerſis creaturis: igitur vel creaturæ non differunt ſpecie, vel creatura non erit præcisè illa relatio. Probatio minoris, illis relationibus omnibus in creaturis, correſpondet idem extremum ex parte Dei: relationibus autem alterius rationis, non correſpondet terminus eiuſdem rationis.

Secundum Henr. eſt

h Quintò ſic: in creatura eſt triplex relatio ad Deum: igitur qua ratione ipſa nihil

erit

erit niſi vna relatio, pari ratione nihil erit niſi alia relatio : igitur non poteſt præcisè eſſe aliqua vna iſtarum : nec poteſt eſſe omnes iſtæ : quia omnes iſte differunt formaliter inter ſe, & tunc quælibet vna eſſentia, haberet diſtinctionem formalem à ſeipſa. Vel ſic ; Vna natura formaliter & ſpecificè non eſt plura ſpecificè : ſed quælibet natura habet tres relationes reſpectu Dei, ſpecie differentes : quod patet, quia è conuerſo in Deo ad creaturam ſunt tres relationes ſecundùm rationem : igitur, &c.

relatio veſtigialis, quæ includit eſſe productum & relatio mẽſurati & relatio finitati. de quo 1.d.3.q.5

COMMENTARIVS.

1. *Henr. quodlib.3.q.9.*

a *HOc ergo viſo de relationibus in communi,* &c. Hîc Doctor primò recitat opinionem Henrici *quodlib.3.q.9.* qui dicit, quòd relatio creaturæ ad Deum, eſt eadem realiter cum ipſa creatura, & in hoc non diſcordat à Doctore, qui in præſenti quæſtione probat, quòd talis relatio nullo modo diſtinguitur realiter à creatura ; ſed diſcordat in hoc à Doctore, quia hæc opinio addit, quòd homo nihil aliud eſt, niſi ipſa relatio ad Deum, ita quòd in homine realiter, & formaliter, & quiditatiuè eſt tantùm relatio veſtigialis ad Deum ; quæ etiam opinio diffusè improbata eſt à Doctore *in primo, diſt. 3. q. 5.* Et licèt Doctor ponat ipſam relationem hominis ad Deum eſſe idem realiter cum homine, negat tamen, quòd ſit eadem formaliter, & quiditatiuè cum homine, vt patet præſenti quæſt.. Vult enim Doctor, quòd homo formaliter, & quiditatiuè ſit quoddam abſolutum prius naturâ ipſa relatione ad Deum, vt patet infrà, *præſenti quæſt.& in primo, diſt.3.q.5.* & quòd homo dicat tale abſolutum prius relatione vltra rationes, quas adduxit in primo vbi ſuprà, hîc ſpecialiter adducit aliquas alias rationes, quarum prima eſt ibi :

Licèt relatio hominis ad Deũ, ſit realiter cum homine, non tamen eſt eadẽ formaliter, & quiditatiuè.

2. *Rationes quòd creatura non ſit tãtùm relatio veſtigialis. Expoſitio litteræ.*

Contra iſtam opinionem eſt Aug. &c. Et licèt iſtæ auctoritates priùs expoſitæ ſint *in primo, diſt. 1.quæſt.2.& in quodlib. quæſt.1.* aliqualiter tamen declaro hanc literam. Cùm dicit, *fundamentum relationis eſt aliqua entitas formaliter non includens illam, &c.* Hîc Doctor in iſta litera tangit plura : nam primò ſupponit, quòd detur aliquod fundamentum relationis, quod ſit formaliter entitas abſoluta, vt patet per dictum Auguſtini : & ex hoc ſequitur, quòd relatio fundata in eo non ſit eadem formaliter fundamẽto, nec de forma ipſius, quia tunc ſequerentur duo inconuenientia. Primò relatio eſſet entitas ad ſe formaliter : patet, quia quæ ſunt idem formaliter, & quiditatiuè, ſi vnum eſt formaliter ad ſe, & reliquum : patet, quia dicunt eandem formalitatem, & eſt impoſſibile, quòd eadem entitas formaliter ſit formaliter ad ſe, & formaliter ad aliud. Secundò ſequeretur, quòd entitas formaliter ad ſe eſſet formaliter ad aliud : patet, quia ſi relatio, & fundamentum ſint idem formaliter, & quiditatiuè, ſequitur, quòd cùm relatio ſi formaliter ad aliud, quòd etiam fundamentum erit formaliter ad aliud, quod tamen ponitur entitas abſoluta, vt patet per auctoritatem Augiſtini. Secundò principaliter dicit, quòd relatio non poſſet eſſe fundamentum primum relationis, quia adhuc eſſet quærere de illa relatione prima, in qua poneretur, aut immediatè ponitur in aliquo abſoluto, & habetur intentum ; aut in alia relatione, & ſic proceſſus in infinitum. Si dicatur, quòd ipſe concedit vnam relationem etiam realem immediatè fundari in alia, vt in primo patuit. Dico, quòd hæc inſtantia nulla eſt, quia hîc Doctor loquitur de fundamento vltimato : nam cùm dicit hîc, *nec poſſet eſſe fundamentum primum*, accipit *primum fundamentum* pro vltimato, & ſic patet iſta litera.

Obiectio.

3. *Tertia ratio contra Henricum.*

c *Præterea definitio indicat quiditatem rei.* Hæc eſt ſecunda ratio, quâ Doctor probat, quòd relatio non ſit formaliter idem abſoluto, & ſupponit, quòd lapis ſit de genere abſolutorum, & ſtatim ſequitur, quòd definitio lapidis, & quicquid pertinet ad definitionem lapidis, erit formaliter abſolutum, quia ſi lapis non erit de genere abſolutorum, nec illud quod pertinet ad eſſentiam lapidis. Et quod dicit hic : *Sed definitio lapidis non includit formaliter reſpectum ad aliud*, hoc debet intelligi de definitione fundamentali propriè pertinente ad definitionem lapidis ; non autem de definitione formali, prout eſt formaliter declaratio ipſius definiti, quia vt ſic, eſt tantùm relatio rationis : ſed de hoc vide quæ expoſui *in q.1.* quodlibetorum.

d *Tertio ſic*, hæc eſt tertia ratio contra opinionem Henrici. Et ratio ſtat in hoc ; quia dicit Henricus, quòd relatio eſt ipſa creatura formaliter, puta quòd lapis eſt tantùm relatio effectus ad Deum efficientem, & ſic lapis non magis diſtinguitur à Deo, quàm Filius in diuinis à Patre, quod eſt falſum. Et conſequentia patet, quia relationes oppoſitæ æquè diſtinguuntur, ſicut patet : nam paternitas in Ioanne, & filiatio in Petro, ita diſtinguuntur inter ſe, ſicut paternitas in Franciſco, & filiatio in Socrate, cùm omnes æquè opponantur, quia omnes ſunt relationes ſecundi modi, ſic in propoſito, relatio Filij producti in diuinis, & relatio Patris producentis, ſunt æquè diſtinctæ, ſicut relatio Dei producentis, & relatio lapidis producti, cùm omnes pertineant ad ſecundum modum : ergo ſi lapis nihil aliud eſt, niſi relatio lapidis effecti ad Deum efficientem, ſequitur, quòd lapis non magis diſtinguatur à Deo, quàm Filius à Patre in diuinis : & hæc ratio concludit contra Henricum, ex dictis Henrici ponentis creaturas non magis diſtingui à Deo, quàm relationes diuinæ inter ſe. Et nota, quòd cùm dicit Doctor relationes ſecundi modi fundari in Deo reſpectu creaturæ, non dicit hoc ex intentione ſua, quia expreſsè hoc negat *in primo, diſt.3. q.3.* contra Henricum, quia relationes primi, & ſecundi modi ſemper ſunt mutuæ, vt patet per Philoſophum, *5.Metaph.c.de Ad aliquid, t.c.20.* modò Deus non refertur ad creaturam relatione reali, vt probat in primo, diſt.30.

Aduerte hanc literam.

4.

e *Et confirmatur ratio.* Hæc confirmatio ſtat in hoc, quia ſi lapis eſt tantùm relatio ipſius ad Deum, ergo ſequitur, quòd ſuppoſitum lapidis eſſet tantùm relatio ſubſiſtens : & ſic eſſet difficilius concipere lapidem, quàm concipere perſonam diuinam : eſt enim difficile credere tres perſonas diuinas eſſe verè ſubſiſtentes, & vera ſuppoſita per relationes, & tamen creduntur ibi illa tria ſuppoſita, ſic per relationes conſtituta propter infinitatem

tem diuinæ eſſentiæ, vt patet communiter per Theologos,& maximè per Scotum *in primo, diſt.* 28. & ſic erit difficile concipere ſuppoſitum creatum,ſi tantùm dicat relationem, cùm ſit omnino limitatum,& finitum.

f *Etſi dicas, quòd creaturæ differunt*, &c. Dicit Doctor quòd ſi Henricus vult dicere, quòd ſuppoſitum Franciſci, & Ioannis non differunt tantùm per relationes, ſed per abſoluta: perſonæ verò diuinæ nullo modo differunt per abſoluta, Doctor adducit duo inconuenientia contra Henricum ex dictis eius. Primum,quòd hæc reſponſio deſtruit poſitum:videlicet,quòd non ſunt creaturæ formaliter relationes,ſicut Henricus poſuit,ſecundùm quòd ex dictis Henrici ſequitur, quòd minùs differunt à Deo,quàm vna perſona ab alia: patet,quia ipſe Henricus dicit, quòd creaturæ inquantùm participatæ non differunt ſpecie à Deo, vt patet *in primo,diſt.*3.*q.*5. modò relationes oppoſitæ ex rationibus formalibus plùs differunt, vt patet de paternitate,& filiatione. Sed inter Deum, & creaturam non ſunt relationes oppoſitæ, quia Deus non refertur ad creaturam aliqua relatione reali,vt patuit ſuprà.

Quarta ratio contra Henricum.

g *Quartò principaliter arguitur ſic.* Hæc eſt quarta ratio Doctoris contra Henricum, quæ eſt ſatis clara,& ſtat in hoc, quia relationes creaturarum ad Deum non differunt ſpecie:patet,quia terminantur omnes ad Deum ſub ratione deitatis: nam quando relationes terminantur ad Deum, vt ad terminum,non differunt ſpecie: ſi ergo omnes creaturæ eſſent tantùm relatio formaliter ad Deum,nulla creatura differret ſpecie ab alia,quod eſt inconueniens.

h *Quintò ſic:in creatura eſt triplex relatio ad Deum*,ſecundùm Henricum,qui ponit relationem veſtigialem in creatura, quæ relatio veſtigialis includit relationem producti ad rem producentem, & relationem menſurati,ſiue exemplati ad exemplar diuinum, relationem finiti ad Deum finientem,vt ſuprà patuit *in primo,diſt.*3.*q.*5. Et ex hoc infert Doctor quòd qua ratione ipſa creatura nihil erit,niſi vna relatio,pari ratione nihil erit,niſi alia relatio:igitur non poteſt præcisè eſſe, niſi aliqua vna iſtarum: nec poſſunt eſſe omnes iſtæ ſimul,quia omnes iſtæ differunt formaliter inter ſe: & patet ſecundùm Henricum,qui poſuit illas tres relationes differre ſecundùm tres modos relationum,qui ponuntur ab Ariſtotele 1. *Met.tex.com.* 20.& de hoc vide Henricum,*quodl.*9.*q.*1.*&* 2. Et vltrà ſequitur, quòd tunc quælibet vna eſſentia haberet diſtinctionem formalem à ſeipſa, vel ſequeretur,quòd vna natura formaliter, & ſpecificè eſſet plura ſpecificè, quia eſſent tres relationes ſpecificè diſtinctæ,& ſic patet quomodo rectè improbatur iſta opinio.

5. *Triplex eſt relatio, ſecundùm Henricum.*

SCHOLIVM.

Alia ſententia Henrici, relationem Angeli ad Deum, diſtingui realiter ab eo: quam refutat Doctor,duplici ratione.

Hen.quodlib.9.q.3. Vide Var. vbi ſupr.

ALiter ponitur, quòd iſta relatio Angeli ad Deum, differt realiter ab eſſentia Angeli, quod confirmatur per Auguſt. 5. de Trinit. capite 5. vbi dicit, quòd in creaturis, *quicquid non ſecundùm ſubſtantiam dicitur, reſtat vt ſecundùm accidens dicatur*, & arguitur quòd in creaturis relatio ſit accidens: quod etiam expreſsè vult in eodem libro 5. capite 16. dicens: *Illa ſunt accidentia relatiua, quæ cum aliqua mutatione rerum, de quibus dicuntur, accidunt.* Et vult ex hoc relationem creaturæ ad Deum eſſe accidens: non autem eam, qua relatiuè dicitur Deus ad creaturam, & hoc expreſsiùs dicit ibidem in fine. *Quòd ergo temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifeſtum eſt relatiuè dici: non tamen ſecundùm accidens Dei, quod ei aliquid acciderit, ſed planè ſecundùm accidens eius, ad quod dici aliquid Deus incipit relatiuè.* 20.

Text. 4. Subſtantia prior accidente tripliciter,explicatur.

Contra iſtud: Subſtantia eſt prior accidente tripliciter, ſecundùm Philoſophum, 7. *Meta.* ſcilicet cognitione, diffinitione, & tempore. Et hoc quod eſt eſſe prius tempore intelligitur ſic, quòd nulla eſt contradictio ex parte ſubſtantiæ, quin prior poſſet eſſe duratione omni accidente: ergo non eſt contradictio, quod lapis eſſet prior duratione omni dependentia ad Deum: & per conſequens non eſt contradictio, lapidem non dependere ad Deum, quod videtur abſurdum.

Præterea, Auguſtinus aut accipit ibi *accidens* communiter, pro quolibet mutabili, & tunc ſubſtantia quælibet creata erit accidens, quia eſt mutabilis: aut accipit ibi *accidens* pro mutabili, id eſt, amiſsibili, ſcilicet, quod poteſt alio manente, ſcilicet ſubſtantia, amitti: & hoc manifeſtè eſt poſterius duratione, vel natura. Si hoc modo, igitur relatio creaturæ ad Deum non eſt accidens: quia non poteſt creatura manere, nec duratione, nec natura, ſine iſta.

Et hoc modo videtur ipſe loqui. capite 5. quomodo ſunt aliqua accidentia inſeparabilia: quia, etſi coruus manens non poſsit amittere nigredinem, tamen poteſt amittere plumas, & alia quædam. Hæc quidem non tantùm eſt mutatio: quia ſi ſic,ipſa amiſsio plumæ eſſet mutatio, ſed eſt amiſsio: quia ſicut pluma eſt prior natura nigredine,

nigredine, ita etiam poſſet eſſe poſterius natura nigredine; hoc eſt non primò corrumpi corruptione nigredinis.

COMMENTARIVS.

1. *Relatio eſt accidens.*

Aliter ponitur. Hæc eſt opinio Henrici *quolib. 9. qu. 3.* qui dicit, quòd relatio Angeli ad Deum differt realiter ab eſſentia Angeli, & tota ratio ſua ſtat in hoc, quòd ipſa relatio eſt quoddam accidens, imitando dicto Auguſt. Et litera patet: & quod dicit parum infrà, *quòd ergo temporaliter dici incipit Deus*, &c. Vult dicere, quòd ſi Deus nunc dicatur creator, & priùs non dicebatur creator, manifeſtum eſt relatiuè dici, non tamen ſecundùm accidens Dei, ita quòd talis relatio, qua dicitur creator non eſt accidens Dei, quia ex hoc ſolo dicitur creator, quia relatio creaturæ terminatur ad ipſum Deum, vt clarè dictum fuit in 1. diſt. 30.

Relatio creatura terminatur ad ipſum.

2. *Contra iſtud.* Hîc Doctor improbat hanc poſitionem Henrici: vult enim Doctor quòd relatio Angeli ad Deum, etſi non ſit eadem formaliter ipſi Angelo, eſt tamen eadem realiter, vt probabit. Probat ergo primò, quòd non diſtinguitur realiter ex dicto Philoſ. 7. *Metaph. text. comm. 4.* vbi habetur, quòd ſubſtantia eſt prior accidente, ſcilicet cognitione, definitione, & tempore. Et dicit, quòd eſſe prius tempore debet ſic intelligi, quòd nulla eſt contradictio ex parte ſubſtantiæ, quin prius duratione poſſit eſſe ſine omni accidente, & ſic non eſſet contradictio lapidem eſſe priùs duratione omni dependentia ad Deum, quia talis dependentia ponitur accidens realiter diſtinctum, & ſic lapis poterit eſſe, & non dependere ad Deum, quod eſt abſurdum.

Quomodo creatura poſſit dici accidens.

Præterea Auguſtinus aut accipit ibi accidens pro quolibet mutabili. Sententia huius literæ eſt, quòd Auguſtinus accipit ibi *accidens*, puta quòd iſta relatio creaturæ ad Deum dicatur accidens, accipiendo *accidens* pro quolibet mutabili, & ſic omnis creatura poteſt dici accidens, quia mutabilis, & vertibilis in nihil, & ſic talis creatio eſt mutabilis, non ratione ſui, ſed ratione fundamenti, cum quo realiter identificatur, vt infrà patebit. Aut dicitur accidens accipiendo ly *accidens*, pro quolibet amiſſibili, & ſic relatio creaturæ ad Deum non poteſt dici accidens, quia non poteſt amitti manente fundamento.

SCHOLIVM.

Reſoluit ex propria ſententia relationem creaturæ ad Deum, eſſe idem realiter fundamento, ab eo tamen diſtingui formaliter, & probat vtrumque membrum.

21. [a] AD quæſtionem iſtam igitur dico, quòd relatio ad Deum communis omni creaturæ, eſt idem realiter fundamento: non tamen idem formaliter, nec præcisè idem, ſiue non idem identitate adæquata, ita quòd fundamentum ſit tantùm relatio formaliter.

[b] Primum probatur per duas rationes: quia illud, quod propriè dicitur ineſſe alicui, ſine quo illud non poteſt eſſe ſine contradictione, eſt idem ſibi realiter: relatio autem ad Deum propriè ineſt lapidi, & ſine ea non poteſt eſſe lapis ſine contradictione: ergo illa relatio eſt eadem realiter lapidi. Probatio maioris, quia ſicut contradictio dicta de aliquibus, eſt via concludendi diſtinctionem, ita impoſſibilitas recipiendi prædicationem contradictoriorum pertinentium ad eſſe, eſt via concludendi identitatem ineſſe: & hoc vbi non eſt dependentia eſſentialis, quæ requirit diſtinctionem manifeſtam. Quod declaro oc, quia impoſſibilitas quòd *A*, ſit ſine *B*, aut eſt propter idontitatem *B* ad *A*, aut eſt propter prioritatem, aut ſimultatem in natura: ergo ſi *B* non ſit prius naturaliter quàm *A*, nec neceſſariò ſimul natura: & *A* non poteſt eſſe abſque *B*: ſequitur, quòd *A* ſit idem *B*: ſi autem ſit aliud & poſterius eo, non eſt veriſimile, quòd non poſſit ſine eo naturaliter abſque contradictione: ſed quod ineſt alicui propriè, ſicut relatio ineſt fundamento, hoc eſt, quod ita ineſt, quòd ſi eſſet aliud, eſſet poſterius eo natura: tale nec eſt prius natura, nec ſimul cum eo, cui ineſt: ergo ſi neceſſariò requiritur ad *eſſe* ita quòd illud aliud non poteſt eſſe ſine eo; neceſſariò eſt idem realiter ſibi. Ita eſt in propoſito. Minor eſt manifeſta, quia ſicut incompoſſibile eſt lapidem eſſe ſine Deo, ita incompoſſibile eſt lapidem eſſe ſine dependentia eius ad Deum: nam ſi poſſet eſſe ſine dependentia illa, poſſet eſſe ſine termino illius dependentiæ: non enim eſt incompoſſibilitas eſſendi abſque termino, niſi propter ipſam dependentiam: non eſt autem aliquid non neceſſarium ſimpliciter, ratio ſimpliciter neceſſarij: ergo, &c.

Quod nequit eſſe ſine alio, nec eſt poſterius eo, eſt idem ei realiter.

Hinc videtur partes ſimul ſumptas vnitas non diſtingui à toto, de quo Scot. 3. d. 2. q. 2. a. 1. Ant. And. 7. Met. q. vlt. Tromb. in formal. art. 4. de identit. & diſt.

22. Contra rationem iſtam inſto, quia tunc quælibet relatio, quæ ineſt eſſentiæ diuinæ, per actum intellectus diuini, eſſet eadem illi eſſentiæ. Probatio quia incompoſſibile eſt illi eſſentiæ eſſe ſine ea: ſi enim talis relatio poſſet eſſe noua: ergo intellectus diuinus poſſet mutari, quod eſt incompoſſibile: ſed ponere talem eandem

illi eſt ponere inconueniens, quia tunc eſſet realis. Quicquid enim eſt idem rei, eſt reale: illa autem relatio non eſt realis, *ex diſtinct. 30 primi* ergo, &c.

quæſt. 2. Quære 8. Phyſ. & 2. Cœli & 9. & 12. Metaph. Dupliciter aliquid eſt inſeparabile ab alio.

[d] Reſpondeo incompoſſibilitas ſeparationis, poteſt eſſe ex ratione ipſius à quo aliquid eſt inſeparabile, & poteſt eſſe ab aliquo extrinſeco. Exemplum huius ſecundi, quia ſecundùm Philoſophum, contradictio eſt cœlum eſſe ſine motu: non quidem ex cauſa intrinſeca in cœlo, quia eſt receptiuum motus, & indifferens ad quietem ſicut ad motum: ſed ex cauſa extrinſeca mouente. Non tamen ſequitur, quòd cœlum ſit motus ſuus, licèt non poſſet eſſe ſine eo. Modò dico, quòd incompoſſibilitas eſſendi lapidem abſque dependentia eius ad Deum, eſt ex ratione lapidis præcisè: ex qua etiam eſt ratio incompoſſibilitatis eſſendi lapidem ſine termino dependentiæ. Quicquid enim eſt ratio requirendi terminum dependentiæ, eſt ratio habendi dependentiam illam: ſed in iſta inſtantia adducta, non eſt neceſſitas ſimpliciter inhærentiæ talis relationis, nec incompoſſibilitas oppoſiti ex natura rei, ex parte eſſentiæ diuinæ, quaſi impoſſibile ſit eam eſſe niſi exigat terminum *ad quem*, quem impoſſibile eſt non eſſe: ſed tantùm incompoſſibilitas ex cauſa extrinſeca, ſcilicet in intellectu diuino: cauſa, inquam, ſimpliciter neceſſariò agente: & ideò incompoſſibilitas eſt ex parte eius nouiter agere.

Relatio quæ ineſt intellectui diuino ad creaturam, quomodo non eſt ei idem realiter, cum nõ poſſit ſeparari ab eo. Aliqui libri pro Deo & Deum, habent, termino, & terminum. Di. 19. & alibi, idem in 4. diſt. 6. art. fin. q. 2. & diſt. 12. qu. 1. & in quodl. qu. 3. & 16.

[e] Secunda ratio principalis ad primum membrum ſolutionis eſt iſta, quod vniformiter dicitur de omni alio à Deo, nulli dicto ad Deum accidit: ſed talis relatio communis omni creaturæ, vniformiter dicitur de omni alio à Deo ad ipſum Deum: ergo nulli accidit, & ita eſt idem fundamento. Probatio maioris, quia ſi alicui accideret, pari ratione & alteri: vt puta ſi relatio effectus ad cauſam accideret lapidi, & per conſequens eſſet res alia à lapide, pari ratione ipſa haberet relationem ad Deum, vt effectus ad cauſam, & tunc accideret ſibi alia relatio effectus, & ita eſſet alia relatio & ſic in infinitum. 23.

Relatio fundatur in relatione ſed nõ datur hinc proceſſus.

[f] Contra iſtam rationem inſto, quia non videtur inconueniens, procedere in infinitum in relationibus: dictum enim eſt in primo libro, quòd relatio fundatur ſupra relationem, ſicut proportionalitas ſupra proportionem. Ex hoc arguitur, ſi Socrates eſt idem Platoni: ergo illa identitas Socratis eſt eadem identitati Platonis. Et pari ratione illa ſecunda identitas, eſt eadem identitati; & prima identitas erat ab alia identitate fundamenti, quia fundamentum poterat eſſe ſine ea: ergo pari ratione quælibet identitas erit alia ab identitate illius cuius eſt: & ita erunt infinitæ relationes reales. Et ita poteſt argui de proportionalitatibus & ſimilitudinibus.

identitates Socratis & Plato. ſint A. B. & identitates harũ identitatum C. D. in quib. ſiſtitur, quiæ A. non poteſt eſſe ſine C, id eſt identitate in ipſa fundata.

Ad iſtud reſpondeo, quòd ſtatus eſt in ſecundo. Quod vt intelligatur accipiantur prima fundamenta Socrates & Plato, inter quæ eſt identitas mutua, & dicatur illa in Socrate *A*, & illa in Platone *B*, identitas autem *A* ad *B*, dicatur *C*, & illa identitas è contrario in *B* dicatur *D*: dico tunc, quòd *A* differt à Socrate, quia Socrates poteſt eſſe ſine *A*, quia poteſt eſſe ſine eius termino, & ipſa non poteſt eſſe ſine termino, *A* tamen non differt à *C*, ſed *C* eſt idem ſibi: quia *A* non poteſt eſſe ſine *B*, cùm ſint ſimul naturâ: & per conſequens contradictio eſt *A* eſſe: niſi tam fundamentum eius, quod eſt *C*, quàm etiam terminus eius ſit: ſed fundamento, & termino ipſius *C* exiſtentibus, neceſſariò erit *C*: ergo contradictio eſt *A* eſſe ſine *C*, & *C* ineſt formaliter *A*, quia *A* dicitur idem ipſa eadem identitate, quæ eſt *C*; ergo *C* eſt idem ipſi *A*, & per conſequens ibi erit ſtatus. 24.

Creationẽ paſſiuam diſtinctam eſſe à fund. formaliter

[g] Et ſi quæras, qua identitate eſt *C* idem ipſi *A*, dico, quòd ipſo *A*, quia illa identitas non eſt niſi rationis, quia ſimpliciter eiuſdem ad ſe. Eodem modo eſt ſtatus de ſimilitudinibus proportionalitatum: quia vna proportionalitas eſt ſimilis alteri ſimilitudine eſſentiali. Duo etiam indiuidua eiuſdem ſpeciei dicuntur ſimilia in forma ſpecifica: & ita ſicut eſt ſtatus in identitate ſpecifica in ſecundo, non in primo, ita & in ſimilitudine proportionalitatum.

Supra in principio ſolutionis rationis, 5.

[h] Secundum membrum, ſcilicet, quòd relatio non ſit eadem formaliter fundamento, ſuppono manifeſtum ex intellectu eius, quòd dicitur formaliter idem: quia per ſe ratio reſpectus, non includit formaliter rationem abſoluti: nec abſolutum per ſe includit formalem rationem reſpectus. Similiter quod ibi additur, quòd fundamentum non ſit præcisè ipſa relatio; hoc probatur contra primam opinionem & tunc intelligo, qualiter poſſit eſſe vera identitas, & non præciſa hoc modo: quando in creaturis aliquid continet per identitatem, ſiue vnitiuè plura, non eſt hoc ex perfectione illius contenti, ſed ex perfectione continentis: ſicut anima intellectiua ſecundum aliquos continet animam vegetatiuam, & formam ſubſtantiæ: non eſt hoc ex perfe- 25.

Relatio creaturæ ad

ctione

ctione formæ ſubſtantiæ:quia ipſa non continet omnes formas alias,ſed ex perfectione animæ intellectiuæ. Similiter ſi hoc ens, contineat quamlibet paſſionem entis, vt veritatem & bonitatem & vnitatem : non eſt tamen iſta continentia ex perfectione continenti,ſed ex perfectione continentis Quemadmodum & in diuinis,quòd relatio ſit eadem fundamento,nõ eſt ex perfectione relationis,quaſi ipſa contineat eſſentiam per identitatem : ſed ex infinitate formali eſſentiæ, propter quam ipſa habet in ſe relationem per identitatem. *Deum,non eſt eadem adæquatè fundamẽto explicatur.*

In omnibus iſtis, & maximè in creaturis,continens non eſt præcisè contentum:ſed eſt ita perfecta entitas in ſe,ſicut eſſet, ſi contentum eſſet extra ſe, vel ſibi additum: Imò perfectior entitas eſt, quia ex perfectione ſua continet omnem aliam entitatem. Vnde anima intellectiua non tantùm eſt forma ſubſtantialis, vt ſenſitiua : quia tunc non eſſet perfecta:ſed eſt ita perfecta illa vltima entitas,quæ eſt ibi,ſicut ſi præſupponeret aliam entitatem â ſe.

Ita dico in propoſito, quòd fundamentum non eſt tantùm relatio, quam continet per identitatem:ſed eſt ita abſolutum,ſicut ſi relatio eſſet ſibi addita,vel omnino nullam haberet relationem,quia non eſt hoc ex imperfectione ſua, ſed ex perfectione, vel ſimpliciter,vel aliqualiqualiter : quia continet illam relationem per identitatem. ita quòd ipſa continentia, quaſi præuenit ipſam accidentalitatem relationis, ne ipſa poſſit eſſe accidens,quia ipſa perfectè continetur in ſubſtantia : quæ tamen relatio, ſi non ſic contineretur,ex ſe non haberet fortè, quòd eſſet per identitatem ſubſtantia.

COMMENTARIVS.

1 *Pulcherrima doctrina de formalitatibus, & brevis.*

a AD *quæſtionem iſtam*,&c. Sed antequam exponatur opinio Doctoris, pro clariori intelligentia præmitto ſub breuitate diſtinctiones, & identitates, quæ in variis locis à Doctore ſubtili ponũtur,quibus ſub breui cõpendio declaratis inferã propoſitum Doct. Dico ergo primò, quòd illa ſola ratione diſtinguuntur,hoc eſt, per actum collatiuum intellectus, quæ tantùm ſunt entia rationis, vel quando vnum extremum eſt ens reale, & aliud ens rationis, ſicut animal, & genus ſola ratione diſtingũntur. Econtra,illa ſunt eadem ratione, quæ non poſſunt diſtingui per actum collatiuum intellectus,vt ſecunda intentio generis in ſe comparata, & nulli alteri cõparata, ſed ſimpliciter in ſe ſumpta, eſt idem ſibi ratione ; poteſt tamen ratione diſtingui à ſeipſa, comparando eam ad ſeipſam vt comparando intentionẽ generis,vt in ſubiecto,ad ſeipſam, vt in prædicato:ſic dicendo, *genus eſt genus*, nam generi, vt in ſubiecto competit hæc ſecunda intentio,ſcilicet *eſſe ſubiectum*,& vt in prædicato competit ſibi hæc ſecunda intentio,quod eſt *eſſe prædicatum* : hoc idem cenſeo, cùm dico, homo eſt homo, *homo* vt in ſubiecto diſtinguitur à ſeipſo, vt in prædicato tantùm ratione, quia vt in ſubiecto aliquis reſpectus rationis ſibi conuenit, qui ſibi non conuenit, in prædicato, vt ſupra patuit de genere. *Diſtinctio rationis.*

2 *Diſtinctio ex natura rei.*

Secunda diſtinctio, quæ eſt minima inter omnes diſtinctiones, quæ ſunt præter opus intellectus, nominatur à Doctore *diſtinctio ex natura rei :* & licèt omnis diſtinctio præter opus intellectus dicatur diſtinctio ex natura rei, tamen quia aliqua eſt verè realis, aliqua formalis, & aliqua eſſentialis, *&c.* In propoſito quando loquimur de diſtinctione ex natura rei, accipimus minimam diſtinctionem præter opus intellectus, & ſic homo ab animali, & â rationali, tantùm ex natura rei diſtinguitur, quæ diſtinctio apparet ex hoc, quòd quando aliquid ex natura rei competit alicui, quod repugnat alteri, cum quo tamen ſtat vera identitas realis, formalis, & eſſentialis, ſolùm diſtinguitur ex natura rei, ſicut homini ex natura rei competit, quòd ſit totum quiditatiuè, & animali repugnat reſpectu hominis, qui tamen homo eſt idem realiter,eſſentialiter, & formaliter ipſi animali : ſequitur, quòd homo tantùm diſtinguitur ab animali ex natura rei. Et per oppoſitum illi ſunt idem ex natura rei, quæ ſic ſe habent, quòd impoſſibile eſt aliquid ex natura rei competere vni, quin illud idem competat alteri ; & ſic homo erit idem ſibimet ex natura rei : & breuiter illa poſſunt dici eadem ex natura rei, in quibus nulla apparet diſtinctio præter opus intellectus;vel ſi aliquo modo diſtinguuntur,in ratione ratiocinante diſtinguuntur, ſicut dicerent Thomiſtæ. *Diſtinctio formalis.*

Tertia diſtinctio eſt formalis, & hæc eſt duplex : quædam poſitiua, & quædam negatiua, quæ diſtinctio patet à Doctore *in primo diſtinct. 2.parte 1. quæſtione 1. & diſtinct. 8. quæſtione 1. reſpondendo ad principalia argumenta.* Diſtinctio formalis, & poſitiua eſt propriè inter duas formalitates ; & pro nunc hoc ſufficiat, quòd quando vnum non includit aliud quiditatiuè, & ſunt duæ formalitates,illa verè diſtinguũtur formaliter, ſicut patet de animali, & rationali ; & ſimiliter de ſubiecto, & propria paſſione ; & illa tantùm formaliter diſtinguuntur poſitiuè, quæ præſuppoſita identitate eſſentiali, & reali dicunt duas formalitates, quarum vna nõn includit aliam quiditatiuè, & ſic poſita identitate eſſentiali, & reali animalis, & rationalis in homine, inter ſe animal, & rationale formaliter diſtinguntur, vt patet à Doctore *in primo diſtinctio 8. vbi ſupra.* Et talis diſtinctio formalis ſemper præſupponit diſtinctionem ex natura rei. Econtrà verò illa ſunt eadem formaliter, quæ ſic ſe habent, quòd vnum formaliter, & quiditatiuè includit aliud, & hôc dupliciter ; aut adæquatè, & conuertibiliter ; aut *Identitas formalis. Inferius eſt idem formaliter ſuperiori.*

non adæquatè. Exemplum primi: definitum includit quiditatiuè, & adæquatè definitionem, & ſic homo, & animal rationale ſunt idem formaliter adæquatè, quia conuertibiliter. Vnde benè ſequitur, homo eſt idem formaliter animali rationali ſic adæquatè, quòd quiditatiuè nihil aliud includit. Econtra ſequitur, animal rationale ſic adæquatè dicit totam quiditatem hominis quòd non excedit, neque exceditur; & hoc modo non tantùm homo eſt idem formaliter animali, & rationali, ſed etiam animal rationale eſt idem formaliter homini. Exemplum ſecundi, ſcilicet de identitate formali non adæquata, eſt de quolibet inferiori reſpectu ſuperioris, quia inferius includit formaliter ſuum ſuperius, & eſt idem formaliter ſuo ſuperiori, non autem ècontra, quia ſuperius non eſt idem formaliter ſuo inferiori, & hoc modo fortè intelligitur dictum *in primo, diſtinctione 2. part. 2. quæſtione 1.* vbi ſic dicit; voco autem identitatem formalem vbi illud, quod dicitur ſic idem includit illud, cui ſic eſt idem in ratione ſua formali, & per conſequens in primo modo dicendi per ſe.

4. Si tamen volumus dicere, quòd etiam definitum ſit idem formaliter definitioni, & non ècontra. Adhuc poſſumus dicere, quòd eſt idem ſibi adæquatè, & conuertibiliter, quia nihil aliud includit formaliter pertinens ad eius quiditatem: reſpectu verò ſuperioris eſt idem formaliter, inadæquatè tamen, quia vltra entitatem ſuperiorum includit differentias ad eius quiditatem pertinentes: & ſimiliter homo, & ſi ſit idem formaliter rationali, quia includit illud quiditatiuè, non tamen eſt idem formaliter adæquatè, cùm rationale non dicat totam quiditatem hominis, quæ omnia benè nota.

Nota etiam, quòd identitas formalis, ſiue adæquata, ſiue non adæquata, ſtat cum diſtinctione ex natura rei, id eſt, quòd ſi *A*, & *B*, puta definitio, & definitum ſint eadem formaliter, diſtinguuntur tamen ex natura rei. De alia diſtinctione formali negatiua, & non poſitiua, dico breuiter, quòd quando aliqua duo ſic ſe habent, quòd præſuppoſita identitate eſſentiali, & reali, non dicunt duas formalitates, ſed vnum dicit formalitatem, & aliud tantùm gradum intrinſecum ipſius formalitatis: tantùm formaliter, & negatiuè diſtinguuntur, ſic intelligendo, quòd ſunt non idem formaliter, vel non ſunt idem formaliter, quia vnum non includit aliud quiditatiuè: & hoc modo Deitas non eſt idem formaliter cum infinitate, quæ à Doctore *in diſtinct. 3. quæſt. 1.* ponitur gradus intrinſecus eſſentiæ diuinæ, licèt *in quinta quæſtione quodlib.* videatur quodammodò dicere, quòd ſit de quiditate Dei. Sed de hoc vide expoſitionem, quàm ibi feci; ſufficit mihi, quòd gradus intrinſecus non ſit idem formaliter cum eo, cuius eſt gradus, & hoc patet à Doctore *in primo diſtinct. 8. quæſt. 2.* Et ſi inferatur *A*, & *B*, ſunt non idem formaliter; ergo diſtinguuntur formaliter: negatur conſequentia, quia in antecedente negatur formalitas, & in conſequente ponitur, id eſt, quòd in antecedente, cùm dicitur, ſunt non idem formaliter, non ponuntur duæ formalitates: & in conſequente cùm dicitur, diſtinguuntur formaliter, ponuntur actu duæ formalitates; & ſic intelligi debet illa conſequentia, quàm negat Doctor *in 1. diſt. 2. part. 2. q. 1.* ſunt non idem formaliter, ergo diſtinguuntur formaliter, negat conſequentiam, propter cauſam ſuperiùs dictam. Iſta tamen diſtinctio formalis, & negatiua præſupponit diſtinctionem ex natura rei, vt patet intuenti.

5 *Diſtinctio eſſentialis. Eſſentia poteſt accipi multipliciter.*

Quarta diſtinctio dicitur diſtinctio eſſentialis. Pro cuius intelligentia eſt aduertendum, quòd *eſſentia* poteſt accipi multipliciter. Primò, pro entitate quiditatiua, quæ tantùm dicit *eſſe* poſſibile, ſicut dicimus, ab æterno habet *eſſe* quiditatiuum, ſiue *eſſe* poſſibile, ſiue *eſſe* intelligibile, quod *eſſe* eſt tantùm *eſſe* ſecundùm quid. Alio modo accipitur *eſſentia* pro entitate ſimpliciter, & hoc modo non diſtinguitur ab exiſtentia, vt infrà diffusè exponam, & aliqualiter ſuprà patuit *diſtinct. præſenti, q. 2. & in primo, diſtinct. 36. & in tertio, diſtinct. 6.* Secundò eſt aduertendum, quòd diſtinctio eſſentialis poteſt dupliciter intelligi, aut quæ eſt inter quiditates, & quiditates habentes *eſſe* ſecundùm quid: & hoc dupliciter, aut inter quiditates ſpecie diſtinctas; aut inter quiditates ſolo numero diſtinctas. Secundò, poteſt dici *diſtinctio eſſentialis*, quæ eſt inter entitates eſſentiales habentes *eſſe* ſimpliciter, & hoc dupliciter, aut inter entitates eſſentiales ſpecificè diſtinctas; aut inter entitates eſſentiales ſolo numero differentes. *Diſtinctio eſſentialis poteſt dupliciter intelligi.*

6 *1. Concluſio. 2. Concluſio.*

His præmiſſis dico quatuor concluſiones. Prima: Omnes entitates quiditatiuæ habentes *eſſe* ſecundùm quid, modo præexpoſito, ſpecificè diſtinctæ, diſtinguuntur eſſentialiter, diſtinctione ſpecifica. Secunda omnes entitates quiditatiuæ ſolo numero differentes, habentes *eſſe* ſecundùm quid, diſtinguuntur eſſentialiter, diſtinctione tamen numerali: & quæ diſtinguuntur eſſentialiter his modis, non diſtinguuntur realiter; accipiendo diſtinctionem realem, vt infrà exponam, quæ fundatur ſuper exiſtentiam. Tertia concluſio, omnes entitates eſſentiales habentes *eſſe* ſimpliciter, quæ non diſtinguuntur realiter ab exiſtentia, diſtinguuntur eſſentialiter ſimpliciter, diſtinctione ſpecifica, ſi talis diſtinctio eſt inter entitates eſſentiales ſpecie diſtinctas: Si verò eſt inter entitates eſſentiales ſolo numero differentes, tales entitates diſtinguuntur eſſentialiter numeraliter, vt patet de natura Ioannis, & Franciſci. *3. Concluſio.*

Quarta concluſio eſt, quòd quæcunque diſtinguuntur eſſentialiter diſtinctione fundata ſuper entitate habente *eſſe* ſimpliciter, diſtinguuntur realiter: & hoc modo ſemper diſtinctio eſſentialis infert realem, & ècontra; quia ex quo diſtinctio realis eſt inter rem, & rem exiſtentem, ſequitur, realiter numeraliter diſtinguuntur; & quæ realiter ſpecificè diſtinguuntur, etiam eſſentialiter ſpecificè diſtinguuntur. Et loquor ſemper de diſtinctione reali, quæ propriè eſt inter rem, & rem; quod dico propter realem diſtinctionem perſonarum in diuinis, quæ licèt diſtinctio ſit inter aliam, & aliam ſubſiſtentiam, non tamen inter aliam, & aliam rem propriè, quia alia, & alia res includit aliam, & aliam entitatem eſſentialem. Si ergo diſtinctio eſſentialis accipitur vt diſtincta à diſtinctione reali, accipitur diſtinctio eſſentialis, provt eſt inter aliam, & aliam quiditatem: & ſi accipiatur vt eſt inter aliam, & aliam eſſentiam, *4. Concluſio.*

eſſentiam, debet accipi pro quanto talis diſtinctio fundatur ſuper eſſentiam, vt aliquo modo diſtincta ab exiſtentia: quia tamen talis exiſtentia eſt ſimpliciter idem eſſentiæ, abſolutè, & ſimpliciter loquendo, vna infert aliam, ſcilicet quòd realis infert eſſentialem, & è contrà.

7 *Eſſentialis identitas multipliciter.*

Ex his quæ dicta ſunt de diſtinctione eſſentiali facilè erit manifeſtum quid ſit identitas eſſentialis. Vnde *identitas eſſentialis* poteſt multipliciter contingere. Primò accipiendo *eſſentiam* pro quiditate; poteſt eſſe identitas eſſentialis ſpecifica, & numeralis: indiuidua enim eiuſdem ſpeciei, vt ſunt per ſe in Prædicamento, ſunt idem eſſentialiter in ſpecie ſpecialiſſima, & ad inuicem identitate tantùm ſpecifica & ſic intelligitur illa propoſitio: eo modo, quo indiuidua ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, inter ſe ſunt idem identitate ſpecifica; illa verò, quæ ſunt in eodem numero, conſtituendo ipſum, ſunt idem eſſentialiter numeraliter, & ſic natura cum ſua ſingularitate in Franciſco ſunt idem eſſentialiter.

Aliqua eſſe idem eſſentialiter dupliciter.

Aduerte tamen, quòd aliqua dicuntur idem eſſentialiter dupliciter, & hoc tam ſpecificè, quàm numeraliter. Primò, quando aliquid pertinet ad eſſentiam alterius: & hoc modo dicimus, quòd homo, & rationale ſunt idem eſſentialiter, quia homo includit in ſua eſſentia rationalitatem, & ſic illa entitas eſſentialis, quâ homo eſt idem rationali, vel ſuperiori, non differt ab entitate formali: & hoc modo Doctor multoties vtitur identitate eſſentiali pro formali, & è contrà. Alio modo aliqua dicuntur idem eſſentialiter ſpecificè, non quòd vnum includat aliud eſſentialiter, ſed quia vnum non poteſt diſtingui ſpecie ab alio, quod tamen eſt ſic intrinſecum alteri, quòd eſt impoſſibile vnum intelligi ſine altero: & hoc modo ſpecies ſpecialiſſima, & propria paſſio ſunt idem eſſentialiter. Et talis identitas eſſentialis nullo modo poteſt dici identitas formalis, cùm ibi vnum non includat aliud quiditatiuè, imò cum tali identitate eſſentiali ſtat diſtinctio formalis poſitiua, cùm vtrumque dicat formalitatem, quarum vna in ſuo intellectu quiditatiuo non includit aliam. Sequitur etiam, quòd identitas ſpecifica, & gradus eius intrinſecus ſunt idem eſſentialiter iſto ſecundo modo, quia gradus intrinſecus, eſt ſic intimus, quòd vnitas ſpecifica non poteſt perfectè concipi ſine gradu intrinſeco, nec poteſt intelligi ſine tali gradu: & maior inſeparabilitas eſt inter ſpeciem, & gradum ſuum, quàm inter ipſam, & propriam paſſionem. Et cum tali identitate eſſentiali nullo modo ſtat diſtinctio formalis poſitiua, quæ eſt inter duas formalitates, quia gradus intrinſecus non dicit formalitatem diſtinctam ab eo, cuius eſt gradus; ſtat tamen diſtinctio formalis negatiua, id eſt, non identitas formalis eo modo, quo ſuprà expoſui.

Propria paſſio eſſentialiter ineſt ipſi homini, id eſt inſeparabiliter, non autè quòd ſit de eius eſſentia.

8 De identitate eſſentiali numerali poteſt dupliciter intelligi. Primò, quòd illa dicuntur idem eſſentialiter numeraliter, quæ ſic ſe habent, quòd vnum eſt de conſtitutione alterius, ſic quòd vnũ in ſuo *eſſe* de neceſſitate includat aliud: & hoc modo ſi indiuiduum ſit aliquod conſtitutum ex natura, & hæcceitate, eſt idem eſſentialiter cum ſua hæcceitate, & ſimiliter natura in tali indiuiduo eſt idem eſſentialiter: & cum tali identitate eſſentiali ſtat diſtinctio formalis, ſaltem negatiua; quia etſi indiuiduum includat hæcceitatem, vt conſtitutiuam, quia tamen hæcceitas nõ pertinet ad entitatẽ quiditatiuam, ideò ſequitur, quòd sũt non idem formaliter: nec ſequitur, non pertinet ad entitatem quiditatiuam; ergo non ſunt idem eſſentialiter numeraliter; quia etſi non pertineat ad entitatem quiditatiuam indiuiduj, eſt tamen ſic idem indiuiduo, quòd eſt impoſſibile eſſe vnum ſine altero, & vnum intelligi ſine altero.

Dico etiam, quòd in Franciſco natura, & hæcceitas ſunt idem eſſentialiter numeraliter, & cum tali identitate ſtat formalis diſtinctio, quia vnum non includit aliud in ſuo intellectu quiditatiuo. Indiuiduum etiam, & gradus ſuus intrinſecus sũt idem eſſentialiter numeraliter, propter rationem ſuperiùs dictam de identitate ſpecifica eſſentialis ſpeciei, & gradus intrinſeci; & cum tali identitate eſſentiali ſtat non identitas formalis.

Similiter indiuiduum, & omnis propria paſſio contracta ad indiuiduum quorũcunq; ſuperiorũ, ſunt idem eſſentialiter, quia eſt impoſſibile intelligere indiuiduum ſine paſſionibus omnium ſuperiorum: & cum tali identitate eſſentiali ſtat diſtinctio formalis etiam poſitiua, cùm vnum non includat aliud in ſuo intellectu quiditatiuo.

Nota.

Nota etiam, quòd cùm identitate eſſentiali tam ſpecifica, quàm numerali ſumpta omnibus modis ſupradictis, non ſtat, neque diſtinctio realis, neque identitas realis: quia talis identitas fundatur propriè ſuper exiſtentiam, & ſi aliquando cõcedatur, quòd ſunt idem realiter, impropriè tamẽ dicuntur idem realiter, cùm vt ſic præſcindatur ab omni exiſtentia actuali: niſi dicatur, quòd ſunt idem realiter potentialiter, quia quando ſunt in actuali exiſtentia ſunt idem realiter actualiter, quia omnia ſupradicta dicunt ſimpliciter eandem exiſtentiam, reddendo ſingula ſingulis.

9 Loquendo verò de illa identitate eſſentiali, quæ reſpicit rem in *eſſe* ſimpliciter, de qua ſuprà dixi, dico aliquas concluſiones. Prima, eſſentia actu ſimpliciter eſt idem eſſentialiter cum propria paſſione, & cum paſſionibus omnium ſuperiorum, & cum gradu intrinſeco: quia eſt impoſſibile eſſentiam ſpecificam in *eſſe* ſimpliciter eſſe ſine omnibus iſtis. Si tamen eſſentia ſpecifica poſſit intelligi habere verum *eſſe* ſimpliciter; quod dico, quia vt ipſa præſcindit à ſingularibus actu exiſtentibus, nullum *eſſe* ſimpliciter habet, vt patet à Doctore *in iſto ſecundo, diſt. 3. quæſt.* 1. dum tamen intelligitur in ſingularibus actu exiſtentibus, habet verum *eſſe* ſimpliciter; & cum tali identitate eſſentiali non ſtat propriè nec identitas, nec diſtinctio formalis, quia talis, propriè loquendo, præſcindit ab actuali, exiſtentia. Dico etiam, quòd ſi Franciſcus, & Ioannes ſunt idem eſſentialiter in homine habente *eſſe* ſimpliciter; illa identitate, quâ sũt idem in homine, ſunt idem inter ſe, & ſicut in homine non diſtinguuntur eſſentialiter & ſpecificè, ita nec inter ſe diſtinguuntur eſſentialiter ſpecificè. Et cum tali identitate eſſentiali omnibus modis ſupradictis quantùm ad *eſſe* ſimpliciter, ſtat identitas realis. De identitate eſſentiali numerali quoad *eſſe* ſimpliciter, dico, quòd in Franciſco natura, & hæcceitas, & gradus intrinſecus, & omnis paſſio ſuperiorum, ſunt idem eſſentialiter, licèt vnum non ſit de eſſentia alterius, ſed ſic idem eſſentialiter, quòd eſt impoſſibile vnũ habere *eſſe* ſimpliciter ſine omnibus iſtis, &

cum tali identitate eſſentiali ſemper ſtat identitas realis numeralis, & quæ ſic ſunt idem eſſentialiter in aliquo vno numero, eadem, identitate eſſentiali numerali ſunt idem inter ſe.

10 Aduerte tamen,quòd in Franciſco,etſi ſit tantùm vnum eſſe ſimpliciter,& vna exiſtentia ſimpliciter,poſſunt tamen in eo diſtinguí plures exiſtentiæ, quæ tamen omnes ſunt vna realiter: nam in Franciſco natura dicit propriam exiſtentiam formaliter, & hæcceitas propriam; & propriæ paſſiones propriam; & ſic ſunt plures exiſtentiæ propriæ,ſaltem ex natura rei, ad inuicem diſtinctæ, quæ tamen omnes in Franciſco dicunt vnam exiſtentiam realiter, & ſimpliciter, quod benè nota propter multa occurrentia. *Nota.* Nec ſequitur *A*, & *B*, dicunt aliam, & aliam exiſtentiam, ergo propriè realiter diſtinguuntur; quia in antecedente oportet addere ſic: *A* & *B*, dicunt aliam & aliam exiſtentiam realiter ſecundùm aliam, & aliam rem: ergo realiter diſtinguuntur. Sed non ſequitur *A*, & *B*, dicunt aliam, & aliam exiſtentiam ſecundùm aliam, & aliam realitatem; vel ſecundùm aliam,& aliam formalitatem:ergo realiter diſtinguuntur:non ſequitur, quia plus ſignificatur in conſequente, quàm in antecedente.

Aduerte etiam, quòd in compoſito habente veram eſſentiam ſimpliciter,partes componentes ſunt realiter diſtinctæ,& ab eſſentia compoſiti,& à ſe inuicem, vt patet à Doctore *in tertio diſt.* 2. non tamen dicuntur diſtingui eſſentialiter, nec ſpecificè,nec numeraliter;quia quæ ſic eſſentialiter diſtinguuntur,accipiendo ſemper *eſſentialiter* ſecundùm *eſſe* ſimpliciter,ſunt diſtinctæ eſſentiæ; ſed partes componentes non ſunt diſtinctæ eſſentiæ,nec ſpecificè;nec numeraliter,patet. Nec tamen ſequitur, non ſunt diſtinctæ eſſentiæ ab inuicem,nec à toto compoſito: ergo ſunt idem eſſentialiter. Patet in ſimili,entitas, & gradus intrinſecus non ſunt diſtinctæ formalitates; ergo ſunt idem formaliter,non ſequitur:ſic in propoſito. Si tamen eſſentia ſecundùm *eſſe* ſimpliciter partialiter accipiatur,dico,quòd partes eſſentiales conſtituentes totum eſſentialiter,eſſentialiter diſtinguuntur,& à ſe inuicem,& à toto,quia vnum poteſt eſſe ſine altero. Si dicatur, quòd eſt de eſſentia alterius, eſt idem eſſentialiter illi, & eſt de intrinſeca ratione illius; concedo ſecundam partem, & nego primam. Scilicet concedo iſtam, *quod eſt de eſſentia alicuius, eſt de intrinſeca ratione illius*:iſtam tamen nego, *quod eſt de eſſentia alicuius eſt idem eſſentialiter illi.* *Totum compoſitum eſt idem eſſentialiter partibus componentibus.* Concedo tamen, quòd totum compoſitum eſt idem eſſentialiter partibus componentibus, quia compoſitum eſſentiale includit illas eſſentialiter; & ſic concedo quòd compoſitum eſt realiter idem partibus componentibus, tam ſimul ſumptis, quàm ſeorſum ſumptis: non tamen ſequitur ècontra,humanitas eſt idem eſſentialiter animæ intellectiuæ,& corpori organico; ergo anima intellectiua & corpus organicum ſunt idem eſſentialiter humanitati,non ſequitur: quia corpus, & anima poſſunt eſſe ſine humanitate,vt patet in triduo, & tamen tam anima, quàm corpus eſt de eſſentia humanitatis.

11 Si dicatur, nonne Doctor *in tertio diſt.* 2.dicit, quòd totum eſſentiale realiter,& eſſentialiter diſtinguitur à partibus eſſentialibus ſeorſum ſumptis,& ſimul ſumptis; ergo non eſt idem eſſentialiter illis. Dico, quòd verba Doctoris debent ſanè intelligi,intendit enim ibi probare, quòd totum eſſentiale dicat entitatem abſolutam aliam à partibus,& quòd totum eſſentiale non ſit tantùm partes eſſentiales ſimul ſumptæ, vt dicit Commentator *primo Phyſicoeum comment.* 17. Et probat ibi, quia *A*,& *B*, poſſunt eſſe ſine *A B*. ergo compoſitum ex *A* & *B*, includit aliud, quàm *A* & *B*. Poſito ergo,quòd totum eſſentiale dicat entitatem abſolutam aliam à partibus, cùm dicit Doctor quòd tale totum diſtinguitur realiter, & eſſentialiter à partibus, ſic debet intelligi, quòd partes eſſentiales verè,& realiter diſtinguuntur â toto, quia poſſunt eſſe ſine toto, non tamen totum realiter diſtinguitur à partibus, quia eſt impoſſibile ipſum totum habere *eſſe* abſolutum, & reale ſine partibus,conſtituentibus.

Si dicatur,hoc videtur impoſſibile,quòd ſi *A*, eſt idem eſſentialiter *B*, quòd *B* non ſit idem eſſentialiter *A*, dico quòd non ſequitur hoc eſſe impoſſibile,quia hæc eſt vera:*homo eſt idem formaliter animali*,& tamen hæc eſt falſa, *animal eſt idem formaliter homini*, vt ſuprà expoſui ſecundùm verba Doctoris *in primo diſtinct.* 2. *part.* 2. *quæſt.* 1. in corpore quæſtionis,& in reſponſione ad primum argumentum principale: ſic eſt in propoſito de toto eſſentiali, & de partibus; ex quo enim totum eſſentiale conſtat intrinſecè ex partibus eſſentialibus, ita quòd partes eſſentiales ſunt de intrinſeca ratione eſſentiali totius,ſequitur, quòd ipſum totum erit idem eſſentialiter,& realiter partibus, & non èconträ. *Obiectio.* Si dicatur, eſt impoſſibile quòd *A*, includat *B*, ſecundùm identitatem realem, & quòd *B* non ſit idem realiter *A*,

12 Dico, quòd aliud eſt loqui de identitate non conuertibili,& aliud de conuertibili:in propoſito totum eſt idem realiter,non tamen conuertibiliter:ſubiectum verò eſt idem realiter propriæ paſſioni conuertibiliter; quia ſicut homo eſt idem realiter riſibilitati, ita èconträ; & ſicut homo non poteſt eſſe ſine riſibilitate, ita nec èconträ. Si dicatur, ſi totum eſſentiale non diſtinguitur à ſuis partibus realiter,quia eſt impoſſibile eſſe ſine illis, ſtatim videtur ſequi, quòd relatio ſit idem realiter cum fundamento, quia non poteſt eſſe ſine illo,vt patet à Doctore *in* 4.*diſt.* 19. *Reſponſio.*

An totũ eſſentiale ſit cõmune ſuis partibus. Dico, quòd non eſt ſimile, quia totum eſſentiale ſic eſt idem ſuis partibus, quòd illæ partes ſunt de intrinſeca ratione ipſius;ideò eſt impoſſibile intelligere humanitatem,non intellectis partibus intrinſecè componentibus: non ſic eſt de relatione, quia licèt relatio non poſſit intelligi, termino, & fundamento non præintellectis, tamen in ſuo *eſſe* quiditatiuo non includit fundamentum,& terminum,nec pertinet ad ſuum *eſſe*, niſi tantùm extrinſecè, pro quanto fundatur in fundamento,& terminatur ad aliud. *Reſponſio.*

13 Si iterum dicatur, compoſitum eſſentiale eſt aliud à parribus componentibus:ergo diſtinguitur eſſentialiter ab illis. Conſequentia eſt nota, quia aliud facit diſtinctionem eſſentialem. Antecedens patet à Doctore *in* 3. *diſt.* 2.qui ſic arguit: cauſæ intrinſecæ, quando cauſant, producunt aliud:ergo. Dico,quòd etſi hæc ſit vera:Corpus organicum, & anima intrinſecè cauſant aliud, à quo eſſentialiter diſtinguantur;non tamen ſequitur èconträ,quòd illud cauſatum intrinſecè eſſentialiter diſtinguatur à partibus intrinſecè componentibus. Vnde ly *aliud*, magis debet referri ad partes componentes, quàm ad compoſitum, id eſt,

id eſt, *A* & *B*, producunt *C* intrinſecè, à quo poſſunt diſtingui realiter, quia *C* poteſt corrumpi, *A* & *B* non corruptis. Hæc quæ dixi potiùs innitendo rationibus dixi, quàm aliquibus exponentibus Doctorem aliter ſentientibus, ſaluo tamen ſemper meliori iudicio.

Modeſtia Lycheti.

14 Quinta eſt diſtinctio realis, quæ parum differt à diſtinctione eſſentiali ſecundùm *eſſe* ſimpliciter ſumpta. Dico tamen, quòd ſi inter eſſentiam, & exiſtentiam ſit aliqualis diſtinctio, vel ex natura rei, vel rationis (quæ qualis ſit, expoſui *in 3. diſt. 6.*) diſtinctio realis, loquēdo in creaturis, propriè fundatur ſuper aliam, & aliā rem, inquantùm illæ res exiſtunt; ita quòd immediatum fundamentum diſtinctionis realis actualis eſt res actu exiſtens. Illa ergo diſtinguuntur realiter, & ſpecificè, quæ ſic ſe habent, quòd vnum actu poteſt exiſtere ſine alio; & ſemper loquor in creaturis, dummodò non ſint relatiua, quia vnum relatiuum non poteſt exiſtere ſine altero, & tamen realiter diſtinguuntur Et talis diſtinctio realis ſemper præſupponit diſtinctionem eſſentialem, quia talis diſtinctio fundatur ſuper eſſentia ſola ratione, vel fortè ex natura rei diſtincta ab exiſtentia, quæ exiſtentia eſt immediatum fundamentum realis diſtinctionis. Illa verò realiter actualiter, & ſolo numero diſtinguuntur, quorum vnum actu poteſt exiſtere ſine altero. Exceptis ſemper relatiuis, & cauſa de neceſſitate abſoluta neceſſariò effectum cauſante, & conſeruante, quia talis verè realiter diſtinguitur ab effectu, & tamen non poteſt eſſe ſine effectu. Sed hoc inferiùs prolixiùs exponam. Et quæ ſic diſtinguuntur, ſemper eſſentialiter diſtinguuntur, quia vbi eſt diſtincta exiſtentia numeralis, ibi eſt diſtincta eſſentia numeralis, & vna ſemper infert aliam, & è contrà; non tamen vna eſt formaliter alia; patet, quia realis diſtinctio reſpicit exiſtentiam pro immediato fundamento. Et eſſentialis diſtinctio reſpicit eſſentiam pro immediato fundamento. Sed quid dicendum eſt de partibus compoſiti numeralis, an illæ diſtinguantur realiter numeraliter ad inuicem, & à compoſito? Dico breuiter, quòd ſi loquamur de eſſe totius, quod participant (de quo vide Doctorem in iſto ſecundo, diſtinct. 17.) non diſtinguuntur realiter numeraliter, quia vt ſic ſunt tantùm vnum numero; ſi verò loquamur de entitate propria, & non participata. Dico, quòd diſtinguuntur, & numeraliter ab inuicem, & à toto compoſito. Viſa diſtinctione reali facilè eſt videre quid ſit propriè identitas realis, quæ propriè opponitur reali diſtinctioni.

Diſtinctio realis.
Quatuor modis inueſtigatur diſtinctio realis.
Primò per viam generationis.
Secundò per viam corruptionis
Tertiò per viā originis.
Quartò per viam ſeparationis exiſtentiæ.

Concluſio de identitate realis.

15. Et dico aliquas concluſiones. Prima, Identitas realis formaliter ſumpta propriè fundatur ſuper identitate exiſtentiæ, ſic intelligendo, quòd exiſtentia, quæ eſt immediatum fundamentum realis identitatis, ſit talis exiſtentia, quòd non dicit plures exiſtētias, quarum vna poſſit intelligi eſſe ſine alia. Et hoc dico, quia in eadem exiſtentia reali, ſuper qua fundatur identitas realis, poſſunt intelligi plures exiſtentiæ ex natura rei diſtinctę, quæ fundātur ſuper diſtinctis realitatibus ex natura rei incluſis in eſſentia, cuius eſt exiſtentia, ſuper qua immediatè fundatur identitas realis: & ſimiliter poſſunt eſſe plures exiſtentiæ formaliter diſtinctæ, ſecundùm formalitates incluſas in eſſentia, ad quam vt gradus intrinſecus immediatè conſequitur exiſtentia, quæ eſt immediatum fundamentum identitatis realis. Et hanc literam benè nota, quia ad multa vtilis eſt.

Secunda concluſio: Illa ſunt idem realiter, & ſpecificè, quæ conueniunt in aliqua exiſtentia fundata in eſſentia habente *eſſe* ſimpliciter ſecundùm vnitatem ſpecificam; & ſic quæ ſunt idem realiter in tali tertio, eodem modo ſunt idem inter ſe, id eſt, quòd ſicut ſunt idem realiter ſpecificè inter ſe, ſunt idem realiter ſpecificè; & talis identitas realis infert identitatem eſſentialem, & è contrà, licèt vna non ſit formaliter alia, vt ſuprà expoſui de diſtinctione reali.

Quæ ſint idē realiter.

Tertia concluſio, Illa ſunt idem realiter & numeraliter, quæ ſic ſe habent, quòd eſt impoſſibile vnum exiſtere ſine altero, & hoc ex natura intrinſeca extremorum, vel alterius extremi, & per hoc excluduntur relatiua, & cauſa neceſſaria, & cauſatū neceſſariò productum: quia licèt vnum non poſſit eſſe ſine altero; hoc tamen non eſt ex repugnantia intrinſeca extremorum, vel alterius extremi, de qua repugnantia infrà patebit; ideò non ſequitur, quòd ſint idem realiter. Illa ergo ſunt idem realiter, quæ ſic ſe habent, quòd vnum repugnat eſſe ſine altero, & hoc ex natura extremorum, vel alterius extremi: quod pro tanto eſt, quia talia extrema talem exiſtentiam includunt vnicam, & realem, quòd eſt impoſſibile vnum habere aliam exiſtentiam ſeparabilem ab exiſtentia alterius: & ſic in Franciſco natura humana, ſingularitas, & omnis paſſio ſuperiorum, vt in Franciſco ſunt idem realiter in ipſo, & ad inuicem, quia vt ſic vnam tantùm exiſtentiam realem dicunt; licèt poſſint eſſe plures ex natura rei, vel formales, vt ſuprà dixi, & talis realis identitas numeralis infert identitatem eſſentialem eorundem incluſorum in Franciſco, & è contrà: licèt vna identitas non ſit formaliter alia, quia identitas eſſentialis immediatè fundatur ſuper entitate eſſentiali numerali, ſecundum *eſſe* ſimpliciter: in qua entitate, poſſunt includi plures realitates ex natura rei, & plures formalitates, quæ tamen omnes ſunt vna entitas eſſentialis, & realis: non quòd dicantur omnes de eſſentia illius, vt ſupra expoſui. Identitas verò realis numeralis immediatè fundatur ſuper exiſtentia numerali: In qua tamen exiſtentia includuntur plures exiſtentiæ tam formaliter, quàm ex natura rei diſtinctæ, quæ tamen omnes ſunt vna exiſtentia realiter, licèt non formaliter, & ex natura rei. Iſta pro nunc ſufficiant pro clariori intellectu eorum, quæ hîc dicuntur à Doctore. Nec oportet pro nunc facere mentionem de diſtinctione, & identitate eorum, quæ ſe totis, vel diſtinguuntur, vel ſunt idem ſubiectiuè, vel obiectiuè, quia talis diſtinctio, vel identitas, non eſt neceſſaria ad declarationem literæ Doctoris.

16.

Vide authorē formalitatū.

Antequam exponam literam quæſtionis adduco aliquas opiniones, quæ nituntur improbare opinionem Doctoris: & ſoluere argumenta facta contra opinionem Henrici, quæ probant relationem eſſe aliam rem à fundamento. Quarum opinionum prima eſt Reuerendi Magiſtri Guilielmi Ocham *in 1. diſt. 30. quæſt. 1.* Qui ſubtiliter arguit contra Doctoris doctrinam: & primo arguit, probando, quòd relatio non ſit alia res realiter diſtincta à fundamento: Omnis res realiter diſtincta ab alia re, poteſt intelligi illa alia non intellecta, & maximè ſi neutra illarum rerum ſit pars alterius: Sed impoſſibile eſt aliquam rem, quæ ſit relatio, intelligi ſine omni alia re; ergo. Maior videtur manifeſta, quia non plus depen-

17.

Opinio Ochā contra Scot.

det intellectio vnius rei totaliter diſparatæ ab alia re diſparata, quam intellectio effectus ab in-
1. Argum. tellectione cauſæ ſuæ eſſentialis: ſed non eſt inconueniens effectum poſſe intelligi cauſa non intellectâ:ergo,eodem modo,ſi ſimilitudo, vel alia relatio ſit alia res ab abſolutis,& à relatione correſpondente, non repugnat ſibi intelligi, nullo intellecto abſoluto, & etiam nulla relatione alia intellecta. Minorem probo,quia ſi aliquis intelligat ſimilitudinem Socratis, & Socratem ſine ſimilitudine correſpondente, poterit ſcire Socratem eſſe ſimilem, & tamen dubitare an ſit alicui alteri ſimilis:& eodem modo poterit aliquis ſcire aliquem eſſe patrem, & tamen neſcire an habeat filium: imò etiam poterit ignorare an poſſit habere filium.

18 Si dicatur, quòd talis apprehendens ſimilitudinem Socratis poterit neſcire an Socrates ſit ſimilis. Contrà,per iſtum non repugnat relationi intelligi intuitiuè:ponatur ergo,quòd aliquis intuitiuè: apprehendat vtramque, talis vtique ſciet Socratem eſſe ſimilem, ſicut aliquis videns intuitiuè albedinem in Socrate, ſcit Socratem eſſe album.

Si dicatur aliter, quòd talis ſi videat intuitiuè tam Socratem, quàm ſimilitudinem in Socrate, licèt non videat intuitiuè aliam ſimilitudinem, poterit tamen ſcire Socratem eſſe ſimilem alteri, licèt neſciat cui ſit ſimilis.

Contrà, ponatur quòd talis intellectio intuitiua ſimilitudinis ſit ſimpliciter prima in illo intellectu,ita quòd nunquam priùs, nec intuitiuè, nec abſtractiuè intellexerit quamcunque ſimilitudinem, talis non plus ſciet,quòd ille eſt ſimilis alicui alteri, quàm quòd iſta eſt cauſa alterius, niſi per deductionem rationis, & per conſequens antequam incipiat deducere poterit ignorare & hoc eſt propoſitum.

Si dicatur aliter ad maiorem,quòd vna relatio non poteſt intelligi ſine alia; Contrà,ſecundùm iſtos, eſſentia diuina poteſt intelligi ſine relatione,quæ tamen eſt eadem realiter ſibi:ergo multò fortiùs vna res poterit intelligi ſine alia realiter diſtincta,& diſparata.

19 Si dicatur, quòd non ſequitur, quia nec identitas realis,nec diſtinctio formalis eſt cauſa, quare poteſt eſſentia intelligi, non intellecta pater-
Eſſentia diuina poteſt intelligi ſine relatione. nitate;ſed quia eſt talis natura. Sed hoc non valet,quia eadem facilitate dicam quòd eſſentia diuina eſt talis natura, quòd non poteſt intelligi paternitate, & ita nulla videtur ratio poſſe aſſignari, quare vnum indiuiduum non poſſit intelligi, alio indiuiduo totaliter diſparato non intellecto; quia non poteſt dari aliqua ratio, quare vnum non poſſit intelligi,alio non intellecto,niſi quia vel ſunt idem realiter, quod non datur in propoſito;vel quia vnum dependet ab alio eſſentialiter;& hoc non poteſt dari in propoſito,quia eſſentialiùs dependet quodlibet abſolutum creatum à Deo, quàm quæcunque relatio ab alia, & tamen poteſt creatum intelligi non intellecto Deo, ſicut poteſt videri corporaliter, non viſo Deo corporaliter. Vel quia vnum neceſſariò coëxigit aliud,& hoc non poteſt dari in propoſito,quia magis neceſſariò,vel æquè coëxigit quælibet creatura Deum,quàm vna relatio aliam relationem,& tamen,hoc non obſtante,poteſt creatura intelligi, non intellecto Deo; ergo ſimiliter in propoſito.

20. Si dicatur, quòd nulla iſtarum eſt ratio, ſed ratio eſt, quia res eſt talis naturæ, & ideò nulla alia cauſa eſt quærenda, niſi quia eſt relatio: ſed hoc non ſufficit,quia nihil debet poni ſine ratione aſſignata, niſi ſit per ſe notum, vel per experientiam ſcitum,vel per auctoritatem Scripturæ ſacræ approbatum;ſed illud non eſt per ſe notum, quia multi ſubtiles, & exercitati hoc negant. Nec etiam per experientiam eſt ſcitum, quia nullus de hoc potuit experiri,ſicut patet manifeſtè.Nec poteſt dici tertium,quia iſta quomodo excludit omnem auctoritatem, ſimiliter tunc non eſſet relatio ponenda propter rationem, ſed præcisè propter auctoritatem Scripturæ ſacræ, quod tamen negant;ergo qua ratione relatio vna ſi ſit alia res,non poteſt intelligi alia re diſparata non intellecta, debet ratio aſſignari, vel non eſt propter rationem ponendum. Similiter tunc eadem facilitate dicam, quòd ſubſtantia non poteſt intelligi ſine qualitate, vel èconuerſo: & non eſt alia ratio quærenda, niſi quòd ſubſtantia eſt ſubſtantia, & qualitas eſt qualitas, quæ non conuenienter dicuntur. Confirmatur quia non maior eſt inſeparabilitas aliquorum realium in intellectu,quàm in ſubiecto;ſed iſtæ res ſunt ſeparabiles quantùm ab ſubiectum, quia vna illarum poteſt poteſt eſſe in aliquo ſubiecto, in quo non eſt alia; ergo eadem ratione poterunt ſic ſeparari in intellectu, quòd vna intelligatur alia non intellecta.

Secundò, arguo ſic; In omni modo relatiuorum, & in omni Prædicamento relatiuo oportet 21
2. Argum. aliqua extrema ſummè diſtare;ergo poteſt aliqua res fieri in vno extremo, nulla re poſita facta in alia;ergo ſi relatio ſit alia res,poteſt vni extremo aduenire aliqua relatio, nulla facta in alio extremo. Confirmatur,quia omnis creatura agit in determinata diſtantia; fiant ergo talia duo extrema extra illam determinatam diſtantiam, hoc poſito poterit aliquod agens creatum ſecundùm conuenientem diſtantiam approximari vni extremo, & & improportionatè diſtare ab altero extremo; ergo poterit habere effectum ſuum in illo extremo, nihil cauſando in alio. Verbi gratiâ, ſint duo corpora, vnum album, & aliud nigrum, & tantum diſtent per potentiam diuinam, quòd quodcunque agens creatum eſt præſens vni eſt ſufficienter approximatum ad cauſandum quemcunque effectum,ſiue relatiuum, ſiue abſolutum in alio extremo: hoc poſito poterit per diuinam potentiam aliquod actiuum reſpectu albedinis debitè applicari corpori nigro,& per conſequens cauſabit albedinem in illo corpore nigro, nihil cauſando in alio corpore albo, reſpectu cuius improportionabiliter diſtat,& tunc erunt duo corpora alba,& per conſequens ſimilia,& tamen nihil reale cauſarur de nouo in alio. Ergo illa ſimilitudo non eſt alia res, ſicut iſti ponunt. Et eodem modo arguo de quibuſcunque relatiuis aliis.

Tertiò ſic: ſecundum iſtos,Deus poteſt facere 22
omne abſolutum ſine omni poſteriori ergo eadé ratione poterit Deus facere duo alba abſoluta ſine omni poſteriori:ergo ſine omni tali relatione, & tamen illa erunt ſimilia; ergo ſimilitudo talis non eſt alia res.

Si dicatur,quòd erunt ſimilia, non tamen per ſimilitudinem. Contrà,ſi ſimilitudo ſit alia res, tunc ſimilitudo, & ſimile habebunt ſe ſicut album,& albedo:ergo ſicut impoſſibile eſt aliquod eſſe album ſine albedine,quæ ſit alia res, ita impoſſibile

poſſibile eſt aliquod eſſe ſimile ſine ſimilitudine, quæ ſic alia res. Similiter fruſtrà poneretur tunc ſimilitudo eſſe alia res, ſi ſine tali re alia aliqua poſſunt eſſe ſimilia, ſicut fruſtrà poneretur albedo eſſe alia res à ſubiecto, ſi ſubiectum poteſt ſine tali re eſſe album.

4. Argum. Quartò arguo ſic : Quâ ratione vna relatio eſſet alia res ab abſolutis, & alia, & per conſequens qua ratione ſimilitudo, æqualitas paternitas, filiatio, & ſic de aliis, eſſent tales res aliæ, eadem ratione diuerſitas, diſtinctio, & huiuſmodi, eſſent res aliæ. Sed talia non ſunt res aliæ, ergo, &c. Minorem probo, quia ſi diſtinctio, vel diuerſitas ſi res alia ab abſolutis, ergo illa diuerſitas diſtinguitur ab abſoluto, & per conſequens realiter refertur ad illam rem abſolutam : ergo alia relatione, & per conſequens illa relatio ſecunda eſſet diuerſa realiter à prima, per aliam relationem eſt diuerſa, & de illa arguo, quòd erit illa diuerſa per aliam relationem, & erit proceſſus in infinitum, ita quòd in qualibet re erunt res realiter infinitæ, quod eſt abſurdum,

23. Ad iſtud dicit prædictus ſic opinans, quòd relatio ſeipſa refertur ad fundamentum ; non enim poteſt fieri abſque fundamento, vel abſque ſe ſine contradictione; ipſa enim exiſtente, & fundamento ſimul, ambo ſunt extrema huius relationis, ſcilicet alietatis, quæ eſt ad fundamentum, ergo ipſa non poteſt eſſe abſque contradictione ſine relatione eius ad fundamentum, & ita ſine contradictione non poteſt eſſe ſine ſuo fundamento, & ita relatio iſta, quæ refertur ad fundamentum erit eadem ſibi.

Nota. Contra iſtam reſponſionem arguò : primò ſic. Vbicunque ſunt diſtincti termini aliquarum relationum, ibi ſunt diſtinctæ relationes, quia relatio ſecundùm iſtos eſt ad aliquid; ergo ad diſtinctum eſt diſtincta, quia vnius relationis eſt tãtùm vnus terminus, ſicut iſtius ſimilitudinis in Socrate, vel illius paternitatis in Socrate, terminus eſt filius, vel aliud album, terminus autem iſtius alietatis, quâ iſta relatio eſt alia à ſuo fundamento, eſt ipſum fundamentum; ergo iſta relatio, & iſta alietas realiter diſtinguuntur.

Prætereà, ſi Socrates eſt ſimilis Platoni, ergo illa ſimilitudo eſt ſimilis iſti ſimilitudini, & eadẽ ratione illa ſecunda ſimilitudo eſt ſimilis alteri ſimilitudini, & ſic eſt proceſſus in infinitum.

Ad iſtud reſpondetur vbi priùs, quòd ſtatus eſt in ſecundo, quod declaratur in ſimili de identitate, quia accipiantur prima fundamenta, Socrates ſcilicet, & Plato, inter quæ eſt identitas mutua, & dicatur illa in Socrate *A*, & illa in Platone, *B*, identitas *A* ad *B*, dicatur *C*, & illa identitas èconuerſo dicatur *D*, tunc dicitur quòd *A* differt à Socrate, quia Socrates poteſt eſſe ſine *A*, quia poteſt eſſe termino eius, & ipſa non poteſt eſſe ſine termino, *A*, tamen non differt à *C*. Sed *C* eſt idem ſibi, quia *A* non poteſt eſſe ſine *B*, cùm ſint ſimul naturâ, & per conſequens contradictio eſt *A* eſſe, niſi tam fundamentum eius, quod eſt *C*, quàm etiam terminus eius ſit, ſed fundamento eius, & termino ipſius *C*, exiſtentibus, neceſſariò erit *C*, ergo contradictio eſt *A*, eſſe ſine *C*, & *C* formaliter ineſt *A*, quia *A* dicitur idem iſta identitate, quæ eſt *C*, ergo *C* eſt idem ipſi *A*, & per conſequens erit ſtatus.

24. Contra iſtud, primò ſic, quamuis identitas Socratis ad Platonem non poteſt eſſe ſine identitate correſpondere Platonis ad Socratem, tamen identitas Socratis ad Platonem poteſt eſſe ſine identitate Ioannis ad Paulum, ergo identitas Socratis ad Platonem differt realiter ab illa identitate, quæ eſt eadem cum identitate Ioannis ad Paulum. Et vltrà arguo ; quando aliqua ſunt eiuſdem rationis, ſi aliquod eorum refertur ad aliud alia relatione realiter diſtincta ; illud idem refertur realiter relatione diſtincta eiuſdem rationis, ſed omnes iſtæ identitates ſunt eiuſdem rationis, ergo ſi identitas Socratis ad Platonem refertur ad identitatem Ioannis ad Paulũ diſtincta relatione, eodem modo refertur ad identitatem Platonis ad Socratem, & per conſequens non erit ſtatus in ſecundò. Et eodem modo poteſt probari, quòd non erit ſtatus in tertio, nec in quarto, & ſic in infinitum, quia ſemper poteſt accipi aliqua relatio totalitet diſparata, ſine qua poterit eſſe illa accepta: & hoc euidenter poſſet oſtendi in continuis, vbi ſunt partes acceptabiles in infinitum, etiam diſparatæ.

Præterea ſi *A* non diſtinguitur realiter à *C*; quia *A* non poteſt eſſe ſine *C*, & Socrates diſtinguitur realiter ab *A*, quia poteſt eſſe ſine *A*, & ſine termino ipſius *A*, tunc arguo ſic; Volo quòd alietas quâ *A* diſtinguitur realiter à Socrate, ſit *E*, & alietas quâ Socrates diſtinguitur realiter ab *A*, ſit *F*, tũc arguo ſic: Socrates poteſt eſſe ſine, *F*, & ſine termino ipſius, *F*, Ergo Socrates diſtinguitur realiter ab *F*, ergo eſt relatio vna media inter Socratem, & *A*, quâ Socrates diſtinguitur realiter ab *A*, & eodẽ modo poteſt argui in infinitũ. *25.*

Si dicatur quamuis *F* diſtinguitur realiter à Socrate, non tamen diſtinguitur realiter ab *A*, quia *A* non poteſt eſſe ſine *F*, & ita eſt ſtatus in ſecundo.

An relatio poſſit eſſe idẽ cum fundamento, Contrà, quamuis ſecundùm iſtum relatio poſſit eſſet idem cum fundamento, non poteſt tamen relatio realis idem realiter eſſe cum termino. Sed terminus ipſius *F*, eſt *A* : ergo non poteſt eſſe idem realiter cum *A*. Prætereà vbi priùs ipſe oſtendit, quòd relatio creaturæ ad Deum non differt realiter à creatura, & arguit ſic: Quod vniformiter dicitur de omni alio à termino nulli dicto ad terminum accidit : Sed talis relatio communis omni creaturæ vniformiter dicitur de omni alio à Deo ad ipſum Deum: ergo nulli accidit, & ita eſt idem fundamento. Maiorem probat quia ſi alicui accideret, pari ratione & alteri, vt puta ſi relatio effectus ad cauſam accideret lapidi, & per conſequens eſſet res alia à lapide pari ratione haberet ipſam relationẽ effectus ad Deum, & tunc accideret ſibi alia relatio effectus, & illa eſſet relatio, & ſic in infinitum. Eodem modo arguo in propoſito.

Quod vniformiter dicitur de omni alio à termino, nulli dicto ad terminum accidit : Sed talis relatio communis omnibus identitatibus talis rationis ad iſtam identitatem, quę dicitur *A*, vniformiter dicitur de omni alia identitate ad iſtam identitatem, quæ eſt *A*: ergo omni, vel nulli accidit. Sed non accidit nulli, quia alicui accidit, ſcilicet identitati diſparatæ, ſicut priùs argutum eſt: ergo omnis identitas eſt eadem illi identitati: quæ eſt *A* per aliam identitatem ſibi additam, & ita ſtat primum argumentum. *26.*

Si dicatur, quòd identitas non vniformiter cõuenit talibus idẽtitatibus ad ipſum, quia vna illarum, ſcilicet diſparata, eſt eadem per aliam identitatem, quia poteſt eſſe ſine illa, & èconuerſo, & alia eſt eadem ſeipſa, quia non poteſt eſſè ſine

ſine ea, ſed hoc non ſufficit: diceretur enim ita faciliter, quòd relatio effectus ad primam cauſam non vniformiter conuenit omni creaturæ, quia conuenit creaturæ abſolutè, mediante relatione, quæ ſit alia res; ſed creaturæ, quæ eſt relatio, conuenit ſine tali relatione media; æquè enim faciliter dicitur vnum ſicut reliquum.

Præterea, ſecundùm iſtum vbi prius, ſicut contradictio dicta de aliquibus eſt via concludendi diſtinctionem, ita impoſſibilitas recipiendi prædicationem contradictoriorum, & pertinentium ad *eſſe*, eſt via concludendi identitatem in *eſſe*, ex hoc arguo ſic; Similitudo Socratis ad Platonem non poteſt eſſe ſine ſimilitudine Platonis ad Socratem ſine contradictione, nec è conuerſo ſecundùm iſtos; ergo iſta ſimilitudo eſt realiter illa, & ſimilitudo Socratis ad Platonem, non eſt ſubiectiuè in Platone, nec eſt in Socrate; quare manifeſtum eſt, quòd nullibi eſt ſubiectiuè, & non eſt ſubſtantia ſecundùm iſtos; ergo nec eſt ſubſtantia, nec eſt accidens, & ita non erit talis res, ſicut iſti imaginantur.

27. Si dicatur, quòd propoſitio accepta eſt vera, vbi vnum propriè ineſt alteri, ſicut accipit in propoſitione ſua. Contrà, vbi vnum propriè ineſt alteri, vnum realiter diſtinguitur ab alio, quia nihil propriè ineſt ſibiipſi; ergo propoſitio ſic accepta, cùm propriè ineſt alteri, includit contradictionem, & per conſequens nihil valet ad propoſitum.

Si dicatur, quòd quando vnum non poteſt eſſe ſine alio, & tamen diſtinguitur realiter, hoc eſt, quia ſunt ſimul naturâ, & ita eſt in propoſito, quòd iſtæ duæ relationes ſunt ſimul naturâ, hoc non ſufficit, quia quæro quid intelligas per *eſſe ſimul naturâ*: aut quòd includit contradictionem vnum eſſe ſine altero; aut quòd vnum dependet ab alio; aut quia ſunt æquè perfectè: Si primo modo ſic accipis, quòd creatura eſt prior relatione, eſt petere quod deberes probare, quia de hoc eſt quæſtio, an ſcilicet iſto modo creatura ſit prior relatione. Si ſecundo modo, igitur in propoſito illæ duæ ſimilitudines non ſunt ſimul naturâ. Si tertio modo, ergo paternitas, & filiatio non eſſent ſimul naturâ, quia cùm ſint alterius rationis ſecundùm iſtos, vna eſt perfectior alia: ergo ſi ratio ſua ſit bona, æquè probat, quòd vna ſimilitudo non diſtinguitur realiter ab alia, ſicut probat, quòd vna creatura non diſtinguitur realiter à relatione Dei ad creaturam.

28 *Argumẽtum in ſpeciali contra præditam concluſionem.* Secundò, arguo in ſpeciali contra diuerſos modos relatiuorum. Primò autem contra eum, qui ponitur ab eis primus modus: modò numeri, vel vnius cuiuſmodi ſunt duplum, dimidium, ſimile, æquale, & idem, & quòd iſta non ſunt aliæ res, probo per rationem iſtius, per quam probat, quòd relatio creaturæ ad Deum non ſit alia res, & arguo ſic: Illa quæ propriè inſunt aliquibus, & illa non poſſunt eſſe ſine illis ſine contradictione, ſunt eadem realiter cum illis; ſed iſtæ ſimilitudines propriè inſunt iſtis albis; & iſtæ æqualitates iſtis æqualibus: & iſtæ identitates iſtis eiſdem; & iſta dupleitas, & iſta dimidietas iſti duplo, & iſti dimidio; & impoſſibile eſt ſine contradictione, iſta alba eſſe ſine iſtis ſimilitudinibus; & iſta æqualia ſine iſtis æqualitatibus; & ſic de aliis: ergo iſtæ relationes ſunt idem realiter cum iſtis abſolutis. Maiorem probo, quia quæ ratione idem quod propriè dicitur ineſſe alij, aut ſine quo, illud non poteſt eſſe ſine contradictione, eſt idem ſibi realiter: eadem ratione illa, quæ propriè inſunt aliquibus, ſine quibus non poſſunt eſſe ſine contradictione, ſunt eadem realiter illis: quia non eſt maior ratio, quare aliquod diſtinctum realiter ab aliquo poſſit eſſe ſine illo, quàm quòd alia diſtincta realiter ab aliquibus poſſunt eſſe ſine illis. Eandem etiam maiorem probo, ſicut ipſe ſuam, quia dicit ipſe, quòd ſi *A* non poteſt eſſe ſine *B*, aut *A* hoc eſt propter identitatem *B*, ad *A*, aut propter prioritatem *B*, ad *A*, aut propter ſimultatem in natura: ergo ſi *B* non ſit prius naturaliter *A*, neceſſariò ſimul naturâ. & *A* non poteſt eſſe abſque *B*, ſequitur quòd *A* ſit idem realiter cùm *B*, eodem modo arguo ego: Si *A*, & *B*, non poſſunt eſſe ſine *C*, & *D*, aut hoc eſt propter prioritatem *C* & *D*, ad *A*, & *B*, aut propter ſimultatem in natura; aut propter identitatem; ſed in propoſito iſtæ duæ ſimilitudines nec ſunt priora iſtis, nec ſimul naturâ, ſicut iſti concedunt, & ſine iſtis non poſſunt eſſe iſta alba; ergo hoc eſt propter identitatem duarum ſimilitudinum cum iſtis, & ita illa propoſitio generaliter accepta eſt vera, ſi propoſitio ſua ſit vera, quia non eſt maior ratio, quòd Deus poſſit facere prius ſine poſteriori, quàm quòd poſſit facere priora ſine poſterioribus. Maior etiam patet per eos, quo ad primam partem, quia ſicut ſimilitudo ſecundùm eos propriè ineſt ſimili: ita habent dicere, quòd ſimilitudines propriè inſunt ſimilitudinibus, vel albis, & eodem modo de aliis. Alia etiam pars eſt manifeſta, quia quòd aliqua non tranſmutata, nec ſecundùm quantitatem, nec ſecundùm locum, ſint primò æqualia, & poſtea non ſint æqualia, eſt manifeſta contradictio, & eodem modo, quòd aliquid ſit primò duplum, & non ſit minus, nec maius quàm priùs; & eodem modo illud, quod eſt dimidium, & tamen quòd non ſit duplum, ſicut priùs eſt manifeſta contradictio. Similiter eſt de *eodem*, & *diuerſo*, quòd aliqua non tranſmutata ſecundùm ſubſtantias primò ſint eadem, vel diuerſa, & poſtea non ſint eadem, vel diuerſa, eſt manifeſta contradictio.

An Deus poſſit facere prius ſine poſteriori.

29 Idem argumentum poſſet fieri contra ſecundum modum relatiuorum, qui ponitur modus potentiæ. Sed contra illum arguo magis in ſpeciali, & probo quòd cauſalitas, qua aliquid dicitur cauſa alterius non dicit rem aliam, ſicut iſti imaginantur: & eodem modo paternitas, quà aliquis dicitur pater filij, non ſit alia res, quia ſi iſta cauſalitas, vel productio ſit alia res, aut ergo eſt prior natura effectu producto; ſimul naturâ, vel poſterior naturâ: non prior naturâ, quia ſecundùm iſtos, relatio eſſentialiter dependet tam à fundamento, quàm à termino; & per conſequens neutrum eſt prius naturâ; ſed effectus productus eſt terminus, ſecundùm iſtos: ergo non eſt prior natura termino. Sic ſecundùm eos correlatiua ſunt ſimul natura. Sed reſpectus effectus non eſt prior naturâ ipſo effectu: ergo nec reſpectus cauſæ eſt prior natura: & eodem modo patet, quòd non ſimul natura: cum illo effectu, nec poteſt poni, quòd poſterius natura: quia tunc priùs eſſet effectus in rerum natura, quàm produceretur, & per conſequens ſecundùm modum eorum loquendi, effectus in primo inſtanti naturæ, in quo eſſet, nó eſſet productus; & certum eſt, quòd nihil producitur de nouo, poſtquàm eſt: ergo nunquam effectus produceretur

tur de nouo à quacunque cauſa creata, quod eſt abſurdum.

30 Præterea, ſequeretur illud abſurdum, quòd quodlibet agens creatum, quandocunque aliquid cauſaret, quòd neceſſariò primò mutaretur, & moueretur ad aliquam veram rem poſitiuam, & ita quandocunque Sol calefaceret iſta inferiora, oporteret quòd reciperet de nouo tot res nouas, quot res calefacit. Ex hoc arguo vltrà: Si quando Sol calefacit hoc lignum, Sol recipit vnam nouam rem in ſeipſo, & in iſto ligno ſunt partes infinitæ: ergo infinitæ tales res reciperentur in Sole. Et ſi dicatur, quòd lignum eſt vna res habens tamen infinitas partes in potentia, vel eiuſdem proportionis.

Contrà poſſibile eſt Solem alicui paſſo ſic approximari, quòd totus Sol, ſiue *totus* teneatur categorematicè, ſiue ſyncategorematicè, poterit agere in illud paſſum: tunc accipio vnam modiciſſimam partem Solis, quæ poterit agere in totum illud paſſum, ſecundùm quòd *totum* tenetur ſyncategorematicè, in illa parte Solis erunt tot nouæ res, quot ſunt partes in illo paſſo: quia quælibet acceptabilis verè patitur ab illa parte: ergo quælibet habet reſpectum correſpondentem in illa parte, & tales partes infinitæ ſunt. Ergo tales res infinitæ correſpondent in eadem parte Solis, quod eſt inconueniens.

Et ſi dicatur, quòd nulla pars habet reſpectum ſed totum. Contrà, aliqua pars poteſt habere vnam qualitatem, alia parte habente qualitatem contrariam: ergo tunc etiam habet talem reſpectum: ergo non repugnat parti habere talem reſpectum.

Præterea, anima intellectiua, vel aliquis actus exiſtens in ea poteſt immutare corpus quantum, ſicut patet per experientiam, quòd per triſtitiam exiſtentem in parte intellectiua immutatur corpus: ergo tunc in anima intellectiua, vel in aliquo actu ipſius animæ, qui erit indiuiſibilis ſicut ipſa eſt indiuiſibilis, reciperentur tot reſpectus, quot ſunt partes corporis immutati, & ita cum illæ partes ſint infinitæ correſpondebunt in anima res nouæ infinitæ.

31 *Anima intellectiua eſt indiuiſibilis.*

Præterea, ſpecialiter contra tales relationes, quæ ponuntur dupleitas, æqualitas, dimidietas, & huiuſmodi, arguo ſic: Accipio dupleitatem reſpectu alicuius dimidij, & quæro ſi ſit vna res diſtincta, aut eſt diuiſibilis, aut indiuiſibilis, cùm nullum accidens indiuiſibile poſſit eſſe primò in ſubiecto diuiſibili. Tum quia ſi ſit indiuiſibilis, oportet quòd ſit tota in toto, & tota in qualibet parte: ſic etiam eſt de anima intellectiua, quæ quia eſt indiuiſibilis, & eſt in corpore, ideò eſt tota in toto corpore, & in qualibet parte: ergo ſimiliter illa dupleitas indiuiſibilis eſt tota in toto duplo, & in qualibet eius parte. Et ſimiliter dimidietas in toto dimidio, & in qualibet eius parte, & tunc in quocunque eſt aliqua forma illius, poteſt verè denominari à tali forma: ſicut in quocunque eſt albedo primò, illud verè poteſt dici album: ergo ſi iſta dupleitas ſit in qualibet parte, quælibet pars erit verè dupla reſpectu eiuſdem, & per conſequens aliqua pars erit minor aliquo, & duplum reſpectu eiuſdem; ſi autem iſta duplicitas ſit accidens diuiſibile, aut ergo eſt diuiſibile in parte eiuſdem rationis; aut alterius rationis; ſi in partes eiuſdem rationis, ergo eodem modo erit pars dupla, ſicut totum eſt duplum, quod eſt manifeſtè falſum. Sit ſit diuiſibile in partes alterius rationis. Contrà, ipſi ponunt, quòd accidens non componitur ex partibus alterius rationis. Similiter quandoque partes alterius rationis faciunt aliquod per ſe vnum, ſe habent ſicut materia, & forma nunquam diſtinguuntur loco, & ſubiecto: ergo in qualibet parte duplices ſunt omnes illæ partes, & per conſequens omnes illæ partes facerent duplicitatem, & ita adhuc quælibet pars erit dupla; & eodem modo poteſt argui de æqualitate, & de multis talibus.

Et ſi dicatur, quòd propoſitio aſſumpta non eſt vera, ſicut patet in anatomia, quòd non quælibet pars hominis eſt homo, etiam vbi concurrunt, tam materia, quàm forma, hoc non ſufficit, quia quidquid ſit de talibus, quæ habent diuerſas formas ſubſtantiales: tamen vbi eſt tantùm vna forma ſubſtantialis, & materia, & accidentia ſunt conſimilia in omnibus partibus, ibi oportet, quòd aliquæ partes, & totum ſint eiuſdem rationis. Sed ſic non poteſt poni in propoſito, quia ſi in qualibet parte eſſet talis forma alterius rationis, ſequeretur, quòd eſſent infinitæ res alterius rationis in eodem quanto. Et ſi diceretur proteruiendo, quòd aliquod quantum eſt duplum reſpectu alterius, & quòd iſta duplicitas non eſt niſi in toto, quia includit dimidietatem, quæ eſt in aliqua parte ſui, quia quarta pars ſui eſt dimidia reſpectu alicuius, reſpectu cuius ipſum totum eſt duplum; & media pars eſt æqualis ſibi, & ſic de aliis, quia quælibet ipſius habet aliquem reſpectum reſpectu ipſius, reſpectu cuius totum eſt duplum. Sed vna habet reſpectum qualitatis, alia dimidietatis, & ſic de aliis: ex iſto, inquam, ſequitur, quòd erunt infinitæ res alterius rationis in iſto duplo, quia nulla pars habet eandem proportionem reſpectu eiuſdem, quam habet alia pars: ergo quot ſunt partes eiuſdem proportionis, tot erunt infinitæ proportiones alterius, & alterius rationis. Nec ſufficit proteruiendo dicere, quòd iſte reſpectus eſt in toto, & in nulla parte, nec ſecundùm ſe totum, nec ſecundùm talem ſui partem; quia hoc non eſt imaginabile, quòd aliquod verum accidens informans ſubiectum, ſit informatiuè in aliquo ſubiecto, & tamen non ſubiectiuè, nec aliqua pars in aliqua parte ſubiecti.

32 *Exemplũ de Anatomia.*

Hîc reſpondet Ocham ad rationes. Ad primam diceret, quòd maior eſt vera, quia ſi A, eſt, & B non eſt, ſequitur quòd non ſunt idem realiter. Ad minorem quando dicitur, quòd multæ ſunt relationes, abſque quibus poſſunt eſſe fundamenta, dicerent, quòd propriè & de virtute ſermonis loquendo, hoc eſt verum, quia relationes non ſunt niſi intentiones, vel conceptus in anima, & iſtæ certè non ſunt idem cum rebus extrà, & ideò non concludit, quòd ſunt extrema realiter diſtincta.

33. *Solutio Ochã ad rationes Scoti. Ad primam.*

Et ſi dicatur, quòd hoc album poteſt eſſe, quãuis non ſit ſimile, & tamen poteſt fieri ſimile; & tunc habuit aliquid quod non habuit quando non erat ſimile. Ad illud dicerent faciliùs, quòd hoc album, quod modò non eſt ſimile, poteſt fieri ſimile, non per aduentum alicuius rei ſibi, ſed per hoc ſolùm, quòd ſit vnum aliud album, quia ad hoc quod ſit ſimile, & priùs non fuit ſimile, non requiritur plus, niſi quòd aliquid modò ſit album, quod priùs non fuit album.

Et ſi dicatur, quòd ſimilitudo eſt in hoc albo, & illud aliud album non eſt in hoc albo; ergo

ſimilitudo

ſimilitudo dicit aliquid aliud, quàm hoc album, & illud album. Ad iſtud dico; quòd propriè loquendo, & de virtute ſermonis, non eſt concedendum, quòd ſimilitudo eſt in hoc albo, quia propriè loquendo, non eſt niſi quidam conceptus; vel intentio, vel nomen, quod importat plura alba. Vnde ſicut alij habent dicere, quòd cauſalitas non eſt toraliter in Deo, quamuis Deus ſit realiter cauſatiuus; vel ponatur vnũ abſtractum correſpondens creanti, ſicut creatiuitas correſpondet creatiuo; & ponatur quòd ſit creatio, & tunc non eſt verum dicere, quòd creatio eſt realiter in Deo; quia tunc Deus aliquid realiter haberet in ſe, quod priùs non habuit: nam ante mundi creationem hæc fuit falſa, *creatio eſt Deus*, vel èconuerſo, eodem modo dico, quòd propriè loquendo, hæc ſimilitudo non eſt in hoc albo. Sicut enim conceditur, quòd Deus realiter eſt creatiuus, vel creans quamuis creatio non ſit realiter in Deo: ita debet concedi, quòd hoc album eſt realiter ſimile, quamuis ſimilitudo non ſit in hoc albo. Vnde illud argumentum probat æqualiter, quòd creatio eſt alia res à creatura, & à Deo; quia non minùs poteſt eſſe hoc album ſimile ſine ſimilitudine, quàm poteſt Deus creans eſſe ſine creatione: ita realiter eſt Deus creans, & poteſt non eſſe creans, ſicut hoc album eſt realiter ſimile, & poteſt non eſſe ſimile. Nec valet dicere, quòd creatio eſt reſpectus rationis. Tum, quia æquè faciliter diceretur, quòd ſimilitudo eſt reſpectus rationis, & ſic de omnibus talibus. Tum, quia ſicut poſtea oſtendetur, non poteſt eſſe talis reſpectus rationis, ſicut iſti imaginantur de reſpectibus.

34 *Compoſitio nõ dicit præcisè duo abſoluta.*

Ad primam confirmationem de compoſitione dicerent fortè, quòd compoſitio non præcisè dicit duo abſoluta, puta materiam, & formam; ſed dicit iſta, & quòd nihil corporale ſit mediũ inter iſta, & ideò fortè dicerent, quòd non eſt poſſibile formam eſſe, & materiam eſſe, & quòd nihil eſt medium corporale inter iſta, & tamen quòd non ſit compoſitum. Iſta tamen reſponſio declarabitur in ſequentibus magis.

Ad ſecundã.

Per idem dicerent ad ſecundam, quòd approximatio non tantùm importat illa duo abſoluta, ſed etiam importat, quòd nihil impediens ſit medium inter illa: & ideò quando nihil eſt medium inter illa impediens, & illa ſunt, tunc vnum poterit agere in reliquum; quando autem eſt aliquod impedimentum medium, tunc non oportet, quòd vnum agat in reliquum, vnde iſta ratio eſt contra eos: quia accipio luminoſum, & illuminabile; ſi aliquod corpus opacum interponitur, certum eſt, quòd non agit: amoto autem illo ſine omni acquiſito luminoſo, vel illuminabili, poterit illuminare; ergo poſſibile eſt, quòd aliqua duo ſic ſe habeant, quòd vnum agat in reliquum propter ſolam mutationem localem vnius, vel alterius, imò propter ſolam corruptionem alicuius alterius, puta ſi opacitas in corpore opaco corrumperetur, & tamen neutri aliquod nouum addatur. Ita dico in propoſito, quòd approximatum alteri poteſt agere in ipſum, & non approximatum, non poteſt agere in ipſum, non eſt ex hoc, quòd approximatum habeat aliquam veram rem in ſe formaliter, quam non habet, quando non eſt approximatum, ſed hoc eſt, quia quando eſt approximatum nihil impediens interponitur; quando autem non eſt approximatum aliquod impedimentum interponitur. Nam etiam aër magnæ quantitatis poterit impedire aliquando, ſi ſit medius.

Per hoc argumentum vlteriùs dico, quòd ſicut cauſæ poſſunt cauſare aliquid, quod priùs non poterant cauſare, ſine omni re alia addita formaliter cuicunque illarum cauſarum: ſed propter ſolam amotionem medij impedientis, ita aliquando, ſecundùm iſtos, poterunt partes componere ſine omni re addita cuicunque illarum cauſarum, ſed propter hoc ſolùm, quòd nunc non eſt medium inter materiam, & formam. Iſti etiam dicerent, quòd non eſt poſſibile, quòd tales partes alterius rationis aliquando componerent per ſe vnum, & aliquando non componerent, ipſis tamen partibus omnibus manentibus. 35

Ad tertiam.

Ad aliud. Concedo maiorem. Sed dico ad minorem, quòd fundamentum non continet per identitatem, nec ſimul, nec ſucceſſiuè tales relationes, quia hæc eſt falſa: *Socrates eſt realiter ſimilitudo, & Socrates eſt realiter diſſimilitudo*: & ideò non pono quòd relatio ſit idem realiter cum fundamento, ſed dico quòd relatio non eſt fundamentum: ſed tantùm intentio, & conceptus in anima, importans plura abſoluta, vel plura abſolutè, ſicut *populus* eſt plures homines, & nullus homo eſt populus. Quæ tamen iſtarum propoſitionum ſit magis ſecundùm proprietatem ſermonis, pertinet magis ad Logicum diſcutere, quàm ad Theologum.

36 *Ad quartã.*

Per idem ad aliud. Concedo maiorem. Sed ad minorem dico, quòd hæc eſt ſimpliciter falſa: *Plures relationes ſunt in eodem fundamento realiter*, ſicut hæc eſt falſa ſimpliciter, *plures ſimilitudines ſunt idem fundamentum realiter*. Cuius ratio eſt, quia ſimilitudo ſic poſita in abſtracto non poteſt ſtare, niſi pro intentione in anima, vel pro pluribus, quorum quodlibet eſt ſimile, ſicut *populus* non poteſt ſtare pro pluribus; & ideò, ſicut vtraque illarum eſt falſa, *plures intentiones, vel conceptus in anima, ſunt in eodem fundamento realiter*: & ſimiliter illa, *plura quorũ quodlibet eſt ſimile, ſunt in eodem fundamento realiter*: Ita hæc eſt falſa ſimpliciter. *Plures relationes, vel plures ſimilitudines ſunt realiter in eodem ſubiecto.*

Quomodo omnis relatio fundatur in aliquo fundamento. Ad quintã.

Et ſi dicatur, quòd omnis relatio fundatur in aliquo fundamento, dico quòd ſi accipiatur fundamentum realiter pro *inhærere*, & non pro denominare in prædicatione, quòd hæc eſt ſimpliciter falſa, ſed aliter eſt vera.

Ad aliud per idem, quòd fundamentum non continet per identitatem, ſimilitudinem, vel relationem; & ideò non omne albius eſt ſimilius. Ad aliud per idem. Tales relationes non continentur per identitatem in rebus; & ideò argumentum non concludit.

Ad aliud dico, ſicut aliàs patebit, quòd relatio rationis non eſt aliqua res rationis à ſuo fundamento, illo modo, quo iſti imaginantur, ſed verum eſt, quòd non eſt ſuum fundamentum, ita nec relatio realis non eſt ſuum fundamentum.

Ad alias rationes contra vnum modum ponendi, quòd relatio non eſt alia res, ſed tantùm eſt in intellectu. Dico, quòd non eſt imaginandum ſecundùm iſtam opinionem, quòd relatio iſto modo ſit tantùm in intellectu, quòd nihil verè ſit tale, niſi propter actum intellectus, & propter aliquid cauſatum in intellectu, puta quòd Socrates non ſit ſimilis Platoni, niſi propter

actum

actum intellectus, ſicut Socrates non poteſt dici ſubiectum, vel prædicatum, niſi propter actum intellectus. Sed hîc eſt imaginandum, quòd intellectus nihil plus facit ad hoc, quòd Socrates ſit ſimilis, quàm ad hoc, quòd Socrates ſit albus: imò ex hoc ipſo, quòd Socrates eſt albus, & Plato eſt albus, Socrates eſt ſimilis Platoni, omni alio imaginabili circumſcripto; & ita Socrates eſt ſimilis Platoni propter abſoluta, omni alio vel in re, vel in intellectu circumſcripto, & ita in re nihil eſt præter abſoluta. Quia tamen in re ſunt plura abſoluta, poteſt illa intellectus diuerſimodè exprimere. Vno modo exprimendo præcisè Socratem eſſe album, & tunc habet præcisè conceptus abſolutos. Alio modo Platonem eſſe album. Tertio modo exprimendo tam Socratem, quàm Platonem eſſe album, & hoc poteſt facere, per conceptum, vel intentionem relatiuam, dicendo Socrates eſt ſimilis Platoni ſecundùm albedinem, quia omnino idem importat per iſtas propoſitiones, tam Socrates quàm Plato eſt albus, & Socrates eſt ſimilis Platoni ſecundùm albedinem, & ideò ſimpliciter concedendum eſt, quòd intellectus nihil facit ad hoc, quòd vniuerſum ſit vnum, vel quòd totum ſit compoſitum, vel quòd cauſæ approximatæ cauſent, vel quòd triangulus habeat tres, &c. & ſic de aliis non plus, quàm facit ad hoc, quòd Socrates ſit albus, vel ad hoc quòd ignis ſit calidus, vel aqua frigida.

38. *Ad inconuenientia Scoti.* Per hoc ad probationem primi inconuenientis quod adducit: Dico, quòd ſecundùm intellectum Philoſophi debet concedi, quòd vnitas vniuerſi eſt ordo partium adinuicem, quia nihil aliud intelligit per vniuerſum eſſe vnum, quàm partes ſic ordinari; non quòd ordo, vel vnitas ſit aliquod in re diſtinctum ab omni parte, & ab omnibus partibus vniuerſi; ſic enim eſſet procedere in infinitum. Illa enim res eſſet ordinata ad alias res, & per conſequens eadem ratione præter illam rem, & alias res erit vna alia res, quæ eſſet ordo earum, & eſſet proceſſus in infinitum. Nec valet dicere, quòd eſt ſtatus in ſecundo, quia eadem facilitate poteſt poni ſtatus in primo, & nunquam eſt ponenda pluralitas ſine neceſſitate. Et ideò in opinione Philoſophi præter illas partes abſolutas nulla res eſt, quia opinio Philoſophi fuit, quòd omnis res imaginabilis eſt abſoluta, tamen iſta intentio, *vnitas*, vel *ordo*, vel *conceptus in anima* relatiua eſt, ſine quo tamen conceptu nihil minùs eſt vnitum, vel ordinatum, ſicut iſte conceptus, vel intentio, *omnis*, eſt tantùm ſyncategorema in anima, & tamen ſine iſto conceptu, omnis homo eſt riſibilis: quòd tamen omnis homo ſine omni conceptu ſit riſibilis, non poſſumus exprimere, niſi per conceptum ſyncategorematicum.

Omnis res imaginabilis eſt abſoluta.

39. *Cauſæ ſecundæ non poſſunt cauſare niſi ſint approximatæ.* Per idem ad ſecundum dico, quòd nihil eſt compoſitum ſine vnione partium componibilium, accipiendo *vnionem* pro ipſis partibus vnitis, quia ſic valet iſtam, nihil eſt compoſitum ſine partibus realiter vnitis, & non diſtantibus. Si autem ly *vnio* ſupponat pro conceptu exprimente rem ſicut eſt, ſic eſt concedendum, quòd poteſt eſſe compoſitum ſine vnione partium componibilium. Sicut enim omnis homo eſt riſibilis ſine hoc ſigno, *omnis* diſtributiuo, ſic hic. Sed primus ſenſus eſt magis vſitatus apud auctores, ſiue ſit magis ſecundùm proprietatem ſermonis, ſiue non.

Per idem ad tertium, quòd cauſæ ſecundæ non poſſunt cauſare, niſi ſint approximatæ, & tamen non requirunt ens rationis ad hoc vt cauſent, & ideò ſine illa intentione in anima, quæ eſt *approximatio*, poſſunt benè cauſare. Si tamen *approximatio* ſtet pro ipſis approximatis, tunc non poſſunt cauſare ſine approximatione, quia tunc valet iſtam, non poſſunt cauſare, niſi ſint approximata.

40. Ad quartum concedo, quòd paſſiones Mathematicæ ſunt relatiuæ, vel relationes, non tamen ſequitur propter hoc, quòd deſtruatur realitas ſcientiarum Mathematicarum, quia ad realitatem ſcientiæ non requiritur, quòd extrema propoſitionis ſcitæ ſint realia, ſed ſufficit quòd ſupponant pro realibus, ſicut eſt ſuperiùs declaratum. Et ideò paſſiones Mathematicæ quamuis ſint tantùm intentiones, vel conceptus in anima, ſicut paſſiones aliarum ſcientiarum humanitùs inuentarum, tamen ſupponunt, & ſtant pro veris rebus. Et ideò verè ſunt ſcientiæ reales. Sic ergo dico, quòd iſtæ rationes contra iſtam opinionem in nullo concludunt, quamuis primæ rationes contra opinantem, quòd relatio ſit aliquid in re idem realiter cum fundamento, & diſtinctum in re à fundamento, contra quem ſunt adductæ, ſunt efficaces: ſecundæ autem rationes contra opinionem, quæ ponit, quod Socrates non eſt ſimilis, vel diſſimilis, niſi propter rationem in anima ſatis concludunt, ſed contra iſtam opinionem nihil valent.

Ad realitatem ſcientiæ non requiritur, quod extrema propoſitionis ſint realia.

Ad primum principale, dico quòd arguit de reſpectu ad *vbi*, & non de genere Relationis, & ideò reſpondebitur illi argumento in ſequenti quæſtione.

Ad aliud dico, quòd non eſt ibi aliqua ſituatio præter illa, quæ ſunt ſituata, tamen illa ſituata poſſunt in aliquam operationem, in quam non poſſunt, niſi ſituata ſine omni re addita, ſicut patebit.

41. *Reſponſio ad rationes Ocham.* Reſpondeo ad omnes rationes magiſtri Ocham. Ad primam cùm arguit, omnis res realiter diſtincta ab alia, poteſt intelligi illa alia non intellectâ. Iſta propoſitio abſolutè ſumpta eſt manifeſtè falſa. Pro cuius intellectu eſt notandum, quòd aliqua res ſic ſe habet ad aliam rem, quòd licèt ſit intelligibilis propria intelligibilitate, ſi tamen non habeat propriam rationem mouendi intellectum in ratione obiecti intelligibilis, talis res dependet ab alia re in *eſſe* cognito, & ſic omnes relationes, etſi ſint quiditatiuè ens, & verè contineantur ſub ente, tanquam ſub obiecto adæquato intellectus; quia tamen non habent propriam motionem ad ſui cognitionem, ſed dependent à fundamento, & termino, quæ mouent intellectum ad cognitionem relationis. Et hoc eſt quod ſupra expoſui *in primo, diſt. 3. q. 3. in corpore quæſtionis*. Dico etiam, quòd quando aliqua res ſic ſe habet, quòd totum ſuum *eſſe* formale eſt præcisè eſſe ad aliquod, ita quòd in ſua ratione formali includit *eſſe* ad aliud, tanquam ad terminum, termino illo non præintellecto, nullo modo poteſt intelligi, etſi realiter ſit diſtincta ab illo. Et hoc eſt, quod dicit Doctor, *in prima q. prolog. & in diſtinct. 3. & 8.* contra Henricum, quòd nulla relatio poteſt intelligi, termino non præintellecto.

Et cùm dicit, quòd illa maior eſt manifeſta, quòd non plus dependet intellectio vnius rei totaliter diſparatæ, ab alia re diſparata, quàm intellectio effectus ab intellectione cauſæ ſuæ eſſentialis.

tialis. Dico, quòd hoc eſt falſum: quia etſi effectus eſſentialiter dependeat à cauſa ſua, ex quo tamen poteſt habere propriam cauſalitatem reſpectu ſuæ cognitionis, ideò poteſt cognoſci, causà non cognitâ, & hoc eſt quod dicit Doctor *in primo, diſt. 3. q. 3.* quòd licèt eſſentia diuina virtualiter contineat omnem creaturam, quia tamen creatura poteſt mouere intellectum propria motione ad ſui cognitionem, ideò non ponitur eſſentia diuina adæquatum obiectum intellectus creati in ratione motiui, & tamen creatura magis dependet à Deo, quàm quicunque effectus ab alia cauſa, & de hoc vide quæ ſuprà expoſui *in primo, q. 3. tertiæ diſt.*

Quomodo eſſentia diuina contineat creaturam.

42. Ad probationem illius minoris, cùm dicit, ſi aliquis intelligat ſimilitudinem Socratis, & Socratem ſine ſimilitudine correſpondente, poterit ſcire Socratem eſſe ſimilem, & tamen dubitare an ſit alicui alteri ſimilis; & eodem modo poterit aliquis ſcire aliquem eſſe patrem, & tamen neſcire an habeat filium. Dico, quòd licèt illa minor ſit concedenda, videlicet, quòd relatio non poteſt intelligi ſine omni alia re, & per conſequens probatio illius minoris eſſet concedenda. Adhuc tamen poſſet diſtingui illa minor, quia A poteſt intelligi ſine B, poteſt multipliciter intelligi. Primò, quòd A habeat propriam intelligibilitatem ſicut, & propriam entitatem, & per conſequens diſtincta cognitione poteſt cognoſci alia à cognitione A, id eſt, quòd A cognoſcatur proprìa cognitione, quæ terminatur ad *A*, & B alia propria cognitione, quæ terminetur ad B. Secundo modo, quòd B, etſi poſſit habere propriam cognitionem, illa tamen cognitio cauſatur ab A, in ratione obiecti intelligibilis. Tertio modo, quòd pro quocunque inſtanti cognoſcitur B, pro eodem inſtanti de neceſſitate cognoſcatur A. Quarto modo, quòd B, in nullo inſtanti poteſt cognoſci, niſi in A inſtanti priori præcognoſcatur A, ſic quòd præhabita cognitione ipſius A, poſſit poſtea cognoſci ipſum B, ita quòd in illo inſtanti poſteriori, in quo B cognoſcitur, in eodem A non cognoſcatur, licèt in priori inſtanti ipſum A de neceſſitate cognoſcatur. Et ſic dico, quòd relatio primo modo poteſt intelligi ſine omni alia re, & ſic ſimiliter ſecundo modo. Tertius tantum modus eſt fortè dubius: quia cùm relatio totaliter dependeat à termino quantùm ad *eſſe*, & quantùm ad cognoſci, non videtur quòd in aliquo inſtanti poſſit cognoſci, in quo non cognoſcatur terminus, ſaltem quarto modo non poteſt cognoſci ſine termino, & ſi primo modo intelligatur non ſequitur probatio, ſcilicet ſi aliquis intelligat ſimilitudinem Socratis intellectione diſtincta ab intellectione Socratis, poterit ſcire Socratem eſſe ſimilem, & tamen dubitare an ſit alicui alteri ſimilis; hoc negatur, quia cognitio ſimilitudinis non tantùm dependet à Socrate, vt à fundamento, ſed etiam dependet ab illo, cui Socrates eſt ſimilis, tanquam à termino: ideò cognoſcens Socratem eſſe ſimilem, de neceſſitate cognoſcit & illud, cui Socrates eſt ſimilis, etiam cognoſcendo ſimilitudinem iſtis quatuor modis ſupradictis. Similiter etiam negatur, quòd aliquis poſſit ſcire ſe eſſe patrem, videlicet cognoſcendo paternitatem diſtinctam, & tamen neſcire an habeat filium, quia cognitio paternitatis de neceſſitate præſupponit cognitionem termini, ad quem terminatur.

Declaratio.

43. Et cùm obiicit contra ſeipſum, ibi, *Si dicatur, quòd talis apprehendens ſimilitudinem Socratis poterit neſcire an Socrates ſit ſimilis:* ſi hoc dicit, vt ſit quædam reſponſio Doctoris ſubtilis. Dico quòd Doctor ſubtilis non admitteret hanc reſponſionem, ſed benè concederet, quòd ſi quis apprehenderet ſimilitudinem Socratis, vt Socratis, ſtatim ſciret cui Socrates eſſet ſimilis, exponendo aliquo prædictorum quatuor modorum. Et ſic concedo quod dicit Ocham, quòd non repugnat relationi intelligi intuitiuè, & quòd ſi aliquis intuitiuè apprehendat Socratem, & ſimilitudinem, ſciat Socratem eſſe ſimilem, ſicut videns intuitinè albedinem in Socrate ſcit Socratem eſſe album. Et cùm dicit ibi, *ſi dicatur aliter ad maiorem, quòd vna relatio poteſt intelligi ſine alia.* Dico, quòd aliud eſt dicere relationem non poſſe intelligi ſine fundamento, & termino, & aliud eſt dicere, relationem poſſe intelligi ſine alia relatione. Quia in primo caſu, cognitio relationis de neceſſitate dependet à fundamento, & termino. Sed in ſecundo caſu, vna relatio non dependet in cognoſci, ab alia relatione: non enim paternitas nec in *eſſe*, nec in cognoſci, dependet à filiatione. Dico tamen, ex quo correlatiua ſunt ſimul naturâ, & vnum non poteſt intelligi ſine alio, quòd fortè paternitas non poteſt intelligi ſine filiatione, & è contra; non quòd cognitio paternitatis dependeat à cognitione filiationis, quia ſi, per impoſſibile, paternitas & filiatio eſſent ſeparatæ à ſuis fundamentis, vna relatio non eſſet cauſa cognitionis alterius. Sed de facto cognoſcens paternitatem cognoſcit, & filiationem, quia cognoſcens paternitatem præcognoſcit de neceſſitate terminum illius, quo cognito ſtatim cognoſcitur relatio, ſcilicet paternitas, & vice verſa cognoſcens filiationem, præcognoſcit rem, quæ eſt filius tanquam fundamentum, & rem, quæ eſt pater, tanquam terminum, & ideò præcognitis fundamento, & termino diſtinctè, ad quæ de neceſſitate oriuntur tales relationes, ſimul cognoſcuntur relationes, & fortè hoc modo vna relatio non poteſt cognoſci ſine alia. Et cùm arguit contrà, probando quòd vna poteſt cognoſci ſine alia, quia eſſentia diuina poteſt intelligi ſine relatione, quæ tamen eſt eadem realiter ſibi; ergo multò fortiùs vna res poterit intelligi ſine alia realiter diſtincta, & diſparata. Dico quòd non eſt ſimile, quia eſſentia diuina, ex quo eſt entitas abſolutiſſima, & prior omni relatione, poteſt intelligi diſtinctè, relatione non intellecta. Vna autem relatio non poteſt diſtinctè intelligi relatione correſpondente non intellecta, propter cauſam ſuperiùs dictam; & ideò non rectè aſſignatur cauſa ab iſto, quare vna non poteſt intelligi aliâ non intellectâ.

Cognitio relationis de neceſſitate dependet à fundamento, & termino.

Eſſentia diuina eſt entitas abſolutiſſima.

Cùm dicit: *Si paternitas non poteſt intelligi filiatione non intellecta*, aut hoc eſt, quia ſunt idem realiter, vel quia vnum dependet ab alio eſſentialiter; vel quia vnum neceſſariò coëxigit aliud, vel quia res eſt talis naturæ; & ideò nulla alia cauſa eſt quærenda, niſi quia relatio eſt relatio. Dico, quòd vltra omnes iſtas cauſas aſſignatur cauſa ſupradicta, quia paternitas dependet in cognoſci à fundamento, & termino, & ſimiliter filiatio, & cognoſcens A eſſe terminum relationis, ſtatim cognoſcit ipſum A eſſe fundamẽtum relationis oppoſitæ, quando ſunt relationes mutuæ, ita quòd res, quæ eſt pater, & res, quæ eſt filius, vt sùt præſentes intellectui in ſe, vel in aliquo perfectè

44.

A quo dependeat paternitas in cognoſci.

repræ

repræſentatiuo, in illo intellectu de neceſſitate naturæ cauſant, non tantùm cognitionem ſui, ſed etiam relationum virtualiter contentarum. Poſſet etiam dici, quòd ideò paternitas non poteſt cognoſci, filiatione non cognita, quia eſt talis natura. Et cùm dicit, quòd *nihil debet poni ſine ratione aſſignata, niſi ſit per ſe notum, vel per experientiam ſcitum, vel per auctoritatem ſacræ ſcripturæ approbatum*, &c. Dico, quòd hoc eſt notum per experientiam, quia cognoſcens quòd A eſt pater, ſtatim cognoſcit quòd alicuius eſt pater, & ſi cognoſcat diſtinctè A eſſe patrem B, in eodem inſtanti cognoſcit ipſum B eſſe filium A. Patet etiam, quia notum eſt apud omnes, quia relatiua ſunt ſimul naturali intelligentia.

45. *Ad ſecũdam rationem.* Ad ſecundam rationem principalem opinionis, conceſſo quòd in omni Prædicamento relatiuo oportet aliqua extrema ſummè diſtare, & cùm infert: ergo poteſt aliqua res fieri in vno extremo, nulla re poſitiua facta in alio; neganda eſt conſequentia, intelligendo abſolutè de omni re, tam abſoluta, quàm relatiua, quia ſi de nouo A adueniat ſimilitudo, in eodem inſtanti B, quantumcunque diſtanti adueniet ſimilitudo oppoſita, quia ſit album vt quatuor, & album vt octo, quæ adinuicem ſummè diſtent, & agens proportionem albo vt quatuor, & poſſit intendetur re vt octo, & ſit omnino improportionatũ alteri albo vt octo, patet quòd poteſt intendere album vt quatuor, vſque ad gradum vt octo, & in illo inſtanti, quo erit vt octo, erit perfectè ſimile alteri albo, quia cùm ſimilitudo ſit relatio intrinſecus adueniens, de neceſſitate naturæ oritur in vtroque extremo. Nec valet dicere, quòd agens eſt proportionatum vni, & improportionatum alteri; quia ſimilitudo talis non eſt immediatè cauſata ab agente, quia in *Ad aliquid* non eſt motus, nec mutatio, vt patet *quinto Phyſicorum, tex. comm.* 10. Sed poſitis fundamento, & termino, ex natura rei oritur talis ſimilitudo, vt clarè expoſui *ſuper tertio Doct. diſt.* 1. *qu.* 1. Et per hoc patet ad confirmationem illam, quæ nulla eſt; & haberet euidentiam, ſi aliquid eſſet immediatè cauſatum in paſſo proportionato, non ſequeretur, aliud eſſe cauſatum in paſſo omnino improportionato. In propoſito autem, licèt vnum ſit proportionatum agenti, quo ad effectum immediatè inducendum, & aliud ſit omninò improportionatum, tamen aliquo effectu immediatè inducto ab agente in paſſum proportionatum, de neceſſitate naturæ aliquando ſequitur relatio in vtroque extremo, quæ reſpectu relationis ſemper ſunt proportionata: licèt alterum illorum ſit agenti improportionatum reſpectu effectus immediatè inducendi à tali agente.

46. *Ad tertiam rationem. Quomodo Deus poſſet facere abſolutum ſine poſteriori.* Ad tertium principale. Cùm dicitur, quòd *Deus poteſt facere omne abſolutum ſine omni poſteriori, ſecundùm opinionem Scoti.* Iſta propoſitio poteſt habere multiplicem ſenſum. Primus eſt, quòd omne abſolutum, vt comparatur ad poſterius realiter diſtinctum, poteſt facere illud ſine poſteriori, deſtruendo illud poſterius, ſicut patet in omnibus. Secundus ſenſus eſt, quòd fiat comparatio duorum abſolutorum ad aliqua poſteriora realiter diſtincta, & tunc non ſemper ſequitur, quòd poſſit facere talia duo abſoluta ſine poſterioribus, quia illis duobus abſolutis poſitis, ſic de neceſſitate naturæ præcisè, & adæquatè oritur poſterius, quia eſt ſimpliciter impoſſibile, ipſis manentibus poſterius non eſſe. Licèt ergo Deus poſſet facere vnum album ſine ſimilitudine, & poſſet etiam deſtruere ſimilitudinem fundatam in albo, albo remanente, quia deſtruendo terminum ſimilitudinis, puta aliud album, deſtruitur illa ſimilitudo, albo remanente. Si tamen ponerentur duo alba ſimul, eſſet impoſſibile ipſa eſſe ſine ſimilitudine etiam realiter diſtincta ab illis. Et ſic propoſitio Doctoris erit ſemper vera in primo ſenſu, non autem ſemper vera in ſecundo ſenſu. Dico etiam, quòd iſta propoſitio non ſic allegatur à Doctore: nam in iſto ſecundo, *diſt.* 22. *qu.* 2, vbi præcipuè declaratur iſta propoſitio, ſic dicit, quòd *omne abſolutum prius alio abſoluto, & realiter diſtinctum ab ipſo, poteſt eſſe ſine tali poſteriori*, & hoc idem in diſt. 1. quæſt. 4. primi contra Henricum, & hoc modo ſemper eſt concedenda propoſitio. Si verò teneatur, vt aliqui Scotiſtæ tenere videntur, quòd Deus poteſt facere duo alba ſine ſimilitudine (quod tamen credo eſſe impoſſibile, nec eſſe ad mentem Doctoris, non ex parte ipſius Dei, ſed ex parte creaturæ) poteſt dici, quòd erunt ſimilia tantùm fundamentaliter: hoc eſt dictu, quòd ſunt talia, quæ poſſunt eſſe fundamentum ſimilitudinis. Et per hoc patet ad illas inſtantias factas contra hanc reſponſionem: arguit enim Ocham, ac ſi ſimilitudo ineſſet formaliter illis albis, quod tamen eſt negandum.

Quomodo ſit vera propoſitio Scoti.

47. *Ad quartam rationem.* Ad quartam rationem opinionis cùm infert de diſtinctione, & diuerſitate. Concedo abſolutè, quòd diſtinctio, quæ oritur ex natura rei, eſt relatio realis, & realiter diſtincta, ab illis rebus diſtinctis, & cùm infert, quòd ſit diuerſitas eſt alia res à fundamento abſoluto, ergo diſtinguitur ab illo, & per conſequens realiter refertur ad illam rem abſolutam, ergo alia relatione, & ſic proceſſus in infinitum. Dico breuiter, quod diuerſitas diſtinguitur à fundamento: & concedo, quòd alia diſtinctione fundata in priori diſtinctione. Et cùm infertur, ergo illa alia poteſt eſſe ad rem abſolutam, concedo; ergo mediante alia relatione; negatur conſequentia, quia illa ſecunda relatio, quæ fundatur in prima diſtinctione, ſeipſa eſt ad *eſſe* abſolutum, quod eſt ſimile de accidente inhærente, quòd inhærentia inhæret, & quæro de illa inhærentia. Patet ſolutio ſupra à Doctore.

Ad illud quod dicit contra hanc reſponſionem, videlicet, quòd *relatio ſeipſa refertur ad fundamentum*, &c. Cùm arguit probando, quòd illa ſecunda relatio fundata in prima ſit alia res ab illa prima, quia vbi ſunt diſtincti termini aliquarum relationum, ibi ſunt diſtinctæ relationes: quia vnius relationis eſt primò vnus terminus tantùm. Terminus autem iſtius alietatis, qua iſta relatio eſt alia à ſuo fundamento eſt ipſum fundamentum; ergo iſta relatio, & iſta alietas realiter diſtinguuntur. Dico quòd non ſemper diſtincti termini arguunt diſtinctas relationes ad inuicem, & ſi iſta propoſitio ſit vera, vt diſtincti termini comparantur ad relationes, quorum vnus non eſt fundamentum alterius relationis, tamen quando idem terminus & fundamentũ relationis prioris, quæ relatio prior eſt immediatũ fundamentum poſterioris; propoſitio non erit vera. Sic eſt in propoſito, quia diſtinctio, quâ Franciſcus diſtinguitur à Ioanne, immediatè fundatur in Franciſco, & terminatur ad Ioannem; & alietas, qua illa diſtinctio dicitur alia à Franciſco, immediatè fundatur in illa diſtinctione, cui

diſtinctioni ſimpliciter repugnat eſſe ſine Franciſco. Si ergo ſecunda relatio fundaretur in alia relatione, cui non repugnaret eſſe ſine termino, propoſitio poſſet habere veritatem. Dico vltrà, quòd iſta propoſitio non eſt formaliter vera, quòd diſtincti termini formaliter arguant diſtinctas relationes, ſicut nec iſta eſt ſimpliciter vera, *vnius termini eſt tantùm vna relatio*, & quomodò hoc intelligatur, aliàs patebit. Sed pro nunc ſufficit mihi, quòd quando vna relatio, puta A fundatur in alia relatione, puta B, quòd B immediatè fundatur in C & terminatur ad D. Si repugnat ipſi B eſſe ſine C, A fundatum in B, licèt habeat alium terminum à B, quia B terminatur ad D, & A terminatur ad C, A non erit alia relatio à B, dico, alia realiter, licèt poſſit eſſe alia formaliter.

48. Cùm arguit, ibi, præterea ſi Socrates eſt ſimilis Platoni, ergo illa ſimilitudo eſt ſimilis alteri ſimilitudini, & eadem ratione illa ſecunda ſimilitudo eſt ſimilis alteri ſimilitudini.

Dicendum, vt priùs, quòd ſtatus eſt in ſecundo. Quod declaratur in ſimili de identitate, vt ſuprà patuit in litera. Et cùm arguit contra iſtam reſponſionem de identitate, inſtantia nulla eſt, vt patet intuenti. Concedo enim, quòd Socrates eſt idem Platoni, & talis identitas eſt alia res à Socrate, & concedo, quòd talis identitas, quæ fundatur in Socrate eſt idem Platoni; & concedo vltrà, quòd identitas fundata in identitate, qua Socrates eſt idem Platoni, eſt idem realiter illi identitati, quia ex quo identitati Socratis ad Platonem repugnat eſſe ſine Platone, ſequitur, quòd identitas fundata in illa, ſit idem realiter illi. Et cùm infertur, quòd identitas Socratis ad Platonem differt realiter ab identitate Ioannis ad Paulum, concedo. Et vltrà concedo, quòd identitas Socratis ad Platonem, poteſt referri relatione realiter diſtincta ad identitatem Ioannis, & Pauli, quia non repugnat identitati Socratis ad Platonem poſſe eſſe ſine identitate Ioannis ad Paulum. Et cùm vltra infertur, ergo identitas Socratis ad Platonem, refertur ad Platonem relatione realiter diſtincta à tali identitate, negatur. Et cùm probatur, quia identitas Socratis ad Platonem eſt eiuſdem rationis cum identitate Ioannis ad Paulum, concedo, & ſic debet inferri, ergo ſicut identitas Socratis ad Ioannem non refertur realiter relatione reali ad Platonem, ita nec identitas Ioannis ad Paulum, quia vtrique identitati repugnat eſſe ſine termino; ſed non eſt ſimile comparando huiuſmodi identitates ad inuicem, quia vni non repugnat eſſe ſine altera: nam identitati Socratis ad Platonem non repugnat poſſe eſſe ſine identitate Ioannis ad Paulum, & per conſequens poteſt referri relatione realiter diſtincta, & ſic patet reſponſio ad hanc rationem.

49. Et cùm arguitur vltrà, probando quòd huiuſmodi relatio non ſit idem realiter, cùm dicit, ſi A non diſtinguitur realiter à C, quia A non poteſt eſſe ſine D, & Socrates diſtinguitur realiter ab A, & ideò poteſt eſſe ſine termino ipſius. Vt magis intelligatur, expono ſic iſtam literam. Ponо, quòd Socrates diſtinguatur realiter à Platone, ergo Socrates eſt alius alietate à Platone, quæ alietas diſtinguitur realiter à Platone, & talis alietas dicatur A, & certum eſt, quòd illa alietas eſt alia à Socrate, ergo erit alia alia alietate, & illa dicatur C, modò C non diſtinguitur ab A, quia repugnat ipſi A vt fundamento C eſſe ſine termino, puta ſine Socrate, & certum eſt, quòd Socrates realiter diſtinguitur ab A, quia poteſt eſſe ſine A, & ſine termino ipſius A, puta ſine Franciſco, cui eſt alius, & hoc totum conceditur. Et cùm infert, ponendo talem caſum, quòd alietas qua A diſtinguitur realiter à Socrate ſit E, & alietas, qua Socrates diſtinguitur realiter ab A, ſit F, conceditur totum. Et cùm vltra arguit, Socrates poteſt eſſe ſine F, concedo, & ſine termino ipſius F, concedo; & vltrà concedo, quòd Socrates realiter diſtinguitur ab F, & cùm infert, ergo eſt relatio vna media inter Socratem & A: qua Socrates realiter diſtinguitur ab A, concedo, & cùm infert proceſſum in infinitum, negatur; quia dico quòd relatio F, quâ Socrates eſt alius ab A, ſeipſa realiter eſt ad A, quia repugnat F poſſe eſſe ſine A, & ſic relatio fundata in F eſt idem realiter ipſi F, & ſic non ſequitur proceſſus in infinitum. Et cùm vltrà infert, ibi: Si dicatur, quamuis F realiter diſtinguatur à Socrate, non tamen diſtinguitur realiter ab A, quia A non poteſt eſſe ſine F, & ita eſt ſtatus in ſecundo. Si hoc refert vt dictum à Doctore ſubtili, in hoc caſu, non refert nec verba, nec intentionem ipſius, & concedo inſtantiam factam contrà, quia etiam ſecundùm Doctorem relatio poteſt identificari realiter fundamento, quando fundamento repugnat poſſe eſſe ſine termino, non tamen ſequitur, quòd realiter identificetur termino, licèt non poſſit eſſe ſine termino, vel etiam fundamento repugnet poſſe eſſe ſine termino.

Quomodo relatio identificetur realiter fundamento.

50. *Adquintum.* Ad aliud argumentum contra Doctorē ibi: arguit ex dictis Doctoris, ſicut contradictio dicta de aliquibus eſt via concludendi diſtinctionem, ita multiplicitas recipiendi prædicationem contradictoriorum, & permanentium ad *eſſe* eſt via concludendi identitatem in *eſſe*. Hæc propoſitio eſt veriſſima, & cum ex iſta vult inferre, quòd ſimilitudo Socratis ad Platonem ſit eadem realiter cum ſimilitudine Platonis ad Socratem, quia vna non poteſt eſſe ſine alia. Dico breuiter, quòd non intelligit propoſitionem Doct. vult enim Doctor quòd illa dicantur eſſe idem realiter, quæ ſic ſe habent, quòd implicat vnum poſſe eſſe ſine altero, dummodò vnum non ſit producens, & aliud productum; & etiam non ſint in diuerſis fundamentis, & ſic licèt ſit implicatio contradictionis, perſonam Patris in diuinis eſſe ſine Filio, tamen realiter diſtinguuntur, quia vnum producens, & aliud productum. Et ſimiliter licèt ſit implicatio contradictionis ſimilitudinem Socratis ad Platonem poſſe eſſe ſine ſimilitudine Platonis ad Socratem, quia tamen iſtæ ſimilitudines ſunt in diuerſis fundamentis realiter diſtinctis, ideò realiter diſtinguuntur. Intelligit ergo Doctor quòd non repugnat vni eſſe ſine altero, vt ſuprà declaraui, exponendo dictum Doct. ibi: Si dicatur quòd propoſitio Scoti eſt vera, vbi vnum propriè ineſt alteri. Et ſi hæc reſponſio non habeatur explicitè à Doct. ſubtili poteſt tamen concedi vt vera. Et cùm arguit contrà, quia vbi vnum ineſt alteri vnum realiter diſtinguitur ab alio, quia nihil propriè ineſt ſibiipſi. Dicò, quòd ineſſe alteri contingit dupliciter, ſcilicet realiter, & ſecundùm rationem ſaltē, per illam propoſitionem *Doct. 1. q. quodl.* Qualis eſt ordo inter aliqua, vbi diſtinguuntur realiter, talis eſt ordo, vbi diſtinguuntur ratione. Quam propoſitionem diffusè expoſui in 1. *q. quodlib.* Et ſic vnum idem non eſt ſibiipſi ſaltem ſecundùm rationem.

Expoſitio literæ.

In eſſe alteri contingit dupliciter.

Nunc

89. *Reſpuſio ad rationes O enam contra modos relatiuorum, & de primo modo.*

Nunc reſtat reſpondere ad rationes opinionis factas contra Doctorem contra diuerſos modos relatiuorum, quibus ſpecialiter probat, quòd multæ relationes primi modi non ſint alia res à ſuis fundamentis, vt puta de æqualitate, ſimilitudine, & paritate, & huiuſmodi, de quibus patuit ſuprà. Dico, quòd omnes iſtæ relationes, quæ immediatè fundantur in abſolutis, vt ſimilitudo in qualitate, & æqualitas in quantitate realiter diſtinguntur à fundamentis, & cùm probat per propoſitionem Doct. quòd non, quia repugnat duobus albis ſimul eſſe, niſi ſimilitudo inſit. Et ſimiliter repugnat duas quantitates æquales ſimul eſſe ſine æqualitate; ergo iſtæ relationes ſunt idem realiter fundamentis. Dico, quòd fideliter non adducit propoſitionem Doct. dicit enim Doctor ſic: *Relatio realiter identificatur fundamento, cui repugnat eſſe ſine termino*, & hoc eſt verum, vt ſuprà patuit, & ſic quia vnum album poteſt eſſe ſine alio, & è contra, ideò ſimilitudo fundata in albo realiter diſtinguitur ab illo, hoc idem dico de æqualitate fundata in quantitate: quamuis ergo repugnet duo alba ſimul eſſe ſine ſimilitudine, non tamen ſequitur, quòd illæ ſimilitudines realiter identificentur illis albis, quia vnum album poteſt actu exiſtere ſine alio, & per conſequens ſine ſimilitudine ad illud. Et ſic arguit Doctor de relatione creaturæ ad Deum, quia videlicet repugnat, puta lapidi eſſe ſine dependentia ad Deum: ideò relatio creaturæ ad Deum realiter identificatur, & ſic patet quomodo non adducit, nec mentem, nec verba propoſitionis Doctoris.

90. *De ſecundo modo.*

Ad aliud de relationibus ſecundi modi, quo probat, quòd cauſalitas, ſiue productio, ſiue paternitas non diſtinguntur realiter à fundamentis. Dico breuiter, quòd huiuſmodi relationes ſunt realiter diſtinctæ à fundamentis. Et cùm probat ſpecialiter de productione per vnam propoſitionem Doctoris, quia ſi productio ſit alia res aut ergo eſt prior natura effectu producto, aut ſimul natura, vel poſterior natura. Dico breuiter, quòd talis productio eſt poſterior natura effectu abſolutè ſumpto, vt ſuprà declarauí *præſenti, di. qu. 2.* quia ad abſolutum in cauſa ſequitur abſolutum in effectu, ita quòd prius eſt abſolutum effectus productione actiua, & paſſiua, accipiendo *productionem* pro ſignificato, pro eo, quod per ſe ſignificat, vt ſcilicet eſt quædam relatio, qua producens refertur ad productum, & è contra. Et cùm probat quòd productio effectus non poteſt eſſe poſterior, quia tunc effectus eſſet ſine productione, quia ſi prior ipſa productione, ſequitur quòd prius habet eſſe, & ſic effectus poteſt produci *in eſſe* ſine productione. Dico, quòd hæc ratio procedit ex falſa imaginatione, videlicet, quòd effectus dependeat *in eſſe* à productione, quæ eſt relatio.

91. *Tria ſunt conſideranda in agente.*

Vnde pro intelligentia huius, tria ſunt conſideranda in agente. Primum eſt ratio formalis agendi, quæ eſt principium formale productiuum, & illud eſt entitas abſoluta. Secundum eſt conditio agentis, & illud eſt ſingularitas addita naturæ, & hoc habetur à Doct. in *primo diſt. 1. q. 2. diſt. 3. q. 6.* Tertium eſt relatio, quæ dicitur actio, ſiue productio, quâ producens dicitur formaliter producere, & illa non poteſt dici principium formale productiuum, nec ab illa dependet effectus *in eſſe*, vt patet à Doct. *in primo, diſtin. 7. in reſponſione ad principale argumentum*, & talis productio formaliter ſumpta de neceſſitate eſt poſterior principio formali productiuo. De effectu etiam producto tria dico. Primò in effectu producto eſt terminus formalis, qui eſt entitas abſoluta, quæ communiter correſpondet principio formali productiuo, & reſpectu cuius attenditur ſimilitudo effectus ad cauſam, vt patet à Doct. *in primo diſt. 7.* & talis entitas abſoluta eſt ratio formalis terminandi productionem, ſicut è contra, principium formale productiuum eſt ratio formalis terminandi relationem producti, vt patere poteſt à Docto. *in primo diſt. 30.* Secundò, in effectu eſt hæcceitas addita termino formali, quæ dicitur conditio effectus. Et tertio, eſt relatio fundata in tali identitate abſoluta, qua effectus dicitur formaliter productus, & qua formaliter refertur ad producens. Dico ergo, quòd totum abſolutum in effectu habet prius *eſſe* ab abſoluto in cauſa, quàm intelligatur relatio effectus ad cauſam, & è contra; nec enim productio relatio media inter abſolutum cauſæ, & abſolutum effectus, & ſi per poſſibile, vel impoſſibile talis relatio non oriretur poſitis fundamento, & termino, adhuc effectus eſſet verè productus, ita quòd nihil ei deeſſet pertinens ad *eſſe* ipſius, eſt enim immediatè ab abſoluto in ea, nulla relatione media, neque præcedente, neque ſimul natura.

92. Et cùm addit, quòd ſi talis relatio eſſet realiter diſtincta à cauſa, quòd agens creatum, quando cauſaret, neceſſariò primò mutaretur, & moueretur ad aliquam veram rem poſitiuam. Dico quòd iſta litera poteſt habere duplicem ſenſum: primus, quòd priùs mutaretur ad aliquam relationem antequam effectus eſſet cauſatus; & hic ſenſus eſt falſus; quia vt dixi ſuprà, relatio cauſæ ad effectum eſt poſterior ipſo effectu. Secundus ſenſus eſt, quòd poſito effectu *in eſſe*, concomitatur aliqua relatio realis in cauſa, ſecundùm quam dicatur mutari. Et hic ſenſus conceditur, quia abſolutum in cauſa aliter ſe habet nunc ſecundùm illam relationem, quàm priùs ſe habebat. Et cùm infertur, quòd quandocunque Sol calefaceret iſta inferiora, oporteret ipſum de nouo recipere tot res nouas, quot res calefacit. Concedo, quòd tot ſunt relationes reales in Sole calefaciente, quot ſunt calefactiones in diſtinctis paſſis. Et cùm infert, quòd calefaciendo lignum, in quo ſunt infinitæ partes, tunc eſſent infinitæ relationes in Sole. Dico, quòd hæc inſtantia nihil eſt, quia vnus effectus habet tantùm vnam relationem terminatam ad cauſam. Et ſic cauſa tantùm vna relatione refertur ad effectum, quem cauſat. Licèt ergo in ligno ſint infinitæ partes in potentia, tamen ibi eſt tantùm vnus effectus, videlicet calor productus in ligno. Dico etiam, quòd ſi Sol per prius calefaceret vnam partem, ita quòd calefactio vnius partis eſſet vnus effectus diſtinctus à calefactione alterius partis, quòd non poſſent eſſe effectus diſtincti in actu, tot relationes poſſent eſſe in cauſa correſpondentes illis effectibus. Et ſic patet, quòd inſtantia ſequens nulla eſt. Et eodem modo ſoluitur illa alia inſtantia immediatè ſequens, quæ probat de anima intellectiua.

Iſta litera poteſt habere duplicem ſenſum.

93. Ad aliud de duplicitate, æqualitate, & mediate. Cùm quærit de duplicitate, qua aliquid dicitur duplum ad aliud, ſi eſt alia res à fundamento, aut eſt res diuiſibilis, aut indiuiſibilis. Dico breuiter, quòd omnis relatio intrinſecus aduenies eſt indiuiſibilis. Non enim habet partes, & partes ipſam diuidentes. Licèt enim vna relatio poſſit dici intenſior alia, nulla tamen eſt diuiſibilis, nec extenſibilis. Et cùm infert, quòd talis

Omnis relatio intrinſecus aduenies eſt indiuiſibilis.

talis duplicitas erit tota in toto, & tota in qualibet parte, & ſic vna pars erit dupla, quod eſt inconueniens. Dico, quòd talis relatio, quamuis ſit indiuiſibilis, tamen primò ſibi determinat totum, & non partem, & ſic nata eſt tantùm denominare totum, quamuis ex conſequenti dicatur etiam eſſe in partibus, ſicut patet de ſimilitudine, quâ album vt 8. eſt perfectè ſimile alteri albo vt 8. illa ſimilitudo eſt indiuiſibilis. Et eſt tantùm in albo vt 8. licèt ex conſequenti dicatur eſſe in partibus conſtituentibus ipſum album, non tamen denominant partes, quia hæc eſt falſa; album vt vnum eſt perfectè ſimile albo vt 8. Procedit enim ratio ſua ex falſa imaginatione, vt patet intuenti.

94. *De tertio modo relatiuorum.*

Ad vltimum argumentum, quod eſt contra tertium modum relatiuorum, quo probat, quòd aliqua relatio tertij modi non diſtinguatur à ſuo fundamento. Cùm dicit, quòd in ſcientia non ſit talis res alia reſpectu ſcibilis. Dico, quòd ſi ponatur relatio actualis ſcientiæ ad ſcibile, talis relatio erit alia ab ipſa ſcientia, quia non repugnat tali ſcientiæ abſolutè ſumptæ, poſſe eſſe ſine ſcibili creato, quia illa eſt qualitas abſolutè ſumpta, vt patet à Doct. *in quodlib. q.* 13. Et cùm infert, quòd ſcibili non manente in actu adhuc ſcientia poteſt eſſe in anima, & tamen tunc non refertur ad ſcibile relatione realiter diſtincta, quia talis ſecundùm Scotum eſt inter extrema realia realiter diſtincta. Dico, quòd ſi ſcibile non eſt actu exiſtens, quòd tunc refertur ad illud tantùm relatione rationis, vt patet à Doctore *in quodlib. vbi ſuprà.* Licèt hoc requirat prolixiorem tractatum. Et quod addit in illa confirmatione de notitia intuitiua, quæ requirit exiſtentiam rei, & per potentiam diuinam deſtructa illa re, conſeruata notitia intuitiua, verè dicitur intellectus cognoſcere rem intuitiuè, ſicut priùs; ergo nullam talem rem oportet ibi ponere. Dico primò, quod eſt dubium, an intellectus ſecundùm illam notitiam poſſit cognoſcere intuitiuè lapidem actu non exiſtentem. Et credò quòd non, cùm notitia intuitiua terminetur ad rem exiſtentem in ſe, vel quòd ſaltem contineatur in aliquo eminenter, vt notat Doctor *in primo diſtinctione octaua, quæſtione penultima*; quidquid tamen ſit de hoc aliàs habet declarari. Dico ſecundò, quòd ſi talis notitia intuitiua eſſet conſeruata in intellectu, re exiſtente deſtructa, quòd ſi intellectus ſecundùm illam intuitiuè cognoſceret rem non exiſtentem, talis notitia non poſſet referri relatione reali, ſed tantùm relatione rationis; quia relatio, cuius terminus eſt nihil, eſt tantùm relatio rationis, vt patet à Doctore, *in iſto ſecundo diſtin.* 44. *& qu.* 12. *quodlib. & alibi ſæpe*, & ſic patet ſolutio ad argumenta huius opinionis facta contra poſitionem Doctoris:

95. *Manifeſtatur quomodo Ocham, non ſoluat rationes Scoti & primo de prima.*

Secundò principaliter eſt videndum, quomodo reſponſiones datæ ab Ocham non euacuant, nec ſoluunt rationes Doctoris. Ad primam, cùm negat quòd illæ relationes, ſine quibus fundamenta poſſunt eſſe, ſunt tantùm intentiones, vel conceptus, in anima, & iſtæ non ſunt idem cum rebus extrà, &c. Dico quòd Doctor ſubtilis per primum argumentum non probat, quòd huiuſmodi relationes ſint in anima, vel extra animam; ſed intendit oſtendere, quòd ipſa relatio non eſt præciſè ipſum fundamentum, ſed aliquid aliud à fundundamento, ſiue ſit in anima, ſiue ſit extra animam. Dico ſecuundò, quòd ſi per argumentum Doct. probatur relationem eſſe aliam à fundamento, de neceſſitate Ocham habet concedere quòd ſi fundamentum realiter refertur ad aliquid, ſit realiter relatiuum, quòd relatio, quâ dicitur relatiuum ſit extra animam: patet, quia ex quo relatiuum eſt aliquid excepta relatione, vt vult Auguſtinus 7. de Trinit. talis relatio erit alia à fundamento. *Cap. 1. vel 3.* Et cùm dicit, quòd hoc album, quod modò non eſt ſimile, & poſtea fit ſimile, quòd non fit ſimile per aduentum alicuius ſimilitudinis, ſed per hoc ſolum, quòd fit vnum aliud album Hoc non videtur intelligibile, ſcilicet quòd A, nunc realiter dicatur aliquid, quod priùs non fuit, & quòd in eo non ſit formaliter aliquid, quod priùs non fuerit. Et videtur contradicere Simplicio ſuper Prædicamenta, qui vult, quòd relatio non eſt forma ad ſe, ſed ad alterum, ita illud, cui aduenit non mutatur ad ſe, ſed ad aliud. Et ſic ſecundùm Simplicium mutatio eſt in *Ad aliquid*, quia ſecundùm relationem ſe habet aliquis aliter ad alterum. Nec valet dicere, quòd Phil. 5. *Phyſ. tex. com.* 10. dicit, quòd in *Ad aliquid* non eſt motus, nec mutatio. Hoc verum eſt pro quanto ipſe ponit, quòd non eſt poſſibile aliquid aliter ſe habere ad alterum, niſi aliter ſe habeat ad ſe; ideò dicit, quod in *Ad aliquid* non eſt motus, vnde ſolùm oſtendit, in quibus Prædicamentis eſt per ſe primò motus, & in quibus non. *Cap. de ad aliquid.*

96. *Quomodo forma dicatur eſſe ad ſe.*

Patet etiam, quia Philoſophus vbi ſuprà oſtendit, quòd in ſubſtantia non eſt motus, & tamen ibi eſt mutatio, & ſic ex intentione Philoſophi non poteſt haberi, niſi quòd in *Ad aliquid* non ſit motus, cum hoc tamen ſtat quòd ibi ſit mutatio. Sed Ocham dicit *in primo diſt.* 30. *qu.* 3. quòd hæc reſponſio Simplicij, & Philoſophi non ſatisfacit, quia quærit ſecundùm principia Philoſophi, quod eſt aliquam formam eſſe ad ſe. Aut hoc eſt referri ad ſe, aut realiter diſtingui à quocunque alio, aut non coëxigere aliquid aliud, aut non dependere ad aliquid aliud. Si primum, vel ſecundum detur, ita eſſet illa relatio ad ſe, ſicut alia forma, quia iſta eſſet eadem ſibi, & diſtinguitur ab omni alio. Si detur tertium, & quartum, ſequitur, quòd nullum accidens eſt ad ſe ſecundùm principia Philoſophi, quia ſecundùm eum quodlibet accidens neceſſariò coëxigit ſubiectum, & dependet ab eo. Præterea quod dicit, quòd mutatio eſt in *Ad aliquid*, non videtur ſecundùm principia Philoſophi, quia dicit Philoſophus, 5. Phyſic. *Si conuenit altero mutato verum eſſe alterum nihil mutans.* *Quinto ph. context.* 10. Hoc eſt dictu per mutationem alterius exiſtentem dicitur verè alterum extremum ad aliquid ſine omni mutatione ſui ipſius. Sed hæc reſponſio non eſt ad mentem, nec Simplicij, nec Philoſophi. Et cùm dicit quærendo ſecundùm principia Philoſophi, quid eſt aliquam formam eſſe ad ſe? &c. Patet, quia ſecundùm ipſum, illa dicitur forma ad ſe, quæ ex ſui ratione non eſt ad aliud, vt ad terminum. Et quæ eſt talis forma, ſecundùm quam habens illam non dicitur formaliter referri ad aliud, ſicut habens albedinem non eſt ad aliud. Et ſic concedo, quòd forma non dicitur ad ſe aliquo quatuor modorum prædictorum. Sed dicitur ad ſe, quia in ſuo intellectu quiditatiuo non eſt ad aliud, vt ad terminum; & licèt albedo non poſſit eſſe ſine ſubiecto ſecundùm Philoſophum, quia accidentis *eſſe* eſt ineſſe, tamen apud ipſum dicitur qualitas abſoluta, quia in ſuo intellectu quiditatiuo non includit *eſſe* ad ſubiectum, tanquam ad terminum: Immò ipſa albedo poteſt diſtinctè intelligi quantùm *Quomodo forma dicatur ad ſe.*

ad ſuum

ad ſuum *eſſe* quiditatiuum, quod datur per intrinſeca eſſentialiter, ſubſtantia non intellecta, quia ſubſtantia non eſt de definitione illius, niſi tantùm per additamentum, vt patet per Philoſophum 7. *Met. tex. commen.* 4. Imò relatio includit in ſuo *eſſe* quiditatiuo eſſe ad aliud, vt ad terminum, & impoſſibile eſt intelligi termino non intellecto, vt ſuprà dixi. Patet ergo quomodo relatio eſt aliquid diſtinctum præter opus intellectus à fundamento, & hoc ex natura rei, quia ſecundùm eam aliquid aliter ſe habet ad alterum quàm priùs non ſe habebat. Et quod dicit, quòd album ex hoc ſolo dicitur ſimile, quia aliud album cauſatur, ita quòd ſe ſolo dicitur ſimile. Sed hoc non videtur eſſe verum, quia ex quo Prædicamentum Relationis eſt diſtinctum à Prædicamento Qualitatis ſecundùm Philoſophum (licèt ipſe in iſta parte habeat negare Philoſophum, vel ipſum exponere, & non ad intentionem Philoſophi) ſequitur, quòd ſi album eſt de nouo ſimile, quòd habeat ſimilitudinem, ſecundùm quam dicitur ſimile diſtinctam ab ipſo. Hoc etiam patet expreſsè ſecundùm Philoſophum *in* 5. *Met. cap. Ad aliquid, tex. com.* 20. vbi vult, quòd ſimilitudo fundatur ſuper vnum, & exemplificat de qualitate. Ergo vult ibi, quòd ſimilitudo non ſit realiter ipſa qualitas, quia tunc idem fundaretur in ſeipſo.

98. *In Deo non eſt noua relatio realis.* Et cùm addit iſte Doctor de Deo creante, quòd Deus dicitur creans de nouo, & tamen non eſt in eo noua relatio realis. Dico, quòd hoc non eſt ad propoſitum, quia aliud eſt loqui de relatiuis primi, & ſecundi modi, in quibus eſt mutuitas, & de relatiuis tertij modi, in quibus non eſt mutuitas, & ſic ſecundùm Ariſtotelem aliqua dicuntur referri ad alia, ex hoc ſolo, quòd illa alia ſunt ad illa, quæ referuntur. Scibile enim ex hoc ſolo dicitur referri ad ſcientiam, quia ſcientia refertur ad illud. Eſſet tamen impoſſibile aliquid referri ad aliud ſecundùm tertium modum relatiuorum, niſi in illo alio eſſet relatio, vel formaliter diſtincta, ſecundùm quàm poſſet referri. Et ſic verum eſt, quòd Deus de nouo dicitur creator ex hoc ſolo, quòd relatio alicuius creaturæ terminatur ad ipſum. Et ſi creatura, puta lapis, nullam relationem diceret, ſed tantùm entitatem abſolutam, tunc Deus nullo modo poſſet referri ad lapidem, & hoc eſt quod intendit Doct. *in primo diſt.* 30. quòd relatio terminatur ad abſolutum, & illud abſolutum quandoque ex hoc ſolo; quòd terminat, dicitur referri, non relatione formaliter exiſtente in illo, ſed relatione, quæ eſt ad ipſum. Sed de relationibus primi, & ſecundi modi, cuiuſmodi ſunt illæ, quæ fundantur ſuper *vnum*, & *multa*, & quæ fundantur ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam, ſunt aliæ à ſuis fundamentis, quia non eſt intelligibile aliquid eſſe patrem formaliter ſine paternitate formaliter inhærente; nec ſimiliter quòd aliquid ſit ſimile formaliter ſine ſimilitudine inhærente: & ſic patet quomodo non eſt ſimile de Deo creante, & aliis rebus. Sed quare in creatis relationes cauſantis, & cauſati dicantur mutuæ, de hoc vide Doct. *in primo diſtin.* 30.

Quomodo Deus dicatur de nouo creator.

Quæ ſunt relationes primi, & ſecundi modi.

99. *Ad ſecundam rationem. Quæ ſit vnio.* Ad aliam reſponſionem de compoſitione, &c. Cùm dicitur, quòd vnio partium in compoſito tantùm accipitur pro illis partibus vnitis, ita quòd vnio nihil aliud eſt, niſi partes vnitæ. Hæc reſponſio nullo modo videtur euacuare rationem Doctoris, quia tunc quamdiu partes manerent, tamdiu diceretur vnio partium; & ſic in triduo anima Chriſti, & corpus fuiſſent vnita, & ſic fuiſſet realiter homo in triduo, quod eſt falſum, vt patet à Doct. *in* 3. *diſt.* 22. Nec valet dicere, quòd requiritur approximatio partium, quia quæro de approximatione illa, quia aut eſt relatio, & habeo intentum; aut tantùm illæ partes abſolutè, & tunc adhuc diceretur approximatæ; tum etiam, quia hoc videtur eſſe contra Commentatorem 1. Phyſ. com. 17. vbi vult, quòd compoſitum nihil aliud ſit niſi partes ſimul ſint, & vnitæ, & ſi talis vnio non requireretur vt diſtincta à partibus, ita compoſitum diceretur partibus ſeparatis ſicut & vnitis.

100. *De tertia ratione.* Ad aliam reſponſionem de approximatione, &c. Cùm dicit, quod approximatio tantùm importat præter abſoluta, quæ dicuntur approximata, quòd inter illa non ſit aliquod medium impediens. Sed hoc nihil eſt, quia amoto per poſſibile omni obſtaculo, ita quòd inter paſſum, & agens non ſit aliquod medium poſitiuum, adhuc agens non poſſet agere in paſſum, niſi ſibi approximatum. Nec tamen dico, quòd *approximatio* relatio ſit ratio formalis agendi, vel patiendi, ſed benè dico, quòd requiritur talis approximatio, vt diſpoſitio præuia. Et quia omnes reſponſiones iſtius Doct. ad argumẽta Scoti, quæ incidunt in vnum, ſcilicet quòd ipſa abſoluta ſeipſis dicuntur cauſæ proximæ, ſeipſis vnitæ, ſeipſis partes vniuerſi, & ſic de aliis, quæ reſponſiones videntur totam doctrinam Peripateticam deſtruere, & totaliter extorquere ſenſum Philoſophi. Et auctoritates tam Philoſophorum, quàm Sanctorum, niſi retorquerentur ad primum ſenſum, concluderent relationem ex natura rei dicere aliquid aliud ab abſolutis, vt ſuprà patuit. Licèt iſte ſcilicet Ocham nitatur eas ſoluere, quæ ſolutio datur ab eo *in primo diſt.* 30. *quæſt.* 3. Ideò vt oſtendatur quòd reſponſio iſtius ad auctoritates tam Philoſophi, quàm Sanctorum, non ſit ad mentem ipſorum recito reſponſionem eius de verbo ad verbum.

Ocham in primo diſt. 30. q. 3. nititur ſoluere auctoritates philoſophi ſecundum ſuam opinionem.

Vnde ad illud Philoſophi in Prædicamentis qui dicit: *Ad aliquid ſunt quæcunque hoc ipſum quod ſunt ad aliud ſunt.* Dicit, quòd Philoſophus principaliter tractat de terminis propoſitionum; & benè verum eſt, quòd terminorum propoſitionis quidam ſignificant res abſolutè, nullas res abſolutè determinatas connotando. Et tales termini ſunt in duplici differentia, quia quidam eorum important ſubſtantias; quidam qualitates, quæ ſunt res abſolutè & realiter, & totaliter diſtinctæ ab omnibus ſubſtantiis, ſaltem multæ earum. Quidam ſunt termini importantes iſtas ſubſtantias, vel qualitates, non connotando alias res determinatas, etiam quantumcunque tales non ſignificent præcisè hanc ſubſtantiam, vel illam, &c. Tunc ad rationem dico, quòd ſecundùm Philoſophum, illi termini ſunt ad aliquid, qui hoc ipſum quod ſunt aliorum dicuntur, hoc eſt, quia ſunt tales termini ſic inſtituti ad ſignificandum, aliquid aliud dant intelligere, ita quòd nulla propoſitio, in qua ponitur talis terminus de aliquo, poteſt ſciri, niſi ſciatur determinatè illud, quod dat intelligere. Et hæc eſt cauſa quare Philoſophus in fine, c. ponit quòd tales termini *caput, manus, ala*, & huiuſmodi, non ſunt ad aliquid, quia viſo capite, poteſt verè ſciri, quòd caput eſt, & tamen neſciri cuius eſt caput, quamuis realiter caput ſit alicuius caput. Non ſic eſt de *duplo, ſimili*, & huiuſmodi, quia impoſſibile eſt aliquem ſcire aliquod

101. *Termini ſũt in duplici, differentia.*

eſſe ſimile, niſi ſciat cui eſt ſimile in particulari.

Et ſi dicatur, quòd ſecundùm iſta, cauſa & effectus & huiuſmodi, non ſunt ad aliquid, quia poſſum ſcire de aliquo quòd eſt effectus, neſciendo cuius eſt effectus, Dico, quòd per deductionem aliquando hoc eſt poſſibile, tamen ſine deductione in argumento non eſt hoc poſſibile, niſi ſciatur cuius eſt effectus; & ideò tales termini hoc ipſum quòd ſunt ad aliud, hoc eſt, ex hoc ipſo quòd ſunt tales, non poſſunt ſciri verificari pro aliquo, non quidem pro ſe, ſed pro re, niſi ſciatur reſpectu cuius verificantur de re; & iſto modo loquitur Philoſophus, quòd omnia relatiua dicuntur ad conuertentiam, ſed aliquoties differunt ſecundùm locutionem, vt *ſcientia* ſcibilis ſcientia dicitur, & *ſcibile* ſcientia ſcibile: & aliquando vnum dicitur reſpectu alterius ſumpti in genitiuo caſu, & è contra.

102. *Quomodo relatio ſuſcipiat magis, & minus.*

Ad aliud de *ſuſcipere magis, & minus*, poteſt intelligi dupliciter, vel à parte rei, ita quòd realiter vna pars addatur alteri, & iſto modo relatio non ſuſcipit magis, & minùs. Alio modo poteſt hoc eſſe in prædicatione, ſecundùm quod aliquod nomen recipit comparationem; & iſto modo relatio ſuſcipit magis, & minùs. Et hoc non ſemper eſt propter additionem rei ad rem, ſed poteſt eſſe aliquando propter ablationem rei, ſicut eſt in inæquali, quod aliquando fit magis inæquale propter ſolam ablationem partis ſuæ. Vnde ſicut contingit quandoque denominari nomine relatiuo aliquo propter ſolam mutationem in altero extremo, ſecundùm Philoſophum; ita aliquando contingit magis, vel ſic denominari propter ſolam mutationem in altero extremo ablatiuam, vel additiuam, vel ſolam ablationem in ſeipſo, vel augmentationem alicuius abſoluti in ſeipſo. Per hoc ad ſecundum, quòd proprie loquendo inæquale non augmentatur, niſi ſic intelligendo quòd dicitur magis inæquale, quàm priùs. Et hoc poteſt eſſe ſine aduentu cuiuſcunque rei de nouo propter ſolam ablationem partis. Vnde ſicut non eſt inconueniens dicere, quòd Deus eſt realiter de nouo creans, propter ſolam productionem rei alterius extrà; ita non eſt inconueniens, quòd hoc facit magis inæquale propter ſolam ablationem alicuius partis.

Aliqua eſſe ſimul natura poteſt intelligi dupliciter.

Ad aliud, quando dicitur, quòd aliqua ſunt ſimul natura. Dico, quòd *aliqua ſimul eſſe naturâ* poteſt intelligi dupliciter, vel quòd ſint aliquæ res, quarum vna neceſſariò coëxigit aliam, & è conuerſo, vel quòd ex hoc quòd eſt exiſtere prædicetur de vno non quidem pro ſe, ſed pro illo, pro quo natum eſt ſupponere principaliter, ſequitur eſſe exiſtere verificari de altero eodem modo ſupponente. Primo modo non intelligit Philoſophus, quòd ad aliquid ſint ſimul natura, ſed tantùm ſecundo modo, quia hæc eſt conſequentia bona, *duplum eſt, ergo dimidium eſt*, & è conuerſo.

103. *Cap. de relatiuis.*

Ad aliud quod Philoſophus ponit tres modos relatiuorum, quia omnes poſſunt ad illos reduci. Ad confirmationem dico, quòd malè exponitur Philoſophus, quando exponitur, quòd in tertio modo non eſt relatio in vtroque extremo, ſed in primis modis eſt relatio in vtroque extremo. Sed iſta intentio Philoſophi, quæ multum concordat cum intentione ſua in Prædicamentis, vbi oſtendit, quòd non omnia relatiua ſunt ſimul naturâ, quia in tertio modo ex hoc, quòd vnum extremum prædicatur, verè ſequitur alterum extremum prædicari de aliquo, & non è conuerſo. Sequitur enim, *aliquid eſt ſcientia actualiter, ergo aliquid eſt ſcibile actualiter*, & ſimiliter ſequitur, *aliquid eſt actualiter menſura: ergo aliquid eſt actualiter menſurabile*; ſed è contra non ſequitur formaliter ex natura talium relatiuorum, *aliquid eſt actualiter ſcibile; ergo aliquid eſt actualiter ſcientia*, & hoc eſt quod dicit Philoſophus in Prædicamentis: quòd ſenſibile eſt prius natura, quàm ſenſus, & ſcibile eſt prius natura, quàm ſcientia; quia non ſequitur, *ſenſibile eſt, ergo ſenſus eſt*, ſed benè ſequitur è conuerſo. Et eodem modo dicitur de ſcibili, & ſcientia, ſicut probat ibi Philoſophus. In aliis autem modis ſemper ſequitur, ſi eſſe exiſtentiæ prædicatur de vno extremo, quòd etiam prædicatur de alio, & è conuerſo, & iſto modo differt tertius modus à primis, & non aliter, quia relatiua primorum modorum ſunt ſimul natura, non autem relatiua tertij modi; & communiter, quod accipitur quòd omnia relatiua ſunt ſimul naturâ eſt manifeſtè falſum; quia Philoſophus ex intentione oſtendit oppoſitum in Prædicamentis, vnde dicit ſic: *Videtur autem ad aliquid ſimul eſſe natura*, & exemplificat in multis, & poſtea ſubdit: *Non autem omnibus relatiuis videtur eſſe ſimul natura, ſcibile enim ſcientia prius eſſe videtur*, & probatur ibidem. Et ſi dicatur, quòd exempla non ſunt ad propoſitum, quia *ſcibile*, & *ſcientia* non ſunt correlatiua, ſed *ſcitum*, & *ſcientia* ſunt relatiua, vt ſi ſcientia eſt, ſcitum eſt, & è conuerſo. Similiter ſcientia poteſt eſſe exiſtens, ſcibili non exiſtente, quia de non ente in actu poteſt eſſe ſcientia: ergo ſcibile non eſt prius natura ſcientia.

Quæ relatiua ſint ſimul natura.

Loquitur Ariſto. de relatiuis ſecundum eſſe quod ſint ſimul natura, non autem de relatiuis ſecundum dici, vt ſcibile, & ſcientia.

Ad primum iſtorum dico, quòd ſcientia eſt proprium correlatiuum ſcibilis, quia ſi hoc eſt ſcientia ſcibile, & tamen non ſequitur, ſcibile eſt, ergo ſcientia eſt. Et ideò correlatiua iſta non ſimul natura.

104.

Ad aliud dico, quòd nihil eſt in re, quin ſibi poſſit comperere aliquod nomen relatiuum; nec eſt contra Philoſophum, ſed intentio Philoſophi eſt, quòd non omnia nomina ſunt relatiua, ſed quòd ſunt aliqua, quæ non ſint relatiua, & quòd verificentur de rebus ſine omni connotatione alterius.

Ad aliud dico, quòd non eſt intentio Philoſophi, in 12. *Met. context.* 19. quòd relatio ſit quædam res habens tria principia, ſicut habet ſubſtantia compoſita ſuum *fieri*. Sed eſt intentio ſua, ſicut in ſubſtantia eſt aliquid, quod primò recipit formam, poſtea caruit ea, ita de relatione, quòd aliquid denominatur ab illa relatione, & priùs non denominabatur, ita quòd ſicut materia primò nullo modo habuit hanc formam, & poſtea verè habet eam, ita aliquid primò non eſt ſimile & poſtea eſt ſimile, & ſic de aliis. Ad Auicennam poteſt dici, quòd ſi ſit eiuſdem opinionis cum Philoſopho, quòd ipſe intelligit quòd relatio habet propriam certitudinem, quæ eſt verè vnum prædicabile de re extrà, & verè res eſt talis, omni intellectu circunſcripto, modo expoſito priùs: & eadem habet proprium *ineſſe*, accipiendo *ineſſe* pro *prædicari*, id eſt, habet propriam actualitatem, quæ contingenter prædicatur, non tamen propter contingenter prædicationem abſoluti, ſed ſine illo, quia aliquando abſoluto vniformiter prædicato, ipſa relatio non vniformiter prædicatur, ſicut Socrate continuè exiſtente albo, poteſt eſſe ſimilis, & poteſt non eſſe ſimilis. Si aliam

Tertio metha. cap. de relatione.

aliam actualitatem intelligit dico, quòd contradicit Ariſtoteli.

105. *Reſponſio ad ſolutiones Ocham.* Reſpondeo ad omnes iſtas ſolutiones, quòd non ſunt ad mentem nec Philoſophi, nec Sanctorum. Pro cuius intelligentia, ſuppono, quòd tota Methaphyſica ſit de ente reali, & non tantùm de terminis, vt patet, quia ſcientia realis diuiditur in Mathematicam, Phyſicam, ſiue naturalem, & Metaphyſicam, vt patet ab Ariſtotele 6. *Met. tex. com.* 2. vbi ſic habetur. *Quare tres erunt Philoſophiæ theoricæ, Mathematica, Phyſica, Theòlogia,* & in alia tranſlatione ſic habetur; *Modi igitur Philoſophiæ eſſentiales ſunt tres. Mathematicus, naturalis, & diuinus.* & tex. comm. 4. *Et quia,* inquit, *de ente inquantum ens, cuius vtique erit ſpeculari, tunc etiam & quid eſt, & quæ ſunt inquantum ens. Sed quoniam ens dictum ſimpliciter, dicitur multipliciter, quorum vnum eſt quidem quod ſecundùm accidens, & aliud quod vt verũ. Et non ens quaſi falſum. Præter hæc autem ſunt figuræ categoricæ, vt quid, quale, quantum, vbi, quando, & ſi quid aliud ſignificat hoc modo. Amplius præter hæc omnia quod poteſtate, & quid actu. Quoniam itaque multipliciter dicitur ens primo de eo quod ſecundùm accidens dicitur, eſt dicendum, &c.* Ex iſto tex. patet expreſsè quomodo decem prædicamenta dicantur verè decem entia. Et Commentator ibidem ſic dicit: *quia declaratum eſt, quòd iſta ſcientia habet conſiderare de ente ſecundum quod eſt ens, ſcilicet quid ſit, & quæ ſunt res exiſtentes in eo ſecundum quod eſt ens, & ſequitur, & declaratum eſt, quòd ens ſimpliciter diuiditur in prima diuiſione de ente per accidens, & de ente per ſe,* & parum infra: *deinde incipit numerare decem genera prædicamentum, & intendit quòd hoc nomen* ens *dicitur de omnibus.* Hæc Commentator. Non ergo decem Prædicamenta, accipiuntur tantùm pro terminis, vt vult iſte Doctor. & quòd Ariſtoteles intelligit de iſtis rebus, patet expreſsè 5. *Met tex. comm.* 14. niſi textus extorqueatur; dicit enim ſic; *Secundum ſe verò dicuntur eſſe quæcunque ſignificant figuras prædicationis, quoties enim dicitur toties eſſe ſignificat: quoniam ergo prædicatorum alia quid ſignificant, alia quale, alia quantum, alia ad aliquid, alia facere, alia pati, alia vbi alia quando, horum vnicuique idem eſſe ſignificat,* hæc ille.

Quomodo prædicamenta dicantur decem entia quatenus conſideratur à Logico abſtrahunt ab exiſtentia.

106. Vult dicere, quòd ens ſecundùm ſe dicuntur eſſe quæcunque ſignificant diuerſa Prædicamenta: *quoties enim dicitur* ſcilicet aliquid eſſe, *toties eſſe ſignificat*, id eſt, tot modis ſignificatur ens, *quoniam Prædicamentorum alia quid ſignificant*, id eſt, ſubſtantiam; & quòd dicit *horum vnicuique idem eſſe ſignificat*, id eſt, quòd horum vnicuique ſignificat idem eſſe, quòd eſt dictum denominatiuè de ente. Et ibi Commentator *Intendit*, inquit, *Ariſtoteles per figuras, genera prædicamentorum, dicit enim ens ſecundùm numerum ſecundùm quem dicuntur prædicamenta, & hoc nomen* ens *dicitur de omnibus, de quibus dicuntur Prædicamenta; quia quod ſignificat hoc nomen* ens, *idem videtur cum eo quod ſignificat dictiones prædicamentorum, & tacuit Prædicamentum ſitus, & habitus, propter abbreuiationem ſermonis, aut quia latent.* Hæc ille. Et Ariſtoteles ſpecialem tractatum facit de relatiuis, vt patet 5. Met, cap. de *Ad aliquid*, tex. com. 20. in quo oſtendit quòd prædicamentum Ad aliquid, ſit diſtinctum ab aliis Prædicamentis ſecundùm *eſſe*, & multæ aliæ auctoritates adduci poſſent, quas breuitatis cauſa omitto, ex quibus patere poſſet quomodo Prædicamentum Relationis, dicat aliam rem à Prædicamentis abſolutis.

Quomodo prædicamentum ad aliquid ſit diſtinctum ab aliis ſecundum eſſe.

107. Et ex iis patet quomodo hic Doctor malè interpretatur mentem Ariſtotelis. Et cùm dicit, quòd Philoſophus in Prædicamentis principaliter tractat de terminis propoſitionum. Dico primò, quòd & ſi hoc verum ſit, tamen ſignificata terminorum ſunt verè res, quæ à Metaphyſico conſiderantur. Dico ſecundo, quòd etiam in Prædicamentis tractat de ipſis rebus, vt patet per exempla ibi poſita. Vnde & Commentator in Prædicamẽto. Ad aliquid, ſic dicit; *Differentia prima, quæ ex deſcriptione rerum, relationis*, &c. *res*, inquit, *relatiuæ ſunt, quarum quiditas, & eſſe dicitur in comparatione ad aliud, ſiue per ſe, ſiue per coniunctionem, eſt proportionis, ſicut idem, & ſimilia, verbi gratia, maioris enim quiditas dicitur in comparatione ad aliud; ipſum namque eſt maius alio, & ſimiliter duplum eſt duplum ad aliquid, omnium namque horum quiditas dicitur in comparatione ad rem aliam.* Ex iſta litera patet manifeſtè quomodò Prædicamentum Relationis eſt aliud à Prædicamento abſoluto; quia ſi tu dicis, quòd album eſt ad aliud album, quæro aut hoc eſt ſecundùm eſſe abſolutum, aut ſecundùm relationem ſibi additam, ſi primò, ergo quiditas albi eſſet ad aliud, & illud, quod eſt de quiditate alicuius eſt inſeparabile, & per conſequens deſtructo alio albo, adhuc eſſet eſſentialiter ad illud. Si ſecundo modo, habetur intentum; & ſic patet quomodo nec Ariſtoteles nec Commentator intendunt tantùm de terminis propoſitionis.

Prædicamentum relationis eſt aliud à prædicamento abſoluto.

108. Ad aliam reſponſionem auctoritatis Philoſophi in Prædicamentis. *Eorum quæ ſecundùm nullam complexionem dicuntur, ſingulum aut ſignificat ſubſtantiam, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid*, &c. Et certum eſt, quòd iſta ſignificant veras res extra animam, & cùm dicit quòd nomina relatiua non propriè ſignificant ad aliquid, niſi accipiendo *ad aliquid* ſecundùm quòd poteſt ſtare pro ipſis rebus extrà, hoc eſt, ad aliquid ſignificat diuerſas res, quarum vna eſt ſimilis, vel æqualis alteri.

Dico, quòd hoc non eſt ad mentem Ariſtotelis, nec eius Cõmentatoris, quia coniungendo dicta Ariſtotelis, ſcilicet definitionem *ad aliquid*, & exempla ibi poſita in capitulo quinto in Antepredicamentis, & in Prædicamento Ad aliquid, patet quòd ſi *ad aliquid* ſignificat tantùm ipſas res abſolutas, ſtatim ſequitur, quòd abſolutum ſit eſſentialiter ad aliud, quod eſt manifeſtè falſum. Et quòd Ariſtoteles accipiat *ad aliquid* non pro ſecundis intentionibus, nec pro abſolutis, expreſsè patet quinto Met. capitulo de Ad aliquid, tex. comm. 20. qui ſic ait: *Ad aliquid dicuntur alia per ſe, vt duplum ad dimidium*, & vide textum, & Commentatorem ibi. Et certum eſt, quòd in quinto Metaphyſicæ non loquitur de ſecundis intentionibus, vt patet per totum librum: nec de relatiuis prout idem ſunt cum abſolutis, cùm illa diſtinguantur ab abſolutis, vt patet vbi ſuprà *tex. comm.* 14. *& tex. comm.* 20. *& in ſexto libro text. comm.* 4.

109. Ad illam reſponſionem de *contrariis*, patet expreſsè, quòd hæc non eſt mens Philoſophi, & patet per verba Commentatoris in Prædicamento Ad aliquid, qui ſic ait; *Iam ſequitur rès relatiuas, quòd ſint contrariæ, & exemplum illius ſunt virtus, & vitium; ſunt enim relationes ambo, quæ contrariæ;*

*cõtraria;& ſimiliter ſcientia,& ignorantia vnumquodque amborum eſt ex relatione,ſuntque contraria ambæ, niſi quia non inuenitur hoc omnibus relatiuis;duplum namque non habet contrarium,neque triplum,*Hæc ille. Ex hac litera patet expreſsè, quòd relatiua contraria non ſunt ſecundæ intentiones, quia illæ non dicuntur contrariari nec ſunt præcisè abſolutæ ex dictis eius, cùm iſta contrarietas in relatiuis expreſsè differat à contrarietate in qualitate.

Relatiua contraria non ſunt ſecunda intentiones.

110. Ad aliam reſponſionem de *magis*, & *minùs*, patet expreſsè quòd hæc non eſt intentio Ariſtotelis,nec ſui Commentatoris,quòd magis,& minus in relatiuis ſit tantùm præcisè penes fundamenta abſolutè, vt ſcilicet quòd vnum album magis dicatur ſimile, quàm aliud, accipiendo ly *ſimile* tantùm pro albo, nec ſimiliter accipitur magis, & minus in relatiuis prædicatione tantùm, & ſecundæ-intentionaliter, vnde Ariſtoteles ſic ait : *Videntur autem magis,& minus relatiua ſuſcipere, ſimile enim magis, & minus dicitur,& inæquale magis, & minus, cum vtrunque ſit relatiuum, ſimile enim alicui ſimile dicitur,& inæquale alicui inæquale.* Hæc ille. & hoc idem Commentator. Si enim ſimilitudo non eſſet aliqua res aduenies albo,ſed eſſet præcisè ipſum,album, ſequeretur, quòd album eſſet ſimile alteri albo iam deſtructo. Patet, quia priùs erat ſimile alteri albo præexiſtenti, & per deſtructionem illius albi nihil corrumpitur in illo albo, ergo erit verè ſimile.Si dicatur, quòd corrumpitur relatio,quæ eſt ſecunda intentio: Contrà, quia album *A*,erit ſimile albo *B*,exiſtenti,nullo intellectu conſiderante,& album *B* poteſt deſtrui, ergo ipſo deſtructo adhuc album *A* erit ſimile,quia in eo nihil corrumpitur; nec ſecunda intentio cùm priùs non fuerit, nec alia res, cùm ſimile præcisè dicat ipſum *A*.

111. Præterea ſequeretur, quòd poſito vno albo,& ſtante quiditate ipſius, ſi ipſum eſt ſimile alteri, quòd in ſua ratione quiditatiua includit eſſe actu ad aliud, cùm eius *eſſe* quiditatiuum ſit eſſe ad aliud vt ſuprà dixi per Commentatorem: & ſic nullo alio albo exiſtente præter hoc actu erit ad aliud, quod eſt manifeſtè falſum. Eſt enim impoſſibile quòd poſita paternitate, quin ſit ad aliud, ita quòd in ſua ratione quiditatiua includit eſſe ad aliud,& ideò deſtructo termino paternitatis,præter omne opus intellectus ſtatim deſinit paternitas, & ſic ſi album eſſet ad aliud album, illo alio albo deſtructo, ſtatim deſtrueretur aliud album,cuius oppoſitum experimur.

112. Ad aliam reſponſionem de *ſimul naturâ*, dico,quòd aliud eſt loqui ad libitum ſuum,& aliud eſt loqui ſecundùm Philoſophi opinionem.Mens enim Ariſtotelis expreſſa, eſt quòd præter omne opus intellectus relatiua ſint ſimul naturâ, ita quòd procunque inſtanti vnum ponitur, de neceſſitate naturæ aliud ponitur. Et ſic ſi ſimile eſſet præcisè album *A* ipſo poſito, de neceſſitate poneretur illud album *B*, quod eſt falſum, & ſimiliter deſtructo vno & reliquum deſtrueretur, cuius oppoſitum experimur. Nec oportet fugere ad ſecundas intentiones, quia nullo intellectu conſiderante adhuc album *A* erit ſimile albo *B*, ergo ſi duo ſimilia ponuntur ſimul naturâ de neceſſitate, ita quòd poſito vno de neceſſitate ponitur & reliquum, ſtatim ſequitur, quòd iſta ſimultas non erit præcisè album *A* & album *B*, quia deſtructo vno,adhuc remanet reliquum;ergo erit penes relationes reales additas ipſis albis, reſpectu quarum ſtatim ſequitur, quòd vna deſtructa alia deſtruitur,& hæc mens expreſsè Ariſtotelis vt patet in Prædicamento *Ad aliquid*, qui ſic ait : *Videntur autem ad aliquid ſimul eſſe natura, & in aliis quidem pluribus verum eſt, ſimul enim duplum eſt & dimidium,& cùm ſit duplum dimidium eſt, & cùm ſit ſeruus,dominus eſt; ſimiliter autem his, & alia,ſimul enim inferunt ſeſe inuicem,ſi enim non ſit duplum, non eſt dimidium,& ſi non eſt dimidium non eſt duplum,ſimiliter autem, & in aliis quæcunque talia ſunt.* Hæc ille,& Commentator ibi ſic dicit:*Iamque putatur quòd ex propriis relatiuorum eſt,quòd inueniantur ſimul per naturam,& hoc eſt euidens plurimis ipſorum, duplum namque & dimidium inueniuntur ſimul,quia cum inuenitur vnum amborum,inuenitur & aliud, & cùm auſertur vnum ipſorum tollitur aliud.* Hæc ille, Patet quòd etiam relatiua non ſint præcisè ipſa abſoluta, quia certum eſt apud omnes, quòd cognito vno relatiuo ſtatim cognoſcitur & reliquum: ſed poteſt cognoſci diſtinctè vnum album,alio albo etiam actu exiſtente non cognito, vt patet intuenti; ergo ſequitur, quòd relatiua erunt aliæ res ab abſolutis, & hæc eſt mens expreſsè Ariſtotelis in prædicamẽto Ad aliquid. *Ex his,*inquit, *manifeſtum eſt quòd ſi aliquis aliquid eorum, quæ ſunt ad aliquid definitè ſciet,& illud ad quod dicitur definitè ſciturus eſt,* quoniam *eorum eſſe, quæ ſunt ad aliquid quodam modo ſe habere,ſi enim non nouerit omnino ad quod hæc quodammodo ſe habet, nec ſi aliquid ad quod hæc quodammodo ſe habet ſciturus eſt,ſed in ſingulis : palam hæc eſt : vt hæc ſi quis nouis definitè, quòd eſt duplum,& cuius eſt duplum,mox definitè nouit : ſi verò nihil definitè nouit ipſum cuius duplum ſit, neque ſi eſt omninò nouit.* Hæc ille. *Et* Cõmentator ibidẽ ſic ait;*Et manifeſtũ ex hac definitione vera in relatiuis,quòd ex propriè eſt,propriis quòd cùm ſcitur vnum duorum ſecundùm complementum,ſcitur aliud neceſſariò,quoniam homo cùm ſit,per hoc eſt relatiuum,& eſt quiditas vnius duorum relatiuorum quidem habens eſſe in proportione ad relatum ſecundum; manifeſtum eſt, quòd cùm ſit quiditas vnius duorum relatiuorum iam ſcit quiditatem alterius, & ſi non eſt ſcientia eius in quiditate vnius duorum relatiuorum, non eſt ſcientia illius, quod eſt ſuper ipſa, ſed putatiuè, & ſophiſticè.*Hæc ille.

113. Ad aliam reſponſionem cùm dicit,quòd malè exponitur Philoſophus,quando exponitur, quòd in tertio modo non eſt relatio in vtroque extremo, ſed in primis modis eſt relatio in vtroque extremo; ſed certè expoſitio iſtius non eſt ad mentem Ariſtotelis,tum,quia communiter exponitur Ariſtoteles, quòd in tertio modo relatiuorum non ſit relatio mutua, in aliis verò modis erit relatio mutua. Vnde in 5.Met.tex.com.12.ſecundùm aliam tranſlationem ſic habetur;*Omnia igitur relatiua,quæ dicuntur modo numeri, & potentiæ,ſunt relatiua, quia eſſentia eorum dicuntur ad aliquid, & non quia illud aliud dicitur ad illa, menſuratum autem & intellectum,& ſcitum,dicitur relatiuum,quia ad illud dicitur aliud aliquid, intellectum enim ſignificat habere intellectum, & intellectus non eſt relatiuus ad illud, quod eſt intellectus,quoniam ſi hoc dicatur,tunc idem dicetur bis : verbi gratia, ſi viſus eſt viſus ad aliquid non eſt viſus illius quod eſt,*&c. Hæc ille. Vult dicere Ariſtotèles in iſta litera quòd relatiua ſecundùm duo,

Communis expoſitio quòd in tertio modo relatiuorum non ſit relatio mutua.

duo, ſcilicet primos modos, ſcilicet ſecundùm numerum, & ſecundùm potentiam, referuntur mutuò, non ex eo, quòd aliud tantùm referatur, & propter hoc, aliud dicatur ad ipſum referri: *multiplex* enim refertur ad *ſubmultiplex*, & è conuerſo, & *calefactiuum* ad *calefactibile*, & è conuerſo. Sed in tertio modo relatiuorum non vult, quòd ſit mutua relatio, quia cùm ſubdit *menſurabile*, &c. dicuntur ad aliquid, ſupple non ad ſe, ſed quòd alterum dicitur ad ipſum. Nam intellectuale, id eſt obiectum intellectuale ſignificat; quia ipſius eſt intellectio: ſimiliter eſt de *ſenſibili* reſpectu ſenſus; hæc enim quantùm eſt de ſe nõ referuntur, niſi quatenus alia referuntur ad ipſa, puta ſenſus, & ſenſibile; intellectus, & intelligibile; conſtat ergo in hoc eſſe differentiam, quia in tertio modo relatiuorum non eſt mutua relatio, ſicut eſt in primis duobus modis, & cùm ſubdit: *Et intellectus non eſt relatiuus ad illud, quod eſt intellectus, quoniam ſi hæc dicatur tunc idem bis diceretur.* In iſta litera remouet quendam errorem, quia poſſet aliquis credere, quòd ſicut ſcientia, vel intellectus refertur per ſe primò ad ipſum ſcibile, ita per ſe primò referatur ad ipſum ſcientem, vel intelligentem, & hoc excludit cùm dicit, quòd *intellectus*, id eſt actus intelligendi, &c. non, ſupple, dicitur ad hoc cuius eſt intellectus, nam, ſupple, cum iam referatur ad ipſum intelligibile, ſequitur quòd idem bis vtique erit dictum, & per conſequens quòd idem haberet duplex *eſſe*, cùm *eſſe* relatiui ſit ad aliud ſe habere, *ſimiliter autem non eſt alicuius viſus*, id eſt videntis, &c.

Remouetur quidam error.

114. *Differentia tertij modi relatiuorum ad primum & ſecundũ.*

Ex hac igitur litera Ariſtotelis non patet expreſsè differentia tertij modi relatiuorum ad primum, & ſecundum modum; & non intelligit ſicut iſte doctor exponit, & quòd ſic non intelligat expreſsè patet per Commentatorem vbi ſuprà ſic dicentem: *Omnia igitur relatiua relata, quæ ſunt in numeris, & potentiis ſunt relatiua, quia eſſentia vtriuſque eorum collocatur in relatione eodem ordine, non quia alterum intrat in relationem per ſe, & alterum non in relationem per ſe, ſed quoniam alterum accidit ei, ſcilicet illud quod eſt relatiuum per ſe, & accidens alterius propter quod fuit relatiuum. d. d. menſuratum autem, & intellectum, &c. id eſt quod autem eſt de modo relatiuorum, ſicut intellectum, & ſcitum, & ſenſatum dicitur eſſe relatiuum, quia illud, quòd eſt relatiuum per ſuam ſubſtantiam accidit ei, ſcilicet, quia intellectus eſt in ſua ſubſtantia relatiuus; tamen accidit ei quòd fuit relatiuum intellecti, accidit intellecto, quòd fuit relatiuum, non quia relatio eſt in ſubſtantia intellecti, ſicut eſt in ſubſtantia intellectus, ſed quia relatio accidit ei. Hoc igitur intendit, cùm dicit talia eſſe relatiua, ſcilicet, quia aliud relatiuum per ſuam ſubſtantiam prædicatur de illis, quaſi dicat, quia relatio eſt duobus modis, ſcilicet aut relatio in ſubſtantia vtriuſque relatiui, aut relatio in ſubſtantia alterius tantùm, & in altero propter iſtud.* Hæc ille, verba enim iſta ſunt ita expreſſa, quòd niſi retorqueantur ad alium ſenſum, aliter exponi non poſſunt, niſi vt ſuprà expoſuimus.

115. *Quarto met. contex. 25. & 26.*

Ad aliam reſponſionem de 4. Met. quòd tunc omnia eſſent ad aliquid, cùm dicit, quòd nihil eſt in re, quin ſibi poſſit competere aliquod nomen relatiuum; nec eſt hoc contra Philoſophum, ſed intentio Philoſophi eſt, quòd non omnia nomina ſunt relatiua, ſed quòd ſint aliqua, quæ non ſint relatiua, &c. Sed iſta expoſitio nullo modo eſt ad mentem Philoſophi, vt patet 4. Met. tex. com. 26. vbi ſic habetur: *Si autem non omnia ſunt ad aliquid, ſed quædam ſunt, & ipſa ſecundum ſe, non vtique eſt omne quod apparet alicui apparet, quare qui dicit omnia, quæ apparent eſſe vera, omnia quæ ſunt facit ad aliquid, &c.* Vide textum ſequentem. Vult dicere ſi non omnia ſunt ad aliquid, ſed quædam ſecundùm ſe ſunt abſoluta, nam quòd apparet, alicui apparet, & ideò hoc, quod eſt *apparere* includit relationem quandam, quia *qui dicit omnia, quæ apparent eſſe vera facit omnia, quæ ſunt*, id eſt, omnia entia eſſe *ad aliquid*, id eſt relatiua, ſcilicet in reſpectu ad ſenſum, vel opinionem, quod ſupple eſt falſum, ſcilicet omnia formaliter eſſe relatiua, & nihil eſſe formaliter abſolutum, ſi ergo ſecundùm iſtum Doctorem, relatiua eſſent tantùm abſoluta, cùm omnia dicantur ad aliquid, vt patet de creaturis, ſtatim ſequeretur, quòd omnia entia eſſent formaliter, & quiditatiuè ad aliquid, quod habetur pro maximo inconuenienti apud Ariſtotelèm, & Commentatorem vbi ſuprà, & hoc idem in tex. com. 27. & de hoc vide Doct. *in primo diſtinctione 3. quæſt. 5.* contra Henri. qui dicebat quod quiditas cuiuſlibet rei eſt tantùm reſpectus veſtigialis.

Omnia entia ſunt ad aliquid denominatiuè, non quidditatiuè, & formaliter.

116. 12. *met. contex. 19.*

Ad aliam reſponſionem ad illud Philoſophi de 12. Met. qui vult, quòd ſicut principiata ſunt alia, ita principia, &c. patet quòd expoſitio iſtius non eſt ad mentem Pphiloſophi: non enim vult ibi, quòd ſicut in ſubſtantia eſt aliquid, quod primò reſpicit formam, poſtea carpit ea, ita de relatione quòd aliquid denominatur ab illa, & priùs non denominabatur, &c. Si enim intelligit, quòd ſicut album priùs non fuit ſimile, & nunc eſt ſimile per relationem realem ſibi aduenientem, habetur propoſitum, quòd qualia ſunt principia, talia & principiata. Si verò intelligit, quòd album dicatur ſimile, & non per aliquid ſibi additum, ſed tantùm abſolutum albi dicatur ſimile, tunc principiatum non eſſet relatiuum, vt patet, quia ibi nullum eſt principium pertinens ad relationem; niſi dicatur quòd ſicut principiatum relatiuum, dicitur ſic principiatum quantùm ad intellectum ſic conſiderantem, & non in re, ſed hoc nihil eſt, quia nullo intellectu conſiderante, adhuc album eſſet ſimile, & relatiuum.

117. Et quòd Ariſtoteles intelligat de principiato præter opus intellectus, quòd verè dicatur relatiuum, patet per literam ipſius vbi ſuprà *tex. com.* 19. ſecundùm aliam tranſlationem, *& principia*, inquit, *ſunt rerum diuerſarum & cauſæ, & ſunt, ſicut homo debet dici vniuerſaliter omnia eadem proportionaliter, & debet homo dubitare, vtrùm materia, & elementa ſubſtantiarum, & relationum, & omnium Prædicamentorum ſint ſimiliter eadem, ſed eſt inconueniens ſi principia ſint eadem, ſubſtantia autem, & relatio erunt ex eiſdem ex eo quòd hoc non erit ens*, Hæc ille, Et vult dicere Ariſtoteles in iſta litera, quòd ſi ſunt eadem principia ſubſtantiæ, & aliorum, aut erunt extra genus, aut in aliquo genere: non primum, quia cùm principium ſit priùs principiato, tunc aliquid eſſet priùs Prædicamentis, puta illa principia, quæ ponuntur eadem, & extra genus, & per conſequens aliquid eſſet priùs Prædicamentis, quod eſt inconueniens, quia illud quod eſt priùs, repetitur quandoque communius, vt animal homine; & hoc maximè ſequitur ſecundùm Platonicos, qui vniuer

Intẽtio Ariſtotelis.

vniuerſalia ponunt principia. Nihil autem videtur communius prædicamentis. Nec ſecundum poteſt eſſe, quia principia videntur eſſe einſdem rationis cum principiatis: ſed impoſſibile videtur, quòd ſubſtantia ſit principium eorum, quæ ſunt ad aliquid, aut è conuerſo.

118. Et ſimiliter eſt de aliis generibus, vnde & Commentator (vbi ſupra) ſic dicit: *Iſta quæſtio iam inducta eſt in principio iſtius artis, & modò iterat eam ad diſſoluendum eam, & eſt quæſtio vtrum principia, & elementa 10. Prædicamentorum ſint eadem, aut diuerſa, & primò ponit ſecundum quem ſunt eadem, & dicit quòd cauſæ, & principia Prædicamentorum, quamuis ſint rerum diuerſarum benè poteſt homo ponere eadem ſecundum proportionalitatẽ, & quia hoc nõ apparet, niſi cum fuerit declaratũ quòd nõ sũt eadẽ ſimpliciter, nec diuerſa ſimpliciter incipit declarare hoc, & dicit, & debet homo dubitare, &c id eſt, & ſunt eadẽ ſecundum proportionalitatẽ non ſecundũ definitionem, quia homo debet dubitare vtrum elementa ſubſtantiæ ſint elementa relationis, & aliorum, aut non, ſed eſt inconueniens vt ſint eadem; tunc enim ſubſtantia, & relatio erunt ſub eodem genere, & dicit propriè relationem, quia eſt debilioris eſſe aliis prædicamentis, ita quòd quidam reputauerunt ipſam eſſe ex ſecundis intellectis.* Et parum infrà. *Manifeſtum eſt enim quòd elementa ſubſtantiæ ſunt ſubſtantiæ, & elementa relationis relatio, & ſi ſubſtantia eſſet elementum relationis, & aliorum contingeret vt omnia eſſent ſubſtantia, omne enim cuius elementum eſt ſubſtantia, eſt ſubſtantia: & ſimiliter eſt impoſſibile ponere vnum aliorum eſſe elementum omnium, verbi gratiâ, relationem: contingeret enim omnia eſſe relatiua, & contingeret vt in aliqua hora diſſolueretur ſubſtantia in relationem, aut relatio in ſubſtantiam, & hoc contingit in genere, quod eſt materia, non in eo quòd forma.* Hæc Commentator.

An principia prædicamentorum ſint eadem.

119. Et quòd Prædicamenta ſint ad inuicem diuerſa, ita quòd res 10. Prædicamentorum ſint præter omne opus intellectus ad inuicem diſtincta, ita quòd res vnius Prædicamenti non eſt formaliter res alterius Prædicamenti, nec ſimiliter res vnius Prædicamenti eſt principium intrinſecum rei alterius prædicamenti, expreſsè patet ab Ariſto. 12. *Met. tex. com.* 21. & à Commentatore *ibidem*, vnde Ariſtoteles ibi ſecundùm aliam tranſlationem. *Etiam quomodo eſt poſſibile, vt omnia elementa ſint eadem: nullum enim elementorum poſſibile eſt, vt ſit, & illud quod eſt compoſitum ex elementis vnum verbi gratia vt A ſit B, quoddam.* Hæc ille, & Commentator ibi, *Manifeſtum eſt*, inquit, *ex iſto ſermone, quòd elementa 10. prædicamentorum impoſſibile eſt, quòd ſint eadem, contingit enim vt elementa, & compoſitum ex elemento ſint idem.* Vide ibi Commentatorem diffusè & opinionem Alexandri, & Themiſtij. Ex his ergo patet improbatio huius opinionis, & quòd argumenta ſua nihil contra Doctorem concludunt, nec ſimiliter reſponſiones datæ ad rationes Doctoris euacuant illas.

An prædicamenta ſint inuicem diuerſa.

Argumenta Ocham nihil concludunt.

120. Similiter ex iis, quæ declarauí in exponendo mentem Doctoris, & in ſoluendo opinionem Ocham, erit facilis reſponſio ad omnes rationes Gregorij de Arimino *in 2. diſt. 28. q. 2.* Et ſimiliter manifeſtum erit qualiter reſponſiones eius ad rationes Doctoris minimè ſoluant eas. Nec ſimiliter inſtantiæ aliquæ factæ contra aliquas reſponſiones Doctoris aliquid contra eas concludunt. Et ideò breuitatis causà non recito opinionem Gregorij, nec rationes eius contra Doctorem, nec reſponſiones, cùm quaſi in omnibus coincidant cum rationibus, & reſponſionibus Ocham. Et ſimiliter tranſeo multas alias opiniones de materia relationum quo ad identitatem cum fundamentis, vel alietatem à fundamentis. Et ſimiliter an ſit res extra animam, an tantùm in anima, quia ex dictis ſuperiùs erit facilis ſolutio ad omnes alias opiniones, pro nunc enim ſufficit mihi ſic declarare intentionem Doctoris, vt ex eius manifeſta declaratione manifeſtè pateat quid tenendum ſit de aliis opinionibus contra Doctorem.

Reſponſiones Ochan, & Gregorij concidunt.

b His præmiſſis eſt aggrediendum ad declarationem quæſtionis principalis, in qua quæritur an relatio creaturæ ad Deum ſit eadem realiter? Et reſpondeo ad quæſtionem dicit Doctor quòd eſt idem realiter fundamento, & probat duabus rationibus, prima ibi: *Illud, quod, propriè dicitur ineſſe alicui.* Et nota in maiori cùm dicit, *illud, quod ineſt alicui*, quia per hoc excluditur ratio, quam facit Ocham *in primo diſt.* 30. ad probandum per rationem Doctoris quòd vnum ſimile realiter non diſtinguatur ab alio ſimili; quia vnum non poteſt eſſe ſine altero, quòd benè ſequeretur, ſi aliud ſimile ineſſe formaliter, & ideo Doctor ſe limitat, cùm dicit, *illud quod ineſt alicui*, ſupple formaliter, & denominatione intrinſeca: & probat Doctor iſtã maiorẽ ibi: *Probatio maioris, &c. eſt via concludendi identitatem in eſſe.* Et accipit hìc *eſſe* pro *eſſe ſimpliciter*, quod eſt verum eſſe exiſtens. Et vult dicere quòd ſicut *A* poteſt verè exiſtere ſine *B*. ſic realiter diſtinguitur à *B*. quia aliquod *eſſe* ſimpliciter competit *A*, quod repugnat *B*: ergo *A* realiter diſtinguitur à *B*. Sic ſimpliciter poteſt concludi identitas realis aliquorum, quæ ſic ſe habent, quòd aliquod verum *eſſe* exiſtentiæ ſi competit vni, impoſſibile eſt quòd illud idem non competat alteri: & probatio huius maioris prolixè eſt declarata ſuprà, in prima ratione contra opinionem Henrici & in principio corporis quæſtionis, & addit in litera, *& hoc vbi non eſt dependentia eſſentialis, quæ requirit diſtinctionem manifeſtam:* patet, quia totum eſſentiale non poteſt eſſe ſine partibus eſſentialibus, & tamen illæ partes realiter diſtinguuntur ab illo. Sequitur ibi: *Quod declaro ſic: quia impoſſibilitas quòd A ſit ſine B, aut eſt propter identitatem B ad A, aut eſt propter prioritatem, aut ſimultatem in natura.* Si primum, habetur intentum: ſecundum dari non poteſt: nec ſimiliter tertium, quia illud quod ſic ineſt de neceſſitate, eſt poſterius, & patet litera, vſque ibi: *contra rationem iſtam inſto.*

121.

n. 21. *Relatio eſt eadem realiter fundamento, diſtinguitur verò formaliter.*

Sed contra iſtam rationem inſtat Ocham, vt patet *in 1. diſt.* 30. qui dicit, quòd duo alba poſita ſunt priora ſimilitudine, & eſt impoſſibile illa duo alba eſſe ſine ſimilitudine, & tamen diſtinguuntur realiter à ſimilitudine, vt patet per Doctorem.

122. *Inſtantia Ocham.*

Ad hanc inſtantiam reſpondent aliqui Scotiſtæ quòd ſæpè contigit, quòd in eodem antecedente ſint plures rationes, propter quas conſequens ſequitur ad antecedens, ſic eſt in propoſito, quia Socratem eſſe, & Deum eſſe de neceſſitate ſequitur dependentia actualis, ex ratione relationis intrinſecus adnenientis, ſed non præciſè, quia

Reſponſio aliquorum Scotiſtarum.

etiam vbi dependentia talis non eſſet relatio, ſed paſſio aliqua abſoluta,quæ conſequeretur ens finitum, adhuc ad poſitionem Socratis ſequeretur illud abſolutum, & ſic tenet conſequentia hæc, non tantùm per locum à relationibus intrinſecus aduenientibus, ſed per locum à ſubiecto ad paſsionem.

Iſta reſponſio non ſoluit rationem Ocham.

Sed hæc reſponſio iudicio meo non ſoluit rationem Ocham, fundatam ſuper propoſitionem Doct. quia ſtantibus duobus albis, de neceſsitate naturæ oritur ſimilitudo,quæ eſt relatio,& ſi per impoſsibile talis relatio eſſet entitas abſoluta, ſecundùm quam illa alba dicerentur ſimilia,adhuc illa entitas ex natura rei oriretur: nec videtur maior ratio de ſimilitudine intrinſecus aduenient̃e, quàm de dependentia: videtur ergo reſpondendum ad rationem iſtius, quæ reſponſio data eſt ſuprà, reſpondendo ad argumenta Ocham,facta cõtra poſitionẽ Doctoris,quã vide.

c *Contra rationem iſtam inſto.* Hic Doct. inſtat contra maiorem rationis,probando,quòd iſta non ſit vera ſi *A* ineſt *B*. & impoſsibile eſt *B* eſſe ſine *A*. ſequitur quod *A*, & *B*. ſunt idem realiter.Contrà,quia tunc ſequereturquòd eſſentia diuina,& relatio rationis cauſata ab intellectu diuino,eſſet idem realiter,quia eſt impoſsibile eſſentiam diuinam eſſe ſine tali relatione: & probat,quia talis relatio non poteſt eſſe ab intellectu diuino de nouo, niſi per nouum actum intellectus diuini,vt Doctor probat in primo diſt. 30.

123. n.22. *Optima reſponſio authoris.*

Reſpondeo,compoſſibilitas ſeparationis,&c. Hic Doct. reſpondet ad hanc primam inſtantiam, & tenet quòd talis relatio,ſiue comparatio in eſſentia diuina non ſit idem realiter cum illa, nec tamen ex hoc ſequitur quòd diſtinguatur realiter, loquendo propriè de diſtinctione reali; quæ eſt inter rem,& rem; ſed poteſt dici diſtingui realiter ex hoc,quòd non repugnet eſſe eſſentiæ diuinæ ſine tali relatione:& cùm probatur,quòd non poſſit eſſe,&c.dicit quòd aliquid eſſe inſeparabile ab alio poteſt dupliciter intelligi; aut ex cauſa intrinſeca, aut ex cauſa extrinſeca, quod eſt inſeparabile ſecundo modo, non ſequitur quòd ſit idem, quia licèt motus inſit cœlo inſeparabiliter ſecundùm opinionem Philoſophorum, quæ tamen eſt falſa;ineſt tamen à cauſa extrinſeca,quia ab Intelligentia neceſſariò cauſante motum in cœlo, & non à cauſa intrinſeca ipſius cœli, quia cœlum eſt tantùm in potentia paſſiua ad motum, & quantùm eſt ex parte ſua in potentia contradictionis: ſic eſt in propoſito de relatione in eſſentia diuina,quæ tantùm ineſt ſibi,quia ab actu intellectus diuini neceſſariò cauſantis talem relationem, & non ineſt eſſentiæ diuinæ ab aliqua cauſa intrinſeca ipſius eſſentiæ diuinæ,& ſic non ſequitur quòd ſit idem realiter.

Aliquid eſſe ab alio inſeparabile poteſt dupliciter intelligi.

Sed in iſta litera Doctoris occurrunt aliquæ difficultates.Prima,quia videtur, quòd talis relatio inſit eſſentiæ diuinæ à cauſa intrinſeca: tum, quia ab actu intellectus diuini,qui eſt idem quòd eſſentia;tum, quia eſſentia diuina eſt cauſa talis relationis, ſal tem remota, & hoc ex ratione ſua, ſicut etiam ſuprà patuit *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 4. vbi declaratum eſt quomodo obiecta ſecundaria virtualiter continentur in eſſentia, vt in cauſa remota;tum,quia intellectus diuinus non tantùm de neceſſitate comparat eſſentiam, ſed ſeipſum comparat,& ſic talis relatio erit formaliter in intellectu diuino;& ſic erit à cauſa intrinſeca, quia ab eodem intellectu.

124. *Difficultates circa hanc literam Doct.*

Secunda difficultas eſt in hoc, quod dicit de cauſa intrinſeca, quia quæro quid intelligit per *cauſam intrinſecam*;aut intelligit cauſam formalem,aut materialem, aut efficientem:non primò, quia non videtur, quòd eſſentia diuina ſit ratio formalis,& quiditatiua, quare ſapientia ſit idem realiter ſibi,quia tunc eſſentia, & ſapientia dicerent eandem formalitatem,cuius oppoſitum probauit ſuprà *in primo,diſt* 8.*quæſt. penult.* non ſecundò, quia materia, vel quaſi materia, vt ſic conſiderata, quantùm eſt ex parte ſua, eſt in potentia contradictionis, vt dicit Doctor in pluribus locis: non tertiò, quia efficiens, vt efficiens non identificat ſibi effectum ſuum: oportet ergo aliter aſſignare cauſam intrinſecam.

Secunda difficultas.

125. *Reſponſio ad primum.*

Reſpondeo ad primam difficultatem, præmittendo quòd *cauſa intrinſeca* in propoſito non dicitur illa, quæ ex ſua ratione formali, ſiue quæ ex ratione ſibi intrinſeca producit aliquid,ſed dicitur cauſa intrinſeca ex hoc,quòd intrinſecè aliquo modo producit aliquid in ſeipſo, ita quòd impoſſibile eſt abſolutè ipſum eſſe, & non producere,vel quaſi producere *A*.in ſeipſo,ita quòd à nullo poteſt impediri. Hoc præſuppoſito, dico quòd quamuis actus intelligendi diuinus de neceſſitate cauſet talem reſpectum, ſiue comparationem,hoc non eſt ex ratione intrinſeca intellectionis, quaſi eſſet impoſſibile ipſam intellectionem eſſe,niſi producat talem comparationem;accidit ergo ſibi,quòd comparet eſſentiam,vel ſeipſam obiectis ſecundariis. Si enim obiecta ſecundaria non eſſent,non cauſaret talem comparationem; cauſa enim intrinſeca & neceſſaria, de qua Doctor intelligit in propoſito, ſic ſimpliciter, & abſolutè ſe habet ad *A*,quòd circumſcripto quocunque alio extrinſeco, adhuc ſuo modo de neceſſitate naturæ produceret *A* in ſe, & ſic patet ſolutio ad primam difficultatem.

Vnde dicatur intrinſeca.

Ita quòd à nullo poteſt impediri.

126. *Ad ſecundã difficultatẽ.*

Ad ſecundam difficultatem dico,quòd Doctor accipit *cauſam intrinſecam*, cauſam effectiuam, & ſic de neceſſitate ſe habentem ad *A* quòd ſimpliciter impoſſibile eſt non producere ipſum *A*.& cùm dicitur, quòd effectiuum producit diſtinctum,&c. Dico,quòd in propoſito duæ cauſæ ſimul concurrunt, vna eſt, quæ habet rationem quaſi receptiui; & alia eſt, quæ habet rationem quaſi effectiui; pro quanto ergo eſſentia diuina de neceſſitate abſoluta eſt quaſi originatiua perfectionis attributalis, & formaliter illam habet in ſe, ſequitur realis identitas inter illa: ſicut etiam Doctor dicit *in primo,diſt.*3.*q.*7. quòd ideò paſſio prædicatur per ſe de ſubiecto, & eſt idem realiter ſubiecto, quia ſubiectum eſt cauſa neceſſaria talis paſſionis; & talis paſſio in nullo alio poteſt recipi: eſt ergo talis inſeparabilitas *A* ad *B* ex cauſa intrinſeca ipſius *A* neceſſariò ſe habente ad *B*. Et ex hoc, quòd *B* ſic de neceſſitate ineſt *A*, quod eſt ſimpliciter impoſſibile alij ineſſe ab *A*.

Subiectum eſt cauſa paſſionis impropriè.

127. *Difficultas.*

Sed tunc oritur difficultas de relatione creaturæ ad Deum, quæ ponitur realiter eſſe idem, ipſi creaturæ, quæro à quo eſt talis inſeparabilitas:aut enim eſt à cauſa intrinſeca illius creaturæ; quod non videtur, quia relatio dependet, quantùm ad ſuum *eſſe*,ita à termino,ſicut etiam à fundamento.

Reſponſio quorundam Scotiſtarum.

Reſpondeo,& priùs recito reſponſionem quorundam Scotiſtarum,qui dicunt, quòd talis dependentia, ſiue relatio creaturæ non tantùm

realiter identificatur, ex hoc, quòd eſt relatio intrinſecus aduenies, ſed etiam ex hoc, quia oritur vt paſſio creaturæ: quia ex hoc, quòd eſt finita, de neceſſitate naturæ conſequitur hoc: quod patet, quia ſi talis relatio eſſet entitas abſoluta, de neceſſitate eſſet à tali fundamento eadem ſibi, vt à cauſa intrinſeca.

Iſta reſponſio non eſt multum efficax.

Sed hæc reſponſio non videtur multùm efficax, quia etiam multæ aliæ relationes realiter identificantur fundamento ſuo, vt patet de illis, quarum fundamentis repugnat poſſe eſſe ſine termino, vt ſuprà expoſitum eſt de diſtinctione, & identitate, quia etſi identitas Socratis ad Platonem, ſit alia res à Socrate, identitas tamen fundata in idẽtitate Socratis ad Platonem, non diſtinguitur realiter. Et ſimiliter licèt alietas, qua Socrates eſt alius à Platone, ſit alia res à Socrate, tamen alietas, quâ prima alietas eſt alia res à Socrate, eſt eadem realiter cum illa, in qua fundatur: & tota ratio eſt, quia primæ alietati ſimpliciter repugnat eſſe ſine termino ſecundæ alietatis.

Secunda alie tas.

128. Tum etiam, quia poſito per poſſibile, vel impoſſibile, quòd Deus non eſſet, & lapis priùs creatus eſſet, tunc non eſſet ibi relatio dependentiæ ad Deum, quia nec terminus, vt patet intuenti; & tamen ſi ponatur eadem ſibi, de neceſſitate naturæ, ſtante lapide, eſſet dependens. Dico ergo (ſaluo ſemper meliori iudicio) quòd talis relatio oritur à fundamento, vt à cauſa intrinſeca: ſic intelligendo, quòd in quocunque inſtanti ponitur lapis, de neceſſitate naturæ in eo conſequitur relatio paſſiua, quâ dependet à termino. Et ſi lapis poſſet habere *eſſe* permanens per aliquod tempus, in quo per impoſſibile, terminus non eſſet, talis dependentia nullo modo eſſet in lapide, nec vt idem, nec vt realiter diſtincta, quia ad ſui *eſſe* de neceſſitate requirit terminum; nam *eſſe* cuiuſcunque relationis ſic eſt ad aliud in ratione termini, quòd eſt de quiditate illius, vt patet per Philoſophum *in Prædicamento Ad aliquid*, & per Commentatorem *ibidem*, *& in quinto Met. cap. de Ad aliquid. tex. com.* 20.

Modeſtia authoris, & ſua reſponſio.

129 Et cùm dicitur, quòd talis inſeparabilitas non eſt à cauſa intrinſeca fundamenti, quia etiam talis relatio dependet à termino. Dico, quòd etſi dependet à termino in ratione termini, tamen ſic à fundamento de neceſſitate oritur, vt ſimpliciter eadem ſibi, & ſic oritur à fundamento ſecundum totum ſuum *eſſe*, vt tale *eſſe* de neceſſitate ſit ad aliud: & quia creatura pro quocunque inſtanti ponitur in *eſſe* à Deo, vt infrà patebit *diſt.* 2. ideò pro quocunque inſtanti de neceſſitate naturæ dependet à Deo, etſi in ſecundo inſtanti actu non poneretur à Deo, in eodem inſtanti deſineret eſſe, vt patet à Doctore *vbi ſuprà*, *& in quolib. q.* 12. Et ſic pro quocunque inſtanti ipſa creatura actu dependet à Deo, quæ dependentia oritur à tali fundamento, vt à cauſa intrinſeca, ita quòd eſt ſimpliciter repugnantia, tale fundamentum poni in *eſſe* pro quocunque inſtanti, ſine actuali dependentia ad Deum.

130. n. 23. Secundò principaliter arguit Doctor ibi; *Secunda ratio principalis ad primum membrum ſolutionis.* &c. Hîc Doctor in iſta ratione deducit ad manifeſtum inconueniens, ſi negaretur relationem creaturæ ad Deum eſſe eandem realiter ipſi creaturæ, quia ſi talis relatio eſſet alia res, ergo eſſet creata ab ipſo Deo, & per conſequens includeret relationem ad ipſum Deum; & tunc quæritur de illa alia, an ſit eadem res, vel alia. Si primò, ergo & prima relatio erit eadem, cùm æquè ſit ad Deum ſicut iſta; ſi ſecundò, ergo proceſſus in infinitum; ſed hæc ratio aliquibus non videtur multùm efficax, quia non videtur ſequi, quòd ſi talis relatio ſit alia res, quòd æquè ſit ad Deum, & quòd poſſit creari; quia nulla relatio intrinſecus aduenies poteſt eſſe terminus immediatus alicuius productionis, quia tunc deſtructo termino, & fundamẽto, poſſet immediatè produci: nõ enim ſimilitudo inter duo alba poteſt immediatè produci, ita quòd ſit immediatus terminus alicuius productionis: ſed tantùm dicitur oriri à fundamento poſito termino, vt diffusè expoſui ſuper tertio Doctoris *diſt.* 1. *q.* 1. Sic dicendum eſſet in propoſito, quòd ſi relatio creaturæ ad Deum ſit alia res à creatura, non tamen ſequitur, quòd immediatè poſſit cauſari ab aliquo.

Ratio quæ non videtur efficax.

131. Reſpondeo, quòd ſi talis relatio eſt alia res à fundamento, quòd eſt verè cauſata, vel à fundamento, vel termino; & omne cauſatum neceſſariò dependet à ſua cauſa; ſi ergo fundamentum eſt cauſa immediata talis dependentiæ, & Deus cauſa mediata, ſiue remota, quia immediata cauſat fundamentum, ſequitur quòd talis dependentia immediatè dependet à fundamento, & mediatè à Deo: & tunc aut dependet alia dependentia, aut tantùm ſeipſa realiter: ſi ſecundò, habetur propoſitum, ſcilicet quòd illa ſecunda dependentia, qua prima dependentia formaliter dependet, erit eadem realiter illi primæ, quia repugnat illi primæ poſſe eſſe ſine lapide: & ſic aliqua dependentia erit realiter idem fundamento. Eodem modo ſequitur de dependentia, qua lapis dependet à Deo; quia eſt impoſſibile lapidem eſſe ſine Deo, vt termino. Si primò, quòd ſit alia à prima, & ſic realiter diſtinguatur à prima, ergo immediatè cauſatur ab illa prima, & ſic immediatè dependet ab illa: ergo dependet alia dependentia, quæ erit tertia in ordine: & tunc quæro de illa tertia vt priùs, & ſic vel ſtabitur, quòd aliqua relatio erit realiter idem fundamento; vel erit procedere in infinitum. Hoc idem concluditur comparando illam dependentiam ad Deum, vt ad cauſam remotam.

132. Præterea ſi ſimilitudo ſit cauſata à duobus albis, ſcilicet ab vno, vt à fundamento, & ab alio vt à termino, ſequitur quòd realiter dependet ab vtroque albo: & tunc quæro de illa dependentia ſimilitudinis, aut eſt idem realiter ipſi ſimilitudini, & habetur propoſitum; aut diſtincta realiter; ergo illa erit verè cauſata, ſcilicet à ſimilitudine, vt à fundamento, & à termino dependentiæ, & tunc erit procedrre in infinitum: ſic ſimiliter ſi dependentia lapidis ad Deum ſit alia realiter à lapide, erit realiter cauſata à lapide, vt à fundamento, & à Deo, vt à termino; & ſic realiter dependet à lapide, & à Deo, & tunc quæro de illa ſecunda dependentia, aut eſt alia à prima, aut eadem: ſi ſecundo, habetur propoſitum, ſi primò erit proceſſus in infinitum.

133. *Contra iſtam rationem inſto.* Hîc Doctor inſtat contra ſecundam rationem principalem, vt magis declaretur, quia non videtur inconueniens procedere in infinitum in relationibus, quia vna relatio poteſt fundari in alia in infinitum, & probat per exemplum, quia ſi Socrates eſt idẽ Platoni, ergo identitas Socratis eſt eadẽ idẽtitati Platonis, & pari ratione illa identitas eſt eadẽ idẽtitati, & prima identitas erit alia ab idẽtitate fundamẽti, quia fundamentum poterat eſſe ſine eo: ergo

pari

pari ratione quælibet erit alia ab illa identitate illius, cuius eſt, & ita erunt infinitæ relationes reales.

Reſpondet Doctor,& dicit,quòd ſtatus, eſt in ſecundo, videlicet quòd etſi identitas Sòcratis ad Platonem ſit alia res à Socrate,quia non repugnat Socrari eſſe ſine Platone, tamen ſecunda identitas, quæ fundatur in prima identitate Socratis ad Platonem, non eſt alia res ab ipſa, quia primæ identitati repugnat eſſe ſine Platone, ad quem terminatur, & patet in litera, & ſuprà diffuſè expoſita eſt, reſpondendo ad rationes Ochã: tamen pro clariori intelligentia ponatur tale exemplum: accipio Socratem, & Platonem vt duo fundamenta identitatis, ita quòd Socrates eſt idem Platoni,& è contra:& identitas Socratis ad Platonem fundatur in Socrate, & identitas Platonis ad Socratem fundatur in Platone:identitas Socratis ad Platonem eſt alia res à Socrate, quia non repugnat Socrati eſſe ſine Platone, & ſic Platone deſtructo,vt termino,deſtruatur identitas fundata in Socrate, Socrate manente. Hoc idem dico de identitate fundata in Platone. Deinde pono, quòd identitas Socratis ad Platonem ſit eadem identitati fundatæ in Platone, certum eſt quòd erit eadem identitate, quæro modò de illa identitate, qua prima identitas eſt idem,aut eſt eadem res cum prima identitate aut alia. Dicendum quòd eadem, quia identitati primæ, quæ immediatè fundatur in Socrate repugnat eſſe ſine Platone, & hoc eſt quod dicit in iſta litera.

Exemplum

134. *De ſecundo articulo quæſtionis.*

g *Etſi quæras qua identitate eſt idem C. ipſi A* quia dictum eſt ſuprà, quòd ſecunda identitas fundata in identitate Socratis ad Platonem eſt eadem illi primæ. Quæritur modò qua identitate eſt eadem, dicit Doctor, ipſa eſt eadem ſibi, ideſt, quòd prima identitas, & ſecunda ſunt eadem res.Sequitur quòd erit eadem ſibi,non identitate reali diſtincta, ſed identitate, quæ eſt ipſamet, & identitas ad ſeipſum eſt tantùm rationis, cùm nullo modo ſit inter extrema realiter diſtincta.

*n. 25.

h *Secundum membrum*,&c. Primus articulus fuit,quòd relatio creaturæ ad Deum, eſſet realiter idem ipſi creaturæ,& probauit duabus rationibus. Et ſecundus articulus; quòd non idem formaliter, nec præcisè idem ſibi identitate adæquata, ita quòd fundamentum ſit tantùm relatio formaliter. Iſti termini *non idem formaliter*, & *non idem præcisè*, & *non adæquatè*, poſſunt multipliciter intelligi,nam non idem formaliter,poteſt exponi affirmatiuè, & negatiuè, vt ſuprà declaraui exponendo identitatem,& diſtinctionem formalem.*Non idem præcisè*,poteſt exponi diuerſimodè,ſecundùm diuerſas diſtinctiones, puta ex natura rei,formalis,&c.*Adæquatè* poteſt dupliciter exponi.Vno modo conuertibiliter,ſicut dicimus, quòd definitio, & definitum ſunt idem adæquatè.Alio modo, *idem adæquatè* poteſt intelligi ſic, quòd nulla ſit ibi penitus diſtinctio præter opus intellectus, ſicut dicimus, quòd humanitas eſt idem ſibi adæquatè.

Adæquatè poteſt dupliciter exponi.

135. Doctor autem in propoſito intendit probare, quòd relatio creaturæ ad Deum vere diſtinguatur formaliter à creatura; & non tantùm formaliter negatiuè, qualis diſtinctio eſt inter illa, quæ non dicunt diſtinctas formalitates, vt ſuprà expoſui. Sed etiam diſtinguatur formaliter poſitiuè, quia relatio creaturæ ad Deum, dicit diſtinctam formalitatem à formalitate creaturæ, & hoc probat Doctor, quia ſi eſſent idem formaliter,ſequeretur de neceſſitate,quòd vnum includeret aliud in ſuo conceptu quiditatiuo,vt ſuprà patuit *in p imo,diſt.2.par.2.q.1. & in præſenti quæſt.*Probat ergo Doctor quòd relatio in creatura formaliter diſtinguatur ab ipſa:& probatio ſtat in hoc; Quæcunque includunt aliam, & aliam rationem quiditatiuam diſtinguuntur formaliter:ſed relatio, & creatura ſunt huiuſmodi: ergo,&c.Maior eſt nota ex ſuperiùs declaratis de identitate, & diſtinctione formali. Minor patet, quia quiditas relationis eſt eſſe ad aliud, fundamentum verò eſt ens ad ſe:ergo,&c.Poteſt etiam probari ex multis aliis mediis, quæ Doctor breuitatis cauſâ omittit, nec eſt neceſſe adducere illa,quia ratio relationis,& ratio abſoluti, ſunt manifeſtè diuerſa,quòd vna formaliter non includitur in alia, nec è contra.Et quomodo non includitur in alia, nec è contra. Et quomodo in vna re poſſint eſſe plures realitates formaliter diſtinctæ, ſatis notum eſt ex ſuperiùs declaratis *in primo,diſtin.*8 *q.pen.*& dicit Doctor in iſta litera, quòd ipſa creatura non eſt præcisè ipſa relatio, ſed vltra ipſam relationem dicit aliquam entitatem verè abſolutam, in qua fundatur illa relatio,ita quòd ſi, per impoſſibile, talis dependentia non eſſet,adhuc diceret entitatem abſolutam, & addit modum quomodo continet illam relationem vnitiuè realiter, & quòd ſic contineat, perfectionis eſt in continente, & præcisè ſic continere eſt ex perfectione ipſius continentis,& addit quòd continens ſic vnitiuè,ſi,per poſſibile, eſſet ſeparatum à contento, ſic ſeparatum adhuc eſſet tantæ perfectionis, quantæ eſt cum contento; ita quòd contentum vnitiuè nullam addit perfectionem ipſi continenti,& hæc eſt ſententia iſtius literæ.

Relatio in creatura formaliter diſtinguitur ab ipſa.

Continere vnitiuè eſt perfectionis in continente.

136. *Difficultates circa literam Scoti.*

In iſta tamen litera Doctoris occurrunt aliquæ difficultates.Prima eſt,quia dicit, quòd *lapis non eſt præcisè ipſa relatio ad Deum creantem*, quia videtur ſibimet repugnare: vult enim quòd talis relatio, & creatura ipſa ſint vna res, & vna exiſtentia numero: quia identitas realis fundatur ſuper identitate exiſtentiæ, vt ſuprà expoſui; & vult etiam, quòd ſint præcisè vna res, quia vna exiſtentia: ergo videtur ſequi, quòd creatura ſit præcisè ipſa relatio,& è contra.

Reſpondeo, concedendo quòd ſunt præcisè vna res,& præcisè vna exiſtentia,& quòd præcisè vna eſt alia, & è contra:& tamen ſtat, quòd creatura non ſit præcisè ipſa relatio,nec è contra, aliter, & aliter intelligendo vnam rem præcisè, Nam in vna re, etiam ſimpliciſſima poſſunt fundari plures realitates,plures formalitates;& ſimiliter in vna re exiſtente etiam ſimpliciſſima,poſſunt fundari plures realitates exiſtentes propria exiſtentia, ita quòd exiſtentia vnius realitatis non eſt præcisè exiſtentia alteriùs,nec eſt præcisè exiſtentia ſui fundamenti; & ſimiliter poſſunt fundari plures formalitates exiſtentes propria exiſtentia, diſtincta ab exiſtentia alterius formalitatis, & ab exiſtentia ſui fundamenti. Et addo quòd illæ exiſtentiæ ad inuicem ſic ſe habent, quòd omnes dicunt vnam exiſtentiam tantùm realiter, ita quòd repugnat ex cauſa intrinſeca vnam exiſtentiam poſſe eſſe ſine alia, ſic quòd omnes inſunt fundamento exiſtenti, & ſic omnes realiter identificantur exiſtentiæ fundamenti,& quia ſunt idem

realiter in fundamento exiſtente vnò, & eodem numero, inter ſe ſunt eadem realiter per illã propoſitionem: *Quacunque vni, & eidem ſimpliciter ſunt eadem, ſimpliciter inter ſe ſunt eadem ſimpliciter*, quæ priùs expoſita eſt in præſenti quæſtione, & diffusè expoſita eſt in primo, diſt. 2, part. 2, q. 1. reſpondendo ad primum argumentum principale. His declaratis patet quomodo creatura, & relatio ſunt vna res, & vna exiſtentia præcisè realiter, licèt non vna res præcisè, & vna exiſtentia formaliter, cùm relatio dicat diſtinctam formalitatem, & realitatem; & ſic in his oportet cautè reſpondere.

Creatura, & relatio ſunt vna res realiter, & formaliter.

137. *Secunda difficultas.* Secunda difficultas eſt in hoc, quod dicit, quòd *continens vnitiuè eſt ex perfectione ipſius continentis*, quia ſi ſic ſequeretur quòd idem eſſet prius, & poſterius ſeipſo: nam apud Scotiſtas tenetur, & apud Doctorem *diſt. 2. & 5. & 8. primi, & alibi*, quòd infinitum intenſiuè identificat ſibi realiter quidquid dicitur de eo, ex natura rei. Ex hoc infero, quòd ex quo iſta eſt vera in Deo: Bonitas infinita eſt realiter ſapientia infinita, & è contra: ergo bonitas infinita, vt continet vnitiuè ſapientiam infinitam eſt prior ipſa, & quòd ſic contineat eſt præcisè ex perfectione bonitatis, & quia ſapientia infinita continet vnitiuè bonitatem infinitam, ſequitur, quòd bonitas infinita erit poſterior ſapientia infinita; & ſic idem continens vnitiuè, & contentum reſpectu eiuſdem, & idem erit prius, & poſterius reſpectu eiuſdem; & idem erit perfectius, & imperfectius ſeipſo; quæ omnia ſunt abſurda. Si dicas, quòd bonitas infinita non continet vnitiuè ſapientiam infinitam, nec è conuerſo. Contrà, & accipio verba Doctoris *Bonitas infinita eſt ſapientia infinita identicè, & non eſt præcisè ſapientia infinita*: quæro ergo vnde habet, quòd ſit identicè ſapientia infinita: non poteſt dari aliud, niſi quia bonitas infinita propter ſui infinitatem vnitiuè continet ſapientiam infinitam, & è contra.

Reſpondet ad ſecundã.

Reſpondeo, quòd iſta propoſitio, *Bonitas infinita eſt identicè ſapientia infinita*, non eſt primò vera ex ratione formali terminorum: & ſi detur bonitas infinita, non ſequitur quòd illa ſit ſapientia infinita, ſi, per poſſibile, vel impoſſibile, poſſet dari talis. Si enim hæc eſſet primò vera, ſequeretur de neceſſitate, quòd vna contineret aliam vnitiuè, & è conuerſo. Sed iſta propoſitio dependet à duabus aliis, ſcilicet quòd eſſentia diuina continet vnitiuè per perfectam identitatem, ſapientiam, & bonitatem infinitam. Alia propoſitio eſt iſta, *Quæ vni, & eidem ſimpliciter ſunt eadem realiter ſimpliciter inter ſe ſic ſunt eadem.* Propter ergo identitatem realem, quam perfectè habent in eſſentia diuina, conceditur iſta, *Bonitas infinita eſt identicè ſapientia infinita*: ſed vt dixi, non eſt primò vera: & ſic non ſequitur, vna continet aliam vnitiuè, ſed vtraque continetur in tertio vnitiuè, & ſic patet ad inſtantiam.

Tertia difficultas.

138. Si dicatur, quòd hoc videtur contradicere Doctor *in primo diſt. 8. quæſt. 3. reſp. ad vlt. arg. principale*, vbi habet, quòd bonitas etiam abſtracta per intellectum, identificat ſibi ſapientiam ratione ſuæ infinitatis, ergo non ratione eſſentiæ diuinæ. Vide ibi diffusè.

Dico, quòd hoc debet ſanè intelligi, quia hoc non habet ſic continere, niſi virtute eſſentiæ diuinæ, cui ſic realiter identificatur. Nec volo, quòd ſola identitas cum eſſentia diuina ſit ratio ſic realiter continendi. Sed volo, quòd ideo bonitas continet per identitatem, ſapientiam, & è conuerſo, quia vtraque habent infinitatem ab eſſentia diuina, & realiter ſunt idem illi: prima ergo ratio continendi per realem identitatem eſt ſola eſſentia diuina, vt expreſsè patet à Doctore *in quodlib. q. 5. circa finem quæſt.* & etiam hoc patet *q. 1. quolib.* nullum ergo attributum formaliter infinitum continet primò aliud attributum per realem identitatem, ſed ſola eſſentia ſic continet primò.

139. Tertia difficultas eſt de continentia vnitiua, quia quæritur, quid importat *continentia vnitiua*; aut importat tantùm entitatem abſolutam continentis, ſic intelligendo, quia talis entitas in ſe, ideò ſic continet vnitiuè, aut quia vltrà entitatem illam dicit cauſalitatem reſpectu contenti, aut quia ſe habet vt materia, vel quaſi materia reſpectu contenti. Dico breuiter, quòd omne continens vnitiuè aliud ſemper reſpectu illius contenti, dicit duo. Vnum, quòd contentum inſit formaliter continenti, vel ſaltem ſuo modo inſit. Aliud, quòd de neceſſitate naturæ ipſum contentum ſuo modo pullulat, ſiue originatur, ſiue quaſi producitur, & vbi non eſſet talis quaſi productio, eſſet impoſſibile contentum realiter identificari ſic continenti: & ſic patet quomodo eſſentia diuina ſibi realiter identificat quidquid ibi poteſt eſſe, quia omne quod eſt in eſſentia, ſiue abſolutum, ſiue relatiuum, de neceſſitate naturæ, & ex infinita perfectione eſſentiæ diuinæ, ſuo modo quaſi originatur ab illa. De perfectionibus abſolutis patet à Doctore *in primo diſt. 8. q. pen. & 1. q. quodlib.* De relatiuis autem patet, quia prima proprietas relatiua immediatè eſt ab eſſentia, & eſt in eſſentia, vt patet à Doctore *in primo diſt. 28.* & filiatio, & ſpiratio ſunt etiam ab eſſentia, vt à primo formali productiuo: & ſic omnia ſuo modo de neceſsitate naturæ originantur ab eſſentia.

Reſponſio ad tertiam.

Continẽs reſpectu contenti duo dicit.

Omnia originantur ab eſſentia.

140. *Quarta difficultas.* Quarta difficultas eſt in hoc, quod dicit, quòd *continens vnitiuè ſic continet per entitatem propriam, & perfectam, quod ſi eſſet ſeparatum, per impoſſibile, à contento, ita eſſet perfectum, ſicut & quando habet contentum vnitiuè.* Dubitatur in hoc, quia anima intellectiua continet vnitiuè intellectum, & voluntatem, vt hic dicit infrà *diſt. 16.* & tamen ſi per impoſſibile eſſet ſeparata ab intellectu, & voluntate, non eſſet ita perfecta, quia, vt ſic, non poſſet eſſe immediatum principium propriæ operationis, qualis eſt intelligere, & velle, vt infrà patet à Doctore *diſt. 16.* Præterea eſſentia diuina, quæ continet vnitiuè omnes perfectiones attributales, ſi, per impoſſibile, eſſet ſine eis, non eſſet ita perfecta, quia nõ haberet omnẽ perfectionem ſimpliciter.

Reſponſio ad quartã difficultatem.

Reſpondeo, quòd facilis eſt iſta reſponſio: & dico, quòd dato iſto caſu de anima intellectiua, ita eſſet perfecta ſeparata loquendo de perfectione vltimata, & pertinente ad *eſſe* ipſius animæ; nec ex hoc, quòd eſt realiter intellectus, & voluntas eſt perfectior: quia vt eſt talis entitas, quæ ex ratione ſua formali nata eſt ſic continere intellectum, & voluntatem, dicitur perfecta entitas, & ita perfecta, ac ſi formaliter contineret, & quòd vnitiuè contineat actu, hoc eſt ex perfecta entitate ipſius animæ, quæ ex ſe, & ex neceſſitate naturæ originat huiuſmodi perfectiones, vt eaſdem ſibi realiter, & eſt ſimile, ſicut etiam Doctor dicit *in primo, d. 2. p. 1. q. 1.* quòd perfectius eſt in eſſentia diuina virtualiter cõtinere cauſalitates ſecundarũ cauſarum

cauſarum, quàm in ſe formaliter habere illas. Et cùm dicitur, quòd ſi anima eſſet ſeparata per impoſſibile à potentiis, non eſſet immediatum principium intelligendi, & volendi, quia iſtæ operationes requirunt diſtincta principia, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 2. par. 2. quæſt. 3. & 4. diſt. 6. & 8. q. ven. & alibi ſæpe.* Dico, quòd adhuc eſſet ita perfecta, quia continere cauſalitates ſuo modo virtualiter, vel originaliter, eſt quodammodò maioris perfectionis, quàm habere illas formaliter, vt patuit ſuprà: & quòd modò habeat illas formaliter, hoc non eſt propter perfectionem addẽdam, ſed magis è contra, id eſt; quòd ex magna ſua perfectione de neceſſitate naturæ ſuo modò originat illas in ſe formaliter. Et per hoc patere poteſt, quid dicendum de eſſentia diuina reſpectu perfectionum attributalium: concedo enim, quòd ſi per impoſſibile eſſet ſine illis, adhuc eſſet ita perfecta ſicut & modò; quia vt ſic, adhuc ſuo modo, ſaltem originaliter perfectiſſimè contineret.

SCHOLIVM

Soluit duo argumenta poſita num. 3. probantia relationem ad Deum diſtingui à creatura, ſoluit etiam duo loca Auguſtini adducta pro eodem num. 20.

26. AD argumenta [a] principalia huius quæſtionis.

Ad primum de 4. Met dicitur, quòd infert omnia eſſe ad aliquid, vt ad opinionem & ſenſum. Sed contrà, conſequens debet differre ab antecedente improbato. Ideò aliter dico, quòd inconueniens eſt omnia eſſe ad aliquid, ita quòd ipſorum *eſſe*, ſit formaliter ad aliud eſſe, ſicut dicit illa opinio, quæ dicit omnia apparentia eſſe vera: quæ etiam dicit, quòd ipſum *eſſe* rei, eſt formaliter in *apparere*. Nec ſic concedo omnia eſſe ad aliquid, ita quòd eorum *eſſe* ſit formaliter ad aliud: imò ipſorum *eſſe* eſt formale ad ſe, licèt per identitatem contineant *eſſe* illorum, quæ ſunt ad aliud.

Ad arg. poſita n. 3.

Vide Scot. 1. d. 3. q. 5. n. 12. de veſtigio, vbi agit contra ratitudinẽ Henrici.

Ad ſecundum, [b] etſi negari poſſet de relatiuis, vel eorum, quæ ſunt in diuerſis Generibus: quia tunc dicerentur eſſe primò diuerſa, quantùm ſcilicet ad rationes formales eorum, ita quòd nullum illorum formaliter includit alterum, nec aliquid alterius: licèt per identitatem in exiſtendo vnum contineat alterum: poteſt tamen dici conſequenter ad aliàs dicta, quòd huiuſmodi relatio eſt tranſcendens, quia quod conuenit enti, antequam deſcendat ad Genera, eſt tranſcendens: ſed quod conuenit omni enti antequam in genera deſcendat: ergo quod eſt tale, eſt tranſcendens, & non alicuius generis determinati, ſicut ſunt huiuſmodi relationes: ergo.

Sup. n. 15. ſoluendo 1. arg. Henr. & 1. d. 8. q. 3. & in quodl. q. 3. & 5.

c Ad auctoritatem Auguſtini pro vltima opinione concedo, quòd relationes in creaturis ſunt accidentia, loquendo de relationibus creaturarum, ad illa, ad quæ non dependent eſſentialiter: ad quæcunque autem eſſentialiter dependet *A*, ipſa dependentia eius eſſentialis non eſt ſibi accidens, hoc eſt, non eſt aliud realiter, & tunc illud primum, quod adducitur de 5. Tri. c. 5. quod in rebus creatis illud, *quod non ſecundùm ſubſtantiam dicitur, reſtat*, &c. exponendum eſt ſecundùm accidens dici quod non per ſe prædicatur in quid & cum hoc eſt etiam mutabile, non tamen manente fundamento, ſed per mutationem fundamenti: & prima conditio deficit in prædicatis eſſentialibus, vel potiùs in ſubſtantialibus dictis de creaturis. ecunda conditio deficit in relationibus diuinis: ſed ambæ concurrentes ſufficiunt, & ita poteſt exponi vltima auctoritas, de 16 c. quia illa ſunt accidentia in his, ad quæ dicitur Deu, hoc eſt ſunt ſimpliciter mutabilia, non tamen amiſſibilia, & ſunt dicta accidentaliter, hoc eſt, non eſſentialiter de ſubſtantiis: & vna conditio deficit in relationibus diuinis.

Ad Aug. ſup. n. 20.

Relatio ad Deum etſi inſeparabilis ſit, tamen per accidens prædicatur de fundamento.

COMMENTARIVS.

141. * n. 3. n. 26. a NVnc ſoluenda ſunt argumenta principalia huius quæſtionis, & primò ſic arguit, Quia ſi relatio omnis creaturæ ad Deum, ſit eadem realiter ipſi creaturæ, ſequitur quòd omnis creatura erit ad aliquid, non tantùm accidentaliter (eo modo quo patet eſt ad aliquid, quia per paternitatem ſibi de nouo aduenientem) ſed etiam per identitatem. Conſequens eſt impoſsibile, vt patet per Ariſtotelem 4. *Metaph. tex. commen.* 25. vbi expreſsè improbat opinionem eorum, qui dicebant omnia apparentia eſſe vera, & inducit Ariſtoteles ad hoc inconueniens, quia cùm *apparere* ſit ad aliquid, ſtatim ſequitur, quòd omnia erunt ad aliquid per ſe, & quiditatiuè.

Reſpondet Doctor, primò inducendo reſponſionẽ aliorum, qui dicunt, quòd Ariſtoteles infert omnia eſſe ad aliquid, ad opinionẽ, & ſenſum, Et Doctor improbat hanc reſponſionẽ, per hoc, quòd *conſequens debet differre ab antecedẽte improbato*, & in iſto caſu non differret; nam hoc antecedens: *Omnia apparentia ſunt vera quo ad ſenſum, & opinionẽ*, eſt idẽ cũ cõſequente, ſcilicet *omnia apparentia ſunt ad aliquid ad ſenſũ, & opinionẽ*: patet, quia eſſe apparẽs eſt ad aliquid. Si ergo cõſequens debet differre ab antecedẽte, oportet quòd conſequens inferatur abſolutè, non tantùm quo ad ſenſum, & opinionem ſed etiam quo ad intellectum. Vnde Doctor *in 1. diſt. 3. q. 2.* contra Henricum de illa ratitudine, ſiue reſpectu veſtigiali, ibi dicit exponendo Ariſtotelem in iſto

paſſu, quòd in argumento ducente ad impoſſibile, conſequens debet eſſe magis, vel æquè impoſſibile, Et quando eſt æquè impoſſibile, debet differre ab antecedente impoſſibili, quia ſi eſſet penitus idem, nihil probaret: ſed quando eſt aliud ab antecedente, licèt in ſe eſſet æquè impoſſibile, tamen multis videtur magis inconueniens: ſicut etiam de negantibus primum principium deducit Ariſtoteles non ad magis impoſſibile in ſe, ſed ad impoſſibile magis manifeſtum eis, vt patet 4. *Metaph. tex. com.* 49. ſicut etiam infert Ariſtoteles contra eos, quòd omnia futura eueniebant de neceſſitate, intulit, *ergo non expedit conſiliari, nec negociari*, quòd non eſt magis inconueniens in ſe, quàm quòd omnia futura eueniant de neceſſitate: ſed eſt inconueniens magis manifeſtum, ſic eſt in propoſito. Ideò Doctor dat aliam reſponſionem, quæ ſtat in hoc: Eſſe ad aliquid contingit tripliciter. Primò denominatiuè per relationem realiter diſtinctam, ſicut dicimus, quòd album eſt ſimile alteri albo. Secundò denominatiuè per relationem eandem ſibi realiter, quæ tamen eſt extra rationem formalem, & quiditatiuam ſui fundamenti. Tertiò formaliter, & quiditatiuè, ideſt, quòd entitas illa in ſe ſit eſſentialiter, & quiditatiuè ad aliud, & hoc vltimo modo eſt inconueniens, quòd omnis creatura ſit ad aliquid, quia tunc nullum ens creatum eſſet formaliter, & quiditatiuè ens abſolutum. Primo tamen & ſecundo modo eſſe ad aliquid nullum eſt inconueniens, & ſic patet litera.

Primo perihorm. ſect. 2.

Ad aliquid contingit tripliciter.

142 Secundò principaliter arguit, probando quòd talis relatio verè diſtinguatur, quia Prædicamenta ſunt primò diuerſa, & ſimpliciter diuerſa entia, quia ens ſecundùm ſe diuiditur in illa, ergo relatio quæ eſt in Prædicamento relationis, eſt alia res ab omni creatura. Antecedens eſt manifeſtum ex quinto Met. tex. com, 14. qui ſic incipit, *Secundùm ſe verò* (id eſt, entia per ſe, vt ly *per ſe* diſtinguitur contra *per accidens*, de quo ente per accidens patet ſuprà tex. com. 13. *dicuntur eſſe quæcunque ſignificant figuras prædicationis*, ideſt, genera Prædicamentorum per Commentatorem ibidem. Sequitur, *quoniam ergo prædicatorum alia ſignificant quale, alia quantum, alia ad aliquid, &c.* Hæc ille. Hoc idem patet 2. Metaph. tex. com. 13. ſecundùm aliam tranſlationem, vbi habetur, *Illa*, inquit, *quæ differunt ſecundùm genus, impoſſibile eſt, vt ſint ad inuicem, ſed diſtant magis, & non conueniunt*, id eſt, ſecundùm Com. ibidem, *Illa, quæ differunt in genere, non agunt in ſe inuicem, neque ſunt contraria, ſed diſtant ab inuicem, & in rei veritate non ſunt differentia.* Hæc ille, & ſic patet quomodo Prædicamenta ſunt diuerſa.

n. 26. *Quomodo prædicamenta ſint primo diuerſa.*

b Reſpondet Doctor & dat duas reſpõſiones. Prima eſt, quòd non neceſſe omnia Prædicamenta eſſe ſimpliciter primò diuerſa, accipiendo *primò diuerſa* pro reali diſtinctione, quæ eſt inter aliam, & aliã rem: ſed poſſunt dici primò diuerſa formaliter, quia nihil vnius Prædicamenti poteſt eſſe de ratione formali, & quiditatiua alterius, nec è contra; & ſic omnis relatio quantumcunque perfectè idem ſubſtantiæ, quantitati, vel qualitati identitate, ſuppleꝫ, reali: ſemper tamen formaliter diſtinguitur, ita quòd dicit aliã formalitatem, & hæc reſponſio ſatis placet. Et quod dicit, *licèt per identitatem in exiſtendo vnum contineat alterum*, vult dicere, quòd etſi relatio creaturæ ad Deum & ipſa creatura in ſuis rationibus formalibus non ſint idem, nec vnum contineat aliud per identitatem formalem, tamen vt actu exiſtunt, vnum continet aliud per identitatem. Quod debet ſanè intelligi, quia dictum eſt ſuprà, quòd illa relatio ſicut dicit propriam formalitatem, ita & propriam exiſtentiam aliam ab exiſtentia fundamenti; tamen vtraque exiſtentia eſt eadem realiter, quia eſt impoſſibile fundamentum actu exiſtere ſine relatione tali, ſibi inexiſtente in exiſtendo: ergo vnum continet aliud per realem identitatem, quæ fundatur ſuper identitate exiſtentiæ reali, vt ſuprà expoſui.

Secundò Doctor dat aliam reſponſionem, quæ 143.
ſtat in hoc, poſito quòd relatio prædicamentalis ſit alia res à prædicamento Subſtantiæ, Quantitatis, & Qualitatis; tamen relatio tranſcendens non videtur quòd ſemper ſit alia res à ſuo fundamento, cuiuſmodi eſt relatio creaturæ ad Deum, & hoc probat, quia quod conuenit enti, antequàm diuidatur in decem Genera, eſt tranſcendens. Patet, quia ſicut ens finitum, quod diuiditur in decem Genera, vt patet ab Ariſt. 5. *Metaph. tex. com.* 14. eſt tranſcendens, ita quòd conuenit ſibi antequàm intelligatur diuiſum in decem Prædicamenta, erit tranſcendens; modò relatio creaturæ ad Deum, ex quo eſt ſimpliciter communis omni creaturæ, puta Subſtantiæ, Qualitati, & Quantitati: ſequitur quòd erit tranſcendens. Aduerte tamen, quòd non vult, quòd omnis relatio, quæ realiter indentificatur fundamento ſit tranſcendens nec ſimiliter vult, quòd omnis relatio trãſcendẽs ſit realiter idem ſuo fundamento. Primum patet, quia vna relatio prædicamentalis poteſt per identitatem fundari in alia, vt ſuprà expoſitum eſt de ſimilitudine, quæ licèt ſit alia à fundamento, tamen alietas fundata in ſimilitudine, identificatur realiter ſimilitudini: quia tali ſimilitudini repugnat eſſe ſine termino illius alietatis, vt ſuprà expoſui. Secundum patet, quia alietas poteſt eſſe relatio tranſcendens, tamen non quælibet realiter identificatur ſuo fundamento, quia alietas, quã Subſtantia eſt alia à Qualitate, realiter differt à Subſtantia, quia non repugnat Subſtantiæ poſſe eſſe ſine Qualitate, & alietas fundata in illa prima alietate, identificatur realiter illi primæ alietati, quia ſibi repugnat eſſe ſine termino ſecundæ alietatis fundatæ. Non vult ergo Doctor quòd relatio creaturæ ad Deũ ex hoc dicatur eadem creaturæ, quia tranſcendens, ſed dicitur eſſe eadem propter rationem ſuperiùs factam, videlicet, quia ſibi repugnat eſſe ſine tali relatione. Sed ad euitandum hoc inconueniens, quia Prædicamenta videntur diuerſa, dicit quòd talis relatio nõ eſt relatio prædicamẽtalis, & ſic patet reſponſio ad argumenta principalia.

c Nunc Doctor exponit auctoritatem Auguſtini adductam pro opinione Henrici *quodlib.* 9. q. 3. Quæ ponitur paulò ante ad reſponſionem quæſt principalis ibi: *Aliter ponitur, quod iſta relatio Angeli, &c.* Et reſpondet Doctor concedendo *quod relationes in creaturis ſunt accidentia, &c.* Hæc litera debet ſanè intelligi. Primò, quia nõ videtur, quòd hoc ſit ſimpliciter verum, quòd quando aliquod fundamentum, puta *A* eſſentialiter dependet à *B*, quòd relatio dependentiæ fundata in *A* ſit idem realiter ipſi *A*. Patet, quia multi effectus eſſentialiter dependent à cauſis ſecundis, & tantùm relatio dependentiæ nõ realiter identificatur; non debet ergo intelligi iſta litera de quacunque dependentia eſſentiali; ſed debet

144. *Expoſitio auctoritatis Auguſtini.* n. 20. n. 26.

debet intelligi de ſpeciali dependentia, quâ videlicet aliquid eſſentialiter dependet ad aliud, ita quòd ſimpliciter eſt impoſſibile,& repugnat, ipſum poſſe eſſe pro quocunque inſtanti ſine illo, à quo ſic dependet; & talis dependentia eſſentialis, loquendo de dependentia cauſati ad cauſam, eſt tantùm reſpectu cauſæ primæ. Patet, quia cauſa prima poteſt ſupplere cauſalitatem omnis cauſæ ſecundæ. Eſt etiam alia dependentia eſſentialis, quâ aliquid dependet ad aliud non vt ad cauſam, ſed vt ad terminum, ſic quòd eſt ſimpliciter impoſſibile ipſum poſſe eſſe, niſi præcisè ſit ad alium terminum: & hoc modo omnis relatio de neceſſitate dependet ad terminum, & ſic dependentia, quâ talis relatio dependet ad terminum,erit realiter eadem tali relationi, quæ tamen realis identitas eſt à cauſa intrinſeca relationis fundantis,vt ſuprà expoſui.

Dependentia multiplex.

145. Poteſt etiam eſſe alia dependentia eſſentialis, quâ accidens eſſentialiter dependet ad ſubiectum, ita quòd eſt ſimpliciter impoſſibile eſſe tale accidens per aliquod inſtans ſine tali ſubiecto, & ſic dependentia fundata in tali accidente eſt realiter eadem tali accidenti: & non ex hoc ſolo, quòd accidenti repugnat eſſe ſine ſubiecto, ſed à cauſa intrinſeca illius accidentis,quæ non eſt nobis naturaliter nota, ſed quodammodo innoteſcit nobis à poſteriori: per hoc quòd experimur tale accidens ſic de neceſſitate dependere ad tale ſubiectum,quod eſt ſimpliciter impoſſibile ipſum poſſe eſſe ſine tali ſubiecto, nec per conſequens ſine tali dependentia; ideò benè nota literam Doctoris. Nota etiam hoc, quod dicit, quòd *relationes in creaturis ſunt accidentia, loquendo de relationibus creaturarum, ad illa, ad quæ non dependent eſſentialiter*, ſupple fundamenta talium relationum. Nam quando fundamenta non dependent eſſentialiter (loquendo de dependentia ſimpliciter neceſſaria) ad terminos, ad quos tales relationes terminantur, ſemper tales relationes in creaturis, ſunt accidentia realiter diſtincta à talibus fundamentis.

Relationes in creaturis quo modo ſunt accidentia.

Ad auctoritatem Auguſtini quòd in rebus creatis *illud, quod non ſecundùm ſubſtantiam dicitur, reſtat*, &c. Dicit, quòd ad hoc, quòd ſecundùm accidens dicatur, duæ requiruntur conditiones. Prima, quòd tantùm prædicetur in quale, & non in quid. Secunda, quòd illud prædicatum non ſit ſimpliciter immutabile, ſed oportet quòd ſit mutabile, non tamen manente fundamento. Iſtæ duæ conditiones integrant rationem prædicati per accidens. Et dicit, quòd in illis relationibus, prima conditio inuenitur. Patet de paternitate, quæ non prædicatur in quid de Deo;ſed ſecunda conditio deficit ibi, quia paternitas eſt de ſe neceſſe eſſe, hoc tamen habet ab eſſentia diuina,vt patet à Doctore *in primo, diſt. 2. par. 2. q. 1. in reſp. ad vltimum arg. principale*; in creaturis verò, etiam loquendo de prædicatis eſſentialibus ſecunda conditio ineſt eis, quia ſunt verè mutabilia. In propoſito autem relatio creaturæ ad Deum eſt prædicatum per accidens, quia habet illas conditiones. Prima,quia non prædicatur in quid de fundamento. Secunda, quia eſt mutabilis: patet,quia fundamentum eius eſt verè mutabile,non tamen eſt accidens amiſſibile, quia non poteſt amitti manente fundamento, & ſic patet iſta litera.

146.

Duæ conditiones integrant rationem prædicati per accidens.

SCHOLIVM.

Reſoluit primam quæſtionem, ponens duplicem reſpectum creationis, alterum cauſati ad Deum, qui eſt idem fundamento, ex dictis: alterum ad non eſſe *immediatè præcedens, & hic non eſt ſic idem realiter: & idem videtur de* non eſſe *quomodocunque præcedenti, etiamſi teneatur non poſſe ſeparari à creatione, iuxta dicta q. 3.*

27. AD illam quæſtionem de creatione, dico, quòd creatio non tantùm videtur importare relationem ad Deum, in ratione cauſæ efficientis, ſed etiam reſpectum ad *non eſſe* præcedens: & hoc ordine durationis, vt accipitur propriè *creatio*. Sed iſte ordo poteſt intelligi, vel ad *non eſſe* immediatè præcedens, vel indiſtinctè, & primo modo tantùm dicitur res creari in primo inſtanti: ſecundo modo poteſt dici res ſemper creari dum manet. Si loquamur de prima relatione,ſcilicet ad cauſam efficientem, patet ſolutio ex quæſtione præcedenti. Si de ſecunda relatione,videtur quòd illa non ſit eadem fundamento, quod ſequitur ex illo ſecundo modo, prout tantùm conuenit rei in primo inſtanti, ſi idem reſpectus ad *non eſſe* maneat tantùm in illo inſtanti, abſolutum autem manet poſt illud inſtans: & manenti,non manens, non eſt idem realiter. Sed de ordine illo ad *non eſſe* indiſtinctè accepto, videtur idem, niſi probari poſſit contradictio, quòd illa eſſentia poſſet eſſe abſque reſpectu ad *non eſſe* duratione præcedens. Quòd ſi probetur hoc in tertia quæſtione quæſita, quòd contradictio ſit lapidem eſſe ſine reſpectu ad *non eſſe* præcedens duratione, tunc poſſet dici conſequenter, quòd iſte reſpectus non differt à fundamento, niſi quòd iſte reſpectus non eſt dependentia ad aliquid, ad quod habens illum eſſentialiter dependeat. Non eſt autem generaliter dictum in præcedenti quæſtione,quòd omnis reſpectus eſt idem realiter cum ſuo fundamento: ſed omnis reſpectus dependentiæ ad aliquid, ſine quo dependens non poteſt eſſe, idem eſt dependenti. Si autem non ſit contradictio lapidem eſſe ſine tali ordine ad *non eſſe*,tunc planum eſt illum ordinem non eſſe idem fundamento. Sic ergo vel ſecundùm vnam opinionem,creatio ſecundùm vtru que reſpectum, quem dicit, eſt idem fundamento, vel ſaltem quantum ad primum reſpectum, licèt non quantum ad ſecundum.

Ad qu. 2.

COMMENTARIVS.

147. *AD illam quæſtionem de creatione.* Hìc Doct. reſpondet ad illam quæſtionem, quæ eſt quarta in ordine, vbi quæritur, *An creatio Angeli ſit idem* Angelo, & Doctor tria dicit, & pro clariori intelligentia, exemplum pono de homine creato. Primò, homo dicit relationem realem ad ipſum Deum creantem; & illa relatio eſt idem realiter ipſi homini, vt ſuprà patuit. Secundò, homo poteſt comparari ad *non eſſe* immediatè præcedens aliqua duratione ipſum *eſſe* hominis; vt quando homo conſideratur tantùm habere *eſſe* in primo inſtanti, quod *eſſe* in primo inſtanti immediatè ſequitur ipſum *non eſſe*; & ſic in homine habente *eſſe* in primo inſtanti fundatur relatio, quæ terminatur ad *non eſſe* immediatè præcedens: & talis relatio non eſt idem ipſi homini: patet, quia tantùm fundatur in homine, vt conſideratur habere *eſſe* in primo inſtanti, & terminatur ad *non eſſe* immediatè præcedens; ſed patet quòd non ſolùm homo habet *eſſe* in primo inſtanti: ſed etiam in inſtantibus ſequentibus; & ſic homo in ſecundo inſtanti, non habet illam relationem ad *non eſſe* immediatè præcedens. Illa etiam relatio eſt tantùm ens rationis: quia relatio, quæ terminatur ad *nihil*, licèt habeat fundamentum reale, dicitur reſpectus rationis, vt infrà patebit à Doctore *in iſto ſecundo, diſt. 44 ſiue vltima*, & per conſequens non identificatur alicui realiter.

Homo poteſt comparari ad tria.

148. Tertiò, homo poteſt comparari ad *non eſſe* indiſtinctè, non conſiderando *non eſſe* mediatè, vel immediatè, & tunc dico duo. Primum, quòd ſi de ratione creaturæ eſt, quòd habeat *eſſe* poſt *non eſſe*, vt dixit Henricus: tunc talis relatio hominis ad *non eſſe* indiſtinctè præcedens, erit eadem cum homine: niſi dicatur, quòd relatio, quæ identificatur cum creatura, eſt tantùm relatio dependentiæ ad aliquod, ſine quo impoſſibile eſt ipſum eſſe; modò relatio hominis ad *non eſſe*, ſiue mediatè, ſiue immediatè præcedens, non eſt huiuſmodi: quia homo eſſentialiter non dependet ad *non eſſe*: & etiam vt ſuprà dixi, talis relatio eſt tantùm ens rationis. Secundò dico, quòd ſi homo poteſt eſſe ab æterno, ita quòd non eſt neceſſe ſimpliciter habere *eſſe* poſt *non eſſe*, tunc relatio ipſius ad *non eſſe* poteſt ſeparari, quia poteſt eſſe ſine termino relationis; quia ſi poteſt eſſe ab æterno, ipſum *non eſſe* non præcedit *eſſe* de neceſſitate; & ſic poteſt eſſe homo ſine tali reſpectu; & ex iis patet tota iſta litera. Et ſic poſſunt ſuſtineri duæ opiniones; vna quòd relatio creaturæ, quæ terminatur ad *non eſſe* indiſtinctè eſt idem fundamento, accipiendo *idem* ſic, quòd eſt impoſſibile fundamentum eſſe ſine tali reſpectu, & ſimiliter relatio creaturæ ad Deum creantem, eſt ſimpliciter idem. Secunda opinio eſt, quòd ipſa creatio paſſiua eſt idem creaturæ tantùm, ſecundùm quòd eſt reſpectus ipſius creaturæ ad Deum creantem.

Quomodo relatio ſit eadem fundamento.

SCHOLIVM.

Reſpondet ad quinque argumenta poſita nu. 1. & 2. probantia relationem creaturæ ad Deum, diſtingui ab ea.

Æquinitas tantum eſt equinitas, explicatur.

SEcundùm primam [a] opinionem poteſt reſponderi ad primum argumentum, quòd auctoritas loquitur de his præcisè, quæ per ſe includuntur in quiditate rei, vnde quiditas eſt. Vnde excludit *vnum*, & *multa*, actum, & potentiam, quia nullum tale eſt de per ſe intellectu quiditatis. Et ita concedo, quòd nulla relatio ſit idem formaliter fundamento, etſi realiter & per identitatem quandoque contineatur in eo, vt eſt in propoſito. 28.

Sed eſt q. 1. tenendo alium ordinem quem hic habes.

Ad ſecundum patet, [b] quòd ille reſpectus ad Deum, non tantùm manet in primo inſtanti, ſed ſemper dum manet res: ſicut dicetur in 2. qu. 2. diſt huius libri.

Di. 43. q. 1.

Ad tertium, [c] etſi non ſit verum Deum non poſſe reparare eundum motum, de quo in quarto dicetur; tamen ſi hoc concedatur, conceditur propter interruptionem, quæ ſecundùm eos prohibet identitatem motus reparati, & deſtructi. Sed hoc non concludit in propoſito, niſi quòd creatio non poſſet reparari eadem, inquantùm dicit ordinem immediatum ad *non eſſe*: non autem inquantùm dicit reſpectum ad cauſam. Vnde idem reſpectus poteſt reparari: quia eadem maternitas fuit in matre Chriſti ad ipſum poſt reſurrectionem, quæ antè fuit.

Creatio eadem an poſſit reparari? Maria habuit eandē maternitatem ante & poſt reſurrectionem. ſ. alba.

Ad quartum, [d] concedi poteſt, quòd creatio paſſiua ineſt igni ab igne generante, illa ſcilicet creatio, qua omne aliud à Deo dicitur creari, ſiue creetur, ſiue generetur. Nec ſequitur ſi ineſt ab igne generante, ergo eſt ad ignem generantem, vt ad terminum: nam ſimilitudo ineſt huic albo, & illi albo à generante ipſa *, & tamen non oportet illam ſimilitudinem eſſe ad generans, ſicut ad terminum.

Ad quintum, [e] cùm arguitur de mutatione, vbi videtur eſſe difficultas de maiori, & minori; dico, quòd in mutatione naturali vbi eſt materia & forma, & agens, & compoſitum ex materia & forma, ſunt reſpectus multi: puta reſpectus agentis ad compoſitum productum, & è contrario reſpectus compoſiti producti ad agens: reſpectus materiæ ad formam, & è contrario: & vtriuſque reſpectus ad totum, & è contrario: & reſpectus compoſiti & formæ præſentis ad oppoſitum præcedens, & non ſolum iſta abſoluta, ſcilicet compoſitum & formam, præceſſerunt ſua oppoſita: ſed etiam illos reſpectus materiæ ad formam, 29.

Varij reſpectus mutationis naturalis explicantur.

formam,& ècontrario,& formæ ad compoſitum,& ècontrario, præceſſerunt oppoſita ſua. Et ideò poteſt eſſe reſpectus omnium iſtorum reſpectuum ad oppoſita ſua.

Nec hoc tantùm, ſed etiam omnes iſti reſpectus ſunt ab agente: & ideò poteſt eſſe reſpectus iſtorum reſpectuum ad agens, ita quòd de iſtis [g] multis reſpectibus, accipiendo illos qui ſunt ad propoſitum, materia habet reſpectum ad formam, ſicut perfectibile, & illud, quod perficitur ad perfectionem: & iſta coæua ſunt exiſtentiæ compoſiti. Iſte etiam [h] reſpectus eſt ab agente effectiuè inducente formam, & perficiente materiam hac perfectione formali: ita quòd in reſpectu iſto, qui eſt materiæ ad formam, vt receptiui ad perfectionem, ſiue vt perfectibilis ad perfectionem, fundatur reſpectus paſſiui ad agens. Iſte etiam reſpectus ſuccedit ſuo oppoſito, quia materia non priùs fuit formata.

Aſſignatur reſpectus, qui concurrũt ad mutationem paſſiuam. 5. & 6 Phyſ. & 1. Cæl.

Iſtos tres [i] reſpectus videtur dicere mutatio paſſiua, ſcilicet reſpectum materiæ ad formam, vt receptiui ad perfectionem, ſiue vt perfectibilis ad perfectiõnem: & reſpectum paſſiui, ſiue producti, ad agens, ſiue producens: & reſpectum poſterioris ad oppoſitum præcedens. Duo autem iſtorum reſpectuum, ſcilicet primus & tertius, videntur vniuerſaliter concurrere ad mutationem abſolutè, non co[k] parando eam ad agens: & iſti exprimuntur per illam rationem mutationis, quâ dicitur aliquid mutari, quia aliquid aliter ſe habet nunc quàm priùs, ſi *habere* exprimat reſpectum materiæ ad formam, ſiue perfectibilis ad perfectionem, ſecundùm quam ſic ſe habet, hoc eſt, quod actuatur illa perfectione, ſed aliter quàm priùs: ecce alius reſpectus, fundatus in alio reſpectu materiæ ad formam, ſiue perfectibilis ad perfectionem. Et ſi addatur, quòd mutari eſt aliquid aliter ſe habere nunc quàm prius ab aliquo mutante, ecce tertius reſpectus

30. k Ad propoſitum ergo poteſt dici, quòd mutatio accepta propriè, non eſt eadem formæ: quia mutatio tunc maneret manente forma, nec eſt eadem reſpectu materiæ ad formam, nec ècontrario: quia tunc ſemper maneret, dum manet compoſitum. Sed eſt ordo materiæ ad formam, vt nouus, id eſt, immediatus ad talem ordinem: & neuter iſtorum ordinum eſt dependentia eſſentialis ad aliquid, ad quod dependeat habens illum ordinem: & ideò neuter eſt idem abſoluto: ſic ergo conceditur Maior [l] huius rationis.

Duo ordines, id eſt, reſpectus, recepti materiæ, & informatiui formæ.

Et ad Minorem dico, quòd creatio eſt productio totius creati in *eſſe*, non præſuppoſita aliqua parte eius: ita quòd licèt creatum habeat duas partes, quarum altera naturaliter poſſet præcedere alteram, & eam recipere vt ſuam perfectionem, tamen vt totum creatur, non videtur primus terminus creationis eſſe pars aliqua, ſed totale *eſſe*; aut ſaltem ſi loquamur de Angelo creato, ibi nihil eſt potentiale recipiens aliquod actuale, ſub cuius oppoſito præfuerit. Et tunc ſi dicatur mutatio habitudo potentialis ad actualem nouum, ita quòd potentiale præfuerit in ſe, & tamen ſine illo actu: Patet, quòd nulla creatio eſt mutatio, quia nullum potentiale præexiſtebat. Si autem mutatio dicatur noua [m] actuatio ipſius potentialis, ita quòd illud potentiale non præfuit ſub actu; nec tamen oportet, quòd in ſe præfuerit: nec ſic creatio Angeli eſt mutatio, quia nullum potentiale eſt in eo: tamen ſic poſſet dici, quòd creatio ignis eſt mutatio, ſi ignis crearetur, quia in eo eſt potentiale, & actuaretur per formam, & aliter ſe haberet nunc quàm priùs: non quòd priùs fuerat, ſed quòd non ſic ſe habuerit priùs ſicut modò. Et videtur, [n] quòd in definitione mutationi illud *aliter ſe habere nunc quàm priùs*, non oporteat, quòd accipiatur poſitiuè: quia planum eſt quòd non refertur ad ſubiectum, ſed ad terminum *à quo*: terminus autem *à quo* mutationis, propriè non eſt aliquid poſitiuum, ſed priuatio, ſecundùm Philoſophum, 5. Phyſ.

Creatio quomodo dicitur mutatio, & quomodo non?

T.c. 7. & 8.

Dico tunc, quòd vel nulla creatio eſt mutatio, ſi oporteat ſemper potentiale in ſe præfuiſſe, & nouiter actuari à forma recepta, quia nullius creati potentiale præfuit: vel ſaltem creatio ſimplicis, non eſt mutatio, ſi ſufficiat potentiale non fuiſſe ſub illo actu, in quo nunc eſt, & ita nouiter fuiſſe ſub actu per mutationem. Sed quomodocunque ſit ratione illius ordinis immediati ad *non eſſe*, propter quem conceſſum eſt mutationem differre à forma; conceſſum eſt etiam creationem non eſſe eandem realiter fundamento, quia ille ordo immediatus ad *non eſſe*, non eſt idem, ſi non maneat, niſi in primo inſtanti: ſicut propter illum eundem ordinem, non manet creatio, niſi in primo inſtanti cum forma.

Terminus a quo mutationis nõ eſt poſitiuus.

149. * n. 28. Quinto Metaph. cap. 1.

a NVnc Doctor ſoluit argumẽta facta contra iſtam quæſtionẽ, quæ eſt quarta in ordine.

Ad primum reſpondet Doctor quòd Auicenna loquitur tantùm de iis, quæ præcisè per ſe includuntur in quiditate rei, vnde quiditas eſt, id eſt, quòd conſiderando æquinitatem in illo primo ſigno, in quo tantùm quiditas eſt, ſolùm prædicata eſſentialia includit; & hoc modo relatio non includitur in tali quiditate, licèt in ſecundo ſigno includat prædicata ſecundi modi vnitiuè, & realiter, & de hoc etiam dictum eſt ſatis in primo, *diſt. 3. q. 5.*

b Ad ſecundum reſpondet quòd creatio paſſiua, quæ terminatur ad Deum creantem, ſemper manet quandiu Angelus manet, vt infrà patebit *diſt. 2. q. 2. huius, & in quodlib. q.* 12, ibi oſtenditur, quòd creatio, & conſeruatio ſunt penitus idem ex natura rei, tantùm enim differunt ratione: talis ergo creatio paſſiua, vt terminatur ad Deum, ſemper manet, creatura manente, licèt accipiendo reſpectum creationis paſſiuæ vt terminatur ad *non eſſe* immediatè præcedens, tantùm maneat in primo inſtanti creationis, & non in ſecundo, vt ſuprà patuit.

Creatio, & conſeruatio non diſtinguũtur formaliter, ſed ſunt eiuſdem rationis.

c Ad tertium reſpondet, quòd conceſſo fortè de motu propter interruptionem, licèt in quarto, *diſt.* 43. videatur ſuſtinere, quòd etiam eundem motum numero annihilatũ Deus poſſet reparare; ſed quidquid ſit de motu, aliàs pertractabitur: loquendo tamen de creatione paſſiua, pro quanto dicit reſpectum ad cauſam eandem numero, eadem maternitas poteſt reparari, licèt fortè, non poſſit reparari, vt dicit ordinem immediatum ad *non eſſe*. Quod autem primo modo poſſit reparari, probat per ſimile, quia fuit in matre Chriſti ad ipſum poſt reſurrectionem; quæ ante fuit. De hac tamen materia, an eadem relatio annihilata poſſit reparari, magis patebit in quarto, *diſt* 43.

d Ad quartum reſpondet concedendo, quòd ignis genitus dicitur etiam creatus; ſic intelligendo, quòd creatio paſſiua ineſt igni ab igne generante, illa ſcilicet creatione, qua omne aliud à Deo dicitur creari, ſiue creetur, ſiue generetur, quæ *creatio* generali nomine accipitur, ſed vltrà non ſequitur, creatio paſſiua ineſt igni genito ab igne generante; ergo talis creatio terminatur ad ignem generantem, ſiue ergo ignis genitus creetur ab igne generante: & patet per ſimile, quia ſimilitudo ineſt parieti à generante album in pariete: ergo talis ſimilitudo terminatur ad generantem album. Sic eſt in propoſito; iſta tamen materia, quomodo ignis dicatur genitus ab alio igne, & quòd ſit creatura, & vt ſic, tantùm dicat reſpectum ad Deum, requirit prolixiorem tractatum, & diffusè expoſui ſuper tertio Doctoris diſt. 10. vide ibi quæ notaui.

150. * n. 29. Expoſitio litera.

e Ad quintum reſpondet, & primò præmittit aliqua, deinde declarat intentum, quomodo creatio non ſit propriè mutatio. Et vt clariùs iſta litera intelligatur, expono illam de propoſitione in propoſitionem: ibi: *Dico quòd in mutatione naturali, vbi eſt materia, & forma, & agens, & compoſitum ex materia, & forma*, quia propriè mutatio terminatur ad verè genitum, & generatio eſt ad ſubſtantiam, vt patet quinto Phyſic. Dicit ergo Doctor, quòd in tali mutatione naturali ſunt multi reſpectus, ſcilicet reſpectus agentis ad compoſitum productum, & econuerſo: reſpectus materiæ ad formam, ſcilicet partis, & econuerſo, & reſpectu materiæ ad formam dicitur reſpectus informati ad formam informantem, ſiue reſpectus perfectibilis ad formam perficientem. Reſpectus verò formæ partis ad materiam, dicitur reſpectus formæ informantis, ſiue perficientis ad materiam. Sequitur, quòd *vtriuſque reſpectus ad totum, & econuerſo*, id eſt, quòd materia, & forma habent reſpectum ad totum compoſitum, & eſt reſpectus cauſæ intrinſecæ ad cauſatum intrinſecè, & econuerſo, reſpectus totius ad materiam, & formam, & reſpectus cauſæ intrinſecæ ad materiam, & formam, quæ ſunt cauſæ intrinſecæ; ſiue reſpectus materiæ & formæ ad totum, dicitur reſpectus partium componentium ad totum compoſitum: & econuerſo dicitur reſpectus compoſiti ad partes componentes: Sequitur, *& reſpectus compoſiti, & formæ præſentis ad oppoſitum præcedens*, id eſt, quòd compoſitum producitur de *non eſſe* ad *eſſe*; & ſic dicitur reſpectus *eſſe* compoſiti ad *non eſſe* compoſiti; & ſimiliter reſpectus formæ præſentis ad oppoſitum, eſt reſpectus ipſius formæ partis ad *non eſſe* præcedens; licèt iſti duo reſpectus vltimi dicantur magis reſpectus rationis, quia terminantur ad non ens, vt dixi ſuprà. Sequitur: *& non ſolùm iſta abſoluta, ſcilicet compoſitum, & forma, præceſſerunt ſua oppoſita*, ſcilicet non eſſe compoſiti, & non eſſe formæ; *ſed etiam illos reſpectus materiæ ad formam, & econuerſo: & formæ ad compoſitum, & econuerſo præceſſerunt oppoſita ſua:* Patet de reſpectu materiæ ad formam, qui eſt informati ad formam informantem, quia priùs non informabatur, puta forma ignis, & nunc informatur: & ſic materia habet reſpectum informati ad *non eſſe* informatum præcedens: & ſimiliter patet de forma, quia reſpectum formæ informantis ad materiam informatam, præcedit alius reſpectus, qui eſt ad oppoſitum, videlicet ipſius formæ informantis ad non informare, quod eſt oppoſitum præcedens; & ſimiliter reſpectum formæ ad compoſitum, qui eſt partis componentis ad compoſitum, præcedit alius reſpectus, videlicet *eſſe* ipſius formæ ad *non eſſe* immediatè præcedens: & ſimiliter reſpectum compoſiti ad partes componentes præcedit alius reſpectus, ſcilicet reſpectus *eſſe* compoſiti ad *non eſſe* ipſius compoſiti immediatè præcedens. Sequitur, *& ideo poteſt eſſe reſpectus omnium iſtorum reſpectuum ad oppoſita ſua*: id eſt, quòd omnes reſpectus ſupradictos præcedunt reſpectus ad oppoſita, vt expoſui priùs.

Compoſitum quomodo producatur. Nota.

151.

f *Nec hoc tantum, ſed etiam omnes iſti reſpectus ſunt ab agente*; patet, quia reſpectus materiæ informatæ eſt ab agente inducente formam in materiam, & reſpectus formæ informantis, eſt ab agente, ex hoc, quòd inducit talem formam in materiam: & ſimiliter reſpectus materiæ, & formæ ad totum compoſitum eſt ab agente, quia nunquam materia poſſet cauſare intrinſecè, niſi priùs agens incipiat cauſare, vt ſuprà patuit à Doctore *in primo diſt in. 2. par. 1. q. 1. & diſt in 8. quæſt.* 1. Priùs enim materia mouetur, quàm ipſa cauſet intrinſecè; id eſt, quòd priùs recipit formam partis ab agente, quàm dicatur cauſa intrinſeca compoſiti: & ſic patet quomodo talis reſpectus eſt ab agente, tam materiæ, quam formæ reſpectu compoſiti: & ſimiliter reſpectus

compo

5. Phyſ. contex. 7.

Compoſitum à quo habet eſſe.

compoſiti ad partes componentes, eſt ab agente, quia compoſitum habet eſſe per agens, ex hoc, quòd inducit formam in materiam; & ſic forma, & materia dicuntur cauſare intrinſecè: & ſimiliter omnes reſpectus ad oppoſita ſunt ab agente; patet, quia reſpectus materiæ informatæ ad *non eſſe* præcedens, & reſpectus formæ informantis ad *non eſſe* præcedens, eſt ab agente, qui nunc inducit formam in materia, quæ priùs non erat inducta, & ſic de aliis. Sequitur, *& ideò poteſt eſſe reſpectus iſtorum reſpectuum ad agens*, nam reſpectus materiæ informatæ includit reſpectum ad agens inducens formam. Et non debet hîc intelligi, quòd iſti reſpectus ſint formaliter ad agens, tanquam ad terminum, quia tunc idem reſpectus poſſet habere duos terminos, quod eſt falſum; ſed dicuntur reſpectus ad agens ex hoc, quòd omnes iſti reſpectus includunt reſpectum ad agens, ita quòd reſpectus formæ informantis includit reſpectum ipſius formæ inductæ ad agens inducens, & ſic de aliis.

152. *Quomodo materia habeat reſpectum ad formam.*

Sequitur, *ita quòd de iſtis multis reſpectibus, accipiendo illos, qui ſunt ad propoſitum, materia habet reſpectum ad formam, ſicut perfectibile, & illud quod perficitur ad perfectionem, & iſta coæua ſunt exiſtentiæ compoſiti*, id eſt, quamdiu compoſitum exiſtit, tamdiu materia perficitur à forma, & è contra, forma perficit materiam, & in illo inſtanti, in quo forma non perficit materiam, deſinit eſſe compoſitum. Sequitur: [h] *Iſte etiam reſpectus*, ſcilicet perfecti ad perfectionem, *eſt ab agente effectiuè inducente formam*, id eſt, quòd iſte reſpectus conſequitur formam, pro quanto ipſa forma inducitur ab agente in materiam. Sequitur; *ita quòd in reſpectu iſto, qui eſt materiæ ad formam, vt receptiui ad perfectionem*, eſt reſpectus paſſiui ad agens: nam materiam pati formaliter eſt recipere formam, & pati ab agente, eſt ipſam recipere ab agente. Sequitur: *iſte etiam reſpectus ſuccedit ſuo oppoſito*, quia materia non priùs fuit formata, vt ſuprà expoſui. Sequitur; *Iſtos tres reſpectus videtur dicere mutatio paſſiua*, quia aliquid mutatur, *ſcilicet reſpectum materiæ ad formam, vt receptiui ad perfectionem, & reſpectum paſſiui, ſiue producti ad agens*, & reſpectum poſterioris ad oppoſitum præcedens; & addit quòd *primus reſpectus*, ſcilicet receptiui ad formam receptam, *& tertius reſpectus*, ſcilicet *eſſe* poſterioris ad *non eſſe* priùs immediatè præcedens, *videntur vniuerſaliter concurrere ad mutationem abſolutè, non comparando eam ad agens*: patet, quia mutari, ex quinto Phyſicorum, eſt aliquid aliter ſe habere nunc, quàm priùs; & ſic materia mutatur propriè, quia nunc recipit aliquam formam, quàm priùs non habebat. Et ſi addatur, quòd mutari eſt aliquid aliter ſe habere nunc, quàm priùs ab aliquo mutante, tunc eſt tertius reſpectus, qui in ordine eſt ſecundus, qui ſcilicet eſt reſpectus paſſiui ad agens.

Contex. 7. & 12. Meta. contex. 38. & 63.

153. *Quomodo mutatio propriè non eſt eadem forma, nec materia.*

Sequitur, *Ad propoſitum ergo poteſt dici* Hîc Doctor applicat quæ ſuprà dixit, & oſtendit quomodo mutatio propriè non eſt eadem formæ, nec materiæ, quia tunc ſemper maneret, dum manet compoſitum; nam ſi eſſet eadem formæ, tunc ſequeretur, quòd manente forma, ſemper talis mutatio maneret, quod eſt falſum: patet, quia forma manet in materia in *eſſe* quieto. Et ſimiliter ſi eſſet eadem materiæ, quandiu maneret materia, ipſa maneret, quòd eſt falſum, quia materia non tantùm præcedit mutationē, ſed remanet ſub forma in *eſſe* quieto, & vt ſic manens non dicitur mutari, & quamdiu compoſitum manet, tamdiu materia, & forma non dicuntur mutari, quia vt ſic, manet ſub *eſſe* quieto. Sequitur: *Sed eſt ordo materiæ ad formam*, vt *nouus, id eſt immediatus ad talem ordinem*, id eſt, quòd talis reſpectus materiæ ad formam, qui dicitur nouus, ſecundùm quem materia dicitur mutari, ex hoc dicitur mutari, quia eſt immediatus ad talem ordinem, quia iſte reſpectus mutationis habet reſpectum ad *non eſſe* immediatè præcedens; & ſic talis mutatio erit tantùm in primo inſtanti, in quo materia nunc eſt ſub vna forma, ſub quâ priùs non fuit. Sequitur, *& neuter iſtorum ordinum eſt dependentia eſſentialis ad aliquid, ad quod dependeat habens illum ordinem, & ideò neuter eſt idem abſoluto.* Vult dicere, quòd reſpectus materiæ, vt receptiuæ ad formam receptam, & è contra; & ſimiliter reſpectus receptiui ad *non eſſe* præcedens; & ſimiliter reſpectus formæ informantis ad *non eſſe* præcedens, non ſunt idem, neque materiæ, neque formæ. Patet de reſpectu receptiui ad formam: quia non repugnat receptiuo poſſe eſſe ſine tali forma vt termino. Similiter reſpectus formæ perficientis non eſt idem tali formæ, quia non repugnat formæ poſſe eſſe ſine tali receptiuo; & ideò nec materia ſic eſſentialiter dependet à forma, quin per diuinam potentiam poſſit eſſe ſine omni forma, vt infrà patebit *in iſto ſecundo, diſt. 12. q. 2.* nec forma ſic dependet à materia, quin poſſit eſſe ſine omni materia, vt infrà patebit loco vbi ſuprà. Et ſimiliter patet de reſpectu ad *non eſſe* immediatè præcedens, qui non eſt idem realiter nec formæ, nec materiæ: patet, quia ille reſpectus, qui eſt ad *eſſe* informati ad *non eſſe* informatum immediatè præcedens, ineſt materiæ tantùm pro primo inſtanti, in quo recipit formam; modò materia poteſt manere pro tempore ſub forma, in quo non erit talis reſpectus. Hoc idem dico de reſpectu formæ ad *non eſſe* immediatè præcedens, quia ille reſpectus tantùm habet *eſſe* pro primo inſtanti, in quo forma eſt in materia, & tamen poſt illud inſtans adhuc forma manet in materia: & ſic patet litera Doctoris.

154. *Mutatio quò differat à termino.*

Sequitur. *Sic ergo conceditur maior huius rationis*, videlicet, quòd mutatio differt à termino, & quomodo differat, parum ſuprà expoſitum eſt. Sequitur: *Et ad minorem dico.* Hîc Doctor intendit oſtendere quomodo creatio non eſt mutatio: quia quando aliqua productio eſt mutatio propriè ſumpta, ſemper includit aliquid, quòd verè mutetur: ſicut dicimus, quòd generatio in creaturis eſt mutatio, quia quando compoſitum generatur, aliqua pars compoſiti verè mutatur: quia materia tranſit de *non eſſe* talis formæ ad ipſam formam, quam recipit; ſed ſi totum compoſitum ſimul produceretur, ita quòd nihil illius compoſiti præcederet, ſed quòd totum ſimul produceretur tam categorematicè, quàm ſyncategorematicè, nulla eſſet ibi mutatio, quia nulla eſſet ibi pars, quæ tranſiret de priuatione formæ ad formam, ſed in eodem inſtanti, in quo haberet *eſſe* eſſet ſub forma. Dicit ergo Doctor quòd creatio propriè ſumpta non eſt mutatio, quia eſt productio totius creati in *eſſe* non præſuppoſita aliqua parte eius, ita quòd licèt creatum habeat duas partes, quarum altera naturaliter poſſit præcedere alteram, & eam recipere,

Creatio propriè ſumpta non eſt mutatio.

cipere, tamen vt totum creatur primus terminus creationis non est aliqua pars, sed totale *esse*, & sic patet, quòd creatio non est mutatio propriè sumpta.

155. *Quomodo creatio non sit mutatio.*

Sequitur, *Si autem mutatio dicatur noua actuatio.* Doctor dicit tres conclusiones breues. Prima, quòd mutatio præsupponit aliquod potentiale priùs habere *esse* in se, quod transeat de priuatione ad actum, & talis mutatio nullo modo est creatio. Secunda, quòd sit aliquod potentiale, quod nullo modo præcedat actum, sed eodem instanti, quo habet *esse*, est sub actu; vt si nunc crearetur homo quantùm ad corpus, & animam, ibi posset esse mutatio, accipiendo *mutationem* pro actuatione, quia tunc tale corpus in eodem instanti, quo habet *esse*, actuatur, siue perficitur ab anima; & hoc modo creatio potest dici mutatio. Tertia, quòd quando creatur aliquod simplex non habens partem, & partem cuiusmodi est Angelus, tunc creatio ipsius non est mutatio nec primo, nec secundo modo, & hoc est quod dicit.

Quomodo creatio possit dici mutatio

n *Et videtur, quòd in definitione mutationis illud, &c. secundùm Philosophum, quinto Physic. tex. com.* 8. qui textus incipit: *Si igitur quod non est, dicitur multipliciter*, vide textum, & hoc est magis clarum in textu septimo, qui sic incipit, *Quoniam autem omnis mutatio in A quodam*, &c.

Dicit ergo Doctor quòd accipiendo *mutationem* propriè, cuius terminus *à quo est* priuatio, quòd nulla creatio est mutatio. Et addit Doctor quòd licèt creatio passio sit idem realiter creaturæ, prout dicit respectum ad Deum creantem, vt verò dicit respectum ad *non esse* immediatè præcedens, non est idem realiter cum fundamento, si talis respectus tantùm sit in primo instanti, & sic finis huius quæstionis.

Quomodo nulla creatio sit mutatio propriè.

QVÆSTIO V.

Vtrùm Angelus & anima differant specie?

Alensis 2.*p.q.*20.*m.*3. D. Th. 1.*p.q.*75.*a.*7.*&* *q.*58.*a.*3 *&* 2.*contra Gent.*94. *& hic d.*3. *qu.*1. *ad* 6. D. Bon. *hic* 2.*p.art.*3.*q.*1.2. Gabr. *q.*6. Henr. *quodl.*12.*q.*8. Vide Scot. 5.*Met.q.*5.6.7. Mayron. 2.*d.*3.*q.*1.

Mag. E. &c. Hec q. in aliquibus originalibus ponitur in princ. dist. seq. sed iste ordo satis conueniens est tex. c. 33.

VLTIMO circa hanc distinctio. vbi Magister tractat de creatura merè spirituali, & creatura composita ex corporali, & spirituali, quæritur, Vtrùm Angelus, & anima differant specie? Quòd non, primò, quia si essentiæ differunt specie: ergo & potentiæ, quæ fundantur in eis, & si potentiæ, ergo & operationes: & vlteriùs, ergo & obiecta, ex 2. de Anima. consequens est falsum, quia idem est obiectum intellectus Angeli, & animæ. 1.

Arg. 2. Secundò sic, Augustinus de lib. arb. lib. 3. *Angelus, & anima sunt natura pares, sed officio impares*: sed paritas naturæ non est in differentibus specie: ergo, &c.

Arg. 3. Tertiò, quia [b] si sint alterius speciei, vna secundùm se totam erit nobilior altera, & per consequens quodlibet indiuiduum nobilioris erit nobilius quodlibet indiuiduo ignobilioris: & ita vel quilibet Angelus erit perfectior qualibet anima, vel è contrario. Et tunc vlteriùs, cùm capacitas sequatur naturam, vel erit capacitas maior cuiuslibet Angeli capacitate cuiuslibet animæ: vel è contrario: & cùm beatitudo requirat totam capacitatem naturæ satiari, sequitur quòd maior perfectio, necessariò est in quolibet Angelo ad hoc, quòd sit beatus, quàm sit in qualibet anima, vel è contrario: quorum vtrunque est falsum: quia Angelus, & anima se habent, sicut excedentia, & excessa in beatitudine.

COMMENTARIVS.

PRIMO Doctor arguit, probando quòd anima & Angelus non differant specie: quia *si essentiæ*, &c. 1. de Anima tex. com. 33. vbi sic habetur secundum aliam translationem: *Et indiget*, inquit, *necessariò qui vult perscrutari de istis*, (supple, animæ potentiis,) *scire vnamquamque istarum quæ sit; deinde post perscrutetur de contingentibus in iis, & si necesse est dicere vnamquamque illarum quæ sit: verbi gratia, intellectus quid sit; & sentiens quid sit; nutritiuum quid sit. Oportet etiam prædicere intelligere quid sit, actiones enim, & operationes præcedunt in intellectu virtutes, & si ita sit, & considerare de aliis, rebus oppositis, istis debet præcedere considerationem. De istis oportet nos, vt attendamus ad definiendum istas, primò propter istam causam, verbi gratiâ, cibum, & sensatum, & intellectum.* Hæc ille. Vult dicere, quòd potentiæ animæ non cognoscuntur nobis inesse, nisi per operationes, nec operationes cognoscuntur distinctè, nisi quia sunt circa talia, & talia obiecta; & ideò primò cognoscuntur obiecta distincta, & secundò operatione, circa illa obiecta, & tertiò potentiæ, quarum sunt tales operationes. Vnde & Commentator ibi, sic ait: *Et si oportet scire, quæ est vnaquæque istarum virtutum. Necesse est præscire actiones proprias vnicuique istarum virtutum, quæ sunt, verbi gratiâ, quid est intelligere per intelligens, & sentire per sentiens, & nutrire per nutriens: cognitio enim actionum istarum virtutum prior est apud nos in nostra prima cognitione, quàm cognitio istarum virtutum; & causa narrauit, quòd cognitio actionum debet præcedere cognitionem virtutum: narrauit etiam quòd cognitio patientium, videlicet obiectorum illas actiones debet præcedere cognitionem illarum actionum propter eandem causam, propter quam debet præcedere cognitio actionum cognitionem virtutum.*

Hæc

Hæc illæ. Patet ergo quòd per diſtinctionem obiectorum concludimus diſtinctionem actuum, & per diſtinctionem actuum concludimus diſtinctionem potentiarum. Secundò per diſtinctas potentias concludimus diſtinctas eſſentias: cùm ergo intellectus Angeli, & intellectus animæ habeant ſimpliciter idem obiectum, ſequitur quòd erunt potentiæ eiuſdem rationis: Et ſi hoc; ergo & eſſentiæ.

Secundum argumentum clarum eſt.

b Tertium ſtat in hoc; quia ſi Angelus, & anima ſint alterius rationis, ſequitur quòd quodlibet indiuiduum vnius erit nobilius quolibet indiuiduo alterius, vel è contrà, quod non eſt verum; quia ſi quilibet Angelus eſſet perfectior qualibet anima, ſequeretur quòd eſſet capacior maiori beatitudine; quia capacitas ſequitur entitatem: & cùm beatitudo requirat totam capacitatem ſatiari, ſequitur quòd maior perfectio neceſſariò erit in quolibet Angelo, ad hoc vt ſit beatus, quàm ſit in qualibet anima, vel è conuerſo, quòd eſt inconueniens.

TEXTVS.

Contrà, quantò forma creata eſt nobilior, tantò diſtinguitur in plures gradus nobilitatis: ſicut ſunt plures formæ miſti, quàm elementares, & plures formæ animati quam inanimati; & fortè plura animalia quàm plantæ: igitur plura erunt differentia ſpecie in natura intellectiua, quàm non intellectiua: hoc non poteſt eſſe niſi Angelus, & anima differant ſpecie: igitur, &c.

COMMENTARIVS.

1 CONtrà, *quantò forma creata eſt nobilior, tantò diſtinguitur in plures gradus nobilitatis*; & hîc non attenditur maior, & minor nobilitas penes gradus perfectionales, conſequentes naturam indiuidui, eo modo, quo dicimus, quòd albedo vt octo, eſt nobilior albedine vt quatuor: Sed attenditur penes gradus perfectionales ſpecificos, qui nati ſunt conſtituere aliam, & aliam ſpeciem; nam alius, & alius gradus perfectionalis, & ſpecificus, de neceſſitate conſtituit aliam, & aliam ſpeciem, & in hoc gradus ſpecifici differunt à gradibus perfectionalibus conſequentibus naturam indiuidui, quia plures gradus perfectionales poſſunt eſſe formaliter in vno indiuiduo: patet de albedine intenſa vt octo: Sed plures gradus ſpecifici non poſſunt eſſe in eadem ſpecie.

2. *Gradus ſpecificus eſt indiuidualis.*

Et notanter dixi de gradibus conſequentibus naturam indiuidui, quia hæcceitates poſſunt etiam eſſe gradus perfectionales aduenientes naturæ, & perficientes eam, vt patet à Doctore *in primo, diſtinctione prima, quæſtione ſecunda.*

Et de iſtis loquendo alius, & alius gradus de neceſſitate conſtituit aliud; & aliud indiuiduum. In propoſito ergo intendit tantùm de gradibus ſpecificis; & vult, quòd quantò forma creata eſt nobilior tantò diſtinguitur in plures gradus nobilitatis ſpecificos, & accipitur hîc *forma creata* pro forma generica, quæ quantò eſt nobilior, tantò ſub ea plures continentur ſpecies, ſicut patet: quia formam miſti generica in plures diuiditur ſpecies, quàm forma elementaris generica, & ſimiliter forma generica animati in plures diuiditur ſpecies, quam forma generica inanimati.

Cùm ergo forma generica intellectiua ſit valde nobilior nó intellectiua, plures ſpecies ſub ea continebuntur, quàm ſub non intellectiua, & per conſequens, ſequitur, quòd anima, & Angelus differant ſpecie.

3. *Ratio D. Th. vera.*

Et credo hanc rationem eſſe veram, quàm etiam Thomas facit contra Gentil. *in libro ſecundo*, licèt per hanc intendat concludere, quòd quilibet Angelus faciat vnam ſpeciem; quia aliter videretur, quòd eſſent Angeli in maximo numero, ſi plures eſſent in eadem ſpecie, quia tunc oporteret, quòd numerus ſpecierum Angelorum excederet numerum ſpecierum animalium, & cum hoc Angeli in indiuiduo excederent numerum omnium animalium, quod non videtur concedendum.

Sed ſi tantùm vnus Angelus in vna ſpecie, non videtur numerus Angelorum eſſe ita magnus; ſed quicquid ſit, non eſt præſentis ſpeculationis, quia concluſio iſtius quæſtionis eſt certa, ſaltem arguendo à poſtriori, videlicet, quòd anima, & Angelus differant ſpecie, quia formæ eiuſdem rationis, ſiue eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, habent eandem rationem perficiendi, & non perficiendi; ſed anima naturaliter eſt perfectiua corporis organici, vt forma ſaltem informans, Angelus verò nullo modo perficit materiam, vt ſubtiliter deducit Doctor *in nona quæſtione quodlibetorum.* Sunt enim omnino extra materiam, vt patet per Ariſtotelem *duodecimo Metaphyſicorum. text. comment.* 30. ſecundùm aliam tranſlationem. *Oportet*, inquit, *vt iſtæ ſubſtantiæ ſint exiſtentes extra materiam, cùm neceſſe eſt vt ſint æternæ. Si etiam aliud fuerit æternum actio eſt*, & ibi Commentator, 1. *& quia iſtæ ſubſtantiæ ſunt mouentes ſine aliqua potentia, neceſſe eſt vt ſint ſine omni materia, cùm neceſſe eſt, vt ſint æternæ, omne enim æternum eſt actio pura, & omne quod eſt actio pura non habet potentiam*, hæc ille.

SCHOLIVM.

Angelum & animam eſſentialiter diſtingui, certum eſt. Sed rationem primam diſtinctionis aſſignatam à D. Bonau. Alenſi, & D. Thom. impugnat, & meritò Scotus. Ratio D. Bonau. eſt vnibilitas animæ ad materiam: ratio D. Tho. & Alenſis eſt eius potentia ad diſcurrendum, Angelus autem (inquiunt) nec ſic vnibilis eſt nec diſcurſiuus.

Thom. cont. Gent. lib. 2. art. 91. & 94.

CONcluſio iſtius quæſtionis eſt certa, ſcilicet quòd Angelus, & anima differant ſpecie: quia formæ eiuſdem rationis habent eandem rationem perficiendi, & non perficiendi: ſed anima naturaliter eſt perfectiua corporis organici vt forma, Angelus autem naturaliter eſt non perfectio alicuius materiæ: igitur, &c. 3.

S. Bon. lib. 2. diſt. 1. in 2. p. a. 3. q. 1 Text. c. 23. 3. de anima, com. 52.

Sed quæ ſit prima [a] ratio huius diſtinctionis ſpecificæ, dicitur ab aliquibus, quòd vnibilitas ad materiam, & non vnibilitas ad materiam.

Contrà, forma eſt finis materiæ, ex 2. Phyſicor. & ideo diſtinctio materiæ, eſt propter diſtinctionem formæ, & non è contrario. Vnde membra cerui differunt à membris leonis; quia anima differt ab anima: igitur non erit prima diſtinctio ſpecifica huius, & illius per materiam & non materiam, ſed prior erit diſtinctio ipſorum actuum in ſe. Quod confirmatur manifeſtè. Quia enim hæc natura eſt talis, & illa non, ideo hæc non eſt illa: igitur iſta ratio perficiendi, & non perficiendi, non erit prima ratio diſtinctiua.

Alex. de Ales 1. 2. collatione de ſubſtantia Angeli. q. 2. Quære D. Thom. 1. p. q. 58. art. 3. & Henric. 12 quodl. q. 8. Impugnat Alexandr.

Aliter dicitur, [b] quòd gradus intelligendi maior, vel minor in Angelo, & anima, eſt principium diſtinctiuum vnius ab alio, quod confirmatur per ſimile; quia anima ſenſitiua non videtur diſtingui in brutis: niſi ſecundùm diuerſos gradus ſentiendi: & tamẽ ibi eſt differentia ſpecifica: igitur ita poteſt eſſe hîc penes diuerſos modos intelligendi, perfectiorem ſcilicet & imperfectiorem. Quis autem ſit iſte diſtinctus modus intelligendi, ponitur, quòd Angelus intelligit ſine diſcurſu: & anima intelligit cum diſcurſu, loquendo de intellectu naturali: & iſti modi ſunt diſtincti ſpecie, & ſunt intellectualitatis alterius & alterius ſpeciei.

Contrà: Anima [c] non diſcurrit circa principia, ſed circa concluſiones, ergo ſi cognoſcere ſic, & ſic, eſt alterius ſpeciei, & ideò requirat intellectualitatem alterius ſpecici. erunt duæ intellectualitates alterius ſpeciei in vna anima: vna inquantùm intelligit principia, & alia inquantùm intelligit conditiones. 3.

Præterea, Anima beata in [d] obiecto beatifico non diſcurrit circa illud: diſcurrit autem circa obiectum cognitum naturaliter: igitur eſſet alia intellectualitas ſpeciꝫ beati, inquantùm intelligit Deum, & inquantùm intelligit aliquid naturaliter.

Quodlibet indiuiduũ ſuperioris ſpe ciei, eſt perfectius quodlibet indiuiduo inferioris ſpeciei.

Item tertio, [e] ſi intellectualitas Angeli, & animæ differunt ſpecie, igitur, quæ dependent eſſentialiter ab iſta & illa, differunt ſpecie: ſed ab iſtis dependet eſſentialiter viſio beatifica Angeli & animæ (licèt enim Angelus non ſit tota cauſa viſionis ſuæ, nec anima ſuæ: tamen vtraque viſio eſſentialiter dependet ab intellectualitate naturæ cuius eſt igitur iſta viſio beatifica, & illa, differunt ſpecie, quod eſt falſum: quia omnes ſpecies diuerſæ, habent ordinem determinatum ſecundùm perfectius & imperfectius ita quòd quodlibet indiuiduum perfectioris ſpeciei, excedit quodlibet indiuiduum imperfectioris: & tunc ſequeretur, quòd vel quælibet beatitudo euiuſlibet Angeli excederet quamlibet beatitudinem cuiuslibet animæ, vel è contrariò, quorum vtrumque eſt falſum, quia ſe habent ſicut excedentia, & exceſſa in beatitudine.

Item quæritur [f] quid intelligitur per hoc, quod dicitur Angelum non intelligere diſcurrendo. Aut quod Angelus non habet potentiam, qua cognitis principiis, poſſit cognoſcere concluſiones, ſi illæ non eſſent ſibi priùs notæ actu vel habitu: & hoc tunc non videtur eſſe perfectionis in intellectu creato: imò hoc videtur eſſe imperfectionis in intellectu creato, quia perfectio in intellectu noſtro eſt ſupplens imperfectionem, quod poſſit ex quibuſdam cognitis virtualiter includentibus alia, illorum aliorum cognitionem acquirere. Aut intelligitur, quod ideo non poteſt diſcurrere, quia omnes concluſiones ſunt ſibi actualiter notæ à principio: & ita non poteſt eas cognoſcere diſcurrendo: ſed hoc eſt falſum: quia non omnia à principio actu & diſtinctè cognoſcit, & intelligit. Aut ideò quia omnia ſibi ſunt habitualiter nota à principio: & ideo non poteſt habitualem notitiã illorum acquirere ex principiis, & hoc non ponit differentiam eſſentialem intellectualitatis Angeli à nobis: quia ſic eſſet in anima mea; quia ſi omnes concluſiones eſſent ſibi notæ à principio, Deo imprimente ſimul notitiam

notitiam principiorum, & concluſionum: ipſa non poſſet diſcurrere, non propter impotentiam naturæ: ſed quia iam præhabet cognitionem, & non poteſt acquirere de nouo id quod præhabet, hoc modo anima Chriſti non diſcurrebat, ſed ipſa nouit habitualiter omnia principia, & concluſiones in principiis à principio, & tamen ipſa non fuit natura angelica.

COMMENTARIVS.

1. a *Sed quid quid ſit prima ratio huius diſtinctionis ſpecificæ.* Hîc recitatur opinio D. Bonauenturæ *libro ſecundo, diſtinctione prima.* Qui vult, quòd anima intellectiua per hoc diſtinguitur ſpecie ab Angelo, quia eſt vnibilis ad materiam: & Angelus non eſt vnibilis, ita quòd vnibilitas, & non vnibilitas eſt ratio diſtinguendi ſpecie.

Hîc Doctor hanc opinionem inbrobat ex hoc, quòd diſtinctio materiæ eſt propter diſtinctionem formæ, & non è contrà, ideſt, materia ordinatur ad formam, & non è contrà, & per conſequens alia & alia forma aliam & aliam requirit materiam, & ſic forma in illo priori erit in ſe diſtincta ab alia: ergo non erit diſtincta per poſterius, puta per vnibilitatem ad materiam, loquendo ſemper de diſtinctione ſpecifica. Et quòd materia ſit propter formam, &c. Patet per Ariſtotelem 2. Phyſicorum, *text. comment.* 22. & 23. vide ibi. Et quòd alia, & alia forma aliam & aliam requirat materiam, patet, quia membra leonis non differunt à membris cerui, niſi quia anima differt ab anima, vt patet per Commentatorem 1. *de Anima comment.* 52. qui ſic ait: *Si igitur ars carpentaria habet propria ſubiecta, & propria inſtrumenta, quibus vtatur, neceſſe eſt, vt ita ſit de anima cum corpore, corpus enim eſt inſtrumentum animæ, & ideò corpora animalium conuenientia ſunt animabus eorum.* Hæc ille, & ſic patet, quòd alia, & alia anima aliud, & aliud requirit corpus, *& comment.* 53. ſuper illo textu ſecundùm aliam tranſlationem; *Videndum enim, quòd quidlibet habet formam, & creaturam propriam.* dicit ſic Commentator 1. *habet animam propriam, & corpus animalis proprium.* Et parum infrà, *Membra enim leonis non differunt à membris cerui niſi propter diuerſitatem cerui ab anima leonis.* Hæc ille. Ex his ergo patet, quòd cum alia, & alia anima requirat aliud, & aliud corpus organicum, priùs erit entitas talis in ſe, quàm comparetur ad materiam, cui nata eſt ſic, vel ſic vniri, quæ vnibilitas conſequitur talem, & talem formam, & per conſequens non poteſt eſſe ratio diſtinguendi ſpecie.

Materia eſt propter formã quomodo.

2. b *Aliter dicitur.* Hîc recitatur opinio Alexandi de Ales. Prima ſecundæ collatione de ſubſtantia Angeli. q. 5. Qui dicit, quòd gradus intelligendi maior, vel minor in Angelo, & anima, eſt primum diſtinctiuum vnius ab alio: & ideò loquendo de intellectu naturali, hoc eſt relicto ſuis puris naturalibus Angelus per hoc diſtinguitur ſpecie ab anima: quia Angelus intelligit ſine diſcurſu, & anima cum diſcurſu.

c *Contrà: anima non diſcurrit* circa principia, ſed circa concluſiones. Hîc Doctor per aliquas rationes ſatis faciles improbat poſitionem Alexandri. Primò, quia ſi intelligere cum diſcurſu, & ſine diſcurſu, ſunt alterius, & alterius intellectualitatis ſpecie diſtinctæ, ſequitur, quòd in anima erunt duæ intellectualitates ſpecie diſtinctæ; patet, quia anima circa principia non diſcurrit, & circa concluſiones diſcurrit. 3.

d *Præterea, anima beata in obiecto beatifico non diſcurrit.* & diſcurrit circa obiectum cognitum naturaliter. Et ſic in beato eſſent duæ intellectualitates ſpecie diſtinctæ.

e *Item tertio. Per hanc rationem* Doctor intendit probare, quòd intellectus Angeli, & intellectus animæ non differant ſpecie; cuius oppoſitum tenet Alexander. Nam Doctor infrà *præſenti quæſtione* videtur tenere, quòd & ſi natura Angeli, & natura animæ ſpecie differant, potentia tamen intellectiua vnius, & alterius eſt eiuſdem ſpeciei: & ideò hîc ſpecialiter arguit contra Alexandrum, quòd iſtæ duæ intellectualites non differant ſpecie; & tota ratio ſtat in hoc, quia ſi ſpecie differunt, ergo viſio beatifica Angeli, & viſio beatifica animæ intellectiuæ, quæ eſſentialiter dependent ab illis potentiis, ſaltem partialiter, differunt ſpecie, quod videtur falſum; quia omnes ſpecies diuerſæ habent determinatum ordinem ſecundùm perfectius & imperfectius, ita quòd quodlibet indiuiduum perfectioris ſpeciei, excedit quodlibet indiuiduum imperfectioris, quia ſicut ſpecies eſt eſſentialiter perfectior alia, ſequitur quòd cùm ipſa dicat totam eſſentiam indiuidui, quòd quodlibet indiuiduum perfectioris, ſit eſſentialiter perfectius quodlibet imperfectioris; nam ſicut eſt ordo eſſentialis inter ſpecies, ita eſt ordo eſſentialis inter indiuidua alterius, & alterius ſpeciei, vt patere poſſet in 10. *Metaph. text. comment.* 27. & tunc vltrà, ſi iſtæ viſiones beatificæ differunt ſpecie, alterum inconuenientium ſequitur, vel quòd quælibet beatitudo cuiuſlibet Angeli excederet quamlibet beatitudinem cuiuſlibet animæ, vel è contrà, quorum vtrumque eſt falſum, quia ſe habent ſicut excedentia, & exceſſa in beatitudine. In iſta tamen litera ſunt aliquæ difficultates pertinentes ad materiam beatitudinis, quæ in locis ſuis ſoluentur.

f *Item quæritur quid intelligitur.* Hîc Doctor improbat modum dicendi Alexandri de tali diſcurſu, & hoc per argumentum diuiſiuum; quia ſi Angelus in cognoſcendo non diſcurrit, aut hoc ideò eſt, quia non habet potentiam, vt cognitis principiis poſſit cognoſcere concluſiones. ſi non eſſent ſibi priùs notæ actu, vel habitu, & hoc eſt imperfectionis; patet, *Quia perfectio eſt in intellectu noſtro ſupplens imperfectionem, quòd poſſit ex quibuſdam cognitis virtualiter includentibus alia illorum aliorum cognitionem acquirere*, & quod dicit *perfectio ſupplens imperfectionem*, Hoc dicit propter intellectum diuinum, qui nullo modo cognoſcit vnum ex alio, vt ſuprà patuit *in prolog. quæſt. penultim.* & licèt cognoſcat quiditates, & multa 4.

principia, in quibus virtualiter multæ continẽtur concluſiones, virtute tamen illorum principiorum nihil cognoſcit; ſed ſola eſſentia diuina eſt ſimpliciter ratio cognoſcendi ſe, & quodlibet aliud reſpectu intellectus diuini, vt notat Doctor *in primo, diſtinct. 39.* In creatis tamen perfectio eſt ſupplens imperfectionẽ cognoſcens *A*, in quo includitur virtualiter *B*, poſſe cognoſcere *B* virtute ipſius *A*. Aut intelligitur, quòd ideò Angelus non poteſt diſcurrere, quia omnes concluſiones ſunt ſibi actualiter notæ à principio; & hoc eſt falſum, quia non omnia nouit à principio; aut ideò eſt, quia omnia ſibi ſunt habitualiter nota à principio, puta per ſpecies impreſſas, & hoc non ponit differentiam ſpecificam intellectualitatis Angeli à nobis: patet, quia etiam anima Chriſti habitualiter omnia nouit, vt habet videri in tertio, diſt. 14.

Anima Chriſti omnia habitualiter nouit.

SCHOLIVM.

Ponit propriam ſententiam, quod eſſentialiter primò diſtinguuntur per ſuas entitates abſolutas, & non per reſpectus vnionis, vel potentiæ, quod benè declarat exemplis. Colligitur tamen hæc eſſentialis diſtinctio à poſteriori, ex illis reſpectibus, ſaltem vnibilitatis, quia intellectualitas vtriuſque, fortè eiuſdem rationis eſt.

Scoti ſententia.

DIco tunc ad quæſtionem, quòd quicquid eſt potens agere, eſt aliquod ens habens actum primum, & prior eſt ſibi ſecundùm naturam ratio actus primi ſecundùm ſe, quàm in comparatione ad actum ſeeũdum, cuius poteſt eſſe principium, ita quòd licèt illud, quo tale ens eſt principium actus ſecundi, non ſit aliud à natura ſua: non tamen prima entitas ſua eſt natura ſua, vt eſt principium talis actus ſecundi: ſed natura ſua, vt in ſe eſt hæc: & ita prima diſtinctio entis, non eſt per naturam ſuam, inquantùm eſt principium talis operationis: ſed per naturam ſuam, vt hæc natura; licèt per identitatem ipſa ſit principium talis actus ſecundi. 4

Ita dico in propoſito, quòd licèt natura Angelica ſit principium intelligendi, & volendi, & anima ſimiliter: ita quòd iſtæ potentiæ nihil dicunt eſſentiæ animæ additum: tamen primum hîc, & ibi eſt hæc natura, & illa natura ad ſe: & iſta diſtinctio prima eſt, ad quam ſequitur illa diſtinctio principiorum operandi, ſiue eiuſdem actus, ſiue operationum aliarum. Quia enim eſt hæc natura, ideò eſt principium talis operationis, & non è contrario. Exemplum huius eſt, Sol habet virtutem generandi multa miſta inferiùs, & ſi quæras primam rationem diſtinctionis Solis à planta, non eſt prima ratio diſtinctionis vnius ab alio, per potentiam generandi plantam ex parte Solis, quia ſi illa potentia communicaretur alij, non propter hoc illud eſſet Sol, nec diſtingueretur à planta ea diſtinctione, qua Sol diſtinguitur. Prima ergo ratio diſtinguendi eſt, quia forma Solis eſt talis forma; & forma plantæ eſt talis: & ad hanc ſequitur, quòd iſta forma poteſt eſſe principium talium operationum, & alia non.

Ita dico in propoſito, quòd quia Angelus eſt talis natura ad ſe, & anima talis natura ad ſe, ideò primò diſtinguuntur ſpecie non quidem ſicut duæ ſpecies, ſed ſicut ſpecies, & pars ſpeciei: quia anima non eſt propriè ſpecies, ſed pars ſpeciei: & tamen ipſa eſt prima ratio diſtinguendi ſuam ſpeciem (cuius pars eſt) ab Angelo, & ideò prima ratio diſtinctionis ſpecificæ ex parte ſpeciei ſuæ eſt in ipſa. 5

Intellectualitas Angeli & animæ eſt eiuſdẽrationis, & idem eſt de viſu aquilæ & bouis, ſed hoc vt dubium relinquit.

Poteſt etiam [b] addi (licèt non ſit neceſſarium pro ſolutione quæſtionis) quòd intellectualitas Angeli, inquantùm intellectualitas, non differt ſpecie ab intellectualitate animæ, inquantùm intellectualitas, hoc eſt, quòd licèt iſte actus primus, & ille differant ſpecie, vt conſiderantur abſolutè in ſe; non tamen ſecundùm illam perfectionem, quam virtualiter continent, ſecundùm quam ſunt principia actuum ſecundorum. Quod videtur per hoc, quòd ſunt circa obiecta eiuſdem rationis, & ad obiecta eiuſdem rationis Simile huius eſt, quia ſi anima bouis, & aquilæ differunt ſpecie: non tamen propter hoc vis viſiua hîc & ibi, inquantùm talis perfectio, & talis, differunt ſpecie.

Iſtud autem eſt benè impoſſibile, quòd continentia aliqua differunt ſpecie, & tamen contenta non differunt ſpecie; ſicut paſſiones entis continentur per indẽtitatem in entibus quantumcunque diſtinctis: & tamen illæ paſſiones in eis non diſtinguuntur ſpecie. Vnitas enim lapidis, quæ non eſt realiter aliud à lapide: & vnitas hominis, quæ eſt realiter eadem homini, non ita diſtinguuntur formaliter ſpecie, ſicut homo & lapis: imò hæc vnitas, & illa, tantùm videntur differre numero.

Hoc etiam declaratur per aliud, quia ſicut in eodem poſſunt contineri per identitatem illa, quorum eſt diſtinctio formalis quaſi ſpecifica; ſicut in eadem anima includuntur

includuntur perfectiones intellectiuæ,& ſenſitiuæ, quæ ita ſunt diſtinctæ formaliter, ſicut ſi eſſent duæ res:ita & ècontrariò , poteſt aliquid indiſtinctum formaliter contineri in diſtinctis. Et ſi hoc eſt verum,tunc planum eſt,quòd Angelus & anima ſic non diſtinguuntur ſpecie primò per talem,& talem intellectualitatem imò nec primò,nec non primò:quia talis intellectualitas in eis,non diſtinguitur ſpecie. Aut ſi iſtud non eſt verum,ſed relinquatur iſtud modò, ſicut dubium ſaltem primum dictum videtur ſatis clarum,ſcilicet quòd per iſtud non eſt prima diſtinctio eorum.

6. [c] Ad primum argumentum principale,poteſt concedi, quòd eſſentiæ Angeli, & animæ,poſſunt differre ſpecie:& non tamen potentiæ, ſi illud dictum vltimum in ſolutione ſit verum:& tunc illud argumentum non procedit. *Ad arg.1. Stat fortè eſſentias diſtingui ſpecie quarũ potentiæ ſunt eiuſdẽ ſpeciei.*

Vel poteſt dici, quòd potentiæ differentes ſpecie ex parte fundamenti,non tamen ex parte obiecti, poſſunt habere actus differentes ſpecie,inquantum illi actus dependent à fundamento illius potentiæ : licèt iſti ſint eiuſdem ſpeciei inquantùm dependent ab obiectis. Et tunc concederetur [d] quòd intellectio Angeli,& hominis de eodem intelligibili, ex parte obiecti,eſt eadem ſpecie: ex parte autem fundamenti, inquantùm fundamentum eſt potentiæ ratio agendi,ſunt alia ſpecie, & tunc oporteret concedere, quòd operationes ſimpliciter differunt ſpecie, quia illa identitas ſecundùm *quid* ex parte obiecti ſimpliciter non eſt identitas in ſpecie : ſed alia diuerſitas ſimpliciter eſt diuerſitas, & identitas ſecundùm *quid*. Quæcunque enim differentia ſufficit ad diſtinguendum : ſed non quæcunque identitas ſufficit ad perfectam identitatem aliquorum. Et tunc videtur ſequi illud inconueniens, quod illatum eſt contra ſecundam opinionem de actibus beatificis. Niſi fortè diceretur, quòd tota cauſa actus beatifici eſt obiectum,& quod potentiæ ſe habeãt ibi reſpectu illius actus, vt tantùm receptiuæ & paſſiuæ: & receptiua non diſtinguunt formas receptas in ſpecie,ſicut patet de albedine in lapide,& in ligno. *De hoc 1. d. 3. qu. 8. vbi habet intellectum eſſe actiuũ.*

Ad ſecundum, & ad omnes auctoritates conſimiles patet per iſtam auctoritatem Auguſt. *Anima ſola veritate prima formatur* : propter hoc quidem nihil ſuperius eſt anima. Verum enim eſt in ratione obiecti,in quo quieſcit,& quo ad hoc par eſt ipſa anima Angelo,quia nulla natura intellectualis poteſt quietari niſi in obiecto infinito : & ita intelligenda eſt illa auctoritas,& omnes ſimiles. *Ad 2. Quære Bonau. hîc & Var. diſt. 6. huius q. 1.*

[f] Ad tertium,concedi poteſt,quòd quodlibet indiuiduum vnius excedit quodlibet indiuiduum alterius. Sed quod ſit illud , non oportet explicare ante tertium librum , comparando animam Chriſti ad naturam Angelicam. Et concedendum eſt totum argumentum vſque ad illud,quod tota capacitas naturæ ſatiatur in beatitudine. Illa enim propoſitio non eſt vera,loquendo de capacitate merè naturali : præcisè enim ſatiatur ſecundùm proportionem ad merita communiter loquendo , & in hoc ſatiatur ſufficienter appetitus deliberatiuus. Qualiter autem ſtare poteſt perfecta beatitudo ex ſola tali ſatietate , etiamſi appetitus naturalis poſſit eſſe ad vlteriorem perfectionem non habitam,poterit tractari aliàs in materia de beatitudine. *Ad 3. diſt. 13. & 14. In 4. diſt. 49. q. 11. & diſt. 50. q. 5. & 1. diſt. 1. & in 3. vbi ſuprà.*

COMMENTARIVS.

1 *Reſponſio ad quæſtionem.* a *Dico tunc ad quæſtionem.* Hîc Doctor reſpondendo ad quæſtionem , duas conclu. ſiones principales innuere videtur. Prima,quòd dictinctio ſpecifica accipitur à natura,vt eſt prior potentia productiua,ſiue operatiua.

Secunda,quòd iſta ſtant ſimul, quòd duæ naturæ ſpecie diſtinctæ ad inuicem, habeant potentias eiuſdem ſpeciei,vel ſaltem non diſtinctas ſpecie. Et prima concluſio priùs declaratur ; cuius declaratio,etſi ſit ſatis aperta,tamẽ pro iuniorib. declaro eam de propoſitione in propoſitionem. *Duplex actus 1. & 2. Potentia duplex 1ſt.* Ibi , *Quicquid eſt potens agere, eſt aliquod ens habens actum primum*, &c. Pro intelligentia huius literæ nota, quòd actus primus aliquando accipitur pro entitate dante eſſe formaliter alicui;ſicut dicimus, quòd anima eſt actus corporis, &c. & de iſto non loquitur hic Doctor: aliquando accipitur actus primus pro principio productiuo, ſiue pro potentia productiua,ſiue actiua;quæ potentia productiua, ſiue actiua ; quæ potentia ad-

huc eſt duplex , ſcilicet abſolutè ſumpta , de qua Ariſtoteles loquitur 5. *Metaph. text. com. 27.* Et 9. *Metaphyſic. text. com. 2.* & aliquando accipitur pro potentia propinqua, quæ includit omnia neceſſaria ad actionem , & excludit omnia impedimenta ; de qua Ariſtoteles loquitur 9. *Metaph. cap. 4. text. com. 10. Quoniam*, inquit, *aliquid poſſibile, & quando, & quomodo , & quæcunque alia neceſſe eſt adeſſe in definitione*, & ſubdit, *tales potentias, ſcilicet irrationales , neceſſe eſt , vt poſſint quando paſſiuum , & actiuum approximantur hoc quidem facere , illud verò pati.* Vide ibi , & Comment. Actus ergo primus iſto ſecũdo modo accipitur in comparatione ad actum ſecundum, ita quòd potentia operandi eſt actus primus , & operatio eſt actus ſecundus , & de iſto intelligit Doctor.

2. *Actus & potentia multipliciter accipiuntur.* Nota ſecundò , quòd potentia operandi , ſiue ratio formalis agendi,aliquando nominat potentiam, aliquo modo diſtinctam à natura cuius eſt,

vt patet de intellectu, & voluntate in anima noſtra; aliquando nominat tantùm naturam, quia natura vt talis natura, eſt ratio formalis agendi; ſicut dicimus,quòd humanitas in Socrate eſt ratio formalis generandi in ipſo Socrate, & vtraq; potentia dicitur actus primus, Doctor autem hîc intendit de principio productiuo aliquo modo diſtincto à natura, cuius eſt, & quia tale principium eſt poſterius natura, cuius eſt, & quia tale principium eſt poſteriusnatura,cuius eſt,ſequitur, quòd non erit prima ratio diſtinguendi naturam; ſed natura in ſe eſt, vt eſt talis entitas, eſt diſtincta ab alia:& ſic anima intellectiua, vt talis natura eſt diſtincta à natura Angeli,non vt eſt potentia intellectiua,vel volitiua;quia licèt illæ potentiæ ſint ipſa anima realiter, tamen ſecundùm rationem ſunt poſteriores,& aliquo modo ex natura rei diſtinctæ ab ipſa, vt infrà patebit *in iſto ſecundo,diſt.16.*

4. *Poſſunt conciliari ſic quatuor viri,nam prima rationes horum trium Doctorum ſunt à poſteriori, ratio verò Scoti eſt à priori.*

Si etiam accipitur potentia ſecundo modo pro natura, quæ eſt immediatè tota ratio formalis agendi, adhuc poteſt diſtingui in naturam abſolutè ſumptam;& in naturam ſub illa ratione, qua eſt principium agendi. Primo modo,eſt ratio diſtinguendi ſpecificè, & non ſecundo modo, quia primo modo conſiderata eſt prior ſeipſa,ſecundo modo conſiderata; & vterque ſenſus eſt ad propoſitum Doctoris: & ex his declaratis ſatis patet litera Doctoris pro iſta prima concluſione.Et addit vnum, quòd quia *A* eſt talis natura, ideò eſt ſic,vel ſic principium operandi, ita quòd principium ſic, vel ſic operandi dicitur tale, quia eſt talis naturæ, & per conſequens prior eſt ratio naturæ in ſe, quàm ſit ratio principij, & in tali priori habet vnde ſpecificè diſtinguatur à quolibet alio.

Secunda concluſio.

Secunda concluſio eſt ibi, *Poteſt etiam addi,* &c. *Anima inquantum intellectualitas.* Vult dicere Doctor quòd potentia intellectiua Angeli, quæ eſt immediatum principium intelligendi, & potentia intellectiua animæ,non differunt ſpecie,licèt Angelus,& anima inter ſe differant ſpecie:& iſta litera poteſt habere duplicem ſenſum.

Quomodo intellectus angeli, & animæ poſſint eſſe eiuſdē ſpeciei.

Primus, quòd potentia intellectiua ſit aliquo modo diſtincta ab Angelo, & anima. Secundus, quòd ipſa anima formaliter, & realiter ſit ipſa potentia intellectiua,& ſimiliter Angelus. In primo ſenſu ſic debet accipi, quòd intellectus Angeli, & animæ poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei, licèt Angelus, & anima differant ſpecie. In ſecundo ſenſu ſic debet accipi, quòd Angelus, & anima ſub illa ratione, quâ ſunt immediatum principium intelligendi, non diſtinguantur ſpecie, licèt Angelus, & anima, vt abſolutè conſiderantur, inquantùm ſcilicet ſunt tales, vel tales naturæ, & ſic ſpecie diſtinguantur. Probat modò Doctor quòd tales potentię non differant ſpecie, quia potentiæ, quæ ſunt circa obiecta eiuſdem rationis, & determinantur ad obiecta eiuſdem rationis,videntur eſſe eiuſdem rationis; ſed intellectiua Angeli, & potentia intellectiua animæ ſunt circa obiecta eiuſdem rationis:patet,quia eſt idem obiectum penitus intellectus Angeli, & animæ, loquendo ex natura intellectus, vt ſatis patet à Doctore *in 1.diſt.3.q.3. & in quolib. q.14.* Potentiæ enim videntur ſimpliciter diſtingui per hoc, quòd eis aſſignantur diſtincta obiecta; quia ſicut actus diſtinguuntur per obiecta,& potentiæ per actus ſequitur vltimatè, quòd illæ potentiæ, quæ habent idem obiectum ſint eiuſdem rationis. Et in tota iſta litera intendit probare, quòd ſtat aliquas naturas ſpecie diſtingui, quarum potentiæ ſunt eiuſdem ſpeciei; & ſic quamuis anima bouis,& aquilæ differant ſpecie,tamen vis viſiua in vtraque nõ differt ſpecie. Probat etiam ex hoc, quòd ſicut in eodem ſpecie,& numero diſtincto poſſunt contineri per identitatem plura ſpecie diſtincta,vt patet in anima intellectiua, in qua continentur per identitatem intellectus, & voluntas, & virtus viſiua, & auditiua, quæ videntur ſpecie diſtingui;ergo ſtat etiam, quòd in aliquibus ſpecie diſtinctis per identitatem aliqua contineantur,quæ nullo modo ſpecie diſtinguantur ab inuicem. E iſta litera eſt ſatis clara.

Eſt idem obiectum intellectus Angeli, & animæ.

5. *Dubia. Prima difficultas.*

Suſtinendo quæ dicit Doctor in iſta litera,non nulla occurrunt dubia. Primò in hoc, quod dicit, quòd *intellectus animæ, & intellectus Angeli non videntur ſpecie differre, quia ſunt circa obiectum eiuſdem rationis*, ſed ſi hoc eſt verum, ſtatim videtur ſequi contradictio in dictis eius. Supponendo aliqua dicta eius in diuerſis locis. Primum, *intellectus, & voluntas, etiam in diuinis ſunt alterius, & alterius rationis*, vt patet, *in primo diſtinctione 2.parte 1.quæſtione 2. & diſtinctione 6. & 13. & in quolibet. quæſtione 2. & alibi.* Secundò ſuppono, quòd dicit *in primo diſtinctione 3. quæſtione 3. & in quarto, diſtinctione 49.* quòd *intellectus, & voluntas habent idem obiectum ſimpliciter ſub eadem ratione formali; & ſunt circa idem obiectum ſub eadem ratione formali*, & ſic videtur, quòd intellectus, & voluntas ſint eiuſdem ſpeciei, & rationis, ſi illa ratio valet de intellectu Angeli, & intellectu animæ, qui dicuntur eiuſdem rationis, quia circa obiectum eiuſdem rationis. Ex iſta etiam litera videtur ſequi, quòd fruitio in via, & in patria ſint penitus eiuſdem rationis, quia ſimpliciter ſunt circa idem obiectum, ſub eadem ratione conſideratum, quia circa Deum ſub ratione Deitatis, & tamen ipſe vult expreſsè, quòd fruitio in patria, & fruitio in via ſpecie differant, vt patet ab ipſo *in tertio diſtinct. 31. & in quarto, diſtinctione 49.* Videtur etiam ſequi, quòd cognitio Deitatis in via, loquendo de cognitione diſtincta ipſius, qualem habuerunt Angeli in ſua creatione, vt notat Doctor *in ſecundo diſtinctione 3.* & cognitio in patria, non differant ſpecie: quia ſunt circa idem obiectum ſub eadem ratione formali, videlicet circa Deum ſub ratione Deitatis, & tamen iſtæ duæ cognitiones differunt ſpecie, quia vna eſt abſtractiua, & alia intuitiua: & quòd tales differant ſpecie, patet à Doctore *in iſto ſecundo, diſtinct.25.*

6. Secundò principaliter dubitatur in hoc, quod dicit, quòd *intellectus Angeli, & intellectus animæ ſunt eiuſdem ſpeciei, licèt Angelus, & anima differant ſpecie*; quia ſi hoc eſt verum, videtur ſibi contradicere, quia in iſta quæſtione reprobando opinionem Alexandri, dicit quòd ſi iſti duo intellectus differrent ſpecie, tunc viſio Angeli beatifica, & viſio animæ beatifica differrent ſpecie: quia eſſent immediatè à diſtinctis ſpecie, ſaltem partialiter. Pariformiter arguo hîc, præſupponendo propoſionem Doctoris *in prologo,quæſtione penultima,& quæſtione prima quodlibetorum,* quòd qualis eſt ordo inter aliqua vbi realiter diſtinguuntur, talis eſt, vbi tantùm tatione diſtinguuntur; modò ſi intellectus Angeli, & intellectus animæ eſſent verè cauſati ab

ab Angelo,& anima, vt à diſtinctis ſpecie ad inuicem ſpecie diſtinguerentur. Patet, quia ſuprà dixit,quòd viſio Angeli, & animæ beatifica differrent ſpecie, ſi eſſent ab intellectu Angeli, & intellectu animæ, vt à ſpecie diſtinctis; ſequitur ergo, quòd vbi intellectus ſola ratione differt ab Angelo, vel anima, quòd ſecundùm rationem differrent ſpecie, quia & ſecundùm rationem eſſent cauſati à diſtinctis ſpecie: patet,quia ab ipſo Doctore ponitur hîc, & infrà *diſtinctione* 16. quòd intellectus eſt perfectio pullulans ſuo modo à natura, cuius eſt intellectus; & vult, quòd anima ex ſua perfectione contineat vnitiuè intellectum, vt ſuprà patuit in quæſtione immediatè præcedenti, & infrà *diſtinctione* 16. quæ continentia non tantùm dicit rationem materiæ, ſed etiam quandam originationē, vt ibi expoſui.

Quomodo anima contineat intellectum.

Secundò, ſi intellectus Angeli, & intellectus animæ ſunt eiuſdem ſpeciei,& ſunt idem realiter ſuis fundamentis, ſtatim videtur ſequi ſimpliciter maior diſtinctio, & eſſentialis diſtinctio inter Angelum, & animam, qualis non erit inter perfectiones per realem identitatem in eis contentas, quod non videtur verum, quia & apud Doctorem quæ realiter diſtinguuntur, etiam eſſentialiter diſtinguuntur;cùm ergo Angelus, & eius intellectus ſint penitus vna res realiter,& intellectus animę,& ipſa anima ſint vna res penitus realiter, ſequitur, quòd inter duas res realiter eſſet diſtinctio eſſentialis, & ſpecifica, & tantùm eſſet diſtinctio realis, & numeralis, & nullo modo ſpecifica.

7.
Quæ realiter diſtinguuntur, etiam eſſentialiter diſtinguuntur.

Tertiò principaliter occurrit dubium in hoc, quod dicit, quòd *in eodem poſſunt contineri per identitatem illam, quorum eſt diſtinctio formalis quaſi ſpecifica*; quia ſi hoc eſt verum, ſtatim videtur ſibi contradicere. Supponendo aliqua dicta ipſius. Primum, quòd ideò viſio beatifica Angeli, & viſio beatifica animæ non differunt ſpecie, quia partialiter ſunt cauſatæ ab intellectu Angeli, & animæ, quæ non differunt ſpecie. Secundò præſuppono illam propoſitionem ſupradictam, videlicet *qualis eſt ordo inter aliqua, vbi diſtinguuntur realiter*, &c. Iſtis præſuppoſitis arguo ſic, ſi *A*, & *B*, inter ſe formaliter diſtincta, eſſent verè cauſata à *C*, quod tantùm eſt vnum ſpecie,eſſent eiuſdem ſpeciei. Patet per primam propoſitionem de viſione beatifica, loquendo ſemper de cauſis præciſis, ſiue totalibus, ſiue partialibus; ergo talem ordinem habebunt, vbi ſunt cauſata tantùm ſecundùm rationem, quòd erunt eiuſdem ſpeciei: ſi ergo potentia intellectiua,& ſenſitiua eſſent immediatè cauſatæ ab anima intellectiua, eſſent eiuſdem rationis, ergo & modò, vbi tantùm ſunt cauſatæ ſecundùm rationem. Si dicatur, quòd ſi eſſent realiter diſtinctæ, & verè cauſatæ ab intellectiua, & tamen eſſent ſpecie diſtinctæ,quia ab vno ſpecie indiſtincto poſſunt eſſe plura ſpecie diſtincta: ſed ſi hoc eſt verum, tunc argumentum Doctoris non concludit, vbi arguit, quòd ſi viſio beatifica Angeli, & viſio beatifica animæ eſſent partialiter ab alio, & alio intellectu ſpecie diſtincto, de neceſſitate ſpecie diſtinguerentur, & quòd modò ſpecie non diſtinguantur, hoc eſt, quia ſunt ab alio, & alio intellectu tantùm numeraliter diſtincto. Si hoc argumentum Doctoris concludit, & argumentum de potentiis ſupradictum concludere videtur.

Difficultas tertia.

Quartò principaliter dubitatur in hoc, quod dicit, quòd *ſicut in eadem anima includuntur perfectiones intellectiuæ, & ſenſitiuæ, quæ ita ſunt diſtinctæ formaliter, ſicut ſi eſſent duæ res, ita & è conuerſo, poteſt aliquid indiſtinctum formaliter contineri in diſtinctis*; nam ſi hoc eſt verum ſtatim ſibi videtur contradicere,quia illa indiſtincta formaliter, quæ ponuntur per identitatem in diſtinctis ſpecie, non poſſent poni contineri per identitatem, niſi de neceſſitate naturæ, ſaltem ſecundùm rationem originarentur, vt ſuprà expoſui in quæſtione immediatè præcedente, & ſi eſſent realiter originatæ, eſſent alterius ſpeciei, quia immediatè eſſent à diſtinctis ſpecie; ergo & modò vbi ſecundùm rationem originantur, diſtinguuntur ſpecie. Patet conſequentia per illam propoſitionem, *qualis eſt ordo*, &c. Deinde non videtur ſequi, quòd ſi aliqua ſpecie diſtincta continentur per identitatem in aliquo vno ſpecie indiſtincto, quòd aliqua ſolo numero differentia contineantur in aliquibus per identitatem ſpecie diſtinctis; quia in primo caſu videtur, quòd plura alterius rationis poſſint ſaltem ſecundùm rationem cauſari ab vno penitus indiſtincto, vt patet de multis perfectionibus, quæ ſunt ab eſſentia diuina:ſed non ſic ſequitur, quòd à ſpecie diſtinctis poſſint eſſe plura per identitatem ſolo numero differentia.

8
Quarta difficultas.

Reſpondeo ſingillatim ad omnes difficultates, & primò ad primam,ſuſtinendo, quòd intellectus Angeli, & intellectus animæ ſint eiuſdem ſpeciei, licèt anima, & Angelus differant ſpecie, quòd inſtantia facta contrà non concludit, niſi in iſto caſu, videlicet, quòd ſi identitas obiecti eſſet præciſa cauſa identitatis potentiarum, tunc bene ſequeretur, quòd intellectus, & voluntas, quæ reſpiciunt omnino idem obiectum, eſſent eiuſdem ſpeciei; nec ſecundùm veritatem, nec ſecundùm Doctoris intentionem, hæc eſt præciſa cauſa. Nam Doctor hîc arguit quaſi à poſteriori, & per locum extrinſecum, quia communiter potentiæ reſpicientes idem obiectum, ſunt eiuſdem rationis, & non loquitur abſolutè, de quibuſcunque potentiis, ſed tantùm loquitur de potentiis eiuſdem generis, videlicet cognitiuis; nec de omnibus ſimpliciter cognitiuis; quia de non ſubordinatis, quarum differentia ſumitur aliunde, quàm de obiectis. Nam potentia viſiua,& phantaſia differunt ſpecie, & tamen vtraque poteſt eſſe eiuſdem obiecti etiam ſecundùm numerum, vt patet, & ſimiliter intellectus, & phantaſia differunt ſpecie, & tamen intellectus vt intellectus poteſt cognoſcere idem obiectum, & ſub omni ratione; ſub qua cognoſcitur à phantaſia, vt patet *in primo*, *diſtinctione* 3. *quæſt.* 3. & ſic identitas obiecti non eſt præciſa cauſa identitatis potentiarum, loquendo de quibuſcunque potentiis. Sed ſi habet veritatem, hoc erit verum de potentiis,quarū vna non ſubordinatur alteri, & quarum vna non præſupponit de neceſſitate actionem alterius; ſicut voluntas præſupponit de neceſſitate actionē intellectus; & ideò ſuſtinendo poſitionem,habemus dicere, quòd duæ potentiæ viſiuæ quantumcunque in diuerſis ſpeciebus,erūt eiuſdem ſpeciei; quia tales potētiæ ſic ſe habent, quòd vna non ſubordinatur alteri,nec vna de neceſſitate, vt poſſit agere præſupponit actionem alterius, ideò iudicamus eſſe eiuſdem

9
Reſponſio ad primam difficultatem.

Quomodo ratio Scoti ſit à poſteriori.

ſpeciei, quia illæ ſunt eiuſdem obiecti, & ſub eadem ratione conſiderati. Econtrario dicimus quòd potentia viſiua, & potentia auditiua, etiam vt ſunt in eodem ſuppoſito differunt ſpecie, nec tamen vna ſubordinatur alteri, cùm ſint ſeparatæ, nec vna de neceſſitate, vt poſſit habere operationem propriam, præſupponit operationem alterius. Dicimus ergo ipſas ſpecie diſtingui: quia eſt impoſſibile quòd poſſint eſſe eiuſdem obiecti, nec ſub eadem, nec ſub alia ratione conſiderati. Intelligitur ergo propoſitio Doctoris de potentiis non ſubordinatis, nec quarum vna in operando præſupponat operationem alterius. Et quamuis potentiæ diſparatæ differant ſpecie ſuis rationibus formalibus: quia tamen de neceſſitate ſunt diſtinctorum obiectorum, propter talem diſtinctionem arguimus ipſas ſpecie diſtingui, & ſic debet intelligi Ariſtoteles 2. de Anima vbi ſuprà: & ſimiliter duæ potentiæ non diſparatæ, nec vna ſubordinata alteri in operando, vt duæ potentiæ viſiuæ ſunt eiuſdem ſpeciei ſuis rationibus formalibus, quæ tamen identitas propter obiecti identitatem, quaſi à poſteriori cognoſcitur, & ſic debet intelligi Ariſtoteles vbi ſuprà.

Contex. 33.

10 *Quomodo fruitio in patria, & in via differat.*

Et quòd dicitur de fruitione in patria, & fruitione in via, quòd tunc non differrent ſpecie cùm ſint eiuſdem obiecti. Dico, quòd verum eſſet, ſi idem obiectum eſſet eodem modo præſens. Sed alia, & alia præſentia obiecti poteſt cauſare ſaltem partialiter fruitionem alterius, & alterius rationis. Et ſic fruitio in patria, quia eſt ab obiecto in ſe præſente, vel ab alio perfectè ſupplente vicē obiecti in ſe præſentis, differt ſpecie à fruitione in via, quæ reſpicit idem obiectum, non in ſe præſens, ſed tantùm in aliquo repræſentatiuo, vt puta in aliqua ſpecie intelligibili, vt dicit Doctor de Angelis infrà *diſtinct. 3. q. 10.* qui habent Deum præſentem in ratione obiecti intelligibilis per ſpeciem intelligibilem; viatoribus tamen de communi lege ipſe Deus eſt præſens per reuelationem, ſiue per fidem infuſam, ſiue acquiſitam; & ſic fruitio in via, & in patria differunt ſpecie: & hoc modo intelligit Doctor *in tertio diſtinct. 3. & in quarto, diſtinct. 49.* Dico ſecundò, quòd fruitio in patria, & fruitio in via ſunt ſimpliciter cauſatæ à diuerſis ſpecie diſtinctis, ſuſtinendo, quòd obiectum, vel cognitio obiecti ſit cauſa ſaltem partialis fruitionis, de quo infrà patebit *diſt. 15.* & tunc fruitio in via tantùm partialiter cauſatur à cognitione abſtractiua ipſius Dei, & in patria tantùm ab ipſo Deo in ſe præſente, vel à ſupplente, &c. vel forte à viſione Deitatis: & tamen cognitio in via differt ſpecie ab ipſo Deo. vel à ſupplente vicem, & à viſione Dei in ſe.

Quomodo Deus ſit præſens viatoribus.

Ad aliud de cognitione intuitiua, & abſtractiua eiuſdem obiecti, patet reſponſio ex his, quæ dixi de fruitione in via, & in patria, nam propter eaſdem cauſas cognitio intuitiua, & abſtractiua obiecti eiuſdem ſpecie differunt.

11 *Reſponſio ſecunda difficultatis principalis.*

Ad ſecundam difficultatem principalem, quæ eſt minoris ponderis. Reſpondeo, ſuſtinendo iſtam opinionem, quòd intellectus Angeli; & animæ non differunt ſpecie. Et antequam reſpondeam ad inſtantias, pro clariori intelligentia aliqua præmitto. Primò, quòd hæc propoſitio non eſt vniuerſaliter vera, *cauſata à diuerſis ſpecie diſtinctis de neceſſitate differunt ſpecie, ſiue ſint cauſata totaliter, ſiue partialiter.* Patet, quia calor cauſatus à Sole, & calor cauſatus ab igne, ſunt eiuſdem ſpeciei, & tamen cauſæ differunt ſpecie, & ſimiliter mus cauſatus per propagationem, ſiue vniuocè, & mus cauſatus per putrefactionem, ſiue æquiuocè, ſunt eiuſdem ſpeciei, & tamen vt ſic de neceſſitate ſunt à cauſis ſpecie diſtinctis, vt clarè patet à Doctore *in 1. diſt. 2. parte 2. quæſt. 2. in reſponſione ad primum argumentum principale.*

Secundò præmitto, quòd iſta propoſitio non eſt vniuerſaliter vera. *Cauſata ſiue partialiter, ſiue totaliter ab eadem cauſa, & ſub eadem ratione formali, & ſpecifica ſunt eiuſdem ſpeciei.* Nam patet per inſtantiam, quia idem ſub eadem ratione formali poteſt cauſare immediatè ſpecie diſtincta, & quantò cauſa eſt vniuerſalior, & illimitatior, tantò eadem omnino ex natura rei indiſtincta, poteſt plura ſpecie diſtincta cauſare.

Tertiò præmitto, quòd ſunt aliquæ entitates, quæ ex rationibus ſuis formalibus ſic ſe habent, quòd ſemper ſpecie differunt, à quibuſcunque cauſis cauſentur, ſiue à cauſis eiuſdem rationis, ſiue à cauſis alterius rationis, vt patet de mure, ſiue per propagationem, ſiue per putrefactionem cauſato; & de veſpa, ſiue per propagationem, ſiue per putrefactionem cauſata. & ſimiliter ſunt aliquæ entitates, quæ ex ſuis rationibus formalibus ſic ſunt eiuſdem ſpeciei, quòd quantumcunque à diuerſis ſpecie cauſentur, adhuc erunt eiuſdem ſpeciei, vt patet de mure cauſato ab alio mure, & cauſato à Sole.

Quartò præmitto, quòd ſunt aliquæ cauſæ quantumcunque diuerſæ; quæ tantùm ſunt natæ cauſare immediatè aliquas perfectiones eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, vt patet de Sole, & homine, quæ ſunt cauſæ boniratis entitatiuæ, quæ bonitates tam in homine, quàm in Sole ſunt ſimpliciter eiuſdem ſpeciei; & aliquæ ſunt cauſæ, ſiue naturæ, quæ quantumcunque indiſtinctæ etiam numero, ſunt de neceſſitate cauſæ, vel quaſi cauſæ aliquarum perfectionum ſpecie diſtinctarum, vel ſaltem alterius rationis ſpecificæ, vt patet de anima intellectiua, quæ eſt quaſi cauſa originatiua intellectus, & voluntatis, potentiæ viſiuæ, auditiuæ, &c. quæ de neceſſitate ſunt alterius, & alterius rationis.

Quintò præmitto, quòd aliquæ ſunt potentiæ, 12.
quæ comparantur ad operationes proprias, quibus operationibus nullum productum correſpondet extrà, & aliquæ comparantur ad actiones, quibus producta correſpondent extrà. Exemplum primi, intellectus reſpectu ſuæ intellectionis. Exemplum ſecundi, potentia calefactiua in igne reſpectu ligni calefactibilis. Potentiæ primo modo, ſi non ſunt ſubordinatæ, nec vna in operando præſupponit de neceſſitate operationem alterius, & reſpiciunt idem obiectum ſub eadem ratione conſideratum, ſunt productiuæ operationum eiuſdem rationis: & tales potentiæ, quæ ſic reſpiciunt idem obiectum ſub eadem ratione, & non ſunt ſubordinatæ, &c. ſunt communiter eiuſdem ſpeciei; & ſic intellectus Angeli, & intellectus animæ, quia ſunt potentiæ non ſubordinatæ, nec vna in operando de neceſſitate præſupponit alterius operationem, & poſſunt eſſe reſpectu vnius, & eiuſdem obiecti ſimplicicer ſub eadem ratione conſiderati, erunt eiuſdem ſpeciei; & operationes earum propriè erunt eiuſdem ſpeciei, quarum operationum identitas, propter duo iudicatur, ſiue arguitur, videlicet propter identi-

Exemplum.

tatem

titatem obiecti ; & quia ſunt à talibus potentiis merè actiuis, ſiue operatiuis, (quod dico propter potentias factiuas) quæ ſic ſe habent, quòd nec vna ſubordinatur alteri, nec operatio vnius præſupponit de neceſſitate operationem alterius. Sed ſi tales operationes eſſent à potentiis ſpecie diſtinctis, de neceſſitate eſſent ſpecie diſtinctæ, vt patet de actu intellectus, & actu voluntatis, etiam circa omnino idem obiectum ; & ſimiliter patet de actu potentiæ viſiuæ, & de actu phantaſiæ etiam reſpectu eiuſdem obiecti, ſub eadem ratione conſiderati ; & ſi potentia viſiua, & auditiua, quæ ſunt potentiæ diſparatæ, poſſint operari circa idem obiectum, adhuc tales operationes eſſent ſpecie diſtinctæ; quia communiter hæc eſt vera, *operationes propriæ, quæ ſunt à potentiis operatiuis ſpecie diſtinctis, ſpecie diſtinguuntur; & quæ ſunt à potentiis operatiuis indiſtinctis ſpecie ſunt eiuſdem ſpeciei*, pro quanto dependent ab aliis potentiis, (Quod dico propter obiecta diſtincta ſpecie; quia quando tales operationes eliciuntur à potentiis ſpecie indiſtinctis partialiter, & ab obiectis ſpecie diſtinctis partialiter, ex parte obiectorum habent diſtinctionem ſpecificam, & ex parte potentiarum habent identitatem ſpecificam, ſaltem ſecundum quid.) Et hoc arguimus à poſteriori, & ab experimento.

13. Sed quare à potentiis operatiuis tantùm, ſi ſpecie diſtinguuntur, & operationes earum ſpecie diſtinguuntur, & ſi ſpecie non diſtinguuntur, nec ſimiliter operationes, & tamen à diuerſis naturis ſpecie diſtinctis poſſunt eſſe producta eiuſdem ſpeciei, & ab eadem natura numero poſſunt eſſe plura producta ſpecie diſtincta, nulla cauſa aſſignari poteſt, niſi quia ſunt tales entitates. *Quæ ſint formæ imperfectiores, & perfectiores.* Sicut etiam Doctor dicit, quòd aliquæ formæ imperfectiores ſunt actiuæ, vt elementares ; & aliquæ perfectiores non ſunt actiuæ, vt aliquæ formæ miſti, vt patet de miſtis inanimatis : & ſimiliter ſunt aliquæ formæ perfectæ, quæ ſunt generatiuæ, vt patet de homine, & aliquæ multò perfectiores, quæ nullo modo poſſunt generare ſibi ſimile in natura, vt patet de Intelligentiis, nulla à nobis poteſt aſſignari cauſa, niſi quia ſunt tales, & tales entitates, vt notat Doctor *in primo, diſtinctione 7. reſpondendo ad ſecundum argumentum principale* : ſic dico in propoſito de potentiis operatiuis, & naturis productiuis.

14 His præmiſſis, patet facilis ſolutio ad inſtantias. Et dico breuiter, concedendo propoſitiocem Doctoris ſancti. *Qualis eſt ordo inter aliqua diſtincta realiter*, &c. quòd ſi intellectus animæ, & intellectus Angeli eſſent realiter diſtincti, verè eſſent realiter cauſati, & modò : vbi ſunt ſola ratione diſtincti, ſunt ſecundùm rationem cauſati : & cùm infertur, ſi eſſent realiter cauſati, eſſent alterius, & alterius ſpeciei, negatur. Et cùm probatur per hoc, quòd eſſent à naturis ſpecie diſtinctis. Dico, vt ſuprà, quòd hæc non eſt præciſa cauſa, quòd ſpecie diſtinguantur, ſi ſunt à diſtinctis ſpecie, quia & à ſpecie diſtinctis poſſunt eſſe aliqua eiuſdem ſpeciei, vt dixi de mure, &c. Eſſent ergo intellectus, & intellectus eiuſdem ſpeciei, quia ſunt à tali, & tali naturà, quæ non ſunt natæ producere huiuſmodi perfectiones, vt ſpecie diſtinctas. Et cùm vltrà infertur de viſione beatifica Angeli, & de viſione beacifica animæ, quòd ſi eſſent à potentiis ſpecie diſtinctis, ſpecie diſtinguerentur: ergo hoc idē erit in propoſito. Dico quòd illa non eſt præciſa cauſa, quòd ſpecie diſtinguantur: quia plura eiuſdem ſpeciei poſſunt eſſe à diuerſis non tantùm ſpecie ; ſed etiam genere diſtinctis, vt ſuprà patuit de mure ab alio mure cauſato, & de mure cauſato à Sole : & aliqua ſpecie diuerſa poſſunt eſſe ab eadem cauſa etiam numero : cauſa ergo quare huiuſmodi viſiones ſpecie diſtinguerentur, nulla alia aſſignari poteſt, niſi quia ſunt à tribus potentiis operatiuis, quæ vt ſpecie diſtinguuntur, non ſunt natæ habere operationes proprias, niſi vt ſpecie diſtinctas. Et concedo, quòd ſi huiuſmodi operationes, quæ vt realiter diſtinctæ à potentiis ab inuicem ſpecie differunt, ſi tantùm ratione differrent ab illis potentiis, adhuc ſecundùm rationem eſſent cauſatæ vt ſpecie diſtinctæ : ſicut etiam intellectus Angeli, & intellectus animæ, ſi eſſent realiter diſtincti, ab Angelo, & anima eſſent ſimpliciter cauſati ; vt idem ſpecie propter cauſam ſuperiùs dictam; & vbi ſola ratione differunt, ſunt ſecundùm rationem cauſati vt idem ſpecie, & ſic patet ſolutio ad iſtam difficultatem, & ad omnes inſtantias, quas benè nota.

15 *Ad tertiam difficultatē.* Ad tertiam difficultatem patet reſponſio ex his, quæ dixi ad ſecundam difficultatem principalem. Concedo enim propoſitionem Doctoris *qualis eſt ordo*, &c. Concedo etiam, quòd ſi viſio beatifica animæ, & Angeli, eſſent à potentiis ſpecificè diſtinctis, quòd diſtinguerentur ſpecie; non quia vt ſunt præcisè à cauſis diſtinctis ſpecie ; ſed quia ſunt à talibus potentiis operatiuis, quæ vt ſpecie diſtinctæ natæ ſunt tantùm habere operationes ſpecie diſtinctas. Et concedo, quòd *A*, & *B*, quæ ſunt à *C*, diſtinguuntur ſpecie, & ſi eſſent realiter diſtincta à *C*, eſſent realiter cauſata à *C*, vt ſpecie diſtincta, & modò vbi tantùm ratione diſtinguuntur; concedo, quòd ſecundùm rationem ſunt cauſata, vt ſpecie diſtincta. Et cùm arguitur per locum ab oppoſitis, quòd quæ ſunt cauſata à ſpecie diſtinctis ſpecie diſtinguuntur, ergo quæ ſunt cauſata à cauſa eadem ſpecie ſunt idem ſpecie. Dico quòd locus ab oppoſitis in propoſito tenet in cauſis præciſis, vt patet primo Poſteriorum, de cauſa reſpirationis, &c. Sed hìc non arguitur à cauſis præciſis, quia diſtinctio cauſarum ſpecifica non eſt cauſa præciſa, quare aliqui effectus ſpecie diſtinguantur. Patet, quia cauſa eiuſdem ſpeciei, imò eadem numero eſt cauſatiua plurium ſpecie diſtinctorum, vt patet per experimentum : Nec ſimiliter identitas ſpecifica cauſæ eſt præciſa cauſa, quare plures effectus ſunt eiuſdem ſpeciei, quia effectus eiuſdem ſpeciei poſſunt eſſe à cauſis ſpecie diſtinctis, vt ſuprà dixi. Ex quo ergo non arguitur à cauſis præciſis, ideò non ſequitur, quòd ſi *A*, & *B*, ſunt à *C*, non diſtinguuntur ſpecie. Sed quare *A*, & *B*, ſic producuntur vt ſic ſpecie diſtincta, & *D*, & *E*, vt ſolo numero diſtincta producuntur ab *F* & *G*, vt ſpecie diſtinctis, cauſa eſt aſſignata ſuprà, reſpondendo ad ſecundam difficultatem principalem.

Locus ab oppoſitis tenet in cauſis præciſis.

16. *Ad quartam difficultatē.* Ad quartam, & vltimam difficultatem, patet reſponſio ex dictis ſuprà. Et applica quæ dixi, quia non oportet ea ampliùs replicare. Et cùm dicitur circa vltimum, quòd non videtur ſimile, quòd ſi aliqua diſtincta ſpecie poſſint contineri per identitatem in aliquo vno ſpecie indiſtincto, quòd aliqua duo ſolo numero differentia poſſint etiam

etiam contineri per identitatem in aliquibus ſpecie diſtinctis. Dico, quòd hæc ratio benè concluderet, ſi illa duo ſolo numero differentia; per identitatem continerentur in diuerſis ſpecie; ſic intelligendo, quòd *A*, & *B*, ſolo numero differentia, ſimul contineantur per identitatem in *C*, & ſimul contineantur in *D*, quæ *C* & *D*, ſpecie diſtinguuntur, quia tunc eſſet ſimpliciter impoſſibile, ſed quòd *A* contineatur per identitatem in *C* & *B*, ſimiliter contineatur identicè in *D*, tunc non tantùm eſt veriſimile, quòd ſi ſpecie diſtincta continentur per identitatem in aliquo vno ſpecie indiſtincto, quòd *A* & *B*, ſolo numero differentia, contineantur per identitatem in *C* & *D*, modo præexpoſito, ſed etiam eſt argumentum à fortiori, ſiue à minori ad maius: quia minùs videtur ineſſe, quòd duæ formalitates ſpecie diſtinctæ, vnitiuè contineantur in aliquo vno numero indiſtincto, quàm quòd duo ſolo numero differentia vnitiuè contineantur in duobus ſpecie diſtinctis, reddendo ſingula ſingulis; & hoc patet, quia magna fit altercatio de attributis diuinis, quòd ad inuicem formaliter diſtinguantur, & quòd ſint ex natura rei in eſſentia diuina, vt ſuprà patuit *in* 1. *diſtinct.* 8. *quæſt. penult.* & ſic patet ſolutio ad omnes difficultates ſupradictas, quam benè nota, & pondera, quia ad multa valet.

17 *Reſponſio Doctoris.*

c Ad primum. Reſpondet Doctor, & dat duas reſponſiones. Prima, quòd tales potentiæ ſunt eiuſdem rationis, & operationes illarum ſimiliter, quia circa idem obiectum, & hoc quantùm ad literam Ariſtotelis & Commentatoris. Sed vltrà non ſequitur, quòd ſi potentiæ ſunt eiuſdem rationis, quòd & eſſentiæ, in quibus fundantur ſint eiuſdem rationis; nec hoc habetur ab Ariſtotele. Tantùm enim habetur, quòd obiecti eiuſdem rationis ſunt operationes eiuſdem rationis, & iſtarum ſunt potentiæ eiuſdem rationis. *Secundo de anima cont. 33.* Secunda reſponſio eſt, quòd iſtæ potentiæ pro quanto fundantur in eſſentiis ſpecie diſtinctis diſtinguuntur ſpecie. Et ſi arguatur contrà, quia actus earum non differunt ſpecie, quia ſunt reſpectu vnius, & eiuſdem obiecti; ergo nec ipſæ potentiæ differunt ſpecie, per Philoſophum, vbi ſuprà. *Actus poſſit dupliciter cõſiderari.* Dicit Doctor quòd iſti actus poſſunt dupliciter conſiderari; vel inquantùm dependent à potentiis, vel inquantùm dependent ab obiecto. Primo modo actus diſtinguuntur ſpecie, quia, & fundamenta illorum, ſcilicet potentiæ diſtinguuntur ſpecie, & illæ potentiæ dicuntur ſpecie diſtingui, pro quanto ſunt fundatæ in eſſentiis ſpecie diſtinctis.

Quomodo intellectio Angeli, & hominis ſit eadem ſpecie.

d Secundo modo actus ſunt eiuſdem ſpeciei, quia vt ſic, dependent ab obiecto eiuſdem rationis; *& tunc conceditur, quòd intellectio Angeli, & hominis de eodem intelligibili ex parte obiecti, eſt eadem ſpecie; ex parte autem fundamenti, inquantùm fundamentum eſt potentia ratio agendi* (puta quia anima dat intellectui, vt ſit talis ratio agendi, non quòd ipſa anima ſit immediatè ratio agendi) *ſunt alia ſpecie: & tunc oporteret concedere quòd operationes*, &c. Vult dicere, quòd operationes, quæ ſunt à potentiis ſpecie diſtinctis, ſunt ſimpliciter diuerſæ in ſpecie, licèt dicantur eiuſdem ſpeciei, vt comparantur ad obiectum eiuſdem rationis: ſed talis identitas ſpecifica eſt tantùm ſecundum quid, quia tantùm ratione tertij, cui comparantur. Sequitur in litera, *quæcunque enim differentia ſufficit ad diſtinguendum*, &c. Vult dicere quòd ad concludendum aliqua eſſe alterius rationis, ſufficit etiam minima differentia alterius, & alterius rationis, ſicut patet de ſapientia infinita, & bonitate infinita, quæ formaliter differunt in diuinis. Sed ad concludendum perfectam identitatem aliquorum, non ſufficit qualiſcunque identitas. Sequitur, *& tunc videtur ſequi*, &c. Vult dicere, quòd ſi iſtæ potentiæ differunt ſpecie, & per conſequens operationes earum ſimpliciter differunt ſpecie, ſequitur, quòd viſio beatifica intellectus Angeli, & viſio beatifica intellectus animæ, ſimpliciter differant ſpecie; & ſi ſic, ſequitur vel quòd quælibet viſio Angeli excederet quamlibet viſionem animæ, vel econtrà, quod eſt inconueniens, tamen ad euitandum hoc inconueniens oportet fortè dicere, quòd tota cauſa actus beatifici eſt obiectum, & quòd potentiæ ſe habeant ibi reſpectu illius actus, vt tantùm receptiuæ, & paſſiuæ.

Sapientia infinita, & bonitas infinita differunt formaliter in diuinis.

18 *Nihil ſuperius eſt animæ quomodo.*

e Ad ſecundum reſpondet ibi: *Ad ſecundum, & ad omnes auctoritates conſimiles*, &c. *Propter hoc quidem nihil ſuperius eſt anima*, quod verum eſt in ratione obiecti, in quo quieſcit, vt ſuprà patuit in primo diſtinctione prima, quæſtione 1. reſpondendo ad argumenta principalia, & quo ad hoc par eſt Angelo, quia nulla natura intellectualis poteſt quietari, niſi in obiecto infinito, vt ſupra probatum eſt, in primo, diſtinctione 1. quæſt. prima. & quæſt. vltima, & diſtinct. 2. parte prima, quæſt. prima, in illa via, quæ eſt ex parte eminentiæ.

Quis ſit perfectior Angelus an anima.

f Ad tertium reſpondet primò remittendo ſe ad tertiam librum diſtinctione 13. vbi habet videri quis ſit perfectior, Angelus an anima, cõparando animam Chriſti ad naturam angelicam. Secundò dicit, quòd capacitas beati ſatiatur ſecundùm proportionem ad merita, ſed de iſta capacitate felicitatis prolixiùs habet videri, *in* 4. *diſt.* 49. *&* 50.

Dubia circa ſolutionem argumentorũ primum.

Circa reſponſiones ad argumenta principalia, aliqua inſurgunt dubia. Primum eſt de hoc quod dicit, quòd *potentiæ diſtinguuntur ſpecie, ſtante vnitate obiecti, circa quod ſunt tales potentiæ*, quia in hoc videtur expreſsè contradicere dictis Philoſophi, & Auerroïs, *in ſecundo de Anima text. comment.* 33. qui volunt quòd ex cognitione obiecti cognoſcitur qualis ſit operatio, & ex cognitione operationis cognoſcatur qualis ſit potentia; ſicut ergo propter diuerſitatem obiectorum diuerſas arguimus operationes, & propter diuerſas arguimus operationes, potentias, ſic econtrà propter vnitatem obiecti arguimus vnitatem operationis, & ex conſequenti arguimus vnitatem potentiæ.

c Secundò dubitatur in hoc, quod dicit, quòd *operationes differunt ſpecie vt comparantur*, &c.

Quia quæro aut ſunt eiuſdem rationis ex natura rei, & diſtinctæ ſpecie ex natura rei; aut ex natura rei differunt ſpecie, & ſola ratione ſunt eiuſdem rationis, puta ex ſola comparatione ad obiectum. Primò modo eſt ſimpliciter impoſſibile quod *A*, & *B*, præter omne opus intellectus differant ſpecie, & ſint eiuſdem ſpeciei. Secundo modo non videtur eſſe ad propoſitum, quia vt ſic quaſi omnia poſſunt eſſe idem ex natura rei, & differre ſpecie per opus intellectus, vt patet: quia homo ex natura rei eſt ſimpliciter idem; & tamen idem homo, vt conuenit ſibi intentio ſubiecti, & intentio prædicati, differt ſpecie à ſeipſo,

ſeipſo, & tunc idem ſentiendo de operationibus nullam includit difficultatem. Tum etiam, quia non eſt intentio Ariſtotelis vbi ſuprà, qui arguit vnitatem operationis propter vnitatem obiecti.

20. Præterea quæro, ſi tales operationes ſunt effectiuè ab obiecto, & effectiuè à potentiis? & certum eſt quòd ſic, vt ipſe ſubtiliter probat *in primo diſt. 3. q. 7. & in quodlibetis, q. 15.* hoc ſtante, ſint illæ operationes *A*, & *B*, tunc ſic, *A*, & *B*, vt immediatè cauſantur partialiter à potentiis, ſpecie diſtinguuntur; & vt immediatè cauſantur ab obiecto partialiter, aut ſpecie diſtinguuntur, aut ſunt idem ſpecie. Si primo, hoc eſt contra Ariſtotelem vbi ſuprà, & contra ipſum Doctorem, qui vult, quòd ſint eiuſdem rationis, vt comparantur ad idem obiectum. Si ſecundo, ergo *A*, & *B*, ex natura rei erunt ſpecie diſtincta: & ſimpliciter eadem ſpecie, quod eſt impoſſibile. Tum etiam, quia alia, & alia cauſatio non variat entitatem in ſe; priùs enim eſt res talis in ſe, quàm alteri comparetur, vt patet à Doctore in pluribus locis, & tunc quæro aut *A*, & *B*, ex ſua ratione formali ſunt diſtincta ſpecie, aut ſunt eadem ſpecie. Si primò, ergo non eadem erunt ſpecie, vt comparantur ad obiectum. Si ſecundò, ergo non erunt diſtincta ſpecie, vt comparantur ad potentias ſpecie diſtinctas.

21. 2. *Dubium.* Secundò dubitatur in hoc quod dicit, quòd *quæcunque differentia ſufficit ad hoc vt aliqua ſimpliciter diſtinguantur; ſed non quæcunque identitas ſufficit ad perfectam identitatem aliquorum.* Hoc non videtur poſſe ſtare, quia ex quo *idem*, & *diuerſum* diuidunt omne ens, quot modis dicitur *idem*, tot modis dicitur & *diuerſum*; ſicut dicimus *idem numero, diuerſum numero*; *idē ſpecie*, & *diuerſum ſpecie*; ſicut ergo differentia nata ſic facere differre, ita identitas oppoſita nata eſt ſic facere idem: ſicut ergo aliqua faciunt differre ſimpliciter, ita & identitas oppoſita facit aliqua eſſe idem ſimpliciter, & ſic aliqua faciunt differre tantùm ſecundùm *quid*, ita & identitas oppoſita facit aliqua eſſe idem tantùm ſecundùm *quid*.

22. 3. *Dubium.* Tertiò dubitatur in hoc quod dicit, quòd *operationes, vt dependent à potentiis diſtinctis ſpecie ſimpliciter ſpecie diſtinguuntur, vt verò comparantur ad obiectum ſunt idem ſpecie tantùm ſecundùm quid.* Hoc videtur repugnare dictis eius, quia ipſe *in primo diſt. 3. q. 7. in corpore quæſtionis*, vult quòd actus capiant diſtinctionem ab obiectis, dicit enim ſic: *Si actus non eſſent ab obiecto, non diſtinguerentur eſſentialiter propter diſtinctionem obiecti, quia eſſentialis diſtinctio non eſt ab eo quod non eſt cauſa; nec eſſet ſimpliciter perfectior intellectio perfectioris intelligibilis, poſito æquali conatu hinc inde ex parte intellectus*, & infrà ſic dicit; *Similiter non videretur quomodo aliqua tota ſcientia continetur virtualiter in obiecto; ſi ſola anima haberet cauſalitatem reſpectu habitus, & actus.* Ex iis ego arguo: ſicut actus à ſolo ſubiecto habent diſtinctionem, ita quòd actus diſtinctorum obiectorum ſpecificè diſtinguantur, ita & vnitas actus erit ſimpliciter ab vnitate obiecti, cùm actus ſemper ſpecificetur ab obiecto; videtur ergo magis dicendum, quòd actus, vt comparantur ad idem obiectum, à quo eſſentialiter dependent, & à quo ſimpliciter ſpecificantur ſint ſimpliciter idem ſpecie, & vt comparantur ad potentias, à quibus licèt dependeant partialiter, non tamen communiter ab eis ſpecificantur, dicantur differre ſpecie tantùm ſecundùm *quid*.

23. *Reſponſio ad primam difficultatem.* Reſpondeo ad has difficultates. Et primò ad primam, tenendo hanc opinionem, quòd intellectus Angeli, & intellectus animæ ſpecificè diſtinguantur, quia ſunt à cauſis, ſiue naturis ſpecie diſtinctis. (Licèt hæc non ſit præciſa cauſa, vt ſuprà dixi) cùm dicitur quòd hoc eſt contra Ariſtotelem, negatur; & cùm probatur, per hoc quòd identitas obiecti arguit identitatem potentiæ; dico primò, quòd in illo textu, & commento tantùm habetur, quòd diſtinctio obiectorum quaſi à poſteriori arguit potentias diſtinctas; ſed non habetur, quòd identitas obiecti arguat identitatem potentiæ. & ſi arguatur per locum ab oppoſitis, quòd ſicut diſtinctio obiectorum eſt cauſa identitatis, non ſequitur, niſi fortè in cauſis præciſis: & patet inſtantia, quia reſpectu eiuſdem obiecti, & ſub eadem ratione conſiderati, poſſunt eſſe potentiæ ſpecie diſtinctæ, vt patet de intellectu, & voluntate, & ſimiliter de viſiua, phantaſia, & intellectu, nec ſimiliter eſt iſta vera abſolutè, quòd diſtincta obiecta ſpecie arguant diſtinctas potentias. Patet, quia eadem potentia viſiua eſt reſpectu albedinis, nigredinis, & rubedinis, quæ ſpecie differunt: nec ſic Ariſtoteles loquitur de obiectis diſtinctis; ſed accipit ibi obiecta diſtincta adæquatè, ſic, quòd obiectum adæquatum vnius potentiæ non poteſt eſſe obiectum, neque adæquatum, neque inadæquatum alterius potentiæ; nec etiam loquitur de obiectis adæquatis reſpectu cuiuſcunque potentiæ abſolutè ſumptæ, ſed loquitur tantùm de obiectis adæquatis, quæ reſpiciunt tales potentias, quarum vna non ſubordinatur alteri, neque vna in operando neceſſariò præexigit operationem alterius: loquitur ergo tantùm de potentiis diſparatis. Si etiam intelligatur de potentiis ſubordinatis, debet ſic exponi, & non èconuerſo, id eſt, quòd quamuis ſit idem obiectum potentiæ viſiuæ, & phantaſiæ, quia in quod viſiua poteſt, & phantaſia, ſed non èconuerſo, quia obiectum adæquatum phantaſię non eſt obiectum adæquatum viſiuæ, ſed alia expoſitio eſt melior, & ſic patet ad difficultatem.

Nota.

24. *Ad ſecundam difficultatē.* Ad ſecundam difficultatem, cùm quæritur, an illæ duæ intellectiones cauſatæ à potentiis ſpecie diſtinctis circa idem obiectum, ſint idem ſpecie ex natura rei, & diſtinctæ ſpecie ex natura rei, an tantùm diſtinctæ ſpecie ex natura rei, & idem ſpecie tantùm per intellectum. Dico, quòd poteſt dari vtrumque membrum. Et cùm arguitur contra primum, quòd hoc videtur impoſſibile. Dico, quòd ſi illæ intellectiones in ſe abſolutè conſideratæ dicerentur ex natura rei eædem ſpecie, & diſtinctæ ſpecie, quòd eſſet inconueniens. Sed quòd ex natura rei differant ſpecie, vt comparantur ad potentias ſpecie diſtinctas, à quibus eſſentialiter dependent, & quòd ſint ex natura rei eadem ſpecie, vt comparantur ad idem obiectum, à quo ſimiliter eſſentialiter dependent, hoc non habeo pro inconuenienti: quia ſi illæ duæ potentiæ ſpecie diſtinctæ eſſent totales cauſæ illarum intellectionum, illæ abſolutè differrent ſpecie, vt ſuprà dixi, quia non eſſent natæ producere operationes proprias, niſi vt ſpecie diſtinctas. Similiter ſi idem obiectum eſſet totalis cauſa illarum intellectionum, illæ eſſent ſimpliciter eadem ſpecie, quia tale obiectum non eſſet natum cauſare intellectiones ſui, niſi vt eiuſdem rationis: & ſic intelligendo poſſunt dici eadem ſpecie, & diuerſa ſpecie ex natura rei. De ſecundo membro

etiam

etiam patet,quia non eſt inconueniens,quòd aliquæ duæ intellectiones ſint ſpecie diſtinctæ ex natura rei, & quòd ſint eadem ſpecie tantùm per intellectum, ex hoc ſolo quòd comparantur ad vnitatem obiecti. Poſſet tamen faciliter reſponderi ad vtrumque membrum, quòd vnitas ſpecifica poteſt dupliciter accipi. Vno modo denominatione intrinſeca, ita, quòd *A*, & *B*, dicantur vnum ſpecie, quia quiditatiuè includunt eandem quiditatem ſpecificam. Alio modo denominatione extrinſeea, ex hoc ſolo, quòd terminantur ad idem obiectum ſpecie indiſtinctum; ſicut aliquando dicimus, quòd vnitas ſcientiæ dicitur ab vnitate obiecti, id eſt, quòd qualis vnitas eſt in obiecto, talis eſt, & ſcientiæ, quòd tantùm eſt verum denominatione extrinſeca. Dico ergo, quòd illæ duæ intellectiones denominatione intrinſeca ſpecie differunt, quia eſſentialiter includunt differentias, quibus ſpecie diſtinguuntur. Dicuntur etiam ſpecie differre denominatione extrinſeca pro quanto dependent eſſentialiter à potentiis ſpecie diſtinctis. Sed dicuntur eadem ſpecie tantùm denominatione extrinſeca, pro quanto ſunt alicuius obiecti, id eſt, vnitatem ſpecificam habentis, & ſic patet ſolutio ad difficultatem.

Vnitas ſpecifica poteſt dupliciter accipi.

25

Ad tertiam Intellectio dependet ab intellectu, & obiecto.

Ad aliam difficultatem de illo, quod dicit Doctor *in diſt.* 3. *q.* 7. *primi* quòd intellectio dependet ab intellectu, & ab obiecto, quomodo eſt poſſibile, quòd magis dicatur diſtingui ſpecie à potentia, quàm ab obiecto? Dico præſupponendo aliqua. Primò, quòd aliud eſt loqui de identitate ſpecifica intellectionum, & aliud de diuerſitate ſpecifica, comparando ad potentias, & ad obiectum. Nam quando ſunt duæ intellectiones, quæ ſunt partialiter cauſatæ à duobus obiectis ſpecie diſtinctis, ſic neceſſariò ſpecie diſtinguuntur, quòd eſt impoſſibile eſſe ex natura rei eiuſdem ſpeciei, quia talia obiecta non poſſunt cauſare, nec totaliter, nec partialiter cognitiones ſui, niſi vt ſpecie diſtinctas: & ſic diſtinctio ſpecifica actuum ſumitur, & ſpecificatur ab obiectis ſpecie diſtinctis, vt vult Doctor *in primo, vbi ſuprà.* Et ſi dicatur nonne tales intellectiones dependent ab intellectu eſſentialiter. Dico quòd ſic, & plus dico, quòd etiam dependent ab ipſo, vt à cauſa magis principali, vt patet à Doctore *in primo diſt.* 3. *quæſt.* 1. Sic: ex hoc, à quo aliquid habet entitatem ab eodem habet & vnitatem, quia vnitas conſequitur entitatem: Cùm ergo iſtæ intellectiones ſint principaliter ab intellectu ſecundùm entitatem, ſequitur quòd erunt ſecundùm vnitatem; & ſic talis diſtinctio ſpecifica erit principaliter ab intellectu. Dico, quòd hoc non ſequitur, quia vnitas ſpecifica, vel diſtinctio, erit magis à cauſis proximis, quàm à remotis. Vnde homo productus habet magis vnitatem ſpecificã ab homine producente (qui tantùm natus eſt producere ſibi ſimile in ſpecie) quàm habet in Sole, vel alia cauſa remota; & ſic aſinus productus ab aſino; & homo productus ab homine, magis habent diſtinctionem ſpecificam ab aſino, & homine producentibus, quàm à cauſis remotis, & vniuerſalioribus.

Quomodo intellectiones dependent ab intellectu, Dico eſſentialiter & vt à cauſa magis principali.

26

Si dicatur quòd diſtinctio ſpecifica, vel vnitas ſpecifica magis ſumitur à cauſa vniuerſaliori, & à remotiori, quia Doctor *in primo diſt.* 3. *quæſt.* 8. dicit quòd cauſa perfectior magis aſſimilat effectum ei, cui eſt aſſimilabilis, quàm inferior: magis enim cauſat effectum qualis eſt cauſabilis, & aſſimilabilis; aſſimilabilis autem eſt effectus formaliter cauſæ propinquæ; ideò ipſa cauſa remotior magis aſſimilat effectiuè ipſum effectum cauſæ proximæ, quàm ipſamet cauſa proxima ſibi: quòd enim formaliter filius eſt ſimilis patri, hoc magis eſt à cauſa remota aſſimilante filium patri effectiuè, quàm ab iſta cauſa propinqua, quia quæ plus dat formam, qua aſſimilatur, plus dat effectiuè aſſimilationem, hæc ille.

Reſpondeo concedendo quòd dicit Doctor, & concedo abſolutè, quòd homo productus ab alio homine magis habet vnitatem ſpecificam ab ipſo Deo, quàm ab homine, quia & magis entitatem; & hoc eſt ſimpliciter verum in cauſis eſſentialiter ordinatis, quarum inferior agit in virtute ſuperioris, licèt fortè homo productus ab homine poſſet dici magis habere vnitatem ſpecificam, pro quanto eſt ab agente ſimpliciter eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ. Sed hæc ratio parum valet. Dico ergo, quòd in propoſito diſtinctio ſpecifica, & etiam vnitas ſpecifica intellectionis, accipitur ab obiecto, quia tale obiectum vt tale concurrit cum quocunque intellectu ad ſui coghitionem, natum eſt producere talem, vel talem cognitionem: & ſic ſi idem obiectum comparetur ad duos intellectus, erit productiuum partialiter duarum cognitionum eiuſdem ſpeciei; & ſi ſint duo obiecta ſpecie diſtincta comparata ad eundem intellectum, producent partialiter duas cognitiones ſpecie diſtinctas, & ſic ſpecificatio actus ſumetur ab obiectis. Et cùm dicitur, quòd intellectus eſt cauſa magis principalis, quàm obiectum, conceditur. Et cùm vltrà infertur, ergo entitas intellectionis principaliùs eſt ab intellectu, quàm ab obiecto: concedo. Et cùm vltrà infertur, ergo & vnitas ſpecifica erit magis ab intellectu, negatur iſta conſequentia. Et ratio negationis eſt, quòd quando vna cauſa partialis, & principalis concurrit cũ alia partiali, & minùs principalis ſic, quòd eſt impoſſibile continere cauſalitatem minùs principalis, vel poſſe ſupplere vicem illius, vnitas ſpecifica magis erit à minùs principali, quàm à principali (præſertim quãdo effectus productus non eſt à cauſis partialibus eiuſdem ſpeciei, ſicut homo eſt à maſculo & à fœmina, quia fortè, vt ſic, erit magis homo talis à maſculo) & ſic eſt in propoſito.

Homo productus ab alio homine magis habet vnitatem ſpecificando ipſo Deo, quàm ab homine.

27

An homo ſit magis homo à maſculo, quàm à fœmina.

Dico etiam, quòd quando vna cauſa partialis, & principalis concurrit cum pluribus cauſis partialibus, & quarum quælibet ſic concurrit ad effectum proprium, quòd non poteſt eſſe, niſi à tali cauſa partiali, tunc vnitas, vel diſtincti o ſpecifica effectus erit ab illis partialibus minùs principalibus: & ſic eſt in propoſito, quia idem intellectus numero concurrit effectiuè partialiter cum omnibus aliis obiectis, quæ ſunt cauſæ partiales: ſi ergo vnitas, vel diſtinctio ſpecifica eſſet ab eodem intellectu, ſequeretur quòd ita cognitio Franciſci, & Ioannis diſtinguerentur ſpecie: ſicut cognitio hominis, & aſini, vel ſequeretur, quòd ſicut cognitio Ioannis, & Franciſci ſunt eiuſdem ſpeciei, ſic & cognitio hominis, & aſini. Patet ergo quòd tales cognitiones habent ab obiectis, vel quòd ſint ſpecie diſtinctæ, vel quòd ſint eiuſdem ſpeciei, etiam poſito quòd ſint principaliùs ab intellectu. Si dicatur, quòd hæc reſponſio contradicit dictis Doctoris, quia dixit, quòd diſtinctio ſpecifica intellectionum eſt ſimpliciter à potentiis ſpecie diſtinctis, &c. Dico, quòd nulla eſt contradictio, quia, vt dixi ſuprà, quando duæ intellectione

nes circa idem obiectum ſpecie diſtinguuntur,hoc erit præcisè, quia ſunt à potentiis ſpecie diſtinctis: ſicut etiam quando ſunt duæ intellectiones ab eodem intellectu, & ab obiectis ſpecie diſtinctis, habent præcisè ab illis obiectis quòd ſpecie diſtinguantur,& non ab illo intellectu.

28. Ad aliam difficultatem, circa hoc quod dicit Doctor quòd *illæ intellectiones,vt comparantur ad potentias ſpecie diſtinctas ſimpliciter diſtinguuntur ſpecie,vt verò comparantur ad idem obiectum ſunt idem ſpecie tantùm ſecundùm quid.* Cùm ergo dicitur,quòd magis videntur idem ſimpliciter, negatur. Cùm probatur, quia actus ſpecificantur ab obiectis. Dico,quòd iſta propoſitio poteſt habere multiplicem ſenſum. Primò, quòd ſi dentur duo actus,qui comparentur ad eundem intellectum,vt ad cauſam partialem, & ſint à duobus obiectis ſpecie diſtinctis, huiuſmodi actus habent præcisè diſtinctionem ſpecificam ab obiectis, & ſic actus ſpecie diſtinguuntur ab obiectis. Secundò; Si dentur duo actus,qui ſint à duabus potentiis ſpecie diſtinctis, & à duobus obiectis ſpecie diſtinctis, iſti actus habent à potentiis, & ab obiectis, quòd ſpecie diſtinguantur, ſed hoc magis habent à potentiis. Tertiò, Si duo actus ſint à duabus potentiis ſpecie diſtinctis, vt à cauſis partialibus, & ab vno obiecto, vel à duobus eiuſdem ſpeciei, habent ſimpliciter à potentiis vt ſpecie diſtinguantur. Quartò, Si dentur duo actus à duabus potentiis ſolo numero differentibus,& ab vno obiecto habente vnitatem numeralem erunt diſtincti numero à potentiis. Si etiam ſint à duobus obiectis numero differentibus,& à duabus potentiis ſolo numero differentibus, erunt magis diſtincti numero ab illis potentiis. Si verò duo actus ſint à duobus obiectis ſolo nu mero differentibus, & ab vna potentia ſingulari, magis erunt numero diſtincti ab obiectis.

Quomodo iſta propoſitio ſit vera

Et ex his patet quid dicendum: hæc enim propoſitio non eſt ſimpliciter & abſolutè vera, ſcilicet *actus præcisè ſpecificantur ab obiectis*; ſemper tamen eſt vera,quando eadem potentia comparatur ad plura obiecta, quòd ſemper diſtinctio actuum ſumitur penes diſtinctiones obiectorum. Sed quando plures potentiæ ſpecie diſtinctæ comparantur ad idem obiectum, actus dicuntur ſimpliciter ſpecie diſtincti à potentiis, & non ab obiecto. Sic ergo Doctor debet intelligi, quòd illi actus ſimpliciter debent diſtingui à potentiis, & ſunt idem ſpecie tantùm ſecundùm *quid*, quia comparantur ad idem obiectum. Sicut etiam cognitio hominis,& aſini ſimpliciter diſtinguuntur ſpecie,quia ab obiectis ſpecie diſtinctis, & vt ſunt ab eodem intellectu ſunt idem ſpecie tantùm ſecundùm *quid*,& ſic patet ad difficultatem. 29.

Ad vltimam. Dico, quòd minima differentia præter intellectum ſufficit ad diſtinctionem ſimpliciter, non tamen quælibet identitas ſufficit ad identitatem ſimpliciter: patet, quia intellectus,& voluntas ſunt formaliter diſtinctæ potentiæ, ita quòd minima diſtinctio inter illas, præter diſtinctionem ex natura rei, infert ipſas ſpecie diſtingui;non tamen quælibet identitas infert ſimpliciter idem ſpecie:patet,quia vt comparantur ad animam ſunt idem, & numero, & ſpecie: & tamen non ſequitur,quòd ſint idem ſimpliciter ſpecie & ſic Doctor intelligit: non enim intelligit,quòd ſi A & B diſtinguantur ſpecie, ita quòd talis diſtinctio ſimpliciter dicatur ſimpliciter diſtinctio ſpecifica, quod identitas oppoſita non dicatur ſimpliciter identitas ſpecifica, & ſic patet ſolutio harum difficultatum. 30.

Intellectus, & voluntas formaliter diſtinguuntur.

DISTINCTIO II.

A DE Angelica itaque natura hæc primò conſideranda ſunt,quando creata fuerit, & vbi, & qualis facta ſit dum primùm conderetur. Deinde qualis effecta auerſione quorundam,& conuerſione quorundam. De excellentia quoque,& ordinibus, & donorum differentia,& de officiis,ac nominibus, aliiſque pluribus aliqua dicenda ſunt.

Auguſt. in ſpeciali de conditione ſpiritualis creaturæ, ſcilicet Angelicæ,qualis facta ſit.

Quando facti ſunt Angeli priùs dicit, in quo videntur ſibi obuiare auctoritates.

B QVædam auctoritates videntur innuere,quòd ante omnem creaturam creati ſunt Angeli. Vnde illud [Primò omnium creata eſt ſapientia: quod intelligitur de Angelica natura,quæ in Scriptura ſæpe vita,ſapientia, & lux dicitur.] Nam ſapientia illa quæ Deus eſt,creata non eſt. Filius enim ſapientia Patris eſt genita,non facta,nec creata:& tota Trinitas vna ſapientia eſt,quæ non facta,nec creata eſt,nec genita vel procedens. De Angelica ergo vita illud accipiendum eſt,de qua dicit Scriptura,quando facta eſt,ſcilicet primò omnium. Sed rurſum alia Scriptura dicit: In principio creauit Deus cælum & terram. Et in propheta, Initio tu Domine terram fundaſti & opera manuum tuarum ſunt cæli. Et videtur contrarietas quædam oriri

Eccl.1.a. Iſid. lib.1. de ſummo bono c.12.

Gen.2.a. Pſal.101.

ex aſſertionibus iſtis. Nam ſi primò omniu creata eſt ſapientia, omnia poſt ipſam facta videntur: & ita poſt ipſam facta videntur cælum & terra, & ipſa facta ante cælum & terram. Item, ſi in principio creauit Deus cælum & terram, nihil factum eſt ante cælum & terram, nec ipſa ſapientia facta eſt ante cælum, & terrá. Cùm ergo hæc contraria videantur, nec in diuina Scriptura fas ſit ſentire aliquid eſſe contrarietatis, requiramus intelligentiâ veritatis.

Quid tenendum ſit docet, præmiſſas auctoritates determinando.

VIdetur itaque hoc eſſe tendum, quòd ſimul creata eſt ſpiritualis creatura, id eſt, Angelica, & corporalis: ſecundùm quod poteſt accipi illud Eccl. 18. a. Salomonis: Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul, id eſt, ſpiritualem & corporalem naturam: & ita non priùs tempore creati ſunt Angeli, quàm illa corporalis materia quatuor elementorum: & tamen primò omnium creata eſt ſapientia: quia etſi non tempore, præcedit tamen dignitate. Quod autem ſimul creata fuerit corporalis ſpiritualiſque creatura, Auguſtinus ſuper Geneſ. ad literam apertè oſtendit, dicens per cælum & terram ſpiritualem corporalémque creaturam intelligi, & hæc creata ſunt in principio, ſcilicet temporis, vel in principio, quia primò facta ſunt.

Quod ſimul creata fuerit corporalis & ſpiritualis creatura, auctoritate firma.

Lib. 1. c. 1. Tomo 3.

Quòd nihil factum eſt ante calum & terram, nec etiam tempus: cum tempore enim creata ſunt, ſed non ex tempore.

ANte ea enim nihil factum eſt: nec etiam tempus factum eſt ante ſpirituale, ſcilicet Angelicam naturam, & ante corporalem, ſcilicet materiam illam quatuor elementorum confuſam. Illa enim cum tempore creata ſunt, nec ex tempore, nec in tempore. Sicut nec tempus in tempore creatum eſt, quia non fuit tempus antequam eſſet cælum & terra. Vnde Auguſtinus in libr. de Trinit. dicit, [quod Deus fuit Dominus antequam tempus eſſet, & non in tempore cœpit eſſe Dominus: quia fuit Dominus temporis, quando cœpit eſſe tempus: nec vtique tempus cœpit eſſe in tempore, quia non erat tempus antequam inciperet tempus.

Lib. 5. c. 6. & lib. 12. de ciuitate Dei c. 15.

Quòd ſimul cum tempore & cum mundo cœpit corporalis & ſpiritualis creatura.

SImul ergo cum tempore facta eſt corporalis & ſpiritualis creatura, & ſimul cum mundo; nec fuit ante Angelica creatura quàm mundus: quia vt ait Auguſtinus: Nulla creatura creata eſt ante ſæcula, ſed à ſæculis cum quibus cœpit. Hieronymus tamen ſuper epiſtolam ad Titum, aliud videtur ſentire dicens: Sex millia necdum noſtri temporis implentur annorum: & quantas priùs æternitates, quanta tempora, quantas ſæculorum origines fuiſſe arbitrandum eſt in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæteríque ordines ſeruierunt Deo abſque temporum vicibus atque menſuris, & Deo iubente ſubſtiterunt. His verbis quidam adhærentes dixerunt, cum mundo cœpiſſe tempus ſæculare: ſed ante mundum extitiſſe tempus æternum ſine mutabilitate, & in eo immutabiliter & intemporaliter adſtruunt Angelos Deo iubente ſubſtitiſſe, eíque ſeruiſſe. Nos autem quod priùs dictum eſt pro captu intelligentiæ noſtræ magis approbamus: ſalua tamen reuerentia ſecretorum, in quibus nihil temere aſſerendum eſt: & illud Hieronymum dixiſſe non ita ſentiendo, ſed aliorum opinionem referendo arbitramur.

Auguſt. in tom. 3. li. de Gen. ad literam 5. c. 19. Hier. in tom. 9. ad cap. 1. epiſt. ad Tit. ſuper verbo, quã promiſit qui non mẽtitur Deus ante ſæcula. De horum ſententia Aug. li. 11. de ciu. Dei c. 5. & ſeqq. duobus.

Vbi

Vbi Angeli mox creati fuerint:in Empyreo ſcilicet, quod ſtatim factum repletum eſt Angelis.

F IAm eſt oſtenſum quando creata fuerit Angelica natura, nunc autem attendendum eſt vbi facta fuerit. Teſtimoniis quarundam auctoritatum euidenter monſtratur Angelos ante caſum fuiſſe in cælo, & inde corruiſſe quoſdam propter ſuperbiam:alios verò qui non peccauerunt illic perſtitiſſe. Vnde Dominus in Euangelio ait: Videbam Satanam tanquam fulgur de cælo cadentem:nec appellatur hîc *cælum*, firmamentum, quod ſecunda die factum eſt: ſed cælum ſplendidũ,quod dicitur *Empyreum*,id eſt,igneum à ſplendore non à calore:quod ſtatim factum Angelis eſt repletum: quod eſt ſupra firmamentum: & illud Empyreum quidam expoſitorum ſacræ Scripturæ nomine *cæli* intelligi volunt:vbi Scriptura dicit:In principio creauit Deus cælum & terram. Cælum,inquit Strabus, non viſibile firmamentum hîc appellat,ſed Empyreum,id eſt, igneum & intellectuale: quod non ab ardore ſed à ſplendore dicitur:quod ſtatim factum repletum eſt Angelis. Vnde Iob:Vbi eras cùm me laudarent aſtra Matutina,&c. De hoc quoque Beda ita ait:[Hoc ſuperius cælum, quod à volubilitate mundi ſecretum eſt, mox vt creatum eſt, ſanctis Angelis impletum eſt, quos in principio cum cælo & terra conditos teſtatur Dominus dicens:Vbi eras cùm me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Aſtra matutina & filios Dei eoſdem Angelos Dei vocat.Cælum enim,in quo poſita ſunt luminaria,non in principio, ſed ſecunda die factum eſt.] Ex his liquet quòd in Empyreo omnes Angeli fuerunt ante quorundam ruinam, ſimúlque creati ſunt Angeli cum cælo Empyreo,& cum informi materia omnium corporalium.

Luc.10.c.

Gen.1.a.

Iob 38. a.

Beda ſuper Gen.

Quòd ſimul creata eſt viſibilium rerum materia & inuiſibilium natura,& vtraque informis ſecundùm aliquid,& formata ſecundùm aliquid.

G SImul ergo viſibilium rerum materia & inuiſibilium natura condita eſt: & vtraque informis fuit ſecundùm aliquid, & formata ſecundùm aliquid. Sicut enim corporalium materia confuſa & permiſta (quæ ſecundùm Græcos dicta eſt *chaos*) in illo exordio conditionis primariæ & formam confuſionis habuit,& non habuit formam diſtinctionis,& diſcretionis, donec poſtea formaretur,atque diſtinctas reciperet ſpecies,ita ſpiritualis & Angelica natura in ſua conditione ſecundùm naturæ habitum formata fuit: & tamen illam,quam poſtea per amorem & conuerſionem ad creatorem ſuum acceptura erat,formam non habuit: ſed erat informis ſine illa. Vnde Auguſtinus multipliciter exponens præmiſſa verba Geneſis,per *cælum*,dicit intelligi informem naturam vitæ ſpiritualis, ſicut in ſe poteſt exiſtere non conuerſa ad creatorem,in quo formatur:per terram,corporalem materiam ſine omni qualitate,quæ apparet in materia formata.

Aug. lib. de Geneſi ad literam 1.c. 1.& li.12. confeſsio. c.9.

Quomodo dicat Lucifer ſecundùm Eſaiam, Aſcendam in cælum,& ero ſimilis altiſſimo: *cùm eſſet in cælo.*

H HIc quæri ſolet,ſi in cælo Empyreo fuerunt Angeli ſtatim vbi facti ſunt, quomodo (vt legitur in Eſaia) dicit Lucifer: *Aſcendam in cælum, & exaltabo ſolium meum,& ero ſimis altiſſimo?* Sed ibi cælum vocat Dei celſitudinẽ,cui parificari volebat:& eſt tale,Aſcendam in cælũ,id eſt,ad æqualitatem Dei.

Eſai.14.d.

QVÆSTIO I.

Vtrùm in exiſtentia actuali [a] Angeli, ſit aliqua ſucceßio formaliter?

Alenſis 1.*p.qu.*12.*m.*9.*art.*3. D. Thom. 1.*p.qu.*10.*ar.*5. D. Bon. *hîc art.*1.*q.*3. Richar. *art.*1. *qu.*1. *&* 3. Henr. *quodl.*5.*qu.*13.*&* *quodl.*9.*qu.*2. Greg. 2.*d.*1.*qu.vlt.* Dur. *hic q.*3. Gabr. *q.*1.*ar.*1.*not.*3. Vaſq. 1.*p. d.*33.*ipſe* Scot.4. *Phyſ.q.*18.*vbi* Aretinus. Suar. 2. *Met.d.*50.*ſec* 5. Vide Scot. *de* 1.*princ.c.*3. *in Theorem,* §. conceſſis quatuor concluſionibus. Varro 2.*d.*2. *q.*1. *&* 2.

Mag. A. B. C. D. Circa 2. *diſt. quæruntur* 13. *de creatura merè ſpirituali.*

CIRCA diſtinctionem ſecundam, vbi agit Magiſter de loco creationis Angeli, & tempore, quando creabatur, quæro primò de duobus: primò de menſura durationis exiſtentiæ Angelorum, & ſecundò de loco Angelorum: Quantùm ad primum, quæro primò, Vtrùm in exiſtentia actuali Angeli ſit aliqua ſucceſſio formaliter? 1.

Quòd non, quia quantitas non poteſt recipi in non quanto; igitur nec ſucceſſio, quæ quantitas eſt, poteſt recipi in exiſtentia Angeli, quæ indiuiſibilis eſt. Confirmatur ratio, quia quantitas permanens, non poteſt recipi in indiuiſibili: igitur nec quantitas ſucceſſiua.

*4. Phyſ. tex. co.*101. Præterea: Prius & poſterius in ratione numeri poſſunt integrare rationem temporis: vbicunque autem eſt ſucceſſio, ibi eſt prius, & poſterius: & ibi poteſt inueniri ratio numeri, & menſuræ: igitur ſi in exiſtentia actuali Angeli, eſſet ſucceſſio formaliter, ipſa menſuraretur tempore.

Præterea, Auguſt. 83. qu. q. 72. *Æuum eſt ſtabile: tempus autem mutabile.* Item Dyoniſius, de diu. no. c. 5. & 10. *Hæc cùm ibi videntur, ibi dicuntur eſſe.*

Rationes ad opp. Contra, [b] non neceſſe eſt Deum creare vnum Angelum, quando creat alium Angelum: igitur poteſt aliquis Angelus eſſe, alio non exiſtente, & poteſt Angelus alius creari, ita quòd ille ſit alio exiſtente: igitur ille, qui fuit iſto non exiſtente, & eſt cum iſto nunc exiſtente, videtur eſſe prior iſto: & *eſſe* eius vt non cum iſto, videtur præcedere *eſſe* eius, vt cum iſto. 2.

Præterea, [c] Angelus poteſt annihilari circumſcripto tempore: quæro in quo *nunc*? non in *nunc* temporis, quia illud non eſt: nec in *nunc* æternitatis formaliter: nec in *nunc* æui, quia *nunc* illud manet vnum, & idem per te; igitur in eodem erit & non erit, ſi annihiletur in *nunc* æui, quæ ſunt contradictoria.

Item, aliquis Angelus [d] poteſt eſſe creatus, & poſt annihilari, & iterum reparari; ſed *eſſe* reparatum, non eſt ita vnum cum *eſſe* creato, ſicut ſi nulla interruptio fuiſſet, alioquin ita vnum eſſet aliquod interruptum, ſicut non interruptum, quod eſt falſum: igitur in alio *nunc* erit iſtud *eſſe* Angeli reparatum: & in alio *nunc* priùs erat creatum, & ſic hoc, igitur ſi manſiſſet ſine interruptione fuiſſet in alio *nunc*, quàm modò. Probatio huius conſequentiæ: tanta mora fuiſſet quieſcentis, quanta quietis: & per conſequens tanta mora non tendentis, potentis tamen tendere, quanta eſſet ſi actu tenderet.

COMMENTARIVS.

[a] TITVLVS quæſtionis ſic intelligitur; an exiſtentia actualis Angeli menſuretur aliqua mẽſura propria ſibi. ſicut dicimus quòd exiſtentia Dei menſuratur æternitate vt menſura intrinſeca, & propria ſibi, & temporale menſuratur tempore, tanquam menſura propria, & intrinſeca motus inexiſtentis tali temporali.

b Arguit primò probans menſuram Angeli eſſe vere ſucceſſiuam: & primum argumentum ſtat in hoc: vnus Angelus poteſt eſſe prior alio, & poteſt ſimul exiſtere cum alio: ergo *eſſe* ipſius Angeli menſuratur menſura ſucceſſiua. Antecedens patet, quia potuit vnus Angelus creari alio non creato, & poſt potuit alius creari, & ſic ille primus coëxiſteret ſecundo. Conſequentia patet, quia exiſtentia Angeli, vt eſt prior exiſtentia alterius Angeli, menſuratur aliquo *nunc*, & vt poſt eſt, ſimul menſuratur alio *nunc*, ſuccedẽte priori *nunc*: ergo exiſtẽtia prioris Angeli menſuratur menſurâ ſucceſſiuâ.

c Secundum argumentum ibi: *Præterea Angelus poteſt annihilari*, &c. ſtat in hoc: Si exiſtentia Angeli non menſuratur menſura ſucceſſiua: ergo cõtradictoria poſſunt verificari de eodẽ. Patet conſequentia, ponendo talẽ caſum, Angelus nunc habet *eſſe*, & poſt annihiletur: quæro tunc *eſſe* ipſius Angeli, & *nõ eſſe* ipſius Angeli aut ſunt in alio, & alio *nunc* æui, & ſic erit menſura ſucceſſiua: aut ſunt in alio, & alio *nunc* temporis: & hoc non, quia non ponitur menſurari tempore: aut ſunt in eodẽ *nunc* tẽporis, vel æui non primò, nec ſecundò, quia tunc contradictoria verificarentur de eodem, videlicet quòd

quòd *eſſe* Angeli,& *nõ eſſe* ipſius verificarentur de Angelo pro eodem *nunc*,nec eſt dicẽdum de *nunc* æternitatis,quia Angelus non menſuratur æternitate, nec ſicut creatur propriè in *nunc* æternitatis, ita non annihilatur propriè in *nunc* æternitatis; oportet ergo dicere, quòd in alio *nunc* æui habeat *eſſe*, & in alio annihiletur, & ſic æuum erit menſura ſucceſſiua.

d *Tertiò arguitur ibi. Item aliquis Angelus poteſt eſſe creatus*, &c. Argumentum ſtat in hoc; pono quòd Angelus A nunc creetur, exiſtentia A menſuratur *nunc* æui; ſecundò annihiletur, certum eſt quod *nunc* menſurans exiſtentiam illam annihilatur. Tertiò, reparetur; quæro tunc exiſtentia Angeli reparata menſuratur *nunc* æui, aut eodem *nunc*, quo menſurabatur exiſtentia priùs creata, aut alia. Si ſecundo modo: ergo ſucceſſio. Non primò, quia aliter ita eſſet aliquod interruptum,ſicut non interruptum: ſequitur ergo quòd alio,& alio *nunc*: & ſi ſic, ſequitur quòd ſi exiſtentia illius Angeli nullo modo eſſet interrupta,quòd alio,& alio *nunc* menſuraretur.

SCHOLIVM.

Ponit ſententiam D. Bonau. ponentis ſucceſſionem formaliter in exiſtentia Angeli, quam probat quatuor rationibus latè explicatis & confirmatis, variiſque auctoritatibus Patrum, ex quibus paucas admodùm habet D. Bonauentura.

3. Hic dicitur [a] quòd in exiſtentia actuali Angeli eſt ſucceſſio formaliter.

Et dicitur, quòd in æuo eſt ponere prius & poſterius, & eſt ponere ſucceſſionem aliquam aliam tanquam in tempore: in tempore enim eſt ſucceſſio cum variatione, & prius & poſterius cum veteratione, & innouatione, in æuo verò eſt prius & poſterius, quod dicit durationis extenſionem,quod tamen nullam dicit variationem,nec innouationem. ADDITIO. *S.Bon.li.2. d.2.p.2.ar. 1.q.3. Var.d.præſenti.q.1. & 2.*

Quod ſi fortè quæratur, quomodo poteſt eſſe prius & poſterius ſine nouitate circa eſſe?

Dicendum, quòd ſicut videmus,quòd aliter egreditur riuulus à fonte, aliter radius à Sole: ſic in propoſito videtur: nam riuulus ſic egreditur à fonte, quaſi noua aqua ſemper exit non eadem: radius à Sole continuè egreditur: non quia ſemper aliquid nouum emittatur, ſed quia quod emiſſum eſt, continuatur. Vnde Solis influentia non eſt aliud, quàm continuatio dati, ſuppoſito quòd Sol ſtet: quia motus Solis eſt cauſa variationis radij: ſimiliter in motu, & in eſſe *rei mobilis, aliqua proprietas habita amittitur, vel non habita acquiritur, ſed in* eſſe *rei æuiternæ, quod primò datum eſt per continuam Dei influentiam continuatur: nulla enim æuiterna creatura eſt omnis actus, id eſt, purus actus, nec aliqua eius virtus: vnde continuè indiget diuina virtute cooperante.* *Explicatur ſententia D.Bon. de ſucceſſione in duratione Angeli.*

[a] *Ideò etſi* eſſe *totum habeat, tamen continuationem* eſſe *non habet ſic totam: & ideò eſt ibi ſucceſsio ſine innouatione aliqua circa* eſſe, *vel proprietatem aliquam abſolutam: tamen ibi eſt vera continuatio, reſpectu cuius creatura habet* eſſe *quodammodo in potentia, ac per hoc habet ſucceſsionem. Solus igitur Deus, qui eſt actus purus, eſt actus infinitus: & totum* eſſe *& poſſeſsionem* eſſe *ſimul habet.*

4. Pro iſta [b] opinione arguitur quadrupliciter. Primò, ex parte conſeruationis, & fundatur ratio ſuper auctoritatem Auguſtini ſuper Gen. ad literam, libr. 8. cap. 19. vbi vult, quòd *ſicut aer reſpectu Solis non eſt factus lucidus, ſed fit lucidus, alioquin abſente Sole remaneret aer lucidus: ita ſe habet creatura reſpectu Dei.* Idem etiam vult 4. ſuper Geneſ. ad literam, quòd Deus non *ita ſe habet reſpectu creaturæ, ſicut ædificator reſpectu domus.* *Rat. 1. pro D.Bonau.* *C. 14.*

Ex iſto arguitur ſic: Si creatura reſpectu Dei non eſt facta in *eſſe* ab ipſo Deo,ſed eſt quaſi in *fieri* formaliter: ergo formaliter ſemper ponitur in *eſſe* à Deo: & ita ſicut continuè manet,ita continuè eſt creatio eius à Deo. *Probatur iſta ſucceſſio ex ratione conſeruationis Angeli.*

Confirmatur iſtud,quia *conſeruare* non eſt tantùm non deſtruere:ſed eſt aliqua actio Dei poſitiua:alioquin diceretur conſeruare lumen,qui non claudit feneſtram.

Similiter tunc *annihilare* [d] eſſet actio poſitiua: quod falſum eſt, quia annihilare eſt non agere:igitur conſeruare eſt agere: quod etiam apparet ex hoc,quia nulla creatura eſt in *eſſe* ſuo independens, quia nec actus purus: igitur continuè in eſſendo dependet à cauſa; & non tantùm à cauſa, quæ dedit *eſſe*, & modò non dat: quia conſeruare tunc nihil eſſet,niſi priùs egiſſe,& modò non deſtruere.

Si concedantur [c] omnia iſta, quòd Deus conſeruando agat poſitiuè aliquid circa creaturam; tamen non actione aliqua continua: quia nulla eſt ibi forma, ſecundùm quam poſſit aſſignari continuatio actionis: nec etiam alia, & alia actione, ſed ſemper eadem.

5. Contrà,hac actione [f] non habetur formaliter,& vltimatè illud *eſſe*, quod poteſt non haberi poſita hac actione. Hanc probo,quia cauſa cauſans hac cauſatione,eſt cauſa vltimatè applicata ad producendum effectum in *eſſe*:igitur ſi cum hac cauſatione poſſit

ſtare effectum non eſſe, non videtur, quòd hac cauſatione habeatur *eſſe* vltimatè : ſed hac cauſatione poſita ; quia Angelus producebatur in *eſſe*, poteſt Angelus non habere *eſſe* cras: igitur non habet illud *eſſe* formaliter, & vltimatè illa cauſatione : & habet ſic *eſſe* ; igitur alia cauſatione.

Si dicas [g], quòd non habet *eſſe* cum coëxiſtentia in tempore craſtino ex prima factione: ſed ad hoc requiritur illud futurum exiſtere, & illo futuro exiſtente, tunc illa ratio futuri eſt ratio coëxiſtendi in Angelo.

Contrà, ita eſt in [h] æternitate, quòd non habet coëxiſtentiam cum tempore, inquantum coëxiſtentia eſt: ſed ſolùm ex hoc, quòd tempus eſt coëxiſtens ei, & ideò ſi hæc eſt cauſa, non differunt æuum & æternitas.

Similiter non tantùm [i] poſita creatione futura Angelus poteſt non habere *eſſe* cum futuro: ſed poteſt non habere fundamentum illius coëxiſtentiæ, ſcilicet *eſſe* abſolutum: ergo illud *eſſe* abſolutum non habet ex tali coëxiſtentia. 6.

Item ſecundo [k] principaliter ſic, ſi *eſſe* eius eſt ſimplex & immutabile : ergo ſicut Deus non poteſt facere Angelum non fuiſſe: ita nec non fore.

Ratio 2. Ex mutabilitate Angeli, de eſſe ad non eſſe, & ècõtra probatur in eo ſucceſſio.

Item in eo, qui habet totum *eſſe* ſimul, idem eſt fuiſſe, eſſe & futurum eſſe: ſed quod fuit, impoſſibile eſt cogitari non fuiſſe, ſi intelligatur fuiſſe: ergo ſi in æuiterno idem eſt fuiſſe & fore, impoſſibile eſt cogitare ipſum non fore: hoc ſolius Dei eſt proprium: igitur, &c.

Confirmatur [l] ratio, quia in æternitate non ſunt contradictoria vera de voluntate diuina : neque etiam volitio diuina eſt reſpectu contradictoriorum, vt contradictoria ſunt: ſed Deus in æternitate potuit velle creare Angelum vnum & eundem annihilare: igitur voluit ipſum eſſe, & voluit ipſum non eſſe : vel non voluit eum eſſe, & voluit eum eſſe: igitur oportet hîc inuenire aliquas conditiones ex parte *eſſe* & *non eſſe*: vt non ſint contradictoria: ſed iſta, quæ tollerent contradictionem non videntur poſſe aſſignari, niſi diuerſa *nunc*: puta, quòd voluit ipſum eſſe pro A, & non voluit ipſum eſſe pro B, igitur impoſſibile fuit Deum velle creare Angelum vnum, & annihilare eundem, niſi vellet hoc, & illud pro diuerſis *nunc* : ſed potuit velle hoc & illud, abſque reſpectu ad tempus: ergo neceſſe eſt poſſe ex parte Angeli intelligi aliud, & aliud *nunc*, abſque reſpectu ad tempus: iſta alietas non poteſt eſſe niſi ipſorum *nunc* æui: igitur, &c.

Ratio 3. Ex infinitate durationis Angeli.

Tertiò, arguitur ex infinitate [m], quia cùm Angelus durabit in infinitum cum toto tempore futuro, ſi nunc habet totam ſuam durationem, quam habebit ſemper : igitur nunc formaliter habet durationem infinitam. 7.

Hoc confirmatur, quia illud *nunc* quod eſt ex ſe tale, quod poteſt coëxiſtere infinito, eſt formaliter infinitum, ſicut ſi Angelus nunc haberet in ſe, vnde poſſet coëxiſtere omni loco, eſſet infinitus ſecundùm locum.

Et ſi dicatur [n], quòd hoc non eſt verum, niſi habeat ex ſe, vnde poſſit ſic coëxiſtere; contrà, licèt non habeat ex ſe, vnde ſic ſit coëxiſtens, & ideò effectiuè ex ſe non habeat infinitatem: tamen ſicut formaliter habet, vnde ſic coëxiſtat, ita videtur formaliter infinitum, ſicut ſi haberet vnde eſſet præſens toti loco actuali & potentiali, licèt effectiuè à Deo, eſſet immenſus : licet non à ſe effectiuè, & licèt immenſitas ſua non æquaretur immenſitati diuinæ ſecundùm intenſionem : tamen æquaretur ſecundùm extenſionem, ita quòd nuſquam poſſet Deus eſſe per ſuam immenſitatem, niſi vbi poſſet eſſe Angelus.

Vt inquit Ariſt. 1. Perih. c. 5. Negatio negationis affirmatio poſitionis.

Et confirmatur iſta ratio, quia [p] negatio negationis, eſt affirmatio poſitionis : igitur negationes infinitarum negationum ponunt infinitas poſitiones, vel vnam formaliter infinitam : ſed Angelus habens iſtam exiſtentiam ſimplicem, habet ex ipſa negationes infinitarum negationum, ſcilicet non eſſe cum infinitis inſtantibus temporis : igitur habet ex ipſa infinitas poſitiones, vel vnam poſitionem virtualiter infinitam.

Ratio 4.

Quartò, arguitur [q] ex ordine eorum, quæ poſſunt eſſe in æuo. Potuit enim Angelus fuiſſe creatus non peccator, ſed innocens : & potuit poſtea peccare, & non peccare, circumſcripto omni tempore: igitur iſte Angelus priùs fuiſſet innocens quàm peccator: ergo prius & poſterius ſunt in *eſſe* eius. 8.

Similiter potuit vnus Angelus priùs creari, & poſtea ſtatim annihilari, & poſtea alius creari, ille primus nunquam fuit illo ſecundo exiſtente : ergo nec in eodem *nunc* cum illo : igitur eſt priùs vnus, & alius poſterius: quia ſi fuerunt & non ſimul : igitur vnus poſt alium: igitur ſi vnus alius extitiſſet cum illis ambobus, fuiſſet in *eſſe* eius prius & poſterius, ſicut *eſſe* vnius iſtorum eſt prius quàm *eſſe* alterius.

Pro

9. Pro iſta opinione ſunt [a] auctoritates beati Auguſt. 11. Confeſ. *Nunc temporis ſi ſemper ſtaret, & non flueret, non eſſet tempus, ſed æternitas*, & videtur ibi loqui de vera æternitate Dei, exponendo illud Pſalm. *Tu autem idem ipſe es: & anni tui non deficient.* *Probatur ſucceſſio ex patribus.*

Præterea, idem 4. ſuper Gen. *Pater meus vſque modo operatur*, &c. Quia autem ait, *Vſque modo, continuationem operis ſignificat*, hoc probat ſubdens, *aliter enim poſſet intelligi, ſi diceret, nunc operatur, vbi non eſt neceſſe vt operis continuationem acciperemus: aliter autem cogit intelligi cùm ait, Vſque nunc, ex illo quo cuncta operatus eſt, vel condidit ex nihilo*, hæc illæ. *Cap. 4. Pſal. 101. Auguſt. cap. 14. Io. 5. Cap. 15.*

Præterea, Boëtius de Tri. *Quamuis ſecundùm Philoſophos de corporibus, & ſpiritibus, poſſit dici, quòd ſunt ſemper: magna tamen eſt differentia in ſemper eſſe, in Deo enim tantùm præſens eſt non currens: nunc autem fluens facit ſempiteruitatem, id eſt, æuum.* *Lib. 1. c. 9.*

Præterea, Damaſc. libr. 1. c. 25. *Sæculum dicitur quod ſemper protenditur cum æternis velut ſpatiuum.*

Item Gregor. 27. Moral. ſuper illud Iob, *Numerus dierum*, &c. de Angelis ait: *In eis initium cernimus, cùm mentem retro reuocamus: Deus non recipit ex quo, nec quouſque.* *Lib. 2. c. 1. Cap. 4.*

Præterea, Anſel. Proſol. 24. *Hoc quoque modo tranſis, omnia etiam æterna: quia tua & illorum æternitas tota tibi præſens eſt, cùm illa nondum habeant de ſua æternitate, quod venturum eſt: ſicut iam non habent, quod præteritum eſt.* *Cap. 36.*

Item Hieronymus ad Marcellam, *Solus Deus non nouit fuiſſe, nec futurum eſſe.* *Sunt verba glo. Exod. 3.*

COMMENTARIVS.

1. *Opinio Bonauen.* [a] CIrca menſuram Angeli tres ſunt opiniones diuerſæ: prima eſt S. Bonauen. lib. 2. diſt. 2. art. 1. q. 3. *Hic dicitur quòd in exiſtentia Angeli eſt ſucceſſio formaliter*, & ſtat in hoc quòd exiſtentia Angeli, puta durantis tanta duratione, puta infinita à parte pòſt menſuratur menſura ſucceſſiua ſibi propria: ſic intelligendo, quòd menſura Angeli ex hoc dicitur ſucceſſiua, quia vnum *nunc* æui immediatè ſequitur aliud *nunc* æui: puta ſi exiſtentia Angeli duret per 20. inſtantia, dicit S. Bonauentura, quòd talis exiſtentia Angeli in primo inſtanti menſuratur *nunc*, ſiue inſtanti æui, quod eſt indiuiſibile, & in ſecundo inſtanti menſuratur alio *nunc* æui indiuiſibili, quod immediatè ſequitur primum *nunc*, & in tertio inſtanti menſuratur alio *nunc* æui, ita quòd cuiuſcunque inſtantis exiſtentiæ Angeli correſpondet proprium *nunc*, & ſic totum æuum Angeli durantis per 20. inſtantia, vocatur ſucceſſiuum, cùm ſint ibi 20. inſtantia æui ſibi inuicem ſuccedentia; & ſic totum æuum Angeli, quod ſempiternaliter durat à parte pòſt, includit infinita inſtantia æui à parte pòſt, ſibi inuicem ſuccedentiam: & ſic patet opinio S. Bonauenturæ, quam multis rationibus probat, quarum prima eſt ibi: *Pro iſta opinione arguitur quadrupliciter.* *Declaratio opinionis.*

2. Quæ prima ratio ſtat in hoc, ſupponendo quòd exiſtentia Angeli conſeruetur, & quòd continuè fiat; ſic tamen intelligendo, quòd Angelus in primo inſtanti habet totum ſuum *eſſe* perfectum, & in ſecundo inſtanti, quantùm eſt ex parte ſua deſineret eſſe, niſi à prima cauſa iterum poneretur in *eſſe*; & ſimiliter in tertio inſtanti, quantùm ex ſe eſt non eſſet niſi à prima cauſa poneretur in *eſſe* pro tertio inſtanti, & ſic deinceps, & hoc modo debet intelligi continuè fieri, ita quòd pro quolibet inſtanti habet perfectum *eſſe*; & niſi pro quolibet inſtanti poneretur in *eſſe* ex parte ſua ſemper haberet *non eſſe*; cùm ergo exiſtentia creaturæ ponatur in *eſſe* in alio, & alio inſtanti, vel actione, puta creatione paſſiua, ſiue continua, ſiue alia, & alia; ſequitur quòd illa creatio paſsiua per 100. inſtantia, dicitur ſucceſſiua; quia creatio paſſiua, vel eadem continuatur, vel quòd vna in vno inſtanti ſuccedat alteri in alio inſtanti; igitur æuum menſurans huiuſmodi creationem paſſiuam, ſecundùm quam exiſtentia Angeli ponitur in alio, & alio inſtanti, dicitur ſucceſſiuum modo præexpoſito, in declarando opinionem ſancti Bonauenturæ.

3. *Confirmatio opinionis D. Bonau.* c *Confirmatur.* Iſta confirmatione probat Bonauentura, quòd *conſeruare* dicat aliquam actionem ſic, quòd ſi Deus creat Angelum in primo inſtanti, & ipſum conſeruat in ſecundo inſtanti, illud *conſeruare* eſt agere, quod nihil aliud eſt niſi iterum producere Angelum in ſecundo inſtanti, & ſic deinceps; & ſicut *conſeruare* dicit actionem, ita & *conſernari* in ſecundo inſtanti dicit paſſionem ſuo modo, ideſt, quòd ſicut conſeruare Angelum in ſecundo inſtanti eſt ipſum ponere in *eſſe* exiſtentiæ pro illo ſecundo inſtanti, ita & Angelum conſeruari in ſecundo inſtanti, eſt ipſum poni actione agentis in actuali exiſtentia in illo ſecundo inſtanti, & ſic patet quomodo conſeruat lumen, qui non claudit feneſtram. Certum eſt enim, quòd lumen conſeruatur à corpore luminoſo, quando intrat aliquam domum, quia continuè multiplicat lumen; & ſi per inſtans deſineret multiplicare, ipſum continuando, ſtatim lumen deſineret eſſe: non conſeruatur ergo à non claudente feneſtram, ſed à corpore luminoſo ipſum lumen, vel eadem actione continuando, vel alia, & alia actione pro alio, & alio inſtanti ipſum in eſſe ponendo. *Quid ſit conſeruare Angelum.*

d *Similiter tunc annihilare eſſet actio poſitiua, quod falſum eſt.* Hic Bonauentura probat per locum ab oppoſitis, quòd *conſeruare* ſit verè agere, & ratio ſtat in hoc, quia cùm *conſeruare*, & *annihilare* ad inuicem opponantur, ſi *conſeruare* non dicat aliquam actionem poſitiuam: ergo *annihilare* dicit aliquam actionem poſitiuam, quod falſum eſt, quia *annihilare* nihil aliud eſt, niſi non agere, quod etiam apparet ex hoc ſupplè, quòd *conſeruare* ſit agere, quia nulla creatura eſt in *eſſe* ſuo independens, quia nec actus purus, igitur continuè in eſſendo dependet à cauſa. Nam ſicut aliquid ſimpliciter, & eſſentialiter dependet ab *Conſeruare eſt verè agere.*

alio in essendo, loquendo semper de causis essentialiter ordinatis, ita & quantùm ad sui permanentiam dependet, & sic continuè in essendo dependet à causa, & non tantùm à causa, quæ dedit *esse*, & modò non dat, quia tunc *conseruare* nihil esset nisi priùs egisse, & modò non destruere.

5. e *Si concedatur omnia ista*, &c. Hæc litera stat in hoc, si quis concederet, quòd *conseruare* esset positiuè agere, & tamen diceret, quòd Deus eadem actione, qua produxit Angelum in primo instanti, conseruat pro quolibet instanti consequenti, ita quòd illa actio non potest dici continua, patet quia non est ibi forma secundùm quam continuetur. Vnde pro clariori intelligentia, nota quòd aliquando actio dicitur continua non ex sua actione, sed ex hoc, quòd forma, quæ acquiritur per talem actionem acquiritur successiuè, sicut calor vt 10. causatur in igne successiuè, ita quòd vna pars post illam. Aliquando dicitur continua, non quòd forma, quæ acquiritur per talem actionem sit in se continua, & diuisibilis, sed ex hoc, quòd eadem forma, vel existentia illius continuatur in alio, & alio instanti, ipsam producendo in alio, & alio instanti; vt si Deus vna actione positiua produceret Angelum in alio, & alio instanti, continuando ipsum, & tali actioni continuè correspondeat forma continua, & diuisibilis, non diuisibilis in suo *esse*, sed ex hoc diuisibilis; quia illud *esse* semper habetur, & semper producitur in alio, & alio instanti. Aliquando actio dicitur non continua, siue indiuisibilis, & est quando forma, quæ acquiritur per ipsam, est indiuisibilis, & tantùm pro primo instanti acquiritur. Negaret ergo illa opinio conseruare *esse* actionem primò, vel secundo modo, & diceret, quòd Augelus in primo instanti accipit *esse* actione diuina indiuisibili, & quòd etiam habet *esse* in secundo, & tertio instanti, & sic successiuè illa actione indiuisibili, & nullo modo continuata.

Aliqua actio quomodo potest dici continua.

6. f *Contrà: hac actione non habetur formaliter.* Argumentum hoc Bonauenturæ contra hanc responsionem stat in hoc. Tu dicis, quòd Angelus in secundo instanti habet *esse* illa actione indiuisibili, quia ipse Angelus habet esse in primo instanti. Contrà: Nam Angelus in secundo instanti de se habet *non esse*, quæro tunc, aut ergo in secundo instanti producitur in *esse* illa actione prima, & sic illa actio continuatur; aut illa actione producitur in *esse*, ergo non habebit *esse* in secundo instanti per illam actionem primam, & hoc est quod dicit ibi, *hac actione*; scilicet prima *non haberetur formaliter, & vltimatè illud esse, quod potest non habere*, puta in secundo, vel tertio instanti, posita hac actione, & hoc probat, quia causa causans hac causatione est causa vltimatè applicata ad producendum effectum in *esse*: igitur si cum hoc, supple, stante tali applicatione causæ possit stare effectum non esse, non videtur quòd hac causatione habeatur esse vltimatum; patet, quia si causa est perfectè, & vltimatè applicata ad effectum producendum causatione *A*, pro instanti *B*: si pro illo instanti *B* effectus potest non esse, sequitur quòd illa causatione *A* non ponitur in *esse*, quia si causatione *A* poneretur in *esse* pro instanti *B*, esset impossibile ipsum effectum posse non esse pro instanti *B*, sed in proposito hac causatione posita, qua Angelus producebatur in *esse* in primo instanti, potest Angelus non habere *esse* cras, & si habet *esse* cras, non habet illud formaliter, & vltimatè illa causatione, qua ponebatur in *esse* pro primo instanti: oportet ergo dicere, quòd si habet *esse* pro alio, & alio instanti, quòd habeat *esse*, vel eadem causatione continuata pro quocunque instanti, in quo habet *esse*, vel quòd habeat *esse* alia, & alia causatione pro alio, & alio instanti, quo ponitur in *esse*.

7. *Responsio Henrici.*

g *Si dicas*, Diceret fortè Henricus (sustinendo quod tantùm habeat *esse* pro quocunque instanti actione indiuisibili) quòd Angelus non habeat *esse*, puta crastina die, scilicet quòd non diceretur habere *esse* crastina die, nisi pro quanto coassisteret tempori crastino. Prima ergo actione non posset coëxistere tempori crastino, nisi alia actione ponatur tempus crastinum, cui assistat; sed posito tali tempore diceret Henricus, quòd Angelus eadem actione, quâ habuit *esse* in primo instanti coassisteret illi tempore crastino: nam ipse Henricus vult, quòd sit impossibile æuũ separari à tempore, vt infrà patebit, & sic creatura dicitur existere pro alio, & alio instanti pro quanto ipse existens in *nunc* æui, ipsum *nunc* æui indiuisibile comparatur ad aliud, & aliud instans temporis, & hoc est quod dicit.

h *Contrà, ita est de æternitate.* Hæc instantia contra Henricum est satis clara in litera, nam tunc sequeretur, quòd instans æui non differret ab instanti æternitatis: nam ex quo vult Henricus, quòd ipsum æuum Angeli quantùmcunque durantis, sit indiuisibile, vt suprà dixi, & similiter æternitas est verè indiuisibilis, & tota simul secundùm omnes: si ergo dicatur nunc *æui* Angeli non esse cras, nisi pro quanto tempus coëxistat sibi, ita *nunc* æternitatis, siue existentia ipsius *nunc* non poterit esse cras, nisi pro quanto tempus sibi coëxistat, & sic æuum non differret ab æternitate, quod est inconueniens, & hoc est quod dicit.

8. i *Similiter non tantùm posita causatione*, &c. Hîc Bonauentura vult dicere ex quo ipse Angelus crastina die non tantùm potest habere non coëxistentiam tempori, quæ fundatur in *esse* absoluto Angeli, sed etiam illud *esse* absolutum Angeli potest non habere pro crastina die. Quæritur ergo à quo ponitur illud *esse* absolutum crastina die; si prima actione, quâ habuit *esse* in primo instanti: ergo continuatur illa actio, quod est intentum; si alia, & alia actione, similiter habetur intentum, vt suprà patuit: non enim *esse* absolutum Angeli dependet essentialiter à coëxistentia temporis, & sic stat prima ratio D. Bonauenturæ.

k *Item Secundò.* Si *esse* eius est simplex, &c. Vult dicere, quòd si *esse* æui est simplex, & immutabile, ergo sicut Deus non potest facere Angelum non fuisse, ita nec non fore. Consequentia patet, quia si æuum est omnino indiuisibile, tunc idem esset *fuisse*, & *fore*, & sequitur quòd Deus non potuit facere Angelum non fore.

An æuum sit in diuisibile.

l *Confirmatur ratio, quia in æternitate*, &c. Confirmatio stat in hoc, quòd si æuum esset omninò indiuisibile, tunc Deus posset creare Angelum in instanti *A*, & in eodem posset annihilare: quod patet, quia certum est quòd in æternitate non verificantur contradictoria de voluntate diuina, nec ipsa est respectu contradictoriorum: sed in æternitate potuit creare Angelum, & eundem annihilare; patet, quia æternitas est tota simul, & non habens principium, neque finem. Pono nunc casum possibilem, quòd Deus in æternitate velit

Angelum

Quid ſi æternitas.

Angelum creare & eundem annihilare. Iſta ſunt duo contradictoria, & vt non ſint duo contradictoria, oportet inuenire aliam cauſam, & iſta eſt, quòd vult Angelum creare pro inſtanti *A*, & vult ipſum annihilare pro inſtanti *B*, ergo oportet ponere in Angelo aliud inſtans, in quo velit eundem annihilare, & ſic erit menſura ſucceſſiua, nec oportet fugere ad tempus, cui coëxiſtit, quia Deus potuit velle creare, & velle annihilare pro alio, & alio inſtanti abſque reſpectu ad tempus, & hoc eſt quod dicit iſta litera.

2. m *Tertia via arguit de infinitate*, &c. *igitur nunc formaliter habet durationem infinitam*, & ſic æuum Angeli non differret ab æternitate, quia habet totam ſuam durationem ſimul.

Hoc confirmatur, quia illud *nunc*, &c. *ſi poſſet coëxiſtere omni loco eſſet infinitus ſecundùm locum*, ſi tamen loca eſſent infinita.

Quid ſit infinitum eſſe ſecundum locum.

n *Et ſi dicatur, quòd hoc non eſt verum, niſi habeat ex ſe vnde poſſit ſic coëxiſtere.* Vult dicere quòd etſi Angelus poſſit eſſe præſens omni loco, non ex ſua virtute, ſed tantùm per potentiam diuinam, non diceretur eſſe infinitus ſecundùm locum; quia eſſe infinitum ſecundùm locum eſt poſſe eſſe ſimul in infinitis locis virtute propria.

10. o *Contra*, quia argumentum ſtat, quia ſi poteſt eſſe in omni loco participatiuè diceretur infinitus participatiuè. Et ſic licèt hæc immenſitas non æquaretur immenſitati diuinæ intenſiuè, æquaretur tamen extenſiuè, hoc idem dico de æuo, quòd ſi Angelus, etiam participatiuè poſſit coaſſiſtere infinito tempori per *nunc* æui indiuiſibile, illud *nunc* æui eſſet infinitum extenſiuè, quod eſſet inconueniens.

Declaratio litera D. Bonauen.

p *Et confirmatur iſta ratio, quia negatio*, &c. Vult dicere in iſta litera D. Bonauentura, & probare, quòd actu habeat infinitas exiſtentias, & ſic illud æuum, ſi eſt indiuiſibile ſit in infinitum. Quod dicit *negatio negationis eſt affirmatio poſitionis.* Hoc eſt notum in Logica, quia duæ negationes efficiunt vnam affirmationem: & quod dicit de negationibus negatis, negationes negatæ in propoſito ſunt iſtæ, ſcilicet non coëxiſtit æuum huic inſtanti temporis, & non coëxiſtit alteri inſtanti, & ſic in infinitum, & ſic ſunt infinitæ negationes negatæ: & hoc modo negantur, nego ſcilicet, quòd æuum non aſſiſtat huic inſtanti temporis: & nego ſimiliter, quòd non aſſiſtat alteri inſtanti temporis, & ſic in infinitum: ergo infinitæ negationes infinitarum negationum coëxiſtendo ponunt infinitas affirmationes, vel vnam continentem infinitas, & ſic æuum erit actu infinitum; vel actu habebit infinitas coëxiſtentias infinitis partibus temporibus temporis, & hoc eſt quod dicit in iſta litera.

Quid ſit negatio negata.

11. q *Quarta via eſt ex ordine eorum, quæ poſſunt eſſe in æuo.* Et ſententia literæ ſtat in hoc: pono quòd Angelus in primo inſtanti, in quo habuit *eſſe*, potuit habere innocentiam, & poſtea peccare & obligari ad pœnam æternam: ergo ibi prius & poſterius, & ſic ſucceſſio, etiam circunſcripto omni tempore.

Quarta ratio.

r *Similiter poteſt vnus Angelus prius creari*, &c. *ergo nec in eodem nunc cum illo*, ſic vnus prius, & alius poſterius, & ſic ſucceſſio.

SCHOLIVM.

Ponit ſententiam communionem, quæ eſt oppoſita præcedenti, ſcilicet nullam ſucceſſionem eſſe in duratione Angeli, probátque tribus rationibus deſumptis ex Henrico.

He. quodl. 5. q. 13. & quodl. 9. q. 2. & quodl. 7. q. 5. cum qu. vera q. præſent. Impugnat D. Bonau. Text. com. 99. & 100. Succeſſio in menſura petit ſucceſionem in menſurato. Text. 4.

COntra iſtam poſitionem arguitur, quòd includat contradictionem: quia vbi eſt ſucceſſio, ibi eſt prius & poſterius, quæ non ſunt ſimul: ſed adueniente poſteriori, prius decidit, & per conſequens prius veteraſcit, & poſterius nouum eſt. 10.

Sed ſi intelligatur ſucceſſionem eſſe in menſura, abſque hoc quòd innouatio ſit in menſurato. Contra hoc arguitur, quia ſecundùm Philoſophum 4 Phyſi. *Prius & poſterius ſunt in tempore, propter prius & poſterius in motu: ita quod ſi non eſſet aliud, & aliud in motu: non eſſet prius & poſterius in tempore*: igitur à ſimili, ſi non ſit aliqua exiſtentia noua in æuiterno, nec aliqua nouitas in æuo: & ſic, ſi non ſit prius & poſterius in menſurato, non erit aliqua diſtinctio inter prius & poſterius in menſura. Hoc etiam confirmatur per Philoſophum 10. Metaph. quia ſecundùm eum menſura debet eſſe vnigenea menſurato: & ita ſi menſura ſit diuiſibilis, & menſuratum: quod etiam probatur per hoc, quia indiuiſibile inquantum indiuiſibile, non poteſt menſurari diuiſibili.

Prætereà, *nunc* æui ſi deſinit, & non ſemper manet idem, hoc non poteſt eſſe propter defectum ſubiecti; quia per te ſubiectum manet idem: nec poteſt poni per aliquam cauſam corrumpentem, quia non videtur aſſignari poſſe cauſa corrumpens. igitur non deficit. Aliter eſt de *nunc* temporis, quia ipſius ſubiectum proximum deficit, ſcilicet mutatio.

Prætereà, ſi eſt hîc aliqua innouatio, & inueteratio circa idem manens: ergo illud propriè mutatur: quia illud aliter ſe habet nunc, quàm priùs: mutationis autem menſura eſt *nunc* temporis: ergo æuiternum inquantum ponitur menſurari *nunc* æui, menſurabitur *nunc* temporis. Pro hac poſitione eſt auctoritas Auguſtini de Ciui. lib. 2. c. 2 quære.

ADDITIO *Hanc concluſionem negatiuam tenendo tripliciter ponitur differentia aut ad tempus, & æternitatem.* 11.

Æuum differt dupliciter vt medium ab æternitate, & tempore, vt extremis. Primò, quia æternitas permanens menſurat ſine poſſibilitate permutationis: tempus verò eſt menſura motus: æuum ſic menſurat permanens vt mutabilitatem non abigat.

Secundò, quia æternitas menſurat indeficiens & indefectibile: tempus verò defectibile & deficiens: æuum verò medians indeficiens ſic menſurat, vt tamen defectibile ſit, id eſt potens deficere.

Primò, quia æternitas menſurat rem non mutationi ſubiectam, nec ad mutationem habentem potentiam: æuum verò & tempus oppoſito modo.

Secundò, æternitas indeficiens & indefectibilis: æuum defectibile, licèt non deficiatur: tempus verò defectibile & deficiens.

Tertiò, æternitas eſt permanens & ſimiliter æuum: tempus verò ſucceſſiuum tanquam menſura motus ſecundùm prius & poſterius in partibus mobilis, ex quarto Phyſic.

COMMENTARIVS.

Opinio Henrici.

CONtra iſtam poſitionem quòd includit contradictionem arguitur, ab Henrico, *quodl. 5. q. 13. & quodl. 9. q. 7.* Nam Henricus vult, quòd exiſtentia Angeli quantuncunque duret, menſuretur aliquo *nunc* æui indiuiſibili, ita quòd tantùm vnum *nunc* æui indiuiſibile menſuret intrinſecè exiſtentiam totam Angeli quantumcunque durantem; & ſic menſura Angeli intrinſeca eſt indiuiſibilis, & nullo modo ſucceſſiua, & diuiſibilis. Vult tamen, quòd ipſum æuum Angeli indiuiſibile de neceſſitate coaſſiſtat tempori, & ſic illud *nunc* æui poteſt dici ſucceſſiuum, non in ſe, vt dicit, ſed prout coaſſiſtit alij, & alij *nunc* temporis. Arguit ergo Henricus contra opinionem D. Bonauenturæ aliquibus argumentis, quæ poſtea patebunt in ſoluendo illa pro opinione ſancti Bonauenturæ.

Hanc concluſionem negatiuam tenendo, dupliciter ponitur differentia æui ad tempus, & æternitatem. Henricus enim ponit duo. Primum, quòd menſura Angeli, ſiue æuum Angeli, nullo modo eſt ſucceſſiuum, & ſic in æuiternum nullum eſt ſucceſſiuum. Secundum ponit, ſcilicet quòd ipſum æuiternum, ſiue Angelus menſuratus æuo, in quolibet inſtanti habet eſſe terminatum, id eſt, quòd quantum eſt ex ſe, in quolibet inſtanti habet *non eſſe*, & ſimiliter æuum habet *eſſe* terminatum in quolibet inſtanti, id eſt, quòd in quolibet inſtanti habet de ſe *non eſſe*.

SCHOLIVM.

Oſtendit rationes Henrici contra Bonauen. nihil conficere, ſed ipſum in eis ſibi non conſtare.

Scotus arguit contra Henricum Eſt ad hominem, quia Henr. ponit inſtans æui corruæpi per quoddam inſtãs temporis.

CONtra iſtum [a] modum ponendi arguo. Videtur enim contradicere ſibi ipſi: quia ſi in æuiterno non eſt ſucceſſio, ſequitur, quòd *eſſe*, quod habet in præſenti *nunc* habeat in ſequenti *nunc*: ſed *eſſe* Angeli, quantùm eſt ex ſe, habet terminari, ſicut dicit expreſsè, & ponit, quòd æuum poteſt in quolibet inſtanti, quantùm eſt ex ſe deficere: igitur ſi iſtud æuiternum habeat formaliter *eſſe* cum iſto *nunc*, hoc non poteſt eſſe ſecundùm illud idem *eſſe*, quia illud *eſſe* habuit terminari cum illo *nunc*, ſecundùm illos; igitur oportet, quòd vel alio *eſſe* ſit cum iſto *nunc* ſecundo, vel eodem iterum poſito. 12.

Ponit Hen. æuum neceſſariò coexiſſere tempori, quod bene impugnat doctor.

Præterea quia dicit impoſſibilia eſſe, quæ inferuntur, & illa non ſequi ex hoc quod æuum ponitur indiuiuiſibile ſed ex negatione temporis: quæ negatio eſt incompoſſibilis cum poſitione æui: & propter illam incompoſſibilitatem ſequitur impoſsibile de æuiterno. Hoc non [b] videtur rationabile; quia ſecundùm ipſum, quidquid eſt prius naturâ, quantùm eſt ex ſe, poteſt eſſe prius duratione, hoc eſt, ex parte ſui, ſibi non repugnat eſſo priùs duratione, quin abſque contradictione quantùm eſt parte ſui, poſſet eſſe ſine poſteriore, reſpectu cuius dicitur eſſe prius natura: & ipſo poſito & poſteriore non poſito, nulla contradictio eſt ex parte prioris naturaliter, nec alicuius quod pertinet ad ipſum inquantum prius eſt: ſed æuiternum & menſura eius propria, ſunt naturaliter priora omni reſpectu ad tempus: ſicut fundamentum eſt prius relatione: igitur ex tali hypotheſi, non ſequitur incompoſſibilitas ex parte æuiterni, inquantum æuiternum eſt.

Prius eſſe ſine poſteriore, non eſt intrinſecè contradictio.

Exemplum huius eſt, quia licèt neceſſariò ad ſubiectum ſequatur propria paſſio; tamen quia ſubiectum eſt prius naturâ paſſione, non eſt contradictio ex parte ſubiecti, quòd ſubiectum ſit prius duratione ſua propria paſsione, quantùm eſt ex parte ſubiecti Et ſi hoc ponatur, nulla incompoſsibilitas ſequitur ex parte ſubiecti in ſe eo modo, quo eſt prius paſsione. Contradictio igitur ſi aliqua ſequatur, hoc eſt per locum extrinſecum, ex habitudine ſcilicet cauſæ ad effectum. 13.

Ita

Ita igitur ſi eſt neceſſaria habitudo æui ad tempus, tanquam prioris naturâ ad poſterius naturâ, propter negationem poſterioris ponendo prius: non ſequeretur aliqua contradictio ex parte prioris ſecundùm ſe, nec ex parte alicuius alterius, quod conuenit priori ſecundùm ſe: iſta autem illata, ſcilicet Angelum non poſſe eſſe priorem alio Angelo, vel non poſſe eſſe poſt ſuum *non eſſe*: ſunt incompoſsibilia per ſe ex parte æuiterni, inquantùm æuiternum eſt: igitur, &c.

c Et quod probat etiam illam neceſsitatem concomitantiæ temporis ad æuum, propter ordinem perfectioris ad imperfectius, non videtur ſufficere, hoc enim non concluderet de continentia quaſi quantitatiua, ſed quiditatiua, ſicut quiditas ſuperior continet inferiorem, ſed cum tali continentia ſtat, quòd ſuperior poteſt eſſe ſine inferiori, & quod ſibi conueniat eſſe, quod eſt proprium ſibi abſque inferiori: aut ſaltem non conueniat hbi in reſpectu ad inferius. Ita igitur in propoſito dicendum eſt, quòd nihil proprium æuo, conueniet præcisè ſibi in ordine ad tempus.

COMMENTARIVS.

1. *Scotus reducit Henricum ad contradictionem.*

a *Contra iſtum modum ponendi arguo.* Scotus arguit contra Henricum deducendo ipsũ ad contradictionẽ, & ratio Scoti ſtat in hoc; quia pono, quòd Angelus habeat exiſtentiam in *nunc A* & ſecundò quòd habeat exiſtentiam in *nunc* B. Tertiò pono, quòd ipſum *nunc* poſitum per Henricum in quolibet inſtanti habebit de ſe terminari, ſiue non eſſe, & ſimiliter exiſtentia Angeli; tunc quæro quomodo Angelus, qui priùs eſt in *nunc* A, fiat in *nunc B.* Si dicis quòd ex ſe eſt ibi. Contra, quia in *nunc A* habet ex ſe terminari, ſiue *non eſſe*, & ſimiliter quæro de *nunc* poſito ab ipſo, quod eſt in *nunc* A, quomodo fiat in *nunc* B. non ex ſe, quia per ipſum in *nunc* B habet de ſe non eſſe, ergo ſi tam exiſtentia Angeli, quàm ipſum *nunc* æui fiant in *nunc* B. aut hoc erit quia vtrumque de nouo producitur, aut quia vtrumque ſit iterum poſitum: & ſi ſic, tunc erit ſucceſſio, quia ipſum *nunc* in inſtanti *B.* vel iterùm poſitũ, vel de nouo cauſatũ, ſuccedit ſibi ipſi exiſtenti in *nunc*; ergo contradicit ſibi, dicendo menſuram Angeli non eſſe ſucceſſiuam, & quòd tam Angelus, quàm ipſum æuum pro quolibet inſtanti habet de ſe terminari, ſiue non eſſe, & hoc eſt quod dicit.

2. Præterea, quod dicit, quia D. Bonauentura dicit, ſi æuum Angeli ſit penitus indiuiſibile, ſequũtur multa incompoſſibilia, quæ patent in poſitione D. Bonauenturæ. Dicit Henricus, quòd impoſſibilia poſita à Bonauentura non ſequuntur ex hoc, quòd æuum ponatur indiuiſibile, ſed ex hoc, quòd ponatur æuum poſſit ſeparari à tempore, quod tamen eſt impoſſibile: & ſic non eſt inconueniens, quòd ex vno impoſſibili ſequantur multa impoſſibilia. Ad hoc ergo antecedens impoſſibile, vel incompoſſibile, ſcilicet æuum indiuiſibile poteſt ſeparari à tempore. Sequuntur multa incompoſſibilia poſita à D. Bonauentura, ſed ſi æuum indiuiſibile de neceſſitate coaſſiſtat tempori, nulla impoſſibilia ſequuntur, & hoc eſt quod dicit contra hoc.

b *Hoc non videtur.* Hic probat Doctor quòd non repugnat æuo poſſe ſine tempore, quia, ſecundùm Henricum ipſum æuum eſt prius natura tempore, quia vult, quòd tempus de neceſſitate concomitetur æuum, tanquàm imperfectum perfectum; & vult etiam quòd illud, quòd eſt prius natura alio, non repugnet ſibi poſſe ſine illo: ergo in priori, quo æuum poteſt eſſe ſine tempore, etiam æuiternum, quod eſt menſuratum ipſo æuo poſſit eſſe ſine tempore. Patet, quia æuum exiſtentiæ Angeli fundatur in ipſa exiſtentia: ergo ſi illud æuum eſt indiuiſibile, & ex ſe poteſt præcedere tempus, tunc in illo priori ſequerentur impoſſibilia illa illata à S. Bonauentura,

Et quod probatetiam. Dicit Henricus quòd tempus de neceſſitate concomitatur æuum tanquàm imperfectius perfectum, quod de neceſſitate continetur.

3. *Corpus quomodo contineat ſuperficiem & lineam.*

Dicit Doctor. *Hoc non concluderet*: ſicut dicimus, quòd corpus continet ſuperficiem, & lineã, quia non poteſt eſſe ſine illis, cùm ſint priora ipſo corpore, & ſibi inuicem intrinſeca; modò æuum non ſic continet tempus tanquam prius, & intrinſecum ſibi, cùm tempus ſecundùm ipſum ſit poſterius æuo: ſi ergo æuum continet, tempus erit continentia quiditatiua, & hoc non. Si vis dicere, quòd æuum continet quiditatiuè tempus, ita quòd tempus ſit de quiditate æui, & tunc tempus, quod eſt poſterius, erit de quiditate prioris, aut de quiditate potentiali, ideſt, quòd contineat ipſum æuum tempus potentialiter, ſicut quiditas animalis continet quiditatem hominis, tanquam ſuperius ſuum inferius, & hoc non concludit neceſſitatem æui ad tempus: quia ſicut non repugnat animali eſſe ſine homine, ita non repugnat æuo eſſe ſine tempore, & ſic ſtat intentum.

SCHOLIVM.

Ponit modum defendi opinionem D. Bonauen. de ſucceſsione in Angelo, quæ non eſt improbabilis, quia æuum ſecundùm eum eſt quantitas, & ſic habens ſuam diuiſibilitatem non permanentem, ſed ſucceſsiuam, ita quòd vni eius nunc, *raptim fluenti, ſuccedat aliud, vnde ex vi creationis Angeli, non duraret niſi vno nunc, ſed Deus conſeruando, ponit eius eſſe, in alio & alio nunc, & tot erunt poſitiones, ſeu cauſationes, quot* nunc *æui Angeli, & ſolutis argumentis Henr. contra Bonauen. ponit aliud modum defendendi eius ſententiam, ſed non ſecundum eius mentem.*

Qui

QVi vult tenere [a] primam opinionem,quæ videtur probabilis, & habere pro ſe rationes probabiles: poteſt dicere ſecundùm intentionem ponentis, quòd æuum propriè eſt quantitas, & per conſequens habet propriam diuerſiblitatem : non autem permanentem ; igitur ſucceſſiuam. Tale eſt indiuiſibile ſucceden- indiuiſibili, ſicut aliud alij : & ita *nunc* æui quantùm eſt ex ſe, raptim tranſit, & eſſe æuiterni, vt poſitum eſt in iſto *nunc*, ex vi iſtius poſitionis,præcisè habet eſſe in iſto *nunc*, & ſtatim non eſſe,iſto *nunc* tranſacto,niſi eadem cauſa alia cauſatione poneret idem eſſe in alio *nunc*, & ita conſeruaret poſitiuè cauſando non aliud *eſſe*,ſicut eſt in ſucceſſiuo, ſed idem *eſſe* infinities,ita quòd prima cauſatio dicitur creatio, quia ſequitur immediatè *non eſſe* ordine durationis:quælibet autem cauſatio ſequens, ſequiturad *non eſſe* in ſubiecto mediatè ordine durationis,& *non eſſe* immediatè ordine naturæ;quod *non eſſe*,tempore ineſſet, niſi cauſa conſeruans daret *eſſe* : ſed ipſum *eſſe* ſecundò poſitum ſequitur ordine durationis eſſe primò poſitum,& per hoc eſt continuatio, & conſeruatio eiuſdem *eſſe*. 14.

Exemplo declarat ſucceſſionẽ in exiſtẽtia Angeli.

Exemplum huius eſt,[b] quia ſi Angelus habeat aliquam quantitatem virtualem, per quam poteſt eſſe præſens alicui loco definitiuè, ita per eam eſt præſens huic loco, quod non poteſt eſſe præſens ſimul alij loco : nec abſolutè poteſt eſſe præſens alij loco, niſi aliqua mutatione facta circa ipſam per reſpectum ad alium locum : vel quòd ipſa fiat maior formaliter:vel quod ipſa transferatur de loco ad locum:vel quod per potentiam diuinam ſit in alio loco, non dereliquendo iſtum:

Ita eſt in propoſito, quod illud eſſe,quod habet Angelus vnica cauſatione, limitatum eſt ad hoc *nunc*, & nullo facto nouo circa ipſum, non poteſt vi huius cauſationis eſſe vltra hoc *nunc*;ſed Deus dans ei quantitatem * duratiuam perpetuam,& hoc vna cauſatione continua, vel infinitis cauſationibus eiuſdem eſſe, dat ei ſemper vim coëxiſtendi * vniformiter quo extendatur toti tempori.

al.duration-nem.
al.formaliter.

Ad argumẽta [c] contra illam poſitionem. Ad primum quod probat contradictionem ſequi ex ea;reſpondeo, quòd in illa duratione ſiue mora eſſendi, quæ eſt præcisè ſucceſſiua eſt innouatio, & pars eius vna recedit, & alia ſuccedit, & generaliter vna pars ſuccedit alteri : non tamen eſt innouatio aliqua in illa exiſtentia, cuius eſt illa mora. Sicut ſi poneretur caro non habens partem, & partem ſub eadem quantitate permanente,tunc eſſet ibi alietas partium in ipſa extenſione formaliter, quæ quantitas eſt abſque extenſione, vel diuerſitate partium eius,cui accidit talis extenſio. Et cùm probatur non eſſe diſtinctionem in menſura per Philoſophum 4. *Phyſic.* niſi fuerit diſtinctio in menſurato;dico quòd benè ſequitur ſi partes temporis ſunt aliæ, quòd partes motus ſint aliæ,ſicut ab effectu ad cauſam:ſed non eſt neceſſe,quòd in quibuſcunque partes durationis ſunt aliæ,quòd aliqua diſtinctio partium priorum ſit cauſa huius diſtinctionis;quia illa diſtinctio quæ alicui eſt ſecunda,poteſt in alio eſſe prima.Exemplum huius eſt,ignis calefacit, & deſiccat propter accidentia diſtincta ordinata in igne: ita quòd diſtinctio actionum eſt ibi ſecunda præſupponens aliam diſtinctionem priorem, ſcilicet diſtinctionem accidentium actiuorum, ſed ex hoc non ſequitur, quòd vbicunque eſt diſtinctio actionum,quòd ipſa ſit ſecunda ; quia ſi in Sole continerentur virtualiter illa accidentia diſtincta ignis, tunc prima diſtinctio ibi eſſet actionum, quæ tamen fuit ſecunda reſpectu ignis.Sic dicendum eſt in propoſito. 15.

Ad arg. Henrici pro D.Bonauent.poſita.n.10. & 11.

Menſura diuiſibili, menſurari poteſt indiuiſibile.

d Ad aliud argumentum dico,quòd *nunc* poteſt deficere,quia ex ſe habet tantùm raptim tranſire:licèt ſubiectum eius maneat idem, nec aliquod agens corrumpat ipſum:& quòd *nunc* temporis deficiat,deficiente ſuo proprio ſubiecto, accidit ſibi, quòd ſubiectum eius proximum deficiat,quia ſi illud maneret idem, ſicut eſt in quieſcente, tunc poſſet dici, quòd illud idem agens, per quod eſt aliud *nunc* ſuccedens iſti, producendo aliud *nunc* incompoſſibile iſti, deſtruit iſtud : non ex ſe primo, ſed ex conſequenti.

Tex.90. idem 6, Phyſ. text.24.

Duplex. modus deſinendi, explicatur per vltimũ eſſe & vltimum non eſſe. Scot.4. d.1.q.1.17. Modus 2.

e Et ſi quæras tunc,in quo deficiat iſtud *nunc*,aut in ſe,aut in alio:ſicut arguit Philoſophus 4.*Phyſic.*Dico,quòd *deficere*,ſicut & *deſinere*,poteſt dxponi dupliciter.Vno modo per poſitionem præſentis, & negationem futuri. Vel per poſitionem præteriti, & negationem præſentis. Primo modo debet exponi in diuiſibilibus, & in his, quæ habent vltimum ſui *eſſe*, illa enim non habent primum ſui *non eſſe*:& tunc deſinunt, cùm ſunt,& hoc modo *nunc* deſinit in ſe, quia nunc eſt, & poſt hoc non erit. Et ſi [f] quæras primum ſui *non eſſe*;nullum eſt,ſicut nec [g] alicuius habentis vltimum *eſſe*.

Modus 2. ſuſtinendi opin. D. Bonauent.

Alio modo poſſet concluſio [h] ſuſtineri,licèt non ad intentionem ponentis illam poſitionem principalem, quòd tota exiſtentia Angeli manet ſecundùm quod abſoluta eſt,habens tamen nouum,& nouum reſpectum ad ipſam cauſam:ita quòd ipſa, tota vt

ſub

ſub vno reſpectu ad cauſam ſuam cauſantem, ſuccedit ſibi ipſi, vt ſub alio reſpectu ad conſeruantem : & iſta via fortè eſſet facilior ad tenendum ſucceſſionem, quàm prior quæ ponit quantitatem, licèt eſſet ex alia parte multum difficile ſuſtinere, quomodo eſſet ibi vera ſucceſſio præcisè abſque omni diſtinctione in abſoluto quocunque, ſiue in fundamento, ſiue in termino.

COMMENTARIVS.

1. *Opin. D. Bonau. videtur probabilis.*

2 QVI *vult tenere primam opinionem.* Hìc Doctor oſtendit modum, quo quis poteſt tenere primam opinionem, quæ eſt ſancti Bonauenturæ, declarando quomodo menſura Angelorum poſſit dici merè ſucceſſiua, quæ menſura dicitur *æuum.* Dicit ergo ſic : *Qui vult tenere primam opinionem*, &c. *& per conſequens habet propriam diuiſibilitatem*, quia diuiſibilitas in partes quantitatiuas, de neceſſitate concomitatur quantitatem, & talis quantitas non habet diuiſibilitatem permanentem, ita quòd omnes partes ſimul ſint, quod eſt de ratione permanentis, ſed ſucceſſiuam, ſic quòd vna pars ſemper ſuccedat alteri: non enim talis quantitas poteſt habere omnes partes ſimul, cùm de ratione ſucceſſiui ſit non habere omnes partes ſimul.

2. *Succeſſiuum duplex.*

Et quia ſucceſſiuum poteſt eſſe duplex : aliquod quod eſt compoſitum ex partibus diuiſibilibus, ita quòd vna pars ſemper diuiſibilibus in infinitas partes, ſuccedat alteri parti. & ſic tempus, & motus dicuntur ſucceſſiua, quia quælibet pars temporis, & quælibet pars motus eſt diuiſibilis in partes infinitas proportionales. Aliud eſt ſucceſſiuum cõſtans ex partibus indiuiſibilibus, ita quòd vnum indiuiſibile ſuccedit alteri, ita quòd vnum indiuiſibile cùm deſinit eſſe, ſuccedit aliud ; & cùm aliud deſinit eſſe, ſuccedit aliud; & hoc modo poteſt, poni æuum quantitas ſucceſſiua, quia conſtat ex alio, & alio *nunc* ſibi inuicem ſuccedentibus, & ita *nunc* æui quantum eſt ex ſe raptim tranſit, ita cùm vnum *nunc* deſinit, aliud ſuccedit. *Et eſſe auiterni*, quod eſt ens menſuratum æuo, *vt poſitum eſt in illo nunc*, ſcilic. indiuiſibili & inſtantaneo, ex poſitione æui in illo *nunc*, ſupple præcisè habet eſſe in iſto *nunc*, *& ſtatim non eſſet iſto* nunc *tranſacto*, *niſi eadem cauſa alia cauſatione poneret idem eſſe in alio nunc*, ideſt quòd quando Angelus creatur in inſtanti *A* præcisè habet eſſe tantùm pro illo inſtanti & inſtanti immediatè ſequenti, quantùm eſt ex ſe, etiam non eſſet, niſi prima cauſa, quæ ponit Angelum in primo inſtanti, eadem cauſatione, vel alia ponat illud idem *eſſe* in ſecundo inſtanti, & ſic ſucceſſiuè de aliis inſtantibus : *& ita conſeruat poſitiuè cauſando non aliud eſſe, ſicut eſt in ſucceſſiuo, ſed idem eſſe infinities.*

Quomodo eſt ſucceſſiua in æuo, & auiterno.

3. Vult dicere, quòd ideò prima cauſa conſeruat Angelum, quia in ſecundo inſtanti, ſiuè *nunc*, in quo Angelus, quantùm eſt ex parte ſua, deſinit eſſe, ponit eundem Angelum in *eſſe* in ipſo *nunc*, & ſimiliter conſeruat in tertio *nunc*, quia idem Angelus in illo *nunc*, quantùm eſt ex ſe deſineret eſſe : niſi idem Angelus eadem cauſatione, quâ ponitur in primo *nunc*, ponatur in *nunc* ſuccedentibus, ſiue alia, & alia cauſatione : ita quòd vna cauſatione ponatur in primo *nunc*, quæ dicitur creatio, & alia cauſatione ponatur in ſecundo *nunc*, & ſic deinceps ; & ſic æuum, ſiue *nunc* æui dicitur raptim tranſire, quia ſemper aliud, & aliud *nunc* ſuccedit.

Declaratio littera.

Ita quòd prima cauſatio dicitur creatio, &c. Senſus huius literæ eſt, cùm dicit quòd *cauſatio Angeli in primo inſtanti dicitur creatio*, quæ immediatè ſequitur ipſum *non eſſe*, & cauſatio eiuſdem Angeli in ſecundo inſtanti dicitur conſeruatio, vt ſequitur ipſum *non eſſe* poſterius duratione. Ipſum *non eſſe* dico, quod præcedit creationem Angeli, & ſequitur *non eſſe* poſterius natura, quod *non eſſe* eſt poſterius creatione Angeli, non quòd tale *non eſſe* inſit, ſed in illo ſecundo inſtanti, in quo ponitur Angelus in *eſſe* ſi non poneretur in *eſſe*, ipſum *non eſſe* ineſſet eo modo, quo expoſitũ eſt ſuprà *diſt.* 1. *q.* 2. & ipſum *eſſe* Angeli poſitum in ſecundo inſtanti eſt poſterius duratione ipſo *eſſe* Angeli poſito in primo inſtanti. Patet, quia *eſſe* Angeli in primo inſtanti menſuratur primo *nunc* æui : & idem *eſſe* poſitum in ſecundo inſtanti menſuratur alio *nunc* æui, quod ſuccedit priori *nunc* ; & hoc modo eſt continuatio & conſeruatio eiuſdem exiſtentiæ Angeli poſitæ in primo inſtanti, & iterum poſitæ in ſecundo inſtanti, & iterum poſitæ in tertio, & ſic deinceps, & ſolùm in primo inſtanti, in quo ponitur dicitur creatio : & in omnibus aliis ſequentibus primum inſtans, in quibus ponitur dicitur conſeruatio: & ſic patet iſta litera Doctoris.

4. *Quantitas virtualis attenditur penes perfectionem intrinſecam.*

Exemplum huius eſt, quia ſi Angelus habet aliquam quantitatem virtualem, (quantitas enim virtualis attenditur penes perfectionem intrinſecam, ſicut dicimus, quòd Deus eſt infinitæ quantitatis in virtute, ideſt, quòd eſt infiniti vigoris, & virtutis, & talis quantitas diſtinguitur à quantitate molis, vbi tantùm attenditur extenſio quantitatiua) *per quam poteſt eſſe preſens alicui loco definitiuè*, locus enim definitiuus pro nunc, vt diſtinguitur contra locum circumſcriptiuum, dicitur locus præſentialis, quo aliquid dicitur ſic eſſe hîc, quòd pro illo inſtanti non eſt alibi, vel ita eſſe præſens huic, quòd pro illo inſtanti non eſt præſens alteri : ſicut ſi vnus Angelus eſſet in vno loco, & pro illo inſtanti non eſſet in alio loco, diceretur propriè in loco eſſe definitiuè, ſiue præſentialiter (*ita per eam*, ſupple, quantitatem virtualem *eſſ præſens huic loco*, *quod non poteſt præſens eſſe ſimul alij loco*, *nec abſolutè poteſt eſſe præſens alij loco*, *niſi aliqua mutatione facta circa ipſam*, ſcilicet quantitatem virtualem, *per reſpectum ad alium locum*, *vel quod ipſa fuit maior formaliter*, *vel quæ ipſa tranſferatur de loco ad locum*, *vel quòd per potentiam diuinam ſit in alio loco*, non derelin-

quendo priorem locum, quod poteſt facere, vt patebit infrà, & prolixè in quarto diſtinctio. 10. & 49. Sequitur: *ita eſt in propoſito, quòd illud eſſe, quod habet Angelus vnica cauſatione, limitatum eſt ad hoc nunc*, ita quòd quantùm eſt ex parte ſua habet tantùm eſſe in illo *nunc*, ita quòd in ſecundo *nunc* ex parte ſua nullum haberet *eſſe*, niſi eadem cauſatione, qua ponebatur in primo *nunc*, ponatur in *eſſe* in ſecundo *nunc*, vel alia cauſatione à priori ponatur in eſſe in iſto ſecundo *nunc*: & ſic patet litera huius exempli.

5. * n. 10. c *Ad argumenta contra illam propoſitionem.* Hîc Doctor reſpondet ad argumenta Henrici facta contra opinionem ſancti Bonauenturæ, ad quam opinionem videtur Doctor declinare. Primò enim arguit ſic Henricus, probando, quòd includat contradictionem, ſcilicet æuum eſſe ſucceſſiuum; Quia vbi eſt ſucceſſio, ibi eſt prius & poſterius, quæ non ſunt ſimul: ſed adueniente poſteriori prius decidit, & per conſequens prius veteraſcit, & poſterius nouum eſt; & ſic ſequeretur, quòd in exiſtentia Angeli poſſet eſſe innouatio, quod eſt inconueniens. Si dicatur, quòd in menſura eſt tantùm ſucceſſio, & innouatio, ſed non in menſurato. Contra hanc reſponſionem arguit Henricus, probando, quòd non poteſt eſſe nouitas in menſura, quin etiam ſit in menſurato, & probat per Philoſophum *in 4. Phyſic. tex. comm. 99.* vbi habetur, quòd prius, & poſteriùs ſunt in tempote propter prius, & poſterius in motu. *Neceſſe eſt*, inquit, *in motu eſſe prius, & poſterius proportionalia his, quæ ſunt ibi*, puta magnitudini, *at verò in tempore eſt prius, & poſterius propter quod ſequitur ſemper alterum ipſorum, eſt autem prius, & poſterius ipſorum in motu.* Hæc ille, & Commentator ibi; *Quia*, inquit, *prius, & poſterius inueniuntur in menſura, in qua ſit motus primò, & eſi illa, quæ eſt in ſitu, neceſſe eſt etiam, in motu inueniantur prius, & poſterius*, & paùm infrà. *Ex hoc*, inquit, *quòd prius, & poſterius inueniuntur in partibus motus, ſequitur, vt inueniantur in ipſo tempore*, hæc ille. Hoc idem patet vbi ſuprà tex. commen. 100. vbi ſic habetur: *At verò tempus cognoſcimus, cùm definimus motum prius, & poſterius determinantes, & tunc dicimus fieri tempus, quando prioris, & poſterioris in motu ſenſu percipimus.* Hæc ille. Et Commentator ibi: *Ipſius*, inquit, *Sentiunt primò, & eſſentialiter, cùm ſenſerimus motum, in quo ſentimus nos tranſmutari, ideſt eſſe in eſſe tranſmutabili* Hæc ille. Et hoc idem patet in textu 101. & inde. Ex his ergo, & aliis auctoritatibus apparet expreſsè, quomodo non poſſit eſſe nouitas in menſura, quin ſit in menſurato, vt patet de motu menſurato tempore. Sic dico in propoſito, quòd ſi non ſit aliqua exiſtentia noua in æuiterno, ſequitur quòd nec aliqua nouitas erit in æuo, & ſic ſi non ſit prius, & poſterius in menſurato, non erit aliqua diſtinctio inter prius, & poſterius in menſura.

Non poteſt eſſe nouitas in menſura, quin ſit in menſurato.

6. *Hoc etiam confirmatur per Philoſophum*, qui vult, quòd menſura ſit vnigenea menſurato, vt patet 10 *Metaph. tex. comm. 4.* vbi ſic habetur: *Semper*, inquit, *cognatum eſt metrum magnitudo, non quidem enim magnitudo, & ſecundùm vnumquodque longitudinis longitudo, latitudinis latitudo: vocis vox, grauitatis grauitas, vnitatis vnitas, ſic enim oportet accipere.* Hæc ille: Vult dicere, quòd tertia proprietas menſuræ eſt, quòd ſit vniformis, & vnigenea menſurato, ideſt, quòd ſit vnius generis cum menſurato. Et hoc eſt quod dicit, quòd ſemper metrum eſt cognatum, ſupple vnius generis commenſurato, & hoc patet per exempla ibi poſita: nam menſura magnitudinis eſt quædam magnitudo, & ſecundùm vnumquodque menſuratum, vt quòd latitudinis ſit ſupple menſura longitudo, & longitudinis menſura ſit longitudo, &c. Hoc idem vult Commen. ibidem: ſequitur ergo ex iſta auctoritate, quòd ſi menſura ſit diuiſibilis, & ſucceſſiua, & menſuratum ſimiliter erit diuiſibile, & ſucceſſiuum: quod etiam probatur per hoc, quia indiuiſibile, inquantùm indiuiſibile poteſt menſurati diuiſibili.

7. *Menſura, & menſuratum quomodo ſe conſequantur.* Ad hoc argumentum Henrici contra D. Bonauenturam reſpondet Doctor ſuſtinendo opinionem Bonauenturæ & reſponſio ſtat in hoc, quòd licèt tempus, quod eſt diuiſibile, ſit menſura motus, qui eſt diuiſibilis, & quod diuiſio temporis præſupponat diuiſionem motus, quia diuiſio partium motus eſt cauſa diuiſionis partium temporis, & per conſequens non poteſt eſſe nouitas; & ſucceſſio in tempore, quin ſit in motu menſurato; non tamen ſic ſequitur de æuo reſpectu exiſtentiæ Angeli, quia poteſt eſſe diuiſio menſuræ abſque diuiſione menſurati, præcipuè cùm menſuratum non ſit cauſa menſuræ, & etiam ſi ſic, poteſt eſſe, quòd aliqua menſura ſit ſucceſſiua illi, ita quòd vnum *nunc* ſuccedat alteri, & tamen menſuratum non ſit ſucceſſiuum, ſed ſufficit, quòd illud menſuratum actione continua agentis primi, vel alia, & alia actione ponatur in alio, & alio inſtanti.

Et ſi dicatur, menſura, & menſuratum ſunt vnigenea: ſi ergo æuum eſt diuiſibile in alia, & alia inſtantia ſibiinuicem ſuccedentia: ergo & exiſtentia Angeli erit diuiſibilis.

8. *Menſura æui non eſt poſita ab Ariſt.* Dico primò, quòd Ariſtoteles non poſuit hanc menſuram æui ſucceſſiuam, ſed tempus eſſe menſuram ſucceſſiuam poſuit, & vnigeneam menſurato; vult enim ipſe ſubſtantias ſeparatas eſſe neceſſe eſſe, & æternas. Secundò dico, quòd licèt exiſtentia Angeli non ſit in ſe diuiſibilis, tamen vt conſideratur habere *eſſe* in alio & alio inſtanti, & hoc vel actione continua primi agentis, vel alia, & alia actione erit diuiſibilis. Addit enim Doctor, quòd licèt menſura ſucceſſiua, qualis eſt tempus, vt comparatur ad motum, ſit vnigenea illi, quia ſicut in tempore alia, & alia pars ſuccedit alteri parti, ita quòd adueniente vna parte, altera deſinit eſſe; ſic ſimiliter eſt in motu, in quo vna pars ſuccedit alteri, ſic quòd adueniente ſecunda deſinit prima, & ſic adueniente tertia deſinit ſecunda, & ſic ſucceſſiuè; loquendo tamen de re permanente, quæ eſt ſubiecta motui, quæ menſuratur etiam tempore, pro quanto motui ſubiicitur, non erit vnigenea tempori; quia res permanens habet omnes partes ſimul, ita quòd vna non ſuccedit alteri, ſicut è contrario eſt in tempore, & in motu, vbi partes non ſunt ſimul, ſed ſemper vna alteri ſuccedit.

Secundò principaliter arguit Henricus, quia ſi *nunc* æui raptim tranſit, ita quòd vnum ſuccedit alteri, & adueniente ſecundo *nunc*, primũ deſinit eſſe, aliter æuũ non eſſet ſucceſsiuum, quia ſi omnia *nunc* æui ſimul eſſent, ipſum æuum eſſet permanẽs, quia haberet omnes partes ſimul. Ad hoc

ergo

ergo vt dicatur ſucceſſiuum, oportet ſic vnum *nunc* ſuccedere alteri, quòd adueniente vno deſinat aliud;ſed non eſt poſſibile *nunc* æui deſinere eſſe:quod patet, quia ſi deſinit eſſe,hoc maximè erit propter defectum ſubiecti, puta ipſius æuiterni:ſed æuiternum manet idem, nec poteſt aſſignari alia cauſa,quâ deſinat eſſe,quia non videtur aſſignari poſſe cauſa corruptionis:ergo *nunc* æui non deficit:aliter tamen eſt de *nunc* temporis,quia deficit propter defectum ſubiecti proximi,quod eſt mutatio.

Reſpondet Doctor ad hoc ſecundum argumentum, & dicit, quòd illud *nunc* definit in ſe, quia ex ſe habet tantùm raptim tranſire. *Deſinere* tamen poteſt exponi dupliciter. *Vno modo per poſitionem præſentis,& negationem futuri, vel per poſitionem præteriti, & negationem præſentis.* Et vt iſta litera intelligatur,declaro aliqua:nam differentia eſt inter permanentia, & inter ſucceſsiua diuiſibilia in partes diuiſibiles, & inter indiuiſibilia,ſiue inſtantanea.

10. *Prima concluſio. Quomodo permanens, & ſucceſſiuũ habent ſuum eſſe quantum ad primum, & vltimum.*

De permanentibus ſit iſta prima concluſio, quòd Permanens habet primum ſui *eſſe*. Et pono exemplum,quòd generetur ignis ex ligno,& tũc dicitur ignis generari, quando forma ſubſtantialis ignis inducitur in materia ligni,quod declarat Doctor *in prima diſtin. quarti, quæſt.*1. & tunc dico,quòd forma ignis geniti habet primum ſui *eſſe*,loquendo de forma completiuè,ideſt, quòd datur aliquod inſtans, in quo habet ſuum *eſſe* perfectum. Et cùm dicitur, *illa forma incipit eſſe*: ſic debet exponi,& dicatur illa forma *A. A incipit eſſe*:ſic exponitur, *A* nũc eſt,& immediatè ante hoc inſtãs nõ fuit,ergo *A* incipit eſſe, quod dicitur,quo dimmediatè ante hoc inſtans non fuit in aliquo inſtanti immediato illi inſtanti in quo eſt, quia tunc duo inſtantia eſſent immediatè, quod eſt contra Ariſtot.4.*&* 6.*Phyſicorum*. Sed ſic debet intelligi, immediatè ante hoc inſtans non fuit,ideſt,in tempore immediatè præcedenti hoc inſtans,in quo eſt:ergo incipit eſſe,ſic intelligendo, *A* in hoc inſtanti eſt, & in tempore immediatè ante hoc inſtans non fuit:ergo *A* incipit eſſe,& hoc modo in permanentibus *incipit* exponitur per poſitionem de præſenti,& negationem de præterito:& ſic patet quomodo in permanentibus datur primum ſui *eſſe*.

11. *Secunda cõcluſio.*

Secunda concluſio eſt,quòd in permanentibus non datur vltimum ſui *non eſſe* ideſt, non datur aliquod inſtans, in quo non ſit, & aliud inſtans, in quo immediatè ſit, quia tunc duo inſtantia eſſent ſimul immediata, nec tempus immediatum ad illud inſtans: quia tunc generaretur in tempore, & non in inſtanti, vt ſi dicatur *A* in iſto inſtanti non eſt, & immediatè poſt hoc inſtans erit. Si intelligatur ly *immediatè* pro inſtanti immediato, tunc dantur duo inſtantia ſibi immediata. Si intelligatur *immediatè*, ideſt,in tempore immediatè habito, tunc generatur in tempore, & non in inſtanti, quod eſt contra Philoſophum:& ſic patet quomodo rei permanentis datur primum inſtans ſui *eſſe*, & non datur vltimum inſtans ſui *non eſſe*. Exemplum clarum ponitur vtriuſque,ſupponendo,quòd quando acquiritur aliquod permanens vt permanens, tantùm in inſtanti acquiritur. Et licèt aliqua qualitas,vel quantitas,& fortè multæ formæ ſubſtantiales ſecundùm Scotum *in* 9. *Metaphyſicæ*, acquirantur ſucceſſiuè, tamen ſunt de numero permanentium cùm omnes partes habeant ſimul; vt ergo ſucceſſiuè acquirũntur,& per motum. Similis datur regula de eis, quæ & de ſucceſſiuis. Sed regula iſta de permanentibus intelligitur de permanentibus, quæ vt permanentia totum ſimul habent *eſſe* in vltimo inſtanti temporis, in quo tempore ſucceſſiuè acquiruntur, & in vltimo inſtanti tantùm indiuiſibiliter,& ſic nullo modo per motum, ſed per mutationem. Hoc præmiſſo, pono exemplum,& ſit forma permanẽs *A*,quæ ſimul tota acquiritur, tunc datur primum ſui *eſſe*, ideſt, datur aliquod inſtans temporis præcedentis, in quo eſt verum dicere *A* eſt, & per totum tempus præteritum immediatum illi inſtanti verum eſt dicere *A* non fuit, ergo *A* incipit eſſe, & ſic *incipit* exponitur per poſitionem de præſenti, ſupple affirmando *A* eſſe in aliquo vltimo inſtanti alicuius temporis, & per negationem de præterito, ſupple negando ipſum fuiſſe pro toto tempore immediate præcedenti illud vltimum inſtans.

Item,non datur vltimum ſui *non eſſe*,ideſt,non datur aliquod inſtans immediatè ſequens aliquod tempus,in quo *A* non ſit,& immediatè poſt illud inſtans ſit,quia ſi in aliquo inſtanti non eſt,& immediatè poſt illud eſt, aut erit in tempore, aut in inſtanti: non in tempore immediato ad illud inſtans in quo non eſt, quia dictum eſt, quòd permanens vt permanens acquiritur in inſtanti, nec etiam eſt in inſtanti immediatè ſequenti inſtans in quo non fuit, quia tunc darentur duo inſtantia ſibi immediata.

12. *Tertia concluſio.*

Tertia concluſio. Permanens habet primum inſtans ſui non eſſe, ideſt quòd ſi aliquod permanens duret per horam,& in vltimo inſtanti illius horæ definit eſſe;& ſic exponitur per negationem de præſenti, & per poſitionem de præterito,ſupple *A* in vltimo inſtanti horæ non eſt,& in tempore immediato ante illud inſtans fuit,ergo *A* definit eſſe. Et ſic patet differentia inter vltimum inſtans ſui *non eſſe*,& primum inſtans ſui *non eſſe*:quia cùm dico *A* habet vltimum inſtans ſui *non eſſe*,ſemper exponitur per negationem de præſenti,& poſitionem de futuro, ideſt, *A* in iſto inſtanti non eſt, & immediatè poſt hoc inſtans erit. Cùm verò datur primum inſtans ſui *non eſſe*, ſemper ſic exponitur per negationem de præſenti,& poſitionem de præterito,ſupple *A* in iſto inſtanti non eſt, & in tempore immediato ad hoc inſtans fuit:ergo *A* definit eſſe. Et ſic ad vltimum inſtans ſui *non eſſe* ſequitur incipere eſſe. Ad primum verò inſtans ſui non eſſe, ſequitur definere eſſe

Differentia inter vltimum inſtans ſui non eſſe, & primum inſtans ſui non eſſe.

Quarta concluſio.

Quarta concluſio:Communiter quod eſt primum inſtans *non eſſe* alicuius formæ permanentis, eſt primum inſtans eſſe alterius formæ permanentis. Exemplum. Pono caſum, quòd materia ligni ſit ſub forma ligni tantùm per horam,& in vltimo inſtanti illius horæ, ſit ſub forma ignis; tunc in vltimo inſtanti illius horæ,verum eſt dicere, forma ligni in hoc inſtanti non eſt, & in tempore immediato ante hoc inſtans fuit: ergo deſinit eſſe, & ſic datur primum inſtans ſui *non eſſe*. Similiter verũ eſt dicere forma ignis in vltimo inſtanti illius horæ eſt, & in tempore immediato ante illud inſtans non fuit:ergo incipit eſſe, & ſic patet quomodo reſpectu vnius formæ, illud inſtans, quod eſt primum inſtans ſui *non eſſe*,eſt etiam primum inſtans *eſſe* alterius formæ.

Exemplum clarum.

Aduerte tamẽ primò,quòd quãdo datur primũ

inſtans ſui *eſſe*, ſemper *incipit*, exponitur per poſitionem de præſenti, & negationem de præterito. Exemplum *A* nunc eſt, & immediatè ante hoc non fuit: ergo *A* incipit eſſe.

Secundò. Quando datur vltimum inſtans ſui *non eſſe*; *incipit* ſemper exponitur per negationem de præſenti, & per poſitionem de futuro. Exemplum, *A* in iſto inſtanti non eſt, & immediatè poſt hoc inſtans erit: ergo *A* incipit eſſe. Tertiò, quando datur primum inſtans erit: ergo A incipit eſſe. Tertiò, quando datur primum inſtans ſui *non eſſe*, tunc non poteſt exponi per *incipit*, ſed per *deſinit*, & *deſinit*, ſemper ſic exponitur per negationem de præſenti, & poſitionem de præterito. Exemplum, *A* in iſto inſtanti non eſt, & in tempore immediato ante hoc inſtans fuit: ergo *A* deſinit eſſe. Quartò, vbi datur primum, & vltimum inſtans ſui *eſſe*, vt in diuiſibilibus poteſt exponi per *incipit*, & *deſinit*, & ly *incipit* exponitur per poſitionem de præſenti, & negationem de futuro, & hoc ſatis patet per Philoſophum. Exemplum primi, *A* in iſto inſtanti eſt, & immediatè ante hoc non fuit: ergo *A* incipit eſſe: Exemplum ſecundi, *A* in iſto inſtanti eſt, & immediatè poſt hoc non erit: ergo *A* deſinit eſſe.

14. *Quinta concluſio.* Quinta concluſio, in permanentibus non datur vltimum inſtans ſui *eſſe*, & hoc ſatis expoſui infrà in iſto ſecundo. Et vt clariùs intelligatur, pono quòd aliquod permanens duret per horam, & tale permanens dicatur *A*. Tunc ſic, ſi habet vltimum inſtans ſui *eſſe*, quod eſt vltimum inſtans vnius horæ, tunc exponitur per poſitionem de præſenti, & negationem de futuro, ſic dicendo: *A* in iſto inſtanti eſt, & in tempore immediato poſt hoc inſtans non erit: ergo deſinit eſſe. Secunda pars eſt falſa, quia tunc haberet *non eſſe* in tempore, & deſineret eſſe in tempore, quod eſt contra rationem permanentis: quia permanens, quod ſimul deſinit eſſe, tantùm deſinit eſſe in inſtanti. Permanens tamen de potentia Dei, poteſt habere vltimum inſtans ſui *eſſe*. Nam Deus poſſet conſeruare lapidem per vnam diem, & per vltimum inſtans illius diei, & in tempore immediato ad illud inſtans poſſet eundem lapidem anenihilare, & ſic haberet vltimum inſtans ſui eſſe, & hoc ſatis patet à Doctore *quæſt. 12. quolibetorum.*

15. *Sexta concluſio. Aliqua regula de ſucceſſiuis.* Sexta concluſio eſt de ſucceſſiuis, vbi plura continentur: Succeſſiua enim ſunt illa, quæ non habent omnes partes ſimul, ſed vna ſuccedit alteri, ita quòd vna adueniente, alia deſinit eſſe, vt patet de motu, & tempore. Et de iſtis loquendo, dantur aliquæ regulæ. Quarum prima eſt iſta, quòd *in ſucceſſiuis datur primum ſui non eſſe*. Et pono exemplum de motu, qui duret per horam, & tunc iſta eſt vera, motus in vltimo inſtanti horæ non eſt; patet, quia motus non eſt in inſtanti, & in tempore immediato ad illud inſtans fuit, & ſic deſinit eſſe. Secunda regula, *in ſucceſſiuis datur vltimum inſtans ſui non eſſe*, ideſt, datur vltimum inſtans alicuius temporis in quo non eſt, quia motus nunquam eſt in inſtanti, vt dixi, & in tempore immediato poſt illud inſtans erit, & ſic incipit eſſe motus. Et exponitur *incipit* per negationem de præſenti, & poſitionem de futuro, quia iſta eſt vera, motus in iſto inſtanti non eſt, & in tempore immediato poſt hoc inſtans erit: ergo motus incipit eſſe. Tertia regula, *in ſucceſſiuis non datur primum inſtans ſui eſſe*: Patet, quia tunc motus poſſet eſſe in inſtanti, & tunc iſta eſſet vera, motus in iſto inſtanti eſt, quod repugnat ſcilicet motum eſſe in inſtanti. Quarta regula, *in ſucceſſiuis non datur vltimum inſtans ſui eſſe*. Hoc eſt enim contra rationem ſucceſſiuorum, quòd poſſint habere eſſe in aliquo inſtanti, tantùm enim habent *eſſe* in tempore.

16. *Septima concluſio.* Septima concluſio eſt de indiuiſibilibus, & inſtantaneis, in qua dantur aliquæ regulæ: & non loquor hîc de indiuiſibilibus, & inſtantaneis aliquo modo permanentibus; ſicut diximus, quòd punctus in linea permanet; ſed tantùm loquor de illis, quæ habent *eſſe*, & permanentiam per inſtans, vt ſunt mutationes, ſiue *mutatum eſſe* in motu, & inſtans in tempore, quo intellecto ſit iſta prima regula. *Inſtantanea habent primũ ſui eſſe*, patet, quia iſta eſt vera, *A* in iſto inſtanti eſt, & immediatè ante illud inſtans non fuit: ergo *A* incipit *eſſe*: & ſic *incipit* exponitur per poſitionem de præſenti, & negationem de præterito. Secunda regula eſt, quod *Inſtantanea habent vltimum ſui eſſe*: nam hæc eſt vera, inſtantaneum eſt in iſto inſtanti, & immediatè poſt hoc inſtans non erit: ergo deſinit eſſe: & *deſinit* exponitur per poſitionem de præſenti, & negationem de futuro. Tertia regula: *Inſtantanea non habent primum inſtans ſui non eſſe*: patet, quia iſta eſt falſa, *A* inſtantaneum in iſto inſtanti non eſt, & in tempore immediato ante hoc inſtans fuit. Hæc ſecunda pars eſt falſa: quia inſtantaneum habet tantum *eſſe* per inſtans. Quarta regula. *Inſtantanea non habent vltimum inſtans ſui non eſſe*, patet, quia iſta eſt falſa: *A* inſtantaneum in iſto inſtanti non eſt, & in tempore immediato poſt hoc inſtans erit. Hæc eſt falſa, cùm nullo modo habeat eſſe in tempore.

Recapitulatio omnium ſupradictorum. Breuiter ergo dico, quòd permanentia habent primum inſtans ſui *eſſe*, & primum inſtans ſui *non eſſe*, & non habent vltimum inſtans ſui *eſſe*, nec vltimum inſtans ſui *non eſſe*. Succeſſiua autem habent primum inſtans ſui *non eſſe*, & vltimum inſtans ſui *non eſſe*, ſed non habent primum inſtans ſui *eſſe*, nec vltimum inſtans ſui *eſſe*. Inſtantanea verò habent primum inſtans ſui *eſſe*, & vltimum inſtans ſui *eſſe*, ſed non habent primum inſtans ſui *non eſſe*, nec vltimum inſtans ſui *non eſſe*. & ſic patet quid dicendum de iſtis.

Ad Iſtis præmiſſis declaro literam Doctoris reſpondendo ad argumentum Henrici ibi: *Ad aliud argumentum dico, quòd* nunc *poteſt deficere*, &c. Hîc loquitur ſpecialiter de *nunc* æui, quod raptim tranſit, quia vnum *nunc* æui immediatè ſuccedit alteri *nunc*, ita quòd adueniente vno *nunc*, aliud deſinit eſſe, & hoc eſt raptim tranſire. Et licèt æuiternum maneat, tamen *nunc* æui in ſe deſinit eſſe, nec aliquod agens corrumpit ipſum, vt patet. Sequitur, *& quòd* nunc *temporis deficiat*, &c. Dicit Doctor, quòd *nunc* temporis eodem modo deſinit eſſe ſicut & *nunc* æui, quia ſicut *nunc* æui deſinit eſſe in ſe, ita & *nunc* temporis. Et addit, quòd licèt *nunc* temporis deficiat deficiente ſubiecto immediato, hoc tamen ſibi accidit. Subiectum immediatum *nunc* temporis eſt mutatio, ſiue *mutatum eſſe*, quod eſt inſtantaneum; ſicut & motus, qui eſt ſucceſſiuus, eſt ſubiectum temporis ſucceſſiui. Dicit ergo Doctor quòd licèt deficiente ſubiecto *nunc*, puta aliquo *mutato eſſe*, deficiat ipſum *nunc*, hoc tamen non eſt præciſa cauſa; quia ſi ipſum ſubiectum haberet permanentiam per aliquod tempus, adhuc ipſum *nunc* deſineret eſſe in ſe. Et cùm quæritur illud *nunc*, à quo corrumpi-

pitur

tur. Dicit Doctor, quòd à nullo immediatè corrumpitur,ſed mediatè tantùm;quia agens producens aliud *nunc* incompoſſibile priori, corrumpit illud prius, & ſic non primò corrumpit, ſed ex conſequenti.

17. Definere *poteſt exponi dupliciter.*

e *Et ſi quæras tunc,in quo deficiat*,&c. Dicit Doctor, *quòd* deficere *ſiue* deſinere *poteſt exponi dupliciter. Vno modo per poſitionem præſentis, & negationem futuri*:& hoc modo debet exponi in indiuiſibilibus,& in his quæ habent vltimum ſui *eſſe*,& ſic exponitur: hoc indiuiſibile in iſto inſtanti eſt, & immediatè poſt hoc non erit: ergo deſinit eſſe: illa enim indiuiſibilia non habent primum ſui *non eſſe*, quia ſic exponerentur per negationem de præſenti, & poſitionem de præterito,vt ſuprà patuit;& ſic talia indiuiſibilia deficiunt cùm ſunt,quia iſta eſt vera: Hoc indiuiſibile eſt in hoc inſtanti, & immediatè poſt hoc non erit:& ſic tale indiuiſiblle deſinet eſſe.

Et ſi quæras primum ſui non eſſe nullum eſt, quia ſi haberent primum ſui *non eſſe*,vt dixi ſuprà, tunc *deſinere* exponeretur per negationem præſentis,& poſitionem præteriti,vt ſuprà patuit.

Sicut nec alicuius habentis vltimum eſſe. Vult dicere Doctor quòd ſicut illa, quæ habent vltimum ſui *eſſe*,non habent primum ſui *non eſſe*, ita indiuiſibilia non habent primum ſui *non eſſe*,quia indiuiſibilia habent vltimum ſui *eſſe*, quæ omnia ſuprà expoſita ſunt.

18. *Hæc opi. Varronis*

Alio modo concluſio ſuſtineri poſſet,&c.Hæc videtur opinio Varronis, qui videtur dicere, quòd eſt eadem exiſtentia Angeli abſolutè ſumpta, & vt abſolutè ſumpta nullo modo ſuccedit ſibiipſi. Sed ſi ponitur aliqua ſucceſſio, hoc erit ſecundùm alium,& alium reſpectum ad cauſam,ſupple iſta tota exiſtentia Angeli ſub iſto reſpectu, vt comparatur ad Deum, vt ad cauſam creantem:& ſub alio reſpectu vt comparatur ad Deum, vt ad cauſam conſeruantem,dicit ſibiipſi ſuccedere, ita quòd ſucceſſio non eſt in aliquo abſoluto naturæ,ſed tantùm in alio,& alio reſpectu,ſecundùm quòd vnus reſpectus ſuccedit alteri. Et additur, quòd *iſta via eſſet facilior ad tenendum ſucceſſionem,quàm prior, quæ ponit quantitatem*: quæ eſt opinio ſancti Bonauenturæ,*licet eſſet ex alia parte multum difficile ſuſtinere, ſiue in fundamento, ſiue in termino.* Fundamentum eſt exiſtentia Angeli,in qua fundatur talis relatio, puta ad Deum creantem,& ad Deum conſeruantem:& terminus eſt ipſe Deus, ad quem terminatur tam relatio creationis,quàm conſeruationis paſſiuæ. *Opin. D. Bonauenturæ.*

Alio modo poſſet concluſio ſuſtineri, &c. Hîc Doctor dat alium modum ſuſtinendi poſitionem Bonauenturæ,quo ad menſuram ſucceſſiuam: & & dicit duo.Primum,quòd tota exiſtentia Angeli manet, ſecundùm quòd abſoluta eſt per quantamcunque durationem duret,& vt ſic exiſtentia Angeli non menſuratur aliqua menſura ſucceſſiua,cùm ſit ſimpliciter indiuiſibilis. Secundòm quòd eadem exiſtentia Angeli poteſt conſiderari vt habet nouum, & nouum reſpectum ad ipſam cauſam,ita quòd ipſa tota exiſtentia,vt conſiderata ſub vno reſpectu terminato ad cauſam creantem ſuccedit ſibiipſi, vt ſub alio reſpectu terminato ad cauſam conſeruantem. Et quia in talibus reſpectibus ponitur ſucceſsio,cùm continuè vnus ſuccedat alteri, ipſa tota exiſtentia Angeli, vt ſic, conſiderata ſub alio,& alio reſpectu poteſt menſurari menſura ſucceſsiua, licèt vt abſolutè ſumpta, nulla ſucceſsiua menſurari poſsit.

SCHOLIVM.

Refutat opin. D. Bonauent. de ſucceſsione,ſiue primo modo ſiue ſecundo explicetur,quia ſi duratio eſt abſoluta,& eadem exiſtentia,erit indiuiſibilis ſicut illa:ſi diſtincta poterit vnum nunc æui,ſicut ipſa exiſtentia,idem conſeruari,ſeu infinities poni,quia eadem eſt ratio,de hoc abſoluto nunc,ac de exiſtentia Angeli.ſecundò,ſi illa duratio ſit tantùm reſpectiua non videtur ponendus nouus reſpectus,ſine nouo fundamento, vel termino propter hoc Scot. non ſentit cum Bon.

18. SEd contra concluſionem [a] dictæ opinionis in ſe, ſiue primo, ſiue ſecundo modo ſuſtineatur,arguo ſic: Aut *nunc* æui,quod ponitur aliud,& aliud abſolutum ſecundùm primum modum ſuſtinendi opinionem eſt idem exiſtentiæ actuali, aut aliud:ſi idem,patet quòd ſicut exiſtentia actualis maneat eadem:ita & *nunc* æui:ſi aliud, contrà, ſicut ipſa exiſtentia poteſt infinities poni in eſſe:ita videtur quòd illud idem *nunc* abſolutum aliud ab ea,poteſt frequenter poni in *eſſe*,& ita poteſt conſeruari idem *nunc* æui, ſicut eadem exiſtentia.

Si dicatur [b] quòd ſi ponatur in *eſſe* frequenter,ponitur in diuerſis *nunc*;contra,illud *nunc* abſolutum aliud ab *eſſe* exiſtentiæ,ſi poteſt frequenter poni in *eſſe* in alio & alio *nunc*:adhuc eadem erit ratio, quòd in quolibet poterit conſeruari:& tunc erit proceſſus in infinitum,vel ſtatus erit in hoc, quòd ſicut exiſtentia conſeruatur eadem, ita quodcunque abſolutum in Angelo poteſt conſeruari idem

Similiter in ſequenti [c] quæſtione probabitur,quòd non eſt in Angelo aliquid abſolutum aliud ab exiſtentia eius, & ita non poterit eſſe identitas in exiſtentia, & ſucceſſio in aliquo alio abſoluto ſui,& ſiue ſic ſufficit, ſiue ſic: non videtur poſſe eſſe nouus reſpectus ſine nouitate fundamenti vel termini.Nam reſpectus conſequens extrema, ita quòd vno,vel altero poſito, ſequitur reſpectus ex natura extremorum, non poteſt eſſe nouus,vt videtur,ſine nouitate in altero extremo:nihil autem per te, e | nouum in fundamento huius reſpectus, nec in termino, vt patet Similiter iſte reſpectus eſt idem cum fundamento, vt patet ex quæſtione præcedenti:igitur non poteſt iſte reſpectus eſſe alius fundamento exiſtente eodem.

Mens propria Scoti.

Poteſt ergo dici, quòd nulla eſt neceſſitas ponendi aliquid nouum, ſiue aliquam ſucceſſionem in aliquo Angelo, quòd ſcilicet ſit in eo formaliter: quia quidquid eſt ibi, poteſt manere idem, ſicut exiſtentia manet eadem: & per conſequens quilibet reſpectus conſequens abſolutum.

COMMENTARIVS.

Sed contra concluſionem dictæ opinionis, &c. Hîc Doctor improbat hanc reſponſionem, ſiue primo modo, ſiue ſecundo modo ſuſtineatur. Primus modus D. Bonauenturæ eſt iſte, quòd exiſtentia Angeli abſolutè ſumpta, menſuratur menſura ſucceſſiua. Et Doctor arguit contra, probando tantùm, quòd non ſit neceſſe menſurari menſura ſucceſſiua; ſed ſufficit, quòd menſuretur inſtanti æui indiuiſibili, quia aut *nunc* æui ponitur idem cum tali exiſtentia, & ſic ſequitur, quòd ſicut exiſtentia actualis manet eadem, quòd etiam illud *nunc* æui maneat idem: aut ponit aliud, & & adhuc ſequitur, quòd ſicut exiſtentia Angeli poteſt infinities poni in *eſſe*; ita videtur quòd illud idem *nunc* abſolutum poſſit eodem modo poni in eſſe, & ita conſeruari ſicut & exiſtentia Angeli conſeruatur,

b Si dicatur, quòd ſi illud *nunc* ponatur in *eſſe* frequenter ponitur in diuerſis *nunc*. Dicit Doctor quòd etiam in hoc poſito, quòd etiam adhuc illud *nunc* poterit conſeruari in alio, & alio *nunc*, & tunc vel erit proceſſus in infinitum in ipſis *nunc*: patet, quia quæro de illo *nunc*, in quo conſeruatur primum *nunc*, certum eſt, quòd poteſt poni frequenter in *eſſe* ergo in diuerſis *nunc*, & quæro de illis aliis, & ſic in infinitum, vel erit ſtatus in hoc primo *nunc*, quòd ſicut exiſtentia Angeli conſeruatur eadem, ita quodcunque abſolutum in Angelo poteſt conſeruari idem.

c *Similiter in ſequenti quæſtione*, &c. Hæc litera clara eſt. Secundum improbatur ibi, *ſiue ſic, ſiue ſic*, impoſſibile eſt enim manentibus fundamento eodem & termino, reſpectus ſibiinuicem ſuccedere poſſe, & littera clara eſt.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta poſita num. 3 pro opin. D. Bonauen. tenentis in duratione Angeli dari ſucceſſionem.

12.

A D argumentum [a] pro prima opinione. Ad primum dico, quòd vtraque via ſaluat dictum Auguſtini, nam ſicut prima via dicit creaturam ſemper eſſentialiter æquè dependere à Deo, ita quòd ſit quaſi vna continua cauſatio, vel infinitæ cauſationes ſint conſeruatio rei, ac per hoc ſemper ita actualiter cauſat rem ſicut in primo inſtanti cauſauit: licèt iſta cauſatio, vt conſideratur in primo inſtanti, dicatur creatio, in aliis conſeruatio; ita ſecunda poſitio non videns rationem continuationis in hac cauſatione, quia nullam formam continuatam: nec videns tantam rationem diſtinctionis, quia non videns illam diſtinctionem: nec in creante, nec in creato, quantùm ad terminum formalem, dicit, quòd vna actio ſemper manens reſpectu creaturæ, eſt creatio, inquantum intelligitur coëxiſtere primo *nunc* temporis, quia *nunc* temporis præceſſit *non eſſe* illius creati: & illa eadem actio manens dicitur conſeruatio: inquantum coëxiſtit aliis partibus temporis non immediatè ſequentibus *non eſſe*; ſed *eſſe* præhabitum cum illis partibus temporis: & ita illa actio eſt quaſi continuatio *eſſe* præhabiti, non comparando ad *eſſe*, vbi non eſt priùs nec poſterius: ſed comparando ad *eſſe*, vbi non eſt priùs nec poſterius: ſed comparando ad partes temporibus, quibus coëxiſtit.

Explicat quomodo differunt creatio & conſeruatio, ſecundum vtraque ſententiam de duratione angeli.

12.

b Sed præter intentionem Auguſtini ratio ibi adducta videtur habere difficultatem, ſcilicet quòd alia cauſatione res habeat *eſſe* cum vno *nunc*, & cum alio, quia illud non habetur completiuè aliqua cauſatione: cuius oppoſitum videtur ſtare, poſita tali cauſatione.

Reſpondeo igitur, quòd iſta propoſitio eſt diſtinguenda ſecundùm compoſitionem, & diuiſionem, quia in ſenſu compoſitionis eſt vera: quia illud non habetur aliqua cauſatione completiuè, cuius oppoſitum ſtat, ſtante tali cauſatione: ita quòd iſta ſint ſimul: ſed in ſenſu diuiſionis, eſt falſa, quia & ipſa res poterat non eſſe, licèt poſita fuerit cauſatio, qua res habet ſuum *eſſe* vltimatè. Ita etiam [c] licèt poſita ſit creatio Angeli, poteſt tamen diuiſim hac poſita ſtare, quòd Angelus non ſit, licèt non coniunctim. Et per hoc patet ad ſimile argumentum, quod non poſſunt ſimul ſtare quòd Angelus creetur & annihiletur: ergo non eſt idem creari, & conſeruari, quia quando conſeruatur, poteſt annihilari, non autem quando creatur.

20.

In ſenſu diuiſo, ſenſus eſt, angelus poteſt non eſſe, quia ipſa cauſatio poteſt non eſſe, ſed non poteſt non eſſe, dum cauſatio ad eum terminatur. 1. in ſenſu com-

Reſpondeo, ſicut non ſtatim ſimul [d] in ſenſu compoſitionis Angelum conſeruari, & annihilari, ita nec creari, & conſeruari ſtant ſimul in ſenſu compoſitionis: ſed in ſenſu diuiſionis ſtat circa Angelum eſſe quandoque creationem, ſiue conſeruationem: & tamẽ quòd quãdoque poſſit nõ eſſe, & ſic poſſit eſſe annihilatio, ſicut dictũ eſt

in ma

in materia de prædeſtinatione, & præſcientia Dei, quòd in ſenſu diuiſionis eſt potentia ad vnum oppoſitum manente alio: non tamen quòd ſit potentia ad illud oppoſitum ſimul eſſe cum alio oppoſito manente. *poſito. diſt. 39. pri. & 40.*

21. Ad ſecundum dicitur [c] quòd non eſt aliud ex parte Angeli ipſum eſſe, fuiſſe, & fore: tamen aliam habitudinem ipſius *eſſe* ad tempus notant iſta: quia, ſicut dictum eſt *diſt. 9. primi* de *generari*, & *genitum eſſe*, per quæ conſignificatur *nunc* æternitatis inquantùm coëxiſtens diuerſis partibus temporis: ita dicerent etiam iſti de *nunc* æui, quod idem poteſt eſſe, & coëxiſtere omnibus partibus temporis. *Ad rationem 2. pro D. Bon. Fuiſſe, eſſe & fore in Angelo, idē quoad ſe.*

Et cùm dicitur in argumento [f] non poteſt facere Angelum non fuiſſe, negatur iſta, vt eſt nota rei ſignificatæ per *fuiſſe*: quia illa res ſignificata per *fuiſſe*, eſt illud idem *eſſe* quod nunc habet Angelus.

Et ſi dicatur [g] præteritum non poteſt non fuiſſe; negatur minor, quia hoc non eſt præteritum in ſe. Exemplum huius eſt: Si Filius Dei, cum hoc, quòd generatur in æternitate, acciperet aliam naturam, ſecundùm quam penderet à Patre per impoſſibile; tunc diceretur idem in eo *eſſe generari*, & *genitum eſſe*: & illud *eſſe* Filij poſſet abſolutè *non eſſe*: & inquantum iſtud *eſſe* quaſi immediatè ſequeretur ſuum *non eſſe*, diceretur generari: & inquantum quaſi mediatè ſequeretur ſuum *non eſſe*, vt coëxiſtens aliis partibus temporis, diceretur genitum eſſe. Et ita conſeruatio, & productio ſiue creatio, differunt ſola actione intellectus: & poteſt conſeruatum non eſſe, quando conſeruatur: & quando producitur, in ſenſu diuiſionis. Et ſi arguatur [h] Præteritum non poteſt non coëxtitiſſe iſti: ergo iſtud non poteſt non fuiſſe: videtur eſſe fallacia figuræ dictionis, commutando *quando*, in *quid*. *Angelum creatum, non fuiſſe quomodo poſſibile?*

22. i Ad confirmationem illius ſecundæ rationis, de contradictoriis volitis in æternitate, poteſt dici, quòd licèt Deus voluit me ſedere pro A, & non ſedere pro B: tamen priùs naturaliter volita ſunt ab eo ipſa obiecta quàm ipſa *nunc* menſurantia, & in illo priori oportet quærere, non contradictionem iſtorum volitorum: alioquin per ipſa *nunc* poſteriora eis adiecta, non videtur poſſe tolli illa contradictio reſpectu huius. Ita hîc: ſi enim vellet Angelum eſſe pro hoc *nunc*, & non eſſe pro hoc *nunc*: Primò quærenda eſt poſſibilitas, quomodo vellet Angelum eſſe, & non eſſe. *Improbat Henr. dicentem, æuū non eſſe ſeparabile à tempore.*

Dico tunc quòd ſi *nunc* ponatur in quocunque æuiterno, tanquam proprium ſibi, Deus vult ipſum eſſe in illo *nunc* poſitiuè: & vult ipſum non eſſe negatiuè, volendo illud *nunc* non eſſe: & tunc [k] ſi aliud æuiternum ſit, in cuius *nunc* fiant ambo iſta, hoc accidit ipſis *nunc*: nam illud *nunc* illius æuiterni, non eſt propria menſura eorum: ſicut nec æternitas, in qua æternitate poſſunt eſſe contradictoria, quæ ſuccedunt ſibi in omnibus menſuris. Aut ſi non [l] ponatur in aliquo æuiterno aliquod *nunc* aliud ab exiſtentia actuali ipſius Angeli, ſicut dicetur in quæſtione ſequenti, tunc vult iſtum eſſe cum æternitate: & vult ipſum non eſſe cum æternitate: non tamen vult ipſum eſſe cum æternitate ſecundùm omnem præſentialitatem æternitatis; nec non eſſe cum tota æternitate hoc modo: quia tunc eſſet contradictio, non eſt autem contradictio, comparando iſta ad æternitatem, non ſecundùm totam rationem præſentiæ ſuæ infinitæ. *Quomodo Deus poteſt velle eſſe, & non eſſe Angeli cū æternitate?*

23. Ad tertium dico, [m] quòd ad hoc quòd ex coëxiſtentia alicuius quanti virtualis cum alio quanto propriè, ſcilicet molis, debet concludi infinitas quanti virtualis; oportet illud neceſſariò coëxiſtere omnibus partibus quanti alterius. Quod probo, quia quantum aliud non eſſet infinitum, niſi haberet neceſſariò omnes partes poſſibiles: ſicut tempus nunquam eſſet actu infinitum, niſi haberet neceſſariò omnes partes eius ſibi poſſibiles ſimul: ergo nihil concluditur eſſe infinitum virtualiter ex coëxiſtentia eius cum toto tempore: niſi neceſſariò coëxiſtat cum omnibus partibus temporis: tale autem non eſt æuum: dico tunc, quòd licèt formaliter habeat vnde poſſit coëxiſtere infinitis partibus temporis; non ſequitur propter hoc, quòd ſit in ſe infinitum, quia non habet formaliter, vnde neceſſariò ſic coëxiſtat. *Ad 3. rationem pro D. Bon.*

Ad aliud ſimile [n] de immenſitate, dico, quòd ibi non eſt ſimile, quia ibi illud, per quod poſſet eſſe præſens omni loco, eſſet in eo ſimul & non per aliquam conſeruationem cauſæ extrinſecæ. In propoſito autem habet vnde coëxiſtat partibus temporis: ſed nihil haberet, per quod coëxiſteret, niſi idem cauſaretur quaſi continuè ab aliqua cauſa extrinſeca, licèt non alia cauſatione: ita quòd ſimile huius magis eſſet de iſto, ſi cauſaretur continuè coëxiſtentia eius cum alio, & alio loco & ſi hoc poſſet eadem cauſatione, nunquam tamen vt ſimul coëxiſtens haberet infinitam præſentiam loco, & ita illud nunquam eſſet immenſum: ita in propoſito.

Contra, finitum ° non poteſt coëxiſtere ſimul toti infinito, ita quòd in ſe habeat totum. vnde poſſit ei coëxiſtere: ergo quod ſic coëxiſtit, eſt infinitum.

Reſpondeo. Antecedens negatur de illo infinito, quod eſt in ſucceſſione, & de illo finito formaliter habente, quod ſemper eadem actione habet: ita quòd non ſine tali actione.

Ad rationem 4.

p Ad quartum conceditur, quòd vnum æuum ſuccedit alteri æuo: & exiſtentia æuiterni, ſuccedit ſuo oppoſito, & vnum eſt poſt alterum: ſed ex hoc non concluditur aliqua ſucceſſio, in aliqua vna exiſtentia æuiterni alicuius. 24.

Quod vnus Angelus coexiſtat eſſe & non eſſe alterius, non ideo in ſuo eſſe, habet prius & poſterius.

Et per hoc q patet ad omnia alia argumenta, quòd illi duo Angeli, de quibus conceditur prius, & poſterius, quòd vnus manet poſt alium: ſi tamen tertius coëxiſteret ambobus in *eſſe* illius tertij, nullum eſt prius & poſterius: ſicut ſi dies hodiernus & craſtinus coëxiſterent æternitati, non propter hoc eſt prius & poſterius in æternitate.

Similiter conceditur r quòd priùs eſt exiſtentia Angeli quàm ipſius culpa ita quòd ipſa exiſtentia ſub innocentia, eſſet cum oppoſito illius exiſtentiæ, & ex illa ſecunda exiſtentia ſequeretur oppoſitum ſui, & oppoſitum primi: non tamen exiſtentia Angeli in ſua natura haberet aliquam ſucceſſionem: nec vt ſub innocentia exiſtens: nec vt exiſtens ſub culpa: ſed tantùm eſſet ſucceſſio in actibus, hoc eſt quod exiſtentia vnius actus eſt poſt alterius exiſtentiam: ſine tamen diuerſitate alterius in ſe.

Ad auctoritates adductas n. 9.

Auctoritates adductas pro illa opinione concedo, quia nulla creatura eſt à prima cauſa independens: ſed ſemper dependens à cauſa: non tamen dependentia continua, nec alia & alia, ſed eadem: & propter iſtam eandem poteſt quælibet creatura habere *eſſe* cum vna parte temporis, & non cum alia: & pro tanto poteſt quaſi cadere ſub tempore, hoc eſt, vt coëxiſtat vni parti temporis, & non alteri: & ita dicatur fuiſſe, non fore: & ita non æternum.

COMMENTARIVS.

1. *Soluuntur argumenta D. Bonauen.*

a *AD argumenta pro prima opinione.* Hic Doctor videtur ſoluere rationes D. Bonauenturæ pro opinione Henrici.

Ad primum dixerat Henricus, quòd illa actio, quâ Angelus incepit eſſe, diceretur & creatio, & conſeruatio: creatio inquantum aſſiſtit primo inſtanti temporis, quo accipit *eſſe*: & diceretur conſeruatio, inquantum coaſſiſtit ſecundo inſtanti temporis, in quo habet *eſſe*, & ſic tantùm vna actio, & non continua, & hoc eſt quod dicit in iſta litera.

b *Sed præter intentionem Auguſtini ratio ibi adducta*, ſcilicet Bonauenturæ, *videtur habere difficultatem*, &c.

Reſpondet Henricus ibi: *Reſpondeo, iſta propoſitio eſt diſtinguenda*, &c. Iſta enim propoſitio ſcilicet, *Illud non habetur aliqua cauſatione completiuè, cuius oppoſitum ſtat ſtante tali cauſatione*, eſt vera in ſenſu compoſitionis. Et vt clariùs intelligatur, pono exemplum, quòd Angelus habeat *eſſe*, & in primo inſtanti, & in ſecundo, & in tertio: nam in primo inſtanti accipit eſſe cauſatione A, de qua ſuprà: exiſtentia ergo Angeli in primo inſtanti non habetur completiuè iſta cauſatione in ſecundo inſtanti, quia in ſecundo inſtanti oppoſitum ſtat, ſupple, quia in tali ſecundo inſtanti potuit non eſſe. Si intelligatur in ſenſu compoſito, ſenſus eſt verus, quia ſtante cauſatione illa non poteſt ſtare *non eſſe* ipſius Angeli: & ſic in tali ſenſu, quòd ſit cauſatio terminata ad Angelum, & quòd ſimul Angelus non ſit, implicat. Eſt ergo vera iſta in ſenſu compoſito, *Angelus non habet completiuè eſſe cauſatione aliqua, cuius oppoſitum ſtat ſtante tali cauſatione.* Sed in ſenſu diuiſo eſt falſa, & eſt ſenſus, quòd Angelus habet *eſſe* in primo inſtanti, & tamen poteſt non eſſe, quia & talis cauſatio poteſt non eſſe in ſecundo inſtanti. Sic ergo in ſenſu diuiſo, hæc eſt falſa, *Angelus non habet eſſe completiuè cauſatione*, ſupple A, cuius oppoſitum ſtat, quia certum eſt, quòd Angelus poteſt habere *eſſe* completiuè cauſatione A, & verè poteſt non eſſe quia illa cauſatio poteſt non ſtare, & eſt ſimile illud non eſt verè album, cuius oppoſitum ſtat contrariè: ſi intelligatur in ſenſu compoſito, hæc eſt vera, quia ſtante nigredine non poteſt eſſe album; in ſenſu verò diuiſo eſt falſa, quia illud quod eſt nigrum nunc, poterit perfectè eſſe album cras: & ſic patet reſponſio. Et quod dicit infrà ibi, *Ita etiam licèt poſita ſit creatio Angeli, poteſt tamen diuiſim hac poſita ſtare, quòd Angelus non ſit, licèt non coniunctim.* Sententia huius litera. *Sententia huius litera.*

Et per hoc patet ad ſimile argumentum. Hoc argumento probare videtur, quòd creatio non ſit conſeruatio, quia quando conſeruatur Angelus poteſt annihilari, & quando creatur non poteſt: ergo differunt conſeruatio, & creatio. 2.

d *Reſpondeo ſicut non ſtant ſimul*, &c. Ad hoc argumentum reſpondetur, quòd conſeruari, & annihilari in ſenſu compoſitionis non poteſt eſſe, quia ſenſus eſt, quòd in eodem inſtanti, quo res, conſeruatur, annihiletur, ſenſus tamen diuiſus eſt verus, & eſt ſenſus. Illud, quod conſeruatur nunc, poteſt in alio inſtanti annihilari. Similiter dico de creari, & conſeruari: non enim eadem res creatur, & conſeruatur in ſenſu compoſitionis, quia ſenſus eſt, quòd *Quomodo conſeruari ſit annihilari.*

in

in eodem inſtanti, quo res creatur, in eodem etiam conſeruatur, & hic ſenſus eſt falſus, quia creatio dicit reſpectum *eſſe* rei ad *non eſſe* immediatè præcedens; conſeruatio verò dicit reſpectum eſſe rei ad *eſſe* ipſius rei creatæ in primo inſtanti, & ad *non eſſe* mediatè præcedens. Sed in ſenſu diuiſionis poteſt eſſe vera, & eſt ſenſus, res quæ nunc creatur, poſtea conſeruatur, & hoc eſt quod dicit.

Ad ſecundum argumentum.

e *Ad ſecundum.* Nunc reſpondetur ad ſecundum argumentum principale D. Bonauen. vbi dicebatur de *eſſe* æui, ſi eſt ſimplex, & mutabile, &c.

Reſpondeo ad hoc argumentum ſtat, quia præteritum, & futurum, ſiue *fuiſſe*, & *fore* propriè, & formaliter ſunt partes alicuius verè ſucceſſiui, cuius vna pars tranſit, & alia aduenit: quando ergo aliqua menſura eſt omnino indiuiſibilis, cuiuſmodi eſt æuum Angeli ſecundùm Henricum nunc in re, & formaliter non ſunt ibi *fuiſſe*, & *fore* quia *fuiſſe* eſſet vna pars pertranſita, & *fore* eſſet pars non pertranſita, & ſi dicatur in eodem indiuiſibili eſt *fuiſſe*, & *fore*, hoc non erit ratione ſui, ſed quia coaſſiſtit tempori præterito, vel futuro.

f *Et cùm dicitur in argumento*, &c. Dicit Doct. quòd ſi *fuiſſe* accipiatur formaliter pro eo, quod dico fuiſſe, verum eſt; ſi verò accipiatur *fuiſſe* pro re ſignificata, puta pro Angelo, de quo dicitur *fuiſſe*, dicit non eſſe verum, quia Angelus habet illud idem *eſſe*, quod priùs habuit.

3. g *Et ſi dicatur*, &c. Argumentum ſtat in hoc: præteritum non poteſt non fuiſſe, Angelus eſt præteritus, ergo non poteſt non fuiſſe.

Reſpondet negando minorem ſic intelligendo, *præteritum* poteſt capi dupliciter. Vno modo formaliter pro hoc, quod dico præteritum. Alio modo pro re, de qua prædicatur præteritum denominatione extrinſeca, quia præteritum dicitur prædicari de Angelo pro quanto æuum ipſius Angeli coaſſiſtit præterito temporis: negatur ergo, quòd Angelus in ſe, ſiue quo ad menſuram ſibi intrinſecam dicatur præteritus, imò ſemper idem eſt, & immutabilis; & ſic patet litera.

h *Et ſi arguatur præteritum*, &c.

Quæ ſit fallacia figuræ dictionis.

Reſpondeo, quòd eſt fallacia figuræ dictionis, &c. Patet, quia non ſequitur præteritum non poteſt non coaſtitiſſe iſti, puta Angelo: ergo Angelus non poteſt non fuiſſe, non ſequitur quia præteritum, vt præteritum dicit *quando*, & Angelus dicit *quid*, & ſic commutatur *quando* in *quid*.

4. i *Ad confirmationem illius ſecundæ rationis*, Primò dicit Doctor quòd ſicut Deus poteſt velle Angelum creare, & ipſum annihilare, ſicut ipſa obiecta cognita, puta *Angelum creari*, & *Angelum annihilari* ſunt priora, quàm ipſa *nunc* temporis menſurantia: in illo ergo priori oportet quærere quare non eſt contradictio *creari*, & *annihilari*, & ex hoc improbat Henricum, vt etiam ſuperiùs patet, qui dicebat, quòd hoc impoſſibile, puta Angelum creari, & annihilari: ſequitur ex alio impoſſibili, ſcilicet quòd æuum poſſit eſſe ſine tempore, & non eſt inconueniens vnum impoſſibile formaliter ſequi ex alio impoſſibili: & ſic negando æuum poſſe ſeparari à tempore, non inuenitur ratio ad verificandum, quòd aliquid poteſt creari, & annihilari. Sed ſi æuum non poteſt ſeparari à tempore, nunc poſſunt verificari, quia tunc vult Deus Angelum creare pro A inſtanti temporis, cùi uum aſſiſtat, & annihilari pro B inſtanti temporis, cui æuum aſſiſtat. Sed ſupra probatum eſt contra Henricum, quòd æuum poteſt ſeparari à tempore, ideò non poteſt aſſignari, quòd iſta non contradicant pro alio, & alio inſtanti temporis, cùm ſint priora tempore. Reſpondet ergo Doctor ad confirmationem Bonauenturæ ibi: *Primo quærenda eſt poſſibilitas, quomodo velit Angelum eſſe, & non eſſe*, ſupple vt non contradicant, & dicit primò (ponendo, quòd æuum Angeli ſit menſura inſtantanea, & propria ipſius, & dicatur *nunc*) quòd Deus poteſt velle Angelum eſſe, & vult in iſto *nunc* poſitiuè, quia vult ipſum Angelum eſſe, & vult ipſum non eſſe in iſto *nunc* negatiuè, quia vult ipſum, cum *nunc*, ſibi proprio deficere, & iſta non contradicunt, ſed benè contradiceret, ſi vellet ipſum eſſe, & non eſſe in *nunc* poſitiuè; ſicut ſi dicamus, quòd inſtans A temporis ſit proprium Franciſco, & intrinſecum ſibi, Deus vult Franciſcum eſſe in iſto inſtanti poſitiuo, & vult ipſum non eſſe in ipſo inſtanti negatiuè; & non eſt contradictio, quia cùm vult ipſum non eſſe in inſtanti negatiuè, vult ipſum deficere cum inſtanti.

An æuum poſſit ſeparari à tempore.

k Et quod addit ibi, *& tunc ſi aliud æuiternum ſit*, &c. Pro clariori intelligentia huius literæ pono, quòd ſit vnus Angelus, qui dicatur A habens proprium æuum, & alius Angelus, qui dicatur B, habeat *eſſe* in æuo ipſius A, & habeat *non eſſe* in tali æuo, quia hoc poteſt eſſe, ponendo quòd A duret in æternum, & quòd B ſi dici poteſt, duret per horam: nam in aliquo inſtanti habuit *eſſe*, & in alio inſtanti illius horæ habeat *non eſſe*: ergo *eſſe* & *non eſſe* ſunt in eodem *nunc* æui ipſius A & in eodem *nunc* poſitiuè, cùm illud *nunc* maneat in æternum. Dicit Doctor quòd B eſſe, & non eſſe in æuo ipſius A, ſiue in *nunc* temporis æui, accidit ſibi illud *nunc*, cùm ſit menſura extrinſeca ipſius *eſſe*, & *non eſſe* B, ſicut etiam de æternitate: nam B in inſtanti æternitatis poteſt eſſe, & non eſſe, & tamen non contradicunt, cùm æternitas ſit menſura extrinſeca illius; eſſet tamen contradictio, quod haberet *eſſe*, & *non eſſe* in *nunc* ſibi proprio, & poſitiuo. 5.

l *Aut ſi ponatur in aliquo æuiterno*, &c. Doctor in iſta litera adhuc ſaluat Deum velle creare Angelum, & velle ipſum annihilare, non eſſe contradictoria, quia ſi vult ipſum in æternitate, ſed non ſecundùm totam præſentialitatem ipſius, ſed ſecundùm aliquam præſentialitatem, & ſit A, & velit ipſum annihilare in æternitate ſecundùm aliam præſentialitatem, & dicatur B, tunc velle creare, & velle annihilare non contradicunt, ſed benè eſſet contradictio, ſi vellet huiuſmodi ipſum Angelum creare, & annihilare pro eadem ſimpliciter præſentialitate æternitatis, & ſic patet litera.

6. m *Ad tertium dico.* Hic reſpondet ad argumentum D. Bonau. factum in tertia via, & dicit, quòd *coëxiſtere infinitis partibus temporis virtualiter*, poteſt dupliciter intelligi. Vno modo, quòd de neceſſitate naturæ, & ex ſua propria ratione coëxiſtat, & tale eſt infinitum actu. Alio modo, quòd non neceſſariò, ſed à cauſa extrinſeca faciente illud coëxiſtere, & tale non eſt infinitum. Primo modo æternitas coëxiſtit: ſecundo modo ipſum æuum: nam ex quo æuiternum, ſiue menſuratum ab ipſo æuo, habet eſſe contingenter, & per conſequens ipſum æuum, & in quolibet inſtanti poteſt

Ad tertium argumentum pro tertia via Bonau.

non

non eſſe, coëxiſtit ergo omnibus partibus temporis: quia illa actio & ipſum æuum continuè coëxiſtunt ratione agentis extrinſeci.

n *Ad aliud ſimile de immenſitate.* Dicit, quòd non eſt ſimile, & ratio eſt, quia per quod formaliter eſt in omni loco, puta Angelus eſſet in omni loco formaliter, & totum ſimul eſſet in Angelo, & ſic Angelus eſſet immenſus: non ſic eſt de æuo, quia æuum non habet in ſe formaliter, & totum ſimul, quod coëxiſtat infinitis partibus temporis, quia illud æuum coëxiſtit alij, & alij parti tantùm per actionem cauſæ extrinſecæ, & hoc eſt quod dicit, ibi:

o *Contrà, finitum non poteſt coëxiſtere*, &c. 7. quia Henricus dicit, quòd æuum poteſt coëxiſtere infinitis partibus temporis, arguit quòd non, quia æuum eſt finitum, & ſic non poteſt coëxiſtere infinito.

Reſpondeo, &c. Dicit Doctor, quòd finitum formaliter habens, quod ſemper eadem actione habet, ita quòd ſine tali non poteſt coëxiſtere infinito in ſucceſſione, & patet, quia ſi Deus actione A creat Franciſcum, & eadem actione, qua Franciſcus habet *eſſe*, ipſe Franciſcus coëxiſtat infinitis partibus temporis, quia actione diuina poteſt durare in infinitum: non ſequitur ipſum Franciſcum eſſe infinitum actu: ſic dico de æuo Angeli, ſi verò haberet hoc actione propria, & nullo modo aliunde eſſet infinitum actu.

Ad aliud de negatione negationis, patet reſponſio ex ſupradictis, quia non eſt inconueniens aliquod finitum in ſe habere coëxiſtentias infinitas actione diuina, non tamen ſimul.

Ad quartum pro quarta via.

p *Ad quartum conceditur.* Nunc reſpondet ad argumentum quartæ viæ, concedendo, quòd vnum æuum ſuccedit alteri æuo, & exiſtentia æuiterni ſuccedit ſuo oppoſito, & vnum eſt poſt alterum, ſed ex hoc non concluditur aliqua ſucceſſio in aliqua vna exiſtentia alicuius æuiterni, & hoc totum exponatur, ſicut priùs expoſitum eſt.

q *Et per hoc patet ad omnia alia argumenta*, concedendo, quòd quamuis vnus Angelus habeat *eſſe* prius, & alius habeat eſſe poſterius, ita tamen, quòd ly *prius* acciperetur per coëxiſtentiam ad prius in tempore, & ſi tertius Angelus coëxiſteret illis duobus Angelis, in ipſo tertio Angelo eſſet tantùm prius, & poſterius comparando idem *eſſe* Angeli ad prius, & poſterius in tempore, non autem eſſet prius, & poſterius in exiſtentia ipſius Angeli, & hoc eſt quod dicit.

r *Similiter conceditur.* Hæc litera ſtat in hoc, quòd quamuis in Angelo poſſit eſſe prius, & poſterius ſecundùm exiſtentiam alterius, & alterius actus ſibi inuicem ſuccedentis, ita quòd exiſtentia vnius actus poteſt verè ſuccedere exiſtentiæ alterius actus, non tamen ſequitur, quòd in exiſtentia ipſius Angeli in ſe ſit ſucceſſio prioris, & poſterioris: & hoc eſt quod dicit. Hanc tamen literam aliqualiter expono. Cùm dicit, quòd *priùs eſt natura Angeli, quàm ipſius culpa*, &c. vult dicere, quòd exiſtentia Angeli ſub innocentia, eſſet cum oppoſito illius exiſtentiæ ſcilicet culpæ; patet, quia cum innocentia ſtat *non eſſe* culpæ: & ita innocentia eſt cum oppoſito culpæ, ſupple cum *non eſſe* culpæ, quod opponitur *eſſe* culpæ: & addit, quòd *ex illa ſecunda exiſtentia*, ſcilicet culpæ, *ſequitur oppoſitum ſui*, id eſt, quòd *eſſe* ipſius culpæ immediatè ſequitur ipſum *non eſſe* culpæ. Et addit, quod *ex ea*, ſupple, culpa, *ſequitur oppoſitum primi*, ſcilicet non eſſe innocentiæ: nam primum, ſub quo ponitur Angelus eſt innocentia, & oppoſitum eius eſt non innocentia, & ſecundum ſub quo ponitur Angelus eſt culpa, & oppoſitum eius eſt non culpa, *& ſic ex illa ſecunda exiſtentia*, ſcilicet culpæ ſequitur oppoſitum ſui, quod eſt *non eſſe* culpæ, & oppoſitum primi, quod eſt non innocentia, quæ opponitur innocentiæ. Litera ſequens clara eſt vſque ad argumenta principalia. *Expoſitio literæ.*

SCHOLIVM.

Soluit argumenta principalia poſita n. 2 ſuadentia in duratione Angeli ſucceſsionem: non tamen ſoluit poſita num. 1. quæ ſuadent non dari talem ſucceſsionem, ex quo colligo, Doctorem non ſentire cum Bonau. licèt argumenta Henr. contra eum ſoluerit.

AD argumenta principalia. Ad primum [a] conceditur, quòd vnus Angelus creatur priùs alio: ſed non propter hoc ſequitur, quòd in *eſſe* Angeli priùs creati, ſit prius & poſterius. 25.

Ad 2. In quo nũc, Angelus annihilari poteſt circunſcripto tempore? Ad 3. In Angelo annihilato reparato, eſt ſucceſſio oppoſiti ad oppoſitum, non ſucceſſio ſimpliciter. Soluit ſiue teneas, auũ diſtingui vel non, ab æuiterno.

Ad ſecundum ſimiliter poteſt dici, [b] quòd Angelus poteſt annihilari in eodem *nunc* negatiuè, ſi habet *nunc*, id eſt, quòd ſuum *nunc* deficiat ſecum: ſi autem ſuum *nunc* non differat à ſua exiſtentia, tunc poteſt annihilari cum æternitate, & eſſe cum æternitate: ſed non cum tota ratione præſentialitatis æternitatis.

Ad vltimum dico [c] quod *eſſe* reparati, ſequitur *non eſſe* annihilati: & illud *non eſſe*, præceſſit *eſſe* creati, & illud *eſſe* præceſſit *non eſſe* creabilis: & ita idem *eſſe* ſequitur ſeipſum idem eſſe, mediante *non eſſe* interrumpente: nec ſequitur ex hoc aliqua continuatio in ipſo *eſſe*, ſi non fuiſſet annihilatum, quia modò non eſt ſucceſſio in aliquo vno, ſed vnius oppoſiti ad alterum.

Contrà, [d] ergo ita ſimul eſt exiſtentia interrupta cum ſeipſa reparata, ſicut non interrupta.

Reſpondeo, ſi non eſſet ibi ſucceſſio oppoſiti ad oppoſitum, quod oppoſitum ibi mediat inter hoc eſſe & ſe, ſequeretur, quòd eſſet tanta ſimultas, ſicut ſi oppoſitum non interueniret; nunc autem oppoſitum quaſi mediat inter *eſſe* creatum, & ipſum *eſſe* reparatum: & hoc oppoſitum eſt aliquod medium, vel aliquam habitudinem habet ad vtrumque extremum: & ideò non ſunt ita ſimul, ſicut ſi *non eſſe* non interueniſſet: ſi tamen modò ſit idem *nunc* reparatum: vel ſi eadem exiſtentia nullum requirit

quirit *nunc* verè idem: & in eodem eſt exiſtentia reparata, & creata ſine omni ſucceſſione in illo in ſe: licèt ipſum vt in *eſſe* poſitum ſuccedit ſibiipſi, vt priùs poſitum in *eſſe*, ita fuiſſet in eodem *nunc*, ſi non fuiſſet interruptum, & abſque omni ſucceſſione vtroque modo.

COMMENTARIVS.

1. NVnc ſoluenda ſunt argumenta principialia: quibus probatur menſuram Angeli eſſe verè ſucceſſiuam: & licèt magis declinet ad opinionem D. Bonauenturæ, quòd menſura Angelorum ſit quantitas ſucceſſiua eo modo, quo expoſitum eſt in corpore quæſtionis; tamen ſi quis vellet tenere oppoſitum, reſpondendo ad argumenta iſta, dat modum ſuſtinendi illud.

Quomodo vnus Angelus ſit prior alio.

a Ad primum reſpondet Doctor concedendo antecedens, & negando conſequentiam: & reſponſio ſtat in hoc, quòd quamuis vnus Angelus ſit prior alio ſecundùm entitatem, & poſtea ſit ſimul cum illo alio ſecundùm propriam entitatem, non tamen illud prius, & illud poſterius ponitur aliqua menſura ſucceſſiua menſurans exiſtentiam ipſius Angeli, ſed tantùm ponitur exiſtentia, quæ vt priùs creatur, ſecundùm ſuum *eſſe* tantùm præcedit, & vt eſt ſimul cum alio Angelo, & per conſequens poſterior ſeipſa, dicitur tantùm poſterior, non ſecundùm aliquam menſuram ſibi additam.

2. b *Ad ſecundum ſimiliter poteſt dici*, & dat duas reſponſiones. Prima, ſi ponatur, quòd in exiſtentia Angeli ſit *nunc* æui indiuiſibile tantùm vnum, & differens ab exiſtentia Angeli, concedit Doctor quòd annihilatur in illo *nunc* negatiuè, non autem poſitiuè. Annihilari in *nunc* negatiuè eſt ſimul deficere cum ipſo *nunc*, ita quòd talis annihilatio non menſuratur aliquo *nunc* poſitiuo. Angelum verò annihilari in nunc poſitiuè, eſt ponere aliquod *nunc* poſitiuum menſurans illam annihilationem. Tenendo ergo, quòd tantùm ſit vnum *nunc* in exiſtentia Angeli, Angelus tantùm annihilaretur in illo *nunc* negatiuè modo præexpoſito. Secunda reſponſio eſt, ſi ponatur *nunc* æui non differre ab exiſtentia Angeli, tunc annihilatur cum æternitate, & eſt cum æternitate, ita quòd quando exiſtit, cum æternitate exiſtit, & quando non exiſtit, cum æternitate non exiſtit. Et hoc concedamus Angelum exiſtere cum æternitate, & annihilari cum eadem, non tamen dicimus exiſtere cum tota præſentialitate æternitatis, & ſimiliter annihilari cum tota præſentialitate eiuſdem, cùm hoc ſit impoſſibile.

Quid ſit annihilari negatiuè.
Quid ſit annihilari poſitiuè.

c Ad tertium reſpondet Doctor ibi: *Ad vltimum*, &c. Pro maiori intelligentia huius literæ ponit multa per ordinem. Primò eſt *non eſſe* Angeli creabilis. Secundò eſt *eſſe* ipſius creatum. Tertiò eſt *non eſſe* ſequens ipſum *eſſe* creatum, quod *non eſſe* eſt *eſſe* annihilatum. Quartò eſt ipſum idem *eſſe* de nouo creatum, & ſic reparatum; & vult quòd idem *eſſe* annihilatum ſit illud idem reparatum. Et cùm infertur in argumento, ſicut prius eſt *non eſſe* Angeli creabilis, & poſterius eſt *eſſe* creatum ipſius, & pòſt eſt *eſſe* eius annihilatum, & poſtremò eſt *eſſe* ipſius reparatum: & ſic videtur ibi menſura diuiſibilis ſecundùm prius, & poſterius: ergo ſi ipſum *eſſe* Angeli creati exiſteret per totum illud ſpacium, in quo eſt annihilatio, & reparatio, videtur quòd illa exiſtentia menſuraretur menſura diuiſibili. Dicit Doctor quòd ſi *eſſe* Angeli exiſteret per illud totum ſpacium, in exiſtentia ipſius non eſſet aliqua ſucceſſio, quia oppoſitum ſuccedit alteri, quia non poſſunt eſſe ſimul: nam *eſſe* creatum ipſius Angeli, ſuccedit *non eſſe* ipſius, cui opponitur: & *eſſe* annihilatum ipſius ſuccedit *eſſe* creato Angeli tanquam oppoſito; & *eſſe* reparatum Angeli ſuccedit ipſi Angelo annihilato, tanquam oppoſito: in exiſtentia autem Angeli quantùmcunque durantis, non ſunt ibi huiuſmodi oppoſita ſibi inuicem ſuccedentia.

Contrà, ergo ita ſimul eſt exiſtentia, &c.

Reſpondet Doctor, concedendo quòd eſſet tanta ſimultas ipſius Angeli creati, & reparati, ſicut creati, & non reparati, & ſi non eſt tanta ſimultas, hoc eſt tantùm propter oppoſiti ſucceſſionem, quia ſi non mediaret oppoſitum *eſſe* reparati, & etiam oppoſitum ipſius creati, quod eſt *eſſe* annihilatum, tanta ſimpliciter eſſet ſimultas inter *eſſe* creatum, & *eſſe* reparatum,

---

QVÆSTIO II.

Vtrùm in a Angelo actualiter exiſtente, neceſſe ſit ponere aliquid menſurans eius exiſtentiam, vel durationem exiſtentiæ eius, realiter aliud ab ipſa exiſtentia?

Alenſis, D. Thom. D. Bon. Richard. Hen. *cæterique Doctores citati q. præced.* Vide Scot. *in Theor. §. non poteſt probari Deum aliquid.* Vorrollong. 2.d.2.q.2. Ægid. 2.d 2.q.1.ar 3. Bacon. *hìc art.* 4. & 5.

1. QVòd ſic b: Tempus differt à motu per hoc quòd menſurat ipſum, ſicut probat Philoſophus 4. Phyſ per hoc, quòd tempus non eſt velox nec tardum: motus autem dicitur velox & tardus, & per alias rationes: ergo à ſimili, æuum eſt aliquid aliud ab exiſtentia æuiterni menſurans ipſum. *Mag. E. D. Tho. p.1. q.10. a.5. quodl.5.a.7 Arg. 1. Tex. 96.*

Secundò ſic, c quantitas permanens & ſucceſsiua ſunt eiuſdem generis: ergo vtrumque eſt aliquid aliud à ſuo ſubiecto, maximè ſi illud pertineat ad genus ſubſtantiæ: *Arg. 2. Tex. 95.*

ergo

ergo ſicut quantitas permanens eſt aliud ab eo cuius eſt menſura: ita & quantitas ſucceſſiua.

Ratio ad. Contrà, de illo alio ſi ſit, quæro, quo durat in eſſe? Si ſeipſo, ergo pari ratione ipſa exiſtentia poterit ſeipſa durare formaliter, quia iſtud aliud non erit perfectius ipſa actuali exiſtentia eius, cùm ſit quaſi paſsio eius ſi autem alioà ſe abſoluto durat in eſſe, erit proceſſus in infinitum in menſuratis & menſuris.

COMMENTARIVS.

a TITVLVS quæſtionis eſt iſte; an menſura Angeli, quæ à D. Bonauentura ponitur quantitas abſoluta, & ſucceſſiua, & ab Henrico ponitur quantitas abſoluta indiuiſibilis, quæ tamen vt ſuprà patuit quæſt. 1. huius diſtinctionis realiter diſtinguitur, ab exiſtentia Angeli?

b Arguit primò pro parte affirmatiua, ſic: Sicut ſe habet tempus ad motum, ita æuum ad exiſtentiam Angeli: quia ſicut tempus ponitur menſura motus, ita æuum menſura exiſtentiæ Angeli: ſed tempus differt realiter à motu: ergo & æuum eſt menſura alia ab exiſtentia Angeli. Patet minor per Philoſophum 4. *Phyſic. text. com. 96.* Vbi probat quòd tempus differt à motu, per hoc quòd tempus non eſt velox, nec tardum, motus autem dicitur velox, vel tardus; ergo differt à motu.

c Secundò ſic: Quæ ſic ſe habent, quòd ſunt eiuſdem generis, ſi vnum differt realiter ab aliquibus alterius generis, & reliquum differt, ſed quantitas permanens & ſucceſſiua ſunt eiuſdem generis quantitatis: cùm ergo quantitas permanens realiter differat à ſuo ſubiecto, præſertim ſi tale ſubiectum ſit de genere Subſtantiæ, ergo & quantitas ſucceſſiua realiter differt à ſuo ſubiecto; imò exiſtentia Angeli eſt de genere Subſtantiæ, & menſuratur, & menſuratur quantitate ſucceſſiua, vt ſuprà patuit, tenendo opinionem D. Bonauenturæ.

TEXTVS.

Prima opi. D. Bonau. RESpondeo [a] patet enim, quòd prima opinio in præcedenti quæſt. debuit concedere partem affirmatiuam: quia æuum verè poteſt habere rationem menſuræ, & eſſe quantitatem propriè: & ita differre ab exiſtentia Angeli, quæ non eſt in ſe formaliter quanta, ſed indiuiſibilis: ſimiliter in illa exiſtentia ſuccedunt ſibi inuicem *nunc* æui alia & alia: ergo vtrumque differt ab ipſa exiſtentia Angeli, ſicut quoddam abſolutum ſecundùm illam poſitionem: quia ſunt indiuiſibilia de genere quantitatis. 2.

Henric. quodl. 2. q. 2. quære Var. q. 3. huius diſt. Similiter aliqui [b] tenentes ſecundam opinionem in præcedenti quæſt. ſcilicet de indiuiſibilitate æui, dicunt ipſum æuum pertinere ad genus Quantitatis; non ſicut diuiſibile, ſed indiuiſibile in genere illo: ita quòd ex multis indiuiſibilibus eiuſdem ſpeciei menſurantibus, ſcilicet exiſtentias plurium æuiternorum eiuſdem ſpeciei, poteſt componi quantitas diſcreta, quæ ſit numerus & menſura in æuiternis: ſicut numerus in corporalibus eſt ex indiuiſibilibus vnitatibus diſcretis in eis. Pro hoc adducunt rationes. Quære.

COMMENTARIVS.

a *RESpondeo.* Hîc Doctor primò recitat duas opiniones, videlicet Henr. & Bonauenturæ. Et dicit, quòd prima opinio debuit concedere partem affirmatiuam, ſcilicet quòd æuum, quod ponitur menſura Angeli; & quantitas ſucceſſiua, debet differre ab exiſtentia Angeli. Patet, quia exiſtentia Angeli eſt ſimpliciter indiuiſibilis, æuũ autem eſt diuiſibile in plura *nunc*, quorum vnum ſuccedit alteri, & ſic indiuiſibile non identificatur realiter diuiſibili: tum etiam, quia exiſtentia Angeli, vt eſt in primo *nunc*, actu poteſt eſſe ſine ſecundo *nunc*, & per conſequens realiter diſtinguitur ab illo, & vt ſit ſub ſecundo *nunc* æui, annihilatur primum *nunc*; & hoc eſt quod dicit Doct. ibi: *ſimiliter in illa exiſtentia ſuccedunt ſecundùm illam poſitionem* ſancti Bonauenturæ.

b *Similiter aliqui tenentes ſecundam opinionem in præcedenti quæſt.* ſcilicet de indiuiſibilitate æui. Hîc Doctor dicit duo ſecundùm opinionem Henrici. Primum, quòd toti exiſtentiæ vnius Angeli tantùm ponitur vnum *nunc* æui indiuiſibile menſurans totam eius exiſtentiam, ita quòd eſt impoſſibile in eadem exiſtentia Angeli ponere plura *nunc* ſibi inuicem ſuccedentia, ſed tantùm ponitur vnum menſurans exiſtentiam eius pro quantacunque duratione, & deſinente exiſtentia illius deſinit illud *nunc*, & poſita illa, ponitur illud idem *nunc*, vt ſuprà patuit *in 1. q. huius diſt.* Secundò dicit ſecundùm iſtam opinionem quòd plura *nunc* menſurantia plures exiſtentias Angelorum, ſunt eiuſdem rationis, & eiuſdem ſpeciei, & ex illis pluribus *nunc* poteſt componi quantitas diſcreta, quæ ſit numerus, & menſura æuiternorum. Vult dicere iſta opinio, poſito quòd ſint mille Angeli, ponuntur mille *nunc* correſpondentia illis, ita quòd quilibet Angelus habet proprium *nunc* menſurans eius totam exiſtentiam, pro quacunque duratione eius, & ex illis mille *nunc* componitur vna quantitas diſcreta actu includens mille *nunc*, & talis quantitas diſcreta menſurat mille exiſtentias Angelorum, non quòd tota illa quantitas menſuret vnam exiſtentiã Angeli, ſed ſic intelligendo, quòd vnum *nunc*, quod eſt pars illius quantitatis diſcretæ menſurat indiuiſibiliter exiſtentiam vnius Angeli, & aliud *nunc*, quod ſimiliter eſt pars illius quantitatis, menſurat exiſtentiam alterius Angeli, & ſic de aljis, & ſic patet iſta poſitio. Et dicit iſta opinio quòd *nunc* menſurans exiſtentiam Angeli, realiter diſtinguitur ab ipſa exiſtentia, & ex alia parte concedit, quòd eſt impoſſibile exiſtentiam Angeli eſſe *nunc* non exiſtente, & è contra. *De identitate reali quadam præſuppoſita.*

SCHO

SCHOLIVM.

Poſitis ſententiis Bona. & Henrici, affirmantibus, ponit propriam negantem diſtinctionem realem inter æuum & æuiternum: quia æuiternum eſt prius ſuo æuo, & inſeparabile ab eo, nec ſe habent iſta inſtar aliorum, quæ ſeparari poſſunt. Hoc videtur contra id quod tribuitur Scoto de diſtinctione totius à partibus vnitis, de quo 3. diſtinctione 2. quæſtione 2. articulo 1.

3. CONtra iſtud arguitur [c] ſicut priùs argutum eſt *in quæſtione 5. primæ diſtinctionis huius ſecundi in ſolutione principali.* Illud (quod ſi eſſet diſtinctum ab aliquo, eſſet poſterius eo naturaliter) neceſſariò eſt idem illi, ſi incompoſſibile eſt illud aliud eſſe ſine eo: igitur ſi impoſſibile eſt eſſe Angelum ſine aliquo extrinſeco, quod ſit menſura actualis exiſtentiæ eius, cùm illud, ſi eſſet aliud, eſſet poſterius naturaliter ipſa actuali exiſtentia Angeli, ſequitur quòd non eſt aliud ab exiſtentia eius: aut ſi eſt aliud & per conſequens poſterius, poterit actualis exiſtentia abſque contradictione eſſe ſine eo, & ita non eſt neceſſarium ponere illud.

Æuum nõ eſſe quid realiter diſtinctũ ab exiſtentia. Vnde colligitur diſtinctio realis? Secundum præſentem ordinem eſt q.4. Text.39.

Confirmatur ratio iſta [d] & illa ſimiliter, de qua fit mentio *in 5. quæſt. diſtinct. 1. huius ſecundi*, quia diſtinctio aliquorum, quorum vnum propriè ineſt alteri non concluditur, niſi vel ex ſeparatione actuali, vel potentiali: vel niſi ſint talia, quæ ſic ſe habeant ad inuicem, ſicut aliqua alia, quorum vnum eſt ſeparabile ab alio. Hoc tertium addo, quia ſecundùm Philoſophum. 7. *Metap. cap. de partibus definitionis*, parabola Socratis minoris, vel iunioris, multos ſeduxit in veritate, dicentis, quòd ſi non eſt circulus niſi in ære: non propter hoc eſſet æs in definitione circuli: & à ſimili inferentis, quòd non oportet carnes eſſe in definitione hominis, licèt homo non ſit ſine carnibus; dato inquam, quòd eſſet incompoſſibilis ſeparatio iſtorum ab inuicem: ſi tamen iſta ſic ſe habeant ad inuicem, ſicut aliqua alia, quorum eſt poſſibilis ſeparatio, concluditur iſta eſſe diſtincta: puta ſi ex ratione propria circuli, & trianguli, carnis, & ligni, concluditur circulum ſic ſe habere ad lignum, ſicut triangulum ad carnem: & probatur ſeparabilitas ex vna parte: concluditur diſtinctio ex alia: & dato qnòd ſit inſeparabilitas ab vna parte; hoc non eſt ex propria ratione, ſed ex aliquo extrinſeco.

Sic vocat Platonem quia fuit diſcipulus Socratis. Exemplũ, ita ſe habet nigredo ad eoruũ, ſicut nigredo ad parietem ab hoc diſtinguitur realiter, ergo & ab illo, licet non ſit ab eo ſeparabilis.

Accipio ergo, quòd nihil poteſt concludi eſſe diſtinctum ab alio, niſi vel propter ſeparationem actualem, vel potentialem, vel propter proportionem iſtorum ad aliqua alia, quorum alterum eſt ab altero ſeparabile: ſed in propoſito nullum iſtorum contingit: non enim, per te, eſt hîc aliqua ſeparatio actualis, vel potentialis, nec iſta ſe habent ad inuicem, ſicut aliqua diſtincta inſeparabilia: quia nihil diſtinctum ab alio realiter, ſine quo non poteſt eſſe ſine contradictione: eſt prius eo: ſed vel eſt poſterius eò naturaliter, vel ſimul natura cum eo: iſtud autem quod ponitur aliud ab Angelo ſi eſſet, eſſet poſterius naturaliter: igitur &c.

Hinc videtur partes vnitas non diſtingui à toto, de quo Scot. 3. d. 2. q. 3. a. 1.

COMMENTARIVS.

c *Contra iſtud arguitur*: Hîc Doctor arguit contra iſtam opinionem ſecundam, non improbando realem identitatem inter exiſtentiam Angeli, & ipſum *nunc* æui. Sed ſpecialiter arguit contra hoc, quod dicit opinio ſecunda, ſcilicet quòd impoſſibile eſt exiſtentiam Angeli eſſe ſine propria menſura indiuiſibili, & è contrà, & tamen exiſtentia Angeli, & illa menſura realiter diſtinguuntur. Dicit Doctor quòd hoc videtur impoſſibile ponere aliqua duo omnino inſeparabilia, quorum vnum ſit in alio, & non eſſe idem realiter, & hoc probat, ſupponendo tamen aliqua.

Quomodo ſi vnum correlatiuũ non poſſit eſſe ſine altero.

Primò, quod ſi *A*, & *B* ſint ad inuicem inſeparabilia, quorum vnum eſt prius, & aliud eſt poſterius (quod dico propter correlatiua, quæ ſunt ad inuicem realiter diſtincta, & tamen vnum non poteſt eſſe ſine altero, ſed hoc eſt propter ſimultatem naturalem illorum) ſunt idem realiter, ſi tamen poſterius fundetur in ſuo priori, vt ſuprà expoſui *in iſto ſecundo, diſt. . q. 5.* contra opinionem Ocham.

Secundò præmitto, quòd ſi *A*, & *B* ſunt inſeparabilia, & *A* eſt prius *B*, & *B* fundatur in *A*, & hoc per intrinſecum ipſius *A*, ſunt ſimpliciter idem realiter. Dixi *per intrinſecum*, quia ſi *B*, ineſſet *A* inſeparabiliter à cauſa extrinſeca neceſſariò producente *B* in *A*, non ſequeretur realis identitas inter *A*, & *B*, vt diffusè expoſui *diſt. 1. q. 5. huius ſecundi.*

Tertiò præmitto, quòd exiſtentia Angeli eſt ſimpliciter prior ſua menſura indiuiſibili; patet, quia talis menſura fundatur in ipſa exiſtentia Angeli, & eſſe fundatum in alio eſt poſterius eo. 2.

Quartò ſupponit Doctor, quòd ſi talis menſura eſt inſeparabilis ab exiſtentia Angeli, quòd hoc eſt à cauſa intrinſeca ipſius exiſtentiæ: Patet, quia iſta opinio habet dicere, quòd talis menſura indiuiſibilis ex natura rei oritur à cauſa intrinſeca exiſtentiæ Angeli, & per conſequens non inhæret ſibi à cauſa extrinſeca. His præmiſſis ſtatim patet ratio Doctoris, quia ſi exiſtentia Angeli, & menſura ipſius ſunt ab inuicem inſeparabilia, & exiſtentia Angeli eſt prior, & ipſa menſura ineſt illi à cauſa intrinſeca ipſius Angeli, videtur ſimpliciter repugnantia, quòd realiter diſtinguatur, & ſic patet quomodo iſta ratio Doctoris concludit, quæ vt concludat intentum præſupponit omnia ſupradicta priùs dicta *in iſto ſecundo, diſtinct. 1. quæſtione 5.* Declaro tamen literam huius rationis.

Cùm dicit, *illud, quod ſi eſſet diſtinctum ab aliquo; eſſet poſterius eo naturaliter*, &c. Patet iſta litera, quia ſi *B* eſſet naturaliter poſterius *A*, & ſit incompoſſibile *A* eſſe ſine *B*, ſequitur, quòd ipſum *A* eſt idem realiter cum ipſo *B*. Dicit ergo Doctor, quòd ſi *B*, puta menſura indiuiſibilis, quod ponitur diſtinctum ab *A*, ſi naturaliter eſt poſterius ipſo *A*, & ſi incompoſſibile ſit ipſum *A*, puta exiſtentiã, Angeli eſſe ſine *B*, neceſſariò A, erit realiter idem *B*, & per conſequens repugnat dicere, quòd *B*, ſit naturaliter diſtinctum ab *A* quod eſt poſterius ipſo *A*, & quòd ſit incompoſſibile *A* eſſe ſine *B*, & ſic patet iſta propoſitio Doctoris. Sequitur, *igitur ſi impoſſibile eſt eſſe Angelum ſine aliquo extrinſeco, quòd ſit menſura actualis exiſtentiæ eius, cùm illud*, ſupple extrinſecum, *ſi eſſet aliud*, videlicet ab ipſa exiſtentia Angeli, *eſſet poſterius naturaliter ipſa actuali exiſtentia Angeli, ſequitur, quòd non eſt aliud ab exiſtentia eius*, ſupple ſi ponatur talem exiſtentiam non poſſe eſſe ſine tali menſura. Sequitur, *aut ſi eſt aliud*, ſupple ipſa menſura, *& per conſequens poſterius poterit actualis exiſtentia Angeli abſque contradictione eſſe ſine eo*, ſcilicet ſine tali menſura; quæ ponitur æuum, *& ita non eſt neceſſarium ponere illud*. Vult dicere Doctor, quòd ſi ipſa menſura eſt alia ab exiſtentia, ſequitur quòd talis exiſtentia, cùm ſit prior, poterit eſſe ſine tali menſura. Patet per illam propoſitionem Doctoris *in primo diſt. 1. q. 4. & in 2. diſt. 10. q. 2. & alibi ſæpe*, abſolutum prius alio, realiter diſtinctum ab illo poteſt eſſe ſine illo, & ſic exiſtentia Angeli poterit eſſe ſine tali menſura, & per conſequens non eſt neceſſe ponere talem menſuram.

7. *Confirmatur ratio iſta.* Cõfirmatio hæc probat quòd illud, quod eſt prius, & impoſſibile eſt eſſe ſine poſteriori, ſit realiter idem cum eo, & non eſt idem realiter poteſt ſeparari ab iſta. Iſta diſtinctio realis concluditur ex aliquo iſtorum trium, quorum duo patent in litera *diſt. 1. q. 5. huius ſecundi & hic*. Primum eſt actualis ſeparatio aliquorum. Secundum eſt poſſibilis ſeparatio. Tertium ſic declaratur in litera: *vel niſi ſint talia, quæ ſic ſe habeant ad inuicem, ſicut aliqua alia, quorum vnum eſt ſeparabile ab alio.* Poſito enim, quod *A & B*, non poſſint ſeparari ab inuicem, tamen *C*, & *D*, ſimiliter ſe habeant, ſicut *A & B*, & probatur, quòd *C*, & *D*, realiter diſtinguuntur hoc idem concluditur de *A & B*, ſic arguendo Sicut ſe habet riſibile ad hominem, ita hinnibile ad æquum, ſed ſi probatur, quòd riſibile diſtinguatur ab homine, ſtatim concluditur de hinnibili & ponit exemplum de 7. Metaph. c. de partibus definitionis, t. c. 39. vbi ſic habetur: *Et parabola, inquit, de animali, quam conſueuit Socrates iunior dicere, non benè ſe habet, adducit enim à veritate, & facit ſuſpicari, quaſi contingens ſit hominem eſſe ſine partibus, ſicut ſine ære circulum*, &c. Vide ibi: text. cum commento, & vocat Socratem Iuniorem, Platone, ex eo quòd fuit diſcipulus Socratis. Ex iſta litera dicit Doctor in ſententia, quòd ſi volo probare, quòd carnes non ſint de definitione hominis, quamuis non poſſint ab homine ſeparari, probabo per ſimile, ſupponendo, quòd circulus tantùm ſit in ære, & non poſſit ſeparari ab ipſo, arguendo ſic; Sicut ſe habet æs reſpectu circuli, ita caro reſpectu hominis; ſed æs non eſt de definitione circuli: ergo nec carnes de definitione hominis. Et dicit Doctor, quòd dato quòd eſſet incompoſſibilis ſeparatio iſtorum ab inuicem, puta hominis, & carnis; ſi tamen iſta ſic ſe habeant ad inuicem ſicut aliqua alia, quorum eſt poſſibilis ſeparatio, concluditur iſta eſſe diſtincta; puta ſi ex ratione propria circuli, & trianguli, carnis, & ligni concluditur circulum ſic ſe habere ad lignum, ſicut triangulum ad carnem; & probatur ſeparabilitas ex vna parte, concluditur diſtinctio ex alia parte: vt puta ſi volo probare, quòd circulus, & lignum realiter diſtinguantur probabo per ſimile ſic; Sicut ſe habet triangulus ad carnem, ita circulus ad lignum; ſed triangulus poteſt ſeparari à carne; ergo & circulus à ligno: & poſito, quòd circulus non poſſit ſeparari à ligno, ſequitur tamen, quòd realiter diſtinguatur à ligno, ex eo quòd ſimiliter ſe habet ad lignum, ſicut triangulus ad carnem: & talis inſeparabilitas non eſt ex propria ratione, & ab intrinſeco, ſed ex aliquo extrinſeco. His præſuppoſitis oſtendit Doctor principale intentum, videlicet, quòd iſta non ſtant ſimul, quòd exiſtentia Angeli, & eius menſura ſint inſeparabilia, & quòd realiter diſtinguantur, quia ſi realiter diſtinguuntur, erit aliquo trium modorum præcedentiũ, ſed non eſt aliquo iſtorũ trium modorum. De primo patet, & ſimiliter de ſecũdo, quia ſecũdùm iſtam opinionem exiſtentia Angeli, & eius menſura, nec actu, nec potentia ſeparantur. De tertio ſimiliter patet, quia non ſe habent ad inuicem, ſicut aliqua diſtincta ſeparabilia, quia nihil diſtinctum ab alio realiter, ſine quo non poteſt eſſe ſine contradictione eſt prius eo, ſed vel eſt poſterius eo naturaliter, vel ſimul natura cum eo, iſtud autem quod ponitur aliud ab Angelo ſi eſſet, eſſet poſterius naturaliter, & hoc ſatis ſuprà patuit, in iſto ſecundo, diſtinctione 1. quæſt. 5.

Prabola Socratis iunioris, id eſt, Platonis.

SCHOLIVM.

Inſtatur ex Phil. 4. Phyſ. vbi videtur dicere eſſe vnum nunc *ſecundùm ſubſtantiam in toto tempore, diuerſum tamen ſecundùm* eſſe. *Probat latè Scot. id eſſe contra mentem Philoſophi, & explicat eius locum adductum, quomodo* nunc *maneat idem ſecundùm ſubſtantiam, & diuerſum ſecundùm* eſſe, *& quæ ipſe hic dicit egent explicatione, quam faciunt latè Lichetus, & Tartaret, hic & Aretinus 4. Phyſ. poſt. quæſt. 16.*

Inſtatur contra iſtud ſic, quia *nunc* ſecundùm ſubſtantiã ſe habet ad ſubſtantiam eadem

mobilis,ſicut iſtud quod ponitur menſura durationis exiſtentiæ Angelorum,ſe habet ad illam exiſtentiam : quia ſicut iſta exiſtentia manet eadem menſurata hoc indiuiſibili, ita ponitur ex alia parte de *nunc* & de ſubſtantia mobilis : & tamen ex illa parte inuenitur diſtinctio inter ſubſtantiam mobilis,& ſubſtantiam ipſius *nunc*:igitur & hîc. Quòd autem debeat poni aliquod tale *nunc* menſurans mobile idem ſecundùm ſubſtantiam, videtur eſſe intentionis Philoſophi 4. Phyſicorum, vbi videtur quaſi ſoluere quæſtionem, quam mouet de *nunc* : vtrùm ſit idem in toto tempore, dicendo quòd eſt vnum, *& idem ſecundùm ſubſtantiam, differens ſecundùm eſſe.* *Text.* 104. *Text.*90. *eiuſdem* 4. *Item* 3. *Metaph. text.*12.

Iſtam inſtantiã [b] excludendo primò oſtendo, quòd illud, quod ſupponit de *nunc* ſecundùm ſubſtantiam,ſit falſum , & contra intentionem Philoſophi:quia Philoſophus probat,quòd *nunc* ſequitur illud, quod fertur per hoc : quia eo quod fertur cognoſcimus prius, & poſterius in motu : & ipſo nunc cognoſcimus prius,& poſterius in tempore ; ſed hæc non ſunt vera de mobili ſecundùm ſubſtantiam : ſed ſecundùm quòd eſt ſub mutatione alia,& alia;quia ſi accipiatur mobile ſecundùm ſubſtantiam abſolutè,non cognoſcitur eo prius, & poſterius in motu:igitur nec per idem *nunc* ſecundùm ſubſtantiam cognoſcimus prius,& poſterius in tempore, ſed per aliud,& aliud. *Non eſſe de mẽte Phil. quòd idem inſtas maneat toto tempore.*

Similiter [c] Philoſophus in tertia proprietate de *nunc*, dicit quòd non eſt ſine tempore,nec è contrario quia motus non eſt ſine mobili,nec è contrario, & ſicut motus ad mobile, ita numerus motus,vel vnitas motus ad numerum,ſiue vnitatem mobilis.Falſum eſt autem quòd mobile ſecundùm ſubſtantiam ſuam non poſſit eſſe ſine motu: ſed præcisè verum eſt de mobili, vt eſt ſub mutatione : ſi igitur ſit alterum mobile in toto motu : ergo & *nunc* ſibi correſpondens. *Text.* 105.

Præterea, quomodo poſſet [d] ipſum *nunc* indiuiſibile fluere ſecundùm diuerſa *eſſe*, quæ neceſſariò eſſent indiuiſibilia,quin totus fluxus eius componeretur ex indiuiſibilibus. Probat enim Philoſophus ex intentione, 6.*Phyſic.* quòd indiuiſibile non poteſt moueri, quia tunc motus eius componeretur ex indiuiſibilibus:quia priùs pertranſiret minus, vel ſibi æquale,quàm maius : ergo tempus eſt compoſitum ex indiuiſibilibus, quod eſt contra Philoſophum. *Text.* 98.

Ad hoc etiam ſunt duæ rationes [e] Philoſophi, quarum vna eſt talis : Illa dicuntur ſimul, quæ ſunt in eodem indiuiſibili : igitur ſi eſt inſtans idem ſecundùm ſubſtantiam,omnia ſunt æquè præſentia,& ſimul, & quæ nunc, & quæ in milleſimo anno.4. Phyſicorum. *Text.* 89. *Ibid. t.*10. *Text.*91.& 92.

5. Alia ratio eſt, quia cuiuſlibet continui ſunt duo termini diſtincti : quam rationem ſic declaro ; quia *nunc* ſecundùm ſubſtantiam, ſi eſt ipſa ſubſtantia mobilis , non eſt niſi contendere de verbis. Si autem eſt aliud ab ipſa , puta aliquod indiuiſibile de genere Quantitatis:quæro cuius ſit continui terminus,vel cuius diſcreti pars? Quia omne indiuiſibile de genere Quantitatis per ſe , vel eſt terminus continui , vel pars diſcreti. Si ponatur pars diſcreti,ergo ponitur tempus diſcretum,quod Philoſophus non conceſſit. Si ponatur terminus continui : ergo oportet quòd ſit aliud , & aliud ſecundùm ſubſtantiam, ſecundùm quòd terminat aliam & aliam partem continui , ſcilicet temporis ; quia impoſſibile eſt idem ſecundùm ſubſtantiam eſſe per ſe terminum alicuius quantitatis,& eius principium.

[g] Et ſi dicas , quòd terminat ſecundùm diuerſa *eſſe*. Contrà , cùm iſta eſſe accidunt illi *nunc* eidem ſecundùm ſubſtantiam:quia per te,illud manet idem ſub diuerſis *eſſe*, & per conſequens iſta accidunt ſibi:& omne indiuiſibile de genere Quantitatis, vel per ſe terminat quantitatem,vel eſt pars diſcreti ; ſequitur quòd iſtud *nunc* non ſit indiuiſibile per ſe de genere Quantitatis.

[h] Præterea, iſta *eſſe* quæro cuius generis ſunt? Si ſint diuiſibilia de genere Quantitatis : igitur ſufficiunt ad terminandum proprium continuum, abſque illo *nunc* ſecundùm ſubſtantiam, quod eſt inconueniens : quia nullum indiuiſibile per ſe terminat,niſi ratione qua eſt terminus huius diuiſibilis:ſi autem ſunt alterius generis , puta Qualitatis, igitur qualitas erit per ſe ratio terminandi continuum in genere Quantitatis.

6. Item hoc argumẽtum facit Comm.4.*Phyſ.c.*91.Inſtans eſt terminus,& finis alicuius finiti:ſed omne finitum habet duos terminos,& duos fines : igitur & duo inſtantia. *Inſtans eſt terminus finiti.*

[i] Et præterea , quomodo non mutaretur pſum *nunc* ſecundùm ſubſtantiam , ſi mutatur ſecundùm diuerſa *eſſe* ? Et tunc oportet eius , & ſuorum *eſſe* , quærere menſuram, & ſic in infinitum.

[k] Præterea , aut iſtud *nunc* ſecundùm ſubſtantiam idem eſt in quolibet , mobile

Omne inſtans eſt initium & finis temporis, quia nõ datur primum, vel vltimum nunc & idẽ eſt, de mutato eſſe in mutu.

aut præcisè in vno non in quolibet, quia vnum accidens numero eſſet in diuerſis ſubiectis: nec in vno mobili præcisè: patet ex ſe.

Ad Philoſophum dico [l], quòd non intelligit nunc manere idem ſecundùm ſubſtantiam, quia oppoſitum ſequitur ex dictis eius: ſed quodcunque vnum *nunc* conſideratum ſecundùm ſe eſt idem: & hoc dicitur eſſe idem ſecundùm ſubſtantiam: conſideratum autem in ordine ad tempus præteritum, & futurum, cùm ſit terminus præteriti, & principium futuri; dicitur diſtinctum ſecundùm *eſſe*.

Et ad hoc declarandum eſt [m] illud ſimile de mobili, quod manet idem, non quidẽ mobile, vt abſolutè præcedit mutationem: quia hoc modo *nunc* non eſt menſura eius, nec aliquid pertinẽs ad tempus; ſed mobile, vt eſt ſub vna mutatione, eſt idem ſecundùm ſubſtantiam, hoc eſt ſecundùm *eſſe* illius mutationis conſideratæ ſecundùm ſe; & eſt aliud ſecundùm *eſſe*, hoc eſt, vt ſub illa mutatione terminat præteritum, & initiat futurum: & ſecundùm hoc dicitur alibi, & alibi eſſe: non quidem actu, ſed in vno *Vbi* medio inter extrema: inquantùm illud terminat motũ ſecundùm prius *vbi*, & inchoat motum ſecundùm poſterius *vbi*, dicitur alibi, & alibi, quia mutari eſt aliquod vtriuſq; extremi. Vnde Philoſ. 6 Phyſic. vult quòd quamuis aliquid vnum ſit in vno medio: tamen illud eſt aliud ſecundùm extremum vtrumque.

Text.32

Sed quomodo ex hoc ſoluitur illa [n] quæſtio Philoſophi, quam mouet 4. Phyſic. *vtrum idem nunc ſecundum ſubſtantiam maneat in toto tempore, vel non*? 7.

Text.90. Text.87. 4. Phyſicor. Text.103. Non ſoluit Phil. expreſsè an tempus ſit. Vide Scot. 4. Phyſ. q. 14.

Dico, quòd ſicut quæſt. illam, *vtrùm tempus ſit*? nunquam ſoluit expreſsè; ſed aliqua dicit, ex quibus poteſt colligi eius ſolutio ita & in iſto. Si enim quodcunque vnum mobile præcisè habeat idẽtitatem ſecundùm ſubſtantiam, hoc eſt ad ſe, & diſtinctionem ſecundùm *eſſe*, hoc eſt ſecundùm ordinem ad aliam, & ad aliam partem motus: & eodem modo de inſtanti reſpectu partium temporis: & non eſt tanta identitas inſtantis in toto tempore, quanta eſt vnius inſtantis reſpectu ſubſtantiæ mobilis: igitur inſtans in toto tempore eſt aliud, & aliud ſecundùm ſubſtantiam.

Ad inſtantiam ſuprà num. 4. ex Phil.

Dico tunc ad inſtantiam [o], ſi aliquod *nunc* ſimiliter ſe habet ad ſubſtantiam mobilis, ſicut æuum ad ſubſtantiam Angeli, illud *nunc* non eſt aliud & ab ipſa ſubſtantia; nec eſt aliquod indiuiſibile in genere Quantitatis, & ſi fingatur aliquod *nunc* de genere Quantitatis menſurare mobile ſecundùm ſubſtantiam; nihil tale eſt in Angelo actualiter exiſtente, ſicut prius probatum eſt. 8.

Sed contra [p] iſtud arguitur ſic, mobile poteſt conſiderari tripliciter; vel vt eſt ſub medio mutationum, id eſt inter terminos mutationum; vel ſub terminis mutationum, vel vt eſt prius motu & mutatione; poſſibile tamen recipere iſta. Primo modo correſpondẽt ſibi diuerſa *nunc* ſecundùm *eſſe*. Secundo modo, correſpõdet ſibi tempus medium inter illa *nunc*, igitur tertio modo correſpondebit ſibi aliqua propria menſura: ſed hoc non eſt niſi *nunc* ſecundùm ſubſtantiam, igitur, &c.

Dubitatiuè loquitur; quia tempus non diſtingui à motu tenet 4. Phyſ. q. 15. vbi Aretin. & 4. d. 48. q. 2. § ad q. verſ. ad primũ.

Reſpondeo, ſi oportet tẽpus [q] differre à motu, & per cõſequens inſtãs à mutatione non eſt ſimilis ratio quòd ponatur aliquid differẽs ab exiſtẽtia ipſius Angeli vniformi, quod ſit menſura eius: nã ſi tẽpus differt à motu hoc ideò eſt; quia partes eiuſdẽ proportionis alicuius motus, non neceſſariò ſunt æquales in numero, & quãtitate partium eiuſdem proportionis tẽporis: nulla autem [r] quantitas eſt eadem alteri quantitati, niſi partes eiuſdẽ proportionis & quãtitatis in ea, ſint æquales partib. eiuſdẽ proportionis, & quantitatis in reliqua; & hoc æquales tã in numero quàm in magnitudine. Loquendo autẽ de quantitate, quæ eſt in motu, quã habet ex parte magnitudinis, ſiue formę ſecundùm quam eſt motus, poſſunt aliquæ partes motus, puta decẽ partes integrantes totũ motũ, eſſe cũ decẽ partibus tẽporis: ſed non ſunt eædem eis; quia cũ eiſdẽ partibus tẽporis poſsũt eſſe plures partes motus æquales prioribus partibus motus, vel tot inæquales; quia ſi dupla virtus mouet idẽ mobile, & per cõſequẽs in duplo velocius, nulla pars erit in motu tardiori; quæ non erit in motu velociori, loquendo de partibus, quas habet in magnitudine, vel de partibus quas habet ſecudùm formã, qua eſt: quia mouẽs mobile motu velociori nõ facit ſimul pertranſire aliquas partes magnitudinis, ſed præcisè alterã poſt alterã: ergo tot partes ſunt in motu velociori, & tantæ loquẽdo de iſta quantitate, quot & quantæ ſunt in motu tardiori. Non poteſt autem idem tempus & habens eaſdem partes, eſſe cum iſto motu & cum illo motu: ergo illæ partes temporis non erunt eædem, nec partibus iſtius motus, nec illius: quia non in eadem proportione ſe habentes ad totum: nec ſunt æquales iſtis partibus totius. 9.

t Si hoc eſt verum, ex hoc concluderetur, quòd indiuiſibile vnius quantitatis, non eſt indiuiſibile alterius quãtitatis: ſed ex hoc nõ ſequitur, quòd in aliquo permanente habente ſemper *eſſe* vniformè oporteat ponere aliquid aliud à ſe pro menſura: quia ibi non tenet ratio de illis magnitudinibus, nec partibus earum: eſt ergo fal-

lacia conſequentis à maiori affirmatiuè, ſi mutatio & motus habeat menſuras alias à ſe : igitur & ipſa ſubſtantia, quæ prior eſt motu & mutatione, habet menſuram aliam à ſe. Minùs enim videtur eſſe diſtinctio, ſiue non identitas in permanente, quàm in fluxu ſiue in motu & eius menſura. Si tamen placeat dare aliquam aliam menſuram illi mobili ſecundùm quòd eſt in ſe prius motu & mutatione, illa menſura erit æuum ſicut patebit in quæſtione de menſura operationum Angeli.

Et ſi quæras aliam menſuram eius, inquantùm eſt in ſe, & inquantùm eſt ſuſceptiuum motus & mutationis; dico, quòd non eſt aliud : quia ſubiectum ſecundùm illud quod eſt in ſe, eſt ſuſceptiuum ſuæ propriæ paſſionis : & ſimiliter ſi qua ſit menſura, eadem eſt. Vnde non eſt alia menſura ſuperficiei inquantùm ſuperficies eſt, & inquantùm ſuſceptiua eſt albedinis & nigredinis. Ita dico, quòd ſi ſubſtantia primi mobilis vel cuiuſcunque alterius menſuretur æuo : non eſt alia menſura eius inquantùm eſt prius motu naturaliter & mutatione, & inquantùm eſt receptiuum motus & mutationis. Et ſi dicatur, quòd inquantùm quieſcens eſt, habebit aliam menſuram quàm æuum : hoc falſum eſt, ſicut patebit ibi.

Quæ eſt 4. ſeq. Permanẽtia menſurantur æuo.

COMMENTARIVS.

a *INſtatur contra iſtud ſic.* Hîc Doctor vult probare inſeparabilitatem ipſius *nunc* æui ab exiſtentia Angeli ſimul, & diſtinctionem realem ad inuicem. Primum, videlicet *inſeparabilitatem*, ſupponit vt verum, ſecundùm opinionem priùs poſitam. Secundum verò ſcilicet *realem diſtinctionem*, probat per illud tertium membrum poſitum ſuprà ex ſeptimo Metaph. *text. com.* 39. & arguit ſic : Sicut ſe habet *nunc* temporis ad ſubſtantiam mobilis, ita *nunc* æui ad æuiternum; ſed *nunc* temporis diſtinguitur realiter à ſubſtantia mobilis; ergo & *nunc* æui realiter diſtinguitur ab exiſtentia æuiterni. Et addit in litera, quòd tantùm ſit vnum *nunc* in toto tempore idem ſecundùm ſubſtantiam, & diuerſum ſecundùm *eſſe*, vt patet per Ariſtot. 4. *Phyſic. text. comment.* 103. ſecundùm aliam tranſlationem : *Ipſius*, inquit, *eſſe inſimul eſt idem, quoniam inſtans eſt idem cùm fuerit, diuerſificatur ſecundùm autẽ* eſſe & ibi Comm. *Tempus*, inquit, *eſt idem illis, quæ ſunt in tempore inſimul, & cauſa in hoc, quòd tempus eſt idem, quoniam inſtans, quod eſt agens tempus eſt idem in omni motu, cùm fuerit demonſtratum, ſed eſſe eius diuerſificatur, ſcilicet per prioritatem, & poſterioritatem.* Hæc ille. Et quomodo diuerſificatur ſecundùm prius & poſterius, patet vbi ſuprà *text. comment.* 104. ſecundùm aliam, tranſlationem : *Et inſtans*, inquit, *menſurat tempus, ſecundùm quod terminat illud per prius, & poſterius, & poteſt dicere, quod inſtans quodammodo eſt idem, & quodammodo non; quoniam ſecundùm quòd eſt vnum poſt aliud eſt diuerſum, & hæc eſt ratio inſtantis; ſecundùm verò quòd inſtans eſt in aliqua hora eſt idem.* Hæc ille. Et ibi Commentator. *Inſtans*, inquit, *quodammodo eſt idem, & quodammodo eſt diuerſum*, & paulò infrà, *Quoniam inſtans ſecundùm quod accidit ei, vt ſit idem in rebus diuerſis, vt vnum indiuiduum, quòd inuenitur in pluribus locis eſt diuerſum, vt Socratem eſſe in foro aliud eſt ab ipſo eſſe in domo*, &c. Ex his patet, quomodo ſit vnum inſtans tantùm ſecundùm ſubſtantiam, diuerſum tamen ſecundùm *eſſe*, id eſt, quòd illud inſtans ſecundùm ſubſtantiam ſuam, quod eſt idem in toto tempore, poteſt conſiderari vt eſt prius tempore; & vt ſic dicitur principium temporis, & illud idem, vt eſt finis alicuius temporis, puta vnius horæ, ſic dicitur terminus illius temporis.

b *Iſtam inſtantiam excludendo.* Hîc Doctor primò intendit oſtendere, quòd *nunc* temporis ſit aliud, & aliud ſecundùm ſubſtantiã, ſiue quòd in tempore ſit aliud, & aliud inſtans ſecundùm ſubſtantiam, & hoc intendit oſtendere ſecundum mentem Philoſophi, 4. Phyſic. text. comm. 104. *Eo* (inquit) *quod fertur, cognoſcimus prius, & poſterius in motu : ſecundùm autem quod numerabile eſt prius, & poſterius ipſum nunc eſt : quare in his quod idem ens nunc eſt idem eſt. Prius autem & poſterius eſt, quod in motu eſt, ſed in ipſo eſſe alterum : ſecundùm enim quòd numerabile prius, & poſterius eſt ipſum nunc.* Hæc ille. Et Commentator vbi ſuprà, comment. 104. ſic dicit : *Translatum, quod habet motum eſt cauſa ineſſe inſtantis, quod ſupple inſtans, agit tempus, quemadmodum tempus ſequitur motum, ſcilicet quia motus eſt cauſa eius, quia eſt ſubiectum illius, quemadmodum magnitudo eſt cauſa motus, quoniam eſt ſubiectum motus*, & parùm infrà, *ex cognitione translati*, ſupple *localiter, moti, prioris, & poſterioris, cognoſcitur prius & poſterius in motu & per hoc, quod translatum prius, & poſterius eſt numeratum, erit inſtãs numeratum, & eſſe translati eſt cauſa ineſſe inſtantis, & mutatio eius, ſcilicet translati eſt cauſa in numeratione iſtius, ſcilicet inſtantis.* Et parùm infrà *& iam poſuimus, quòd translatum eſt vnum ſecundum ſubiectum, & plura ſecundùm definitionẽ ſupple, vt conſideratur ſecundùm prius, & poſterius in ipſo; ita etiam debet eſſe in inſtanti, quoniam ſecundum quod eſt in vno ſubiecto, ſemper eſt idem, quoniam ipſum eſt prius, & poſterius in motu, id eſt, quoniam inſtans prius, & poſterius in motu eſt idem, quia translatum eſt idem, & eſt numeratum, quia translatum numeratur.* Hæc ille. 3.

Dicit ergo Doctor ſupponendo, quòd *nunc* temporis *ſequitur illud, quod fertur per hoc, quia eo quod fertur, cognoſcimus prius, & poſterius in motu, & ipſo* nunc *cognoſcimus prius, & poſterius in tempore.* Vult dicere, quòd ad cognoſcendum prius, & poſterius in motu, requiritur alia, & alia mutatio, ſiue aliud, & aliud *mutatum eſſe*, quæ ſemper fiunt in inſtanti : nam per aliud, & aliud *mutatum eſſe*, ipſius mobilis cognoſcitur prius, & poſterius in motu : & hoc patet, quia ſi lapis actu exiſtat, & immobiliter non cognoſcitur in eo neque prius, neque poſterius, ſed cùm lapis incipit moueri in tempore, vt eſt

Mutatio eſt principium motus futuri, & finis præteriti.

ſub tali mutatione, in aliquo inſtanti acquirit mutationem, qua habet *mutatum eſſe*, quæ mutatio eſt principium motus futuri, & finis præteriti; & moueatur primò per ſpacium vnius horæ, tunc terminus illius motus eſt *mutatum eſſe*, & ſic per aliud, & aliud *mutatum eſſe* cognoſcitur in ipſo prius, & poſterius in motu: ita quòd per aliud, & aliud *mutatum eſſe* cognoſcitur prius, & poſterius in motu: ſimiliter dico de tempore; nam quòd in tempore ſit prius, & poſterius non cognoſcitur, niſi per aliud, & aliud inſtans: quia inſtans, quod eſt principium temporis eſt prius, & inſtans, quod terminat tempus eſt poſterius; & ſic aliud inſtans eſt principium temporis ſequentis, & ſic prius, & aliud inſtans ſequens, & terminans illud tempus eſt poſterius; & ſic ſucceſſiuè: ex iſtis ergo inſtantibus cognoſcitur prius, & poſterius in tempore, & quòd vna pars temporis eſt prior alia. Cùm ergo ipſum inſtans temporis ſequatur illud, quod fertur, ſcilicet ipſum mobile, puta lapidem, non abſolutè, ſed vt eſt ſub mutatione, ſiue ſub *mutato eſſe*, quod *mutatum eſſe* menſuratur inſtanti temporis, ſicut & motus menſuratur tempore, & vltrà cùm lapis per motũ, quo mouetur habeat aliud, & aliud *mutatum eſſe*, ſequitur, quòd tempus menſurans ipſum motum, habebit aliud, & aliud inſtans, cùm inſtans in tempore ſequatur *mutatum eſſe*: ſicut ergo in motu ſunt plura *mutata eſſe*, ita & in tempore menſurante motum, erunt plura inſtantia, ſecundùm ſubſtantiam menſurantia ipſa *mutata eſſe*, & ſic patet ratio Doctoris.

4. c *Similiter Philoſophus in tertia proprietate*, &c. Hîc Doctor intendit idem probare per Philoſophum 4. Phyſicorum text. comment. 105. *Manifeſtum eſt*, inquit, *quòd niſi tempus ſit ipſum* nunc *nou erit vtique ſiquidem ipſum* nunc *non erit, tempus non erit, ſimul enim ſunt ſicut id quod fertur, & loci mutatio, ſic numerus qui eſt eius, quod fertur, & qui eſt loci mutationis, tempus quidem enim eſt loci mutationis numerus, ideſt, menſura; ipſum autem* nunc *eſt, ſicut quod fertur, & vnitas eſt numeri, & continuum autem tempus eſt ipſi nunc, & diuiditur ſecundùm ipſum nunc.* Vide ibi Commentatorem, & per hunc text. vult concedere Doctor eſſe diuerſa inſtantia ſecundùm ſubſtantiam in ipſo tempore; & arguitur ſic; Sicut ſe habet motus ad *mutatum eſſe*, ſiue ad mobile ſub mutatione, ita tempus ad *nunc*, ſiue ad inſtans: cùm ergo tempus ſit numerus, & menſura ipſius motus, ita & inſtans temporis erit numerus, ſiue menſura ipſius *mutati eſſe*. Patet conſequentia auctoritate Philoſophi vbi ſuprà, quia ex quo dicimus, quòd tempus non eſt ſine *nunc*, nec ècontrà: quia motus non eſt ſine mobili, ſiue *mutato eſſe*; ſicut ergo tempus dependet à motu, & ita & *nunc* temporis à *mutato eſſe*: nam prius, & poſterius in tempore cauſatur à priori, & poſteriori in motu, vt patet 4. *Phyſic. text. comment.* 104. cùm ergo mobile ſit alterum, & alterum in toto motu, ſupple ſecundùm aliud, & aliud *mutatum eſſe*: ergo & *nunc* temporis, ſibi correſpondens, erit aliud, & aliud.

Tempus non eſt ſine nunc ſicut motus non eſt ſine mobili.

5. d *Prætereà quomodo poſſet ipſum nunc.* Hîc Doctor probat eandem concluſionem per argumentum ducens per argumentum ducens ad impoſſibile, quia ſi in toto tempore eſſet tantùm vnum *nunc* ſecundùm ſubſtantiam; diuerſum autem ſecundùm eſſe totum illud tempus eſſet compoſitum ex indiuiſibilibus; quod eſt contra intentionem Phyloſophi. 6. Phyſic. *text. com.* 88. & quòd hoc ſequatur, probat, quia ex quo ipſum *nunc*, ſiue inſtans fluxu ſuo ſecundùm aliud, & aliud *eſſe*, ſcilicet prius, & poſterius, efficit tempus, tunc totum illud tempus, quod eſt compoſitum ex alio, & alio, *eſſe* ipſius *nunc* eſſet compoſitum ex indiuiſibilibus; patet, quia illa *eſſe* eſſent indiuiſibilia: nam principium temporis eſt indiuiſibile; & ſimiliter terminus, vt ſuprà patuit; & probat Doctor in ſimili, quòd eſſet compoſitum ex indiuiſibilibus, auctoritate Philoſophi, 6. *Phyſic. text. comm.* 88. de indiuiſibili, qui ſic ait; *Quare non contingit impartibile moueri, neque omninò mutari*, hæc ille. Et rationem aſſignat, quia tunc motus eius componeretur ex indiuiſibilibus, vt dicit in illo text. & quòd componeretur ex indiuiſibilibus, probat vbi ſuprà text. comm. 89. *Amplius autem ex his manifeſtum eſt, cùm neque punctum, neque aliud indiuiſibile, nullum contingit moueri, omne enim quod mouetur impoſſibile prius maius moueri ipſius, quàm aut æquale, aut minus: ſi igitur hoc manifeſtum eſt, quod & punctum minus, aut æquale mouebitur primum, quoniam autem indiuiſibile eſt impoſſibile, eſt minus moueri prius, æquale ergo ipſi, quare erit linea ex punctis. Si autem hoc impoſſibile eſt, & moueri indiuiſibile impoſſibile eſt.* Hæc ille. Vt clariùs intelligatur iſta litera, pono, quòd indiuiſibile dicatur *A*, & moueatur ſuper aliquod ſpacium, quod dicatur *B*, certum eſt, quòd *A* quando incipit moueri, aut pertranſit totum ſpacium, quod eſt falſum; aut minus ſpacium, aut maius, aut æquale: patet quòd non eſt dandum, niſi æquale, cùm ergo *A* ſit indiuiſibile, & ſpacium quod pertranſit prius erit indiuiſibile, & ſic motus ipſius *A* erit compoſitus ex indiuiſibilibus, & ſimiliter ſpacium, quod pertranſit.

Principium temporis eſt indiuiſibile.

Nullum indiuiſibile cõtingit moueri.

6. e *Ad hoc etiã duæ rationes Philoſophi, quarum vna*, &c. Per quam deducit ad impoſſibile: quia ſi tantùm eſſet vnum inſtans in toto tempore, tunc omnia, quæ menſurantur illo tempore, eſſent præſentia; patet, quia illa dicuntur eſſe ſimul, quæ ſunt in eodem indiuiſibili; patet 4. *Phyſic. text. comm.* 92. *Amplius*, inquit, *ſi ſimul eſſe ſecundùm tempus, & neque prius, neque poſterius in eodem eſſe, & ipſo nunc eſt, & ſi qua prius, aut poſterius in ipſo nunc ſunt, ſimul erunt, quæ in milleſimo fuerunt anno cum his, quæ ſunt hodie.* Hæc ille. Vnde Commentator ibi, commento 92. ſic ait: *Illa, quæ ſunt inſimul ſunt in eodem inſtanti, & ſua conuertens, illa quæ ſunt in eodem inſtanti ſunt ſimul; hanc propoſitionem, ſcilicet quòd idem inſtans eſt omnium entium, de quibus dicimus quadam eſſe ente, & quadam eſſe poſt, ſequitur vbi illud, quod fuit tranſacto milleſimo, & illud, quod eſt hodie, ſunt inſimul, quod eſt inopinabile, & Syllogiſmus categoricus concludens inconueniens in hoc ſermone componitur, ſic in prima figura omnes res inueniuntur in eodem inſtanti, & omnia ſunt ſimul, ergo omnia quæ ſunt ſimul, quod eſt impoſſibile* Hæc ille.

6.

7. f *Alia ratio eſt, quia cuiuslibet*, &c. Vt iſta ratio clariùs intelligatur, ſuppono quòd cuiuslibet continui ſunt duo termini; ſcilicet terminus *à quo*, & terminus *ad quem*: nam in linea ſunt duo puncta, quæ ſunt termini lineæ; in motu verò, puta vnius horæ, ſunt duo *mutata eſſe*; & in tempore

Duo puncta ſunt termini lineæ.

7.

tempore, puta vnius horæ, ſunt duo inſtantia, quorum vnum eſt principium illius temporis, & aliud finis, ſiue terminus. Secundò ſuppono, quòd terminus continui per ſe, ideſt, ex ſua ratione formali terminat continuum. Iſtis ſuppoſitis, accipio tempus vnius horæ, certum eſt, quòd principium illius tempus eſt aliquod inſtans; & ſimiliter terminus illius eſt aliquod inſtans; ſed impoſſibile eſt, quòd vnum inſtans reſpectu vnius horæ ſit principium, & terminus illius, vt patet intuenti; ergo erit aliud, & aliud inſtans. Et dicit Doctor in iſta litera, quòd *ſi ipſum nunc ſit tantùm ipſa ſubſtantia mobilis, non eſt contendere, niſi de verbis*, quia prius factum fuit argumentum, ibi: *Inſtatur contra iſtud ſic, quia* nunc *ſecundùm ſubſtantiam ſe habet ad ſubſtantiam mobilis*, &c. vbi fuit ſic argumentatum; ſicut ſe habet *nunc* temporis ad ſubſtantiam mobilis, ita *nunc* æui ad ipſum æuiternũ, modò dicit Doctor, Si tu concedis, quòd *nunc* temporis ſit ipſa ſubſtantia mobilis, tunc contentioiſta eſt tantùm in verbis, & non in re, quia in re magis ex hoc probatur intentum, ſcilicet quòd *nunc* æui ſit ſimpliciter idem cum æuiterno.

8. g *Et ſi dicas, quòd terminat ſecundùm diuerſa eſſe*, ideſt, quòd ipſum inſtans temporis, ſecundùm quòd eſt prius, & incipit fluere, eſt principium temporis, puta vnius horæ, & ſecundùm quòd eſt poſterius, vel finis illius horæ, dicitur terminus.

Contrà, Hìc Doctor improbat hanc reſponſionem, & dicit iſta duo *eſſe* accidunt ipſi inſtanti: patet, quia cùm illud inſtans dicitur prius, non eſt ſub *eſſe* poſterioris; & ſimiliter cùm eſt ſub *eſſe* poſterioris non eſt ſub eſſe prioris: & ſic huiuſmodi prius, & poſterius accidunt ſibi. Dicere ergo, quòd eſt principium ſub illa ratione, quâ eſt prius, & incipit fluere, & finis, ſiue terminus ſub illa ratione, qua poſterius: ergo non terminat per ſe, quod eſt falſum, quia omne indiuiſibile de genere Quantitatis, vel per ſe terminat quantitatem, vel eſt pars alicuius diſcreti.

h *Præterea iſta eſſe quæro, cuius generis ſunt.* Et ratio iſta clara eſt: nam ſi iſta *eſſe* ſint indiuiſibilia de genere Quantitatis, ergo ſufficiunt ad terminandum proprium continuum abſquo illo *nunc*, ſecundùm ſubſtantiam, quod eſt inconueniens: Puta quòd illa ratio, quâ *nunc* dicitur poſterius, ſit terminus ipſius continui: nam illa ratio, quâ dicitur poſterius non eſt ex natura rei, & ſic aliquid, quod non eſt ex natura rei, eſſet per ſe terminus alicuius continui habentis verum *eſſe* ex natura rei. Si autem illa *eſſe* ſint alterius generis, puta Qualitatis, ſequitur inconueniens videlicet, quòd qualitas erit per ſe ratio terminandi in genere Quantitatis.

9. i *Et præterea quomodo non mutaretur*, &c. Vult dicere Doctor quòd ſi ipſum *nunc* ſit ſub alio, & alio *eſſe*: ergo tunc mutatur, ſed cuicunque *mutato eſſe* correſpondet *nunc* temporis pro menſura: & tunc quæro de illo *nunc* correſpondente, aut poteſt eſſe aliud, & aliud ſecundùm ſubſtantiam, ſecundùm quod correſpondet alij, & alij *mutato eſſe*, & tunc habetur intentum: aut eſt tantùm aliud, & aliud ſecundùm diuerſa *eſſe*, quibus correſpondet alij, & alij *mutato eſſe*; ergo ipſum *nunc*, vt ſub alio, & alio *eſſe* mutatur, & ſic erit proceſſus in infinitum.

k *Præterea, aut iſtud* nunc *ſecundùm ſubſtantiam idem eſt in quolibet mobili; aut præcisè in vno: non primò, quia tunc idem accidens numero eſſet in pluribus ſubiectis*: non ſecundò, patet, quia tunc non menſuraret aliud mobile, vt actu eſt ſub aliqua mutatione, ſiue ſub aliquo *mutato eſſe*. Et iſta litera poteſt ſic exponi: Ponendo caſum, ſcilicet quòd mobile *A*, moueatur per horam, in quo motu ſunt centum *mutata eſſe*, ita quòd mobile *A*, poteſt dici aliud, & aliud mobile, pro quanto eſt ſub alio, & alio *mutato eſſe*. Hoc caſu poſito, quæro aut *nunc* temporis eſt totum ſimul in centum *mutatis eſſe*; ergo idem accidens erit ſimul in pluribus ſubiectis. patet, quia inſtans temporis ſubiectatur in *mutato eſſe*, ſicut & ipſum tempus immediatè ſubiectatur in motu: aut idem *nunc* numero eſt tantùm in vno *mutato eſſe*: ergo tantùm *vnum mutatum eſſe* menſutatur *nunc* temporis, & non alia *mutata eſſe*, quod eſt impoſſibile, Et ex his patet improbatio illius, quòd tantùm ſit vnum *nunc* ſecundùm ſubſtantiam in toto tempore,

Expoſitio litera.

10. *Quomodo ſit idẽ nunc ſecundum ſubſtantiam diuerſum ſecũdum eſſe.*

l *Ad philoſophum dico.* Dicit Doctor reſpondendo ad aliud Philoſophi 4. *Phyſic. text. com* 103. (videlicet quòd in toto tempore ſit tãtùm vnum *nunc* ſecundùm ſubſtantiam differens ſecundùm *eſſe*) quòd Philoſophus intelligit de quocunque *nunc*, quia dato quocunque *nunc* illud ſecundùm ſuam ſubſtantiam eſt ſimpliciter idem, ita quòd in ſubſtantia illius *nunc* nulla eſt diuerſitas ex natura rei. Dicitur diuerſum ſecundùm *eſſe* pro quanto aliter, & aliter conſideratur: quia vt conſideratur ſub illa ratione, quâ eſt principium futuri temporis, & vt eſt finis præteriti dicitur eſſe differens ſecundum *eſſe*. Et ſi dicatur, quòd datur aliquod *nunc*, quod eſt principium alicuius temporis, & non finis alterius, ſicut expoſitum eſt ſuprà, quòd quando mobile mouetur priùs incipit eſſe ſub *mutato eſſe*, cui correſpondet proprium *nunc*, & tale *mutatum eſſe*, licèt ſit principium motus, non tamen eſt finis alterius. Et ſimiliter poſſet dici, quòd datur aliquod *nunc*, quod tantùm eſt finis præteriti temporis, & nullo modo principium alterius; patet, quia finis alicuius motus, ſiue terminus eſt aliquod *mutatum eſſe*, cui correſpondet proprium *nunc* menſurans tale *mutatum eſſe*. Reſpondeo breuiter, quòd ſicut omne *moueri* præcedit *mutatum eſſe* in infinitum, & è conuerſo. ſcilicet omne *mutatum eſſe* præcedit *moueri* in infinitum, vt patet 6. *Phyſ. text. comment.* 52. Sic omne tempus præcedit *nunc*, & omne *nunc* præcedit tempus, ita quòd ſicut non poteſt dari aliqua prima pars temporis, antequam non ſit alia, nec aliquod *nunc* temporis, ante quod non ſit aliud, ita non poteſt dari aliqua pars temporis, quam non præcedat aliquod *nunc*: nec poteſt aſſignari aliquod *nunc*, quod non præcedat aliqua pars temporis: & ſic ſequitur, quòd dato quocunque *nunc*, illud erit principium alicuius partis temporis, & finis alterius. Idem dico de *nunc* menſurante *mutatum eſſe*, quod eſt terminus alicuius temporis. Sed de hoc infrà patebit præſenti diſtinctione.

11. m *Et ad hoc declarandum.* Hìc Doctor intendit declarare per ſimile ad mobile, quomodo idem *nunc* numero dicatur idem ſecundùm ſubſtantiam, & diuerſum ſecundùm *eſſe*, & ſententia huius literæ ſtat in hoc: ſcilicet quòd mobile poteſt dupliciter conſiderari. Primò in ſe, & & abſolutè, & nó vt eſt ſub aliquo motu, vel mutatione. Secundò vt eſt ſub motu, vel mutatione. Primo modo, non menſuratur tempore, nec *nunc*

temporis, patet, quia tempus eſt primò menſura motus, & *nunc* temporis eſt menſura *mutati eſſe*; & ſi aliquando dicitur menſura alicuius mobilis, ex hoc ſolo dicitur menſura, pro quanto ipſum mobile eſt ſub motu, vel mutatione, & vt ſic ſubſtantia mobilis menſuratur tempore tantùm per accidens. Et ſi quæratur, qua ergo menſura menſuratur ſubſtantia mobilis, vt præcedit motum, & mutationem. Dico, quòd menſuratur æuo, vt infrà patebit præſenti quæſtione. Secundo modo, vt mobile eſt ſub motu, vel mutatione, & tunc conſiderando ipſum vt eſt ſub vna mutatione, ſiue ſub vno *mutato eſſe*, erit idem ſecundùm ſubſtantiam, & diuerſum ſecundùm *eſſe*: patet, quia vna mutatio numero, ſiue vnum *mutatum eſſe*, eſt tantùm vnum, & idem ſecundùm ſubſtantiam; vt verò eſt principium vnius partis motus, puta futuræ, & finis alterius, ſcilicet præteritæ, dicitur diuerſum ſecundùm *eſſe*, quia ſecundùm aliam, & aliam rationem dicitur principium, & finis, vt ſuprà expoſui: pariformiter dicendum eſt de quocunque *nunc* temporis.

12. *Expoſitio literæ.* Expono tamen aliqualiter iſtam literam ibi: *non quidem mobile, vt abſolutè præcedit mutationem, quia hoc modo* nunc *non eſt menſura eius*, non debet intelligi, quòd mobile priùs fiat ſub mutatione quàm ſub motu, quia data quacunque mutatione, aliqua pars motus præcedit, & è contra data quacunque parte motus, aliqua mutatio præcedit, vt ſuprà dixi, ſequitur, *ſed mobile, vt eſt ſub vna mutatione eſt idem ſecundùm ſubſtantiam.* Cùm dicit Doctor de mobili ſub vna mutatione, non debemus intelligere, quòd præcisè ſit ſub vna mutatione, quia impoſſibile eſt mobile moueri, quin ſit ſub vna mutatione, quia impoſſibile eſt mobile moueri, quin ſit ſub infinitis mutationibus: patet, quia dato quocunque motu ille eſt diuiſibilis in infinitas partes motus, loquendo de diuiſione ſecundùm proportionem, & data quacunque parte motus, illa erit inter duo *mutata eſſe*, quorum vnum eſt principium illius partis, & aliud finis eiuſdem. Debet ergo ſic intelligi Doctor, quòd quando mobile incipit moueri, conſideratur ſub aliqua vna mutatione, quæ eſt principium vnius partis motus, & finis alterius; & ſic talis mutatio ſecundùm ſe conſiderata erit tantùm vna ſecundùm ſubſtantiam; vt verò conſideratur ſub alia, & alia ratione, quâ dicitur principium, & finis, dicitur diuerſa ſecundùm *eſſe*, id eſt, dicitur alia, & alia ſecundùm aliam, & aliam rationem. Sequitur ibi, *& ſecundùm hoc dicitur alibi, & alibi eſſe, non quidem actu, ſed in vno* vbi *medio inter extrema.* Dicit Doctor, quòd quando aliquod mobile localiter mouetur, actu eſt in vno *vbi* medio, & ſub extremis non actu; exempli gratia, ſi *A* mouetur ſuper aliqua magnitudine in quocunque inſtanti, ſemper eſt in alio, & in alio *vbi*, & quando actu eſt in aliquo *vbi* præſenti, illud *vbi* præſens dicitur medium inter duo extrema, quæ extrema ſunt *vbi* præteritum, & *vbi* futurum, & ſic illud *vbi* medium dicitur principium *vbi* futuri, & finis *vbi* præteriti: pro quanto ergo vnum mobile eſt in aliquo *vbi* medio, dicitur alibi, & alibi eſſe: quia vt eſt in tali *vbi* medio eſt inter extrema, inquantùm illud *vbi* medium terminat motum ſecundùm prius *vbi*, & inchoat ſecundùm poſterius *vbi*. Et rationem aſſignat, *quia mutari eſt aliquid vtriuſque extremi*, vt patet per Philoſophum ſexto Phyſicorum, text. comment. 32. vbi ſic ait, ſecundùm aliam tranſlationem: *Sequitur neceſſariò, vt tranſmutatum ſecundùm quandam partem ſit in hoc, & ſecundùm aliam ſit in hoc, quoniam impoſſibile eſt, vt in vtroque ſit, aut vt ſit in neutro, & intelligo per hoc, quod dico, in quo tranſmutatur primum in tranſmutationem, verbi gratia, ex albo in pallidum non in nigrum, quoniam non eſt neceſſarium vt tranſmutatum ſit, aut in hoc extremo, aut in hoc; ergo manifeſtum eſt, quòd illud, quod tranſmutatur eſt diuiſibile.* Et ibi vide Commentatorem diffusè exponentem. Vult ergo Philoſophus, quòd quamuis aliquid ſit in vno medio; tamen illud eſt aliud ſecundùm vtrumque extremum, vt puta quando mobile localiter mouetur, & actu ſit in aliquo medio, puta in aliqua mutatione, quæ eſt finis motus præteriti, & principium futuri, illud mobile eſt aliud ſecundùm vtrumque extremum quia vt ſic ſub alia, & alia ratione conſideratur.

Quid ſit mutari.

n *Sed quomodo ex hoc ſoluatur illa quæſtio Philoſophi*, 4. Phyſicorum, vbi ſic ait: *Amplius autem ipſum* nunc, *quod videtur determinare præteritum, & futurum, vtrùm vnum, & idem ſemper permanet, aut aliud, & aliud non facile eſt ſcire, ſiquidem ſemper alterum, & alterum eſt*, &c. 13.

Dico, quòd ſicut quæſtionem illam, &c. Quæ habetur 4. Phyſic. text. comment. 87. *Conueniens*, inquit, *eſt aliquid de tempore, primum autem benè ſe habet opponere de ipſo, & per extraneas rationes. Vtrùm ſit eorum, quæ ſunt*, & text. com. 88. *Quòd igitur*, inquit, *omnino non ſit, aut vix, & obſcurè, ex hoc aliquis concipiet*, &c. Dicit Doctor, quòd hanc quæſtionem non ſoluit expreſsè, ſed aliqua dicit, ex quibus poteſt colligi eius ſolutio, ita & in iſto videlicet, an in toto tempore ſi tantùm vnum *nunc* ſecundùm ſubſtantiam, diuerſum verò ſecundū *eſſe*, & oſtendit quomodo ſit aliud, & aliud *nunc* ſecundùm ſubſtantiam per comparationem ad mobile exiſtens ſub motu, vel mutatione: vult dicere Doctor quòd ſicut idem mobile, ſiue idem *mutatum eſſe* eſt vnum, & idem ſecundùm ſubſtantiam, ſed diuerſum ſecundùm aliam, & aliam comparationem: quia vt comparatur ad partem præteritam motus, dicitur finis; vt verò comparatur ad partem futuram, dicitur principium; ſic pariformiter dicendum eſt de *nunc* temporis, quòd dato quocunque *nunc* erit idem ſecundùm ſubſtantiam, ſed diuerſum ſecundùm aliam, & aliam comparationem, vt ſuprà expoſui. Et tamen in illo toto tempore ſunt plura *nunc* alia, & alia ſecundùm ſubſtantiam, ſicut & in aliquo motu ſunt plura *mutata eſſe* ſecundùm ſubſtantiam, vt ſuprà patuit.

Opinio Doctoru.

Idem mobile, ſiue idē mutatum eſſe eſt vnum, & idē ſecundū ſubſtantiam, ſed diuerſum ſecundùm aliam, & aliā comparationem.

Et hoc patet etiam per literam ſequentem, cùm dicit, *& non eſt tanta identitas inſtantis in toto tempore*, &c. Vult dicere Doctor, quòd accipiendo inſtātia in aliquo tempore, puta vnius horæ in quo mouetur *A*, quòd inſtans accipitur in confuſo, non dicit vnum inſtans menſurans tantùm vnam mutationem: patet, quia inſtans in toto illo tempore includit plura, & plura inſtantia, inſtans autem vnum reſpectu ſubſtantiæ mobilis, id eſt, menſurans vnam mutationem, per quam mobile tantùm habet vnum *mutatum eſſe*, eſt tantùm vnū numero. Ex hiis arguo ſic; quæcunque ſunt vnum numero ſecundùm ſubſtantiam, dicunt eandem identitatem, ſed inſtans temporis confuſè accep-tum, & vnum inſtans numero, non dicunt eandem 14.

Nota. dem identitatem ; ergo non ſunt vnum numero ſecundùm ſubſtantiam. Aduerte tamen, quòd Doctor præſupponit pluralitatem inſtantium in toto tempore, vt ſuprà probatur, ſic quòd in toto tempore poſſit accipi inſtans in confuſo, quod verè eſt commune pluribus inſtantibus.

Eſt etiam aduertendum pro iunioribus, quòd cùm dicitur *inſtans idem ſecundùm ſubſtantiam, diuerſum ſecundùm eſſe*, accipitur ibi *ſecundùm ſubſtantiam*, vt abſolutè in ſe conſideratur, & accipitur *ſecundùm eſſe*, vt dicit aliam, & aliam comparationem ; ſicut dicimus, quòd mobile poteſt conſiderari ſecundùm ſubſtantiam, ſupple in ſe, vt in ſe abſolutè conſideratur, & ſecundùm *eſſe*, ſecundùm quòd conſideratur ſecundùm aliam, & aliam comparationem, vt cùm ſit ſub alia, & alia parte motus, vel ſub alia, & alia mutatione.

15. o *Dico tunc ad inſtantiam.* Nunc Doctor reſpondet ad inſtantiam ſuperiùs factam, in qua probatur, quòd ſicut inſtans menſurans ſubſtantiam mobilis, realiter diſtinguitur ab ipſa, ita & *nunc* æui realiter diſtinguitur ab ipſo æuiterno; & dicit, quòd ſi aliquod *nunc* ſimiliter ſe habeat ad ſubſtantiam mobilis, ſicut *nunc* æui ſe habet ad æuiternum, quòd eſt idem realiter ſubſtantiæ mobilis. Et addit quòd tale *nunc* menſurans ſubſtantiam mobilis non erit aliud, & aliud, ſed tantùm vnum ; & erit indiuiſibile non de genere Quantitatis, quia ſi eſſet de genere Quantitatis, eſſet realiter diſtinctùm à ſubſtantia mobilis, vt aliàs pertractabitur.

Et aduerte, quòd cùm dicit *nunc* menſurare ſubſtantiam mobilis, non accipitur hîc *ſubſtantiæ mobilis*, pro mutatione, ſiue pro *mutato eſſe*, vt ſuprà dixi, nec propriè, vt ſub mutatione, ſed accipitur *ſubſtantia mobilis* pro ſubſtantia in ſe conſiderata, ſiue actu ſit ſub motu, vel quiete: quia vt ipſa conſideratur ſub motu, ſaltem per accidens menſuratur tempore ; vt verò conſideratur ſub mutatione per accidens menſuratur inſtanti temporis. Doctor tamen magis videtur declinare, quòd quælibet ſubſtantia, vel menſuretur æuo, dicente quantitatem ſucceſſiuam, tenendo poſitionem D. Bonauenturæ ; vel dicente tantùm *nunc* indiuiſibile ſecundùm poſitionem Henrici, & hoc infrà patebit. Et addit Doctor in litera, quòd ſi fingatur tale inſtans, menſurãs ſubſtantiam mobilis pertinere ad genus Quantitatis, tale inſtans non eſt in actuali exiſtentia Angeli, & hoc intendo, quòd menſura exiſtentiæ Angeli ſit tantùm vnum *nunc* indiuiſibile, & realiter idem exiſtentiæ Angeli, vt ſuprà patuit. Si verò teneretur poſitio D. Bonauenturæ, talia inſtantia ſibi ad inuicem ſuccedentia eſſent de genere Quantitatis, vt ſuprà patùit, præſenti diſt. q. 1.

Doctor magis declinat ad opinionem D. Bonauent.

16. p *Sed contra iſtud arguitur ſic.* Hîc Doctor intendit probare, quòd ſubſtantiæ mobilis correſpondeat tantùm *nunc* ſecundùm ſubſtantiam, & illud *nunc* erit realiter diſtinctum à ſubſtantia mobilis : & probat quòd tale *nunc* ſit menſura propria ſubſtantiæ mobilis : quia ſubſtantia mobilis, vel conſideratur ſub medio mutationum, id eſt, inter terminos mutationum, & ſic correſpondent ſibi diuerſa *nunc* ſecundùm *eſſe* ; patet, quia vt eſt ſub alia, & alia mutattone, ſiue ſub alio, & alio *mutato eſſe* menſuratur alio, & alio *nunc* temporis, quia propriè mutatio menſuratur *nunc* temporis. Et cùm dicit *vt eſt ſub vno medio mutationum*, ſic debet intelligi, quia mutatio eſt inter duos motus, quia eſt finis motus præteriti, & principium motus futuri, vt ſuprà expoſui ; qui motus dicuntur termini talis mutationis, videlicet terminus *à quo*, & terminus *ad quem* : nam cùm mobile ſit ſub aliquo *mutato eſſe*, tranſit à motu præterito ad motum futurum ; vt ergo mobile actu eſt ſub aliqua tranſmutatione : tunc eſt in medio inter terminos talis mutationis. Vel conſideratur mobile, vt eſt terminis mutationum, puta ſub diſtinctis partibus motus, quæ ſunt termini mutationis ; quia pars præcedens mutationem dicitur terminus *à quo*, & pars ſequens dicitur terminus *ad quem*, tunc tale mobile menſuratur tempore : patet, quia motus, ſub quo conſideratur, tempore menſuratur.

Aduerte tamen, quòd vt eſt ſub mutatione menſuratur inſtanti temporis, non ratione ſui, ſed ratione mutationis, & vt eſt ſub motu, dicitur menſurari tempore tantùm ratione motus, qui per ſe menſuratur tempore ; vel conſideratur ipſum mobile, vt eſt prius motu, & mutatione, poſſibile tamen recipere ipſa, tunc meſuratur aliqua propria menſura alia à ſupradictis ; & illa videtur eſſe inſtans, ſiue *nunc* ſecundùm ſubſtantiam, id eſt, *nunc* abſolutè in ſe conſideratum : & hoc patet, quia vt tunc menſurat mutationem, quæ ponitur medium inter terminos, videtur eſſe aliud, & aliud tantùm ſecundùm *eſſe*, quia ſicut talis mutatio eſt finis motus præteriti, & principium motus futuri, ita & *nunc* menſurans talem mutationem, eſt finis temporis præteriti, & principium temporis futuri, & ſic erit aliud, & aliud ſecundùm *eſſe* : ergo vt menſurat ſubſtantiam mobilis in ſe, & abſolutè conſideratam, erit tantùm idem *nunc* ſecundùm ſubſtantiam, ſiue illud *nunc* pertineat ad genus Quantitatis, ſiue non. His declaratis formatur ſic ratio : Sicut ſe habet *nunc* menſurans mutationem ad ipſam mutationem, & tempus menſurans motum ad ipſum motum : ita ſe habet *nunc* menſurans ſubſtantiam mobilis in ſe ad ipſam ſubſtantiam : ergo ſicut *nunc* realiter diſtinguitur à mutatione, & tempus à motu, ita & *nunc* menſurans ſubſtantiam mobilis in ſe realiter diſtinguitur.

17. q *Reſpondeo, ſi oportet tempus differre*, &c. Doctor dubitatiuè loquitur, an tempus realiter differat à motu, inſtans à mutatione : quia in iſta materia ſunt diuerſæ opiniones : videtur tamen probabiliter dici per rationem Doctoris quòd realiter diſtinguantur. quæ ratio eſt ſatis clara in litera. Et addit Doctor, quòd poſito, quòd tempus realiter diſtinguatur à motu, & inſtans à mutatione, non eſt ſimile de *nunc* menſurante ſubſtantiam mobilis in ſe, quia illud poterit eſſe idem realiter, & hoc eſt quod intendit in iſta litera, quam tamen propter iuniores declaro de particula in particulam. Quod dicit ibi de partibus eiuſdem Quantitatis proportionis. Continuum enim poteſt diuidi ſemper in partes eiuſdem proportionis, vel in partes eiuſdem quantitatis. Cùm diuiditur in partes eiuſdem proportionis, ſemper diuiditur per medietates, puta quantitas pedalis diuiditur in duas partes æquales, & illa medietas diuiditur in partes æquales, & illa alia medietas in partes æquales, & ſic in infinitum, quia data quacunque parte, ſemper eſt diuiſibilis in duas medietates : & ſic continuum eſt diuiſibile in infinitas partes, ſẽper loquendo

An tempus realiter diſtinguatur à motu.

Continuum poteſt dupliciter diuidi.

Differentia inter partes eiuſdem proportionis, & eiuſdē quantitatis.

loquendo de partibus eiuſdem proportionis,quia ſicut aliquod continuum eſt in proportione dupla ad quamlibet medietatem ſeorſum ſumpta , ita & illa medietas , vt diuiditur in duas partes æquales,eſt in proportione dupla ad vnam medietatem , & ſic in infinitum. Sed partes eiuſdem quantitatis aliter conſiderantur , quia ſi diuidjtur,puta linea cubitalis per partes digitales, ita quòd primò auferatur vna pars digitalis , & ſecundò alia , & ſic deinceps in tantum poterit diuidi,quòd ampliùs non poterit diuidi in partes digitales , & tales partes dicuntur partes eiuſdem quantitatis; & loquendo de huiuſmodi partibus continuum non eſt diuiſibile in infinitas partes.

r Sequitur *Nulla quantitas eſt eadem alteri quantitati*, &c. Hæc propoſitio eſt ſatis euidens, quia quando duo continua ſunt ſimpliciter idem realiter dicunt præcisè eaſdem partes,tam in numero , quàm in magnitudine , aliter non eſſent idem realiter. Dicit *tam in numero, quàm in magnitudine* : quia ſi in continuo *A* ſunt infinitæ partes ſecundùm proportionem tot erunt in continuo *B*,& ſi ſunt centum partes eiuſdem quantitatis,puta pedalis, tot erunt in continuo *B* , & ſi in continuo *B* eſſent centum partes digitales tantùm, & in cōtinuo *A* centum partes pedales, licèt continuum *A* non excederet continuum *B*, in numero,excederet tamen in quantitate,ſiue in magnitudine,quia vna pars eſſet maior alia.

18. ſ Sequitur ibi , *Loquendo autem de quantitate , quæ eſt in motu* , &c. Et exemplum ſequens eſt ſatis clarum in litera. Pono enim caſum,quòd *A* moueatur ſuper magnitudine bicubitali à virtute vt quatuor , & motus ſuper tali magnitudine habeat centum partes digitates,loquendo de partibus motus reſpectu magnitudinis,tali motui correſpondebit tempus habens tantùm centum partes digitales. Deinde pono , quòd ſit virtus vt octo , quæ moueat idem mobile ſuper magnitudine quatricubitali, ille motus habebit ducentas partes digitales,& tamen mouebit in æquali tempore ; & ſic tale tempus habebit tantùm centum partes digitales ; & ex hoc ſequitur , quòd realiter diſtinguitur à tali motu habente ducentas partes. Sequitur etiam, quòd inſtantia talis temporis realiter diſtinguantur à mutationibus in tali motu exiſtentibus : patet, quia vt conſideratur tempus habere centum partes digitales, conſiderantur quinquaginta inſtantia,quia vnum inſtans erit principium vnius partis , & finis alterius, & ſic de aliis. Sed in motu habente ducentas partes erunt centum mutationes : Patet, quia inter duas partes motus eſt mutatio media , quæ eſt finis partis præteritæ,& principium partis futuræ;& ſic patet quomodo inſtans temporis realiter diſtinguitur à mutatione. Et hoc eſt quod dicit ibi.

t *Ex hoc concluderetur , quòd indiuiſibile vnius quantitatis*,puta alicuius motus,*non eſt indiuiſibile alterius quantitatis*, puta temporis, id eſt,quòd mutatio non eſt realiter idem,quòd inſtans temporis.

Sequitur in litera ibi, *Sed ex hoc non ſequitur, quòd in aliquo permanēte*,&c. Dicit Doctor,quòd non eſt ſimile de permanēti,& de ſucceſſiuo quia ſucceſſiua poſſunt habere menſurā aliam propter diffōrmitatem partiū menſuræ, & menſurati , vt ſuprà patuit , ſed in permanenti & menſura eius non apparet talis diffōrmitas. Ideò eſt fallacia Conſequentis , arguendo per locum à maiori ad minus affirmatiuè,quia non ſequitur ; Rex poteſt debellare caſtrum ; ergo & miles:ſic in propoſito motus , & mutatio realiter diſtinguuntur à menſura ; ergo & ſubſtantia mobilis, eſt fallacia Conſequentis , quia apparet maior ratio , quòd motus, & mutatio realiter diſtinguantur à menſurā propter cauſam ſuperius dictam , quàm de permanenti. Sequitur , *ſi tamen placeat dare aliquam aliam menſuram ſubſtantiæ mobilis* Doctor videtur tenere , quòd ſubſtantia mobilis menſuretur æuo,vt patebit infrà q.4.

Qua ſit fallacia conſequentis.

u *Et ſi quæras aliam menſuram eius* , &c. Eſt intelligendum , quòd ſubſtantia mobilis , vt tantùm in ſe conſideratur , tantùm menſuratur æuo , vt infrà patebit. Si etiam conſideretur ſub iſta paſſione , quâ dicitur apta nata ſuſcipere motum , & mutationem adhuc tantùm menſuratur æuo. Si tertiò conſideretur , vt actu eſt ſub motu , & mutatione tantùm per accidens menſuratur tempore vt eſt ſub motu , & inſtanti temporis , vt eſt ſub mutatione ; per ſe tamen menſuratur æuo , etiam vt actu eſt ſub motu & mutatione.

Quomodo ſubſtantia mobilis menſuratur æuo.

SCHOLIVM.

*Docet æuum intrinſecum non eſſe propriè menſuram Angeli , qu a cùm ſit ipſa exiſtentia eius ; non eſt quid notius eo, nec habet alias conditiones menſuræ,de quibus agit Phil.*10. *Met. cap.*1.*&* 3.*ſi dicas cum aliis ex citatis,& cum ipſo Scoto alibi,eſſe menſuram, ſumetur menſura latiùs & erit contentio de voce.*

Quid ſit menſurare?

10. AD ſecundam partem a quæſtionis,qua quæritur , an debeat poni in Angelo exiſtente aliquid menſurans eius exiſtentiam; dico,quòd *menſurare eſt* quantitatē ignotam certificare , per quantitatem magis notam.Certificatio autem aliquando poteſt fieri per quantitatem exiſtētem in re vel imaginatione, ſicut artifex expertus per aliquam quantitatem,quam habet in ſua imaginatione menſurat quantitatem quamcumque ſibi occurrentem. Aliquando autem poteſt fieri per quantitatem aliquam exiſtentem in re : & hoc tripliciter. Vel excedentem , & tunc certificatur intellectus de quantitate minore , per acceſſum eius ad quantitatem maiorem , vel receſſum ab ea:& hoc modo menſura ponitur in quiditatibus rerum, & menſura eſt perfectior ipſo menſurato:quæ dicitur eſſe notior naturaliter ipſo menſurato, ſicut albedo ponitur prima menſura in genere colorum:& Deus dicitur prima menſura omnium,quæ ſunt

Quātitati tripliciter conuenit menſurare 10. *Metap. c.*2.*& inde*

in

in quocunque genere. Alio modo [b] menſuratur per quantitatem exceſſam, quia quantitas nota minor eſt & pars quantitatis maioris, quæ magis ignota eſt: & tunc illa quantitas minor, per ſui replicationem menſurat ipſum totum quantum maius, & hoc modo minor motus poteſt eſſe menſura maioris motus ex natura rei. Tertio modo [c] menſuratur quantitas ignota per aliam quantitatem notam, & diſtinctam, & æqualem ſibi: & hoc fit per applicationem, ſiue ſuperpoſitionem. Et quia illud, quod eſt menſura ex natura rei, debet eſſe notius naturaliter ipſo menſurato: ideò in iſto modo, ſcilicet tertio, vnum æqualium non eſt menſura aliorum, niſi illa æqualitas nota fuerit ex natura rei: & hoc modo tempus, ſi eſt alia quantitas à motu, & notior eo, poteſt eſſe menſura motus ex natura rei. Alicui tamen intellectui poteſt illud eſſe menſura, quod ex natura rei non eſt menſura, puta ſi alicui ſit nota quantitas vlnæ, & quantitas panni ignota: poteſt tunc quantitas vlnæ eſſe menſura quantitatis panni, licèt ex natura rei, neutra quantitas habeat maiorem certitudinem alia.

4. *Phyſic. Text.* 114. *& 6. Phyſ. text.* 60. *& 62.*

Vlna nõ eſt menſura ex natura rei, panni.

11. Ad propoſitum [d] igitur applicando, dico, quòd in actuali exiſtentia Angeli non oportet quærere aliquam menſuram intrinſecam aliam à natura rei ipſius menſuratæ: quia ſicut probatum eſt, iam nihil eſt ibi aliud realiter à natura rei menſuratæ: menſura autem ex natura rei aliud eſt à menſurato: & patet, quòd ſi ponitur in Angelo aliqua menſura non poneretur in eo, niſi hoc tertio modo, nec enim eſt excedens, nec exceſſa, ſed æqualis: nec illa exiſtentia [e] videtur poſſe eſſe menſura ſuiipſius, ſicut in aliis. Quantitas enim, vt diſtinctè cognita, poteſt eſſe menſura ſuiipſius, ſecundùm partes ſuas confusè cognitas. Non eſt ita hîc, cùm iſta exiſtentia ſit indiuiſibilis, in qua non poſſunt concipi partes confusè: quia non habet in ſe partes ſimpliciter: ergo non eſt neceſſe in Angelo exiſtente ponere aliquid aliud ab actuali eius exiſtentia quod ſit menſura illius exiſtentiæ actualis: & ſi non eſt pluralitas ponenda ſine neceſſitate, & hîc non ſit neceſſitas: non videtur eſſe hîc ponenda pluralitas. Non ſolùm autem, non eſt neceſſarium ponere aliquid abſolutum pro menſura, ſed nec relationem aliquam: quia non eſt neceſſe hîc aliam relationem aliquam ponere, quàm illam, quæ eſt ad cauſam efficientem, vel conſeruantem; & illa non eſt aliud à fundamento, ex q. 5. 1. diſt. huius ſecundi.

Ad primum [g] principale patet, quòd conſequentia non valet de tempore, & motu; comparando ad exiſtentiam Angeli. Et ratio priùs dicta eſt, reſpondendo ad vnum argumentum: quia illud, quod concludit differentiam motus & temporis, non concludit hîc eſſe aliquid diſtinctum, & aliud ab exiſtentia actuali Angeli; ideò nec menſura.

Ad arg. in princ. q.

Ad ſecundum [h] patet, quòd non conceditur aliquid eſſe in actuali exiſtentia Angeli, quod ſit propriè quantitas, nec indiuiſibile de genere Quantitatis: quia ſola exiſtentia videtur poſſe noſci, abſque omni alio addito.

COMMENTARIVS.

1. a *AD ſecundam partem quæſtionis*, &c. Hîc Doct. multa dicit de iſta mẽſura, quę ſunt ſatis clara in litera, tamen propter imperitiores in via Doctoris ſub breuitate hanc literam declaro de particula in particulam. Primò dico, quòd *menſurare eſt quantitatem ignotam certificare per quantitatem magis notam.* Et hæc certificatio aut fit in imaginatione, vt patet de artifice menſurante altitudinem turris per aliquam quantitatem, quàm habet in imaginatione; aut fit in re, puta per quantitatem exiſtentem in re, & hoc tripliciter. Primò *per quantitatem excedentem*, &c. Et de iſta menſura perfectionali, & quiditatiua, patet per Ariſtotelem 10. Metaphyſicorum, text. comment. 27. vbi habetur, quòd in omni genere eſt vnum, quod eſt metrum & menſura omnium illius generis, & vide expoſitionem quam feci de iſta menſura infrà diſt. 3. q. 1. huius ſecundi.

Menſurare quid ſit. Declaratio litera.

Et addit Doctor quòd *Deus dicitur prima menſura omnium, quæ ſunt in quocunque genere.* Et dicitur menſura tantùm extrinſeca omnium generũ, & contentorum in eis, vt patet à Doctore *in 1. diſt. 8. q. 2. in reſponſione ad argum. pro opin.* & nullo modo eſt menſura intrinſeca: quia tunc contineretur in genere, cuius oppoſitum ſubtiliter probatum eſt à Doctore *in 1. diſt. 8. quæſt. 2.* quicquid alij dicant, vt Ioan. Ang. Bacon. & Greg. de Arimino, & vide quæ prolixè expoſui ibi contra has opiniones.

Quomodo Deus dicatur menſura extrinſeca omnium.

b Secundo modo *aliquid menſuratur per quantitatem exceſſam*, &c. *Et hoc modo minor motus poteſt eſſe menſura maioris motus ex natura rei*, ſicut per motum vnius menſis per replicationem talis motus.

c *Tertio modo menſuratur*, &c.

d *Ad propoſitum applicando*, Doctor in iſta litera ponit aliquas concluſiones.

Prima

1. *Concluſio.* Prima, *In exiſtentia Angeli non oportet ponere aliquam menſuram intrinſecam aliam à natura rei menſuratæ*, quia menſura ex natura rei eſt aliud à menſurato; ibi autem nihil aliud eſt intrinſecum realiter diſtinctum à natura rei menſuratæ, vt ſuprà probatum eſt:& patet, quia talis menſura non poneretur,niſi tertio modo, ſcilicet æqualis menſurato.

2. *Concluſio.* e Secunda; *Exiſtentia Angeli non poteſt eſſe menſura ſui ipſius ſicut in aliis, quantitas enim vt diſtinctè cognita poteſt eſſemenſura ſui ipſius ſecundùm partes ſuas confusè cognitas.* exiſtentia verò Angeli eſt omnino indiuiſibilis, non potens continere partes confusè in ſe.

3. *Concluſio.* f Tertia: *Non ſolùm autem non eſt neceſſarium ponere aliquod abſolutum pro menſura*, &c.

g *Ad primum principale.*

Reſpondet Doctor,negando ſimilitudinem de tempore,& motu, & de exiſtentia Angeli: & ratio patuit ſuprà, quare ponitur tempus eſſe menſuram realiter diſtinctam à motu,quæ ratio nullo modo militat reſpectu exiſtentiæ Angeli, vt ſatis patuit.

h *Ad ſecnndum.*

Reſpondet, quòd in exiſtentia Angeli non eſt propriè quantitas, nec indiuiſibile de genere Quantitatis, quia ſola exiſtentia Angeli videtur poſſe noſci abſque aliquo alio addito. Et aduerte, quòd Doctor magis videtur tenere hanc opinionem, videlicet, quòd exiſtentia Angeli non menſuretur aliqua menſura alia ab exiſtentia Angeli,nec diuiſibili,& ſucceſſiua ſecundùm opinionem Bonauenturæ,nec indiuiſibili,ſecundùm opinionem Henrici. Nec ſeipſa, vt ſuprà patuit: ſufficit enim,quòd talis exiſtentia poſſit cognſci abſque omni alio addito, &c.

2. *Dubia.* Circa primam, & ſecundam quæſtionem diſtinct.2.occurrunt aliqua dubia,& primò circa tres concluſiones primæ quæſtionis, quarum prima eſt.

Impoſſibile eſt Angelum habere *eſſe* in ſecundò inſtanti, niſi alia cauſatione, vel eadem continuata.

Secunda concluſio. Nihil habet *eſſe* aliqua cauſatione completè,cuius oppoſitum poteſt ſtare poſita prima cauſatione.

Tertia concluſio, Conſeruare rem dicit aliquam actionem poſitiuam.

Contra primam, quia ſi alia actione producitur in ſecundo inſtanti à prima, cùm illa ſit realis, vt patet, quia terminatur ad terminum realem,aut eſt eadem realiter cum prima(loquendo ſemper de actione paſſiua) aut alia realiter. Primo modo non,quia tunc nō eſſent duæ actiones. Tum etiam, quia poſita prima non eſt neceſſe ponere ſecundam, quia Deus in ſecundo inſtanti æui poteſt ipſum annihilare. Non ſecundo modo; patet, quia tunc idem Angelus differret à ſeipſo realiter,patet, quia dependentia paſſiua, qua dependet in ſecundo inſtanti eſſet idem realiter ipſi Angelo, vt patet à Doctore *in* 2. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 5. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 1. ſed illa ſecunda dependentia realiter differt à prima;ergo idem Angelus realiter diſtinguitur à ſeipſo; modò per aliam,& aliam actionem habet aliam, & aliam dependentiam ad Deum,cùm per illam accipiat *eſſe*.

Secundò,quia alia, & alia actio completa neceſſariò eſt ad alium terminum completum,patet quia per vnam actionem completam eſt vnus terminus completè: ergo idem Angelus qui habet *eſſe* in alio, & alio inſtanti æui alia, & alia actione erit realiter aliud, & aliud productum, non idem. Tum,quia tunc idem bis realiter produceretur,quod eſt impoſſibile.

3. *Cauſa eſt prior effectu.* Contra ſecundam, & volo probare, quòd detur completa cauſatio Angeli in aliquo inſtanti, & tamen quòd poſſit non eſſe in illo inſtanti. Et ſuppono dictum Doctoris *in* 3. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 2. quòd cauſa, quando cauſat effectum, adhuc eſt prior effectu, etiam quando completè cauſat, hoc idem *diſtinct.* 25. vbi dicit quòd voluntas, vt actu elicit actum adhuc eſt prior actu. Hoc idem *in primo diſtinct.* 39 quòd quando voluntas diuina vult aliquid, vt actu vult,adhuc eſt prior natura ipſa volitione: quando ergo creat Angelum perfecta creatione intelligitur prior ipſo Angelo:ergo in illo priori poteſt oppoſitum, vt expreſsè patet à Doctore *in primo,diſtinct.* 39.Sed in illo priori habetur actio completa, quia in illo priori perfectè creat Angelum,& vt creat eſt prior Angelo creato.

Item ſi in ſecundo inſtanti, in quo poteſt non eſſe non habet completè *eſſe* prima cauſatione poſita in primo inſtanti: ergo habebit eſſe alia actione:& quæro an illa actio ex parte Angeli ſit realis, aut tantùm rationis; ſi primo, ergo idem habebit *eſſe* pluribus actionibus realibus, quarū quælibet eſt per ſe ſufficiens dare *eſſe* abſolutè,ſed vnius actionis per ſe tantùm eſt vnus terminus per ſe,vt patet, & vltra aliquid dependeret duabus actionibus totalibus, patet, quia quælibet ponitur totalis, ſed idem eſt *eſſe* Angeli in vtraque; ergo &c.

Tertiò quæro, cum ponitur habere *eſſe* in ſecundo inſtanti alia actione paſſiua, illa actio prima aut manet, aut tranſit. Si primò, ergo duæ actiones totales manent ſimul reſpectu eiuſdem cauſati, imò & mille ſi haberet *eſſe* per mille inſtantia. Si ſecundò, ergo idem *eſſe* non manet: patet, quia ponitur ſecundùm illam actionem realiter dependere à cauſa prima:& dependentia talis eſt idem realiter, & ſic idem realiter ſuccedit ſibi, ita quòd idem *eſſe* tranſit in nihilum, dum ponitur in ſecundo inſtanti,& ſic nunquam conſeruaretur.

Filius Dei continuè generantur,id-eſt natiuitas eius ſempiterna eſt. Item tertiò contra primam concluſionem arguo, quia idem ſequeretur de Filio Dei, qui continuè generatur, quia ſi in ſecundo inſtanti non habet *eſſe* prima generatione, ergo habebit *eſſe* alia, & illa neceſſariò erit realis, quia ad terminum realem: ergo plures ſaltem ex natura rei diſtinctæ, quod eſt inconueniens. Tum, quia prima non eſſet ſimpliciter neceſſaria, quia per ſecundam haberet *eſſe*. Tum, quia dicit Doctor *in quodlibet. quæſtione* 2. quòd ſi illa generatio numero non eſſet,per impoſſibile nulla ſimpliciter eſſet.

4. Reſpondeo ad primum, & concedo, quòd eſt realis illa dependentia correſpondens ſecundæ actioni, & eſt eadē realiter, & ex natura rei cum prima dependentia,correſpondente primæ actioni,& ſi differt, tantùm ratione differt: ſicut exiſtentia Angeli,vt ponitur in ſecundo inſtanti differt à ſe,vt poſita in primo inſtanti,licèt in ſe nullo modo differat, & ſic non ſunt duæ dependentiæ reales. Nec valet,ſunt duæ actiones,ergo duæ dependentiæ: quia hoc eſſet verum,ſi termini illarum eſſent alij realiter: ſed eſt tantùm idem

terminus

ductus, qui in primo inſtanti vna actione producitur,& vt ponitur idem in ſecundo inſtanti dicitur produci alia actione.

Ad ſecundum de alia,& alia actione, &c. Dico quòd alia,& alia actio, quæ eſt à *non eſſe* termini ſimpliciter ad *eſſe* eius, neceſſariò eſt alterius, & alterius termini, ſi tamen idem terminus non reparetur: quia ſi Angelus annihilatus reparetur, idem eſt ſimpliciter ibi alia & alia actio,quæ procedit à *non eſſe* immediatè ad *eſſe* ipſius producti, quia tamen idem ſimpliciter annihilatum reparatur idem,eſt idem terminus,ſed bis poſitus,multò fortiùs erit idem terminus, vbi idem pro alio, & alio inſtanti ponitur ſine interruptione, vt eſt in propoſito; & duæ actiones completæ poſſunt eſſe eiuſdem termini multoties poſiti; ſed quòd ſint duæ actiones completæ reſpectu eiuſdem producti ſemel poſiti eſt impoſsibile, quia ſimul dependeret à duabus actionibus totalibus, quarum vna eſt ſufficiens ſine altera.

Ad tertium de Filio Dei. Dico primò, quòd ſi per poſsibile, vel impoſsibile, poneretur habere *eſſe* in aliquo primo inſtanti, ita quòd in ſecundo inſtanti produceretur, neceſſariò eſſet, quia quicquid eſt ibi eſt in vltima actualitate,& ſimpliciter neceſſe eſſe:haberet enim eſſentiam diuinam,quæ eſt ſimpliciter ratio neceſſariò eſſendi; & ſic dico de quolibet alio neceſſariò producto,quia haberet entitatem formaliter neceſſariam;ſed non ſic eſſet de contingentet producto, quia illud haberet ex ſe terminari. Dico ſecundò, quòd Filius Dei tantùm eadem generatione ex natura rei producitur, cùm ſit neceſſe eſſe. Et ſi ponatur alia,& alia erit tantùm ſecundùm alium, & alium reſpectum, vt puta Pater generat Filium ſic, quòd talis generatio coëxiſtit inſtanti temporis noſtri, & vt etiam coëxiſtens tempori immediato illi inſtanti dicitur generari, & ſic dicitur alia, & alia,prout comparatur alij, vel alij inſtanti temporis, vel alij, & alij tempori.

Eſſentia diuina eſt ſimpliciter ratio eſſendi.

4. Ad inſtantias contra ſecundam concluſionem. Ad primam, concedo omnes propoſitiones Doctoris & non ſunt contra concluſionem, quia illa dicta concludunt, quòd quando producit, id eſt, ponit effectum in *eſſe*, tunc eſt prius natura effectu, & ſic poteſt non ponere; nam in illo inſtanti temporis, in quo ponit effectum in *eſſe* non eſt in agẽte aliqua actio reſpectus:quia illa eſt poſterior effectu, ſed eſt tantùm abſolutum cauſæ, vt patet à Doctore *in primo, diſt.3. quæſt.5. & in ſecundo, diſtinct. prima, quæſt. ſecunda*, quando ergo ponit effectum eſt prius natura effectu,vt poſito. Sed concluſio intelligitur pro effectu poſito in *eſſe* aliqua completa actione (quia tunc intelligitur effectus poſitus) tunc in illo inſtanti oppoſitum non poteſt ineſſe, quia tunc idem in eodem inſtanti haberet *eſſe*,& *non eſſe*.

Ad ſecundam, patet per expoſitionem ad primam inſtantiam contra primam concluſionem. & cùm dicitur,quòd tunc haberet bis eſſe. Dico, quòd poteſt dupliciter intelligi, aut quòd in eodem inſtanti bis producatur ſecundùm ſe; aut quòd in alio,& alio inſtanti idem ponatur in *eſſe*. Primo modo eſt impoſsibile, ſed non ſecundo modo. Poteſt etiam intelligi aliquid habere bis *eſſe*,ſcilicet quòd ſecundùm totum ſuum *eſſe* priùs producatur, & quòd ſecundò producatur ſecundùm totum ſuum *eſſe* nullo modo prius poſitum, & hoc eſt impoſsibile;ſed quòd idem producatur ſecundùm totum ſuum *eſſe*, priùs tamen poſitum,ſiue immediatè priùs poſitum, ſiue mediatè, id eſt, cum interruptione media, hoc eſt benè poſsibile.

5. *Idem poteſt habere bis eſſe,non quod bis in eodem inſtanti producitur,ſed quia in alio & in alio inſtanti idem ponatur in eſſe.*

Ad tertiam.Dico quòd prima actio, & manet & tranſit.Si enim accipiatur *actio* pro re acta,ſiue effecta eadem ſimpliciter manet:ſi etiam accipiatur pro relatione reali, quam dicit ad Deum efficientem, manet eadem abſolutè. Si verò accipiatur primo modo,& ſecundo modo,vt in primo inſtanti,& vt in ſecundo,ille reſpectus rationis,vt in primo inſtanti tranſit,quia vt eſt in ſecundo inſtanti,non eſt ſub illo reſpectu,ſcilicet *eſſe* ſub primo inſtanti,& ſic patet quomodo manet, & quomodo tranſit,&c.

Actio quomodo maneat, & tranſeat.

6. Contra tertiam concluſionem. Et pono, quòd creetur Angelus in aliquo primo inſtanti,& quòd Deus nihil agat poſitiuè circa ipſum, quæro aut Angelus habebit eſſe in ſecundo inſtanti, aut non? Si primo, ergo non conſeruatur per actionem poſitiuam ſtante hypotheſi. Si ſecundo, quæro, quomodo Angelus deſinat eſſe non à ſe,cùm nihil corrumpat ſe,ergo pet aliquid aliud:Contrà, quia omne quod poteſt non eſſe, poteſt non eſſe per aliquod ſibi incompoſſibile poſitiuè, vel priuatiuè,vt dicit Doctor *in primo,diſtinct.2.quæſt.1.* ſed nihil ponitur incompoſſibile Angelo in illo ſecundo inſtanti:patet,quia vnus Angelus non ſuccedit alteri ſicut inſtans inſtanti;aut deſtruitur, ſiue annihilatur à Deo,quæro quomodo?non enim ignis immediatè corrumpit formam aquæ, imò nullo modo attingit illam, ſed ideò corrumpit, quia producit aliam formam inconpoſſibilem formæ aquæ, ſic ſi Deus annihilat angelum non videtur ipſum immediatè annihilare, ſed producendo aliquid incompoſſibile ipſi Angelo pro illo ſecundo inſtanti, quod incompoſſibile non videtur poſſe aſſignari, vt patet intelligentibus.

Quomodo ignis corrũpat formã aquæ.

Confirmatur iſta ratio per Doctorem *in quarto,diſtinct.prima,quæſt. prima,diſtinct.16. quæſt.2.* vbi vult, quòd ſi peccatum opponeretur gratiæ formaliter, tunc creatura poſſet annihilare gratiam,quia produceret aliquid incompoſſibile gratiæ; & vult ibi, quòd potens annihilare, poteſt creare, quia tanta virtus requiritur in annihilando, quanta in creando: quæro tunc quæ ſit illa virtus,quæ annihilat?aut eſt agere aliquid incompoſſibile creaturæ, & ſic reſpectu Angeli oportet aſsignare illud;aut quia nihil agit circa Angelum in ſecundo inſtanti, ſed hoc nullam dicit virtutem,quia nec actionem aliquam.

Peccatum nõ opponitur gratiæ formaliter.

Reſpondeo, quòd ſi in ſecundo inſtanti non ponitur in *eſſe* à prima cauſa aliqua cauſatione poſitiua,ſtatim deſinit eſſe. & cùm dicitur, quòd deſinit per incompoſsibile. Dico, quòd propoſitio Doctoris in illo loco concludit, quia ſupponit ibi, quòd ſi eſſent duo *neceſſe eſſe*, vnum non poſſet deſtrui ab alio, quia ſupponit, quòd vnum neceſſe eſſe non conſeruatur, nec dependet ab alio, nec in eſſendo, neç in conſeruando; & ſic vnum non diceretur deſinere eſſe per aliud non habens actionem circa ipſum: ſi ergo deſtruitur, tantùm deſtruitur per aliquod ſibi incõpoſsibile,vt patet ibi,ſed non dicit abſolutè,quòd omne, quod deſtruitur deſtruatur per ſuum incompoſsibile, imò vult *in 4 diſtinct. 43.* contra Thom. quòd vnum contrarium poteſt à Deo deſtrui, & non per incompoſsibile poſitiuè. Dico ergo, quòd quia creatura ex ſe tantùm habet eſſe pro illo inſtanti, quo

7. *Quomodo vnum contrarium poteſt à Deo deſtrui.*

producitur, imò naturæ ſuæ ſimpliciter repugnat poſſe eſſe in ſecundo inſtanti, niſi ponatur à Deo in illo inſtanti, & quare hoc? quia eſt talis entitas ex ſe defectibilis, & ſic Deus non agendo deſinit conſeruare, nec ſequitur, quòd annihiletur à ſe, imò annihilatur à Deo non ponente illam in ſecundo inſtanti, cui ſoli competit ſic ponere: benè verum eſt, quòd creatura nihil deſtruit, niſi producendo aliquod incompoſſibile, vt patet in confirmatione illa: & cùm dicitur de virtute annihilandi. Dico, quòd eſt tanta annihilandi quanta creandi, non quòd annihilare dicat aliquid poſitiuum, imò tantùm negationem actionis pro ſecundo inſtanti, ſed ideò dicitur tanta virtus, quia per deſitionem agendi in quacunque creatura, nunquam ſequitur in ſe deſitio totalis effectus, ſed per ſolam deſitionem voluntatis diuinæ ſtatim Angelus tendit in nihilum ſimpliciter, & licèt Sol quando deſinit illuminare medium deſinat tale lumen in medio, non tamen annihilatur, ſed corrumpitur in materiam, cùm præſupponat ſubiectum.

Annihilare non dicit aliquid poſitiuum.

Concluſio quarta: Impoſſibile eſt in æternitate aſſignare contradictoria.

Concluſio quinta: Angelum habere *eſſe* in inſtanti æui proprio poſitiuè, & non habere *eſſe* in eodem inſtanti poſitiuo eſt implicatio contradictionis.

Concluſio ſexta: Inſtans æui menſurans exiſtentiam Angeli, non poteſt virtute propria coëxiſtere infinitis partibus temporis noſtri ſucceſſiuè.

Concluſio ſeptima: In exiſtentia Angeli ſimpliciter indiuiſibili ponere menſuram ſucceſſiuam nullum ſequitur impoſſibile.

Concluſio octaua: Manentibus eadem exiſtentia abſoluta Angeli, & Deo producente, & conſeruante, & reſpectus Angeli ad Deum ſibi ſuccedere eſt impoſſibile.

Dubia circa duas concluſiones in q. 2.

Concluſio prima, aſſerentes exiſtentiam Angeli eſſe inſeparabilem à *nunc* æui, & realiter diſtingui ab illo aſſerit impoſſibile.

Concluſio ſecunda, ponere tempus realiter diſtingui à motu nullum apparet impoſſibile.

8. Contra quartam arguo ſic, hoc principium verificatur de Deo, ſcilicet *De quolibet dicitur eſſe, vel non eſſe*, vt patet per Doctorem *in q. 1. prologi*, ergo & contradictoria, vt tenet ipſe ibi, & tamen hoc fit præcisè in æternitate.

Secundò, iſta ſunt contradictoria, Pater generat, Pater non generat; ergo ſunt reſpectu alicuius inſtantis, & non eſt aliud, niſi inſtans æternitatis, ergo & tunc verificantur duo contradictoria: patet, quia Filius in primo inſtanti originis non eſt genitus, & in ſecundo eſt genitus, quæ tamen inſtantia ſunt in eodem inſtanti æternitatis, & etiam temporis.

Æternitas eſt menſura indiuiſibilis.

Tertiò, æternitas eſt ita menſura indiuiſibilis ſicut inſtans temporis, & tamen in eodem inſtanti temporis computantur contradictoria; ergo in eodem inſtanti æternitatis.

Reſpondeo ad primum, quòd aliud eſt dicere contradictoria poſſe aſſignari in æternitate ſecundùm aliam, & aliam præſentialitatem, vel ſecundùm eandem præcisè præſentialitatem, vel ſecundùm totam præſentialitatem. Primò modo non aſſignatur ratio contradictionis, quia ſecundum vnam præſentialitatem poteſt A eſſe, & ſecundùm aliam A non eſſe. Secundo modo comparantur contradictoria, quia accipiendo vnam præſentialitatem, puta per reſpectum ad vnum inſtans temporis noſtri. A ſimul non poteſt eſſe, & non eſſe. Si etiam accipiatur illa præſentialitas, vt comparatur ad diem, adhuc A ſimul ſecundùm totam illam præſentialitatem non poteſt eſſe, & non eſſe: eſt enim impoſſibile A eſſe per totam illam præſentialitatem, & non eſſe per totam illam eãdem. Tertio modo, fit contradictio, quia eſt impoſſibile A eſſe ſecundùm totam præſentialitatem æternitatis, & ſimul non eſſe ſecundùm illam totam. Concluſio ergo intelligitur tantùm primo modo; ſcilicet ſecundùm aliam & aliam præſentialitatem.

Ad ſecundum de Patre generante, patet reſponſio, quia ſecundùm vnam præſentialitatem præcisè non eſt ſimul generans, & non generans, nam accipiendo æternitatem ſecundùm præſentialitatem ad primum inſtans originis, in quo Pater eſt, non poſſunt iſtæ eſſe veræ, Pater generat, Pater non generat; licèt ſecundùm aliam, & aliam præſentialitatem Pater ſit generans, & ſit non generans: hoc idem dico de Filio. Similiter eſt contradictio dicendo Pater generat ſecundùm totam præſentialitatem æternitatis, & Pater non generat ſecundùm totam illam.

Ad aliud de inſtanti temporis, &c. Dico, quod non eſt ſimile, quia illud inſtans nullam durationem habet, niſi inſtantaneam; ideò eſt impoſſibile A eſſe, & non eſſe in eodem inſtanti temporis; ſed non eſt ſic de inſtanti æternitatis, quia illud habet permanentem durationem, & neceſſariã, ita quòd eſt ſimpliciter impoſſibile illud deficere: ideò in eo poteſt conſiderari alia, & alia præſentialitas.

Contra quintam concluſionem arguo. Primò, quia ſi A habet *eſſe* in inſtanti temporis poſitiuo, & habeat *non eſſe* in eodem inſtanti poſitiuo, puta quòd Deus deſtruat A, & conſeruet ipſum inſtans, erit A habens *eſſe* in eodem inſtanti poſitiuo, & *non eſſe*, ſic in propoſito, ſi Deus conſeruaret inſtans æui, annihilando æuiternum, tunc haberet *eſſe*, & *non eſſe* in eodem inſtanti æui poſitiuo, & tamen non erit implicatio contradictionis, & præcipuè ponendo inſtans æui diſtingui realiter ab æuiterno. 9.

Secundò, pono, quòd A habeat *eſſe* in aliquo inſtanti æui, quod inſtans correſpondeat tempori noſtro vnius horæ, quæro an Deus poſſit annihilare A in medietate horæ, aut non: ſi non, cõtrà, quia in quolibet inſtanti temporis, poteſt annihilare: ſi ſic, & inſtans æui duret per totam horam, ergo poteſt idem Angelus in eodem inſtanti æui eſſe, & non eſſe. Nec valet dicere, quòd tale inſtans, ex quo fundatur in æuiterno, quòd ſimul annihiletur; quia illud inſtans ponitur ens abſolutum realiter diſtinctum.

Quomodo accipiatur contradictio.

Tertiò quæro, quomodo accipitur contradictio, cùm dicitur, Angelus eſt, & non eſt, aut accipitur penes inſtans æui poſitiuum ſic, quòd ſit contradictio eſſe, & non eſſe in eodem inſtanti poſitiuo; aut penes inſtans negatiuum, ſcilicet quòd ſit contradictio idem eſſe in inſtanti poſitiuo, & non eſſe in inſtanti negatiuo, id eſt, quòd quando deſinit eſſe ſimul deſinat eſſe ipſum inſtans. Si primo, ergo ſi idem Angelus comparatur ad inſtans temporis, puta quòd poſsit eſſe, & non eſſe, nulla erit contradictio, quia tantùm accipitur penes inſtans æui. Si ſecundò, hoc eſt contra Doctorem, qui concedit eundem Angelum poſſe eſſe in inſtanti æui poſitiuo, & non eſſe in eodem negatiuo modo præexpoſito.

Quartò

Quartò, videretur ſequi, quòd ſi nulla detur menſura propria, nulla eſſet contradictio: patet, quia ſi Angelus A non habeat propriam menſuram, tunc ipſum eſſe, & non eſſe nulla eſſet contradictio, & ſic ſi per poſſibile Deus faceret Angelum eſſe pro inſtanti aliquo temporis, & in eodem inſtanti non eſſe, per impoſſibile, tunc nulla eſſet contradictio, quia illud inſtans temporis non eſſet propria menſura Angeli, quod videtur valde abſurdum.

Quintò, ſequeretur quòd hîc nulla eſſet contradictio, puta inſtans temporis nunc eſt, & immediatè non eſt, quia licèt deſinat eſſe, non tamen in illo puncto, quo eſt deſinit eſſe; ſed immediatè poſt deſinit eſſe, vt patet, quia deſinit in indiuiſibilibus exponitur per poſitionem de præſenti, & negationem de futuro, id eſt, inſtans nunc eſt, & immediatè poſt non erit: ergo deſinit eſſe.

10. Reſpondeo ad primum, quòd caſus eſt impoſſibilis, ſcilicet quòd annihiletur menſuratum per ſe, & conſeruetur inſtans menſurans præcisè illud, quia dum deſinit mutatio, neceſſariò deſinit proprium inſtans menſurans illam. Sic dico de inſtanti æui, quia iſta inſtantia ſi poneretur dependere à menſuratis, quòd eſſet ſimpliciter impoſſibile menſurantia eſſe, menſuratis non exiſtentibus. Dico ſecundò, quòd non haberem pro inconuenienti, ſi inſtans æui correſpondeat alicui parti temporis noſtri puta vni horæ, quin Angelus in eodem inſtanti æui, licèt non poſſit eſſe, & non eſſe ſecundùm totam præſentialitatem ipſius, vt dixi de æternitate, nec ſimiliter ſecundùm vnam, & eandem præſentialitatem, poteſt tamen eſſe, & non eſſe ſecundùm aliam, & aliam præſentialitatem, vt dixi de inſtanti æternitatis.

Ad ſecundum dico patiformiter, primò, quòd ſi annihilatur in aliquo inſtanti temporis, quòd etiam inſtans æui annihilatur. Secundò, quòd poteſt in vno inſtanti temporis eſſe, & in alio non eſſe ſtante eodem inſtanti æui, & tunc erit ſecundùm aliam, & aliam præſentiam ipſius.

Ad tertium per idem reſpondeo.

Ad quartum dico, quòd ſi contradictio habeat accipi reſpectu alicuius mẽſuræ indiuiſibilis, quòd ſi nulla talis menſura eſſet, quòd nulla eſſet contradictio, & ſic A eſſe, & non eſſe nulla eſſet contradictio: patet, quia A poteſt eſſe in aliquo tempore, & in alio non eſſe; ſed eſt contradictio ipſum eſſe in eodem inſtanti, vel tempore, & ſimul non eſſe; ergo circunſcripta omni menſura, tam intrinſeca, quàm extrinſeca, nulla eſſet contradictio formaliter, quod concedo. Si etiam teneatur, quòd contradictio ſumatur præcisè penes menſuram propriam, & intrinſecam, tunc ſi in exiſtentia Angeli nulla ponatur menſura propria, nulla erit cõtradictio, & tunc Angelum eſſe, & non eſſe non contradicerent; quia Angelum ſimul eſſe, & non eſſe, ſumitur iſta ſimultas per comparationem ad menſuram intrinſecam, quæ ex hypotheſi negatur.

11. Contra ſextam concluſionem arguitur primò: inſtans æui poteſt ex natura ſua ſimul coëxiſtere infinitis partibus temporis; ergo à fortiori ſucceſſiuè. Patet antecedens, quia ſi per poſſibile, eſſent infinitæ partes temporis, ſimul actu coëxiſteret illis. Probatur conſequentia à ſimili, quia maioris virtutis eſt ſimul poſſe ferre decem, quàm ſucceſsiuè, & ſimiliter poſſe eſſe ſimul præſens pluribus locis, quàm ſucceſsiuè; ergo ſic erit in propoſito.

Secundò, quia ſi ex natura ſua non poteſt ſuceſsiuè eſſe præſens infinitis partibus temporis, hoc erit (vt dicit Doctor) quia eſſet infinitæ virtutis. Contrà, quia hoc magis videtur, ſi coëxiſteret infinitis ſimul: patet, quia corpus ſimul eſſe in infinitis locis eſt infinitæ virtutis; vt patet à Doctore *in quarto, diſt.* 10. *& præſenti*, & tamen poſſe eſſe ſucceſsiuè in infinitis locis non eſt virtutis infinitæ, vt patet.

Tertiò arguitur, quia ſi non poteſt eſſe præſens infinitis partibus temporis ſucceſsiuè, hoc erit, quia non durat in infinitum, quia ſi duraret poſſet coëxiſtere. Contrà, quia vt ſic non ponitur magis perfectum, quia duratio maior non facit maiorem perfectionem, vt etiam patet à Scoto *in primo, diſt.* 2. *quæſt. prima.*

Duratio maior non facit maiorem perfectionem.

Reſpondeo ad primum, concedendo antecedens poſito tali caſu, ſed nego conſequentiam, quia poſſe coëxiſtere infinitis partibus ſucceſſiuè virtute propria eſt virtute propria poſſe habere *eſſe* pro alio, & alio inſtanti: & ſic poneret ſe virtute propria in *eſſe*, & virtute propria conſeruaret ſe in infinitum, & ſic eſſet virtutis infinitæ. Nec eſt modò ſimile de ferente ſucceſſiuè centum pondera, & ferente ſimul, quia in ſecundo caſu requiritur maior virtus in ferendo: in primo ſufficit eadem virtus, quæ ſufficit ad ferendum vnum. Sed in inſtanti æui coëxiſtente infinitis partibus temporis ſucceſſiuè requiritur virtus conſeruans illud inſtans per tempus infinitum, quæ virtus erit infinita.

Ad ſecundum, patet per idem, & cùm probatur per ſimile de corpore, &c. Dico, quòd non eſt ſimile de aliquo ſimul coëxiſtente infinitis partibus temporis, & de corpore exiſtente in infinitis locis, quia in primo caſu ex coëxiſtente tali non ſequitur maior perfectio: patet, quia ſi albedo eſſet præſens toto tempore præterito, ſi illud eſſet in ſe non eſſet in ſe perfectior, vt patet: ſi tamen virtute ſua poſſet eſſe in pluribus ſubiectis eſſet maioris virtutis, ſic dico de exiſtente in pluribus locis ſimul, vt patet à Doctore in quarto, diſt. 10.

Ad tertium dico, quòd ideò eſt, quia non durat in infinitum, & cùm dicitur, quòd maior duratio, &c. Dico, quòd aliquid magis durare contingit dupliciter. Primò virtute propria, ſecundò abſolutè, & non virtute propria. Primo modo, eſt maioris virtutis, & ſic dicimus Deum eſſe infinitæ virtutis, quia ex natura ſua durat in infinitum, & de neceſſitate naturæ. Secundo modo nullam in ſe formaliter includit perfectionem, & ſic patet.

Aliquid magis durare contingit dupliciter.

12. Contra ſeptimam concluſionem arguitur primò. Si talis menſura ponitur ſucceſſiua, aut ponitur continua, aut diſcontinua: non primò, quia non eſt ibi aliquo *nunc* copulans, cùm tantùm vnum nunc immediatè ſuccedat alteri, non ſecundò, quia quæro de *nunc* ſuccedente primo *nunc*, aut immediatè oritur à principiis intrinſecis ipſius Angeli, aut immediatè cauſatur à Deo. Si primò, videtur inconueniens, quia tunc in quolibet inſtanti cauſaret aliud, & aliud *nunc*, & tunc quæro, ſi in primo inſtanti ſit Angelus correſpondente alicui inſtanti temporis, & pòſt fiat in alio inſtanti æui, tunc quæro, aut cauſat illud in inſtanti temporis, aut in tempore immediatè ſequente primum inſtans temporis. Si primò, ergo inſtans temporis ſuccedit immediatè inſtanti temporis. Si ſecundò, contrà, quia tale inſtans cùm ſit indiuiſibile tantùm cauſatur in inſtanti, & maximè à cauſa perfectè agente per modum naturæ. Præterea in quolibet inſtanti

Inſtans cùm ſit indiuiſibile, quomodo cauſetur in inſtanti

temporis ponitur eadem exiſtentia Angeli, ergo in quolibet inſtanti temporis cauſatur ab Angelo aliud,& aliud *nunc* æui:ergo illa *nunc* correſpondebunt aliis,& aliis inſtantibus temporis ſibi immediatis. Non eſt dicendum, quòd huiuſmodi *nunc* immediatè cauſetur à Deo, quia tunc poſſet cauſare & non cauſare, & ſic eſſe æuiternum ſine æuo,& ſic non eſſet neceſſe menſurari æuo.

Secundò nunquam permanens perfectè,vt permanens menſuratur menſura ſucceſſiua: patet, quia per illa non cognoſceretur permanens menſuratum, & tamen menſura ex natura rei eſt notior menſurato, ſed exiſtentia Angeli eſt perfectè permanens,& tota ſimul,ergo.

Decimo meta. c.2.& 3.

Tertiò menſura, & menſuratum ſunt vnigenea ex decimo Metaphyſicorum;ergo ſi menſura Angeli ſit ſucceſſiua, & exiſtentia ipſius Angeli erit ſimiliter ſucceſſiua, quod eſt impoſſibile, cùm ſit ſimpliciter indiuiſibilis.

13. Reſpondeo ad primum, quòd illud ſecundum *nunc* oritur à ſubſtantia Angeli, & cùm quæritur an in inſtanti, an in tempore. Dico, quòd ſi primum *nunc* correſpondebat tempori noſtro, quòd ſecundum poteſt oriri in inſtanti immediatè ſequenti illud tempus. Si verò primum *nunc* correſpondebat inſtanti temporis, tunc ſecundum *nunc* erit tempori noſtro immediatè ſequenti illud inſtans correſpondens,& concedo,quòd in eodem inſtanti,quo ponitur ſubſtantia Angeli, ponitur & illud *nunc*.Et cùm probatur,quòd in quolibet inſtanti, quia exiſtentia Angeli ponitur à Deo in *eſſe* in quolibet inſtanti temporis, negatur,quia vt ponitur in primo inſtanti temporis,& in *nunc* correſpondente tali inſtanti temporis, tunc ſecundo ponitur tantùm in *nunc* correſpondente tempori immediatè ſequenti,& tertiò ponitur in *nunc* correſpondente inſtanti immediatè ſequenti illud tempus,& vt quanto ponitur,ponitur in *nunc* æui correſpondente tempori immediatè ſequenti illud inſtans,& ſic ſucceſſiuè. Si dicatur exiſtentia Angeli habet eſſe in *nunc* correſpondente inſtanti temporis noſtri, & Deus poteſt ipſum annihilare in inſtanti; ergo & poteſt ponere in eodem inſtanti. Dico, quòd non poteſt annihilare niſi in tempore immediatè ſequenti,Si dicatur annihilatio fit in inſtanti temporis,ſiue in *nunc* æui correſpondente inſtanti temporis. Dico hoc eſſe verum, ſi ponitur exiſtentia Angeli coëxiſtere tempori noſtro, quòd tunc annihilatur in vltimo inſtanti illius temporis, ſi verò coexiſtat tantùm vni inſtanti non annihilat, niſi in tempore immediatè ſequenti. Et cùm dicitur, quòd res in quocunque inſtanti temporis poteſt à Deo annihilari,ſi intelligatur de inſtantibus immediatis,eſt ſimpliciter impoſſibile,quia talia non poſſunt eſſe. Si verò intelligatur, quòd in quolibet inſtanti terminante aliquam partem temporis conceditur,& ſic debet intelligi.

Ad ſecundum dico, quòd permanens poteſt menſurari non in ſe abſolutè, ſed ſecundùm durationem exiſtentiam: ſic intelligendo, quòd dum ipſum permanens frequenter ponitur à Deo in *eſſe* ſic ponitur ſub alio,& alio *nunc* æui, & ſic ipſum permanens, quamuis indiuiſibile dicitur ſucceſſiuum pro quanto idem quaſi infinities ponitur.

Ad tertium patet per idem, quòd dicitur hoc modo ſucceſſiuum,licèt non propriè,quia ſemper manet idem, tamen dicitur ſucceſſiuum, pro quanto idem multoties ponitur, & hoc ſufficit,licèt auctoritas Philoſophi aliter poſſit exponi.

Contra octauam arguitur. Primò, quia manet eadem exiſtentia Angeli, & ipſe Deus in ſe;& tamen videtur ſequi alia, & alia relatio ſaltem rationis: patet,quia in alio, & alio inſtanti ponitur ſimpliciter eadem exiſtentia Angeli ſecundùm *eſſe*, quod præcisè priùs habuit:ergo idem manens dicit alium,& alium reſpectum ad ipſum Deum, vt producentem,& conſeruantem. 14

Secundò, quia manentibus iiſdem abſolutis poteſt cauſari noua relatio, patet de relationibus extrinſecus aduenientibus,& patet de vnione naturæ ad Verbum.

Reſponſio patet ex ſuperiùs dictis. Et vltrà dico, quòd licèt tales reſpectus poſſint ſic eſſe noui ſaltem rationis comparando Deum, vt ponentem in *eſſe* Angelum pro alio, & alio inſtanti, tamen non poſſunt eſſe noui, accipiendo exiſtentiam Angeli in *eſſe* abſoluto, ita quòd ſimpliciter habeat idem *eſſe* quod habuit in primo inſtanti, ſic quòd in alio inſtanti non intelligatur poni in *eſſe*. Dico etiam, quod nullo modo poſſunt eſſe noui,quia ſemper manent idem fundamentum, & terminus.

An reſpectus poſſint eſſe noui.

Ad ſecundum conceditur de relatione extrinſecus aduenient, quòd poſſit eſſe noua relatio ſine nouitate fundamenti,& termini.

Contra primam concluſionem ſecundæ quæſtionis diſtinctionis ſecundæ arguitur ſic: Primò, aut quia ſunt inſeparabilia, ideò ſunt idem realiter,& ſic motus cœli eſſet idem realiter ipſi, cùm mobile tale non poſſit ſeparari à tali motu, vt patet à Doctore *in ſecundo,diſt.1.q.5.* aut quia reſpectu illius dicit cauſam intrinſecam, & neceſſariam,& tunc ſequitur, quia relatio rationis cauſata ab intellectu diuino comparante ſe, vt intelligentem ad rem intellectam (à qua non poteſt ſeparari,& eſt neceſſariò cauſata in ſeipſo, vt patet à Doctore *in primo,diſt.in.30.& in ſecundo,diſt.1. q.5.*)erit idem realiter illi,quod eſt contra Doctorem *in iſto ſecundo,vbi ſuprà.* 15.

Cælum non poteſt eſſe ſine motu,& tamen non eſt idem realiter cũ motu, quoniam talis inſeparabilitas prouenit ab extrinſeco.

Secundò, quia ſi producens aliquid neceſſariò in ſeipſo eſt idem realiter illi,ſequitur, quòd ſubſtantia, quæ neceſſariò producit accidens reale in ſeipſo, (vt patet de forma ignis, quæ neceſſariò producit in ſe aliquem gradum caliditatis, vt patet à Doctore *in quarto,diſt.12.*)erit idem realiter illi,quod eſt falſum.

Reſpondeo, vt notaui in iſto ſecundo Doct. *diſt.1.q.5.* vide ibi multa ſingularia.

Contra ſecundam arguitur ſic, quia eſt impoſſibile aliquem motum particularem eſſe, quin detur tempus particulare, menſurans ipſum præcisè, & talis motus eſt cauſa neceſſaria talis temporis, vt patet quarto Phyſicorum, ergo eſt idem realiter. Nec valet dicere, quia in tempore vnius horæ contingit tranſire ſpatium bipedale à tanta virtute, & à virtute maiori in duplo, ita quòd in vna hora tranſiuit ſpacium quadrupedale: ergo tale tempus includit plures partes, quàm tempus menſurans motum virtutis minoris, & ſic tempus vnius horæ diſtinguitur realiter, quia illud tempus à virtute maiori, etſi diſtinguatur realiter à motu virtutis minoris; non tamen diſtinguitur realiter à motu virtutis maioris, & ſic dico de alio tempore menſurante motum minorem.

Reſpondeo, quia etſi tempus illud particulare non poſſit ſeparari, & cauſetur à tali motu neceſſariò, non tamen ſequitur ipſum eſſe idem realiter; patet, quia tempus horæ ſi eſſet idem realiter,

realiter, haberet præcisè tot partes, quot motus haberet in numero,& magnitudine, & esset impossibile habere nec plures, nec pauciores, quia ergo tempus vnius horæ potest plures includere, ideò realiter distinguitur.

16. Si dicatur,quòd spacium bipedale potest transiri in medietate horæ à virtute maiori in duplo, & sic tempus vnius horæ distinguitur à tali motu. Dico,quòd esset tale tempus idem quod prius, quoad numerum partium, & magnitudinem earum,licèt motus ille sit velocior, tamen erit idem qui prius:nisi dicatur, quòd tanto spacio respondet sibi tantus motus secundùm numerum,& magnitudinem partium,& maiori spacio maior motus, & per consequens maius tempus secundùm numerum partium in numero,& magnitudine,& sic tempus mensurans motum,quod præcisè sit in tali spacio,habebit præcisè tot partes quot,& motus, & sic erit idem realiter; sic motus velocissimus,& motus tardus, qui fiunt simpliciter super eodem spacio, sunt æquales quoad numerum partium,& magnitudinem: ergo & tempus mensurans illos motus, licèt minus tempus mensuret motum velociorem, & maius motum tardiorem.

Deinde instatur contra aliud dictum, quasi in principio quæstionis,vbi habet illud,quòd si esset distinctum ab aliquo, esset posterius eo naturaliter:ergo necessariò est idem illi, si incompossibile est illud aliud esse sine eo:vbi vult in hac propositione, quòd si est impossibile A esse sine B,& A est prius natura B, & B ineſt A, A necessariò est idem realiter B, & ècontra. Contra hoc dictum sic intellectũ instatur sic:Primò, quia omne prius duratione distinguitur realiter à posteriori duratione,hoc patet; sed illud quod assignatur à Doctore esse idem realiter ex hoc, quòd est impossibile esse sine alio,& est prius naturaliter illo, est prius duratione:ergo,&c. Patet minor,quia prius natura alio est etiam prius duratione, vt expressè patet à Doctore in *tertio, distinct.3.qu.1.* & *in isto secundo dist. præsenti, q.4.* & etiam ex intentione patere potest *in primo,dist.8.q.vlt.& in isto secundo,dist.1. q.2.* Ex hoc sequitur, quòd subiectum, quod ponitur prius natura (etiam loquendo de priori natura positiuè) propria passione,quòd etiã sit prius duratione. Similiter sequitur,quòd essentia diuina,quæ ponitur à Doctore prior natura attributis,& etiam proprietatibus hypostaticis,quòd etiam sit prior duratione illis, & per consequens tam subiectum à propria passione, quàm essentia ab attributis,& proprietatibus distinguuntur realiter ab illis, & tamen est incompossibile subiectum esse sine passione, vt patet ab ipso in pluribus locis,& similiter est incompossibile essentiam esse sine attributis, & sine proprietatibus: ergo propositio Doctoris non videtur absolutè vera.

Prius natura alio est etiam prius duratione.

Secundò instatur, quia sunt multa ab inuicem realiter distincta, quorum vnum ineſt formaliter alteri,quæ tamen sic se habent, quòd est incompossibile vnum posse esse sine alio,nec ècontra;& vnum est prius natura alio: ergo propositio non est absolutè vera. Antecedens patet primò de primo mobili,& motu eius:est enim incompossibile primum mobile esse sine motu, tenendo opinionem Philosophorum, scilicet quòd primum mobile necessariò moueatur ab Intelligentia applicata sibi,vt suprà patuit dist.1.q.5.& mobile est prius natura motu suo, & tamen distinguitur realiter ab illo,vt patet suprà, *dist.1. q.5.* hoc idem patet de ente rationis causato ab intellectu diuino in essentia diuina,vt suprà patet,*dist.1.q.5.* 25.

Respondeo ad primum, quòd illa propositio, scilicet *prius natura positiuè est prius duratione*,est tantùm vera de priori natura,quod opponitur posteriori natura, & sic quando vnum oppositum in est prius natura positiuè alio opposito,ineſt etiam prius duratione, aliter duo opposita possent simul duratione ineſſe eidem,& sic duo opposita possent ineſſe alicui in eodem instanti temporis, cùm in eodem instanti temporis possint esse plura instantia naturæ,vt suprà patet q.1 dist.1. Et hoc modo loquitur Doctor quæstione quarta præsentis distinctionis,vbi loquitur de priuatione, & habitu, quia si priuatio materiæ, siue subſtantiæ prius natura positiuè ineſt, etiam prius duratione ineſſet; aliter priuatio,& habitus possent esse simul in eodem instanti temporis. Et similiter hoc modo loquitur in tertio modo,& in primo,&c. Sed quando prius natura non est incompossibile posteriori natura,vt patet de subiecto,& passione,& de essentia,& attributis,tunc non sequitur,quod tale prius natura sit prius duratione, imò necessariò est simul duratione. Benè tamen verum est,quòd priori natura quantùm est ex se, non repugnat esse prius duratione, & si repugnat, est ex hoc, quòd necessariò est causa,vel quasi causa talis posterioris,& de hoc satis dixi suprà *distinct.1.quæst.2. & in prologo primi*, vide ibi. *Quomodo valent illa propositio prius natura positiuè sit prius duratione.*

Ad aliud patet responsio ex dictis suprà dist. 1. q.5. vide,quæ ibi notaui.

QVÆSTIO III.

Vtrùm omnium æuiternorum sit vnum æuum?

Alensis. D. Bon. D. Th. Henr. *& dd.citat.q.1. Vasq.1.p.d.34.* Vide Sco. *in Theorem.§. In simul existentibus tempore.*

1. VOD non [a] quia tunc illud esset in vno subiecto,quo destructo, vel mutato,mutarentur omnia alia æuiterna:quod videtur inconueniens. Et similiter destructis aliis videtur illud mutari, quia non esset in eo æuum respectu aliorum. *Mag.F. D.Bon.2. d.2.a.1.q.2. Mair. q.3. Duran.q.5. Tex. co.95. & 110. Hen.quodlib.5.q.13. vide quodl. 2.q.2.*

Contrà,[b] vnum est tempus omnium temporalium, 4. Phys. ergo vnum æuum omnium æuiternorum.

Hîc dicitur quòd tot sunt æua, quot æuiterna, ita quòd in quolibet æuiterno est aliquod indiuisibile proprium, pertinens ad genus Quantitatis: & ex multis talibus potest constitui vnus numerus,sicut recitatum est priùs.

COMMENTARIVS.

a PRimò arguit,probando quòd non omnium æuiternorum ſit vnum æum,quia tunc illud eſſet in vno ſubiecto: quia illud æuum ſiue ponatur accidens; ſiue ſubſtantia, non poſſet eſſe in pluribus ſubiectis. Si ergo eſſet in vno ſubiecto, tunc ipſo deſtructo, vel mutato, mutarentur omnia alia æuiterna: & ſimiliter deſtructis, vel mutatis aliis æuiternis mutaretur illud ſubiectum, quæ videntur abſurda.

b *Contra.* Hîc arguit ad oppoſitum,probando quòd tantùm ſit vnum æuum: & arguit à ſimili, quia ſicut eſt vnum tempus omnium temporalium,4.*Phyſ.tex.com.*91.& 110. ſic videtur quòd vnum ſit æuum omnium æuiternorum.

SCHOLIVM.

De æuo externo, ponit tres modos dicendi. Primus, negat vllum æuiternum eſſe alterius æuum. Secundus, ait omnem Intelligentiam ſuperiorem, eſſe æuum, ſeu menſuram reſpectu ſui inferioris, & ſic infimus Angelus nullum menſurat, nec ſupremus ab vllo menſuratur. Tertius, ait tantùm ſupremum Angelum eſſe aliorum æuum: hunc ſequitur D. *Thom.* 1. *p. quæſt.* 10. *artic.* 6. *& alij: ſed quæſtio parum habet realitatis: & contentio videtur vocalis.*

SEd iſta poſitio ponere videtur pluralitatem ſine neceſſitate:ideò videtur dicendum contra eam, ſicut in præcedenti quæſtione dictum eſt: quia aut æuum vocatur actualis exiſtentia Angeli æuiterni, & hoc modo, quot ſunt Angeli tot ſunt æua: aut dicitur aliquid intrinſecum Angelo actualiter exiſtenti,menſurans ipſam exiſtentiam: & hoc modo æuum nihil eſt,ſicut probatum eſt in præcedenti quæſt. Aut æuum dicitur aliquid extrinſecum aliud ab actuali exiſtentia Angeli æuiterni: quod tamen extrinſecum ex natura ſui natum eſt menſurare actualem exiſtentiam ipſius Angeli æuiterni;& tunc a poteſt poni tripliciter,quia vel poteſt negari omne tale extrinſecum ex natura ſui natum menſurare actualem exiſtentiam ipſius æuiterni ponendo omnia æuiterna habere exiſtentiam æquè inuariabilem:quia licèt vna exiſtentia ſit perfectior alia, & per hoc poſſet eam menſurare tali menſuratione quiditatiua, ſicut loquitur Phil ſophus 10. Meta. quòd *primum in omni genere*, &c. tamen menſuratione duratiua,quæ dicitur aliquo modo reduci ad genus Quantitatis non videtur vna exiſtentia inuariabilis eſſe inuariabilior alia: quia cuilibet omnino repugnat ſucceſſio partium in ipſa: & tunc diceretur, quod cùm æuum ponatur menſura alicuius inquantum durans eſt inuariabiliter, & illud ſic extrinſecum, oporteret eſſe notius ex natura rei ſecundùm rationem inuariabilitatis: & cùm non ſit talis differentia inter exiſtentias æuiternorum;nihil ſic erit æuum. 2.

Tex.1.& inde.

Vel alio modo poteſt di i, b quòd quælibet exiſtentia ſuperior eſt ſimplicior qualibet exiſtentia inferiori, & nata certificare de ipſa exiſtentia inferiori ex natura rei, & pro tanto quælibet exiſtentia ſuperior poſſet dici æuum reſpectu inferioris; & tunc tot ſunt æua,quot æuiterna,excepto hoc, quòd in vltimo æuiterno non eſt æuum;quia exiſtentia eius nullam aliam exiſtentiam inuariabilem menſurat: & ſimiliter exiſtentia ſupremi Angeli eſt tantùm æuum reſpectu aliorum inferiorum, quia exiſtentia eius inuariabiliter menſurat omnes alios,& non habet æuum aliquod iſto modo, quia nullam aliam exiſtentiam habet ſuperiorem ſe. 3.

Vide D.To. quodl.5.ar. 7.& Var.q. præſenti ſoluēdo primum principale. Vel poteſt dici tertio modo c, quòd ſi æuum non dicatur quæcunque exiſtentia ſimplicior alia,& notior nata certificare de ea,ſed illa ſimpliciſſima:quæ ex ratione ſua formali,& in ſe eſt certiſſima,& primò nota nata certificare de aliis. Hoc modo poteſt concedi tantùm vnum æuum, ſcilicet exiſtentia primi Angeli reſpectu omnium aliorum æuiternorum. Quæcunque autem iſtarum viarum ponatur,ſaltem non eſt in aliquo æuiterno ſuum æuum:nec in vltimo æuiterno eſt aliquod æuum:nec primum,ſiue ſupremum æuiternum,in quo eſt primum æuum, menſuratur aliquo æuo: quia nihil tale habet in ſe ex quæſtione præcedenti,nec in alia ex natura rei, nata eſt certificari: quia quælibet alia eſt minùs certa.

Nihil reſoluit, quia non refert quid horũ dicas.

Virum motus primus eſt in tempore? Contra iſtud primò arguitur ,quia tunc ſequeretur, ſi ita eſt, quòd primus motus non menſurabitur tempore, ſicut nec primum æuiternum menſuratur æuo: videtur enim ſimili comparatio hinc & inde.Conceditur conſequens propter iſtam rationem, quia ſecundùm Philoſophum 4. Phyſ. *Omne, quod eſt in tempore, exceditur à tempore, & corrumpitur, & tabeſcit in tempore; & ideò neceſſaria & impoſſibilia non ſunt in tempore.* 4.

Tex.c. 120. *tempore.* Primus igitur motus,qui non corrumpitur in tempore, nec exceditur ab eo; non eſt in tempore,nec menſuratur tempore.

Vide Sco. 4.Phyſ. q.18. Sed iſta ratio [c] non valet, quia aliquid eſſe in tempore eſt ſicut aliquid eſſe in numero,non eſt autem de ratione exiſtentis in numero, quod excedatur à numero:imò ſi accipiatur primum numeratum, hoc eſt adæquatum numeratum, illud adæquatur ipſi numero:ſed de ratione numerati eſt, quòd pars eius excedatur à numero, quia ipſum eſt maius ſua parte; & ipſum totum eſt adæquatum numero: igitur pars eius exceditur à numero. Ita dico de ente in tempore, quòd ex quo omne tale ens eſt de neceſſitate variabile ſecundùm aliud & aliud *eſſe*, neceſſe eſt ſecundùm aliquid ſui, puta ſecundùm aliquam diſpoſitionem quam habet ex parte temporis, quòd excedatur à tempore;quia aliter ſe habebit in alia parte temporis, & ideò impoſſibilia, & neceſſaria non ſunt in tempore: quia non eſt alia & alia diſpoſitio in eis,vt poſſint excedi à tempore, vel aliter ſe habere. Primus autem motus, licèt ſecundùm ſe totum non excedatur à tempore: tamen exceditur à tempore ſecundùm quamlibet eius partem, & hoc ſufficit ad hoc,vt verè dicatur menſurari tempore, & videtur inconueniens,quod tempus cùm ſit menſura vniformis,non habeat aliquod primum menſuratum vniforme,tale videtur primus motus.

Neceſſaria & impoſſibilia quando non ſunt in tempore.

Tunc ad argumentum, nego [f] conſequentiam, quia non eſt ſimilis ratio hîc & ibi. Similiter etiam primus motus menſuratur tempore, hoc eſt, quia vel motus ponitur aliud tempore, propter illam rationem, quæ ſuperiùs poſita eſt de 4. Phyſic vel ponendo tempus eſſe idem motui, poteſt ille motus menſurare ſe, non quidem primò, ſed ſecundùm partem,quæ nota eſt nata menſurare totum, ſicut dicit Philoſophus 4. *Phyſic.* tempus menſurat ipſum motum in determinando quendam motum,qui poſtea menſurabit totum motum; ſicut longitudinem cubitus in determinando aliquam magnitudinem,quæ metietur totum.Neutra tamen ratio poteſt eſſe in propoſito:quia non eſt aliquid in æuiterno primo aliud ab exiſtentia ſua, nec ipſa exiſtentia ſua eſt quanta,vt menſurare poſſit ſe ipſam ſecundùm aliquam partem notam ſibi.

Quæſt. præced. Tex.c.96. Tex.114. Tempus etiamſi ſit idem motui,eſt eius menſura.

Ad primum argumentum dico,quòd deſtructo primo non ſequitur alia mutari,niſi ſecundùm quandam relationem in eis,puta, quia tunc non erunt menſurata à primo, ſicut priùs fuerant menſurata:nec eſt inconueniens ponere talem mutationem in aliquo,quod priùs habuit relationem.& modò non. 5.

Ad arg.1. ſuperius.

Similiter quod infertur, quòd illud mutabitur deſtructis aliis. Dico, quòd non ſequitur:quia priùs ad illa alia non habuit relationem realem,ſed tantùm rationis: quia non ſe habuit ad illa, ſicut menſura dependens ad menſurata, ſed ſicut excedens, & ideò deſtructis aliis,non mutabitur abſolutè, nec ſecundùm aliquam relationem realem:quia nulla relatio realis priùs fuit in eo ad illa.

Ad argumentum in oppoſitum,poteſt dici,quòd loquendo de æuo,prout, dicit aliquid extrinſecum aliud ab exiſtentia Angeli menſurata, prima opinio ſola negat vnum æuum eſſe illo modo:ſecunda autem & tertia concedunt vnum æuum licèt ſecunda non concedat vnum æuum tantùm.

Et tunc ſi arguas,quòd tantùm eſt vnum tempus omnium temporalium:ergo debet eſſe tantùm vnum æuum omnium æuiternorum. Conſequentia non valet, quia non omnis motus ſuperior habet rationem menſuræ ex natura rei reſpectu inferioris: nec habet conditiones menſuræ ex natura rei,ſicut habet quælibet exiſtentia ſuperior reſpectu inferioris,loquendo de exiſtentiis inuariabilibus Angelorum:& ideò non eſt ſimilis ratio hîc & ibi,ſcilicet,quòd ſicut ibi tantùm eſt vnum tempus omnium temporalium,quòd ita ſit hîc tantùm vnum æuum omnium æuiternorum.

COMMENTARIVS.

1. a *ET tunc poteſt poni tripliciter.* Primò poteſt negari omnis menſura extrinſeca, *poſitâ omnia æuiterna habere exiſtentiam æquè inuariabilem*, non enim vna eſt inuariabilior alia,cum ibi nulla ſit ſucceſſio.

Secundò dico, quòd loquendo de menſura quiditatiua,vna exiſtentia poteſt eſſe menſura alterius,puta perfectior reſpectu imperfectioris, de qua menſura loquitur Philoſophus *decimo Metaphyſ.tex.commen.27.*

Sed loquendo de menſuratione durativa diceretur, quòd cùm æuum ponatur menſura alicuius,inquantum durans inuariabiliter,& illud ſic extrinſecum oporteret eſſe notius ex natura rei ſecundùm rationem inuariabilitatis; & cùm non ſit talis differentia inter exiſtentias æuiternorum nihil ſic erit æuum.

b *Vel alio modo poteſt dici.* Doctor dat alium modum, quo vna exiſtentia Angeli poſſit dici menſurari.Et dicit primò,quòd quælibet ſuperior

quia perfectior,& ſimplicior poteſt dici menſura inferioris, qua ratione ſuæ ſimplicitatis poteſt certificare de exiſtentia inferioris,& ſic exiſtentia ſuperior poteſt dici æuum reſpectu inferioris.Secundò dicit,quòd hoc modo loquendo quot ſunt æuiterna tot ſunt æua; ſic tamen intelligendo, quòd non dentur plures exiſtentiæ Angelorum æquè ſimplices,&æquè perfectæ,quia ſi in eadem ſpecie poſsint eſſe plures Angeli, vt infrà patebit *diſt.* 3. tunc exiſtentia ſpeciei ſuperioris poſſet eſſe æuum reſpectu omnium ſpeciei inferioris,& ſic non eſſent tot æua,quot æuiterna. Sed tenendo,quòd quilibet differat ſpecie ab alio, eſt facilis reſponſio;quia infimus Angelus menſuratur exiſtentia Angeli propinquioris, & Angelus menſurans menſuratur exiſtentia Angeli ſibi ſuperioris,& propinquioris,& ſic aſcendendo. Tertiò dicit, quòd ſupremus Angelus non poteſt habere aliquod æuum,vt menſuram, patet, quia non datur exiſtentia ſuperior creata, quæ ſit perfectior, & ſimplicior, & per conſequens quæ ex natura rei nata ſit certificare de exiſtentia inferiori. Et ſic exiſtentia ſupremi Angeli eſt tantùm æuum reſpectu aliorum inferiorum, quia exiſtentia eius inuariabiliter menſurat omnes alios.

2. *Vide Thom. quolib. 5. & Varronem q. præſenti.*

Vel poteſt dici tertio modo, &c. Nota cùm dicit, quòd exiſtentia ſuperioris Angeli menſurat exiſtentiam inferioris,quia ſimplicior, & certior; ſic debet intelligi, quod ſicut aliqua eſſentia perfecta, puta homo in genere animalis menſurat quiditatiuè alia animalia, puta pro quanto vnum animal magis appropinquat quiditati hominis, tanto eius quiditas apparet perfectior,& nobilior. Sic cùm exiſtentia ſuperioris Angeli ſit perfectior,& ſimplicior, & per conſequens vt exiſtentia inferioris pro quacunque duratione ei comparetur, redditur certior.Et ſic cum exiſtentia ſuperior ratione ſuæ perfectionis videtur ſibi competere certior duratio & perfectior, & ſic patet eſſe menſura inferioris.

d *Contra iſtud arguitur.* Hîc Doctor arguit contra ſecundum, & tertium modum, vbi ponitur, quòd prima exiſtentia Angeli non menſuratur æuo, & deducit ad hoc inconueniens, quia ſi ſic, videtur ſequi, quòd nec etiam primus motus poſſit menſurari tempore, videtur enim ſimilis comparatio hinc & inde.

3. *Declaratio litera. Quid ſit eſſe in tempore.*

Sed iſta ratio non valet. Hîc Doctor intendit ſaluare quod dixit de prima exiſtentia Angeli, & quòd non menſuretur alia menſura,& quòd dicatur menſura reſpectu inferiorum, & tamen quòd motus primus menſuretur.Et litera ſatis eſt clara, tamen pro iunioribus aliqualiter declaro ipſam. Ibi *Aliquid eſſe in tempore, eſt aliquid eſſe in numero*,patet quarto Phyſic.tex.comm.120.vbi habetur,quòd tempus eſt numerus,& menſura motus. Sicut enim per numerum certificantur res numeratæ, ita per tempus certificatur quantitas motus. Sequitur: *Non eſt de ratione exiſtentis in numero,& c.Sed de ratione numerati eſt, quòd pars eius excedatur à numero, quia ipſum* ſcilicet numeratum adæquatum numero *eſt maius ſua parte,& ipſum totum* ſcilicet numeratum primum *eſt adæquatum numero,igitur pars eius*:ſcilicet numerati adæquati,*excediturà numero*, qui adæquatur numerato adæquato.Sequitur. *Ita dico de ente in tempore.*&c.

Duplex eſt tempus.

Hîc nota,quòd duplex eſt tempus,ſcilicet particulare;& vniuerſale, particulare eſt illud, quod intrinſecè menſurat motum particularem, & hoc per ſe, & rem ſubiectam tali motui per accidens, vt expoſui ſuprà *diſt.præſent.q.*2.vniuerſale eſt illud quod menſurat intrinſecè motum vniuerſalem, vt motum primi mobilis extrinſecè omnes alios motus particulares. Et ſicut per accidens menſurat ſubiectum motus vniuerſalis, ita per accidens, & extrinſecè menſurat ſubiecta aliorum motuum particularium. Et ideò ſubiecta motuum particularium menſurantur tempore, quia aliter ſe habere poſſunt in alia, & alia parte temporis, & ideò exceduntur à tempore, ſupple vniuerſali.

f *Tunc ad argumentum, nego conſequentiam quia non eſt ſimilis ratio hîc & ibi*,quia exiſtentia primi Angeli non habet menſuram aliquam, quæ ſaltem excedat menſuratum, ſecundùm aliquam eius partem, cùm omninò ſit indiuiſibilis, nec habet exiſtentiam ſuperiorem, & ſimpliciorem, &c. Motus tamen primus, & ſi non excedatur ſecundùm ſe totum à tempore, exceditur tamen ſecundùm quamlibet eius partem, & ideo non eſt ſimile.

Similiter etiam primus motus. Hîc Doctor aſſignat aliam cauſam diſſimilitudinis, quia primus motus ſecundùm ſe totum menſuratur. Si enim ponitur tempus aliud à primo motu per illam rationem Philoſophi 4.*Phyſic.tex.com* 96.ſcilicet quia tempus non eſt velox, &c. Vel ſi ponitur tempus eſſe idem,quòd motus,adhuc primus motus menſuratur,quia motus ille poteſt menſurare ſe, non quidem primò, ſed ſecundùm partem, quæ nota eſt, & nata menſurare totum, vt ſuprà dictum eſt *in præſenti diſt. quæſt.* 2. Sicut etiam dicit Phil.4.*Phyſic.tex.com.*114.Tempus menſurat ipſum motum in determinando quendam motum,qui poſtea menſurabit totum motum, ſicut longitudinem cubitus in determinando aliquam magnitudinem, quæ metietur totum. Neutra tamen ratio poteſt eſſe in propoſito, quia non eſt aliquid in æuiterno primo aliud ab exiſtentia ſua,nec ipſa exiſtentia ſua eſt quanta,vt menſurare poſſit ſeipſam ſecundùm aliquam partem nota in ſibi.

4. *Quomodo dependeant æuiterna ab æuo.*

Ad primum argumentum reſpondet Doctor quòd ſi æuiterna dependerent ab æuo in *eſſe* & conſeruari, quòd deſtructo primo deſtruerentur æuiterna,ſed quia tantùm dependent in menſurari,ideò non ſequitur, quòd deſtructo primo ipſa deſtruerentur. Nec etiam ſequitur ipſa mutari ad ſe,ſiue quò ad abſolutum,ſed tantùm quo ad aliquam relationem realem, quia menſuratum ex natura rei realiter refertur ad menſuram ex natura rei,& ſic ad deſtructionem termini, ſiue menſuræ, ſequitur deſtructio relationis fundatæ in menſurato. Similiter quod dicitur, quòd illud mutabitur deſtructis æuiternis. Dicit Doctor, quòd non ſequitur, quia talis menſura non refertur relatione reali ad æuiterna,ſiue menſurata, vt etiam patet 5. *Metaphy.c Ad aliquid,tex.com.* 20. & de hoc magis patebit *in quolib. q.*13. Et ſi aliqua relatione refertur, illa erit tantùm relatio rationis; ſe habet enim ad illa ſicut excedens ad exceſſa, quia prima Intelligentia creata eſt perfectior,& ſimplicior.

Ad arg. in oppoſitum. Hîc Doctor dat modum ſiſtendi, quòd non ſit tale æuum extrinſecum, & hoc ſuſtinendo primum modum in corpore quæſtionis. Dat etiam modum ſuſtinendi, quòd tantùm ſit vnum æuum omnium æuiternorum, & hoc tenendo tertium modum in corpore quæſtionis

ſtionis poſitum, vel quòd ſint plura æua tenendo ſecundum modum.

Et tunc ſi arguas,&c. Reſpondet Doctor ſuſtinendo ſecundum modum de æuo, quòd conſequentia non valet, quia non omnis motus ſuperior habet rationem menſuræ ex natura rei reſpectu inferioris,nec habet conditiones menſuræ ex natura rei,quia non omnis motus ſuperior ex natura rei eſt ſimplicior,& perfectior,nec habet illas conditiones menſuræ, quæ ponuntur in diſtinctione præſenti q.2. ſicut habet quælibet exiſtentia ſuperior reſpectu inferioris ratione maioris perfectionis,& ſimplicitatis, loquendo tamen de exiſtentiis inuariabilibus Angelorum, & ideò non eſt ſimilis ratio hîc & ibi ſcilicet quòd ſicut ibi tantùm eſt vltimum tempus omnium temporalium,quòd ita ſit hîc tantùm vnum æuum omnium æuiternorum,vt patet ex ſupradictis.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm operatio Angeli menſuretur æuo?

D.Thom.1.*p.quæſt.*10.*art.*5.*ad* 1.*vbi* Caiet. Conrad. Henr.*quodl.*12.*quæſt.*8. Capr.*hic q.*2.*art.*1. Dur. *quæſt.*6.Vaſq.1.*p.d.*36.ipſe Scot.4.*d.*49.*quæſt.*6. §. de ſecundo dub. *& dd.citati quæſt. prima.*Mayr. *hic* Dioniſius Carthuſ. 2.*d.*2.*q.*2.

1. QVartò & vltimò quæro quantùm ad iſtam materiam, Vtrùm operatio Angeli menſuretur æuo? Quòd non,per Auctorem de Cauſis,propoſitione penultima. Inter rem, cuius ſubſtantia & actio menſuratur tempore, & rem, cuius ſubſtantia, & actio menſuratur æternitate,eſt res media,cuius ſubſtantia menſuratur æternitate vel æuo,& actio menſuratur tempore: Angelus eſt huiuſmodi:ergo,&c. *Mag.G. H. Arg.*1. *Vide Proclum* 196. *& Aug.* 11.*Ci.c.*15. *& ſuper Ioan. hom.*3. *Text.c.*8. *Ratio ad opp.*

Præterea 8.Phyſic.nihil generatur vt ſtatim non ſit:ergo omnis operatio Angeli durat per tempus: & per conſequens præcisè non eſt in inſtanti, ſi autem eſſet in æuo, cùm non ſit ſempiterna, eſſet præcisè in aliquo inſtanti:ergo,&c.

Oppoſitum,operatio Angeli non menſuratur tempore,nec æternitate: igitur æuo. Conſequentia probatur,quia non ponuntur plures menſuræ in mora eſſendi. Antecedens probatur,& patet de æternitate:de tempore probatur,quia angelus poſſet habere operationem non exiſtente motu cæli: ſed motu cæli non exiſtente non eſt tempus: ergo,&c.

COMMENTARIVS.

TItulus quæſtionis eſt, an operatio intrinſeca Angeli, ſcilicet intelligere, & velle, menſuretur æuo? & non loquitur hîc de aliqua operatione merè ſupernaturali, ſed de intellectione, & volitione, quæ naturaliter cauſantur ab intellectu,& voluntate Angeli, vel vt à cauſa totali,vel partiali.

SCHOLIVM.

Sententia D.Thom. Hen. & aliorum, operationes Angeli menſurari tempore diſcreto, ideſt quantitate diſcreta,diſtincta à numero & oratione,quam non nouit Ariſt.quia poſuit Intelligentias eſſe paruos Deos,& ſic non poſuit ſpecialem menſuram ipſorum operationibus.

2. HÎc dicitur,quòd operatio Angeli intrinſeca menſuratur tempore diſcreto, quod ponitur ſic. Menſura,quæ eſt durationis rei,eſt modus quo res menſuratur & ipſa proportionatur menſurato: ſicut menſura permanentis eſt permanens; & fluentis eſt fluens: igitur talem proportionem oportet inuenire inter cognitiones, vel operationes intrinſecas angeli, & menſuras eorum, iſtæ autem cognitiones ſunt tranſeuntes, quia angelus non omnino habet vnam intellectionem ſibi poſſibilem,ſed multas, quæ fluunt & tranſeunt ordine quodam, ita quòd vna poſt aliam: & tamen abſque connexione, ita quod Angelus non habet vnam cognitionem connexè poſt aliam,vel ex alia, quia non diſcurrit, abſque etiam ſucceſſione, quia nulla iſtarum operationum eſt in continua acquiſitione,& deperditione:ſed dum eſt, eſt tota ſimul & indiuiſibilis: ergo correſpondebit eis menſura proportionalis habens partes tranſeuntes ordinatas & indiuiſibiles:tale eſt tempus diſcretum:igitur,&c. *Henr. quodl.*12. *q.*8. *quære Var.q.præſenti.*

Et con

Lib.4.c. 20. Et confirmatur iſta ratio per Auguſt. ſuper Gen.ad literam,vbi vult quòd Deus mouet creaturam ſpiritualem per tempus.

Si autem quæritur,quid ſit illud diſcretum tempus.

Dicitur,quòd eſt verè quantitas, & quantitas diſcreta , diſtincta ſpecie à continua, nec eſt ſpecies quantitatis diſcretæ,quæ eſt numerus aut oratio,quia partes huius temporis non permanent;numeri quidem partes permanent, ita quòd ſi non permaneant, hoc accidit numero, pars autem orationis neceſſariò non permanet,& tamen non continuatur cum alia parte. Conuenit ergo tempus diſcretum cum oratione per hoc, quòd pars eius non permanet: ſed differt ab oratione , quia quælibet pars orationis vocalis continuatur cum vocali, vel conſonantis cum conſonante:& poteſt eſſe in tempore noſtro verè,& menſurari ab aliqua parte temporis,licèt non neceſſariò continuetur alij parti,nulla autem cognitio angeli poteſt in ſe menſurari tempore ; quia indiuiſibile eſt, nec poteſt continuari cum alia.

12. *Metaph. & alibi* *Vide ſuprà 1.d.8.q.5.* *Quare De Th. D.Bo. vbi ſupra.* Sed ſi quæritur,quare iſtam quantitatem diſcretam non ponit Ariſtoteles inter ſpecies quantitatis?

Reſpondetur, quòd poſuit Intelligentias eſſe quoſdam Deos: & ideò non poſuit aliquam menſuram correſpondentem operationi tali eorum,niſi ſimul totam.

Si quæratur quomodo ſe habet iſtud tempus diſcretum ad tempus noſtrum?

Dicitur , quòd *nunc* temporis diſcreti neceſſaria coëxiſtit alicui parti temporis noſtri : & per conſequens omnibus partibus, quæ ſunt ſimul cum illo inſtanti. Si enim Angelus cum aliquo inſtanti noſtro, habeat aliquam cognitionem primò , non ſtatim in proximo inſtanti habebit aliam : ſed in tempore ſequenti habet aliam cognitionem: & in vltimo inſtanti illius temporis ſequentis poteſt habere aliam cognitionem continuè cum tempore noſtro.

Ed additur quòd inſtans iſtud non habet aliquam proportionem ad inſtans noſtrum:quia idem nunc illius temporis diſcreti, poteſt coëxiſtere cum quantocunque noſtro tempore maiori vel minori , ſecundùm quòd Angelus poteſt continuare eandem intellectionem indiuiſibilem,cum maiori vel minori parte temporis noſtri,abſque alia noua intellectione.

COMMENTARIVS.

1. *Hic dicitur* ab Hérico quolib.12.q.8.Et hæc opinio eſt ſatis clara in litera ; reduco tamen ipſam opinionem per aliqua dicta , vt clariùs intelligatur. Primò dicit , quòd vna intellectio Angeli quantumcunque duret, menſuratur aliquo *nunc*;ita quòd illud *nunc* poterit coaſſiſtere tempori noſtro,puta vnius diei,vel vnius anni, ſi illa intellectio tantùm continuetur , & alia intellectio(prima tranſeunte)menſuratur alio *nunc*, quod quidem *nunc* tanto tempori noſtro aſſiſtit, quanto illa intellectio continuatur, & ſic de aliis intellectionibus. Et ex iſtis *nunc* redditur tempus diſcretum conſtans aliis,& aliis *nunc* ſibiinuicem ſuccedentibus. Tempus ergo diſcretum menſurat omnes operationes intrinſecas Angeli. Et dicitur tempus *diſcretum* ad differentiam temporis continui,& ſucceſſiui.Nam illud dicitur tempus continuum,& ſucceſſiuum,quando vna pars ſuccedit alteri, & continuatur illi parti , quod fit quando eſt ibi inſtans continuans partes ; & dicitur tunc continuare quando eſt principium vnius,puta futuræ,& finis alterius , ſcilicet præteritæ,vt ſuprà patuit præſenti diſtin.quæſtio 2.Sed non eſt ſic in tempore diſcreto,quia vnum *nunc* non eſt principium *nunc* futuri,nec finis *nunc* præteriti.Secundò dicit, quòd talis intellectio Angeli eſt ſimpliciter indiuiſibilis,& nullo modo continua,& ſucceſſiua;& ſic menſura illius erit indiuiſibilis,quæ eſt *nunc* temporis diſcreti. Tertiò dicit , vt etiam patet ſuprà *præſenti diſt.quæſt.prima,in additionibus,quæ ponuntur in fine huius ſecundi*,quòd ſicut aliquod eſt in re, ita habet menſuram ſibi correſpondentem;& ſic cùm eſſentia diuina ſit indiuiſibilis, & indefectibilis, habet æternitatem indiuiſibilem,& indefectibilem pro menſura.Et ſicut Angelus eſt indiuiſibilis , & defectibilis habet æuum indiuiſibile , & defectibile. Et ſicut res temporalis eſt indiuiſibilis,& defectibilis, ita habet tempus diuiſibile,& defectibile pro menſura. Et multa habet in litera, quia ibi clara ſunt relinquo intuenti literam , & ſimiliter omitto quaſdam rationes,quas ipſe facit pro ſua poſitione, & ſimiliter omitto multa in ſuo modo ponendi, quæ omnia vide,quia ibi clara ſunt.

SCHOLIVM.

Impugnat dictam ſententiam de tempore diſcreto,late probans operationes angeli,via & patriæ,menſurari æuo:quia habent vniformem modum permanentiæ cum ipſis angelis,

COntra concluſionem * huius poſitionis,arguo primò ſic Quæ habent vniformem modum manendi,dum manent,habent menſuram eiuſdem rationis in manendo, licèt

licèt vna diutiùs maneat, quàm altera: ſed * cognitio Angeli, dum manet, habet modum manendi eundem cum exiſtentia angeli, licèt non habeat tantam durationem ſicut exiſtentia eius habet: igitur habet menſuram eiuſdem rationis cum illa exiſtentia: & ita menſuratur æuo ſua operatio, & non tempore. Maior probatur, quia formali rationi exiſtentiæ angeli ſecundùm vniformitatem, vel difformitatem, correſpondet propria ratio menſuræ, ſecundùm iſtos, diſtinguendo tres modos menſuræ rerum, ſecundùm triplex eſſe rerum, & ita patet maior. Patet etiam minor, quia volunt, quod menſura media correſpondeat illi, quod habet moram indiuiſibilem, & tamen defectibilem, ita quòd poteſt ex ſe non eſſe, & illam menſuram ponunt æuum, nunc autem, ſicut angeli exiſtentia eſt indiuiſibilis, & tamen defectibilis: ita & cognitio eius, ſecundùm iſtos.

al. cogitatio.

Hen. quodl. 5. q. 13.

Si dicatur, quòd cognitio non ſemper erit; & exiſtentia eius ſemper erit: & ita non eſt ſimile de exiſtentia eius & cognitione. Iſtud non videtur valere, quia etiamſi angelus foret ſtatim annihilandus, non propter hoc non menſuraretur æuo, dum manet.

Si etiam dicatur, quòd in poteſtate eius eſt habere cognitionem iſtam, vel non habere, ſic non eſt de actuali exiſtentia eius. Nec hoc videtur valere, quia ſicut aliquando non fore, non variat exiſtentiæ menſuram, dum manet: ita multo magis illa cauſa, per quam poteſt iſta potentialitas reduci ad actum puta per creatam, vel increatam, non variabit formalem rationem menſuræ exiſtentiæ eius; vel moram eius in exiſtendo.

5. Præterea ſecundò, [b] omnes concedunt actum beatificum Angeli menſurari æuo: patet per Auguſt. de fide ad Pet. 18. ille autem actus neceſſariò includit, vel præſupponit actum naturalem & hoc ponendo Angelum habere aliquam productionem in actu ſuo beatifico, licèt non poſſit ex ſe in totalem productionem actus beatifici impoſſibile autem eſt æuiternum neceſſariò includere, vel præſupponere aliquid poſterius æuiterno, quod ſcilicet menſura poſteriori æuo: igitur ille actus naturalis, qui includitur in actu beatifico, non poteſt eſſe temporalis.

Contra modum [c] ponendi, videtur concedere magnam multitudinem temporum ſine neceſſitate, ſequitur enim quod quilibet Angelus habeat ſuum tempus diſcretum: quia vnus poteſt continuare cognitionem ſuam cum die noſtro: & Angelus alius, poteſt ſuam continuare cum dimidio die: tertius cum hora, & ita vnus Angelus habebit quatuor inſtantia ſui temporis diſcreti, dum alius habet vnum inſtans, imò ſequitur, quòd in quolibet angelo erunt duo tempora diſcreta, quia quilibet poterit continuare intellectionem ſuam, non continuando volitionem: & ita habebit duo inſtantia intellectionis, & tantùm vnum inſtans volitionis.

Contra Henr.

Præterea æua ſecundùm iſtum, [d] in diuerſis æuiternis ſunt alterius rationis, ſi exiſtentiæ actuales æuiternorum ſunt alterius rationis: & in Angelis diuerſarum ſpecierum ponit æua diuerſarum ſpecierum: igitur ſimiliter intellectionum alterius ſpeciei erunt *nunc* temporis diſcreti alterius ſpeciei.

6. Ex hoc arguo ſic, nulla vna quantitas componitur ex pluribus omnino diuerſarum rationum, quia licèt ſenarius poſſit componi ex binariis & ternariis, quod tamen negat Philoſophus 5. Metaph. *ſex ſunt tantum ſemel ſex*, & Auic. 3. Metaph. tamen nulla quantitas compoſita ex pluribus, quantumcunque diſtinctarum rationum, poteſt eſſe eadem quantitas, puta quòd ſenarius poſſet eſſe ex denariis & binariis & quibuſcunque. Sed dum fluit dies noſtra, poſſet Angelus intelligere quæcunque intelligibilia naturalia diſtinctarum rationum puta lapidem, lignum, ferrum aquam, cuprum, & quodcunque aliud poſt quodcunque aliud: & ergo & tempus ſuum componeretur ex inſtantibus diuerſarum rationum correſpondentibus illis intellectionibus diuerſarum ſpecierum, poſſet etiam non cogitare iſta vel intelligere ſed alia plura, vel tot aliarum ſpecierum, poſſet etiam per conſequens tempus ſuum correſpondens iſti diei, eſſe compoſitum ex omnibus aliis partibus, & in nulla determinata poſitione ſe habentibus ad iſtud tempus: ergo, &c.

Tex. 19.

7. Præterea, quòd ponitur vnum [e] *nunc* illius temporis neceſſariò coëxiſtere pluribus inſtantibus noſtri temporis; videtur eſſe fuga: & propter hoc poni videtur, ne concedatur tempus noſtrum eſſe diſcretum: quia ſi inſtantia illius temporis præcisè coëxiſterent inſtantibus temporis noſtri, tunc ſequeretur, quòd ſicut illud tempu eſt diſcretum, ita & noſtrum tempus eſſet diſcretum, & hoc fugiendo videtur poni iſtud ſine ratione, ſcilicet quòd oporteret vnum inſtans illius temporis, coëxiſtere multis partibus noſtri temporis. Quòd autem hoc non ſit neceſſarium, probo, quia quotcunque intelligibilia

gibilia poſſum ego intelligere in aliquo tempore, tot intelligibilia, vel plura, poteſt Angelus intelligere in eodem tempore diſtinctè: quia in intellectu creato, qui non poteſt omnia ſimul intelligere, videtur eſſe perfectionis, poſſe multa intelligere ſine aliqua mora, nam hoc magis attribuitur ingenioſioribus: ſed intellectus humanus poteſt habere intellectionem aliquam in aliquo vno inſtanti, & poſt ſtatim poteſt habere aliam, & ſic multas in aliquo tempore dato: igitur non eſt neceſſe intellectum Angeli ſit intelligit *A* cum aliquo inſtanti noſtro, ſiſtere in intellectione ipſius *A*, per aliquod tempus, & per inſtantia illius temporis, in quorum aliquo poſſet intellectus meus habere aliam intellectionem. Si enim dicatur; [f] quòd intellectus meus poſt inſtans, non poteſt intelligere immediatè, ſed oportet quòd per tempus maneat in illa cognitione, alioquin non eſſet dare primum inſtans illius cognitionis ſequentis. Si enim poneretur intellectionem illam indifferenter menſurari tempore & inſtanti, non concluderet argumentum: tunc enim ſicut non eſt medium inter inſtans & tempus, ita nec inter intellectionem meam, quæ eſt inſtanti, & illam, & quæ eſt in tempore immediatè habito, & tunc ſecundæ intellectionis non eſt dare primum. Sed inconueniens videtur, [g] quòd ſimiles intellectiones non habeant præcisè ſimiles menſuras.

Si menſuraretur operatio angeli inſtanti, & tempore operatio ſequens aliam inſtantaneã, non haberet primũ eſſe, c. 4. & 5.

Si autem intellectio Angeli menſuretur æuo, ſicut poſtea dicetur, tunc etiam poſſet eſſe aliqua cum vno inſtanti, & aliqua cum tempore habito: & illa ſecunda habet primum ſui *eſſe*, ſicut & prior: quia illa ſecunda habet menſuram indiuiſibilem, ſicut & prima habet, ſed tamen nihil temporis noſtri primum coëxiſtit ille ſecundæ intellectioni, & hoc modo eſt de intellectionibus Angeli: quia ſi aliquid intelligat cum inſtanti noſtro, non oportet illam intellectionem manere per tempus habitum, ſed ſi ſtatim habeat aliam intellectionem, illa coëxiſtit tempori habito poſt inſtans, cùm quo fuit prior intellectio; & tunc nihil erit temporis noſtri primum coëxiſtens illi ſecundæ intellectioni.

Præterea videtur, quòd iſte deberet dicere conſequenter, quòd ſimiliter intellectiones noſtræ menſurentur tempore diſcreto, quia intellectiones noſtræ videntur eſſe totæ ſimul ſecundùm Philoſophum 10. Ethic, cùm ſint perfectæ & tranſeuntes, & ordine quodam ſe habentes. 8.

Et ſi dicatur, ſicut ipſe videtur dicere, quòd habent connexionem, quia intelligimus diſcurrendo, diſcendo hoc ex hoc Angelus non ſic: contra, hoc [h] non facit per ſe continuationem, vel non per ſe continuationem intellectionis ad intellectionem, non enim magis ſucceſſiuè acquiritur cognitio concluſionis, vel intellectio concluſionis ex hoc, quia pars acquiritur poſt partem, & cognitio concluſionis acquiritur poſt, & per cognitionem principij, quàm ſi iſta cognitio, videlicet concluſionis, habetur præcisè poſt cognitionem principij & ſine ea.

Similiter poſſumus habere intellectiones diſtinctas ſuccedentes ſibi abſque diſcurſu, etſi illæ ſint totæ ſimul: igitur illæ eſſent continuatæ quaſi in tempore diſcreto: quod eſt contra Philoſophum *in de Memor. & Reminiſcentia*, quia intelligimus cum continuo & tempore.

Præterea quod dicitur de differentia numeri & orationis, & huius temporis, quia partes numeri manent, & partes orationis poſſunt eſſe in ſe continuæ: ſed partes temporis iſtius nec manent, nec poſſunt eſſe in ſe continuæ. Omnes iſtæ differentiæ videntur eſſe materiales, & non formaliter diſtinguere rationem quantitatis diſcretæ, inquantum diſcreta eſt: accidit enim quantitati habenti partes non copulatas ad terminum communem, quòd illæ partes ſimul maneant, ſiue fluant, ſiue quælibet in ſe ſ. indiuiſibilis, ſiue non.

COMMENTARIVS.

Scotus improbat opinionẽ Henrici.

a CONtra *concluſionem huius poſitionis*: Doctor primò improbat concluſionem Henrici in ſe. Secundò improbat modum ponendi ipſius. Concluſio Henrici eſt, quòd operatio Angeli intrinſeca tantùm menſuratur *nunc* temporis diſcreti; exiſtentia Angeli menſuratur *nunc* æui. Et Doctor hìc probat, quòd talis operatio menſuretur ſimili menſura, quâ menſuratur exiſtentia Angeli, quæ probatio eſt ſatis clara in litera; & breuiter ſtat in hoc, quòd ſicut exiſtentia intellectionis Angeli habet eundem modum manendi dum manet, qualem habet exiſtentia Angeli, dum manet, ideſt quòd ſicut Angelus habet exiſtentiam omnino indiuiſibilem, & intellectio ſimiliter habet, vt patet per ipſum Henricum, vbi ſuprà, ſequitur quòd ipſa intellectio habebit ſimilem menſuram; ſed exiſtentia Angeli ſecundùm Henricum menſuratur *nunc* æui: ergo & intellectio ipſius. Nec valet dicere, quòd exiſtentia Angeli manet diutiùs; quia ſi Angelus ſtatim foret annihilandus,

hilandus,adhuc menſuraretur *nunc* æui, vt ſuprà patuit præſenti diſt.quæſt.prima.Si dicatur,quòd ſecundùm Doctorem videtur quòd intellectio non habet *eſſe* permanens, ſed in continuo *fieri*, vt patet, reſpondendo ad vltimum argumentum, diſtinct. 3. quæſtionis vltimæ primi, & per conſequens videtur poſſe menſurari alia menſura à menſura æui. Dico quòd hoc nihil eſt ad propoſitum, quia Doctor arguit ad hominem, quia Henricus ponit illam intellectionem habere *eſſe* omninò indiuiſibile, vt ſuprà patuit.

Intellectio eſt de genere permanentium.

Dico ſecundò, quòd etiam ſecundùm Doctorem habet *eſſe* permanens, vt patet per ipſum, cùm ſit de genere Qualitatis, vt ipſe aliqualiter innuit, vbi ſuprà, & clarè probat in quolibet, quæſt.13.

2. b *Præterea ſecundò omnes concedunt, &c. Ille autem actus neceſſariò includit actum naturalem*, ideſt, quòd idem actus beatificus eſt partialiter productus ab Angelo,& quo ad hoc dicitur actus naturalis,talis productio partialis non eſt neceſſariò ab agente ſupernaturali, & vt idem actus principaliter producitur(licèt partialiter)ab agente merè ſupernaturali dicitur ſupernaturalis.Tunc arguitur ſic:Idem actus vna tantùm menſura menſuratur;ſed actus beatificus, & vt producitur ab agente ſupernaturali, & ab agente naturali, in re eſt ſimpliciter idem, licèt varietur ſecundùm diuerſos reſpectus, quia vt comparatur ad agens naturale dicitur naturalis; & vt ad agens ſupernaturale dicitur ſupernaturalis: ergo cùm actus beatificus menſuretur æuo, ſequitur quòd vt producitur partialiter ab agente naturali menſuretur æuo: non enim iſti reſpectus alij, & alij faciunt diuerſam menſuram in fundamento.

Addit Doctor vnam probationem ibi, *Impoſſibile eſt autem æuiternum neceſſariò includere, vel præſupponere aliquid poſterius æuiterno,quod menſuratur menſura poſteriori*, patet, quia ſicut æuiternum neceſſariò eſt prius temporali, ita æuum neceſſariò eſt prius tempore, & hoc etiam patuit, vbi ſuprà *præſenti diſt. quæſt. prima*, ſecundùm Henricum. Cùm ergo actus beatificus menſuretur æuo,& ille idem partialiter producitur naturaliter ab ipſo Angelo,ſequitur quòd tantùm menſuretur æuo, & non tempore,nec continuo, nec diſcreto, cùm neceſſariò ſit poſterius æuo etiam ſecundùm Henricum.

3. *Henric. quolib.9.q.93. quære Ochã & alios nominatos.*

c *Contra modum ponendi.*Hîc Doctor improbat modum ponendi Hentici: poſuit enim quòd vna intellectio Angeli quantumcunque durans menſuretur *nunc* temporis diſcreti, quod *nunc* de neceſſitate tanto tempori noſtro coaſſiſtit quantum illa intellectio durat: hoc Doctor improbat,quia ponit multiplicitatem temporis ſine neceſſitate. Et vltrà ſequeretur,quòd vnus Angelus habebit quatuor inſtantia temporis diſcreti,& alius tantùm vnum inſtans reſpectu vnius temporis noſtri. Nam ſi vnus Angelus intelligat lapidem, & continuet illam intellectionem per vnam diem, & alius Angelus habeat intellectionem lapidis, & continuet eam per horam, & habeat cognitionem,puta hominis, & continuet per aliam horam, & habeat aliam cognitionem æquè per horam continuatam, & ſic deinceps, ſtatim ſequitur intentum, ſcilicet quòd vnus Angelus per totam diem habebit tantum vnum inſtans temporis diſcreti, & alius per eundem diem habebit non tantùm quatuor, ſed & mille inſtantia temporis diſcreti, quod videtur abſurdum, imò videtur quòd in vno Angelo reſpectu vnius diei poſſint habere duo tempora diſcreta:quia ſi continuet intellectionem per horam, habebit vnum tempus diſcretum, ſiue vnum *nunc* temporis diſcreti, & poſt habeat aliam intellectionem per aliam horam continuatam, tunc habebit vnum tempus diſcretum conſtans ex duobus inſtantibus temporis diſcreti.

Et ſimiliter ſi per medietatem horæ continuet intellectionem lapidis, & per aliam medietatem continuet aliam intellectionem, habebit illud tempus diſcretum, & ſic vnus Angelus in vna die poterit habere plura tempora diſcreta, & alius in eadem die tantùm habebit vnum tempus, imò fortè tantùm vnum *nunc* temporis diſcreti, ſi continuet vnam intellectionem per totam illam diem, quod eſt inconueniens.

4. d *Præterea aua*, &c. Hîc Doctor deducit Henricum ad hoc inconueniens, videlicet, quòd tempus diſcretum operationis Angeli eſſet conſtitutum ex *nunc* alterius rationis:patet, quia ipſe vult,quòd *nunc* æui diſtinguatur ab alio *nunc* eo modo, quo æuiterna diſtinguuntur. Et ſicut Angelus inferior ſpecie diſtinguitur ab Angelo ſuperiore,ita *nunc* menſurans exiſtentiam inferioris diſtinguitur ſpecie à *nunc* menſurante exiſtentiam ſuperioris.Pono modò,quòd Angelus intelligat lapidem, lignum, hominem, & huiuſmodi, iſtæ intellectiones diſtinguuntur ſpecie, quia ſpecificantur ab obiectis ſpecie diſtinctis, vt probat Doctor *in primo diſt.3. quæſt.7.* ergo & ipſa *nunc* temporis diſcreti menſurantia has intellectiones diſtinguuntur ſpecie,& ſic tempus illud, quod eſt menſura componitur ex *nunc* diſtinctis ſpecie, quod eſt abſurdum,vt patet de aliquo. Nam linea componitur tantùm ex lineis; & corpus ex corporibus; & ſuperficies ex ſuperficiebus; & motus vnius ſpeciei ex motibus tantùm vnius ſpeciei.

Hic Henric. ducitur ad inconueniẽs.

Quomodo intellectiones diſtinguantur ſpecie.

e *Præterea quod ponitur vnum nunc*,&c.Henricus enim ex hoc dixit, quòd vnum *nunc* menſurans intellectionem Angeli,neceſſariò coaſſiſtit alicui tempori noſtro, & non vni inſtanti, quia deduceretur ad hoc inconueniens, ſcilicet quòd tempus noſtrum eſſet diſcretum, quod eſt contra omnes Philoſophos.Quòd autem ſequeretur,patet,quia ſi *nunc* menſurans vnam intellectionem, coëxiſtit vni inſtanti temporis noſtri ita aliud *nunc* menſurans aliam intellectionem immediatè ſequentem primam coëxiſtit alij inſtanti temporis noſtri, & ſic de aliis, & per conſequens videretur tempus noſtrum eſſe diſcretum. Et tamen Doctor probat, quòd non poteſt euadere hoc inconueniens, quia ſi ego in inſtanti *A*, poſſum cognoſcere lapidem, & in tempore immediato illi inſtanti poſſum cognoſcere hominem, à fortiori hoc videtur de Angelo, cùm ſit perfectior, & ſic *nunc* menſurans intellectionem Angeli poterit coaſſiſtere vni inſtanti temporis noſtri, & per conſequens non eſt neceſſe intellectum Angeli, ſi intelligat *A* cum aliquo inſtanti noſtro ſiſtere in intellectione ipſius *A* per aliquod tempus, & per inſtantia illius temporis, in quorum aliquo poſſet intellectus meus habere aliam intellectionem.

Probatio Doctoris contra Henricum.

5. f *Si enim dicatur*, quòd intellectus meus, &c. Diceret fortè Henricus, quòd ego non poſſem habere intellectionem durantem tantùm per inſtans, quia intellectio ſequens non poſſet haberi in tempore immediato illi inſtanti; paret, quia intellectioni ſecundæ non poſſet dari primum inſtans ſui *eſſe*; quod probat, quia ſicut non eſt medium inter inſtans, & tempus (quia inter quæcunque duo inſtantia ſemper datur tempus medium: ergo inter inſtans primum, & ipſum tempus non mediat aliquod inſtans) ita nec inter intellectionem meam, quæ eſt in inſtanti, & illam, quæ eſt in tempore immediatè habito eſt aliquod medium, & ſic intellectionis ſecundæ non daretur primum inſtans ſui *eſſe*: paret, quia inter primum inſtans in quo eſt intellectio prima, & tempus immediatè ſequens, in quo eſt ſecunda intellectio non datur aliquod inſtans medium, & ſic nec primum inſtans intellectionis ſecundæ. Et ſic poneret, quòd intellectio poſſit menſurari inſtanti, & tempore, ita quòd prima intellectio habeat tantùm *eſſe* per inſtans, & ſic habet primum inſtans ſui *eſſe*, quia iſta eſt vera. Hæc intellectio nunc eſt, & immediatè ante hoc inſtans non fuit: ergo incipit eſſe. Secunda verò intellectio, quæ eſt in tempore immediato illi inſtanti, non habebit primum inſtans ſui *eſſe*; patet, quia hæc eſt falſa, iſta intellectio in iſto inſtanti eſt, cùm ſit tantùm in tempore: ſi ergo ſecunda intellectio ſit tantùm in tempore immediato inſtanti, tunc argumentum non concludit, ſcilicet quòd detur tempus noſtrum diſcretum, quia non datur inſtans immediatum inſtanti.

6. *Reſponſio Scoti.* g *Sed inconueniens videtur.* Dicit Doctor, quòd eſt valde inconueniens, quòd intellectiones eiuſdem rationis non habeant præcisè ſimiles menſuras, vt patet in aliis menſuratis eiuſdem rationis. Et vult quòd ſi aliqua intellectio noſtra menſuratur æuo, ſiue inſtanti æui, & alia ſimiliter menſurabitur inſtanti æui: & ſicut primum inſtans æui poterit correſpondere inſtanti temporis noſtri; ita ſecundum inſtans æui poterit correſpondere tempori immediato illi inſtanti: & ſicut prima intellectio habet primum inſtans ſui *eſſe*, quia in inſtanti æui, ita & ſecunda habebit primum ſui *eſſe* in inſtanti æui, cùm habeat menſuram indiuiſibilem. Sed tamen nihil temporis noſtri coëxiſtit illi ſecundæ intellectioni. Vult dicere Doctor, quòd illa ſecunda intellectio non habet primum inſtans ſui *eſſe* in aliquo inſtanti primo temporis noſtri, ſed in inſtanti æui. Et ſi tempus noſtrum ſibi coaſſiſtat, non tamen adæquatè ſibi coëxiſtit, ita quòd dicatur, quòd ſi habet *eſſe* in tempore immediato poſt inſtans primæ intellectionis, quòd primum ſui *eſſe* ſit in inſtanti primo illius temporis immediati, non menſuratur tempore, ſed primum ſui *eſſe* eſt in *nunc* æui, quod poteſt coëxiſtere toti illi tempori. Idem dicendum de intellectionibus Angeli, quia ſi Angelus aliquid intelligat cum inſtanti noſtro non oportet illam intellectionem manere per tempus habitum: ſed ſi ſtatim habeat aliam intellectionem, illa coëxiſtit tempori immediatè habito inſtanti, cum quo inſtanti fuit prima intellectio, & tunc nihil erit temporis primum coëxiſtens illi ſecundæ intellectioni.

An in intellectionibus noſtris, ſit ſucceſſio. h *Contrà, hoc non facit per ſe continuationem.* Dicit Doctor, quòd in huiuſmodi intellectionibus noſtris etiam diſcurſiuis, non eſt ſucceſſio & continuatio, ſicut eſt quando vna pars alicuius entis acquiritur poſt aliam partem, vt patet in alteratione & augmentatione; non enim intellectio habet huiuſmodi partes: intellectio ergo concluſionis eſt ita ſimplex, ſi habeatur poſt cognitionem principij, ſicut ſi non habeatur poſt talem cognitionem.

SCHOLIVM.

Concludit, maximè propter duas primas rationes, operationes Angeli æuo menſurari, & idem docet de forma ſubſtantiali generabili: de formis autem permanentibus, ſed acquiſibilibus partibiliter, v.g. calore, frigore, problematicus eſt, an æuo vel tempore menſurentur, & dat modum vtrumque tuendi.

Intellectio Angeli æuo menſuratur. COncedo concluſionem duarum primarum rationum, quòd intellectiones Angeli menſurantur æuo, & breuiter quæcunque exiſtentia actualis inuariabilis, hoc eſt, cui repugnat, vt ſecundùm ipſam ſit variatio, ſiue fluxus, vel acquiſitio partis poſt partem: nec enim perpetuitas aliquorum, vel corruptio, vel annihilatio aliquorum variat menſuram formaliter, dummodò exiſtentia ſit eiuſdem rationis dum manet. 9.

Obiect. An omnia permanentia menſurentur æuo? Tex. c. 118. idem. 6. Phy. t. com. 2. Sed contra hoc: a quia tunc videtur, quòd omnia permanentia menſurantur æuo: nihil enim eſt permanens, cuius exiſtentia non maneat eadem, dum manet, & hoc abſque ſucceſſione propriè dicta, quæ ſit acquiſitio, vel perditio partis poſt partem. Conſequens videtur eſſe inconueniens propter duo. Primò, quia ſecundùm Philoſophum 4. *Phyſic.* quies menſuratur tempore: igitur illa, circa quæ natus eſt eſſe motus, quando non ſunt in motu, menſurantur tempore, ſicut ſi eſſent in motu.

Secundò, quia omnium generabilium & corrubtibilium generationes, & corruptiones menſurantur inſtanti temporis: cuius autem primum *eſſe* menſuratur *nunc* temporis, eius *eſſe* habitum menſuratur tempore: ergo omnium iſtorum *eſſe* habitum poſt generationem, menſuratur tempore.

Reſp. ad Ad primum dico, b quod in entibus iſta ſe habent ſecundùm quendam ordinem.

Primò

Primò fluxus formæ; ſecundò forma, ſecundùm quam eſt actualiter fluxus: & tertiò forma, ſecundùm quam poteſt eſſe fluxus partis poſt partem: & quartò permanens, in quo non eſt natus eſſe fluxus partium, tamen neceſſariò habet formam conſequentem, in qua natus eſt eſſe fluxus: quintò illud, in quo nec poteſt eſſe fluxus, nec in aliquo antecedente ipſum naturaliter. *obiect. Primo modo eſt ipſa ſucceſſio ſeu motus, ſecundo forma, vt qualitas prout ſub eſt tali ſucceſſioni, tertio eadē qualitas diuiſibilis manens, quarto, forma ſubſtantialis corruptibilis, quam concomitātur formæ diuiſibiles. quinto, angelus, anima.*

Primum eſſentialiter menſuratur tempore: quia contra rationem eius formalem eſt permanentia, vel quòd aliqua pars eius maneat eadem, ſed ratio eius requirit partem eius ſuccedere parti. Quintum omnino inuariabiliter manet idem dum manet, & ideò nullo modo menſuratur tempore, nec ſecundùm ſe totum, nec ſecundùm partem eius, nec etiam menſuratur tempore per accidens. Quartum non menſuratur tempore per ſe, nec ſecundùm ipſum eſt propriè quies, quia non eſt natum moueri: quieſcit tamen per accidens, quia quies eſt ſecundùm aliquam formam neceſſariò conſequentem ipſum. Secundum & tertium eſt eadem forma, licèt ſecundùm diuerſam diſpoſitionem accepta: & ſecundùm illam, vno modo acceptam, eſt actu motus, & ſecundùm alium modum acceptam, eſt actu quies.

10. De iſta forma [c] poteſt dici, quòd licèt non habeat eſſe actu variatum, quando eſt quies ſecundùm ipſam: habet tamen eſſe variabile, & ideò nunquam menſuratur æuo, quamquam non ſit actu variatum, quia æuum requirit in ſuo menſurato eſſe inuariabile cui repugnat ſucceſſio partis poſt partem.

Si tamen dicatur omne *eſſe* non variatum menſurari æuo; tunc poteſt concedi, quòd iſta forma quando ſecundùm eam non eſt actu motus, poteſt dici menſurari æuo.

Sed iſta pars videtur minùs probabilis quàm prima, quia actualiter nunc exiſtens, videtur habere inſtans temporis pro menſura, non autem *nunc* æui, quod tamen oporteret ponere, ponendo ipſum, inquantum eſt actualiter ſub motu, menſurari *nunc* temporis, & vt eſt actualiter ſub quiete menſurari *nunc* æui, quando ergo infertur, quòd omnia permanentia menſurantur *nunc* æui vel æuo; patet quòd non ſequitur ſecundùm vnam viam, ſed ſola illa, quæ ſunt verè permanentia, ſcilicet inuariabilia, dum manent in actu, & tunc improbatio prima conſequentis de quiete, non valet: quia quies non eſt ſecundùm aliquam talem formam, ſed ſecundùm illam præcisè, ſecundùm quam naturaliter eſt motus.

Si tamen aliquis vellet [d] concedere, calorem inquantum habet *eſſe* non variatum, menſurari æuo, poteſt dici, quòd quies eius menſuratur tempore: & tamen calor, cui ineſt, menſuratur æuo: quia quies non eſt niſi priuatio alicuius ſucceſſionis partis poſt partem, ſecundùm quod vult Philoſophus 5. *Phyſic.* vbi tractat de contrarietate motus, & quietis, quòd quies eſt priuatio motus, & alibi, iſta autem priuatio præſupponit actualem exiſtentiam illius formæ, in qua eſt iſta priuatio, ita quòd ipſa non eſt prima ratio exiſtentiæ actualis. Licèt ergo priuatio menſuretur ſic tempore; non tamen ſequitur propter hoc, quòd exiſtentia talis formæ menſuretur tempore, ſed magis alia menſura priore. *Stat calorem menſurari æuo & eius quietem tempore. Tex. 52. 53. idem 8. Phyſic. tex. 71.*

11. Et ſi dicas quomodo poteſt iſta priuatio, vt diſtinguitur contra actualem exiſtentiam, menſurari tempore?

Dico, quòd ſicut vacuum ſi eſſet, menſuraretur eadem magnitudine, qua plenum. Si enim eſſet iſta domus vacua, maior diſtantia eſſet mei ad vnum parietem quàm ad alium, ſicut natum eſt eſſe maius plenum inter me, & illum parietem, quàm inter me, & alium. Tunc enim diceretur vacuum eſſe tantum, quantum corpus illud, ſi vacuum non eſſet, eſſet interceptum in vacuo, & quantum natum eſſet eſſe plenum. Ita in propoſito, tanta priuatio eſt ſucceſſionis in partibus formæ, quanta nata eſt eſſe per motum in eadem forma. Hæc enim menſuratio eſt quietis, non poſitiuè, ſed priuatiuè per motum, qui tunc poſſet ineſſe, quando iſta priuatio ineſt, ſicut in aliis priuatio ſemper menſuratur ſuo habitu, tantum enim malum eſt cæcitas in oculo apto nato ad videndum in determinato tempore, quantum bonum eſt viſio. *Quomodo conuenit quieti mēſurari, & qua menſura? Vide Com. vbi ſup. 4. Phyſi.*

Hoc modo licèt Ariſtoteles dicat, quòd quies non menſuretur niſi per accidens, poteſt tamen dici hoc modo quòd menſuratur per ſe eo modo, ſcilicet quo priuatio menſuratur per ſe: quia hoc conuenit priuationi per ſe, quod conuenit ei inquantum eſt talis natura hoc autem, quod ipſa ſit tanta, vel tanta, conuenit ei, inquantum eſt tanti, vel tanti poſitiui.

Etſi igitur concederetur calorem inquantum quieſcentem, ſiue quietem caloris, menſurari tempore: non tamen oportet, quòd actualis exiſtentia caloris, menſuretur tempore, quæ præcedit naturaliter iſtam rationem

quietis: illa enim ſecundùm ſe non habet habitudinem ad tempus inquantum talis, nec actualem, nec aptitudinalem. Si tamen cõceditur ſecundùm illam aliam viam omnem talem formam, dum manet, habere exiſtentiam variabilem, & exiſtentiam non tantùm variatam, ſed etiam variabilem, menſurari tempore; tunc omnino eſt ponendum, illa entia non menſurari æuo, ſecundùm quorum formas poteſt eſſe motus, ſed benè concedendum eſt ſubſtantias generabiles & corruptibiles, per ſe menſurari æuo, licèt per accidens hoc eſt ſecundùm quantitatem naturalem conſequentem eas, menſurentur tempore.

Et tunc ad ſecundam inſtantiam, [e] quæ eſt de generabilibus & corruptibilibus, dicendum, quòd accipiendo iſtarum ſubſtantiarum mutationem, ſecundùm quod loquitur Philoſophus de ea, illa eſt indiuiſibilis neceſſariò concomitans indiuiſibile terminans motum: ita quòd cùm dicitur mutari eſt aliter ſe habere nunc quàm priùs; *aliter ſe habere* nunc accipitur pro indiuiſibili: ſed *quàm priùs* accipitur pro diuiſibili. Primum igitur *eſſe* formæ per ſe terminans fluxum, per ſe primò menſuratur inſtanti, & ad illud propriè eſt mutatio: ſed ad primum *eſſe* formæ, quod non eſt per ſe terminans fluxum, non eſt propriè mutatio, & primò, ſed quaſi ſecundariò, inquantum illud primum *eſſe* concomitatur mutationem propriè dictam. Concedo igitur, [f] quòd primum *eſſe* ſubſtantiæ generabilis, inquantum concomitatur mutationem propriè dictam, menſuratur inſtanti: ſed non ſequitur vltrà, ergo *eſſe* habitum poſt illud inſtans, menſuratur tempore: quia in primo inſtanti comparatur illud eſſe ad cauſam particularem genetem, à qua eſt, & poſt illud inſtans non habet dependentiam ad illam particularem cauſam generantem; ſed tantùm ad primam cauſam conſeruantem: & tunc habet habitudinem vniformem ad illam cauſam conſeruantem, ſicut *eſſe* Angeli, quia conſeruatur in identitate perfecta abſque varietate. 12.

Primum eſſe formæ ſubſtantialis generabilis menſuratur æuo, ſed comitatur mutatum eſſe terminans motũ diſpoſitionis; quod menſuratur nunc temporis. Vide ſuprà rationem vltimam. Hen. contra Bo. q. 1. huius diſt. n. 26. al. indiuiſibiliter, al. diuiſibiliter.

g Et ex hoc patet ad argumentum, quod poſſet fieri de ſucceſſione in æuo: quia ſi eſt ſucceſſio, ergo innouatio, & per conſequens mutatio, & vlteriùs, mutatio menſuratur in inſtanti temporis: ergo æuiternum eſt temporale: quia quicquid menſuratur tempore vel inſtanti temporis, eſt temporale. 13.

Reſpondeo, quòd non omnis forma, ſecundùm quam eſt innouatio, vel variatio, menſuratur tempore, vel inſtanti temporis: ſed ſolùm illa ſecundùm quam mutabile aliter ſe habuit ſucceſſiuè, quàm nunc ſe habet indiuiſibiliter: hoc eſt, cuius termino ad quem, diuiſibiliter habito, neceſſariò præſupponitur terminus à quo indiuiſibiliter, & in termino habitus, & hoc vel ſecundùm quem fuit motus menſuratus tempore, vel vt neceſſariò concomitans motum menſuratum tempore.

Creatio non menſuratur tẽpore nec inſtanti eius.

Per hoc etiam patet, quòd Deus poſſet creare aliquid ſine omni tempore, date etiã quòd creatio, vel annihilatio diceretur eſſe mutatio, quoad hoc quòd eſt ibi ſucceſſio formæ poſt negationem eius: quia non eſt mutatio eo modo, quo Philoſophus loquitur de mutatione, quia non eſt indiuiſibile neceſſariò terminans fluxum ſui oppoſiti, nec vt primò fluentis, nec vt neceſſariò concomitantis motum menſuratum tempore.

Ad arg. 1.

h Ad primum argumentum principale dico, quòd doctrina de cauſis tradita, eſt ſecundùm doctrinam Auicennæ erroneam, ac ſi intelligeret ille Auctor Intelligentias eſſe Deos quoſdam, & earum operationes menſurari *nunc* temporis: non quidem intrinſecam operationem, quia hoc non poneret potentialitatem, nec ſucceſſionem: ſed extrinſecam circa corpus eſſe in momento temporis: & ideò auctoritas illa non eſt habenda ſicut auctoritas, quia tradita eſt per radicem erroneam.

Ad 2.

Ad ſecundum [i] poteſt concedi, quòd intellectio Angeli non raptim eſt, ſed durat cum aliquo tempore noſtro, & tamen non propter hoc ſequitur quòd fit in tempore. Poteſt enim quod eſt in æuo, durare cum noſtro tempore. Vel poteſt dici, quòd aliqua intellectio poteſt ineſſe Angelo præcisè cum inſtanti temporis noſtri: & poſt illud inſtans poteſt habere aliam intellectionem immediatè. Et quando dicis, natura nihil producit, vt ſtatim non ſit. Verum eſt, quòd natura non intendit hoc ſtatim non eſſe, quod producit: nec etiam natura per generationem aliquid producit, quin inter generationem, & corruptionem, quæ ſunt in inſtantibus temporis continui, ſit tempus medium: & ideò generatio & corruptio non poſſunt continuari ſibi inuicem perpetuò ſecundùm intentionem Philoſophi ibi. Tamen non eſt inconueniens aliquid eſſe non in tempore continuo, & ſtatim non eſſe, ſicut apparet de mutatione & inſtanti: quæ non habent *eſſe* niſi raptim: & ſtatim non ſunt.

Ad-

Ad aliud,quod adducitur pro prima opinione ſecundùm Aug. *Deus mouet per tempus*, Poteſt dici, quòd accipit ibi *tempus* pro omni eo, quod poteſt habere *eſſe* poſt *non eſſe*: ſicut expoſitæ ſunt auctoritates in 1.q.de æuo:& hoc modo, quodlibet aliud à Deo eſt temporale;& illud poteſt dici moueri per tempus: quod habet aliquid ſuccedens alteri,vt eſſe poſt *non eſſe*,licèt ſuccedens,vel illud cui ſuccedit,non ſit ꝓpriè temporale:quia *non eſſe*,vel *nihil* nullam habet menſuram;ita dicendum eſt in propoſito.

Ad rationem pro opin.Henr. Quære D. Bo.de multiplici tẽporis acceptione.

COMMENTARIVS.

1. *Scotus arguit contra Henricum.*

Sed contra hoc. Hîc Dóctor arguit probando, quòd ſi exiſtentia permanens dum manet, menſuratur æuo, quòd etiam quodlibet permanens menſurabitur æuo,& ſic qualitas, & quantitas, & huiuſcemodi, dum actu permanent in *eſſe* quieto menſurantur æuo. Sed hoc videtur inconuenies propter duo. Primò, quia ſecundùm Philoſophum 4. *Phyſicor. tex. comm.* 118. quies menſuratur tempore. Secundò,quia generationes, & corruptiones omnium generabilium, & corruptibilium menſurantur inſtanti temporis: cuius autem primum *eſſe* menſuratur inſtanti temporis eius *eſſe* permanens menſuratur tempore.

b *Ad primum dico.* Hîc Doctor primò declarat aliqua. Secundò ſoluit primam rationem. Primò ergo dicit, quòd fluxus alicuius formæ, puta quando acquiritur calor vt decem,menſuratur de neceſſitate tempore, dum ſucceſſiuè acquiritur: nam fluxus ille eſt quædam ſucceſſio prioris, & poſterioris; & talis ſucceſſio dicitur motus formaliter,& motus propriè menſuratur tempore,& forma ſecundùm quam eſt fluxus, vt puta, calor, qui continuè,acquiritur,dicitur forma,ſecundùm quam eſt talis ſucceſſio, & talis forma vt eſt ſub tali actu, vel ſucceſſione dicitur actu motus, & forma, ſecundùm quam poteſt eſſe talis ſucceſſio,vel fluxus, non quòd actu ſit fluxus, puta ipſe calor vt decem actu permanens,dicitur actu quies, quia nata acquiri per motum.

2. *Notabilis declaratio.*

Declaro tamen iſtam literam: primò *fluxus formæ*, talis fluxus eſt ſucceſſio formaliter ſecundùm prius, & poſterius, ita quòd vnum ſuccedit alteri, & talis ſucceſſio formaliter dicitur formaliter motus,qui eſſentialiter, ſiuè per ſe,menſuratur tempore, vt ſuprà expoſitum eſt *in præſent. diſt.* 2. Secundò, forma, ſecundùm quam eſt actualiter fluxus, vt calor, vt decem,pro quanto acquiritur ſucceſſiuè, prout vna pars actu acquiritur poſt aliam, talis calor dicitur forma, ſecundùm quam actu fluxus formæ, vel ſucceſſio formaliter. Tertiò,forma ſecundùm quam poteſt eſſe fluxus,vel ſucceſſio, & eſt omnis forma, quæ eſt partibiliter acquiſibilis, vt quantitas, & qualitas corporalis, & licèt habeat aliquando *eſſe* permanens, tamen ſibi non repugnat acquiri partibiliter, cùm ſit diuiſibilis in plures partes. Hoc ſecundum, & tertium eſt eadem forma, licèt ſecundùm diuerſam diſpoſitionem accepta. Nam ſecundùm quòd eſt forma, ſecundum quam eſt actu fluxus formæ, dicitur motus actu, ſed ſecundùm quod eſt actu accepta, & habet *eſſe* permanens, dicitur quies actu. Fortè tamen forma ſecundo modo non dicitur motus formaliter, cùm talis motus ſit formaliter ſucceſſio, quâ vna pars dicitur alteri ſuccedere, ſed erit motus materialiter, pro quanto eſt id ſecundùm quod actu ſit ſucceſſio,& ſimiliter forma.

Tertiò, non erit quies formaliter, cùm quies formaliter opponatur motui formaliter, ſed poterit dici quies quaſi materialiter, quia eſt forma, in qua nata eſt fundari quies. Quartò, eſt permanens, in quo non eſt natus eſſe fluxus partium, tamen neceſſariò habet formam conſequentem, in qua natus eſt eſſe fluxus. Iſtud quartum, forma ſubſtantialis corporalis, tenendum ſecundùm aliquos, quòd indiuiſibiliter acquiratur, in qua tamen eſt ſubiectiuè forma, in qua natus eſt fluxus, puta quantitas, vel qualitas corporalis. Hoc quartum non menſuratur tempore per ſe, nec per ſe ſecundùm ipſum propriè eſt quies,cùm non ſit natum moueri, quieſcit tamen per accidens; quia quies eſt ſecundùm aliquam formam neceſſariò conſequentem ipſum, quæ,ſupple forma,nata eſt acquiri per motum, & per conſequens nata eſt propriè quieſcere. Quintò,eſt illud in quo non poteſt eſſe fluxus, nec in aliquo conſequente ipſum naturaliter, vt ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ,& abſtractæ. Et hoc quintum omninò inuariabiliter manet dum manet,& ideò nullo modo menſuratur tempore, nec ſecundùm partem eius, nec per accidens, cùm in eo non ſit aliquid natum partibiliter, & ſucceſſiuè acquiri; tale verò menſuratur æuo,& etiam illa quæ in eo ſubiectantur, cùm ſint omninò inuariabilia dum manent, cuiuſmodi ſunt intellectiones, & volitiones,vt ſuprà patuit.

3. *Quomodo quies opponatur motui.*

c *De iſta forma poteſt dici*, &c. Dicit Doctor quòd loquendo de forma ſecundo, & tertio modo,ideſt, ſecundùm quam actu eſt fluxus formæ, & ſecundùm quam poteſt eſſe fluxus formæ, talis forma menſuratur tempore,quia licèt ipſa forma tertio modo ſumpta actu non habeat *eſſe* variatum,habet tamen eſſe variabile,& ideò non menſuratur æuo,quia æuum requirit in ſuo menſurato *eſſe* inuariabile, cui repugnat ſucceſſio partis poſt partem.

d *Si tamen aliquis velit concedere calorem*, Sententia huius literæ eſt, quòd quamuis quies ipſius caloris menſuretur tempore, non tamen exiſtentia caloris menſuratur tempore, ſed æuo. Nam quies ex hoc dicitur menſurari tempore, quia opponitur formaliter motui,qui per ſe menſuratur tempore. Sicut ergo motus vnius horæ menſuratur tanto tempore,ita quies oppoſita tanto tempore menſuratur;quia ſi talis motus calori non ineſſet per tantum tempus, & natus eſſet in eſſe, quies ſibi oppoſita actu ineſſet per illud tempus: patet, quia quies formaliter non eſt niſi priuatio alicuius ſucceſſionis partis poſt partem, vt vult Philoſophus *quinto Phyſic. text. commen.* 52. & 53. vbi tractat de contrarietate motus, & quietis, quòd quies eſt priuatio motus. Et addit Doctor quòd licèt Ariſtoteles dicat, quòd quies non menſuretur niſi per accidens,poteſt tamen dici hoc modo,quòd menſuratur

Sententia literæ.

ſuratur per ſe eo modo,quo ſcilicet priuatio menſuratur per ſe, quia hoc conuenit priuationi per ſe, quod conuenit ei inquantum eſt talis natura: hoc autem quòd ipſa ſit tanta, vel tanta, conuenit ei inquantum eſt tanti,vel tanti poſitiui,quòd ſcilicet tanto,vel tanto tempore natum eſt acquiri,& per conſequens tanto vel tanto motu.Et parum infrà,*Concedēdum eſt*,inquit,*ſubſtantias generabiles, & corruptibiles per ſe menſurari æuo*, licèt per accidens, hoc eſt ſecundum quantitatem naturalem conſequentem eas menſurarentur tempore.

Declaratio literæ.

e *Et tunc ad ſecundam inſtantiam*,&c.Hanc literam declaro:cùm dicit, quòd *accipiendo iſtarum ſubſtantiarum mutationem, ſecundùm quòd loquitur Philoſophus de ea in illa eſt indiuiſibilis*: ideſt quòd mutatio ſubſtantiæ eſt indiuiſibilis. Sequitur,*tale, vel eſt mutatio,vel indiuiſibile.* Pro

Exemplum.

clariori cognitione pono exemplum. Ignis,cùm agit in lignum,primò expellit diſpoſitiones contrarias,puta frigiditatem, & humiditatem, & inducit per motum,puta caliditatem, & ſiccitatem facientes pro generatione ignis, vltimus gradus caliditatis, cùm ſit indiuiſibilis,indiuiſibiliter acquiritur,& tale indiuiſibile terminat motum,ſiuè ſucceſſionem;forma ergo,ignis,qui acquiritur, in inſtanti concomitatur ipſum vltimum gradum caloris.Et hoc eſt quod dicit, *tale vel eſt mutatio, vel indiuiſibila*,ideſt,talis forma ſubſtantialis, vel acquiritur per mutationem, vel eſt indiuiſibilis neceſſariò concomitans indiuiſibile, ſcilicet vltimum gradum caloris terminantem motum. Sequitur in textu, *ita quòd mutari eſt aliter ſe habere nunc quàm priùs*.Notat hîc Doctor rationem

Quid ſit mutari.

propriæ mutationis,& dicit, *aliter ſe habere nunc* accipitur pro indiuiſibili, & *quàm priùs* pro diuiſibili,ideſt,cùm dicimus, quòd ſubiectum mutatur,puta,vt nō calido ad calidū à vt tūc illud ſubiectum dicitur mutari propriè,quia nunc aliter ſe habet,ſcilicet quādo eſt ſub vltimo gradu caloris; quia tunc vltimum gradū indiuiſibiliter habet, & totum calorem in *eſſe* quieto, & permanenti & cùm dicit *quàm priùs*,nam priùs illud ſubiectum erat,ſub continuo fluxu, quia continuè acquirebatur calor in ipſo, ideò quando habet vltimum gradum caloris,aliter nunc ſe habet, quàm priùs ſe habuit.Sequitur:*Primum igitur* eſſe *formæ per ſe terminans fluxum*, ideſt, quòd vltimus gradus caloris,qui per ſe terminat illum motum (vt dixi ſuprà)*menſuratur inſtanti*. Sequitur, *& ad illud propriè eſt mutatio*.Patet per definitionem mutationis priùs dictam,quia ſubiectum exiſtens nunc ſub tali gradu,propriè mutatur, quia aliter ſe habet nunc,quàm priùs ſe habuerit.

Sequitur,*ſi ad primum eſſe formæ*,(ideſt, quòd quando ſubiectum, puta, materia ipſius ligni,eſt ſub forma ſubſtantiali ignis, quæ forma non terminat per ſe fluxum, ſiue motum, patet, quia ipſa acquiritur ſubitò, & indiuiſibiliter per ſe primò) *ſe habet ſubiectum, non mutatur*, quia vt eſt ſub tali forma non aliter ſe habet nunc, quàm priùs ſe habuit,eo modo, quo expoſui de ſubiecto propriæ mutationis. Sequitur, *ſed quaſi ſecundariò, inquantum illud primum*, ideſt, quòd illa forma ſubſtantialis poteſt dici mutatio ſecundariò, quia concomitatur formā accidentalem,cuius vltimum *eſſe* eſt propriè mutatio, & hoc modo ſubiectum reſpectu formæ ſubſtantialis poteſt dici mutari, quia in ipſo forma ſubſtantialis concomitatur mutationem primò, & per ſe,puta accidentis facientis pro generatione talis formæ ſubſtantialis.

Quomodo ſubiectum dicitur mutari.

Concedo igitur,&c. Vult dicere quòd primum *eſſe* formæ ſubſtantialis in ſe abſolutè non menſuratur inſtanti temporis,ſed tantùm dicitur menſurari inſtanti temporis quodammodò denominatione extrinſeca, ſupple inquantùm concomitatur vltimum *eſſe* formæ accidentalis, requiſitæ ad hanc generationem formæ ſubſtantialis: & quia tale vltimum *eſſe* menſuratur inſtanti temporis,ideò dicitur quòd primum *eſſe* formæ ſubſtantialis menſuratur inſtanti temporis.

7.

Quomodo non omnis forma menſuretur tempore.

g *Et ex hoc patet argumentum,quod poſſet fieri de ſucceſſione in æuo.* Dicit Doctor, quòd non omnis forma ſecundùm quam eſt variatio, vel mutatio, menſuratur tempore, vel inſtanti temporis, vt patet de intellectione. Nam intellectus tranſiit de priuatione illius intellectionis ad illam, & ſic dicitur mutatio, non tamen menſuratur inſtanti temporis, vt patet ſuprà de intellectione Angeli. Sed ſola iſta mutatio menſuratur inſtanti temporis, ſecundùm quam mutabile aliter ſe habuit ſucceſſiuè, quàm nunc ſe habet indiuiſibiliter, vt declaraui ſuprà de *mutari* propriè dicto. Vult ergo dicere Doctor, quòd licèt aliqua forma acquiratur poſt *non eſſe* ipſius,& ſic ſubiectum eius tranſeat de *non eſſe* illius formæ ad *eſſe*,quia tamen illa forma non acquiritur ſucceſſiuè,& partibiliter, ſed tota ſimul, ideò non menſuratur tempore,nec inſtanti temporis. Sola verò illa forma,quæ acquiritur partibiliter menſuratur tempore, *eſſe* verò illius vltimum menſuratur inſtanti temporis.Sequitur,*hoc eſt,cuius termino ad quem indiuiſibiliter habito neceſſariò præſupponitur terminus à quo diuiſibiliter, & in termino habitus eſt indiuiſibiliter*. Exemplum; nam calor vt octo ſic ſe habet, quòd vltimus gradus, ad quem terminatur totus motus caloris, dicitur terminus *ad quem*, & totus calor, qui præcedit ipſum terminum *ad quem*,qui ſemper eſt ſub motu,dicitur terminus *à quo*;& meritò dicitur quòd ſubiectum reſpectu caloris vt octo,habito vltimo gradu ſe habet aliter, ſupple in termino *ad quem*, quàm ſa haberet in ſucceſſionem caloris, ſiue in termino *à quo*. Sequitur *& in termino habitus eſt indiuiſibiliter*, ideſt, quòd calor vt octo,vt eſt in vltimo gradu,dicitur indiuiſibiliter, quia ille gradus vltimus acquiritur indiuiſibiliter, Sequitur, *& hoc vel ſecundum quem fuit motus menſuratus tempore*, ideſt, quòd illa forma, ſecundùm quam motus menſuratur tempore, terminus illius formæ inſtanti temporis, vt exemplificaui priùs de calore.

Quenam ſit illa forma quæ mēſuratur tempore.

8.

Quid ſit operatio intrinſeca Intelligentiæ.

h *Ad primum argumentum principale.* Reſponſio ſtat in hoc: nam Auicenna voluit, quòd operatio intrinſeca Intelligentiæ ſit intellectio, & volitio, & ſic eadem ſubſtantia cum ipſa. Hoc idem voluit Ariſtoteles 3. de Anima, vel ſaltem imponitur ei. Et cùm dicitur in argumento *operatio, cuius ſubſtantia menſuratur æternitate, vel æuo, ipſa menſuratur tempore*; ſi intelligat de operatione intrinſeca, non tenetur; ſi de extrinſeca(vt ipſe potiùs)poſſet concedi, quæ operatio extrinſeca eſt mouere cælum, qui motus menſuratur tempore;ſed quæſtio tantùm intelligitur de operatione intrinſeca.

3. de anima com.tex.13. idem 12.meta.ph. 19. & 51.

Quid ſit operatio extrinſeca intelligentiæ.

Quomodo intellectio Angeli poſſit durare.

i *Ad ſecundum.* Reſponſio eſt clara ex dictis ſuprà. Concedit enim, quòd intellectio Angeli poteſt durare,& tamen menſurari æuo,quod poteſt correſpondere tempori noſtro. Poteſt etiam aliqua intellectio correſpondere tantùm inſtanti tē-

poris

poris noſtri,& alia immediatè ſequens correſpondere tempore immediato,vt ſuprà dictum eſt.

Thomas de vio Caietanus.

Sed quidam nouus expoſitor primæ partis S. Tho. *q.*10. *ar.*5. dicit quòd ſolutiones, quas facit Doctor, tenendo quòd poteſt eſſe ſucceſſio in menſura aliqua, puta in æuo, abſque nouitate, & ſucceſſione in menſurato, non euacuant rationes prædictas:& improbat ſpecialiter exemplum Doctoris,qui ſic dicit: *Si poneretur caro non habens partem,& partem ſub quantitate,tunc in menſura eſſent partes,& non in eo cuius eſſent,& ſic in propoſito* eſſe *Angeli eſt abſque innouatione,& tamen menſura eſt ſucceſſiua.* Vnde ad rationem factam directè contra, reſpondet, negando in ſententia, quòd tranſmutabilitas menſurati, ſit vt præcisè cauſa ſucceſſionis in menſura.

Reſpõſio Caietani facilè conuincitur.

Sed contra hoc reſponſio facilè conuincitur falſa.tum ad hominem,tum ſimpliciter. Ad hominem quidem,quia ſi ſucceſſio in menſura ſtat cum mutatione, & immutatione partis ſubiecti ſeu menſurati,ergo arguere à ſucceſſione menſuræ ad tranſmutationem ſubiecti non valet, ſed eſt ſophiſma conſequentis. Sed ipſe Scotus ibidem fatetur,quòd ille proceſſus eſt bonus, & ab effectu ad cauſam,ergo,&c. Et confirmatur, quia Ariſtoteles vſus eſt illo, nec proceſſus literæ eſt alius ab illo:ſi enim ſucceſſio eſt in menſura,dicimus,ergo in menſurato, quia variatio menſurati eſt cauſa ſucceſſionis in menſura. Mirum valde eſt de hoc homine,cùm eandemmet rationem,quam Ariſtoteles approbat, Thomas improbat. Et propterea neceſſe eſt, vt aut approbationem, aut improbationem propriam neget. Simpliciter autem,quoniam indiuiſibile impoſſibile eſt quòd certificetur ex propriis per diuiſibile: ergo impoſſibile quòd menſuretur per illud:& tenet ſequela, quia menſura eſt certificatio menſurati:antecedens verò patet in exemplo ſuo. Nunquam enim ſciretur quanta eſſet caro indiuiſibilis per quantitatem diuiſibilem,ſi eius eſſet. Vnde de facto per quantitatem ſpecierum in Euchariſtia non menſuratur corpus Chriſti,quia non eſt ſub ea diuiſibiliter,& idem eſt iudicium in quantitate durationis:ſi enim ipſa eſt extenſa, nunquam menſurabitur indiuiſibili, & inextenſo ſecundùm durationem. Quomodo enim ſcietur, ſi illius duratio naturalis etiam fingi non poteſt? oportet igitur menſuræ extenſæ reſpondere menſuratum extenſum, & indiuiſibili indiuiſibile, vt litera ex Ariſtotele deduxit.

Quæ ſit menſura.

Quomodo nõ menſuretur corpus Chriſti in euchariſtia.

Scotus hic arguit contra quatuor propoſitione,

In reſponſione ad primum, aduerte quòd Scotus arguit contra quatuor propoſitiones. Prima eſt affirmatiua, *Operationes Angeli menſurantur tempore.* Secunda eſt negatiua, virtualiter inclusa in præcedenti, *Operationes non menſurantur æuo.* Tertia eſt affirmatiua. *Viſio beata in Angelis menſuratur æternitate participata.* Et hæ omnes habentur in hac reſponſione ad primum, vt patet in litera. Quarta verò etiam affirmatiua eſt. *Eſſe rerum generabilium menſuratur tempore*:hoc enim in reſponſione ad vltimum articuli præcedentis, & in corpore huiuſmodi poſita eſt, cùm dictum eſt,quòd tam id,quod in tranſmutatione conſiſtit, id eſt,motus,quàm id quod mutationi ſubiicitur, quod experimur eſſe noſtrum *eſſe* ſubſtantiale, menſuratur tempore.Arguit ergo primò *in ſecundo ſent.di.*2.*q.*4. contra ſecundam propoſitionem, probando illius contradictoriam, quam tenet vt veram, ſcilicet operationes Angeli menſurantur æuo tripliciter. Primò ſic:*eſſe*, & operatio Angeli habent vniformem modum manendi, dum manent: ergo habent menſuram eiuſdem rationis. Antecedens patet, quia vtrunque eſt indiuiſibile, & tamen defectibile.Probatur,quia menſuræ proportionantur diuerſis modis manendi,vt patet de ſucceſſiuis, & permanentibus. Secundò ſic, actus beatificus menſuratur æuo, vt per Auguſtinum patet,*de fide ad Petrum, c.* 18. ergo, &c. Tertiò, operatio Angeli non menſuratur æternitate, nec tempore:ergo æuo.

Operationes angeli menſurantur æuo tripliciter.

Ad euidentiam huius difficultatis aduerte,quòd Scotus ibidem tres menſuras durationis ponit, *tempus*,*æuum*,& *æternitatem*,ita quòd *tempus* rem ſucceſſiuam;*æuum* permanentem,defectibilem tamen;*æternitas* autem rem omninò indefectibilem menſuret. Et propterea tenet eſſe ſubſtantiale rerum,ad quas impoſſibile eſt eſſe motum,& operationes Angelicas,&c.ſecundùm ſe menſurari æuo; & tota radix eius eſt illa maxima; *Quæcunque vniformem habent modum manendi, dum manent habent modum manendi, dum manent habent menſuram eiuſdem rationis.* In præſenti autem litera diſtinguũtur menſuræ durationis penes mutabilitatem, & immutabilitatem rerum. Et verè ſic eſt, quoniam menſura durationis eſt certificatiua naturalis durationis rei ſecundùm ſe. Alioquin fruſtrà eſſet; naturalis autem duratio rei ex mutabilitate,aut immutabilitate naſcitur.Loquor de mutabili,vel immutabili propriè,id eſt,ex intrinſeco, quoniam ex tali mutabilitate tantùm pẽdet naturalis duratio rei:nihil enim refert ad naturalẽ durationẽ rei,an in alio ſit potentia deſtructiua eius, an nõ;ſed ſolùm an in ipſa ſit,vnde poſſet deficere,an nõ;& in hoc errauit manifeſtè Scotus dicẽs, *nec aliquando non eſſe, nec poſſe non eſſe per propriam potentiam, variat menſuram rei,*& fundamentũ eius eſt valde debile,ſcilicet quia ſi Angelus annihilandus eſſet,nihilominus menſuraretur æuo.Liquet enim,quod naturaliter nõ fore aliquãdo,& ſimiliter poſſe naturaliter non eſſe, variant naturam rei, quia corruptibile, & incorruptibile, vt dicitur decimo Metaphyſ. ſunt ſubſtantia, aut in ſubſtantia:variant inquam naturam generiçè, adeò vt nihil ſit eis vniuocum: ergo nec propria menſura eſt eadem.Et ex hoc prouenit, quòd annihilandus Angelus menſuratur æuo,quia ſcilicet annihilatio non prouenit ex natura eius, ſed ab extraneo, ipſe enim quantùm eſt de ſe ſemper eſſet:dicimus ergo rem omninò immutabilem æternitate, immutabilem autem ſimpliciter, & mutabilem ſecundùm quid æuum, mutabilem autem ſimpliciter tempore. Et propterea cùm Angelus ſit immutabilis ſubſtantialiter, mutabilis tamen accidentaliter, æuo menſuratur;operationes verò eius naturales, quia naturaliter ſunt mutabiles, æuo menſurari nequeunt: æuo nanque menſuratum æuiternum eſt: æuiternum autem naturaliter perpetuum eſt, nullum autem naturaliter mutabile,eſt naturaliter perpetuum.

Tres ſunt menſuræ durationis ſecundum Scotum.

Reſponſiones Caietani cõtra Scotum.

Decimo metaph. tex. 29.

Ad fundamentum autem Scoti, diſtinguenda eſt primò propoſitio illa, quoniam ſi ſit in ſenſu compoſito eſt falſiſſima, quoniam vt dicitur primo Periherm. *vnumquodque neceſſe eſt eſſe dum eſt.* Et ſic omnia manentia dum manent habent vniformem modum eſſendi, quia ſunt neceſſariò, & tamen non habent eandem menſuram. Nec ad hunc ſenſum arguens facit illam,ſed abſolutè, ſeu in ſenſu diuiſo: & tunc dicitur,quòd modus manendi eſt multipliciter diſtinguibilis, ſcilicet vel penes neceſſarium, & poſſibile;vel penes perma-

c. 6.

nens,& ſucceſſiuum;vel penes defectibile,& indefectibile; & quocunque modo ſumatur, ſemper eſt falſa, quoniam nec omne neceſſarium conuenit in menſura, ſed alia eſt menſura neceſſarij omninò vt Dei;& alia neceſſarij ſimpliciter, poſſibilis autem ſecundùm quid, vt reliqua ſunt incorruptibilia, & ſimiliter omnia poſſibilia non menſurantur vna menſura,quoniam quędam tempore continuo, & quædam tempore diſcreto, vt dicetur. Similiter non omne permanens conuenit in menſura,vt patet de ſuperioribus, & inferioribus;nec omnia ſucceſſiua, quoniam alia eſt menſura ſucceſſiuorum ſucceſſione continua, & alia ſuccedentium ſucceſſione diſcreta,vt dicetur. De defectibili autem,& indefectibili, iam patet defectibilitatem non eſſe modum rei, vt ab eis ſumitur, ſed dicere potentiam extraneam:& propterea non eſt ad propoſitum; & eſſet nihilominus falſa ex eo, quòd non omne defectibile vnica menſura certificatur. Ex his autem ſimplicibus patet reſponſio ad modos compoſitos, puta *permanens, defectibile*, & ſimiles. Ad formam ergo propoſitionis dicendum eſt, quòd habere vniformem modum manendi intrinſecum rei,vt per ſe reſpicientem talem durationem rei, eſt ratio vniformis,ſiue eiuſdem menſuræ durationis, & non abſolutè vniformem modum manendi; & ideò falſum eſt antecedens illius conſequentiæ, & iam excluſa eſt eius probatio.

Ad ſecundum,negatur antecedens, vt patet in litera. Nec eſt verum, quòd Auguſtinus dicat illud, niſi in ſenſu inferiùs manifeſtando; accipiendo ſcilicet *æuum* pro æternitate participata.

Ad tertium, negatur antecedens pro ſecunda parte,quia operatio Angeli menſuratur *nunc* temporis,non continui,ſed diſcreti.

13. Contra ſecundam propoſitionem,ſcilicet, *operationes Angeli menſurantur tempore.* Arguit Scotus ibidem. Sed quoniam argumenta ſua militant contra tenentes eas menſurari tempore diſcreto, quòd ſit ſpecies Quantitatis, & hæc propoſitio non eſt ſancti Thomæ, quoniam apud nos tempus diſcretum nihil aliud eſt, quàm numerus prioris, & poſterioris in motu diſcreto, qui nihil aliud eſt, quàm ſucceſſio operationis ſpiritualis ad aliam operationem ſpiritualem, quales ſunt duæ intellectiones ſine phantaſmatum vitio. Numerus autem de Prædicamento Quantitatis ſequitur diuiſionem continui, oportet vt tempus hoc ſit numerus tranſcendens, compoſitus ex vnitatibus tranſcendentibus, quia inquantum ſic, eſt vnum tantùm ex Scoto, motiuum afferendum cenſui, ſcilicet quia ponuntur multa tempora ſine neceſſitate. Oportet etiam multiplicari tempora, non ſolùm in pluribus, ſed in eodem reſpectu actus, intellectus, & voluntatis, &c. hæc autem videntur inconuenientia: igitur.

Quid ſit tẽpus diſcretum apud Thomiſtas.

Ad hoc breuiter dicitur, quòd neceſſitas magna eſt multiplicandi tempus in continuum, & diſcretum, propter ſpirituales operationes ſubſtantiarum ſpiritualium,carerent enim aliter proportionatis menſuris. Illæ enim cùm ſint immediatè ſibi inuicem ſuccedentes,& inſtantaneæ ſecundùm ſe, quia quælibet eſt tota ſimul, eleuantur manifeſtè ſupra tempus continuum, & eius inſtantia: ad æui autem excellentiam non attingunt,quia corruptibiles naturaliter ſunt. Oportet ergo,aut ſine propria menſura remaneant tam nobilia entia, aut tempus diſcretum ponere, cuius inſtantibus operationes ipſe in ſe menſurantur: hæc enim ſunt ipſe motus ſpiritualis Angelorum,cuius numerus eſt tempus, per quod dicit Auguſtinus mouere Deum ſpiritualem creaturam. Multiplicatio autem temporis diſcreti in pluribus Angelis, aut in eodem, iudicio meo, non eſt neceſſaria, niſi materialiter, quemadmodum etiam continuum, quo noſtra menſurantur, materialiter multiplicatur in omnibus mobilibus, & æuum in omnibus æuiternis. Conſonum namque rationi videtur, vt ſicut omnia æuiterna ſimpliciſſimo æuo menſurantur, quod ſolùm eſt vnum formaliter, ita omnis operatio huiuſmodi ſimpliciſſima operatione, ſeu ſimpliciſſimo *nunc* illius menſuretur. Et ſimiliter omnis ſucceſſio operationum ſimpliciſſima ſucceſſione. Talis autem operatio, & ſucceſſio eſt ea, quæ in primo operante temporale inuenitur, quem conſtat eſſe ſupremum Angelum, in quo(vt dicetur)eſt etiam æuum. Et quia operationes intellectus ſunt naturaliter priores, & ſimpliciores operationibus voluntatis, erit vnum tempus, obiectum huiuſmodi temporalium, quod eſt primò menſura operationum ſuccedentium in intellectu primi Angeli, & ex conſequenti, & extrinſecè menſura cæterarum operationum, tam ſuorum, quàm aliorum ſpiritualium, cum his tamen vt dictum eſt, ſtat quòd quaſi materialiter multiplicetur huiuſmodi tempus, iuxta numerum menſuratorum operum,eo quòd vnum, & multa, quæ conſequuntur ens, multiplicantur cum rebus iſtis. Dixi autem *quaſi materialiter*, quia non oportet, quòd omnino vniuocè ſaluetur proportio temporum noſtrorum ad tempus, cuius obiectum eſt primus motus, & proportio temporum ad ſimpliciſſimum tempus eorum,ſed ſat eſt ſi eſt quaſi talis.

Opinio authoris.

Operationes intellectus quomodo ſint priores operationibus voluntatis.

14. Contra tertiam verò propoſitionem, ſcilicet, *operatio beata menſuratur æternitate participata.* Arguit idem in quarto, diſtin. 49. quæſt. 6. Operatio beata non eſt immutabilior æuiterno: ergo non menſuratur æternitate, ſed æuo. Conſequentia nota, & antecedens probatur: tum,quia operatio beata eſt ſimpliciter minùs nobilis,quàm obiecta beati Angeli, quoniam ſubſtantia eſt nobilior accidente: tum, quia perfectio ipſius operationis beatæ, non eſt immutabilior obiecto eiuſdem operationis, quoniam id quod ineſt alicui per accidens, non eſt immutabilius eo, quod ineſt per ſe. Conſtat autem, quòd ſubſtantia operationis menſuratur æuo: ergo, &c. Præterea æternum, vt diſtinguitur contra æuiternum non ſolùm eſt totum ſimul, ſed eſt indefectibile carens potentia ad non eſſe, ſed nullum creatum eſt huiuſmodi:ergo,&c.

Septimo Metaph. cont.4.

Ad euidentiam huiuſmodi difficultatis, ſcito, quòd quamuis æuum nihil aliud ſit, quàm æternitatis participatio, diſtiguitur tamen à ſancto Tho. hoc, *in tertio contra Gentiles, c. 16. & in 4. ſenten. diſt. 49. quæſt. 1. artic. 2. quæſtio. 3.* Æternitas participata ab æuo, non ſicut perfectum à minùs perfecto in eadem ſpecie, ſed ſicut perfectius à minùs perfecto diuerſorum ordinum. Æternitas quippe cùm ſit propria menſura diuini *eſſe*,participata æternitas,conſequenter eſt propria menſura *eſſe* diuini ordinis. *Eſſe* autem diuini ordinis dico, quod impoſſibile eſt connaturale eſſe cuicunque creaturæ factæ, aut factibili, de quo in quæſtione duodecima latior erit ſermo. Æuum autẽ eſt menſura *eſſe*,immutabilis quidem,

Quid ſit æuum.

ſed

ſed naturalis ordinis,& hæc eſt per ſe primò differentia inter æternitatem participatam,& æuum. Ex hac enim,& aliæ differentiæ fluunt, & omnes difficultates ſoluuntur, quia enim operatio beata diuini eſt ordinis, ideò æternitate dicitur menſurari participatiuè.

Hinc etiam oritur vis concluſionis impugnatæ à Scoto, ſcilicet intellectus creatus non poteſt ex ſe in operationem beatam:ergo menſuratur æternitate: ex primo ſiquidem antecedente ſequitur, ergo diuini eſt ordinis; & pòſt, ergo menſuratur æternitate.

15. *Caietanus reſpondet ad primã rationem Scoti.* Vnde ad primam rationem Scoti, negatur antecedens, quoniam operatio beata, dato quòd ipſa in ſe non eſſet immutabilior æuiterno, eſt tamen immutabilioris ordinis, quia diuini, & propterea dicitur,& eſt immutabilior ſecundùm ſuum genus. Dixi autem:*dato quòd non ſit*,&c. quia minor mutatio ſufficit ad *non eſſe* operationis beatæ, quàm ſubſtantiæ Angeli,quia hæc exigit ad annihilationem, illa non. Eſt & rurſus *immutabilior*, quia plura mutabilia immutabiliùs continet: vna ſiquidem viſio beata abſque omni immutatione continet viſiones omnium ſpectantium ad vniuerſum eminenter. Nullum autem æuiternum ad hanc immutabilitatem aſcendere poteſt.

Nono Meta. tontex. 15. Ad probandum autem primum, dicitur, quòd ſicut actus eſt ſimpliciter nobilior potentia,& tamen ſubſtantia eſt ſimpliciter nobilior accidente,& ratione primi actus intelligendi eſt nobilior materia prima,ratione ſecundi,ècontra;ita in propoſito: & hæc eſt vera, quòd ſubſtantia eſt nobilior accidente. Et ſimiliter hæc quòd *eſſe* diuini ordinis eſt nobilius *eſſe* naturali, & propterea vtrumque eſt verum in diuerſis ordinibus. Subſtantia quippe Angeli eſt nobilior ſecundùm *eſſe* naturæ;operatio autem beata ſecundùm excellentiam Deitatis, & ſi propriè loqui volumus æquiuocè comparari videtur.

Ad ſecundam autem probationem negatur, quòd ſubſtantia operationis beatæ menſuretur æuo. Subſtantia enim operationis,& eius perfectio vna res numero ſunt, & eadem menſurantur menſura: vnde non ſolùm beatitudo operationis, ſed ipſa operatio beata menſuratur æternitate participata. Falſum quoque eſt, quòd perfectio non ſit immutabilior ſubſtantia operationis, eo modo quo diſtinguuntur, quoniam ſubſtantia operationis, ſi ſine perfectione beatitudinis eſſet, in inſtanti temporis diſcreti menſuraretur. Perfectio autem deitatis menſuram deitatis adducit, non eo modo, quo accidens ſuperinducitur, ſed eo potiùs modo,quo differentia generi aduenienſ naturam affert ſpecificam. Et propter ea non valet probatio in oppoſitum de Deo,quòd ineſt per accidens: conſtat enim, quòd natura generica,aut quaſi generica ſecundùm ſe non talis, aut tantæ perfectionis ſit ex perfectione differentiæ aduenientis, quæ tamen generi accidere conceditur perfectionem tantùm, vt talem aſſequitur, ita quòd vnum ens perfectum ſit, & ſic eſt in propoſito.

Cælum quomodo careat potentia. Ad ſecundam autem obiectionem principaliter dicitur,quòd propriè loquendo, beatus, vt ſic, caret potentia ad non eſſe beatum, ſicut cœlum caret potentia ad non eſſe rotũdum. Quemadmodum enim materia prima, ſi reciperet formam vnam æquiualentem omnibus formis generabilium, & corruptibilium, careret potentia ad non eſſe illius formæ, ita intellectus habens actum beatum, caret potentia ad non eſſe illius actus. Actus enim ille eſt omnium bonorum non aggregatione, ſed eleuatione perfectus,& ideò beat, ac immutabilem beatum reddit: extenſo autem vocabulo, vt arguens vtitur, vocando *potentiam non eſſe* potentiam Logicam,vel obiectiuam,dicitur, quòd æternum per eſſentiam oportet carere omni potentia ad *non eſſe*, non autem per participationem, ſed ſat eſt, vt diſtinguatur contra æuiternum diuerſitate ordinis, quia illud ſcilicet eſt ordinis æterni per eſſentiam, iſtud verò naturæ.

Contra quartam propoſitionem arguit Scotus *in ſecundo vbi ſuprà*, non aliter quàm contra primam, ſcilicet *eſſe* ſubſtantiale habet eundem manendi modum quamdiu eſt, quem habet æuiternum,quia ſucceſſione caret, &c. ergo.Sed ad hoc non oportet reſpondere aliter, quàm ſuperiùs. Non enim penes habere *eſſe* modo ſucceſſiuo, vel permanenti, diſtinguuntur menſuræ, ſed penes mutabile, & immutabile, vt dictum eſt. Sed aduerte hîc, quòd Scotus ibidem nititur ſoluere rationem ſancti Tho. ad hoc *in reſponſione ad 3. in præcedenti articulo* factam, ſcilicet quia motus eſt menſura, non tantùm motus, ſed etiam quietis: ait enim, quòd ſubſtantia bouis abſolutè menſuratur æuo, quies autem eius tempore, nec aliud ex illa ſequitur ratione. Sed hæc reſponſio non eſt ſufficiens euaſio, quoniam tempus comprobatur in litera menſurare, non ſolùm quietem, ſed rem quieſcentem; quoniam omne quieſcens eſt mobile: omne autem mutabile, ſecundùm quòd mutabile, menſuratur tempore. Conſtat autem, quòd ſecundùm ſubſtantiam nos ſumus mutabiles:ergo ſecundùm ſubſtantiam temporales,& ſtat vis rationis in hoc: Motus, & quies ſubſtantialiter accepti, id eſt, mutatio ſubſtantialis, & quies ſub *eſſe* ſubſtantiali, non ſolùm in actu,ſed in potentia menſurantur tempore:ergo *eſſe* ſubſtantiale noſtrum mẽſuratur tempore. Antecedens patet ex eo,quòd actus, & potentia ad eiuſdem ordinis menſuram ſpectat,vt ex primo cœli. & 4. Phyſic. habetur. Conſequentia autem tenet ex eo, quòd potentia talis ſubſtantialis eſt,vt decimo Metaph. dicitur. 16.

Reſpondeo, oſtendendo quòd rationes, quas facit iſte nouus expoſitor, non euacuent rationes Doctoris. Et primò ad illa, quæ dicit de ſucceſſione in menſura, & non in menſurato. Dico, quòd ſi rectè intelligeret Doctorem, non oporteret circa hoc laborare. Vnde pro maiori intelligentia, nota quòd Doctor primò non videtur tenere expreſsè hanc opinionem,ſcilicet quòd ponatur menſura ſucceſſiua, ſed ſuſtinet vtramque opinionem,ſcilicet quòd ſit menſura ſucceſſiua,vt tenet S. Bonauentura,& quòd ſit menſura indiuiſibilis, vt tenet Henricus:ſuſtinendo tamen opinione S. Bonauenturæ, dicit reſpondendo ad rationes Henrici,quòd æuum eſt menſura ſucceſſiua menſurans exiſtentiam Angeli,licèt exiſtentia Angeli ſit indiuiſibilis,& nullo modo ſucceſſiua. 17. *Quomodo Caietanus non rectè abſoluat rationes Scoti.*

Secundò nota, quòd triplex eſt menſura, pro nunc, ſcilicet permanens, & intrinſeca, & ſic quantitas permanens dicitur menſura alicuius quanti. Secunda eſt ſucceſſiua ſecundùm partem & partem, ita quòd componitur ex pluribus partibus diuiſibilibus,quarum vna ſuccedit alteri, & ſic tempus eſt menſura motus, vel vna pars motus per replicationem poteſt menſurare vnum totum motum, vt patet infrà *diſt. præſenti, qu. 2.* *Triplex menſura.*

Tertia

Tertia dicitur menſura ſucceſſiua, conſtituta ex partibus tantùm indiuiſibilibus, ſiue inſtantibus æui, ita quòd non dantur plura inſtantia ſimul, ſed ſemper vnum ſuccedit alteri, & talis menſura dicitur menſurare durationem exiſtentiæ Angeli, ita quòd dicimus, exiſtentia tantùm durauit, & durat: ſicut etiam dicimus, quòd tempus menſurat motum, ita quòd per tantùm tempus cognoſcimus motum tantum duraſſe. Et ſic menſura iſto tertio modo poteſt menſurare indiuiſibile quantum ad eius exiſtentiam tantum duraturam; ita quòd primum inſtans æui menſurat exiſtentiam Angeli poſitam pro illo primo inſtanti, & ſecundum inſtans æui ſuccedens primo inſtanti ipſius æui, menſurat eandem exiſtentiam ipſius Angeli poſita pro illo ſecundo inſtanti, & ſic deinceps.

18. *Quare dicatur menſura indiuiſibilis.*

Dicitur ergo æuum menſura indiuiſibilis, pro quanto menſurat indiuiſibiliter, ſic intelligendo, quòd illud, quod actu menſurat, eſt tantùm inſtans æui, & tranſeunte illo ſuccedit aliud menſurans indiuiſibiliter exiſtentiam Angeli. Dicitur etiam æuum menſura diuiſibilis, & ſucceſſiua accipiendo pro quodam toto conſtituto ex pluribus inſtantibus, ſibi inuicem ſuccedentibus; & ſic eſt menſura diuiſibilis, menſurans exiſtentiam Angeli diuiſibiliter, ſic quòd tota exiſtentia Angeli poſita in primo inſtanti tantùm menſuratur alio, & poſita eadem in ſecundo inſtanti, menſuratur alio ſuccedenti; & ſic patet quòmodo non eſt inconueniens eſſe menſuram aliquam diuiſibilem, & ſucceſſiuam, & menſuratum in ſe eſſe omnino indiuiſibile, licèt tamen eodem ſemper ponatur in *eſſe* pro alio, & alio inſtanti æui. Eſſet benè inconueniens dare vnam menſuram ſucceſſiuam conſtitutam ex partibus diuiſibilibus, & per conſequens ſucceſſiuis ad inuicem, menſurare indiuiſibile, & nullo modo ſucceſſiuum; quia ſi menſurat intrinſecè ſecundùm vnam partem, quæ neceſſariò eſt diuiſibilis, correſpondet menſurato diuiſibili, vt patet de tempore, quia ſi vna pars horæ, pura centeſima, menſurat vnam partem motus, neceſſariò illa pars erit diuiſibilis; & quia totus vnus motus conſtat ex partibus diuiſibilibus, ideò habet menſuram diuiſibilem, & ſucceſſiuam, & è conuerſo.

Et cùm dicit, quòd Doctor adducit Ariſtot. 4. *Phyſ. tex. comm.* 90. & 100. quòd prius, & poſterius in tempore, ſunt propter prius, & poſterius in motu. Dico, quòd benè in hoc concedit Ariſt. de tempore, & motu, quia eſt impoſſibile menſuratum, quod eſt cauſa menſuræ, eſſe ſucceſſiuum, & diuiſibile. quin menſura ſit ſucceſſiua, & diuiſibilis: nam cuilibet parti motus correſpondet aliqua pars temporis, & vtraque pars eſt diuiſibilis: & ſic vna pars temporis non poteſt ſuccedere alteri parti ſine ſucceſſione partis poſterioris motus ad partem priorem, cùm prius, & poſterius in motu ſint cauſa prioris, & poſterioris in tempore. Et fortè non eſt ſimpliciter neceſſarium eſſe tantam ſucceſſionem in menſura, quanta eſt in menſurato: patet, quia ſi daretur ſucceſſiuum habens centum partes ſecundùm quantitatem, & nòn ſecundùm proportionem, & daretur aliquod tempus habens tantùm quatuor partes ſecundùm quantitatem, & poſſet menſurare totum illum motum, & hoc per replicationem, & tamen non eſſet tanta ſucceſſio in tempore quanta in motu. Et ſimiliter ſi daretur motus habens centum partes ſecundùm quantitatem, vna pars illius per replicationem menſuraret totum illum motum, & tamen eſſet maior ſucceſſio in menſurato, quàm in menſura.

Et cùm arguit ad hominem, dicens: Si ſucceſſio in menſura ſtat cum immutatione in menſurato: ergo arguere à ſucceſſione menſuræ ad tranſmutationem menſurati, non valet, eſt ſophiſma conſequentis: & ipſe Scotus ibidem fatetur, quòd iſte proceſſus eſt bonus, & ab effectu ad cauſam, Dico concedendo eſſe ſophiſma conſequentis: quia benè valet, ſi menſuratum eſt ſucceſſiuum, & menſura erit ſucceſſiua, ſed non è contra: ideò arguitur à poſitione conſequentis ad poſitionem Antecedentis. Et cùm dicit: Scotus concedit hunc proceſſum eſſe bonum. Dico, quòd ſi totam literam Doctoris vidiſſet, non ſic faciliter diceret, quæ dicit. Nam ibi tantùm concedit de motu, & tempore, vnde ſic dicit: *Dico*, inquit, *quòd benè ſequitur, ſi partes temporis ſunt aliæ, partes motus erunt aliæ, ſi eſt ab effectu ad cauſam; ſed non eſt neceſſe, quòd in quibuſcunque partes durationis ſunt aliæ, quòd aliqua diſtinctio partium priorum ſit cauſa huius diſtinctionis, quia illa, quæ alicui eſt ſecunda, poteſt in alio eſſe prima. exemplum*, &c. Hæc ille. Alia verba, quæ dicit iſte nouus expoſitor, quia ſunt minùs honeſta contra tantum Doctorem, ſilentio tranſeo, nec recurrere ad ſimilia eſt ſoluere rationes. 19.

Et cùm vltimò dicit, quòd impoſſibile eſt indiuiſibile certificari per diuiſibile, & hoc ex propriis ipſius indiuiſibilis. Dico, vt ſuprà, quòd non eſt inconueniens: indiuiſibile enim in ſe quantùm ad ſuum *eſſe* exiſtentiæ, non certificatur per diuiſibile, ſed benè indiuiſibile tale poteſt certificari quantùm ad eius durationem: quia per aliud, & aliud inſtans æui certificatur, quòd talis exiſtentia indiuiſibilis durat per tot inſtantia, quæ conſtituunt menſuram ſucceſſiuam, & diuiſibilem in illa inſtantia. Sicut ſi, per poſſibile, vel impoſſibile, conſeruaretur vna mutatio per diem, vel vnus punctus, & daretur tempus conſtitutum ex inſtantibus, ſibi inuicem immediatè ſuccedentibus, menſuraretur menſura diuiſibili modo expoſito. Errat enim iſte, credendo quòd æuum mẽſuret intrinſeca Angeli: nam menſurat tantùm exiſtentiam eius quo ad ſuam durationem; & ſicut nec æternitas dicitur menſurare exiſtentiam diuinam in ſe, & ſimpliciter, ſed menſurat eius infinitam durationem. Et cùm vltrà dicit, quòd nunquam ſciretur quanta eſſet caro indiuiſibilis per quantitatem indiuiſibilem, ſi eius eſſet. Dico, quòd nõ eſt ſimile, quia aliud eſt loqui de menſura menſurante aliquod quantum in ſe, & de menſura menſurante aliquid quantùm ad eius durationem, vt dixi ſuprà, quia fortè indiuiſibile in ſe non poſſet certificari per aliquod diuiſibile, ſicut nec diuiſibile per indiuiſibile. Et hoc exemplum Doctoris de carne, & quantitate debet ſanè intelligi: non enim dicit, quòd tunc talis quantitas permanens menſuraret carnem non habentem partem, & partem, ſed tantùm dicit ſic: *Si poneretur caro non habens partem, & partem ſub eadem quantitate permanente, tunc eſſet ibi alietas partium in ipſa extenſione, quæ quantitas eſt abſque extenſione, vel diuiſibilitate partium eius, cui accidit talis extenſio.* Hæc ille. Et per hæc, quæ dixi, patet quid dicendum eſt de corpore Chriſti in Euchariſtia, & ſic patet improbatio, &c.

Exemplum Doctoris debet ſanè intelligi.

20. *Quomodo Caietanus non benè vidit Scotum.*

Reſpondeo, oſtendendo quòd ſolutiones huius noui expoſitoris non euacuent rationes Doctoris. Et præmitto, quòd imponat illi quæ non dicit,

dicit, imponit enim quòd ipſe ponat tres menſuras ſecundùm vniformitatem, vel difformitatem menſuratorum, &c. Sed iſte non benè fortè vidit Doctorem originaliter. Doctor enim adducit hæc contra Henricum qui poſuit hanc triplicem menſuram correſpondentem, &c. Secundò imponit Doctori quòd *eſſe* ſubſtantiæ rerum, & operationes intrinſecæ Angelorum menſurentur æuo. Sed hoc non dicit Doctor ſic ſimpliciter, & abſolutè, vt iſte imponit, imò fortè tenet, quòd nulla menſura menſurentur, vt patet *q. 3. diſt. 2. ſecundi*, vbi tandem videtur tenere, quòd exiſtentia ſuperior Angeli, &c. & ſic diceretur de exiſtentia ſuperioris intellectionis, imò in iſta materia ſemper dubiè loquitur, vt patet. Dicit ergo Doct. quòd poſito, quòd operatio Angeli menſuretur aliqua alia menſura, de qua ſuprà *in q. 3.* & poſito, quòd exiſtentia Angeli menſuratur æuo, dicit quòd operatio intrinſeca, & ſubſtantia etiam corruptibilis menſurantur æuo, cùm huiuſmodi exiſtentiæ habeant ſimilem modum, &c. Non dicit ergo abſolutè, quòd menſurentur æuo: oportet enim diligentiùs videre Doctorem ſubtilèm. Tamen poſito, quòd ſic menſurentur æuo, adhuc oſtendo, quòd non rectè improbat rationes Doctoris.

21. Cùm ergo dicit, quòd Scotus errauit manifeſtè dicens: nec aliquando non eſſe, nec poſſe non eſſe per propriam potentiam variat menſuram eius, & fundamentum eius eſt valde debile, quia ſi Angelus eſſet annihilatus, nihilominus menſuraretur æuo. Dico, quod hoc eſt verum, quòd menſuraretur æuo, & quòd non eſſe aliquando naturaliter, & non poſſe non eſſe naturaliter non variant modum menſuræ, vt clariùs intelligatur præmitto aliqua. Primò, quòd gradus intrinſecus rei non variat rationem formalem rei, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 8. q. 2. in reſponſione ad primum argumentum principale*, cùm talis gradus, & ſi ſit intrinſecus rei, eſt tamen poſterior re, cuius eſt: & ſic ponendo, quòd neceſſitas, & contingentia, finitas & infinitas ſint gradus intrinſeci, non variabunt rationem formalem rei, cuius erunt.

Fundamentum Caietani valde debile.

Gradus intrinſecus rei non variat rationẽ formalem rei.

Secundò præmitto, quòd nullus modus rei quicunque ſit ille, ſiue intrinſecus, ſiue non (cùm ſemper intelligatur poſterior re, cuius eſt, patet, quia præſupponit eam) poteſt variare formalem rationem illius, & ſic primò res eſt talis in ſe, quàm intelligatur eſſe ſub aliquo modo. Sicut etiam dicit Doctor *in primo, diſt. 3. q. 5. & in ſecundo, diſt. 1. q. 2. & 5.* quòd ad abſolutum in cauſa, ſequitur abſolutum in effectu, ita quòd effectus priùs intelligitur talis entitas in ſe, quàm intelligatur ſub iſto modo, ſiue reſpectu quo formaliter dependet. Et per conſequens nullus reſpectus ad cauſam variat rationem formalem illius, vt dicit Doctor in pluribus locis allegando pro ſe Auguſtinum: & ſic quòd Franciſcus ſit à Ioanne, vel à Sole immediatè, talis reſpectus non variat *eſſe* formale ipſius, ſiue ſit magis ab vno patre, quàm ab alio, vt notat Doctor *in ſecundo, di. 20. q. 2.*

Nullus reſpectus ad cauſam variat rationẽ formalẽ illius.

22. Tertiò præmitto, quòd ſicut eſt entitas in ſe, ita ad talem entitatem nati ſunt conſequi tales, vel tales modi: patet, quia homo formaliter eſt talis entitas: ideò ſequitur concomitanter eſſe finitum, & eſſe riſibilem, & non hinnibilem. Similiter, quia talis entitas ideò ſequitur concomitanter habere talem gradum intrinſecum. Sicut quia Deus formaliter, & quiditatiuè eſt in ſe talis entitas, ideò habet talem modum, puta infinitatem, neceſſitatem, & ſic de aliis. Et quia lapis eſt formaliter entitas, ideò repugnant ſibi iſti modi ſcilicet *infinitas*, & *neceſſitas*, & conueniunt ei *contingentia*, & *poſſibilitas*: & ſimiliter diceret Philoſophus, quia cælum eſt talis natura, ideò concomitanter conuenit ei incorruptibilitas, quia præcisè talis entitas; & ſic huiuſmodi entitates non dicuntur variari per huiuſmodi modos, licèt tales modi de neceſſitate concomitentur.

23. Quartò præmitto, quòd contingit dupliciter cognoſcere res, vel conuenire ad inuicem, puta ſpecie, genere, & huiuſmodi; vel differre, puta ſpecie, genere, &c. vel per intrinſeca & rationes formales, vel per aliqua, quæ neceſſariò concomitantur rationes formales. Primo modo cognoſcimus, quòd homo, & aſinus conueniunt genere, quia talis entitas in ſe; & differunt ſpecie, quia tales entitates ſecundo modo, quia homo eſt riſibilis, & aſinus rudibilis, & ſimiliter per huiuſmodi paſſiones quaſi à poſteriori argumentor, quòd diſtinguuntur ſpecie. Sic dico in propoſito, quòd corruptibile, & incorruptibile differunt pluſquàm genere, ſcilicet Phyſico, licèt non Logico, vt patet 10. Metaph. id eſt, quòd illa entitas, ad quam ſequitur incorruptibilitas differt genere ab illa entitate, ad quam concomitatur corruptibilitas, non enim corruptibilitas, & incorruptibilitas ſunt rationes formales diſtinguendi genere Phyſico cælum à lapide, imò ſi per impoſſibile eſſent ſeparata ab eis, adhuc genere Phyſico diſtinguerentur, ſicut ſi riſibilitas, & hinnibilitas eſſent ſeparatæ ab homine, & æquo, adhuc diſtinguerentur ſpecie, & ſic intelligitur Philoſophus. Similiter eſſe ens per ſe, & eſſe ens in alio, non variant rationem formalem, cùm non ſint de intrinſeca formali ratione, vt aliàs patebit: benè tamen concomitantur de neceſſitate, puta eſſe in alio, concomitatur accidens, & eſſe ens per ſe concomitatur ſubſtantiam, & per eſſe ens per ſe, & ens in alio, cognoſcuntur huiuſmodi entia tantùm à poſteriori. Si dicatur, ſi iſti modi non variant rationem formalem rei, ergo ſi lapidi aduenirent incorruptibilitas, adhuc eſſet lapis, & ſimiliter ſi eſſet neceſſe eſſe, eſſet lapis. Dico, quòd iſti caſus ſunt ſimpliciter impoſſibiles.

Quomodo ſit intelligenda iſta propoſitio Ariſ ſecundùm Scotum, corruptibile & incorruptibile differunt pluſquã genere. vide Scotum in 4. ſent. diſt. 5. q 10. Decimo Meta. cõtex. 26.

24. Et ſi dicatur, ponatur hoc per impoſſibile, dico quòd ex vno impoſſibili poſſunt plura impoſſibilia ſequi. Sicut ſi ponatur per impoſſibile, quòd Deus ſit riſibilis, ſequuntur multa impoſſibilia; & ſic poſſet concedi hoc impoſſibile, videlicet, quòd Deus eſſet in ſe, & tamen eſſet riſibilis, & ſimiliter lapis eſſet in ſe, & tamen eſſet incorruptibilis, & neceſſe eſſe. Sequeretur etiam, quòd non eſſet lapis, non primò, ſed tantùm concomitanter, ſicut ſi ponatur, quòd homo ſit rudibilis primò, & per ſe, ſequeretur hominem eſſe, ſtante rudibilitate, & concomitanter ſequeretur hominem non eſſe, quia rudibilitas non eſt nata ineſſe homini, ſed tantùm aſino,

Ex vno impoſſibili poſſunt plura impoſſibilia ſequi.

Ex his patet improbatio dicti illius noui expoſitoris, & quomodo dictum Doctoris ſtat in ſuo robore, videlicet quòd Angelum aliquando eſſe tantùm, & ipſum non poſſe non eſſe, non variat exiſtentiam formalem ipſius Angeli, quia aliquando eſſe, & ſemper eſſe à parte poſt, ſiue à parte antè, præſupponunt ipſum *eſſe* exiſtentiæ, & ſic per huiuſmodi poſteriora non variatur, & ſic ſequitur, quòd ſi exiſtentia Angeli tantùm duraret per horam, ita menſuraretur æuo, ſicut ſi perpetuò duraret, imò ſi ab æterno fuiſſet.

fuiſſet. Si etiam naturaliter tantùm eſſet pro aliquando, adhuc menſuraretur æuo, ſicut etiam ſi ex natura ſua non poſſet non eſſe, quia nunquam talis exiſtentia variatur, cùm poſſe eſſe naturaliter pro aliquando tantùm, & naturaliter non poſſe non eſſe, conſequatur talem entitatem, quæ fortè priùs intelligitur eſſe talis in ſe, quàm intelligatur ſub illis modis: Niſi dicatur, quòd alius, & alius modus ipſius rei requirit aliam, & aliam menſuram. Sed hoc non eſt ad propoſitum, imò eſt totaliter recedere à propoſito, vt patet. Tum etiam, quia ponitur menſuram menſurare exiſtentiam rei, vt ſuprà patuit; nec dicitur eam menſurare, quia ſub tali, vel tali modo. Dicimus enim, quòd æternitas menſurat abſolutè exiſtentiam Dei, & non ſub illa ratione, quâ eſt indefectibilis, ita quòd indefectibilitas ſit ratio formalis, quare exiſtentiæ diuinæ conueniat talis menſura, ſed talis exiſtentia eſt talis in ſe, quòd ſibi neceſſariò competit indefectibilitas.

25. Ex his etiam apparet quomodo non ſit verum, quod dicit, ſcilicet quòd ideò Angelus menſuratur æuo, quia annihilatio non competit Angelo ex natura ſua, ſed tantùm ab extrinſeco: ipſe enim, quantùm eſt de ſe, ſemper eſſet, quia iſta *ſemper eſſe*, & *non ſemper eſſe*, tantùm concomitantur talem entitatem Angeli, nec, vt dixi, variant rationem formalem ipſius, vt patuit. Tum etiam, quia falſum aſſumit, videlicet, quòd Angelus ex natura ſua ſemper eſſet, quia ex natura ſua eſt defectibilis, & annihilabilis, & niſi conſeruaretur à Deo, ſtatim annihilaretur, vt patuit ſuprà præſenti diſtinctione: omnis creatura ſubiecta eſt varietati, (vt inquit Paulus) & de hoc aliàs erit ſermo. Nec ſimiliter verum eſt, quod dicit iſta opinio, ſcilicet quòd omne menſuratum æuo eſt naturaliter æuiternum, & æuiternum naturaliter eſt perpetuum, nullum autem naturaliter mutabile eſt perpetuum. Hoc enim non probat Tum etiam, quia quæro, aut naturalis perpetuitas eſt ratio formalis, quare conueniat Angelo talis menſura, aut talis exiſtentia Angeli? Non primò, quia tunc menſura illa conueniret naturæ Angeli per rationem alicuius poſterioris. Tum etiam, quia illa perpetuitas, aut eſt ipſum æuum, aut aliquid aliud. Si primò, tunc ſequitur, quòd idem ſit ratio formalis inhærendi, & quòd ſit ipſum inhærens reſpectu eiuſdem, quod eſt impoſſibile. Si ſecundò, quæro de illo alio, aut eſt exiſtentia Angeli præcisè, & tunc habetur propoſitum, quia talis exiſtentia, cùm ſit ratio formalis, quare conuenit talis menſura, ita menſuratur æuo, ſi tantùm duret pro inſtanti, ſicut ſi perpetuò. Sicut ſi *rationale* ſit ratio formalis, quòd riſibile conueniat homini, ita erit ratio formalis inhærendi, ſi homo duraret per horam, ſicut ſi perpetuò. Si eſt aliud ab exiſtentia Angeli, aſſignetur: non videtur poſſe aſſignari, & quodcunque aſſignetur, tunc talis menſura inerit Angelo tantùm per aliquid poſterius ipſo Angelo, quia illud aſſignabile erit tantùm poſterius, vt ſuprà patuit: tum etiam, quia oporteret ipſum probare omne æuiternum eſſe naturaliter perpetuum, cùm nihil ſit naturaliter, & ex natura ſua perpetuum, ſecundùm veram fidem, cùm omnia alia à Deo ſint merè contingentia, & poſſibilia ex natura propria, & repugnat Deum poſſe facere aliquid ex natura ſua perpetuum, & neceſſarium: & de hoc ſatis patuit *in primo, diſtinct.* 2. *parte prima, quæſt. prima. diſtinct.* 8. *quæſt. vltima.* & ſpecialiter, *diſtin.* 39. vbi improbaui opinionem Thomæ: & oſtendi quomodo reſponſiones iſtius noui expoſitoris non euacuant rationes Doctoris.

Quomodo Angelus ex natura ſua ſit defectibilis.

Nihil eſt (excepto Deo) naturaliter perpetuum, ſecundū Theologos.

Cùm reſpondet ad rationem Doctoris, (ſcilicet quæcunque habent vniformem modum manendi, dum manent habent menſuram eiuſdem rationis) quòd in ſenſu compoſito eſt manifeſtè falſa. Dico, quòd fortè non vidit diligenter quæ Doctor dicit: vult enim Doctor, quòd illa, quæ habent eundem modum exiſtendi, ſcilicet permanenter, vel ſucceſſiuè habeant menſuram eiuſdem rationis: patet, quia ſucceſſiuè per ſe, vt omnes motus tantùm menſurantur tempore, cùm tempus ſit menſura motus ſecundùm prius, & poſterius, vt patet quarto Phyſicorum. Et omnia permanentia habent eundem modum exiſtendi, & generalem, quia omnia ſunt entia, quorum exiſtentiæ ſecundùm ſe totas verè permanent, ita quòd vna pars non ſuccedit alteri. Aliquæ verò habent exiſtentiam permanentem, ad quam ex neceſſitate naturæ concomitatur indefectibilitas, & talis tantùm ex natura menſuratur æternitate, vt exiſtentia diuina, quæ eſt ratio formalis, quare talis indefectibilitas conueniat ei, & ſimiliter quare talis menſura conueniat ei. Aliqua verò habent exiſtentiam, ad quam ex natura ſua neceſſariò concomitatur defectibilitas, & ſtatim deſinerent eſſe, niſi conſeruarentur à cauſa extrinſeca; & ſic omnia permanentia quæcunque ſunt illa; vel ſaltem illa, quæ non per motum acquiruntur, vt ſunt omnes ſubſtantiæ; habent hunc eundem modum ſpecialem, ſcilicet quòd ſunt exiſtentiæ permanentes defectibiles, & ſic menſura eiuſdem rationis menſurarentur: dico ergo, quòd ſi etiam propoſitio accipiatur in ſenſu compoſito, quòd eſt vera, & eſt ſenſus: quæcunque habent ſimilem modum exiſtendi, dum exiſtunt menſurantur menſura eiuſdem rationis, quia vt ſic, habent eandem rationem formalem, propter quam conuenit eis talis menſura.

26. *Caietanus non vidit diligenter Scotum.*

cont. 107.

27. Et quod dicit de primo Periher. conceditur propoſitio in ſenſu compoſito, eo modo, quo expoſita eſt *in primo, diſtin.* 39. & ſic omnia entia, dum ſunt, neceſſariò ſunt, loquendo de neceſſitate ſecundùm *quid* tantùm, & non abſoluta, vt ibi diffusè expoſitum eſt. Sic dico in propoſito de iſta propoſitione. Sicut etiam dicimus de iſta propoſitione, *homo dum eſt, neceſſariò eſt riſibilis*, quia dum eſt, habet rationem formalem quare riſibilitas inſit. Sic quæ habent ſimilem modum exiſtendi, dum actu exiſtunt tali menſura menſurantur. Et cùm dicit, quòd Doctor non loquitur, nec ponit ea adhunc ſenſum, ſcilicet compoſitum, negatur: imò patet quòd ponit eam abſolutè tam in ſenſu compoſito, quàm diuiſo, imò magis in ſenſu compoſito, vt patet intuenti. Et cùm infert, quòd nec etiam eſt vera in ſenſu diuiſo, diſtinguendo de modo manendi, vel penes neceſſarium, & poſſibile, &c. Patet reſpondendo ex ſupradictis, ſcilicet quòd menſura talis conuenit enti ratione ſuæ entitatis exiſtentis, & non ratione neceſſarij, nec poſſibilis, nec ratione defectibilis, vel indefectibilis, ita quòd talia ſint rationes formales, quare talis menſura competat eis. Sed benè dicimus, quòd æternitas conuenit diuinæ exiſtentiæ ratione talis entitatis, ad quam, neceſſariò concomitatur ex natura rei indefectibilitas: & ſic patet quomodo non percipit rectè

mentem

mentem Doctoris. Et ſi ſic intelligit Doctor, apparet ex ſupradictis, quomodo eius impugnatio nihil ſit contra Doctorẽ. Et ex his patet, quomodo reſponſio huius ad rationes Doctoris nihil concludant, nec oportet aliter eas impugnare.

45. *Rationes Caietani contra Scotum nihil concludunt.*

Ad illa, quæ dicit reſpondendo ad rationem factam contra ſecundam propoſitionem. Iſta opinio multa dicit, quæ non videntur vera. Primò cùm dicit quòd tale tempus diſcretum ſecundùm S. Thomam non eſt de prædicamento Quãtitatis, ſed tranſcendens, hoc videtur omninò irrationabile. Tum, quia menſurata, vt operationes Angelorum, non ſunt tranſcendentes, cùm ſint de Prædicamento Qualitatis, ergo nec menſura earum, cùm menſura, & menſuratum ſint vnigenea *ex decimo Metaph. text.* 4. Tum, quia ipſe expreſsè dicit, ideò tempus tale eſt diſcretum, & tranſcendens, quia & motus menſuratus eſt tranſcendens, qui motus eſt ſucceſſio operationis ſpiritualis ad aliam: quia quæro quomodo accipiat iſte motum illum diſcretum: Aut accipit tantùm pro illa ſucceſſione, qua vna operatio ſuccedit alteri, ſicut poſterius ſuccedit priori, & ſic talis ſucceſſio diſcreta menſuratur per ſe tempore diſcreto: Aut accipit illum motum pro illis operationibus ſibi inuicem ſuccedentibus: alius modus non videtur poſſe dari. Non primò. Tum, quia illa ſucceſſio aut nihil eſt; aut ſi eſt aliquid, eſt tantùm ens rationis, cùm ibi non ſit aliquid ex natura rei continuans ipſam, modò ſi menſuratum eſt vnigeneum menſuræ, ſequitur, quòd cùm mẽſura ſit realis, & menſuratũ ſit reale.

46. *Relatio realis ſemper eſt inter extrema realia. Vide Scot. in 6. q. quodlib. a. 1.*

Si dicatur, quòd talis ſucceſſio eſt relatio prioris ad poſterius ſuccedens priori, & ſic eſt realis: Sed hoc nihil eſt, quia talis relatio eodem modo menſuraretur, quo, & aliæ relationes. Tum etiam, quia relatio realis actualis ſemper eſt inter extrema realia actu exiſtentia, vt patet; ſed talia extrema actu ſimul dari non poſſunt; patet, quia poſterius ſuccedit priori, ſic quòd quando poſterius eſt, prius non eſt, aliter vnum non propriè ſuccederet alteri. Tum ſecundò, ſi accipitur ſucceſsio formaliter, quæ eſt inter priorem operationem, & poſteriorem menſurari tempore diſcreto, qua menſura menſuraretur exiſtentia operationis in ſe, cùm verè ſit menſurabilis? aut æuo, aut tempore diſcretò. Si primò, haberur propoſitum. Si ſecundò, erunt duo tempora diſcreta alterius, & alterius rationis; patet, quia operationis exiſtentia habet *eſſe* permanens, & ſucceſsio illa habet tantùm eſſe ſucceſsiuum: modò permanentis formaliter, & ſucceſſiui formaliter eſt menſura alterius, & alterius rationis. Si accipitur ſecundò, ſcilicet ſucceſſio talis pro operationibus ſpiritualibus, ſic quòd vna menſuretur vno inſtanti temporis diſcreti, & alia alio inſtanti eiuſdem temporis, ex quibus inſtantibus conſtituitur tempus diſcretum. Contrà: Tum, quia illę operationes non ſunt tranſcendentes: ergo nec menſura earum, vt dixi ſuprà. Tum, quia ſi tales operationes menſurarentur tempore diſcreto, quia vna ſuccedit alteri, ita videtur quòd viſiones noſtræ (cùm habeant ſimilem exiſtentiam vt patet: non enim fiunt ſucceſſiuè, ſed ſunt ſimul totæ, cùm ſint indiuiſibiles) menſurentur tempore diſcreto: quia vna ſuccedit alteri. Et idem dico de aliis operationibus noſtris.

47. Si vis dicere, quòd operationes Angelorum ſpirituales ſint alterius rationis. Hoc parum valet. Tum, quia alterius, & alterius obiecti ſpecie diſtincti eſt alia, & alia intellectio ſpecie diſtincta, & ſic alterius rationis: ergo darentur menſuræ alterius rationis, quod eſt abſurdum. Tum, quia viſiones noſtræ habent ſimilem modum exiſtendi, & vna immediatè ſuccedit alteri, & ſunt æquè indiuiſibiles, nec acquiruntur per motum continuum, cùm non ſint formæ acquiſibiles per motum, quia nec quantæ, ſed ſpirituales, vt aliàs patebit. Item, arguo contra hunc modum, quia huiuſmodi operationes menſurantur tempore diſcreto, quia vna immediatè ſuccedit alteri, & habent *eſſe* permanens, & indiuiſibile, &c. Quæro de formis ſubſtantialibus, quarum vna immediatè ſuccedit alteri in eadem materia, vt patet, quia in eodem inſtanti, quo corrumpitur vna forma in materia ſuccedit alia, & ſunt formę permanentes, non habentes partem, & partem in ſe, cùm non ſint nec compoſitæ, nec quantæ, nec acquirantur per motum; vt patet, qua igitur menſurabuntur? Non tempore continuo, quia illud menſurat per ſe continua ſucceſſiuè, vt patet 4. Phyſ. Si tempore diſcreto, hoc eſt contra te, qui negas ſubſtantiam defectibilem menſurari tempore diſcreto: oportet ergo aſſignare aliam rationem quare videlicet operationes ſpirituales Angelorum menſurentur tempore diſcreto.

48. Et cùm dicit, quòd quia illæ operationes ſint inſtantaneæ ſecundùm ſe, quia quælibet eſt tota ſimul, & vna immediatè ſuccedit alteri. Hoc idẽ patet de intellectionibus noſtris. Nec valet recurrere ad phantaſmata, quia ſi non poſſunt haberi immediatè, niſi priùs phantaſia habuerit actum ſuum, tamen habet à ſpecie intelligibili in intellectu poſſibili virtute intellectus agentis, & phantaſmatis, vt patuit *in primo diſt.* 3. *q. penult.* tunc intellectio indiuiſibiliter cauſatur non concurrente phantaſmate, vt ſuprà probatum eſt *in* 1. *diſt.* 3. *q.* 7. *& alibi.* Tum etiam, poſito quòd tales operationes haberentur virtute phantaſmatum: adhuc ſequitur, quòd eadem menſura, vel ſimul menſurentur: quod patet, quia in ſe, & ſecundùm ſuum *eſſe* ſunt indiuiſibiles, & ex natura inſtantaneæ, & totæ ſimul, & ſibi ſuccedentes: ergo ſequitur propoſitum. Nec valet dicere, quòd habeantur miniſterio phantaſmatum, quia reſpectus ad aliud, abſolutè non variant naturam rei: Etiam multæ intellectiones Angelorum cauſantur partialiter ab iſtis inferioribus, vt patet infrà *in iſto* 2. *diſt.* 3. *q.* 11. *ſiue vltima*, & tamen non negaretur illas menſurari æuo, ſecundùm Doctorem, & ipſi haberent concedere, quòd adhuc menſurarentur tempore diſcreto.

Omnia permanentia deſinerent eſſe, niſi potenti manu Dei conſeruarentur.

Item, cùm dicit, quòd tales operationes habẽt ex natura ſua tantùm *eſſe* inſtantaneũ: hoc parum valet ad propoſitum ſuum, quia etiam omnia permanentia quæcunque ſint illa, ex ſua natura habent *eſſe* inſtantaneum, & ſtatim deſinerent eſſe, niſi potenti manu Dei conſeruarentur pro quolibet inſtanti, vt aliàs patebit. Et multa alia poſſent adduci, quæ breuitatis causâ omitto.

49. Et quod addit, quòd quia operationes intellectus ſũt naturaliter priores, & ſimpliciores operationibus voluntatis, erit vnũ tempus omniũ huiuſmodi temporalium, quod eſt primò menſura operationũ ſuccedentium in intellectu primi Angeli, & ex conſequenti, & extrinſecè erit menſura aliarũ operationũ tam ſuarum, quàm aliorum ſpiritualium, &c. Certè miror, quod iſte dicat huiuſmodi ad mentem Thomæ, cũ Thomas talia non dicat, vt patet intuenti Thomã. Tum etiã oporteret eũ

probare, quòd operationes intellectus Angelici ſint ſimpliciores operationibus voluntatis, cùm ſint æquè indiuiſibiles, & nullo modo compoſitæ. Nec iſte reſpectus prioritatis facit ad propoſitum eius, quia quæritur tantùm de operationibus in ſe abſolutè. Tum etiam mirum eſt, quòd iſte dicat, quòd operationes voluntatis Angeli menſurentur extrinſecè menſura, qua intrinſecè menſurantur operationes intellectus Angelici, cùm ſint in ſe formaliter ita indiuiſibiles, & ad inuicem ſuccedentes, & ita ſpirituales, & fortè, & ſine *fortè* perfectiores, vt probabitur domino Duce *in* 4. *diſtinctione* 49. Mirum etiam eſt, quòd non habeant formaliter, & intrinſecè menſuram: Cùm etiam omnes motus particulares, & ſi menſurentur tempore vniuerſali extrinſecè, menſurantur tamen ſuo tempore particulari, & intrinſecè, vt patet. Multò fortiùs iſtæ operationes menſurabuntur tempore diſcreto formaliter, & intrinſecè. Et vltrà, ſi menſura perfectior menſurat alia imperfectiora extrinſecè, magis erit dicendum, quòd menſura operationum voluntatis erit menſura extrinſeca reſpectu operationum intellectus, quia ſi menſuratum perfectius, & menſura erit perfectior, & ſimplicior, etiam ſecundùm iſtum nouum expoſitorem, vt ſuprà patuit. Cùm ergo voluntas Angeli ſit valde nobilior, & excellentior intellectu ipſius Angeli, vt probabitur in quarto diſtinct. quadrageſimanona, ſequitur quòd eius operationes ſint etiam perfectiores, & ſic patet intentum.

50.

Ad illa quæ dicit reſpondendo ad rationes Doctoris contra tertium articulum. Dico primò, quòd multa dicit antequam ſoluat rationes eius, quæ non videntur vera. Primò de illa æternitate participata, quæ ponitur menſura operationis beatæ, quæ operatio pertinet ad *eſſe* diuini Ordinis non videtur verum. Tum, quia ſunt multa alia, quæ hoc modo pertinent ad *eſſe* diuini Ordinis, patet de cognitione Dei, quam habuerunt Angeli ſub ratione propria Deitatis, & hoc ante eorum beatitudinem, & tamen talis cognitio non menſurabatur æternitate participata; patet, quia ipſi volunt, quòd operatio intrinſeca Angeli non beata menſuratur tempore diſcreto, vt ſuprà patuit, & quòd talis cognitio ſit, ſiue pertineat ad *eſſe* diuini Ordinis. Patet, quia tale *eſſe* non eſt connaturale creaturæ factæ vel factibili (vt ipſe exponit *eſſe* diuini Ordinis) patet quia talis cognitio non poteſt haberi via naturali. Similiter quærendum eſſet de cognitione, quam habuerunt, vel habere potuerunt, ante beatitudinem, de futuris contingentibus quæ tantùm cognoſci potuerunt per diuinam reuelationem, quomodo menſurabatur: non æternitate. Patet, quia talis cognitio ante beatitudinem non fuit beata, etiam poſito, quòd illam habeant in beatitudine, adhuc talis non poteſt dici beata, vt patet *in* 4. *diſtinct.* 10. *&* 45. *quæſtione vltima*: nec menſurabatur tempore diſcreto, quia talis cognitio nulli creaturæ eſt connaturalis.

51. *Caietanus nõ euacuat rationes Scoti.*

Secundò dicit, quòd æuum eſt menſura *eſſe* immutabilis, ſcilicet naturalis ordinis, hoc improbatum eſt ſuprà, vt patuit. Item, videtur ſimpliciter, quòd operatio beata ita menſuretur æuo, ſicut & non beata; & poſſent adduci rationes factæ ſuprà pro operatione intrinſeca Angeli. Sed quidquid ſit de iſtis, iſte tamen expoſitor non euacuat rationes Doctoris contra Thomam. Cùm primò dicit, quòd talis viſio eſt immutabilior æuiterno. Quia minor mutatio ſufficit ad *non eſſe* operationis beatæ, quàm ad *non eſſe* ſubſtantiæ Angeli, quia hæc exigit annihilationem, illa non. Hoc non videtur, quia ita illa eſt Michaelis, ſicut & ſubſtantia Angeli, quia ex quo dicit eſſe diuini Ordinis, non definit eſſe, niſi per annihilationem. Et etiam poſito hoc, adhuc non ſequitur, quòd ſit immutabilior, quia hîc *immutabile* accipitur pro eo quod ex natura tali eſt magis duratiuum, & ſic ponitur ab iſtis *eſſe* Angeli immutabile, quia ex natura ſua habet *eſſe* perpetuum, quale *eſſe* non habent alia inferiora; & ſic ſimiliter *eſſe* participatum diuini Ordinis dicetur magis immutabile ex hoc, quòd ex natura talis *eſſe* habet durare. Quæro modò à te quod eſt magis durabile, an *eſſe* Angeli, an *eſſe* talis operationis? Si dicis quòd *eſſe* talis operationis, quæro à quo habent, vt poſſit ſic immutabiliter ineſſe, aut ex natura ſua, aut à Deo tantùm. Si primò, ergo ſimiliter, & *eſſe* Angeli, quia ex natura ſua habet *eſſe* immutabile, & perpetuum ſecundùm te. Si ſecundò, ergo ſicut Angelus voluntate Diuina poteſt habere tale *eſſe* immutabile, ſequitur quòd menſuretur æternitate participata. Ille enim reſpectus, quòd ſcilicet dicatur beata, ſiue quòd terminetur ad obiectum beatificum: non videtur cauſa, quare magis menſuretur æternitate, quàm non terminaretur ad tale obiectum in ſe, quia talis reſpectus non variat exiſtentiam ipſius, cùm priùs ſit talis in ſe, quàm terminetur ad obiectum, vt patet à Doctore *in quodlib.* quæſtione quartadecima. Similiter non videtur multùm ad propoſitum quod dicit, quòd ideò eſt immutabilior, quia plura immutabilia continet eminenter, &c. & per conſequens debeat menſurari æternitate participata, quia ſi ſic tunc ſequeretur, quòd ſupremus Angelus eſſet immutabilior ex natura ſua, quod ipſi non concederent, vel ſi concederent, oporteret in eo ponere aliam menſuram à menſura æui, quòd eſt omninò inconueniens ſecundùm etiam eos. Et plura eſſent hîc dicenda, quæ tranſeo breuitatis cauſâ.

Quomodo eſſe Angeli ſit immutabile.

52. *Actus eſt nobilior potentia, verũ eſt de aliquo actu, ut anima eſt perfectior corpore.*

Et cùm dicit ad probationem, quòd actus eſt ſimpliciter nobilior potentia, & tamen ſubſtantia eſt ſimpliciter nobilior accidente, & ratione primi, actus intelligendi eſt nobilior materia prima, & ratione ſecundi è contra, ita in propoſito, &c. Iſta propoſitio non videtur ſimpliciter vera, ſcilicet quòd actus ſit ſimpliciter nobilior potentia, loquendo de potentia ſubiectiua, quia tunc albedo eſſet nobilior obiecto, cùm ſit eius actus accidentalis. Et ſi actus ſit nobilior, erit tantùm ſecundùm *quid*, pro quanto aliqualiter perficit; & ſi ponatur, quòd ſit ſimpliciter nobilior potentia, debet intelligi de potentia obiectiua. Et quomodo actus dicatur prior potentia definitione, tempore, & perfectione. vide 9 Metaph. *text. com.* 13. vſque ad *text com.* 19. incluſiuè. Et cùm concedit, quòd ſubſtantia eſt nobilior accidente, & *eſſe* diuini Ordinis nobilius *eſſe* naturali, hoc nihil eſt, quia ſubſtantia eſt ſimpliciter, & abſolutè nobilior omni accidente, vt patet 7. Metaphyſ. text. com. 4. accidens autem non poteſt dici ſimpliciter, & abſolutè perfectius aliqua ſubſtantia, ſed tantùm ſecundùm quid, puta quia aliqualiter perficit. vel quia vnit obiecto perfectiſſimo, ſicut viſio beata.

Et

Et ideò ſtat ratio Doctoris, quòd cùm *eſſe* æuiterni, vt *eſſe* Angeli ſit ſimpliciter perfectius ipſa operatione beata, quòd ſi ipſa menſuratur æternitate, quòd magis *eſſe* ipſius Angeli, vel ſi *eſſe* Angeli menſuretur æuo, quòd etiam operatio beata.

53. Ad illud, quod dicit negando ſubſtantiam operationis beatæ menſurari æuo, quòd ſubſtantia operationis, & eius perfectio vna res numero ſunt, eadem menſurantur menſura: quæro quid accipit per ſubſtantiam operationis? Aut accipit ipſam operationem abſolutè, aut ipſam cum illo reſpectu, quo dicitur beata. Si primò, illa ſecundùm te menſuratur inſtanti temporis diſcreti. Si ſecundò, tunc erit vnum ens per accidens, & ſic non erit eius per ſe aliqua menſura. Deinde quæro de illa perfectione, qua dicitur beata, aut eſt aliquid intrinſecum, & de eſſentia illius, aut extra eſſentiam illius, & tantùm accidens ei. Non primum, patet, quia operatio ex hoc dicitur beata, quia terminatur ad obiectum beatificum, & vt ſic includit relationem ad illud, & relatio non eſt de eſſentia abſoluti, vt patet, operatio autem eſt qualitas abſoluta, vt probat Doctor *in quodlibet. quæſtione* 13. Si ſecundò, ergo ſtat argumentum Doctoris, quòd talis ſubſtantia operationis erit immutabilior tali accidente, ſine tali perfectione adueniente ſibi.

Quomodo operatio dicatur beata.

Nec valet dicere, quòd talis perfectio non ſit ei accidens, ſed quæritur differentia aduenies generi. Hoc eſt enim manifeſtè falſum, quia quæro cui generi aduenit? Si operationi tali, ergo ſub illa operatione conſtituitur aliqua ſpecies perfectior tali operatione, & ſic operatio beata erit vna per ſe ſpecies, quod non videtur: tum etiam, quia (vt dixi) talis perfectio, quâ operatio dicitur actu beata, eſt relatio (vt dixi) talis non aduenit generi de genere abſolutorum, vt differentia contrahens. Ex his patet ad alia, quæ ſequuntur, & præcipuè ad illa, quæ dicit reſpondendo ad rationes contra quartam propoſitionem, patet ex his, quæ dixi reſpondeo ad illam, quæ ipſe dixit ſecundam propoſitionem, & ad primam.

54. *Caietanus reprehendit Scotum.*

Quidam nouus expoſitor primæ partis Sancti Thomæ in prima parte, quæſtione decima, articulo ſexto, ſiue vltimo, reprehendit Scotum, ponentem primum æuiternum non menſurari æuo. Vnde ſic dicit: Ad euidentiam igitur huius, ſcito quòd æuiternum non menſuratur æuo, ſiue intrinſecè, ſiue extrinſecè, per modum quantitatis continuæ, aut ſucceſſiuæ, aut etiam diſcretæ, ſed per modum vnitatis: quoniam æuum eſt indiuiſibile, & totum ſimul.

Cùm enim æuum ſit vnitas immutabilis vitæ immutabilitati coniunctæ, quanto aliquod immutabile minùs eſt immutabilitati coniunctum, tantò eſt immutabilius, & minùs compoſitum, ac per hoc ſimplicius, ac conſequenter magis vnum: ſupponimus autem nunc, quòd æuiternum quantò inferius tantò pluralitati maiori coniunctius eſt: vnde & habet ſpecies minùs vniuerſales, & operationes minùs ambientes locorum, aut corporum: & propterea ſupremum æuiternum tanquam maximè immutabile inter immutabilia ſic, id eſt, immutationi iuncta, eſt maximè vnum & conſequenter ex natura ſua habet vnde per acceſſum, & receſſum ab eo cætera æuiterna, vt ſic, menſurantur extrinſecè.

Ad Scotum ergo, negatur minor, ſcilicet nihil eſt notius ex natura rei primo æuiterno. Dico namque, quòd æuum exiſtens in primo æuiterno, ſiue ſit eius ſubſtantia, aut exiſtentia, ſiue non, eſt notius in ratione menſuræ ipſa æuiterni ſubſtantia, vt immutabilis, quoniam æuum nihil aliud eſt, quàm vnitas, per modum menſuræ talis immutabilitatis, ac per hoc ipſum æuum eſt ipſa vnitas formaliter, cui primo debetur ratio menſuræ, vt patet quarto, & decimo Metaphyſicæ. Subſtantia autem ſic immutabilis eſt denominatiuè vna, & hanc denominationem importat ly *æuiternum*, conſtat autem vniuerſaliter, quòd id, quod eſt formaliter tale, eſt notius, & certius ex natura rei eo, quod eſt denominatiuè tale. Quamuis igitur ſubſtantia Angeli ſit ſimpliciter notiſſimum omnium, quæ in eo ſunt, æuum tamen in genere, ſeu in ratione menſuræ eſt notius illius ſubſtantia. Sicut quamuis ſubſtantia corporea ſit notior ſecundùm ſe quantitate, in genere tamen menſuræ quantitas eſt notior ſecundùm ſe. Hæc ille nouus expoſitor.

Æuum nihil aliud eſt, quàm vnitas per modum menſuræ talis immutabilitatis.

55. Reſpondeo, & dico primò, quòd non bene ſcrutatus eſt verba Doctoris ſubtilis. Primò enim dicit diſtinct. 2. quæſtione 2. artic. vltimo, quòd non apparet neceſſitas ponendi aliquam menſuram intrinſecam aliam realiter ab exiſtentia Angeli, quia talis menſura eſſet poſterior exiſtentia Angeli, vt patet, & ſic ſi Angelus non poſſet eſſe ſine tali menſura intrinſeca, tunc eſſet idem realiter, vt probat vbi ſuprà articulo primo contra Henricum. Si verò poteſt eſſe ſine tali menſura, ergo non eſt neceſſe ponere talem menſuram in exiſtentia Angeli.

Nec valet dicere, quòd talis menſura ſit eadem realiter cum exiſtentia Angeli, quia menſura eſt realiter cum exiſtentia Angeli, quia menſura eſt realiter aliud à menſurato, cùm ſit certior ipſo menſurato, vt dicit Doctor in quæſtione tertia, & ſic non apparet talis neceſſitas ponendi æuum menſuram intrinſecam exiſtentiæ Angeli, vt dicit Doctor in quæſtione ſecunda, & tertia: & ſic negatur æuum, vt menſura non tantùm à primo Angelo, ſed etiam ab omni Angelo.

Et ſi iſte nouus expoſitor intendit improbare Doctorem de huiuſmodi menſura, quaſi Doctor neget eam à primo Angelo tantùm, & non ab aliis Angelis, patet quomodo non percipit nec verba, nec mentem Doctoris, cùm ipſe Doctor neget eam ab omni exiſtentia Angelorum.

Si verò iſte expoſitor intendat probare æuum eſſe menſuram intrinſecam reſpectu exiſtentiæ Angelorum ſic, quòd talis menſura neceſſariò conueniat exiſtentiæ Angelorum, tunc habet ſoluere rationes Doctoris, quia aut ponitur eadem realiter, aut diſtincta realiter, & poſterior exiſtentia Angeli. Non primò, quia omnis menſura realiter diſtinguitur à menſurato. Non ſecundò, quia tunc exiſtentia Angeli poſſet eſſe ſine ipſa, & ſic non eſſet ſimpliciter neceſſaria.

Caietanus non percipit mentem Doctoris.

Si verò iſte expoſitor intendat loqui de æuo prout Doctor loquitur, diſt. 2. quæſtione 2, ſecundùm ſecundum, & tertium modum, ſcilicet quod *æuum* ſecundùm ſecundum modum accipiatur, pro qualibet exiſtentia ſuperiori, & ſimpliciori, & ſic quælibet exiſtentia ſuperior, cùm ſit perfectior, vt nata certificare de exiſtentia inferiori, erit menſura extrinſeca exiſtentiæ

inferioris. Vel tertio modo, ſcilicet, quòd *æuum* dicatur illa exiſtentia ſimpliciſſima, quæ ex ratione ſua formali,& in ſe eſt certiſſima,& primò nota,nata certificare de aliis:& ſic prima exiſtentia ſupremi Angeli poteſt dici *æuum*, reſpectu aliarum exiſtentiarum inferiorum Angelorum.Et ſic vtroque modo accipit Doctor *æuum* pro exiſtentia ſimpliciori Angelorum.

Quomodo in ſupremo Angelo nullum ſit æuum.

Et ſic patet,quòd loquendo de *æuo* iſtis modis, quòd in ſupremo Angelo nullum ſit æuum: patet, quia nulla exiſtentia alterius Angeli eſt ſuperior, & ſimplicior, quia tunc exiſtentia ſupremi Angeli non eſſet ſimpliciter ſuprema.

Et ſic patet quomodo iſte in vanum laboret in exponendo quæ dicit, & in reſpondendo rationi Doctoris, quam certè non percipit, cùm ignoret ad quem ſenſum faciat illam. Illa enim ratio ponitur à Doctore vbi ſuprà,quæſtione ſecunda,& probat quòd non apparet neceſſitas ponendi æuum, vt menſuram intrinſecam reſpectu cuiuſcunque Angeli,& non facit præcisè de ſupremo, Angelo,vt patet intuenti literam.

Aduerte etiam quòd iſte nouus expoſitor multa dicit,quæ in ſe videntur omninò falſa.

Quod dicit de æuo,quòd eſt vnitas indiuiſibilis, habet probare, & reſpondere ad rationes factas in prima quæſtione pro opinione D. Bonauenturæ, quas non ſoluit, nec memoriam de eis facit.

Et ſimiliter habet probare,quòd æuum ſit tantùm vnitas indiuiſibilis, & non aliquod ens, de quo verificetur vnitas talis.

10.Metaph. cap.

Et quod dicit ſecundùm Philoſophum 10. Metaph. quòd menſura eſt tantùm vnitas. Legat diligentiùs textum Philoſophi,& inueniet ibi quomodo non ponitur ipſa menſura tantùm vnitas, ſed aliquid,cui conuenit vnitas. Et vide quæ expoſui in primo diſtinctione 8. quæſt. 2. vbi oſtenditur, & ſecundùm verba, & intentionem Ariſtotelis, quòd menſura non accipitur tantùm pro vnitate.

In iſta quæſtione quarta occurrunt aliqua dubia, principaliter circa iſtas quatuor concluſiones.

Concluſio prima: *Neceſſe eſt eundem actum beatificum eadem menſura menſurari, & vt habet eſſe ſupernaturale ab agente primo, & naturale à ſecunda cauſa.*

Concluſio ſecunda: *Operationes intrinſecæ Angelorum nullo modo menſurantur tempore, ſed tantùm menſurantur æuo, poſito quod menſurentur.*

Concluſio tertia: *Solùm illa forma dicitur menſurari tempore, ſecundùm quam nata eſt fieri propriè ſucceſſio.*

† Concluſio quarta:*Subſtantia generabilis,& corruptibilis tantum pro primo inſtanti ſui eſſe eſſentialiter dependet à generante, & per tempus ſequens à Deo conſeruante.*

58. Contra primam concluſionem arguitur primò: aut ponitur æuum menſurare actum illum, vt abſolutè ſumptum; aut ſub illis reſpectibus, ſub quibus conſideratur, vt eſt ab agente naturali,vel ſupernaturali. Non primò,quia vt ſic,non dicitur ſupernaturalis, quia ſupernaturalitas ſumitur per comparationem ad agens ſupernaturale,vt patet à Doctore *in quæſt.1.prologi.* Non ſecundò,tum, quia vt ſic,eſt tantùm vnum per accidens,cuius non poteſt aſſignari menſura per ſe. Tùm, quia talis reſpectus primò menſuraretur æuo: patet, quia non dicitur beatificus, niſi vt ſupernaturalis.

Secundò arguitur,quia actus beatificus dicitur ſimpliciter ſupernaturalis,quia primò, & principaliter ab agente ſupernaturali:ergo,& ſic primò, & principaliter menſuratur æuo, non autem vt eſt ab agente naturali.

Reſpondeo, quòd actus ille dicitur beatificus ex hoc,quòd terminatur ad obiectum beatificum, non autem ex hoc,quòd eſt ab agente ſupernaturali,vt patet à Doctore *in 1.diſt.1.* & vt ſic menſuratur æuo.Quòd modò ille actus ſit ab agente ſupernaturali, ſiue naturali, non refert, quia menſuratur æuo, vt præcisè eſt talis actus, cui accidit ſic,vel ſic produci: quia tamen in eodem inſtanti habet *eſſe* tam ab agente ſupernaturali, quàm naturali, ideò ſequitur,quòd ita erit menſuratus æuo,vt eſt ab agente naturali, ſicut à ſupernaturali,& ſic reſpectus naturalitatis non tollit à tali reſpectu quin menſuretur æuo.

59. *Intellectio Angeli poteſt intendi, & remitti.*

Contra ſecundam arguitur ſic primò:intellectio Angeli poteſt intendi, & remitti vt patet à Doctore *in 1.diſtinct.3. quæſt.7. in 2.diſt.42.* ergo poteſt acquiri continuè ſecundùm intenſionem: ergo talis acquiſitio intẽſiuè mẽſurabitur tẽpore.

Secundò, omnit forma menſuratur tempore continuo, quæ continuè,& ſucceſſiuè acquiritur; ſed intellectio Angeli, quæ intenſiuè acquiritur eſt huiuſmodi, quia ipſa producta in aliquo inſtanti per tempus immediatè ſequens poteſt intendi ſucceſſiuè, ergo.

Tertiò, pono quòd intellectio lapidis fiat ab Angelo in inſtanti æui, correſpondente inſtanti temporis noſtri, quod dicatur *A*. & in alio inſtanti æui fiat intellectio ligni. Quæro cui reſpondebit in tempore noſtro?aut inſtanti,cui correſpondet primum inſtans æui; aut inſtanti immediato;aut inſtanti temporis noſtri immediato. Non primò,quia duo inſtãtia æui,quorum vnum ſuccedit alteri, non poſſunt correſpondere vni inſtanti temporis noſtri. Non ſecundò,quia tunc darentur duo inſtantia immediatè in tempore noſtro. Non tertiò, quia tunc oporteret Angelum quieſcere per aliquod tempus in intellectione lapidis, quod videtur inconueniens:ergo correſpondebit tempori immediato inſtanti temporis, cui correſpondebat primum inſtans æui:ergo intellectio ligni acquiritur ſucceſſiuè, & per conſequens in tempore. Reſpondeo ad primum, quòd ſi gradus intenſionis formæ ſint diuiſibiles in ſemper diuiſibilia,vt quidam tenent, quòd talis intellectio poterit acquiri per motum, & ſucceſſiuè, & ſic menſurari tempore, niſi dicatur ſupple,quòd motus ille,quo intenſiuè acquiritur, ſit verè ſucceſſiuus, & ſic menſuretur tempore, licèt intellectio acquiſita menſuretur æuo, cùm habeat eundem modum exiſtendi,ſicut exiſtentia Angeli.

60. *A quo cauſatur motus.*

Dico tamen, quòd motus propriè ſecundùm Philoſophum, ſit, ſiue cauſatur ex diuiſibillitate, vel ſubiecti mobilis,vel ſpacij alicuius, vt patet à Doctore infrà:*q.9. & in quodl q.11.* ita quòd partes talis diuiſibilis verè continuantur alio, & alio indiuiſibili: modò forma, vt præcisè accepta ſecundùm intenſionem,etſi habet gradus; non tamen partes:,& poſito etiam quòd quilibet gradus ſit diuiſibilis in infinitum, non tamen conſtat, quòd vnus continuetur alteri per aliquod indiuiſibile, quia tale non videtur poſſe aſſignari, & quomodo dicatur motus intenſionis,

Parebit

patebit infrà. Si verò dicatur, quòd quilibet gradus intentionis ſit indiuiſibilis intenſiuè, ſi acquiritur in ſubiecto indiuiſibili, acquiſitio ſecundùm vnum gradum menſurabitur inſtanti æui, vel correſpondente vni inſtanti temporis noſtri, vel alicui parti temporis noſtri. Exemplum primi, ſi intellectus Angeli quieſcat per horam ſub priuatione intellectionis lapidis, poterit in inſtanti æui correſpondente vltimo inſtanti illius horæ eſſe ſub intellectione lapidis. Exemplum ſecundi, ſi quieſcat etiam in vltimo inſtanti illius horæ, tunc in inſtanti æui correſpondente tempori immediato ad vltimum inſtant horæ poterit eſſe ſub intellectione lapidis vnius gradus intenſionis, & ſi pòſt intendatur ſecundùm alium gradum, adhuc in inſtanti æui correſpondente inſtanti temporis noſtri, vel alicui parti temporis noſtri poterit eſſe ſub ſecundo gradu. Exemplum primi: Si primus gradus acquiratur in inſtanti temporis noſtri, ſecundus gradus non acquiritur in inſtanti immediato, ſed vel in tempore immediato, & ſi acquiritur in inſtanti mediato oportet quieſcere per tempus inter medium.

Exemplum primi.

Exemplum ſecundi.

61. Si verò primus gradus acquiratur in inſtanti correſpondente tempori noſtro, ſecundus gradus poterit acquiri in vltimo inſtanti illius temporis, & tertius gradus poterit acquiri in tempore immediato, vel in inſtanti vltimo illius temporis, & tunc oportet quieſcere per illud tempus medium, & ſic de aliis gradibus, ſi ſucceſſiuè acquirantur. Sed nunquid poteſt continuè intendi, puta vſque ad octo gradus, ita quòd nulla quies media, vel quaſi quies interponatur? Dico quòd ſi acquirantur octo gradus in 8. inſtantibus æui ſibi inuicem ſuccedentibus, tunc oportet ſic ponere, quòd primum inſtans æui correſpondeat alicui inſtanti temporis noſtri; & ſecundùm inſtans æui alicui parti temporis immediatè ſequentis; & tertium vltimo inſtanti illius partis temporis; & quartum inſtans alij parti temporis immediatè ſequentis vltimum inſtans alterius partis, & ſic deinceps. Si verò primum inſtans æui correſpondeat alicui parti temporis. Secundum inſtans æui correſpondebit vltimo inſtanti illius temporis, & tertium inſtans æui correſpondebit tempori immediatè ſequenti, & ſic deinceps. Et hoc modo æuum continuatur cum aliquo toto tempore noſtro; non enim quando inſtantia æui continuantur tempori noſtro, puta vnius horæ, correſpondent præcisè diuerſis inſtantibus illius horæ, quia non immediatis, vt patet, nec mediatis; quia tunc in tempore medio eſſet quies: & ſic inter duo inſtantia æui eſſet quies media correſpondens tempori noſtro medio inter illa inſtantia, quibus correſpondent inſtantia æui: vnum ergo inſtans æui correſpondet præcisè vni inſtanti temporis, & ſecundum inſtans æui tempori immediato.

62. Nec valet dicere, quòd quilibet gradus eſt acquiſibilis in inſtanti, ergo non poteſt acquiri in tempore; quia, vt dicit Doctor *in tertio diſtinct.* 3. anima Virginis potuit eſſe in peccato præcisè per inſtans, & in tempore immediato ſub gratia, quæ tamen eſt indiuiſibilis, alitèr daretur inſtans immediatum inſtanti. Et quamuis quilibet gradus ſit producibilis in inſtanti, ita quòd agens circa paſſum diſpoſitum poteſt in inſtanti producere gradum, ſi tamen producit plures gradus & non in eodem inſtanti; ſi in tali productione nulla mediet quies, neceſſariò habet producere primum in inſtanti, & ſecundum in tempore immediato, vel ſi primum in tempore, ſecundum producet in vltimo inſtanti illius temporis, & tertium in tempore immediato, vt dixi ſuprà. Et hoc non eſt ex defectu agentis, neque paſſi; quia ſicut agens poteſt producere vnum in inſtanti, ita alium in alio inſtanti: & ſimiliter ſicut paſſum poteſt recipere vnum in vno inſtanti, ita alium in alio inſtanti, ſiue mediato, ſiue immediato; ſed repugnantia eſt, quia vnum inſtans temporis noſtri nullo modo poteſt eſſe immediatum alteri inſtanti. Si loquamur de intellectione noſtra, & ponamus, quòd acquiratur intenſiuè in tempore, pariformiter eſt dicendum, videlicet, vel quia oportebit quieſcere per aliquod tempus, puta ſi in inſtanti acquiratur primus gradus indiuiſibiliter, & in tempore immediato acquireretur ſecundus gradus indiuiſibiliter, in vltimo inſtanti illius temporis acquireretur tertius gradus indiuiſibiliter, & ſic continuatur talis ſucceſſio, non tamen per motum aliquem, cùm ibi nihil acquiratur partibiliter, nec ex parte ſubiecti eſt diuiſibilitas, nec ex parte formæ, cùm non ſit ibi partium diuiſio, propter quam fit ſucceſſio in motu, quia continuum diuiſibile habet partes copulatas per aliud, & aliud indiuiſibile, vt patet de quanto molis. Modò gradus formæ ſi ponantur indiuiſibiles non continuantur ad inuicem, quia non continuatur indiuiſibile continuans eos, vt patet.

Anima Virginis potuit eſſe in peccato præcisè per inſtans.

63. Si ibi non eſt propriè motus, cùm continuè acquiritur intenſiuè intellectio ſecundùm alium & alium gradum, quomodo talis acquiſitio continua menſuratur tempore, cùm tempus ſit menſura motus? Dico, quòd propriè non menſuratur tempore intrinſeco, licèt fiat in tempore vniuerſali, ſicut ponendo, quòd Deus in inſtanti *A* creet vnam animam, & immediatè pòſt ipſam annihilet, talis annihilatio fit in tempore immediato ad inſtans creationis, & tamen non menſuratur tempore, licèt correſpondet tempori noſtro. Sic in propoſito, multa enim fiunt in tempore, id eſt, non in inſtanti, quæ tamen non menſurantur tempore. Solus enim motus propriè menſuratur tempore. Si dicatur, ſi gradus ſecundus non menſuratur tempore propriè, ergo nec primus gradus, ſiue productio illius non menſuratur inſtanti temporis. Concedo, quòd non per ſe menſuratur inſtanti temporis, quia omne tale eſt aliquod *mutatum eſſe*, quod vel eſt principium vnius partis motus, & finis alterius, vel eſt tantùm finis, ſicut eſt vltimum *mutatum eſſe* alicuius motus.

Solus motus menſuratur tempore.

Ad ſecundum patet ex ſupradictis. Ad tertium ſimiliter patet. Dico enim quòd tale inſtans æui correſpondet tempori immediatè ſequenti. Poſſet etiam correſpondere inſtanti mediatè ſequenti, ſi quieſceret per tempus intermedium, quæ omnia benè nota & pondera.

64. Contra tertiam concluſionem arguitur ſic, primò ſecundùm qualitatem, puta ſecùndùm qualitatem, quæ eſt caliditas, nata eſt fieri alteratio in tempore, & tamè ipſa caliditas non menſuratur tempore. Probatur; & pono quòd punctus de genere Quantitatis poſſit in tempore alterari ſecundùm caliditatem, vt patet à Doctore *in* 2.

diſtinct. 2. quæſt. 9. & tamen iſta alteratio non menſurabitur tempore, nec per conſequens ipſa caliditas acquiſita in puncto. Nam omnis alteratio, quæ tempore menſuratur eſt ſucceſſio continua. Quæro vnde ſit iſta ſucceſſio? Non à puncto, cùm ſit ſimpliciter indiuiſibilis, ideò non poteſt priùs ſecundùm vnam partem alterari, & poſteriùs ſecundùm aliam. Non ratione caliditatis, quia vt acquiritur in puncto non habet partes, & partes, quæ continuentur ad inuicem, cùm hoc ſit tantùm ratione quantitatis continuę, & in puncto nullo modo eſt quantitas; ergo ſucceſſio erit præcisè, quia nata eſt acquiri intenſiuè in puncto, & gradualiter. Et tunc quæro an illis gradus ſint diuiſibiles, aut indiuiſibiles? non primò, quia ſi vnus gradus caliditatis intenſionis ſit diuiſibilis in infinitum, tunc quælibet gradus eſſet infinitus intenſiuè, quia includeret infinitas perfectiones, cùm quilibet, in quos diuiditur, dicat perfectionem aliquam. Nec valet dicere, (vt aliqui dicunt) quòd ſi diuideretur in infinitum, quorum quilibet eſſet æqualis perfectionis eſſet infinitus intenſiuè, ſed quiliber minor eſt minoris perfectionis; & patet exemplum de quanto continuo, quod eſt diuiſibile in infinitas partes, quarum quælibet dicit aliquam perfectionem, & tamen non eſt infinitum intenſiuè.

Reſponſio aliorum.

65. Dico, quòd non eſt ſimile de quanto extẽſiuo, ſi quia ponatur intẽſũ vt duo, ita erit in toto ſicut in quælibet parte; ſi ergo ſit diuiſibile in infinitas partes extenſiuè, tamen omnes illæ partes præcisè includunt vnum gradum perfectionis: ſicut etiam patet de albedine extenſa, quæ intenſiuè eſt ita perfecta in minima parte, ſicut in tota. Sed non eſſet ſic de gradu perfectionali, quia ſi eſſet diuiſibilis ſecundùm intenſionem in infinitum, maior perfectio eſſet in eo intenſiuè, quàm in alio, in quo diuiditur. Et ſic non videtur, quòd quilibet gradus caliditatis ſit intenſiuè diuiſibilis in infinitum, ſed quòd quilibet ſit indiuiſibilis, & ſi hoc concedatur, ergo caliditas illa non eſt nata acquiri in puncto ſucceſſione continua. Patet, quia illi gradus ſunt indiuiſibiles, & non continuantur ad inuicem, quia continua ſunt, quorum vltima ſunt ſimul. Indiuiſibile non habet vltimum, vt patet: & vltrà oporteret inuenire aliud indiuiſibile continuans, quod ſit principium vnius gradus & finis alterius: ergo calor in puncto non poteſt acquiri motu continuo, & ſucceſſiuo, & ſi acquiritur, eodem modo acquiritur ſicut intellectio intenſiuè acquiritur, vt dixi ſuprà, & tamen eſt forma ſecundùm Doctorem, ſecundùm quam nata eſt eſſe ſucceſſio, & menſurarur tempore, vt in puncto acquiritur. Nec valet dicere, quòd ſi punctus eſſet ſeparatus à quantitate, non poſſet ſic alterari, quia indiuiſibilis Patet, quia nec Angelus poteſt calefieri, quia huiuſmodi qualitates natæ ſunt recipi in quanto. Dico, quòd non eſt ſimile, quia Angelo repugnat, quia ſpiritus, omnis forma corporalis, cuiuſmodi eſt omnis forma, cui non repugnat extenſio quantitatiua: non ſic repugnat puncto de genere Quantitatis, quòd ſaltem in ipſo acquiratur intenſiuè, licet non extenſiuè.

Continua sũt illa, quorum vltima ſunt ſimul.

65 Secundò arguitur, quia quantitas eſt forma, ſecundùm quam poteſt fieri ſucceſſio, vt patet: quia dũiſibiliter poteſt acquiri, & tamen non menſuratur tempore, nec inſtanti temporis. Primum patet, quia talis ab agente perfecto poteſt in inſtanti induci in paſſum: ergo ſicut eius inductio non menſuratur tempore, multo minùs nec eius *eſſe*, & tamen ponitur à Doctore menſurari tempore, quia in paſſo poteſt ſucceſſiuè acquiri. Secundùm patet, quia quod menſuratur per ſe inſtanti temporis, ponitur per ſe terminus, & hoc vel vltimus, vel intermedius alicuius ſucceſſionis. Exemplum de vltimo *mutato eſſe* & de *mutis eſſe* intermediis. Hoc patet à Doctore vbi ſuprà: ſed talis acquiſitio non eſt per ſe terminus motus, vt patet, ergo non menſuratur inſtanti temporis: nec ſimiliter quantitas acquiſita ſubitò menſuratur inſtanti temporis, quia non acquiritur per aliquod *mutatum eſſe*, quod ſit per ſe terminus motus.

Quomodo ſit intelligenda concluſio Scoti.

Reſpondeo ad primum, quòd ſi teneatur, quòd gradus formæ intenſibilis ſit indiuiſibilis intenſiuè, & quòd punctus poſſit alterari ſecundùm aliquam qualitatem, quòd talis alteratio continua ſecundùm alium, & alium gradum non menſurabitur tempore propriè, nec per conſequens qualitas acquiſita. Et tunc dico, quòd concluſio Doctoris debet intelligi de forma, quæ per motum acquiritur, quod fit quando qualitas producitur ab agente naturali in aliquo quanto diuiſibili ſecundùm partes, quia illud quantum priùs ſecundùm vnam partem alteratur, & poſteriùs ſecundùm aliam; acquiritur enim extenſiuè in illo quanto, & ſic per motum: quia ergo eius motus menſuratur tempore, ita poteſt concedi, quòd etiam talis qualitas menſuretur tempore; præcisè enim dicitur menſurari tempore, quia motus, quo ipſa acquiritur, menſuratur tempore per ſe: quia verò in puncto non acquiritur per motum, ideò non menſuratur tempore propriè.

Dico ſecundò, quòd omnis forma, quæ quantùm eſt ex parte ſua nata eſt acquiri per motum, licèt actu non acquiratur per motum, menſuratur tempore, ſaltem potentiali, quia tanto motu nata eſſet acquiri in aliquo quanto.

Si volumus etiam dicere, quòd per ſe menſuratur tempore actuali, ſaltem extrinſeco, poteſt concedi abſolutè, quòd omnis forma, quæ nata eſt acquiri per motum, licèt etiam in inſtanti acquiratur, menſuretur tempore, quia fortè non videtur alia menſura poſſe aſſignari. Ex his patet reſponſio ad ſecundum argumentum.

Contra quartam concluſionem inſtatur. Primò, ignis generat ignem; ergo poteſt ipſum conſeruare. Antecedens patet. conſequentia probatur, quia non maior virtus requiritur in conſeruando, quàm in generando. Patet, quia conſeruare rem eſt eandem producere, vel eadem productione continuata, quâ in primo inſtanti fuit producta, vel alia productione, vt ſuprà patuit q. 1. preſentis diſtinctionis.

66. *Non maior virtus requiritur in conſeruãdo, quã in generãdo.*

Secundò, quia minùs videtur, quòd ignis producat ignem de *non eſſe* ad *eſſe*, quàm quòd eundem ignem poſitum in *eſſe* in aliquo inſtanti ponat in tempore immediatè ſequenti. Patet hoc, quia in generando ipſum requiritur maior virtus, cùm tranſeat de *non eſſe* ſimpliciter ad *eſſe* ſimpliciter, ſed in conſeruando non ſic tranſit, vt patet. Tum etiam, quia tranſire à *non eſſe* ſimpliciter priùs natura poſitiuè, eſt maioris virtutis, quàm tranſire à *non eſſe* tantùm negatiuè. Hoc patet, ſed generando rem tranſitur à *non eſſe* ſimpliciter

pliciter priùs natura poſitiuè, & conſeruando tantùm tranſitur à *non eſſe* prius natura tantùm negatiuè, quia talis negatio actu non ineſt, ſed niſi præueniretur à cauſa ponendo ipſam rem in *eſſe* tunc actu ineſſet, ergo.

Tertiò inſtatur, & pono, quòd Deus in tempore *A*. creet ignem, ita quòd præcisè creet ipſum in tempore immediato ad aliquod inſtans, & in inſtanti immediatè ſequenti ipſum conſeruet. Certum eſt, quòd in tempore illo dicitur tantùm creari, quia vt ſic tranſit immediatè à *non eſſe* ad *eſſe*, & in inſtanti immediatè ſequenti dicitur conſeruari, vt patet. Hoc caſu poſito, arguo ſic: ſit ignis approximatus perfectè igni creato, poteſt illum eundem ponere in illo inſtanti ſequente immediatè illud tempus, ergo & conſeruare. Conſequentia patet. Antecedens probatur, quia ſi in illo inſtanti ignis ille non eſſet, & ignis generans eſſet perfectè approximatus materiæ, poſſet illum generare, ergo & nunc conſeruare.

Quartò inſtatur ſic, aliquod agens creatum poteſt aliquem effectum corrumpere in iſto inſtanti, vel tempore, in quo conſeruatur, ergo præcisè in illo inſtanti, vel tempore poteſt ipſum conſeruare. Conſequentia cum antecedente videntur nota.

Quid ſit conſeruare rem. Quintò inſtatur, quia conſeruare rem, eſt ipſam poſt primum inſtans, in quo primo accipit, *eſſe* ponere in *eſſe*, & hoc vel actione continuata vel alia, & alia actione, vt patet ſuprà præſenti *diſtinct. quæſt.* 12. *quodlib.* ſed ſunt multa agentia, quæ ſic ſe habent; patet de intellectu, qui continuat intellectionem circa obiectum per horam, ita quòd illa poſita in aliquo inſtanti continuatur per tempus immediatè ſequens. Hoc idem patet de voluntate, quæ continuat volitionem. Hoc idem de Sole, qui continuat lumen; ergo iſta non tantùm dependent ab agente naturali tantùm pro illo inſtanti, in quo primò accipiunt *eſſe*.

Sextò inſtatur, probando quòd non tantùm poſt primum inſtans, in quo res generatur dependeat à Deo, & conſeruatur ab ipſo. Patet, quia agens naturale in illo tempore, quo dicitur immediatè conſeruari à Deo poteſt illam deſtruere. Et pono caſum, quòd ignis in inſtanti *A*, generetur, & in tempore immediatè ſequenti ſit aqua (vt incompoſſibilis ſaltem virtualiter) perfectè præſens igni genito; ergo in illo tempore poterit aqua ipſum immediatè corrumpere: ſi ſic ergo immediatè conſeruatur à Deo.

Septimò, patet per Doctorem *in* 4. *diſtinct.* 12. vbi vult, quòd ignis non tantùm cauſat in ſe aliquos gradus caloris, ſed etiam conſeruat eos, vide ibi.

68. Reſpondeo ad omnes iſtas inſtantias, præmittendo aliqua. Primò, quòd aliud eſt loqui de ſubſtantia genita, quæ habet *eſſe* per ſe exiſtens extra ſuam cauſam; & aliud eſt loqui de re genita non habente per ſe *eſſe* exiſtens, vt accidens: quia primo modo talis res nata eſt præcisè dependere à cauſa particulari pro illo inſtanti, quo accipit *eſſe*, vt patet de Franciſco genito à Ioanne, qui præcisè dependet à Ioanne pro illo inſtanti in quo generatur à Ioanne. Sed ſecundo modo ſunt aliqua accidentia, quæ præcisè habent *eſſe*, quandiu continuantur in *eſſe* à cauſa particulari, vt patet de illuminatione, & intellectione, & volitione, quæ dum cauſantur à cauſa particulari ſunt, dum non cauſantur non ſunt. Et loquor de communi lege, quia benè Deus poſſet conſeruare aliquam intellectionem cauſatam à particulari, puta ab aliquo intellectu creato, ipſa cauſa particulari amplius non concauſante.

Secundò præmitto, quòd concluſio Doctoris tantùm intelligitur de ſubſtantia perfecta habente *eſſe* per ſe exiſtens, quia talis tantùm dependet à cauſa particulari pro illo inſtanti, quo generatur à tali cauſa. Vnde ſic dicit: *Concedo igitur quòd primum eſſe ſubſtantiæ generabilis inquantùm concomitatur mutationẽ propriè dictam menſuratur inſtanti, ſed non ſequitur vltrà, ergo eſſe habitum poſt illud inſtans menſuratur tempore, quia in primo inſtanti comparatur illud* eſſe *ad cauſam particularem generantem à qua eſt, & poſt illud inſtans non habet dependentiam ad illam cauſam particularem generantem, ſed tantùm ad primam cauſam conſeruantem, & tunc habet habitudinem vniformem ad illam cauſam conſeruantem ſicut eſſe Angeli.* Hæc ille.

Ex his patet reſponſio ad inſtantias. Ad primam negatur conſequentia. Ad probationem dico, quod in conſeruando ſubſtantiam requiritur maior virtus, quàm in generando tantùm: patet, quia in conſeruando eſt ſimpliciter maior dependentia ipſius conſeruati ad cauſam conſeruantem. Et licèt cauſa particularis pro quocunque inſtanti poſſet eandem ſubſtantiam generare, ſi eſſet approximata eidem paſſo, & omni impedimento amoto, tamen poſtquam genita eſt non poteſt eadem priùs genitam ponere in *eſſe*, nec actione continuata, nec alia, & alia actione. Et licèt etiam poſſit eam corrumpere in aliquo inſtanti, non tamen ſequitur vltrà, quòd poſſit conſeruare, ſed ſi aliquid ſequitur, fortè tantùm ſequitur, quòd poteſt eam generare, ſed poſtquam genita eſt non habet vltrà influentiam aliquam circa eam, quantùm ad ſuum *eſſe*. Et per hæc patet reſponſio ad quatuor primas inſtantias, & ſimiliter ad ſextam. 69.

Ad alias de intellectione, volitione, illuminatione, & de calore ignis, concedo quòd conſeruantur à cauſa particulari, eo tamen modo, quo cauſa ſecunda nata eſt conſeruare ſuum effectum continuè, ſcilicet cauſando illum.

QVÆSTIO V.

Vtrùm Angelus ſit in loco?

Alenſis 2.*part. quæſt.* 20. *Memb.* 3. D. Thom. 1. *part. quæſt.* 75. *artic.* 7. *& quæſt.* 58. *art.* 3. *& hîc d.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 6. D.Bonauent. *hîc art.* 3. *quæſt.* 1. Gabr. *quæſt.* 6. Henric. *quodlib.* 12. *quæſt.* 8. *Vide* Scot. 5. *Metaph. quæſt.* 5. 6. 7. & Tartaret. *hîc.* Bacon. 2. *d.* 3. *q.* 2. Mayron. 2. *d.* 1. *q.* 6.

Argum. 1. VIntò circa ſecundam partem huius diſtinctionis in qua tractat Magiſter, vbi fuerint Angeli creati, quæritur de loco Angeli. Vbi quæro primò circa hoc. Vtrùm Angelus ſit in loco? Videtur primò puòd non. Boëtius de Hebdomadi. *Communis animi conceptio eſt incorporalia non eſſe in loco.* 1.

Argum. 2. *Vide Aug. ad Oroſiũ, lib.* 4. *cap.* 2. Secundò ſic, Auguſt. 83. q. q. 20. videtur probare ex intentione, quòd Deus non eſt in loco per hoc medium, quòd non eſt corpus: præmiſſa eiſt vera de Angelo: ergo & concluſio. Item ſuper Gen. dicit de Deo, quòd mouet creaturam corporalem per locum & tempus, ſpiritualem per tempus tantùm: ergo negat à ſpirituali motionem per locum: & ita negat eam eſſe in loco.

Argum. 3. *Text. c.* 41. *Vide* 1. *Ceſ. c.* 69. *ad hoc.* Tertiò Ariſtot. 4. Phyſicorum. *Locus eſt vltimum corporis continentis immobile primum*, &c. Sed nullum corpus continet Angelum; quia continens eſt actualius contento: nullum autem corpus eſt actualius Angelo: ergo, &c.

Vt inquit Ariſtot. in prædicamento quãtitatis. Quartò ſic; Omne locatum habet ſitum: ſed ſitus non conuenit niſi quanto: quod patet, quia *poſitio* vno modo eſt differentia quantitatis, & illo modo non conuenit, niſi quantitati. Alio modo, vt eſt Prædicamentum, eſt paſſio fundata in quantitate: ergo nullo modo conuenit Angelo: ergo nec locus.

SCHOLIVM.

Reſoluit Angelum eſſe in loco, quod habetur expreſsè ex ſcriptura & locis Sanctorum citatis à Magiſtro 1. *diſtinct.* 37. *de quo quæſt. ſequent. cuius ſine ſoluuntur argumenta hic poſita pro parte falſa.*

Ratio ad oppoſitum. COntra hoc eſt Magiſter in litera; & diſtinct. 37. primi, & adducit ad hoc auctoritates, ſimiliter Dam. cap. 13. & 16. & 20.

QVÆSTIO VI.

An locus Angeli ſit determinatus, punctualis, maximus, & minimus?

D. *Thom.* 1 D. *Thom.* 1 *p. q.* 52. *art.* 1. *& 2. quære eum in* 2. *& in* 1. *d.* 37. *& Ægidium in* 1. *d.* 18. *q.* 8. *& Va. hîc. Vide cap.* 7. Alenſis 2. *part.* 33. *Memb.* 1. 2. D. Thom. 1. *part. quæſt.* 53. *art.* 1. *vbi* Caiet. Bannes, Bon. 1. *diſt.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 1. Ric. *art.* 3. *quæſt.* 1. Durand. *quæſt.* 1. 2. *part.* Heruæus *tract. de motu Angeli quæſt.* 1. *art.* 1. Ægid. 1. *diſt.* 37. Bacon. 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. Vaſquez 1. *part. diſt.* 194. *ipſe* Scot. 6. *Phyſicorum quæſt.* 1. 2. *&* 3. *&* 2. *Metaph. quæſt.* 4. 5. *&* 8. *Metaph. quæſt.* 3. *& de primo prime. cap.* 3. *& in Theor.* §. omnes formæ eiuſdem.

SExtò iuxta hoc quæro ſine argumentis. Vtrùm Angelus requirat determinatum locum, ita quòd nec in maiori, nec in minori poſſit eſſe, ſed præcisè in tanto loco? & includitur hic: Vtrùm poſſit eſſe in loco punctuali? Et, Vtrùm in quantumcunque magno loco, & in quantumcunque paruo? 1.

SCHO

SCHOLIVM.

Ponit ſente ntiam D. Thom. Angelum eſſe in loco per operationem tantùm, quam reijcit, quia damnata eſt per Epiſcopum & vniuerſitatem Pariſien. & videtur putare acceßiſſe auctoritatem Papæ, qua mediante, illa condemnatio tranſiuit mare Angelicum, de quo quicquid ſit, condemnatio tam celebris vniuerſitatis facit opin. dictam ſuſpectam. reiicit opin. Goffred. quæ voce tantùm à præcedenti differt.

AD primam [a] quæſtionem dicitur, quòd Angelus eſt in loco per operationem præcisè, ad quod probandum adducitur Damaſc. cap. 13. *Incorporea* (inquit) *natura vbi adeſt, & operatur non corporaliter, ſed ſpiritualiter continetur*, & infrà eodem cap. *Intelligentia dicitur circumſcribi, vbi adeſt intellectualiter & operatur*, & cap. 16. *Intellectualiter adeſſe & operari, vbi vtique miſſi fuerint.* Ita quod ſemper videtur cum eſſe Angeli in loco, adiungere operari, quaſi hoc ſit angelum eſſe in loco ipſum operari in loco. *Artic. eſt, ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt alicubi per operationem, non aliter. Ext. de sẽt. excomm. à nobis el. 1. Agebat. enim Scot. in Anglia.*

Contra hoc eſt, quia iſtud [b] videtur eſſe damnatum, ſicut quidam articulus damnatus ab Epiſcopo Pariſienſi, & excommunicatus. Quòd ſi dicatur, quòd excommunicatio non tranſeat mare, vel diœceſim. Si tamen fuit articulus condemnatus, ſicut articulus hæreticus, vbique eſt condemnatus ſicut hæreticus, non auctoritate diœceſani tantùm, ſed etiam auctoritate Papæ, extra de hære. cap. *Ad abolendam*, vel ſaltem ſententia eſt ſuſpecta quando in aliqua vniuerſitate ſolemniter eſt damnata.

2. Alij autem [c] nolentes verbo ſuſpecto vti, Angelum, videlicet, eſſe in loco per operationem; dicunt ipſum eſſe in loco per applicationem eius ad locum. *Goffred. quodlib. 8. qu. 13. hic modus dicendi videtur potius, D. Th. quæ prior. vide eum quodl. 1. art. 5.*

Sed illi videntur idem dicendo, ſub alio vocabulo occultare: non enim videtur applicatio poſſe intelligi aliquid eſſe, niſi ſit actus primus, vel actus ſecundus: non actus primus, patet: nec actus ſecundus; quia ſi intelligitur actus ſecundus, ergo operatio: & non immanens, vt intellectio, vel volitio, quia operatio eius immanens ita abſtrahit à loco, ſicut eſſentia Angeli: igitur applicatio eſt operatio tranſiens in corpus: & ita erit in loco per operationem eius circa corpus in loco.

SCHOLIVM.

Eandem ſententiam efficaciſſimè impugnat. Primò, quia D. Thom. alibi ait ex operatione colligi Deum eſſe vbique ſecundùm ſubſtantiam, ergo. Secundò, aliàs Angelus poſſet nuſquam eſſe. Tertiò quòd eſſet in toto cælo. Hæc latè confirmat & declarat. Quartò, id quod eſt in loco, eſt in eo formaliter: operatio tranſiens non eſt talis. Quintò, eſſet in loco commenſuratiuè. Sextò, ex Damaſcen. Nazian. Auguſtino.

CONtra concluſionem [d] huius opinionis arguitur primò, quòd ſic ponens contradicat ſibiipſi: quia in quæſt. illa: *an Deus ſit vbique*, probat quòd ſic per hoc, quia ſecundùm Philoſophũ 7. Phyſic. *Mouens eſt ſimul cum moto*, & Deus eſt primum efficiens: & ideò potens mouere omne mobile: ex hoc concludit quòd eſt in omnibus & præſens omnibus. Quæro quid intendit per hoc concludere? Aut eſſe præſentem omnibus, hoc eſt mouentem, & tunc eſt petitio principij: quia idem eſt præmiſſa, & concluſio, & nihil ad propoſitum: quia ibi intendit concludere immenſitatem Dei, ſecundùm quam Deus eſt præſens omnibus. *D. Th. 1. p. q. 8. art. 1. Text. c. 4. 6. 8. 9. & 10. D. Th. petit principium vel contradicit ſibi.*

Aut intendit concludere illam præſentiam, quæ competit Deo, inquantùm eſt immenſus: & tunc ex operatione alicubi, ſecundùm ipſum ſequitur præſentia illa, quæ pertinet ad immenſitatem diuinam, quæ eſt Dei, inquantùm Dei, ita quòd priùs naturaliter erit præſens inquantùm immenſus, quàm inquantùm operans: & hoc concluditur ex hoc, quòd eſt in omnibus per operationem, ſicut ex poſteriori: igitur à ſimili in propoſito, priùs naturaliter eſt Angelus præſens alicui loco ſecundùm eſſentiam, quàm ſit præſens ſecundùm ſuam operationem.

3. Confirmatur ratio [e] quia minùs videtur de Deo, quòd oporteat ipſum eſſe præſentem ei, in quod agat per præſentiam, ſiue per eſſentiam, quàm Angelus: quia illud quod eſt illimitatæ potentię videtur poſſe agere in quantumcunque diſtans: ſed illud, quod eſt determinatæ, & limitatæ virtutis, requirit determinatam approximationem paſſi, ad hoc quòd agat in ipſum. Nullum enim videtur agens virtutis limitatæ, & determinatæ *Agentis finiti actio nimia diſtantia impeditur.*

terminatæ, cuius actio non poſſit impediri, per nimiam diſtantiam ad paſſum, & ita magis videtur neceſſariò ponere Angelum eſſe præſentem ad hoc, quòd agat.

Confirmatur etiam [f], quia ſi actio aliqua eſt in corpore ab Angelo, quæro quomodo ſe habet actio iſta ad virtutem illam, à qua procedit: aut mediatè, aut immediatè. Si eſt immediata illi, à qua procedit: igitur immediatè eſt Angelus in tali corpore, vel iuxta tale corpus. Si mediata igitur eſt ab illa virtute per aliud medium: & de illo medio fiat eadem quæſtio, & tunc oportebit ſtare ad hoc quòd illud, quod primò eſt à tali virtute immediatum eſt tali virtuti, & per conſequens illi, cuius eſt talis virtus, & ita è conuerſo erit præſens ibi.

In ſententia D. Thom. Angelus quandoque nullibi eſſet.

[g] Præterea ſecundò ſequitur, quòd Angelus aliquando, imò frequenter núſquam ſit: nihil enim operatur in cœlo empyreo, quia illud non eſt mutabile nec mobile: igitur nuſquam Angelus eſt in cœlo empyreo, vbi tamen eſt vt plurimùm.

Item [h] ſi tranſeat de cœlo ad terram, poteſt operari in locis extremis, nihil agendo in omnibus locis intermediis, quia poteſt eſſe aliquis Angelus, qui non eſt motor alicuius orbis intermedij: igitur nec ille tunc erit in cœlo, nec in terra, nec in medio.

Angelus mouet totũ cœlum tamen non eſt in toto. Text. c. 71. & alibi.

Præterea [i] tertiò ſi Angelus eſt in loco per operationem: ergo ibi primò eſt, vbi primò operatur. Sed primò operatur in toto cœlo: totum enim cœlum eſt primò proportionatum virtuti Angeli, ita quòd totum primò mouet, & ita proportionatum ſecundùm Philoſophum *ſecundo de Cælo & Mundo*. Quòd ſi adderetur vna ſtella, moueret eum pœna, & labore: & tamen non eſt primò in toto cœlo: ergo, &c. 4.

Si cas, quòd primò mouet aliquam vnam partem, & ibi eſt, & per motum illius partis mouet aliam partem, quaſi impellendo, vel trahendo.

2. de cœlo text. 13. & inde. Omnis pũctus in cœlo eſt Oriẽs & Occidens.

Contra [k] hoc licèt Philoſophus imaginetur illum ruſticum habere pedes, & caput in polis, & brachia protenſa, & extenſa ad Orientem, & Occidentem: ſecundùm veritatem tamen ſi primum cœlum ponatur mobile, & non quieſcens, nullus punctus eſt in cœlo magis oriens quàm alius, ſed quilibet punctus eſt oriens ſucceſſiuè. Nullus etiam punctus eſt magis capax motus, quàm alius ſecundùm veritatem: & ideò non eſt in cœlo ex natura rei dextrum, & ſiniſtrum, ſicut in animali. Pars enim dextra, quæ eſt in animali, magis capax eſt virtutis animæ quàm pars ſiniſtra: in nulla parte poteſt poni Angelus primò, ex hoc quòd primò illam partem moueat.

Angelus mouẽs cœlũ an quieſcit?

Hoc etiam confirmatur, quia ſi eſſet in aliqua parte, quaſi quieſcens per ſe, motus tamen per accidens, ſicut nauta in naui, ita quòd ſemper circumferretur cum illo motu, videretur inconueniens talem motum attribuere Angelo mouenti orbem. Nec etiam poteſt poteſt [l] poni quaſi per ſe quieſcens, & quod iuxta illum ſit fluens pars, & pars ipſius cœli, & quòd partem magis illi præſentem ſemper primò moueat: non enim eſt aſſignare in quo quieſcat ille Angelus, cùm continuè moueat partem præſentem, & exiſtendo in aliquo inquantùm eſt motum non erit quieſcens in eo, vt videtur.

Præterea, illud quod eſt ratio Angelo exiſtendi in in loco, eſt in eo formaliter, alioquin Angelus nullo modo erit formaliter in loco: operatio autem tranſiens in corpus non eſt formaliter in Angelo: ergo, &c. 5.

Præterea, illa operatio [m] eſt commenſuratiuè in loco per accidens: igitur ſi per eam Angelus eſt in loco, & nullo alio modo, eſt ibi commenſuratiuè.

Soluit loca Dam. & ad dicit ea ad oppoſitum.

Præterea [n] Damaſ cui maximè innituntur, non eſt pro eis. Tum, quia omnes auctoritates communiter ſemper copulant, ad *eſſe* & *operari*, vbi eſſet ſuperfluitas, niſi aliud eſſet formaliter Angelum eſſe in loco, quàm ipſum operari in loco. Dicit enim in prima auctoritate, *vbi adeſt, & operatur*, & in ſecunda auctoritate dicitur *Angelum eſſe in loco propter adeſſe intellectualiter, & operari*, & in tertia, *intellectualiter adeſſe, & operari, vbi vtique fuerunt miſſi*. ſimiliter idem Damaſ cap. 20. dicit, quod *cœlum eſt continentia viſibilium, & inuiſibilium creaturarum, & infrà ipſum Angelorum virtutes includuntur.*

Dam. videtur velle Angelos creatos antemundũ. al. 18. vel 21. al. localem lib. 4. c. 22.

Ita igitur ſecundùm ipſum, ſunt modò Angeli in cœlo, quòd includuntur intra cœlũ: non ſic autem includebantur in principio ſuæ creationis, quia ipſe cap. 17. * videtur aſſentire Greg. Theologo, quod conditi fuerunt ante corporalem creaturam: tũc enim non erant in loco ſicut modò ſunt, quia modò continentur in loco: tunc autem non continebantur, & tamen tunc potuerunt intelligere creaturam * corporalem, ſecundùm Auguſtinum *ſuper Gen.* quia priùs habuerunt cognitionem matutinam, quàm veſpertinam: & potuerunt intelligere obiectum ex parte obiecti ſub eadem ratione qua modò intelligunt illud: ergo per ſolam intellectionem obiecti, non ponit eos Damaſcenus eſſe præſentes obiecto

COMMENTARIVS.

1. DVo principaliter quæruntur â Doctore: primò. *Vtrùm Angelus ſit in loco*: Et hîc non quæritur de loco circunſcriptiuo, quia Angelus cùm ſit ſpiritualis, & indiuiſibilis non poteſt circumſcribi, ſed de loco definitiuo, ſiue præſentiali; & eſt ſenſus an eſſentia Angeli ſit præſens alicui loco, puta, an ſecundùm ſe poſsit eſſe præſens Soli, vel Lunæ., vel monti, vel lapidi. Secundò, *Vtrùm Angelus requirat determinatum locum*, ita quòd nec in maiori, nec in minori poſsit eſſe, ſed præcisè in tanto loco. Et includit *Vtrùm poſſit eſſe in loco punctuali*, & vtrùm in quantocunque magno loco, & in quantocunque paruo.

Opinio Diui Thomæ. Damaſcen. li. 3. cap. 13.

a *Ad primam quæſtionẽ dicitur.* Hic Doctor primò recitat duas opiniones, quas improbat. Secundò principaliter reſpondet ad quæſtionem primam. Prima opinio eſt S. Thom. 1. parte ſumm. quæſtione 52. artic. 1. & 2. qui dicit quòd Angelus præcisè eſt in loco per operationem, & nullo modo per eſſentiam propriam, & probat per auctoritates Damaſceni, quæ poſtea ſoluentur.

b *Contra hanc poſitionem eſt articulus damnatus, & excommunicatus ab Epiſcopo Pariſienſi.* Nec valet dicere, quòd excommunicatio non tranſeat mare, nec diœceſim. Si tamen fuit articulus condemnatus ſicut hæreticus, vbique eſt condemnatus, &c.

Opinio Gotfredi.

c *Autem nolentes verbo ſuſpecto vti*, &c. Hæc eſt opinio Gotf. *quodlib.* 8. *quæſt.* 13. Iſta opinio dicit, quòd Angelus eſt in loco, puta in aliquo monte, tantùm per applicationem, & non per præſentiam ſui. Sed hæc opinio dicit idem, quod prima opinio, vt patet, quia aut applicatio illa eſt actus primus, aut ſecundus. Non primus, vt patet. Nec ſecundus immanens, cuiuſmodi eſt intellectio, & volitio Angeli, quia ſicut exiſtentia Angeli abſtrahit à loco, ita & operatio intrinſeca; aut talis applicatio eſt actio tranſiens, & ſic dicit idem, quod prima opinio, quòd eſt in loco, puta in monte, per actionem tranſeuntem circa montem.

2. *D. Tho. 2. p. q. 8. art. 1.*

d *Contra concluſionem huius opinionis.* Hîc Doctor probat, quòd Angelus non dicatur eſſe in loco per operationem, puta, quòd non dicatur ex hoc eſſe in monte, tanquam in loco definitiuo, quia ibi operatur operatione tranſeunte. Et in probatione, quam facit Doctor reducit Thomam ad contradictionem, quia Thom. in quæſtione illa, *An Deus ſit vbique*, probat, quòd ſic, per hoc, quia ſecundùm Philoſophum *ſeptimo Phyſicorum text. comment.* 46. mouens eſt ſimul cum moto, & poteſt mouere omne mobile, ergo eſt in omnibus, & præſens omnibus, quæro quid intendit per hoc concludere, aut eſſe præſentem omnibus, id eſt, mouentem omnia, & tunc eſt petitio principij; patet quia idem eſt principium, & concluſio. Nam principium per quod intendit probare Deum eſſe præſentem omnibus, eſt quia mouet omnia, & hæc eſt concluſio. Et vltrà, nihil eſt ad propoſitum, quia intendit probare immenſitatem Dei, ſecundùm quam Deus eſt præſens omnibus; aut intendit concludere illam præſentiam, quæ competit Deo, inquantùm immenſus, & tunc ex operatione alicubi ſecundùm ipſum, ſequitur præſentia illa, quæ pertinet ad immenſitatem diuinam, quæ eſt Dei inquantùm Dei, ita quòd priùs naturaliter erit præſens inquantùm immenſus, quàm inquantùm operans, quia immenſitas illa competit Deo, inquantùm Deus, & concluditur quòd ſit in omnibus per operationem tantùm à poſteriori: igitur à ſimili in propoſito priùs naturaliter Angelus eſt præſens alicui loco ſecundùm eſſentiam, quàm ſit præſens ſecundùm operationem.

3. e *Confirmatur ratio, quia minùs videtur de Deo*, &c. Hæc ratio concludit contra Thomam, quia ponit Deum eſſe præſentem in ſe, vbi operatur. Et ratio ſtat in hoc: ſi Deus, cùm ſit virtutis infinitæ non agit circa aliquod paſſum, niſi ſit ſibi præſens, à fortiori Angelus non poterit operari circa aliquod, ſi non ſit præſens ſecundùm eſſentiam. Sed an Deus poſſit operari circa aliquod paſſum vbi non eſſet præſens, eſt alia quæſtio. Et de hoc vide Doctorem in 1. diſt. 37. ſed de facto ſic eſt, quòd non operatur circa aliquod, cui perfectè non ſit præſens, cùm ſit in omni re per ſuam præſentiam.

f *Confirmatur etiam, quia ſi actio aliqua*, &c. Hæc ratio concludit contra Thomam, quia ponit, quòd mouens eſt ſimul cum moto, & ideò ſi mouet immediatè eſt præſens, ſiue ſimul cum moto. Pro clariori notitia pono talem caſum, quòd Angelus moueat lapidem, quæro tunc, aut motio illa, quæ recipitur in lapide, recipitur immediatè ab ipſo Angelo, & ſic erit Angelus præſens ipſi lapidi; aut recipitur mediatè, ita quòd priùs recipitur in alio corpore immediatè à virtute Angeli, & tunc ipſe Angelus erit præſens ſecundùm eſſentiam illi alij corpori, aut erit proceſſus in infinitum.

4. g *Præterea ſecundò ſequitur.* Hîc Doctor deducit Thomam ad manifeſtum inconueniens, videlicet quòd Angelus aliquando, imò frequenter nuſquam erit: patet, quia in cœlo empyreo non operatur, operatione tranſeunte, cùm tale corpus ſit ſimpliciter immobile, & per conſequens, dum eſt in cœlo empyreo non eſt in aliquo loco, quia tantùm eſt in loco, per te, per operationem, imò Angelus nunquam erit in cœlo empyreo, quia ibi non poteſt eſſe, niſi ſit in loco, & tamen ad placitum ſuum eſt in cœlo illo.

h *Item ſi tranſeat de cœlo ad terram*, &c. Supponendo, quòd Angelus, dum tranſit de cœlo empyreo ad terram, non operetur in locis intermediis: ergo tranſeundo illa media, & ibi non operando, erit præſens illis locis per ſuam eſſentiam, & non per operationem, cùm ibi non operetur.

i *Præterea tertiò, ſi Angelus eſt in loco per operationem.* Per hanc rationẽm Doctor deducit opinantem ad hoc inconueniens, videlicet, quòd Angelus primò eſſet in toto cœlo, tanquam in loco; patet, quia ſimul mouet totum cœlum: primò enim totum mouet: cœlum enim eſt ita proportionatum illi, quòd ſi adderetur vna ſtella, moueret cum labore, & pœna, ſecundùm Philoſophum ſecundo Cœli, & mundi, text. comment. 71.

k *Contra hoc, licèt Philoſophus imaginetur*, &c.

tur, &c. Hîc Doctor intendit probare, quòd Angelus, qui mouet cœlum aliquod, non eſt primò in aliqua parte, ita quòd primò moueat ædæquatè vnam partem, vt puta quòd ſit in Oriente, vel Occidente, quia cùm cœlum ſemper moueatur, ſequitur, quòd quælibet pars ſucceſſiuè poteſt eſſe Oriens, & Occidens. Exemplum: Nam pars primi mobilis, quæ in manè oritur nobis, in veſpere occidit, & illa quæ veſpere occidit, manè oritur nobis: ergo non mouet primò, id eſt, adæquatè aliquam partem. Et ſi diceretur, quòd quando mouet partem Orientalem primò, mouet etiam eandem primò, quando occidit, & ſic ſequeretur, quòd Angelus moueretur per accidens; patet, quia moueretur ab Oriente in Occidentem ad motum illius partis, cui eſſet applicatus per operationem. Si etiam diceretur, quòd primò mouet partem dextram ipſius cœli, hoc patet eſſe falſum, quia ibi non eſt dextrum, neque ſiniſtrum, niſi ſecundùm imaginationem Philoſophi, vbi ſuprà de illo ruſtico Athlante. In nulla ergo parte poteſt poni Angelus: primò ex hoc, quòd primò illam partem moueat.

5. k *Nec etiam poteſt poni quaſi quieſcens* per ſe; Patet, quia ſemper mouet partem ſibi præſentem, & ſic non quieſcit ibi, neque aſſignatur alius locus, in quo quieſcat, quia Angelus ſemper exiſtit in aliquo, inquantum il'ud eſt motum ab ipſo Angelo, nec per conſequens poteſt dici per ſe quieſcens.

l *Præterea illud, quod eſt ratio Angelo exiſtendi in loco, eſt in eo formaliter, alioquin Angelus nullo modo erit formaliter in loco.* Patet iſta propoſitio, quia ſicut ratio formalis locandi aliquid eſt in loco formaliter, ſiue in locante, ſicut ſuperficies eſt formaliter in corpore locante, quę eſt ratio formalis fundamentalis tãtùm locandi ipſi corpori, ſic pariformiter erit de ratione formali, quâ paſſiuè aliquid locatur, ſicut ſuperficies in corpore locato. Sed operatio Angeli tranſiens in corpus non eſt in Angelo formaliter; patet, quia eſt in illud corpus, puta quod mouet, ſiue circa quod operatur.

6. *Aduerte hîc de operatione.*

m *Præterea illa operatio*, &c. Aduerte, quòd cùm dicit de operatione, quæ eſt in loco commenſuratiuè, &c. Sic debet intelligi, quòd cùm Angelus mouet lapidem de loco ad locum, quia acquirit locum circumſcriptiuum, & motio Angeli, quæ eſt tranſiens in talem lapidem, & ſic ſicut lapis eſt circumſcriptiuè in loco per ſe, ita omne quod eſt ſubiectiuè in lapide erit circumſcriptiuè in loco per accidens: ergo ſi Angelus eſt in loco per talem motionem, ſequitur quòd erit in loco per accidens circumſcriptiuè.

SCHOLIVM.

Ante ſolutionem quæſtionis, declarat locum corporeum, explicans ſex circa hoc, ſcilicet, eſſe in loco, actualiter, æqualiter, commenſuratiuè, determinatè, naturaliter: & ſubiungit explicationem definitionis loci, ex Ariſtotele, de quibus agit 4. Phyſicorum, q. 1. 2. 3. & 4. & pulcherrimè exponit immobilitatem, & incorruptibilitatem loci.

De quarto Scot. 4. d. 10. q. 1. a. 2. Vide Scot. 4. Phyſ. q. 1. 2. & 4. Text. c. 76.

AD quæſtionem n igitur illam ſoluendam. Primò videndum eſt de loco corporis: cuilibet enim corpori præter vltimum, cuius non eſt aliud extra continens, ſex conueniunt. Primò eſſe in loco: ſecundò eſſe in loco actuali: tertiò eſſe in loco determinato quia æquali: quartò eſſe in loco commenſuratiuè quintò eſſe in loco determinatè hoc vel illo: ſextò eſſe in loco naturaliter, vel violenter. Quatuor prima conueniunt corpori inquantùm quantum, vel inquantùm corpus. Quintum conuenit ſibi ab agente, Vltimum conuenit ſibi inquantùm eſt corpus naturale, Licèt enim nullum quantum exiſtat, niſi ipſum ſit quale: tamen exiſtens, priùs naturaliter eſt quantum, quàm quale, & ſecundùm hoc priùs naturaliter eſt Mathematicũ, quàm quale, hoc eſt tale, quale primò conſideratur à Mathematico per ſe & primò, & hoc intelligit Philoſ 4. *Phyſic. cap. de vacuo*, vbi vult, quòd ſi corpus cubum ponatur in aëre vel aqua, licèt nullam habeat paſſionem naturalem tantùm: tamen facit diſtare latera corporis continentis quantùm eſt ipſum corpus ibi poſitum: ita quòd quantum eſt ipſum corpus, tantum facit diſtare, & hoc non conuenit ſibi inquantùm eſt naturale tantùm, ſed inquantùm eſt quantum præcisè, & ita Mathematicum. 6.

Text. c. 41. Definitio loci de qua Scot. 4. Phyſ. q. 1.

Exponendo b autem iſta per ordinem, dico, quòd omne corpus tale aliud à primò. Primò eſt in loco, hoc eſt, in continente præcisè, etiam immobili: hoc enim intelligitur per illam definitionem Philoſophi quam ponit 4. Phyſic. de loco ſcilicet, *locus eſt vltimum corporis continentis immobile primum*, &c Diuiſibile enim ſecundùm illam dimenſionem, ſecundùm quam eſt diuiſibile, non poteſt immediatè eſſe applicatum alicui vt continens ipſum; ſed præciſum continens alicuius eſt indiuiſibile. Nihil autem indiuiſibile de genere Quantitatis per ſe exiſtit, ſed in aliquo diuiſibili, & ideò ſequitur illud præciſum continens eſſe vltimum alicuius diuiſibilis continentis, iſta autem vltimitas non eſt de ratione loci, ſicut eſt de ratione continentis præcisè. 7.

Quia

quia ſi poſſet indiuiſibile per ſe eſſe, & nullius diuiſibilis vltimum, illud indiuiſibile verè manens per ſe poſſet eſſe præciſum continens.

Vltra autem iſtam continentiam præciſam, addit locus immobilitatem, qua diſtinguitur à vaſe, ſecundùm Philoſophum, 4. *Phyſicor.* quam immobilitatem * viſi ſunt diuerſi diuerſimodè ſaluare per reſpectum ad polos, & ad centrum. *Tex. vt ſupra. al. niſi.*

Sed breuiter dico [a] quòd ſi ſubiectum non maneat idem, nullum accidens abſolutum, vel reſpectiuum manet idem, ſecundùm Philoſophum: & ideò cùm manifeſtum ſit omnem ſubſtantiam, quæ continet hoc corpus, poſſe moueri localiter, & non manere idem numero: patet, omne accidens abſolutum, & reſpectiuum, quod eſt in continente iſtud corpus, manere non poſſe idem numero: & ideò nec locum, ſiue locus ponatur eſſe aliquid abſolutum in tali corpore, ſiue reſpectiuum. *Explicatur immobilitas loci.*

Et ſi dicatur, quòd eſt [d] vltimum totius vniuerſi, & licèt vt eſt vltimum continentis varietur, tamen vt eſt vltimum vniuerſi non variatur, nec hoc ſaluat, quia non eſt vltimum totius vniuerſi, niſi quia primò eſt vltimum alicuius partis eius: & ideò ſi eſt aliud & aliud, vt eſt alterius & alterius partis, non eſt idem, vt eſt totius vniuerſi: licèt enim in aliquo toto ſint multæ partes, tamen quod competit ſibi per vnam partem primo præcisè, & poſt aliam præcisè, non eſt idem numero.

8. Dico igitur [e] quòd locus habet immobilitatem oppoſitam motui locali omnino, & incorruptibilitatem ſecundùm æquiualentiam per comparationem ad motum localem. Primum patet, quia ſi eſt aliquo modo mobile localiter, quantumcunque accipiatur per accidens, poſſet dici eſſe in loco per accidens, & ei aſſignari alius & alius locus: ſicut licèt ſimilitudo moueatur quaſi accidentaliter per accidens, quia ſcilicet in quarto, vel in quinto gradu, quia primò corpus, & per hoc ſuperficies, & per hoc albedo, & per hoc ſimilitudo: tamen ſuperficies vel albedo, vel ſimilitudo, verè eſt, quando mouetur in toto corpore in alio & alio loco. Similiter tunc aliquid quieſcens poſſet moueri localiter: nam quod habet alium & alium locum ſucceſſiuè, localiter mouetur: fixum autem poſſet habere alium, & alium locum continentem, ſi moueretur locus per accidens. *Locus eſt immobilis localiter etiam per accidens, aliàs quieſcens mutaretur localiter.*

Secundum probo [f], quia licèt locus corrumpatur moto eius ſubiecto localiter, ita quòd moto aëre localiter non manet in eo eadem ratio loci, quæ priùs, ſicut patet ex iam probato: nec eadem ratio loci poteſt manere in * aqua ſuccedente, quia idem accidens numero non poteſt manere in duobus ſubiectis: tamen illa ratio loci ſuccedens, quæ eſt alia à ratione præcedenti ſecũdùm veritatem, eſt eadem præcedenti per æquialentiam, quantùm ad motum localem: nam ita incompoſſibile eſt localem motum eſſe ab hoc loco in hunc locum; ſicut ſi eſſet omnino idem locus numero. *al. aëre.* *Quomodo locus ſit incorruptibilis explicatur.*

9. Nullus autem idem motus localis poteſt eſſe ab vno *vbi* ad aliud *vbi*, quæ duo *vbi* non correſpondeant duobus locis differentibus ſpecie propter ſpatium interceptum: quia habentibus alium reſpectum non tantùm numero, ſed etiam ſpecie ad totum vniuerſum: ex hoc illi reſpectus, qui ſunt tantùm numero alij, videntur vnus numero, quia ita ſunt indiſtincti reſpectu motus localis, ſicut ſi tantùm eſſet vnus reſpectus.

Exemplum huius patet aliqualiter in nominibus ſignificatiuis: quia hæc vox *homo*, quotieſcunque prolata dicitur vna vox numero, & diſtingui ab hac voce *lapis* numero: cùm tamen non poſſit eadem vox numero bis proferri, ita quòd quot ſunt prolationes, tot ſunt voces diſtinctæ numero: & hæc vox *homo*, & hæc vox *lapis*, non tantùm numero, ſed etiam ſpecie diſtinguuntur: tamen quia ad finem vocis, ſcilicet ad exprimendum conceptum per æquiualentiam, ſunt idem numero homo & homo, lapis & lapis quotieſcunque prolata: ideò dicuntur eſſe vna vox numero reſpectu illius finis. *Vt vox homo ſæpius prolata dicitur eadẽ numero, ſic loca in eodem ſpatio ſuccedẽtia, dicuntur idem numero, ſcilicet per æquiualentiam.*

Sic dico in propoſito, quòd locus eſt immobilis per ſe, & per accidens localiter: eſt tamen corruptibilis moto ſubiecto localiter, quia tunc amplius non manet in eo illa relatio: & tamen non eſt corruptibilis in ſe, & ſecundùm æquiualentiam, quia neceſſariò ſuccedit illi corpori, in quo fuit iſta ratio loci aliud corpus, in quo eſt alia ratio loci numero à præcedenti, & tamen eadem præcedenti ſecundùm æquiualentiam per comparationem ad motum localem.

10. [g] Sed nunquid omne corpus aliud à primo corpore, neceſſariò eſt in loco, quia quantum? Philoſophus diceret, quòd ſic, quia diceret non poſſe eſſe aliquod corpus aliud à corpore cæleſti quin ſit in ſphæra actiuorum, & paſſiuorum: & diceret illud neceſſariò contineri ſub aliquo præcisè continente. *Secundum Phil. omne corpus neceſſariò eſt in loco quanto.*

Tamen oppoſitum videtur verum ſecundùm Catholicos, quia Deus poſſet facere lapidem non exiſtente aliquo alio corpore locante, & lapidem exiſtentem ſeparatum ab omni alio corpore: quia poſſet illum facere extra vniuerſum, & vtroque modo eſſet non in loco, & tamen eſſet idem ſecundùm omne abſolutum in ſe. Per nihil igitur abſolutum in ſe neceſſariò requirit eſſe in loco, ſed tantùm habet neceſſariò potentiam paſſiuam, qua poſſit eſſe in loco, & hoc, poſito loco in exiſtentia actuali, & poſita præſentia eius reſpectu alicuius corporis locantis.

Quia locus eſt reſpectus extrinſecus aduenientis.

Declarat ſecundum ex ſex tactis, i. actualiter eſſe in loco. Tex. co. 23. 3. 4. & 5. explicantur.

h De ſecundo dico, quòd (ſuppoſito primo) corpus quantum eſt in loco in actu, quia in præciſo continente actualiter: non enim poteſt eſſe in loco, quin iſtud vltimum, quod eſt proximum continens, faciat illud eſſe actu, quia facit latera corporis continentis diſtare: ſecus eſt de parte in toto, quæ non facit ſuperficiem in potentia continentem ipſam eſſe in actu: & ideò non eſt pars in toto, ſicut locatum in loco 4. Phyſic.

De tertio dico, [i] quòd propter eandem quantitatem neceſſariò exigit corpus locum ſibi coæqualem. De quarto dico, quòd propter hoc idem, eſt in loco commenſuratiuè, ita quòd pars ſuperficiei contenti correſpondet parti ſuperficiei continentis, & totum toti. Quintum [k] competit corpori ex determinato loco locante.

Sextum declaratur. Vnde eſt naturalitas loci.

l, Sextum competit ſibi inquantum eſt corpus naturale, ex hoc ſcilicet quod inquantum habet formam ſubſtantialem determinatam, & qualitates determinatas, natum eſt ab aliquo locante conſeruari, & ſaluari, & ab aliquo corrumpi: & quando continetur ab vltimo illius, quod natum eſt ipſum ſaluare, dicitur eſſe in loco naturali, licèt naturalitas multùm accidat rationi loci: pro tanto igitur eſt in loco naturali, quia eſt in locante naturaliter, id eſt, eſt in vltimo alicuius continentis, quod natum eſt ſaluare contentum.

COMMENTARIVS.

1. *Quinque cõueniunt cuilibet corpori.* * al ſex.

a *AD quæſt. igitur ſoluendam. Primò videndum eſt de loco corporis: cuilibet enim corpori, præter vltimum, cuius non eſt aliud extra continens, quinque* * *conueniunt. Primò eſſe in loco actuali,* & eſt quando actu facit diſtare latera continentis. *Secundò in loco determinato, quia æquali,* ſcilicet à quo non excedatur, nec ipſum excedat, loquendo ſemper de loco proprio. *Tertiò eſt eſſe in loco commenſuratiuè,* quod eſt, quando locatum correſpondet toti loco, & pars locati parti determinatæ ipſius loci, vt exponit Doctor in quarto, diſt. 10. q. 1. art. 2. *Quarto, quòd ſit in loco determinato, ſcilicet hoc vel illo,* Quod eſt verum naturaliter, quia corpus eſt ſic in loco commenſuratiuè, quòd ſimul non poteſt eſſe in alio, ſupernaturaliter ſimul poſſet eſſe in pluribus locis cõmenſuratiuè, vt oſtendit Doctor in quarto, diſt. 10. q. 2. *Quintò eſſe in loco naturaliter, vel violenter,* & hoc non ratione loci ſimpliciter, ſed ratione qualitatis, vel alicuius inexiſtentis ipſi loco. Et ideò Doctor in quarto, *diſt.* 44. *q* 2. dicit, quòd *nullum, vt locans, eſt locato diſconueniens, niſi quia illud corpus eſt ſibi conueniens.* Hæc ille. Et hoc non eſt ratione ſuperficiei, ſed quia conſeruatiuum, vel diſconueniens naturæ locati, propter qualitates contrarias, ideò dicit quòd hoc quintum conuenit locato, inquantum eſt corpus naturale, quod inclinatur naturaliter ad talem locum conſeruatiuum, &c. Aliæ quatuor conditiones conueniunt locato, ſiue corpori, inquantum præcisè eſt quantum, non inquantum quale. Et probat, quia licèt omne corpus exiſtens ſit quale, tamen priùs eſt quantum, quàm quale, & in tali priori conueniunt illæ quatuor conditiones: & probat per Philoſophum 4. *Phyſic. tex. comm.* 76. quæ probatio clara eſt.

2. *Quæ ſit definitio loci.*

b *Exponendo autem iſta per ordinem.* Hìc Doctor primò exponit primam conditionem locati, & primò quid ſit locus corporis, & aſſignat definitionem Ariſt. 4. *Phyſ. tex. comm.* 41. ſcilicet quòd corpus eſt vltimum corporis continentis immobile primum, id eſt, ponendo quòd aliquod vas ſit locus vini adæquatè, quando eſt perfectè plenum: tunc vltimum vaſis, ſcilicet vltima ſuperficies vaſis, quæ eſt indiuiſibilis ſecundùm profunditatem, vas verò eſt diuiſibile ſecundùm profunditatem, eſt tamen ipſa ſuperficies in partes ſuperficiei diuiſibilis, quæ partes ſunt ſuperficies, & in lineas tanquam in terminos. Et hoc eſt quod dicit Doctor quòd *præciſum continens alicuius eſt indiuiſibile* in diuiſione, quâ diuiditur, puta ipſum vas, quod diuiditur in aliam, & aliam profunditatem, *vltimum ergo*, ſcilicet ſuperficies corporis continentis, puta ipſius vaſis continentis vinum, tanquam primum locatum ſibi adæquatum, dicitur locus. Et quod dicit infrà, quòd *iſta vltimitas non eſt de ratione loci, ſicut eſt de ratione continentis præcisè*, id eſt, quòd ad hoc, quòd ſuperficies contineat, non eſt de ratione ipſius, quòd ſit vltimum alicuius corporis: quod patet, quia ſi eſſet ſeparata à corpore, adhuc contineret, & tamen non eſſet vltimum alicuius, ſed ipſamet immediatè, & præcisè continet. Tamen pro iunioribus expono. Cùm dicit, *diuiſibile enim ſecundùm illam dimenſionem, ſecundùm quam eſt diuiſibile, non poteſt eſſe immediatè applicatum alicui, vt continens ipſum*, id eſt, quòd corpus locans, ſecundùm quòd eſt diuiſibile in profunditates, non poteſt immediatè, &c. Sequitur, *ſed præciſum continens immediatè eſt indiuiſibile*, ſcilicet vltima ſuperficies continentis corporis, quæ eſt indiuiſibilis, diuiſione ſcilicet qua corpus diuiditur. Sequitur, *nihil autem indiuiſibile de genere quantitatis per ſe exiſtit, ſed in aliquo diuiſibili*: patet de linea, quæ eſt indiuiſibilis diuiſione, qua diuiditur ſuperficies, & corpus, & ſuperficies eſt indiuiſibilis diuiſione, qua diuiditur corpus, quæ non poſſunt per ſe ſtare, ſed neceſſariò

ſunt

ſunt in corpore diuiſibili. Litera ſequens clara eſt, vſque ibi: *Vltra autem iſtam continentiam præciſam addit locus immobilitatem, qua diſtinguitur à vaſe ſecundùm Philoſophum, 4. Phyſ.* tex.com.41. Hæc immobilitas aſſignatur ab aliquibus ipſi loco per reſpectum ad polum arcticum, & antarcticum, & per reſpectum ad centrum terræ, quæ omnia ſunt immobilia.

3. *Centrum terræ eſt immobile.*

c *Sed breuiter dico* Hîc Doctor primò improbat illam opinionem, videlicet quòd locus dicatur immobilis per huiuſmodi reſpectum, quia variato tali reſpectu, non erit immobilis ſimpliciter: patet, quia ſecundùm illum reſpectum locus dicitur immobilis. Sed talis reſpectus poteſt variari, vt patet. Nam ſi manus mea actu ſit in aëre actu faciens diſtare latera ipſius, tunc illa vltima ſuperficies aëris, per te, dicit reſpectum ad polos, & ad centrum mundi; ſed illa ſuperficies poteſt variari: ergo & reſpectus fundatus in ea: & quòd poſſit variari, patet, quia ſi manus recedit ab illa parte aëris, tunc ille aër non eſt amplius locus, nec ſic illa ſuperficies actualis, cuius latera diſtant: ergo deſtructa illa deſtruitur, & reſpectus fundatus, & vltrà ſi deſtruitur ille aër, deſtruitur omne fundatum in illo. Et hoc eſt, quod dicit Doctor. Et cùm dicit, *ſiue locus ponatur abſolutum, ſiue reſpectiuum*, abſolutum pro illa ſuperficie diſtante, quæ habet reſpectum ad polos, &c. & illa poteſt deſtrui, quia & ſubſtantia, cuius eſt reſpectus, pro aliquo reſpectu, puta continentis, & ad polos, & ille ſimiliter poteſt deſtrui, vt probaui.

Quare locus dicatur immobilis.

d *Et ſi dicatur, quòd eſt vltimum totius vniuerſi*, &c. Diceret iſta opinio, quòd locus ideò dicitur immobilis, quia eſt vltimum, ſiue vltima ſuperficies corporis locantis reſpectu vniuerſi, & ſic, vt habet reſpectum ad vniuerſum, eſt immobilis; vt verò habet reſpectum ad corpus, in quo eſt formaliter, puta ad aërem, in quo eſt, non eſt immobilis.

Nec hoc ſaluat. Hîc Doctor improbat hanc ſecundam opinionem, & probat, quòd ille reſpectus variatur, ſiue illa ſuperficies: quia variatâ parte vniuerſi, variatur & ipſa: non enim habet reſpectum ad vniuerſum, niſi per partem in qua eſt.

4. *Opinio propria Scoti.*

e *Dico igitur, quòd locus*, &c. Hic Doctor ponit opinionem propriam. Et primò probat, quòd locus habet immobilitatem oppoſitam motui locali, id eſt, quòd non poteſt moueri localiter. Et quòd non moueatur per ſe localiter probatur, quia ſi locus, qui dicatur A, mouetur localiter, recedit ab vno loco, & accedit ad alium: ergo ſi A recedit à loco: ergo A erat in loco, quæro de illo alio loco, an moueatur localiter, aut non; ſi non, ergo nec A, quia non eſt maior ratio de vno loco, quàm de alio. Si ſic, ergo erat in loco, & ſic proceſſus in infinitum. Hoc idem dico quando accedit ad alium locum; quia ſi A accedit ad alium locum, & non erit ſimul cum illo alio loco, quod habet expellere, ſicut corpus expellit aliud corpus, &c. Quòd nec etiam moueatur per accidens, quia ſimiliter eſſet proceſſus in infinitum, quia ſi dico, quòd A mouetur per accidens localiter recedendo ab alio loco, ergo fuit in illo loco per accidens, quæro de illo alio, vt priùs. Et quòd locus, qui mouetur per accidens, ſit in loco per accidens, probat per ſimile de ſimilitudine, puta fundata in lapide, quia non dicimus, ſimilitudo talis mouetur localiter per accidens ad motum lapidis: ergo ſicut lapis eſt in loco per ſe, ſcilicet alio, & alio, ſimilitudo per accidens erit in alio, & alio loco, hoc idem dicendum eſt de loco, ſi mouetur per accidens.

5. *Secundo Topicorum c. 3.*

Et addit quòd ſi locus poſſet moueri localiter, quòd tunc quieſcens poſſet moueri localiter: nam quod habet alium, & alium locum ſucceſſiuè, localiter mouetur: fixum autem poſſet habere alium, & alium locum continentem, ſi moueretur locus per accidens. Si dicatur, poſito quòd vltima ſuperficies cæli ſit locus iſtorum inferiorum, & cælum ſemper mouetur: ergo & ſuperficies exiſtens in eo mouetur per accidens: quia motis nobis mouentur omnia quæ in nobis ſunt; ſicut etiam conceditur de ſimilitudine, quòd mouetur per accidens ad motum ſubiecti. Dico breuiter, quòd hoc eſt inconueniens de loco, ſiue loquendo de loco materiali, ſcilicet ſuperficie; ſiue de loco formali, ſcilicet de ipſo reſpectu locantis ad locatum, quia eſt inconueniens dicere locum eſſe in loco, ſiue per ſe, ſiue per accidens; ſed non eſt ſic inconueniens, quòd ſimilitudo ſit in loco per accidens; & hoc patet, quia ſi eſſet in loco per accidens, tunc quieſcens poſſet moueri localiter, quia omne, quod eſt in loco, poteſt localiter moueri de loco ad locum: ſed locus inquantùm locat, ſiue vt habet rationem loci, eſt fixus, ſiue quieſcit; non enim locus, vt locus mouetur ad locabile, ſed benè locabile mouetur ad locum, acquirendo aliam, & aliam partem loci, quia locabile facit actu latera continentis diſtare; licèt enim aqua continuè moueatur circa palum fixum in aqua, non tamen conceditur, quòd locus, qui locat palum, moueatur localiter, ſed tantum palus mouetur localiter per ſe, & contenta in illo per accidens mouentur.

6. *Quomodo locus ſit incorruptibilis.*

f *Secundum probo.* Hîc Doctor probat quomodo locus eſt incorruptibilis, & dicit duo. Primum, quòd in ſe eſt corruptibilis. Secundum, quòd eſt incorruptibilis per æquiualentiam. Et ad hoc videndum, ſupponit primò quòd *locus* poteſt accipi tripliciter. Primò, pro corpore locante, vt aëre. Secundò, pro ſuperficie vltima corporis locantis. Tertiò, pro reſpectu fundato in ſuperficie locantis, & terminato ad ipſum locatum, qui reſpectus eſt quædam relatio locantis ad locatum: & talis reſpectus dicitur locus formalis, ſiue *vbi* formale, vt patet à Doctore *in 4. diſt. 49. & in tertio.* Similiter *locatum* poteſt accipi tripliciter. Primò, pro ipſa re locata. Secundò, pro vltima ſuperficie rei locatæ. Tertiò, pro relatione paſſiuâ ipſius locati paſſiuè ad locans actiuè. Hoc ſuppoſito dico, quòd locus pro reſpectu eſt corruptibilis in ſe, vt patet, quia ſi locatum recedit, ſimiliter & talis reſpectus corrumpitur. Similiter locus ſecundo modo, ſcilicet pro vltima ſuperficie locantis actuali corrumpitur, quia recedente corpore ab aëre, amplius non eſt illa vltima ſuperficies actualis, cuius actu latera diſtent, & ſic corrumpitur.

Locatum poteſt accipi tribus modis.

7. Circa hanc literam occurrit aliquod dubium, ſpecialiter circa hoc, quod dicit Doctor quòd locus formaliter acceptus, ſcilicet pro reſpectu locantis ad locatum eſt ſimpliciter corruptibilis. Contra hoc inſtatur, quia omne per ſe corruptibile eſt per ſe generabile; ſed locus acceptus pro tali reſpectu, non eſt per ſe generabilis: ergo non eſt per ſe corruptibilis. Maior patet *primo de Generatione*, Minor probatur, primò auctoritate Philoſophi. 5. Phy. t. com. 10. vbi ſic habetur, *Neque* (inquit) *in relatione etiam eſt motus, quoniã poſſibile eſt, vt alterum relatiuorum tranſmutetur abſque eo, quod*

quòd alterum tranſmutatur. Hæc ibi, ſecundùm aliam tranſlationem : cùm ergo locus vt ſic formaliter acceptus, ſit relatio, ſequitur quòd nullo modo ſit per ſe generabilis.

Secundò probatur eadem minor ratione ; quia ſi talis locus formaliter acceptus eſſet per ſe generabilis, ſequeretur quòd actu ſimul generarentur infinitæ relationes actu, & ſic actu darentur infinitæ relationes numero : conſequens eſt falſum, & contra Philoſophum, & Commẽtatorem, qui expreſsè negant infinitatem numeralem, & de hoc ſatis dixi ſuper 2. Meraph. Doctoris in quæſtionibus de Infinito. Conſequentia probatur, & pono caſum, quòd corpus pedale acquirat locum, puta ſubintrando ſuperficiem aëris, continentem corpus pedale, ſtatim ſequitur, quòd ſicut in ſuperficie continente ſunt infinitæ partes inexiſtentes, & infinita puncta, ita infinitarum partium ſuperficiei ad infinitas partes corporis pedalis, erunt infiniti reſpectus ; & ſimiliter infinitorum punctorum ſuperficiei materialiter locantis ad infinita puncta corporis pedalis, erunt infiniti reſpectns ; & ècontra, infinitarum partium, & infinitorum punctorum corporis pedalis, ad infinitas partes, & ad infinita puncta ſuperficiei continentis, erunt actu infiniti reſpectus. Iſta conſequentia vltima ſatis patet à Doctore *in 4. diſt.* 10. vbi vult, quòd locus circunſcriptiuè, & formaliter acceptus (& hoc loquendo de loco paſſiuo, ſiue circunſcriptione paſſiua) eſt formaliter correſpondentia totius locati toti ſuperficiei continentis, & omnium partium ipſius locati, ad omnes partes ſuperficiei ipſius locantis : ita quòd ſicut totum ſignatum correſpondet toti, ita pars ſignata correſpondet parti ſignatæ, & punctum ſignatum correſpondet puncto ſignato ; & ſic quælibet pars, & quodlibet punctum dicit actu reſpectum ad partes, & ad puncta, quibus correſpondet, & cùm talia ſint actu infinita, ſequitur quòd actu erunt infiniti reſpectus.

Lychetus fecit quæſtiones in Metaphyſicam.

8. *An locus ſit corruptibilis.*

Reſpondeo, concedendo locum formaliter acceptum eſſe per ſe generabilem & cùm probatur : quòd non, auctoritate Philoſophi. Dico, quòd Philoſophus loquitur tantùm de relatione intrinſecùs aduenient, vt clarè patet à Doctore *in tertio, diſt.* 1. *q.* 1. Sed locus formaliter acceptus, ſiue actiuè, ſiue paſſiuè, eſt tantùm relatio extrinſecùs aduenieus, vt patet à Doctore, *in quarto, diſt.* 10.

Ad ſecundum dico, quòd ſicut in locato ſunt infinitæ partes inexiſtentes, ita ſunt infiniti reſpectus, ſed quia tamen non poſſent actu ſignari infinitæ partes, cùm quælibet ſit in infinitum diuiſibilis, vt infrà patebit q. 9. ita nec illi reſpectus fundati in illis partibus ſunt actu ſignabiles. Et vltrà, non habeo pro inconuenienti poſſe eſſe infinitos reſpectus, etiam reales, ſed de hoc aliàs erit ſermo.

Secundò principaliter dico, quòd locus ſecundo, & tertio modis, eſt incorruptibilis per æquialentiam : patet, quia ir eodem inſtanti, quo corpus A recedi. ab aëre, ſubintrat aliud corpus faciens latera continentis diſtare, & ſic in ipſo aëre continente eſt alia ſuperficies à prima, modo præexpoſito, & alia relatio ad locatum ſubintrans, & ſic talis locus dicitur incorruptibilis per æquialentiam, quia in eodem inſtanti, quo locus ſecundo, & tertio modis, in ſe deſinit per ſubintrationem alterius corporis in ipſo aëre fit locus ſecundo, & tertio modis ſimilis primo.

9. *Declaratio litera.*

Quia tamen hæc litera eſt aliqualiter difficilis, declaro ipſam. Cùm dicit ibi : *Nec eadem ratio loci poteſt manere in aqua ſuccedente, quia idem accidens numero non poteſt manere in duobus ſubiectis.* Hoc patet, quia ſi accipiatur *locus* pro vltima ſuperficie aëris, cuius latera actu diſtant, talis ſuperficies, quæ ſubiectiuè eſt in aëre, non poteſt poſtea eſſe in alio locante, ſiue priore, ſiue in ſuccedente ipſi priori, quia tunc idem accidens numero migraret de ſubiecto in ſubiectum. Siue etiam accipiatur *locus* pro reſpectu locantis ad locatum, fundato in vltima ſuperficie ipſius continentis, patet quòd non poteſt eſſe in alio locante, quia tunc idem accidens numero migraret de ſubiecto in ſubiectum, Sequitur, *tamen illa ratio loci ſuccedens, quæ eſt alia à ratione precedenti, ſecundùm veritatem eſt eadem precedenti per æquiualentiam, quantùm ad motum localem.* Vult dicere Doctor quòd quando in eodem inſtanti corpus recedit à loco, & aliud ſubintrat, quòd à priori *vbi*, in quo erat primum locatum ad ſecundum *vbi* ſuccedens, in quo fit ſecundum locatum ſuccedens priori, non eſt motus localis : patet, quia illa duo *vbi*, ſiue illi duo reſpectus, tantùm numero differunt, vt patebit. Tum etiam, quia motus localis fit in tempore, hìc autem in eodem inſtanti, quo locatum prius recedit à loco, aliud locatum ſubintrat ; & ſic in eodem inſtanti, quo corrumpitur primus reſpectus, qui erat ad prius locatum, ſuccedit alius ad ſecundum locatum : tum etiam, quia inter primum locatum recedens à loco, & ſecundum locatum ſuccedens, non eſt aliquod ſpacium interceptum, propter quod poſſit eſſe motus localis. Sequitur, *Nam ita incompoſſibile eſt localem motum eſſe ab hoc loco in hunc locum, ſicut ſi eſſent omninò idem locus numero,* id eſt, quòd ſicut ab eodem loco numero ad eundem numero non poteſt eſſe motus localis, vt patet ; ita à loco recedente ad locum immediatè ſuccedentem, non poteſt eſſe motus localis : vterque enim reſpectus locantis ad locatum poteſt eſſe ſimpliciter in eadem ſuperficie, quod non contingit de locis, inter quæ eſt motus localis, & hoc propter ſpacium interceptum neceſſariò requiſitum.

Motus localis fit in tẽpore.

10. Sequitur. *Nullus autem idem motus localis poteſt eſſe ab vno* vbi *ad aliud* vbi, *quæ duo* vbi *non correſpondeant duobus locis differentibus ſpecie propter ſpacium interceptum, quia habentibus alium reſpectum non tantum numero, ſed etiam ſpecie ad totum vniuerſum.* Vult dicere Doctor quòd illa duo *vbi*, inter quæ eſt motus localis, de neceſſitate correſpondent duobus locis ſpecie diſtinctis. Loca ſpecie diſtincta reſpectu vniuerſi, ſunt ſurſum, deorſum, dextrum, ſiniſtrum, antè, & retrò, quæ ſunt ſpecies loci poſitæ ab Ariſtotele. Aduerte tamen, quòd iſta loca vt ſpecie differentia, formaliter tantùm dicunt reſpectus ſpecie diſtinctos, & fundamentaliter dicunt ipſam ſuperficiem, quæ nõ differt ſpecie ab illa ſuperficie, puta ſuperficies ſurſum, & deorſum non differunt ſpecie, vt patet. Dicit ergo Doctor, quòd quando A localiter mouetur, de nececeſſitate recedit, puta ab *vbi* ſurſum, & accedit ad *vbi* deorſum, vt patet de graui reſpectu centri, vel mouetur à loco dexrro ad locum ſiniſtrum. Iſta ergo *vbi*, inter quæ eſt motus localis, ſemper differunt ſpecie, quia talia *vbi* correſpondent locis ſpecie diſtinctis, puta quando mouetur ab *vbi* ſursũ ad *vbi* deorſum, *vbi* ſurſum correſpõdet loco ſurſum, & *vbi* deorſum correſpondet loco deorſum ; & talia loca ſunt loca communia, quæ fortè non corrumpuntur, ſed benè loca propria. Exemplum, vt cùm lapis mouetur à loco ſurſum,

Exemplum.

corrum

corrumpitur proprium *vbi* correſpondens tantùm ipſi lapidi.

11. Et dicit Doctor, quòd talis diſtinctio ſpecifica inter illa loca contingit propter ſpacium interceptum: patet, quia ſi non eſſet ſpacium interceptum inter A, & B, non poſſet aſſignari nec ſurſum, nec deorſum reſpectu A & B. Sed quando vnus locus ſuccedit alteri loco reſpectu eiuſdem contenti, non poteſt intercipi aliquod ſpacium inter illa duo loca. Ideò meritò dicit Doctor quòd tantùm differunt numero. Sequitur: *Ex hoc illi reſpectus, qui ſunt tantùm numero alij, videntur vnus numero, quia ita ſunt indiſtincti reſpectu motus localis, ſicut ſi tantùm eſſet vnus reſpectus.* Vult dicere, quòd illa duo *vbi* (ſiue reſpectus) ſibi inuicem ſuccedentia, ex quo tantùm numero differunt (vt ſuprà expoſui) videntur vnus numero: & hoc non abſolutè, ſed reſpectu motus localis, id eſt, quòd illa duo *vbi* reſpectu motus localis ſic ſe habent, ac ſi tantùm eſſent vnum *vbi* numero: & hoc quantùm ad impoſſibilitatem motus localis, quia ita impoſſibile eſt motum localem eſſe inter illa duo *vbi*, ſicut impoſſibile eſt motum localem eſſe ab vno *vbi* numero ad idem ſimpliciter.

12. *Scotus mouet vnam difficultatem.*

g *Sed nunquid omne corpus aliud à primo corpore neceſſariò eſt in loco, quia quantum.* Hìc Doctor incidentaliter mouet vnam difficultatem de corpore quanto, ſiue vt præcisè conſideratur in quantùm quantum, prout ly *quantum* diſtinguitur contra corpus naturale: quærit ergo, an omne corpus quantum aliud à primo cælo neceſſariò ſit in loco.

Reſpondet primò quantùm ad opinionem Philoſophorum, ſecundò quantùm ad opinionem fidelium.

Primo modo diceret Philoſophus quòd omne corpus aliud à primo cælo, ſiue aliud à corpore cœleſti de neceſſitate eſt in ſphæra actiuorum, & paſſiuorum, & neceſſariò continetur ſub aliquo præcisè continente. Nam quodlibet tale, vltra quod poſſit eſſe in loco communi, eſt etiam neceſſariò in aliquo ſibi proprio præcisè continente ipſum.

Non omne corpus eſt in loco ſecũdùm Theologos.

Sed ſecundo modo diceret Theologus, quòd non neceſſariò omne corpus aliud à corpore cœleſti eſt in loco, quia Deus poſſet facere lapidem extra vniuerſum, & per conſequens lapis non eſſet in loco.

Et dicit duo. Primum, quòd poſſet facere lapidem extra vniuerſum, non exiſtente aliquo alio corpore: patet, quia poſſet deſtruere totum vniuerſum, ſolo lapide remanente, & ſic lapis non neceſſariò eſt in loco.

Secundum, quòd etiam exiſtente alio corpore apto nato locare lapidem, tamen poſſet facere lapidem non eſſe actu præſentem tali corpori, & per conſequens non locari.

13. Addit Doctor quòd per nihil abſolutum in ſe corpus quantum neceſſariò requirit eſſe in loco; patet, quia ſi per aliquod abſolutum in corpore neceſſariò requireret eſſe in loco, tunc Deus nullo modo poſſet facere lapidem ſine loco. Sed tantùm habet neceſſariò potentiam paſſiuam, qua poſſit eſſe in loco, quia vltimam ſuperficiem, propter quam natum eſt circunſcribi, vel propter quam natum eſt eſſe in potentia ad *circunſcribi* paſſiuè, & hoc poſito loco in exiſtentia actuali, & poſita præſentia eius reſpectu alicuius corporis locantis, id eſt, quòd corpus, cùm ſit in potentia paſſiua ad *circunſcribi*, neceſſariò actu eſt in loco iſtis duobus poſitis, ſcilicet loco in exiſtentia actuali, & præſentia eius reſpectu corporis locantis, id eſt, quòd vltima ſuperficies corporis locantis actu ſit præſens corpori apto nato locari. Sed de iſta materia, an Deus poſſit facere lapidem ſine loco vtroque modo, prolixiùs tractatur à Doctore in quolib. q. 11.

14. h *De ſecundo dico.* Secundum declarandum erat, ſcilicet eſſe in loco actuali. Dicit Doctor, quòd ſuppoſito primo, (quod eſt eſſe in loco) *corpus quantum eſt in loco actu*, &c. Et debet ſic intelligi litera, quòd corpus non poteſt eſſe in loco, quin tale corpus faciat vltimum continens, id eſt, vltimam ſuperficiem corporis continentis eſſe in actu, quæ ſuperficies intelligitur eſſe tunc in actu, quando corpus contentum actu facit diſtare latera eius.

Addit, *ſecus eſt de parte in toto*: nam pars in toto non facit per ſe diſtare latera continentis, vt patet de materia, & forma, & etiam de partibus integralibus, quæ non ſunt in toto quantitatiuo, vt locatum in loco, ſed ſicut pars in ſuo toto, vt patet quarto Phyſic. tex. com. 23.

Nota de materia, & forma.

i *De tertio dico.* Tertium exponendum erat eſſe in loco determinato, quia æquali: dicit Doctor quòd corpus locatum propter eandem quantitatem exiſtentem in tali corpore, neceſſariò exigit corpus locum ſibi coæqualem, id eſt, quòd exigit ſuperficiem in corpore locante coæqualem ſuperficiei corporis locati, & loquitur de loco proprio, & non communi.

15. *Quomodo corpus locatũ ſit in loco.*

De quarto dico. Quartum declarandum erat eſſe in loco commenſuratiuè: dicit Doctor quòd corpus locatum propter vltimam ſuperficiem, quam habet, eſt in loco commenſuratiuè, ita quòd pars ſuperficiei corporis locati correſpondet parti ſuperficiei corporis locantis, & tota ſuperficies ipſius corporis locati correſpondet toti ſuperficiei ipſius locantis. De qua correſpondentia patebit in quarto, diſt. 10. q. 1.

k *Quintum competit corpori ex determinato loco locante.* Quintum declarandum erat eſſe in loco determinatè hoc, vel illo. Dicit Doctor quòd corpus eſſe in loco determinato, eſt ita ſic eſſe in iſto loco, quòd non in alio competit tali corpori ex determinato loco ipſum locante, quia locus adæquat ſibi locatum, & commenſurat, & ſic eſt præſens illi locato commenſuratiuè, quòd non alteri. Loquendo ſemper de loco circunſcriptiuo formaliter, qui dicit reſpectum corporis circunſcribentis ad corpus circunſcriptum: ſed non ſic eſt de loco fundamentali, ſiue naturali, qui dicit vltimam ſuperficiem continentis, quia vt ſic, idem locus poteſt eſſe reſpectu duorum, vel trium corporum, vt habet videri in 4. diſt. 10.

16. *Eſſe in loco naturaliter competit corpori.*

l *Sextum competit ſibi inquantùm eſt corpus naturale.* Sextum declarandum erat eſſe in loco naturaliter vel violenter. & dicit quòd eſſe in loco naturaliter competit corpori, inquantùm tale corpus naturale, ex hoc ſcilicet quòd inquantùm habet formam ſubſtantialem determinatam, & qualitates determinatas, natum eſt aliquo locante conſeruari, & ſaluari, & ab aliquo corrumpi, & quando continetur ab vltimo illius, quod natum eſt ipſum ſaluare, dicitur eſſe in loco naturali, licèt naturalitas multùm accidat rationi loci: patet, quia ratio loci, vel eſt vltima ſuperficies corporis continentis, vel reſpectus fundatus in tali ſuperficie, de quo ſuprà dixi: modò

naturalitas iſta ſumitur penes qualitates inexiſtentes corpori locanti, propter quas vnum corpus dicitur conſeruari, & ſaluari, & aliud corrumpi. Et ſic patet iſta litera.

17. *An aliquid dicatur moueri localiter.*

Aliqui tamen expoſitores Doctoris in iſto loco mouent hanc difficultatem, videlicet, vtrùm aliquid dicatur moueri localiter, per hoc quòd locus continuè, & continuè variatur circa locatum, ſic quòd continuè ſit in alio, & alio loco. Reſpondent quòd non, quia ſi ſit planta in campis, & flet ventus circa ipſam, continuè aër mouebitur circa ipſam, & non erit idem locus, numero, tamen erit vnus per æquiualentiam ad motum localem, ſic quòd in ipſis diuerſis locis numero, non poteſt eſſe motus localis. Sed ad hoc, quòd ſit motus localis oportet locatum exire locum, in quo eſt, & deſerto illo, acquirere nouum locum, non ſic facit planta, quia non deſerit locum, cùm ſemper ſit in eadem diſtantia ad polos mundi, & ad centrum, & ad alias arbores circunſtantes, & ideò non deſerit locum, ſed magis locus deſerit plantam. Licèt hoc ſit ſatis bene dictum, tamen non videtur multùm eſſe ad mentẽ Doctoris qui vult expreſsè, quòd idem dicatur moueri localiter: vt habet alium, & alium locum ſucceſſiuè; vnde ſic dicit, reſpondendo ad primam quæſtionem præſentis diſtinctionis, *quod habet alium, & alium locum ſucceſſiuè localiter mouetur, fixum autem poſſet habere alium, & alium locum continentem, ſi moueretur locus per accidens.* Hæc ille. Tamen quicquid ſit de hoc, forſè tamen aliàs pertractabitur.

SCHOLIVM.

Applicando doctrinam de loco corporum ad Angelum, docet primò, eam non eſſe neceſſariò in loco poſitiuo, quia à nullo creato dependet eſſentialiter, poſſe tamen eſſe in loco, ſiue hoc fundetur in eius ſubſtantia, ſiue in eadem qua limitata exiſtens. Secundò, docet non poſſe eſſe in loco quantumcunque magno, quia hoc eſt proprium Dei. Tertiò facit difficillimum argumentum Mathematicum, quòd non poſsit eſſe in loco quantumuis minimo, quia ſic poſſet eſſe ſimul in cœlo & in terra: ſed hoc non aſſerit, quia ſtatim problematicè tenet, an poſsit eſſe in puncto nec ne, & certum eſt, ſi poteſt eſſe in puncto, quòd poteſt eſſe in loco minori quocunque ſignato. Problematicè etiam tenet, an Angelus habeat locum ita determinatum, vt non poſsit eſſe in maiori vel minori.

AD propoſitum a igitur iſta applicando de Angelo, dico, quòd Angelus non neceſſariò eſt in loco: quia multò magis poſſet fieri Angelus ſine creatione creaturæ corporalis, vel facta creatura corporali poſſet fieri, & eſſe extra omnem creaturam corporalem: & tamen in Angelo eſt potentia paſſiua, qua poſſet eſſe in loco. Et iſta potentia, vel fundatur immediatè in eius ſubſtantia, qua poſſet eſſe in loco, vel in ipſa, inquantùm eſt natura limitata actualiter exiſtens, vel in aliquo extrinſeco ipſi Angelo, quidquid ſit illud: & ideò non oportet quærere aliquam intrinſecam rationem eſſendi Angelum in loco neceſſariò, quia ibi nulla eſt: ſed tantummodò eſt in ipſo potentialitas paſſiua, qua poteſt eſſe in loco, quia non repugnat ſibi. 11.

Ratio eſſendi in loco Angelo, eſt ſua ſubſtantia.

Suppoſito igitur iſto b primo, non oportet, quòd ſit in loco in actu, quia non oportet, quòd ſit in aliquo continente indiuiſibili actualiter exiſtente: non enim facit latera continentis diſtare: & ideò non facit ſuperficiem continentem in actu.

Non poteſt Angelus eſſe in loco quantũuis magno cõtra Dur.

De tertio eſt dubium, & de hoc mota eſt ſecunda quæſtio. Conceditur tamen communiter quòd non poteſt eſſe in loco quantumcunque magno, quia hoc eſt proprium Dei: & ex hoc videtur non poſſe eſſe in loco quantumcunque paruo, ex 35. primi Euclidis, vbi vult, quòd quidquid poteſt eſſe in vno æqualium, & in reliquo, ſi ſibi figuratio non repugnat.

Quod poteſt eſſe in vno æqualium & in reliquo, ſi non obſtat figura.

Ex hoc arguo ſic: Quidquid c poteſt eſſe in vno æquali, poteſt eſſe in altero, ſi ſibi non repugnat figuratio aliqua, ſecundùm quam vnum diſtinguitur ab alio: ſed Angelo nulla figuratio loci, in quo eſt, repugnat: igitur ſi poteſt eſſe in vno æquali: & in altero: & per conſequens ſi poteſt eſſe in quadrato qnantumcunque paruo, vel ſtricto, quòd oportet ponere dicendo, quòd non repugnat ſibi eſſe in quantocunque loco. ſequitur, quòd non repugnat ſibi eſſe in loco quantumcunque longo, quia quadrangulus eſt æqualis iſti quadrato paruo, in quo poteſt eſſe. Illud declaratur d per oppoſitum in corpore naturali: ideò enim aqua, quæ poteſt eſſe in quadrato, non poteſt eſſe in quadrangulo quantumcunque longo, quia non poteſt eſſe in loco quantumcunque ſtricto, & ideò non poteſt quantumcunque protendi ſecundùm magnitudinem: non enim poteſt protendi ſecundùm longitudinem, niſi conſtringatur ſecundùm latitudinem: & ſi non poteſt in infinitum conſtringi ſecundùm latitudinem, non poteſt in infinitum protendi ſecundùm longitudinem. Oppoſitum eſt in propoſito: ſi enim Angelus non determinet quantumcunque locum in minus, tunc poterit eſſe in loco quantumcunque ſtrictiori, & ſtrictiori: hoc eſt falſum: ergo, &c. 12.

Si angelus poteſt eſſe in loco quantumcunque paruo, poterit eſſe in virgula extenſa à cælo in terram vſque: quia

Prætereà, ſi quantitas e aliqua virtutis eſt in Angelo, ſecundùm quam poteſt eſſe in aliquo

corpus minimũ ſtringendo in infinitum protendi poteſt.

aliquo loco proportionabiliter ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ, puta iſto tantùm, & illo tantùm, poſſet tamen ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ facere ſe in minori loco iſto quantumcunque ſibi adæquato: hoc autem poſſe eſt alicuius virtutis actiuæ in eo, quia in poteſtate ſua eſt, vt poſſet vti ea ad effectum ſibi adæquatum, vel non: igitur magis poſſe habere iſtam quantitatem in poteſtate ſua eſt perfectius, quia maiorem habet virtutem actiuam, & ita eſt potens vti illa virtute actiua in infinitum ad eſſendum in minori, & minori loco, quàm ſit ille locus ſibi adæquatus: igitur habet potentiam infinitam. Conſequens eſt inconueniens, igitur & antecedens: ſicut igitur ſi poſſet in infinitum eſſe in maiori, & maiori loco, concluderetur infinitas virtutis ſuæ: ita concluderetur infinitas virtutis ſuæ, ſi poſſet eſſe in infinitum in minori, & minori. 13.

Quadratũ eſt vndique æqui laterum, quadrangulus non.

f Si tamen poſſet eſſe in puncto, vel non, non videtur ratio neceſſaria nec ad vnam partem nec ad aliam: quia licèt Angelus ſit indiuiſibilis, non habet tamen indiuiſibilitatem limitatam ſicut punctus: & ideò non oportet ipſum eſſe in puncto ſicut in loco.

D. Bona. tenet affirmatiuam. Var. negatiuam.

Nec fortè repugnat ſibi eſſe in puncto ſicut in loco: quia nullum inconueniens videtur ex hoc inferri, quia ſi ex eſſe in puncto ſicut in loco hoc inferatur, quod non poſſet moueri localiter, niſi ſpatium eſſet ex punctis; non ſequitur. Poſſet enim immediatè ex loco punctuali ferre ſe in continuum, cuius continui punctus eſt terminus.

Quære D. Th. 1. p. q. 52. art. 2.

Angelum eſſe in puncto, nec ne, problema.

De iſto g igitur articulo videtur concludendum, quòd habet locum determinatum; indeterminatè tamen hoc modo, quia aliquis locus eſt, quo maiorem non poſſet habere: & aliquis, quo non poſſet habere minorem, loquendo de loco continuo, licèt forte poſſet eſſe in puncto.

Vtrùm autem h determinatum locum requirat, & determinatè, ita quòd habens tantam virtutem, ſi eſt præſens loco de neceſſitate eſt præſens tanto loco, nec in poteſtate ſua eſt, quòd ſit præſens maiori, & minori loco: ſicut eſt de corporibus, quia quodlibet eſt neceſſariò in loco ſibi æquali: anima etiam intellectiua neceſſariò eſt in loco totius corporis animati, ita quòd nõ eſt in poteſtate eius eſſe in loco maiori, vel minori. Hoc enim dubium eſt, quia nec videtur poſſe faciliter probari vna pars nec alia. Quod quidem inconueniens eſt, ſi quantitas ſua virtualis, per quam poteſt eſſe præſens alicui loco, ſit naturalis ratio eſſendi in tanto loco ſuo modo, ſicut quantitas corporis eſt naturalis ratio eſſendi in tanto loco ſuo modo: ita quòd licèt in poteſtate mea ſit me eſſe in hoc loco, vel in illo loco, non tamen eſt in poteſtate mea eſſe in tanto loco, vel in tanto: quia iſte effectus eſt naturaliter conſequens quantitatem, quæ non ſubeſt poteſtati meæ: ſicut nec in ſe, ita nec quantùm ad iſtum effectum, eſſe ſcilicet in tanto, loco, vel tanto. Nibil ergo videtur ſequi inconueniens ſi ita poneretur in Angelis. Vel ſi ponatur, quòd quantitas eorum habeat aliquem locum adæquatum, quo maiorem non poſſet habere ſecundùm conditiones ſuæ virtutis, & eſſentiæ: licèt tamen ipſa ſubſit voluntati Angeli, vt poſſit non ſemper habere illum locum, ſed maiorem, vel minorem; non ſequitur inconueniens. 14.

Angelum habere locum determinatum, vt non poſſit habere maiorem vel minorem: problema, al. cum.

De quarto patet, quòd non eſt in loco commenſuratiuè, quia non habet partem, & partem cum partibus loci. 15.

Vnde determinatur angelus ad hunc locũ?

De quinto i dico, quòd eſt in hoc loco vel illo, quia non eſt vbique, & huius ratio quærendum eſt, dico igitur, quòd ſi aliquid poſſet eſſe ſecundùm ſe in potentia paſſiua determinatè ad aliquod genus phyſicum, & non eſt determinatè in potentia paſſiua ad aliquam ſpeciem illius generis; tunc ab eodem reducitur illud ad actum illius generis, & ſpeciei, ſicut ſi ſuperficies, vnde ſuperficies ſit ex ſeſe determinata ad colorem, & non ſit ex ſe determinata ad albedinem, vel nigredinem: tamen ab eodem agente reducitur ad actum coloris, & alicuius coloris: quia non eſt colorata, niſi quia ſic eſt colorata.

i. celo empyreo. q. 9. & 10. Angelus non eſt in loco naturaliter.

Ita dico hic, quòd licèt Angelus ſit in potentia ad *vbi* in communi, & non ex ſe determinatus ad hoc *vbi* vel illud: tamen ab eodem agente reducitur ad hoc vt ſit actualiter in loco, & in hoc loco, vel illo, illud autem, quòd primò poteſt eſſe in loco, eſt à Deo producente ipſum ſuper creaturam corporalem continentem: ſed ex tunc poteſt reducere ſeipſum ad actum iſtum, ſicut patebit in quæſtione de motu Angeli.

c. 2. Motus cæli an naturalis.

k De ſexto dico, quòd non eſt in aliquo loco naturaliter, quia tunc eſſet in aliquo loco violenter, tunc etiam aliquod corpus haberet naturalem aptitudinem ad ipſum conſeruandum in loco: & aliquod corpus ad ipſum corrumpendum. 16.

Et confirmatur l ratio per Auic. 9. *Metaph.* vbi vult, quòd motus cæli non eſt naturalis: quia tunc terminaretur ad quietem naturalem, & motus ab illa quiete eſſet violentus

lentus,& ita eſt in propoſito:& hoc accipiendo naturalitem propriè, ſicut illud dicitur moueri naturaliter,quod inclinatur naturaliter ad motum

De potentia neutra vide Sco. q.1.prol.& 4.d.43.q.4.

m Ex iſto ſexto patet, quòd illa potentia paſſiua, quæ eſt in Angelo ad eſſendum in loco,non eſt naturalis,nec violenta ſed neutra; quia nec iſtud paſſum inclinatur ex ſe naturaliter ad iſtam formam, nec ad oppoſitum: ſed neutro modo ſe habet ad iſta, ſicut ſuperficies ad albedinem,& nigredinem indifferenter ſe habet.

Ad arg. 1. quæſt.5.

n Ad argumenta, omnes auctoritates,quæ negant Angelum eſſe in loco, ſunt exponendæ,quòd verum dicunt ipſum non eſſe in loco circumſcriptiuè, circumſcriptio autem includit eſſe in loco actu, & æquali, & commenſuratiuè, iuxta ſecundam, tertiam,& quartam conditiones * locati,quæ non conueniunt Angelo. 17.

ad loci.

Ad 2.

o Ad illud Philoſophi,poteſt concedi, quòd ſuperficies aliqua corporis continet Angelum:non tamen ex hoc ſequitur quòd ſit agens influens, vel continens reſpectu eius;quia continentia loci eſt alterius rationis à continentia formæ vel ſpeciei, talis enim continentia nihil aliud eſt hîc, niſi contentum eſſe intra hanc ſuperficiem continentem, & nihil eius eſſe extra,& hoc verum eſt in quocunque contento difinitiuè, quia nihil eius eſt extra locum ambientem.

Ad 3.

p Ad illud de ſitu,ſiue vt accipitur pro differentia quantitatis,ſiue vt eſt Prædicamentum, ſi illud prædicamentum præſupponat quantitatem, neutro modo maior eſt vera:quia non oportet omne ens in loco habere ſitum altero illorum modorum,niſi ſit in loco circumſcriptiuè.

ſ. 6. in ordine.

Ad ſecundam quæſt. patet ex dictis in 3.artic.ſcilicet de loco determinato.

COMMENTARIVS.

1. *Quomodo Angelus non neceſſariò ſit in loco.*

a *AD propoſitum.* Nunc Doctor reſpondet ad principale quæſitum, ſcilicet *An Angelus ſit in loco,*& reſpondendo dicit primò,quòd Angelus non neceſſariò eſt in loco, & probat per argumentum à minori, quia minùs videtur corpus poſſe eſſe ſine loco,quàm Angelus, & tamen poteſt eſſe, vt ſuprà patuit:ergo & Angelus. Pro nunc aduerte, quòd non quærit Doctor de loco circumſcriptiuo reſpectu Angeli, cùm nullo modo poſſit circunſcribi,ſed de loco definitiuo, quo ſit præſens alicui corpori. Et dicit, quòd non neceſſariò Angelus eſt in aliquo loco difinitiuo, quia Deus poſſet facere Angelum, nullo corpore exiſtente,etiam poſito corpore, poſſet facere Angelum non eſſe præſentem tali corpori, ſicut etiam dictum eſt ſuprà de corpore alio à corpore cœleſti. Et addit in litera, quòd in Angelo tamen eſt potentia paſſiua, qua poſſet in loco difſinitiuo tantùm, & non circunſcriptiuo.Sequitur; *Et iſta potentia,*ſupplè paſſiua, *vel fundatur immediatè in eius ſubſtantia,* ſupplè abſolutè, *vel in ipſa inquantùm eſt natura limitata actualiter exiſtens, vel in aliquo extrinſeco ipſi Angelo,quicquid ſit illud,& ideò non oportet quærere aliquam intrinſecam rationem eſſendi angelum in loco neceſſariò,* ſupple actu, *quia ibi nulla eſt: ſed tantum modo eſt in ipſo potentialis paſſiua, quia poteſt eſſe in loco,quia non repugnat ſibi.*

In loco, quoniam deberemus dicere, quòd operatur in loco.

2. *Opinio Petri de Candia.*

Hîc tamẽ aliqui expoſitores Doctoris ad adducentes opinionem Petri de Candia pro ſe, dicunt quòd cùm Deus ſit in loco, quia vbique, & omnia alia entia ſint in loco, hoc ſiquidem non eſt negandum ab ipſo Angelo, & ita Angelus eſt in loco,& poteſt eſſe in loco, ita quòd, & ſieſſe in loco contingenter inſit Angelo, poſſe tamen eſſe in loco ſibi neceſſariò ineſt.

Opinio Gregorij Naziãzeni dicentis,quòd abuſiuè dicimus angelos eſſe

Et quæ eſt ratio intrinſeca neceſſariò concludens Angelum poſſe eſſe in loco, Dicunt ſecundùm Petrum de Candia,quòd eſt ratio entis;quia enim eſſe in loco prædicatur de omnibus, etiam de Deo,ſequitur quòd iſtud conſequitur rationem tranſcendentem, quia quando aliquod prædicatum eſt omnibus commune,conuenit illis ratione alicuius communis omnibus, tale commune eſt ens:quia igitur Angelus eſt ens,ideò poteſt eſſe in loco, nec ei repugnat ratio loci ſuo modo, ſcilicet difinitiuè,hæc illi.

Iſta tamen poſitio non videtur multum ad propoſitum Doctoris, hæc fortè videtur vera quantùm ad aliqua.

Primum patet,quia Doctor (loquendo de potentia paſſiua,quâ Angelus poſſit eſſe in loco)pro ratione talis potentiæ aſſignat, vel ſubſtantiam ipſius Angeli,vel naturam limitatam, vel aliquid extrinſecum, &c. non autem aſſignat ens commune Deo,& creaturæ.

Secundum pater, primò quia ſi Angelum poſſe eſſe in loco;ex hoc concluderetur, quia Deus eſt in loco,magis videretur poſſe concludi Angelum neceſſariò eſſe in loco, quia ſi Deus neceſſariò eſt in loco:ergo & Angelus: conſequens eſt falſum,vt ſuprà patuit: oportet enim aſſignare aliam rationem.

Secundò iſta ratio non concludit, videlicet *eſſe in loco* prædicatur de omnibus,ergo & de Angelo: antecedens eſt manifeſtè falſum,quia ſi eſſe in loco prædicatur de omnibus entibus,tunc locus eſſet in loco,& eſſet proceſſus in infinitum, vt ſuprà patuit,probando quòd locus non eſt in loco. Tum,quia ſi *eſſe in loco* prædicatur de omnibus, aut prædicatur æqualiter de omnibus, aut inæqualiter.Si primò,tunc ſicut *eſſe in loco* de neceſſitate prædicatur de Deo,ergo & de Angelo;cõſequens eſt falſum. Si inæqualiter,ita quòd eſſe in loco conueniat neceſſariò alicui, & contingenter alteri;tunc oportet aſſignare aliam,& aliam rationem,quia ſecundùm vnam,aliquod ens de neceſſitate eſt in loco, & aliud ſecundùm aliam contingenter:ſi enim tantùm eſſet vna ratio,illa eſſet ratio, vel neceſſario tantùm eſſendi in loco, vel tantùm contingenter.

Tertium,non videtur verum,ſcilicet quòd ideò

Angelus

3. *Opinio Petri de Candia non admittitur.* Angelus poteſt eſſe in loco, quia ens. Quia aut accipitur ens tranſcendenter, vt eſt commune omni enti, & tunc ſequeretur, quòd omne ens poſſet eſſe in loco, cuius oppoſitum dictum eſt ſuprà. Tum, quia quæſtio de Angelo eſt tantùm de loco definitiuo, & locus definitiuus non conuenit Angelo ratione entis tranſcendenter ſumpti, quia talis locus poſſet competere cuilibet enti, & ſic Deo. Oportet ergo aſſignare aliam rationem, per quam Angelus poſſit eſſe in loco definitiuè, & fortè non videtur alia ratio, niſi quia eſt talis natura ſic limitata, &c.

Dubium. b *Suppoſito igitur iſto primo*, videlicet, quòd Angelus poſſit eſſe in loco, *non oportet, quòd ſit in loco actu*, videlicet in loco circunſcriptiuo, *quia non oportet, quòd ſit in aliquo continente indiuiſibili actualiter exiſtente*, ideſt, in aliqua ſuperficie indiuiſibili eo modo, quo diuiditur corpus, vt ſuprà patuit, actualiter exiſtente, ideſt, cuius latera actu diſtant; patet, quia Angelus, cùm ſit indiuiſibilis, non facit latera continentis diſtare, nec per conſequens facit ſuperficiem continentem in actu.

De tertio eſt dubium, ſcilicet in loco determinato ſibi æquali, & de hoc mota eſt quæſtio ſecunda, videlicet, vtrùm angelus requirat determitum locum?

Et non debet hîc accipi *in loco* circunſcriptiuè, ſiue commenſuratiuè, eo modo, quo dictum eſt de loco circumſcribente corpus, ſed debet hîc accipi commenſuratiuè, ideſt adæquatè. Et eſt quæſtio, An Angelus ſic ſibi adæquatè determinet vnum locum definitiuè, ſiue potentialiter, quòd non poſſit eſſe in maiori, vel minori loco. Reſpondet Doctor dicens, quòd *communiter conceditur, quòd non poteſt eſſe in loco quantumcunque magno, quia hoc eſt proprium Dei.* Et ex hoc infert Doctor quòd ſi ſic eſſet, quòd tunc Angelus poſſet eſſe (vt videtur) in loco quantũcunque paruo.

Intendit enim Doctor probare, quòd ſi Angelus nõ poteſt eſſe in loco quantũcunque magno, quòd nec etiã poterit eſſe in loco quãtũcunq; paruo: & probat ex 37. propoſitione primi Euclidis, vbi vult, quòd quicquid poteſt eſſe in vno æqualium, & in reliquo, ſi ſibi figuratio non repugnet. Et ratio ſtat in hoc, ſi enim *A* poteſt eſſe in maximo loco, ergo & in minimo, cùm non ſit maior ratio de vno, quàm de alio: ſi enim non poteſt eſſe in loco quantumcunque minimo, hoc non erit ex ratione loci, ſed ex ratione figuræ: Exemplum: Nam aliquod corpus perfectè quadratum poteſt eſſe in loco perfectè quadrato, & tamen illud idem non poterit eſſe in loco habente figuram tantùm quadrangulam, vt patet: maximè ſi illud quadrangulum ſit tantæ quantitatis, quantæ quadratum. Differentia enim inter quadratum, & quadrangulum hæc eſt, quia quadratum habet quattuor latera adinuicem æqualia; quadrangulum verò perfectum habet duo latera ad inuicem æqualia, puta longiora, & alia duo ad inuicem æqualia, ſed inæqualia lateribus longioribus. Et hoc eſt quod dicit Doctor de aqua reſpectu loci quadrati, & loci quadranguli: figuratio ergo illa impedit, vt non poſſit eſſe in loco æquali ſecundùm quantitatem. Cùm ergo in Angelo nulla ſit figuratio obſtans, oportet concludere, quòd ſi poteſt eſſe in loco quantumcunque magno, quòd etiam poſſit eſſe in loco quantumcunque paruo; ſed primum non conceditur: ergo nec ſecundum; & hoc eſt quod dicit in iſta litera, quàm tamẽ aliqualiter declaro:

4. *Exemplum.* *Differentia inter quadratum, & quadrangulum.*

Cùm dicit, *quicquid poteſt eſſe in vno æquali*, puta ſecundùm quantitatem, *ſi ſibi non repugnat figuratio aliqua, ſecundùm quam* figurationem *vnum* exiſtens in vno æquali ſecundùm quantitatem neceſſariò *diſtinguitur ab alio* exiſtente in alio ſecundùm quantitatem, quæ diſtinctio prohibet exiſtens in vno æquali non poſſe in alio æquali. *Declaratio litera.*

Sequitur: *ſed Angelo nulla figuratio loci, in quo eſt, repugnat*, patet, quia figuratio loci tantùm repugnat habenti partes quantitatiuas, quas Angelus non habet: 5.

Sequitur: *igitur igitur ſi poteſt eſſe in vno æquali, & in altero, & per conſequens poteſt eſſe in quadrato quantumcunque paruo, vel ſtricto, quod oportet ponere dicendo, quòd non repugnat ſibi eſſe in quantocunque loco*, quia ſi poteſt eſſe in quantumcunque loco paruo, oportet dicere, quòd poſſit eſſe in quadrato quantumcunque paruo, vel ſtricto, & ſic *ſequitur, quòd non repugnet ſibi eſse in loco quantumcunque longo*: patet, *quia quadrangulm eſt æqualis iſti quadrato paruo, in quo poteſt eſſe*, ſi enim detur quadrangulus æqualis quadrato paruiſſimo, talis quadrangulus erit longiſſimus propter ſtrictitudinem trianguli, patet, quia quadrangulus conſtat ex quattuor lateribus, quorum duo ſunt longiora ad inuicem æqualia, & alia duo breuiora ad inuicem æqualia, & ſic quadrangulus æqualis quadrato paruiſſimo habebit latera longiora ſtrictiſſima, & ſic per propoſitionem Euclidis, ſi Angelus poſſet eſſe in loco quantumcunque paruo, poſſet eſſe in quadrato paruiſſimo, & per conſequens poſſet eſſe in quadrangulo æquali quadrato ſtrictiſſimo, & per conſequens longiſſimo, quod videtur inconueniens. Et quòd poſſit ſic eſſe, patet, quia nulla figuratio repugnat Angelo.

Sequitur. *Iſtud declaratur per oppoſitum de corpore naturali.* Hîc Doctor declarat quomodo ſequeretur Angelum poſſe eſſe in loco quantumcumque longo, ſi poſſet eſſe in loco quadrato paruiſſimo, & hoc declarat per oppoſitum de aqua, quia ſi aqua poſſit eſſe in quadrato paruiſſimo, vt in loco, non tamen ſequitur, quòd poſſit eſſe in quadrangulo æquali illi quadrato: & hoc eſt, quia figuratio talis repugnat aquæ, & ſi ſibi non repugnaret, ſi poſſe in quadrato paruiſſimo, poſſet eſſe in quadrangulo æquali: cùm ergo Angelo nulla repugnet figuratio, ſequitur, quòd ſi poſſet in quadrato paruiſſimo, etiam poſſet in quadrangulo æquali quadrato, & hoc eſt quod intendit Doctor hîc.

c *Præterea ſi quantitas aliqua virtutis eſt in Angelo.* Doctor per hanc rationem deducit ad hoc inconueniens, quòd ſi Angelus haberet quantitatem virtualem, ſecundùm quam poſſet ſe facere præſentem cuilibet loco quantumcunque minimo in infinitum, eſſet virtutis infinitæ. Patet in ſimili, quia ſicut poſſe facere ſe præſentem virtute propria loco quantumcunque magno in infinitum, eſt virtutis infinitæ, ita poſſe ſe facere præſentem loco quantumcunque minimo in infinitum, erit virtutis infinitæ. 6.

f *Si tamen poſſet eſſe in puncto, vel non.* Hîc Doctor non determinat ſe, nec ad hanc partem, quòd Angelus poſsit eſse in puncto, tanquam in loco; nec ad partem oppoſitam, ſcilicet quòd non poſsit eſse in puncto; & dicit quòd non apparet ratio neceſsaria, nec ad vnam partem, nec ad aliã. Qui enim vellet tenere Angelum poſse eſse in puncto *An angelus poſſit eſſe in puncto.*

puncto tanquam in loco, haberet pro ſe hanc rationem, quòd licèt Angelus ſit indiuiſibilis, non habet tamen indiuiſibilitatem limitatam, ſicut punctus, puta ſecundùm genus quantitatis: punctus enim eſt indiuiſibilis de genere quantitatis, modò poſſe eſſe in puncto tanquam in loco, oportet eſſe indiuiſibile, limitatum ſecundùm genus quantitatis.

Qui etiam vellet tenere partem oppoſitam, ſcilicet quòd poſſit eſſe in puncto, vt in loco, poſſet habere per ſe hanc rationem: illud eſt poſſibile, ad quod nullum ſequitur inconueniens: ſed ad Angelum poſſe eſſe in puncto, vt in loco nullum ſequitur inconueniens: ſi enim aliquod poſſit inferri inconueniens hoc præcipuè poſſet inferri, quòd tunc Angelus non poſſet moueri localiter ſuper aliquod ſpacium, niſi tale ſpacium eſſet compoſitum ex punctis, quod eſt falſum.

Dicit tamen Doctor quòd tale inconueniens non videtur ſequi, quia Angelus poſſet immediatè ex loco punctuali ferre ſe continuum, cuius continui punctus eſt terminus; puta ſi Angelus eſſet in aliquo puncto magnitudinis cubitalis recedendo à tali puncto, localiter moueretur ſuper tali magnitudine continuè. Et ſic non apparet ratio neceſſaria, nec pro vna parte, nec pro alia.

7. *Propria intentio Scoti.*

g *De iſto igitur articulo.* Hîc Doctor reſpondet ad ſecundam quæſtionem ſecundùm propriam intentionem, quòd Angelus habet locum determinatum, indeterminatè tamen, hoc modo, quia aliquis locus eſt, quo maiorem non poſſet habere, & aliquis, quo minorem habere non poſſet, loquendo de loco continuo, licèt fortè poſſet eſſe in puncto, quia & ſi fortè Angelus poſſet eſſe in puncto, vt in loco, non tamen poſſet eſſe in aliquo minimo continuo, vt in loco, propter rationem ſuperiùs factam, quia ſi poſſet eſſe in loco quantumcunque paruo, poſſet eſſe in quadrato paruiſſimo, & ſic in quadrangulo longiſſimo, quod eſt manifeſtè falſum, ſed iſta non ſequuntur, ſi ponatur poſſe eſſe punctualiter in aliquo loco.

h *Vtrùm autem determinatum locum*, &c. Hîc Doctor ponit duas partes oppoſitas, & probabiles.

Prima, quòd & ſi ſit in poteſtate Angeli poſſe ſe facere præſentem tali, vel tali loco, taman vt eſt in loco, ſic de neceſſitate eſt in tanto loco, quòd poteſtate ſua non poteſt eſſe in maiori, nec in minori loco, nec ſimul, nec ſucceſſiuè.

Et probat per ſimile de corporibus, quia etſi corpus poſſit eſſe in illo, vel in illo, tamen dum eſt in loco, ſic adæquatè eſt in illo, quòd non poteſt eſſe nec in maiori, nec in minori, quia vltima ſuperficies corporis locati adæquatè ſibi determinat tantum locum: Sic videtur quòd quantitas Angeli virtualis ſic adæquatè determinet ſibi tantum locum, vt non poſſit eſſe neque in maiori, neque in minori loco, licèt poſſit in eſſe in æquali ſucceſſiuè.

Secunda pars eſt, quòd & ſi Angelus determinet ſibi tantum locum, quòd non maiorem, puta locum tricubitalem, ita quòd non poſſit eſſe poteſtate ſua in maiori loco; & ſimiliter determinet ſibi locum ita p.. .m, quòd non minorem, puta locum digitalem, ita quòd poteſtate ſua non poſſit eſſe in minori loco; tamen ſe poteſt facere præſentem maiori, & minori loco, accipiendo mains, & minus infra ſpacium digitale, & tricubitale, ita quòd poteſt eſſe poteſtate ſua in ſpacio bicubitali, & in ſpacio cubitali. Et ſi non poſſit eſſe in maiori loco tricubitali, nec in minori loco digitali: accipiendo tamen totum illud ſpacium, poteſt eſſe in maiori, & in minori loco reſpectu ſpacij.

i *De quinto dico, quòd eſt in hoc loco, vel illo ſupple determinatè, quia non eſt vbique.* Et hîc declarat Doctor quomodo Angelus poteſt ſeipſum reducere ad talem, vel talem locum, & hoc magis patebit quæſtione vltima præſentis diſtinctionis, vbi quærit, An Angelus poſſit mouere ſe. Dicit ergo hîc, quòd quando aliquid eſt in potentia paſſiua ad aliquod genus, & per conſequens in potentia paſſiua ad aliquam ſpeciem, & ad aliquod indiuiduum eſt eadem potentia actiua, quæ reducit potentiam paſsiuam ad genus, & ad ſpeciem, & ad indiuiduum: patet, quia ſi aliquod corpus eſt in potentia paſsiua ad albedinem, & nigredinem; potentia ergo actiua reducens tale corpus ad colorem reducit ad aliquem colorem; non enim poteſt reducere ad colorem in communi, niſi priùs reducat ad aliquem colorem in particulari, quia actiones ſunt ſingularium, *primo Metaphyſica in proœmio.* Sic dico in propoſito, quòd ſi Angelus ſit in potentia paſsiua ad locum in communi, erit etiam in potentia paſsiua ad hunc, vel hunc locum: & potentia actiua, quæ reducit Angelum ad eſſendum in loco in communi, eſt eadem, quæ reducit ipſum ad eſſendum in hoc, vel hoc loco: imò non poteſt reducere ad eſſendum in loco in communi, niſi priùs reducat ad eſſendum in loco in particulari. Et infrà patebit quomodo idem Angelus ſit in potentia paſsiua ad locum, & in potentia actiua faciendi ſe in loco. 8.

k *De ſexto dico, quòd non eſt in aliquo loco naturaliter, quia tunc eſſet in aliquo loco violenter.* patet, quia ſi eſſet in loco ſurſum naturaliter, tunc eſſet in loco deorſum violenter, vt patet de leui, quod eſt in loco ſurſum naturaliter, quia ſecundùm naturalem inclinationem, & per conſequens in loco deorſum violenter. Sequitur. *tunc etiam aliquod corpus haberet naturalem aptitudinem ad ipſum conſeruandum in loco, & aliquod corpus ad ipſum corrumpendum.* patet, quia ideò corpus habet naturalem inclinationem ad aliquem locum, quia propter qualitates naturales inexiſtentes locanti, locatum ſaluatur, & conſeruatur ibi, vt ſuprà patuit. 9. *Angelus non eſt in aliquo loco naturaliter.*

l *Et confirmatur ratio per Auicennam*, &c. Nam motus alicuius dicitur propriè naturalis vni termino, ad quem eſt talis motus, ad quem terminum mobile naturaliter inclinatur. Ideò enim motus naturalis ad centrum dicitur naturalis, quia graue naturaliter inclinatur ad eſſendum in centro, & naturaliter inclinatur ad quieſcendum in centro, & ideò ſi lapis moueretur à centro ad alium locum, talis motus eſſet violentus, quia eſſet contra eius naturalem inclinationem. Sic in propoſito, ſi cœlum moueretur motu naturali ad aliquem locum, tunc in tali loco quieſceret, & pòſt ſi ab illo loco moueretur ad alium locum talis motus eſſet violentus. Sic in propoſito ſi motus localis Angeli ad aliquem locum, puta ſurſum eſſet naturalis, naturaliter quieſceret in illo loco, & ſi ab illo loco moueretur ad alium locum, puta deorſum talis motus eſſet violentus, & quies in illo loco deorſum eſſet ei ſimiliter violenta, quod eſt inconueniens.

m *Ex iſto ſexto patet, quòd illa potentia paſſiua*, &c. De iſta differentia potentiæ paſſiuæ, ſcilicet

cet naturalis, violentæ, & neutræ, vide Doctorem *in quæſtione prima prologi*, & quæ ibi expoſui.

Vltimo loco ſoluenda ſunt principalia argumenta ad primam quæſtionem huius partis poſita, vbi quærit Doctor. *Vtrùm Angelus ſit in loco.*

n Ad primum reſpondet Doctor quòd omnes auctoritates debent exponi de loco circumſcriptiuo, vt dictum eſt ſuprà; & ſic nulla creatura ſpiritualis poteſt eſſe in aliquo loco circumſcriptiuè; & ſic Deus non poteſt mouere illam per locum circumſcriptiuè, quia quod mouetur per locum circumſcriptiuè, circumſcriptiuè eſt in loco. Eſt tamen creatura ſpiritualis in loco definitiuè, ſiue præſentialiter, vt ſuprà patuit.

o Ad ſecundum reſpondet quòd ſuperficies aliqua corporis continet Angelum. Iſta tamen continentia non eſt circumſcriptiua, ſed tantùm definitiua, ſiue præſentialis, quia ſicut ſuperficies, prout eſt continentia circumſcriptiua continet corpus circumſcriptiuè, ſic continentia definitiua continet diffinitiuè, non tamen ex hoc ſequitur, quòd talis ſuperficies cõtinens Angelum ſit agens, vel influẽs reſpectu eius, quia continentia loci eſt alterius rationis à continentia formæ, & ſpeciei. Forma enim dicitur continere materiam, pro quã perficit eam; & ſpecies dicitur continere indiuidua, prout eſt *eſſe* quiditatiuum illorum: ſed locus, ſiue ſuperficies ſic continet Angelum vt talis continentia nihil aliud ſit, niſi contentum eſſe infra hanc ſuperficiem continentem, & nihil eius eſſe extra illam ſuperficiem; & hoc verum eſt in quocunque contento deffinitiuè, quia nihil eius eſt extra locum ambientem: non tamen ex hoc ſequitur quòd contineatur circumſcriptiuè, quia vltra hoc; quòd locatum non ſit extra ambitum ſuperficiei continentis, requiritur correſpondentia partium continenti ad partes continentis, & totius contenti ad totum continens, qualis non eſt in Angelo, cùm non habeat partes.

Quomodo forma contineat materiam.

Quomodo ſpecies contineat indiuidua.

Quomodo ſuperficies contineat Angelum.

p Ad vltimum reſpõdet negando illam propoſitionem, ſcilicet, quòd omne, quod eſt in loco habet ſitum, ſiuè accipiatur *ſitus*, vel pro differentia quantitatis, qui dicit ordinem partium ad inuicem in aliquo toto, ſiue vt eſt prædicamentum, qui ſitus vltra ordinem partium in toto, dicit etiam ordinem totius locati ad totum continens, & partium locati ad partes continentis, de quo vide Doctorem *in 4. diſt. 10. q. 1.* & ſic finis huius quæſtionis.

Gregorius tamen de Arimonio in *2. diſt. 6. q. 1. art. 2.* ponit duas concluſiones contra Doctorem dicens ſic:

II. *Gregorius Ariminenſis ponit duas concluſiones.*

Quantùm ad ſecundum articulum, pono concluſiones duas. Prima eſt, quòd nec Angelus, nec aliqua res, dum mouetur aliquam talem rem acquirit de genere permanentium, à ſe diſtinctam in loco ſibi formaliter inhærentem, qualem multi opinantur, & *vbi* appellant.

Secundò, quòd *vbi* non eſt res alia à loco, & à locato diſtincta. Primam concluſionem probo ſic, & vt clarior fiat probatio, probo eam de corpore, quod localiter mouetur, de quo magis videretur etiam ſecundùm opinantes talia, quòd talem rem deberet acquirere, & arguo ſic:

Si corpus localiter motum, inquantum ſic mouetur, acquirit nouum *vbi*, intelligendo per *vbi* aliquam rem illi formaliter inhærentem, ſiue ſit abſoluta, ſiue reſpectus eius ad locatum, vel alia aliqua, vt diuerſimodè aliqui putant: igitur perdit etiam aliquod *vbi*, ita quòd ab aliquo *vbi* mouetur ad aliud *vbi*, ſicut ab vno loco ad alium, & ita concedunt, quòd talia poſſunt: ſi ſic, vel mouetur de vno *vbi* ad aliud in tempore, vel in inſtanti, neutro modo ergo, &c. Quod autem non in tempore, probo, quia ſi ſic, igitur partibiliter, & ſucceſſiuè, id eſt, priùs ſecundùm vnam partem, & poſteriùs ſecundùm aliam partem, quàm ſecundùm totum: vel igitur ſecundùm partes mobilis; vel ſecundùm partes ipſius *vbi*, & hoc vel ſecundùm partes dimenſionales, ſeu quas habet ſecundùm extenſionem mobilis; vel ſecundùm partes eſſentiales intrinſecas ſecundùm intenſionem; quemadmodum ponitur forma, quæ intenditur habere partes tales non ſitu diſtantes.

Si dicatur primum, ſcilicet quòd mobile priùs ſecundùm vnam partem ſui mouetur ab *vbi*, quod habet, quàm ſecundùm alium, & quàm ſecundùm totum. Quæro tunc de alia parte mobilis ipſius, aut enim habet ſuum adhuc *vbi* totum, vel partem, quàm priùs habuerit; & tunc ſequitur, quòd ipſa quieſcit alia parte mota actualiter, quod eſt impoſſibile, ſuppoſito ipſum eſſe continuum totum perfectum continuitate; aut habet aliquam partem *vbi* primi, nõ tamen illam, quam priùs habeat, quod non poteſt eſſe, niſi habendo aliquam, quam priùs habebat alia pars mobilis, & tunc ſequitur quòd illa pars *vbi*, quam habet, migrauit de ſubiecto in ſubiectum, quod eſt impoſſibile naturaliter. 12.

Si detur ſecundum, videlicet quòd mobile ideò partiabiliter mouetur ad *vbi*, quia priùs ab vna parte dimenſionali ipſius *vbi*, quàm ab alia: tunc quæro de alia parte *vbi*, in qua parte mobilis remanet ſubiectiuè per tempus illud, in quo ab alia mouetur mobiliter? vel ſiquidem in ea primò erat, & per conſequens illa pars mobilis quieſcit, & parte vna quieſcente mouetur totum, quod non conuenit naturaliter; vel in alia parte mobilis, & tunc ſequitur quòd de ſubiecto in ſubiectum tranſierit.

Si detur tertium, puta quòd totum ipſum mobile ſimul priùs mouetur ab vna parte eſſentiali ipſius *vbi*, quàm ab alia, contrà: *Cap. 5. de vbi.*

Primò, quia *vbi*, ſecundùm ipſos, tales partes non habet, alioquin ſuſciperet magis, & minùs, cuius oppoſitum dicit Auctor ſex Principiorum.

Præterea, hoc patet eſſe falſum, ratione. Primò, quia nunquam corpus aliquod dicitur magis eſſe in vno, eodémque primo loco toto, quàm fuit, nec minus vno tempore, quàm alio. Secundò, quia ſecundùm hoc, ſequeretur, quòd quælibet pars mobilis haberet aliquam eandem partem primi *vbi*, quam habuit priùs, licèt non omnem habeat, nec *vbi* ita intenſum, & per conſequens adhuc eſt in eodem loco, in quo priùs. Non enim mutat *vbi*, niſi mutando locum etiam ſecundùm opinionem illam, & ex hoc ſequitur, quòd quælibet pars quieſcit. 13.

Eodem modo poteſt argui, quòd non acquiritur nouum *vbi* partibiliter, quia vel hoc eſſet ſecundùm partibilitatem mobilis, ita quòd vna pars eius priùs acquireret nouum *vbi*, quàm alia; & tunc ſequitur quòd vna mouetur aliâ non motâ: vel ſecundùm partibilitatem *vbi* præcisè, ita quòd totum mobile ſimul priùs acquirit vnam partem eſſentialem *vbi* noui, quàm aliam; quia de parte dimenſionali non poteſt accipi: & tunc aut ſimul cum ſecunda parte *vbi* remanet prima, aut non: ſi ſic, igitur per tempus habet eandem partem

vbi

vbi, & per conſequens totum eſt in eodem loco primo, in quo priùs fuit, igitur dum mouetur, quieſcit: ſi non, igitur in quolibet inſtanti habet nouum *vbi*, & perdit aliud, & per conſequens non partibiliter, & ſucceſſiuè mouetur ab *vbi* in *vbi*, cuius oppoſitum dabatur. Relinquitur igitur quòd mobile localiter motum non mouetur in tempore, ſeu partibiliter, & ſucceſſiuè de *vbi* non in aliud. Quòd autem nec in inſtanti, probo: & exempli gratia ſit *P*, aliquod corpus quieſcens in aliquo loco determinato, & habens *vbi* quod ſit *A*, & incipiat *P* moueri continuè, ſi ergo in aliquo inſtanti *P*, mouetur ab *A*. ſit illud inſtans *B*: tunc ſic; aut *P*, in inſtanti *B*, eſt in eodem loco primo ipſum, & omnes partes eius, in quo erat tempore quietis, aut non: ſi ſic, igitur habet idem *vbi* A in inſtanti *B*, & per conſequens ſimul eſt mutatum ab *A*, & non eſt mutatum ab *A*. Si non igitur eſt mutatum ad aliquid noui loci, vel magnitudinis: aut ergo ad aliquid diuiſibile, aut ad aliquod indiuiſibile præcisè: non primum, quia in motu continuo cuiuſlibet partis diuiſibilis, priùs acquiritur pars, & nulla tamen ſimul acquiritur, vt patet ex ſexto Phyſicorum; nec indiuiſibile, quoniam tunc ſequitur quòd in motu locali continuo ſit dare primum magnitudinis, ad quod mobile eſt mutatum, & iuxta conſuetum modum loquendi eſt dare primum *mutatum eſſe*, quod nullum *moueri*, vel *mutatum eſſe* præceſſit, quæ reprobata ſunt ſexto Phyſicorum. Secundùm hoc etiam tollitur omnis motus continuus: nam oportet dicere, quòd ſemper mobile eſt totum in termino *à quo*, vel totum in termino *ad quem*.

14. Secundò ſic: ponatur quòd *P* moueatur continuè, & ſit *A* vnum *vbi*, à quo mouetur, ſeu quod perdit in inſtanti *B*: tunc ſic: aut *P* acquirit in inſtanti aliquod *vbi*, aut nõ, ſi nõ, igitur nec in *B*, inſtãti perdit *A vbi*, ſimul enim in motu locali mobile, & perdit terminum *à quo*, & acquirit terminum *ad quem*. Si verò in inſtanti *B*, acquirit aliquod *vbi* nouum, ſit illud *C*; & tunc etiam, quæro vtrùm *P*, perdit *C* in inſtanti *B*, aut in alio? ſi in alio, igitur *P*, habet *vbi*, C per tempus, & per conſequens vel illo tempore ſimul mouetur, & quieſcit; vel mouetur, & nullam talem rem perdit, ac per hoc nec etiam acquirit, quod eſt propoſitum. Si verò in inſtanti *B*, ergo in eodem inſtanti perdit, & acquirit *vbi C*, & ſimul eſt mutatum ab ipſo *C*, & ad ipſum.

6. Phyſic. con-tex. 55. Et vlteriùs ſequitur, quòd in illo inſtanti habet *C*, & non habet *C*, quod eſt impoſſibile. Conſequentia patet per illam concluſionem demonſtratam in ſexto Phyſicorum: omne quod mutatum eſt, quando primò mutatum eſt, eſt in eo, ad quod mutatum eſt, & ſimiliter verum eſt, quòd nullum quod mutatum eſt, quando primò mutatum eſt, eſt in eo, à quo mutatum eſt.

Præterea, in eodem inſtanti primo *P*, eſt mutatum ad *vbi* C, & ipſum *C*, ex primo genitum, & eodem inſtanti eſt primò motum à *C*, & ipſum *C* eſt primò corruptum; igitur ſi eodem inſtanti, *P* eſt motum à *C*, & ad *C*, eodem inſtanti *C* eſt genitum, & corruptum, & eſt, & non eſt.

Præterea, ſecundùm hoc, generatio, & corruptio eiuſdem rei numero demonſtratæ ſine medio ſibi ſuccedunt, & continuantur, quæ Philoſophus reputat impoſſibile octauo Phyſicorum, & ſimiliter Commentator com. 63.

Præterea, ſi in inſtanti, *B*, perdit *vbi* C, igitur, vt priùs in eodem inſtanti acquirit aliud *vbi*, puta, *D*: & vltrà arguendo, vt priùs, ſequitur quòd multa, imò omnia *vbi* acquirit in inſtanti *B*, & per conſequens totus motus continuus ipſius, *P*, fit in vnico inſtanti, quod eſt impoſſibile.

Tertiò, ſi à quolibet *vbi*, P, mouetur, vel mutatur, non curo pro nunc, in inſtanti, & ad quodlibet mutatur in inſtanti, ſequitur quòd totus motus continuus ipſius *P*, componatur ex *mutatis eſſe* præcisè, & tempus menſurans illum ex inſtantibus, iuxta communem modum loquendi. Antecedens probatum eſt ſexto Phyſicorum. Conſequentiam probo. ſicut 1. diſt. 17. q. 4. art. 2. & eſt quarta ratio contra opinionem, quæ ibi reprobatur.

Secunda ratio ad concluſionem eſt iſta, cœlum primum ſecundùm Philoſophum verè mouetur localiter, & tamen nullum *vbi* acquirit, cùm ipſum non circumſcribatur, neque contineatur à loco, & per conſequens ſecundùm viam illam non habeat in ſe aliquod *vbi*, & confirmatur per auctorem ſex Principiorum, qui expreſsè dicit vltimam ſphæram non habere *vbi*, eo quòd nihil contineat ipſam: igitur non omne, quod localiter mouetur talem rem in ſe acquirit: ex quo vlteriùs infero, quòd cùm in nullo alio motu experiamur rem talem acquiri, nec auctoritas aliqua digna hoc dicat, irrationabiliter in aliquo alio fingitur talis res.

15. Tertiò, ſi quodlibet mobile continuo motu, &c. ſequeretur quòd localiter motum ſimul moueretur duobus motibus diſtinctis, & eſſet dare quintum genus motuum, præter illa quatuor, quæ poſuit Philoſophus in quinto Phyſicorum, & quæ communiter ponuntur. Conſequentia iſta patet, nam quod mouetur localiter de loco ad locum acquirit partibiliter locum, & mouetur ſecundùm locum, ſi ergo ſimul acquirit continuè *vbi*, mouetur etiam ſecundum *vbi*, & ſic duobus motibus diſtinctis, quod erat primum inferendum. Rurſus ſecundùm iſtos, motus ad *vbi* pertinet ad Prædicamentum *vbi*, motus autem ad locum, cùm locus per iſtos, non ſit *vbi*, non pertinebit ad idem Prædicamentum, & conſtat quòd non ad Prædicamentum Subſtantiæ, vel Qualitatis, nec etiam Quantitatis, cùm non ſit augmentum, nec decrementum, nec mobile muterur ſecundùm propriam quantitatem: igitur oportet dare quintum prædicamentum, in quo motus ille ponitur, & certè difficile, ne dicam impoſſibile, erit reperire, ſaluato communi numero Prædicamentorum. *5. Phyſ. con-tex. 18.*

16. Quartò, ſi ſic, igitur poſſibile eſt aliquid eodem tempore primò moueri continuè ſecundùm *vbi* alicuius loci, & quieſcere ſecundùm locum illum, & è contra, quieſcere ſecundùm *vbi*, & moueri ſecundùm locum, hoc autem falſum eſt: nam quieſcere ſecundùm *vbi* non eſt aliud, quàm ipſum, & omnes partes eius eſſe in eodem loco, quo priùs: ſi ergo aliquid quieſceret ſecundùm *vbi*, quieſceret ſecundùm locum, & contrà. Conſequentia declaratur, quia ſecundùm ipſum *vbi* eſt res diſtincta eſſentialiter, ac etiam ſubiecto, & ſitu ab ipſo loco; nec aliquam cauſalitatem habet alterum ſuper reliquum, quàm Deus non poſſit plenè ſupplere: poteſt ergo Deus locatum transferre partibiliter de ſuo loco, conſeruando totaliter *vbi* in ipſo locato, & è contra poterit in locato innouare continuè *vbi*, & ipſum in eodem loco adæquato, & primo retinere. *Quid ſit quieſcere ſecundum vbi.*

Secunda concluſio probtri poteſt ex eodem; quoniam

quoniam ſi *vbi* ſit talis res, poſſibile erit per potentiam Dei idem locatum eſſe in loco eodem, in quo prius,& non eſſe vbi priùs,& è contra eſſe vbi prius, & non in eodem loco, in quo priùs, quæ non ſunt intelligibilia.

Prima ratio ad probandum contra concluſionem principalem.

Præterea,ſi *vbi* eſt talis res,annihilet Deus *vbi*, quod habet Socrates exiſtens in loco iſto demonſtrato,verbi gratia *A*,& nullã mutationẽ aliã faciat in Socrate,aut in nulla alia re,quod eſt benè poſſibile ſuæ omnipotentiæ, quo facto, quæro vtrùm Socrates ſit in *A*, vel non?ſi non, igitur Socrates eſt mutatus ſecundùm aliam mutationem,quia priùs fuit in *A*, quod eſt contra poſitum.Si ſic,igitur ad hoc quòd Socrates ſit in *A*, non requiritur aliqua alia talis res, & cùm nulla experientia de illa habeatur nec Dei reuelatio, nec ratio alia, propter quam deberet poni,ſequitur quòd irrationabiliter,& inutiliter ponitur.

17. *Quæ ſint entia abſoluta, & reſpectiua.*

Præterea ſi talis res, aut eſt res aliqua abſoluta,aut reſpectus ſecundùm ponentes reſpectus. Non abſoluta,non enim ſubſtantia,nec quantitas, nec qualitas,vt patet;non reſpectus,quia, vt videtur, non eſſet niſi vel reſpectus locati ad locum, vel è conuerſo loci ad locatum,vel tam hic,quàm ille.Secundum non poteſt dici, neque tertium ſecundùm viam illam, alioquin locus haberet *vbi*, & poſſet conuenienter quæri vbi eſt iſte locus,& vltra etiam loci eſſet locus, quod ipſi non concederent. Nec primum poteſt dici ſecundùm viam ſuam,quod tamen ipſi dicunt.Probo,reſpectus locati eſt de genere Relationis: igitur, & reſpectus locati ad locum.Patet antecedens, non enim ad aliud Prædicamentum, vt videtur ſecundùm doctrinam eorum reduci poteſt. Conſequentia probatur, nam, vt dicit Auguſtinus ſeptimo de Trinitate capitulo primo,& Philoſophus in Prædicamentis, omnia relatiua dicuntur ad cõuertentiam, & per conſequens ſecundùm viam illorum habent reſpectus mutuos, omnes mutui reſpectus pertinent ad idem Prædicamentum,igitur ſi vnus eſt de prædicamento Relationis, & alter; ſed ſecundùm iſtos *vbi* non eſt res prædicamenti Relationis;igitur *vbi* non eſt talis res à locato,& loco diſtincta.

Cap. de ad aliquid.

18. Præterea,omnis quæſtio facta per interrogatiua pertinentia ad prædicamentum *vbi*, quærit de loco,& omnis reſponſio data per prædicabilia dicti Prædicamenti ad huiuſmodi quæſtionem reſpondet de loco, igitur *vbi* eſt locus, & è conuerſo. Conſequentia patet, & antecedens probatur quoad primam partem, nam iſtæ interrogationes æquiualent in ſignificando, *vbi eſt Socrates,& in quo loco eſt Socrates*, & iſtæ ſimiliter, *quo iuit Socrates*, & *vnde venit Socrates*, & *ad quem locum iuit*, vel *à quo loco venit*, nec aliud quis per vnam intelligit,quàm per aliam,vt puto quemlibet confiteri. Quo etiam ad partem ſecundam,patet:nam idem penitus reſpondet qui dicit *eſt hic*,& qui dicit *eſt in iſto loco*,vel qui dicit,*illuc iuit*,vel *illinc venit*.

Confirmatur ſi quis interrogat de Socrate,vbi eſt:& reſpondeatur in eccleſia,vel in ſcholis,conuenienter reſponderetur, & benè ſi verè:ſi igitur *in eccleſia*, & *in ſcholis* non ſunt termini pertinentes ad *vbi* Prædicamentum,aliqui non conuenienter ſic reſponderent:igitur eiuſdem eſt interrogatiuum hoc Aduerbium *vbi*, quod iſta ſignificant, ſignificant autem loca ipſa extrinſeca, & non aliquam rem formaliterloco inhærentem;ergo nec *vbi* de re aliqua tali interrogat, & per conſequens nec aliqua res talis eſt *vbi*. Hoc patet etam auctoritate Commentatoris, quinto Metaphyſicæ,cap.28. vbi dicit, quòd ſecundùm quòd dicitur locus habere locatum,eſt prædicamentum *vbi*.Item,quarto Phyſicorum,cap.24.pluries dicit locum corporis locati eſſe *vbi* eius:vnde ait,quòd Philoſophus intendit diſtinguere inter locatũ eſſe in corpore,quod eſt *vbi* eius,& inter partẽ eſſe in toto,& eadẽ verba repetit in eodẽ cómento:igitur ſecundùm eum, in quo eſt locatum eſt *vbi* eius.

Iſta etiam intentio eſt Boëtij in libro de trinitate vbi ait:*Vbi,vel de homine, vel de Deo prædicari poteſt,de homine, vt in foro,de Deo vt vbique;ſed ita vt non quaſi ipſa res ſit id,quod prædicatur de qua dicitur, non homo,ita dicitur eſſe in foro,quemadmodum eſſe albus,vel longus,nec quaſi circumfuſus, & determinatus proprietate aliqua, quia ſignificari ſecundùm ſe poſſit,ſed tantùm quòd ſit illud aliis informatum rebus, per hanc propriè prædicationem propriè oſtenditur.* Quæ verba ſic exponit Commentator ibidem, ideſt, locus poteſt quidem prædicari,&c.& ſequitur,*ſed ita dicitur homo eſſe in foro,vel Deus vbique,vt quamuis in prædicando ea dicatur eſt,non tamen ita dicitur, quaſi ipſa res, de qua dicitur ſit id*, ideſt, habeat eſſe eo,quòd prædicatur, & infrà ſic, *igitur per hoc,quòd dicitur homo eſſe in foro nequaquam homini inhærens,qua ipſe ſit verè proprietas Gramaticorum, vel Dialecticorum propriè ſignificatione notatur, ſed per hanc prædicationem hoc tantùm conſequens oſtenditur,ſed quòd illud confuſum, & determinatum per eſſe in foro dicitur rebus aliis, quàm ſit circumfuſio, & determinato verè ſit informatum, & hoc quidem ſenſu locùs de homine prædicatur*, hæc Commentator. Ex iis euidenter apparet ſecundùm intentionem Boëtij, quòd *vbi* ſignificat locum,& quòd per propriam prædicationem illius prædicati nulla proprietas, vel res ſubiecto inhærens denotatur, ſed tantùm extrinſeca, quæ eſt locus. Si autem aliquis calumniaretur ex hoc, quòd ait informatum aliis rebus, & velit ex hoc inferre, quòd per huiuſmodi prædicationem importetur aliquid, quod propriè loquendo informet locatum,& inhæreat illi,attendat quid ſubdit infrà Boëtius,ait enim: *Simul de actione,habitu,vbi,& quando, omnis hæc prædicatio exterioribus datur, omniaque hæc quodammodo referuntur ad aliud.* Commentator, *hæc omnia*, ideſt,habitus,& actiones, de quibus circumloquimur, & loca, & tempora, de quibus prædiximus quodãmodo referuntur ad aliud,ideſt,aliis, quàm iis quibus ſubſiſtens eſt aliquid,& infrà ſic:*igitur prædicatio alia eſt,qua verè inhærens inhærere prædicatur:alia,quæ quamuis forma inhærentium fiat, tamen ita exterioribus datur, vt ea, vel alicui inhærere intelligatur.* Hæc ipſe, vbi patet quòd non prædicatur per talem prædicationem alia forma inhærens ſubiecto,ſed res extrinſeca tantùm.

19.

Quid ſignificet vbi.

Contra iſta primò poteſt argui,quia ſequi videtur, quòd *vbi* ſit ſpecies prædicamẽti Quãtitatis, & per conſequens non ſint decem Prædicamẽta. Conſequentia patet, quia quantitatis ſpecies eſt locus ſecundùm Philoſophum *in prædicamentis*.

20. *Cap. de quãtitate. Cap. de vbi.*

Secundò,Auctor ſex Principiorum dicit,quòd *vbi* eſt circumſcriptio loci à loci circumſcriptione procedens;conſtat autem quòd locus non eſt circũſcriptio corporis, procedens à loci circumſcriptione,alias à loco eſſet locus infinitum. Præterea ipſe ſubdit, *non autem in eodem eſt locus, & vbi:ſed locus quidem eſt in eo, quod capit, vbi vero*

verò in eo, quod circumſcribit, & circumplectitur. Ex quibus patet quòd non ſolùm eſſentialiter, ſed etiam ſubiecto diſtinguntur *locus*, & *vbi*. Ad primum, primò nego conſequentiam; nec probatio valet, quia non ſequitur, locus eſt ſpecies Quantitatis, *vbi* eſt locus, ergo *vbi eſt* ſpecies quantitatis, ſicut non ſequitur diſciplina eſt ſpecies relationis, ſeu prædicamenti ad aliquid; Gramatica eſt diſciplina; ergo Gramatica eſt ſpecies Relationis, nam ſecundùm Philoſophum in Prædicamentis, *cap. de Qualitate*, & ſimiliter in 5. Metaph. *cap. de Ad aliquid*, antecedens eſt verum, & conſequens falſum. Vnde in tali conſequentia peccatur per æquiuocationem ex varia ſuppoſitione medij.

21. Secundò dico, quòd eſto quòd locus ſit quantitas, non tamen eſt ſpecies quantitatis qualitercunque ſupponat iſte terminus *locus*: ſed dico, quòd eſt paſſio Quantitatis, & tunc ſupponit materialiter, vel ſimpliciter, & ita expreſsè dicit Commentator 5. *Met. cap. de Quanitate*, vbi etiã dixit, quòd Philoſophus in Prædicamentis, enumerando illas ſpecies dicit, locus eſt ſecundùm famoſitatem tantùm. Quamuis igitur eadem res ſit locus, & quantitas, ſeu ſuperficies, tamen ſecundùm aliam rationem dicitur ſuperficies, & locus, ſcilicet inquantùm eſt diuiſibilis ad duo, ſeu ſecũdùm duas dimenſiones dicitur ſuperficies, inquãtum verò eſt id, in quo aliud eſt tali modo eſſendi *in*, dicitur locus; & ideò non obſtante identitate rei ſignificatæ per prædicabilia: tamen illa propter talem diuerſitatem conceptuum ad diuerſa Prædicamenta per ſe reducuntur, ea verò magis propriè ad tale Prædicamentum pertinẽt, per quæ conuenienter reſpondetur ad interrogationem factam per *vbi*, vel ad interrogationem loci, ſiue illa ſint aduerbia, ſiue præpoſitiones, cum caſualibus, vel obliquis localium, & ſimilia.

22. *Auctor quomodo loquatur impropriè.* Ad ſecundum dicendum, quòd ille auctor multum impropriè loquitur in illo libello, propter quod multi aſpicientes verba eius ad proprietatem, falluntur in ipſis. Dicendum ergo, quòd non intendit dicere, quòd *vbi* ſit aliqua res diſtincta à loco, & locato exiſtens in eo, quam vocet circumſcriptionem, ſicut nec per circumſcriptionem loci, à qua dicitur circumſcriptionem corporis procedere, intendit aliquam rem à loco diſtinctam, qua circumſcribatur locus vel circumſcribat, non enim poteſt fingi quæ res ſit illa, ſed per illa verba vult ſolùm dare intelligere quæ ſit propria ratio prædicamentalis ipſius *vbi*, & quid importatur per tales prædicationes. *Socrates eſt in foro*, vel in *ſcholis*, & ſimiles, quæ formantur ex ſubiectis particularibus ad prædicatum *vbi*, & vult dicere, quòd non aliud importatur, quàm illud, quod continetur, & circumſcribitur loco illo, ita quòd ſecundùm ipſum idem eſt eſſe alicubi, vel in aliquo loco, quod eſt illo circumſcribi, & contineri; & hoc ſatis manifeſtat ex eo, quod immediatè addit, *eſt ergo in loco quicquid à loco circumſcribitur & complectitur.*

Ad aliud dicendum, quòd accipit *eſſe in*, non pro inhærentia, ſed pro prædicatione, & actum exercitum pro ſignato; & eſt ſenſus quòd non de eodem prædicatur locus, & *vbi*, ideſt, prædicabilia de prædicamento *vbi*, nam locus dicitur de continente, ſed talia prædicabilia de contento. Vnde non dicitur forum eſt in foro, ſed benè dicitur de Socrate, eſt in foro, & ratio eſt, quæ iam dicta eſt, quia eſſe in foro eſt contineri à foro, & forum non continetur à foro, Socrates autem continetur à foro, & ideò benè dicitur eſt in foro, autem eſt prædicabile prædicamentum *vbi*, è contra benè dicitur, quòd continens eſt locus, & non benè dicitur, quòd Socrates, vel aliud quid contentum à loco eſt locus, & hæc eſt intentio eius: vtrum tamen verùm ſit, quòd de eo prædicetur *vbi*, ſeu prædicabilia dicti prædicamenti, quod loco circumſcribitur, & complectitur, & quòd illa ſit ratio *vbi*, vel loci, non curo pro nunc: nam mihi, & alij eſt communis iſta difficultas.

23. *Reſponſio ad Gregorij de Arimino.* Reſpondeo ad omnes rationes Gregorij, præmittendo primò, quod dicit Doctor *in quolib. q. 11. art. 4. ſiue vltimo*, vbi ſic dicit; *ſed ſi quæratur quomodo poteſt acquiſitio reſpectus eſſe ſucceſſiua, niſi ſucceſſio ponatur in aliquo abſoluto. Reſpondet quòd corpus ſucceſſiuè ſecundùm partem aliam, & aliam ſit præſens eidem parti loci, ſimiliter corpus ſecundùm eandem partem ſit ſucceſſiuè præſens alij, & alij parti loci, ita quòd tam ex diuiſibilitate corporis, quàm loci ſequitur diuiſibilitas circumſcriptionis corporis à loco, & diuiſibilitas ſucceſſiua, quando pars poſt partem acquiritur, non eſt ergo diuiſibilitas in reſpectu ſine diuiſibilitate in abſoluto, ſed eſt ſucceſſio in reſpectu, qui eſt circumſcriptio ſine ſucceſſione in forma abſoluta corporis, vel loci*, hæc ille.

Et pro maiori intelligentia dicendorum, præmitto hoc exemplum, ſcilicet quòd quantum bipedale exiſtens in vltima parte aëris circa aquam localiter moueatur in aqua, ita quòd totum ponatur in vltima ſuperficie aquæ continentis. Hoc poſito, dico primò quòd locus ille totalis, ſiue *vbi* totale (quod eſt circumſcriptio paſſiua fundata in quanto bipedali, & terminata ad vltimam ſuperficiem aquæ continentis) eſt vna relatio realis de nouo acquiſita, & in ſuperficie aquæ circumſcribentis eſt alia relatio realis, quæ dicitur circumſcriptio actiua terminata ad vltimam ſuperficiem corporis contenti, quæ relationes tamdiu manent, quamdiu quantum bipedale continetur ab illa vltima ſuperficie aquæ. Secundò præmitto, quòd quantum bipedale acquirit illud totum *vbi*, ſiue illam totam circumſcriptionem paſſiuam, ſecundùm quam ipſum totum dicitur eſſe in loco ſucceſſiuè, ſic quòd vna pars ſuccedit alteri, & aduenientе vna alia deſinit. Patet ponendo quòd tale totum habeat mille partes quantitatiuas, quarum quælibet ſemper eſt diuiſibilis in infinitas partes, & incipiat moueri localiter in aqua ſecundùm partes; tunc prima pars in eodem inſtanti, quo continetur in aliqua parte ſuperficiei aquæ, reſultat relatio realis, quæ dicitur circumſcriptio paſſiua fundata in illa parte, & terminata ad illam primam partem ſuperficiei aquæ, & quia illa pars non eſt ibi in *eſſe* quieto, cùm totum quantum continuè moueatur localiter, ideò illa prima pars ſubintrat aliam partem ſuperficiei aquæ, & ipſum totum ſecundùm aliam partem æqualem primæ fit in illa prima parte ſuperficiei aquæ, & ſic acquirit nouam præſentiam, ſiue nouum reſpectũ ad illam primã partẽ ſuperficiei aquæ, & prima relatio acquiſita in prima parte totius deſinit eſſe, quia, & illa pars deſinit contineri ab illa prima parte ſuperficiei aquæ, ſed acquirit aliã relationẽ, vt ſit præſens ſecũdæ parti ſuperficiei. Et ſic patet quomodo ſecũda relatio fundata in ſecunda parte ſuccedit relationi fundatæ in prima parte: Deinde prima pars deſinit eſſe ſub ſecunda parte ſuperficiei, & ſit præſens tertiæ parti, & per conſequens

quens ſecunda pars quanti deſinit eſſe in prima parte ſuperficiei, & fit præſens ſecundæ parti, & poſtea tertia pars ipſius quanti fit præſens primæ parti ſuperficiei,& ſic dico de aliis.

24. Hoc poſito dico duo:primò quòd eadem pars quanti ſecundùm quòd fit præſens alij,& alij parti ſuperficiei aquæ,ſemper habet aliam, & aliam relationem terminatam ad aliam, & aliam partẽ ſuperficiei aquæ, ita quòd ſemper vna ſuccedit alteri,ſic quòd prima deſinente, ſecunda aduenit, & ſecunda deſinente tertia aduenit,& ſic de aliis. Et ſic totum quantum ſecundùm illam partem poteſt dici ſucceſſiuè moueri, cùm ſecundùm illam partem habeat aliam, & aliam præſentiam, prout illa pars fit præſens alij, & alij continenti. Et ſic ſucceſſio talis fit præcisè ex diuiſibilitate continentis,quia propter eius diuiſibilitatem pars quanti fit præſens alij,& alij parti continentis.Secundò dico, quòd ipſum quantum poteſt ſucceſſiuè acquirere totum *vbi*, quæ ſucceſſio in reſpectibus erit ſecundùm diuiſibilitatem ipſius quanti:quia enim habet plures partes, ideò ſecundùm primam partem fit præſens primæ parti ſuperficiei aquæ,& ſecundùm ſecundam partem fit præſens eidem,& ſimiliter ſecundùm tertiam, & ſic de aliis quouſque totum contineatur in tota ſuperficie aquæ; ſecundùm ergo quòd fit præſens eidem parti ſuperficiei ſecundùm aliam, & aliam partem quanti, ſequitur quòd ſecundùm aliam & aliam partem acquirat alium,& alium reſpectum terminatum ad eandem partem ſuperficiei,quorũ vnus ſemper ſuccedat alteri,& ſic erit ſucceſſio in tali motu locali,ſiuè in tali *vbi* propter diuiſibilitatem ipſius mobilis.

Secundò principaliter præmitto, quòd totum *vbi* paſſiuum, quod eſt relatio realis totius bipedalis ad ſuperficiem continentem ipſum totum, non dicitur integrari ex illis reſpectibus ſibi inuicem ſuccedentibus,cùm deſinant eſſe;ſed in vltimo inſtanti motus localis ipſius quanti,quo totum actu eſt in loco ſibi adæquato, reſultat vna relatio,ſiue vna circumſcriptio paſſiua,ſecundùm quam dicitur eſſe in loco circumſcriptiuè,& ſecũdùm quam totum formaliter dicitur præſens toti ſuperficiei adæquatè continenti ipſum:& ſimiliter in *eſſe* quieto quot ſunt partes in illo toto.tot ſunt circumſcriptiones paſſiuæ,ſiue relationes,ſic, quòd vna pars quanti,ſic eſt præſens vni parti ſuperficiei,quòd non alteri, & alia pars alteri, & ſicut totum integratur ex omnibus partibus ſuis, ita *vbi* totale ipſius quanti, ſiue circumſcriptio paſſiua totalis,ſiue totalis præſentia integratur ex omnibus partialibus præſentiis.

25. Tertiò præmitto quòd quantum bipedale, & dicatur *A*,recedit ab vltima ſuperficie aëris continentis, pariformiter fit ſucceſſio in tali *vbi* deperditiuo:ſicut etiam in *vbi* acquiſitiuo, quod acquirit in aqua, patet enim, quòd cùm prima pars ipſius *A*, ſubintrat aquam, illa pars perdit reſpectum vbicalem, quem habebat ad vltimam partem aëris, & acquirit nouum reſpectum in aqua, & ſecunda pars ipſius *A*,dum continuè *A*,recedit à loco aëris, fit ſub illa vltima parte ſuperficiei aëris, & perdit reſpectum, quem habebat ad partem priorem aëris,& acquirit nouum reſpectũ, *A* fit in prima parte ſuperficiei aquæ, & ſic perdit reſpectum ad vltimam partem aëris, acquirendo nouum ad primam partem ſuperficiei aquæ, & ſic ſucceſſiuè de aliis partibus: & ſic patet quomodo deperdit locum totalem ſucceſſiuè. Et diuiſibilitatis motus localis, ſiue ſucceſſio triplicitèr poteſt contingere. Primò ſecundùm diuiſibilitatem continentis,vt cùm *A* ſecundùm eandem partem fit præſens alij,& alij parti continentis,vt patet de indiuiſibili,quod ſi moueretur ſuper aliquod quantum, illud mobile ſecundùm ſe totum ſemper fieret præſens alij, & alij parti ſpatij, vt patebit in iſto ſecundo *diſt.2.q.9.*Secundò fit ſucceſſio ex diuiſibilitate ipſius mobilis,vt cùm mobile ſecundùm aliam, & aliam partem ſucceſſiuè fit præſens eidem parti continentis,vt ſuprà expoſui.Tertiò fit ſucceſſio ex parte vtriuſque, ſcilicet contenti,& continentis,quando vtrumque eſt diuiſibile, & ſic quando corpus circumſcriptiuè mouetur, talis motus eſt ſucceſſiuus ex diuiſibilitate tam contenti,quàm continentis.

Succeſſio poteſt triplicitèr contingere.

26. Quartò præmitto,quòd quando mobile, puta *A*,recedit à loco ſibi adæquato, poteſt dupliciter intelligi. Vno modo exeundo localiter à primo loco adæquato, acquirendo nouum locum ſibi adæquatum,ſic, quòd ipſum mobile localiter recedat ab ipſo loco. Alio modo dicitur moueri localiter, quia alius, & alius locus ſemper ſuccedit, ipſo tamen fixè ſtando.Exemplum primi, vt cùm quantum bipedale mouetur à loco aëris ad locũ aquæ, ita quòd non ſtat fixum in eodem reſpectu ad polos.Exemplum ſecundi,vt cùm palus figitur in aqua, qui ſemper ſtat fixus habendo eundem reſpectum ad polos mundi;ſed tamen dicitur localiter moueri, quia nouum,& nouum continens ſemper ſuccedit, vt patet de aqua fluente circa ipſum, quia ſemper fit ſub alia, & alia ſuperficie aquæ fluentis.Loquendo primo modo,dico quòd quando mobile ſic mouetur recedendo à loco ſibi adæquato, ita quòd totum moueatur, ſemper habet alium, & alium reſpectum ad continens. Patet,quia quando adæquatè eſt in continente,ſic habet vnum reſpectum ad ipſum continens,quòd præcisè correſpondet continenti,& quælibet pars ipſius contenti ſuæ parti determinatæ:cùm ergo mouetur recedendo à continente, amittit illum reſpectum totius contenti ad totum continens, & reſpectus partiũ ad partes cõtinentis perdũtur; patet,quia non ſunt ampliùs ſub illis partibus.

Pulchrum exemplum.

Aduerte tamen, quòd antequam mobile exeat totum locum ſibi adæquatum,cùm perdit primũ reſpectum ad locum adæquatum,acquirit nouum reſpectum ad alium locum adæquatum, qui locus adæquatus, ſiuè ſuperficies adæquata includit partem ſuperficiei, ſub qua priùs erat; & partem ſuperficiei,ſub qua de nouo fit, & ſic acquirendo aliam,& aliam partem ſuperficiei deſinit eſſe ſub alia,& alia parte ſuperficiei præteritæ; & ſic ſucceſſiuè acquirit ipſum *vbi* adæquatum,ſucceſſiuè deperdendo *vbi* adæquatum,quod priùs habebat; & ſic totum contentum ſemper fit ſub alio, & alio reſpectu, & quælibet pars contenti fit ſub alio,& alio reſpectu.Sed loquẽdo ſecundo modo, nõ ſemper ſequitur,quòd mobile ſecũdùm ſe totũ moueatur,nec per conſequens in eodem tempore, quo ſecundùm vnã partem,tantùm fit præcisè ſub aliqua parte ſuperficiei,ſub qua priùs nõ erat;nec ſequitur quòd perdat reſpectũ ſecundùm ſe totũ, quem priùs habebat ad totum continens ſed tantùm ſecundùm partem,quia illa pars perdit reſpectum ad partem ſuperficiei,ſub qua priùs erat.

27. Iis præmiſſis, reſpondeo ad rationes Gregorij, cùm primò dicit,aliquod corpus mouetur localiter ad aliquem locum,igitur perdit aliquo *vbi*, in quo priùs erat, hoc conceditur via naturali: via

Reſpondetur ad rationes Gregorij.

enim ſupernaturali aliquod corpus acquirere poſſet nouum *vbi*, etiam per motum localem, non perdendo prius *vbi*, vt probat Doctor *in 4. diſt. 10. quæſt. 2.* & cùm arguit iſte, quòd ſi corpus mouetur de vno *vbi* ad aliud *vbi*, aut mouetur in tempore, aut in inſtanti. Dico primò, quòd in tẽpore mouetur, & cùm arguit, ergo partibiliter, & ſucceſſiuè, ſcilicet priùs ſecundùm vnam partem, & poſteriùs ſecundùm aliam: concedo, & cùm infert, vel igitur ſecundùm partes mobilis, vel ſecundùm partes ipſius *vbi*. Dico quòd ſi loquitur de ſucceſſione ipſius *vbi* adæquati de nouo acquirendi, vel alterius *vbi* adæquati de nouo deperdendi, quòd talis ſucceſſio ſit propter diuiſibilitatem tam mobilis contenti, quàm ipſius continentis, non quòd fiat ſucceſſio in partibus mobilis, vel in partibus continentis, cùm illæ partes ſint ſimul & in actu, & habeant eſſe permanens, & cùm quærit vltrà, quòd ſi mobile prius ſecundùm vnam partem ſui mouetur ab *vbi*, quod habet, quàm ſecundùm aliam, & quàm ſecundum totum, quæro tunc de alia parte mobilis ipſius, aut habet adhuc totum ſuum *vbi*, vel partem, quam priùs habuit, & tunc ſequitur quòd ipſa quieſcit, alia parte mota actualiter. Dico quòd quando mobile mouetur de motu locali primo modo, videlicet quando mobile per motum proprium recedit à loco, quòd quando vna pars mouetur, etiam quælibet mouetur, ita quòd quando illa pars acquirit nouum reſpectum, etiam quælibet pars ipſius mobilis acquirit nouum reſpectum ad aliam, & aliam partem; & ſic non ſequitur, quòd ſecundùm vnam partem moueatur localiter, & ſecundùm aliam quieſcat.

Singulares reſponſiones.

28. Dico ſecundò, quòd ſi loquamur de motu ſecundo modo dicto, videlicet quãdo mobile ſit ſub alia ſuperficie per nouum acceſſum continentis ad ipſum, vt ſuprà dixi de palo fixo in aqua, quod ſtat mobile ſecundùm vnam partem moueri, & ſecundùm aliam quieſcere, ſicut etiam cùm aliqua ſuperficies dealbatur primò ſecundùm vnam partem mouetur ad albedinem, & ſecundùm aliam partem adhuc quieſcit ſub nigredine, & tamen ex hoc non ſequitur, quòd quieſcat, & non quieſcat: licèt enim ſequatur, mouetur ad albedinem, ergo mouetur, & ſimiliter ſequatur quieſcit ſub nigredine, ergo quieſcit, non tamen ſequitur ergo quieſcit, & non quieſcit, eſt enim ibi ignorantia Elenchi, & fallacia à *ſecũdum quid ad ſimpliciter*, vt infrà patebit in iſto ſecundo di. præſenti quæſt. 7. in reſponſione ad quartum argumentum principale. Et ſi iſte vult inferre, quòd ſi mobile ſecundùm vnam partem quieſceret, & ſecundùm aliam moueretur, eſſet contra Philoſophum. 7. *Phyſi. tex. com.* 1. vbi vult, quòd nihil mouet ſeipsũ primò, quia tunc quieſceret ad quietem partis, & non quieſceret ad quietem eius, patet hoc non eſſe contra Ariſtotelem, quia Ari. loquitur ibi de corpore, quod mouetur ſecundùm ſe totum, ſiuè primò: accipiens ly *primo* illa duplici primitate, de qua Doctor in præſenti di. q. 10. reſpondendo ad primum argumentum principale. Concedo ergo, quòd illa pars, quæ mouetur, non habet totum *vbi*, ſiue reſpectum, quem priùs habuit, nec partem illius reſpectus, ſed habet alium reſpectum nouum, & ſimiliter concedo, quòd illa alia pars mobilis habet nouũ reſpectum, loquendo ſemper de mobili primò modo dicto. Hæc fortè non habet, loquendo de corpore mobili, ſecundo modo dicto. Prima fortè adhuc eſt ſub illa parte, ſub qua priùs erat, niſi fortè dicatur, quòd continens de nouo aduenies, expellendo priùs continens, moueat ipſum totum continens, quia tunc concederetur, quòd ſicut totum contentum fit ſimpliciter ſub alio reſpectu, ita & quælibet pars contenti ſit ſub alio reſpectu.

Et cùm infert quòd illa ſecunda pars mobilis, aut habet totum *vbi* prius, aut partem, reſponſum eſt quòd nec totum, nec partem, loquendo de mobili primo modo. Poſito etiam quòd habeat partem, non ſequitur quòd præcisè habet illam partem, quam priùs habebat alia pars mobilis, & quod infert probando, quòd mobile non requirat ſubiectiuè dum mouetur localiter aliquam partẽ dimenſionalem; hoc totum conceditur, nec hoc eſt contra Doctorem ſubtilem. Et cùm vltimò infert circa illam primam rationem, quòd totum mobile ſimul, non priùs mouetur ab vna parte eſſentiali, quàm ab alia ipſius *vbi*, quia *vbi* non habet tales partes, aliter ſuſciperet magis, & minùs; hoc totum poteſt concedi. Si tamen adhuc dicatur, quòd ſecundùm vnam partem vbi totalis moueatur, & non ſecundùm aliam, fortè non eſſet inconueniens, accipiendo totum *vbi*, pro quodam integrato ex omnibus reſpectibus, quos habent partes mobilis ad partes continentis: & ſic ſi mobile ſecundùm vnam partem mouetur, totũ mobile perdit vnam partem totalis *vbi*, quia vnum reſpectum, quem priùs habebat pars mota: nec ex hoc ſequitur ipſum *vbi* intendi, vel remitti, quia quod intenditur, & remittitur eſt forma ſimplex; illud autem totum *vbi* eſt quoddam integratum ex pluribus vbi partialibus.

29. Et cùm ſecundò infert, quòd eodem modo poteſt argui, quòd non acquirit nouum *vbi* partibiliter, quia vel hoc eſſet ſecundùm partibilitatem mobilis, ita quòd vna pars eius priùs acquireret nouum *vbi*, quàm alia, & tunc ſequitur, quòd vna mouetur, aliâ non motâ. Reſpondeo pariformiter, vt ſuprà dixi de mobili, quod mouetur à priori *vbi*, deperdendo illud. Et quod addit, quòd aut mouetur ſecundùm partibilitatem *vbi* præcisè, ita quòd totum mobile ſimul, priùs acquirat vnam partem eſſentialem *vbi* noui, quàm aliam: patet reſponſio ex ſupradictis, quòd *vbi* nouũ adæquatũ ipſi mobili eſt vnus reſpectu reſultans in ipſo mobili in vltimo inſtanti motus localis, in quo fit perfectè præſens continenti ſibi adæquato; ille tamen reſpectus non acquiritur motu locali, cùm acquiratur in inſtanti: imò eſt ſimpliciter terminus motus localis, & *vbi* totale, quod ſucceſſiuè acquiritur per motum localem, ſunt reſpectus ad inuicem ſucceſſiui, quia habent ſucceſſionem ad inuicem, vel ex diuiſibilitate mobilis, vel continentis, vel vtriuſque, vt ſuprà expoſui. Et ex iſta reſponſione, tota litera ſequens ipſius Gregorij (vt patet) nihil contra Doctorem concludit.

Nihil concludit. Gregorius contra Scotũ.

30. Et cùm probat, quòd non poſſit moueri ab vno *vbi* ad aliud in inſtanti, conceditur hoc non poſſe eſſe via naturali, loquẽdo tamẽ de motu cõtinuo, licèt tamen aliquid poſſit moueri, etiã virtute naturali in inſtanti, nõ tranſeundo per mediũ, quod eſt aliquid extremorũ, videlicet motu continuo, licèt ipſum tranſeat ſecundùm ordinẽ naturæ, ita quòd priùs natura tranſit vnam partem, quàm aliam, & nõ ordine durationis, vt expoſui in præſenti diſt. quæſt. vltima. Et iſte Doctor intendat ſic probare, quòd Angelus nõ poſſit ſic trãſire de loco ad locum in inſtanti, non tamen motu continuo, patet quòd ratio ſua nihil concludit, cũ loquatur

quatur ſemper de motu continuo. Si tamen intendit per has rationes ſimpliciter concludere, quòd nihil naturaliter poſſit moueri de loco ad locum in inſtanti,acquirendo nouum reſpectum, non loquendo de motu continuo, ad illas reſpondeo vnica reſponſione: quia Angelus exiſtens in aliquo *vbi* in inſtanti poteſt ſe facere præſentem alij *vbi*, vt infrà patebit *præſenti diſtinct. quæſt. vltima*.Et cùm infert iſte, ſi *P* mouetur ad *C* in inſtanti,& à *C*,mouetur ad *D*,in inſtanti,& *C* dicat reſpectum,ergo in eodem inſtanti,idem ℂ erit genitum,& corruptum,quod eſt impoſſibile;quia dum *P* mouetur ad *C*, acquirit nouum *vbi*, ſiue nouum reſpectum, & cùm à *C* mouetur ad *D*, perdit ipſum *C*,ſiuè reſpectum.Dico primò,quòd fortè non eſſet impoſſibile angelum in eodem inſtanti temporis moueri ad *C*, & in eodem inſtanti moueri à *C*,ad *D*, loquendo de *vbi* continuis,& non diſcontinuis, & non loquendo de motu continuo. & cùm infertur, ergo in eodem inſtanti *C* eſt genitum & corruptum Dico hoc non eſſe impoſſibile abſolutè;quia etiam Deus in inſtanti *A*,poteſt creare Angelum, & in eodem inſtanti poteſt annihilare,vt ſuprà patuit *præſenti diſt.quæſt.prima*,& clariùs patebit *in quolib. q.*12. & ſic idem in eodem inſtanti erit creatum,& annihilatum. Pono ergo, quòd Angelus in aliquo tempore moueatur ad *vbi C*, ita quòd in vltimo inſtanti illius temporis habeat *vbi C*,& in eodem inſtanti faciat ſe præſentem alij *vbi*, tunc idem *vbi* in eodem inſtanti erit creatum,& corruptum, nec iſta ſunt impoſſibilia. Sed quicquid ſit de iſtis pro nunc ſuccincto ſermone tranſeo, & præſertim cùm rationes iſtæ, quibus probat, quòd eſt impoſſibile aliquid moueri in inſtanti; probent tantùm de motu continuo, vt ſic concedantur, & in hoc non ſunt contradictoria, cùm expreſsè teneat Angelum non poſſe moueri motu continuo in inſtanti de loco ad locum, ſiuè de locis continuis, ſiue diſcontinuis, vt ſatis patet præſenti diſtinct.quæſt.12.

Eſt impoſſibile aliquid moueri in inſtanti.

31. Ad ſecundam rationem principalem, qua probat quòd cælum primum non acquirat nouum reſpectum,licè verè localiter moueatur, & quòd non acquirat,patet, quia primum cœlum non circunſcribitur. Dico quòd ſi loquamur de circunſcriptione paſſiua,ſecundùm quam aliquid dicitur commenſuratè contineri ab aliqua ſuperficie corporis continentis;hoc modo primum cælum non eſt in loco ſecundùm viam Philoſophi:ſi verò loquamur de circunſcriptione actiua, qua primum cælum circunſcribit corpora contenta.Dico abſolutè, quòd continuè dum localiter mouetur acquirit nouum,& nouum *vbi* actiuum,quo continuè circunſcribit contenta inferiora, & quælibet pars primi cæli ſemper acquirit alium, & alium reſpectum,ſecundùm quem fit præſens parti contentæ. Et concedo quòd motus localis primi cæli eſt verè continuus, & diuiſibilis, & ſucceſſiuus, non quòd ſit aliqua ſucceſſio in partibus ipſius cœli, nec in corporibus contentis, cùm habeant *eſſe* permanens, ſed fit continua ſucceſsio in ipſis reſpectibus actiuis,ita quòd ſemper vnus ſuccedit alteri. Cùm enim vna pars primi cœli fit præſens parti corporis contenti, habet vnum reſpectum ad illam partem, quæ dicitur *vbi*,& cùm fit præſens alij parti,acquirit alium reſpectum,admittendo illum primum, & ſic fit præſens alij, & alij parti,& ſic ſemper alius, & alius reſpectus ſuccedit alteri.

Motus localis primi cæli eſt verè continuus, & diuiſibilis.

Ad tertium principale, vbi dicit, quòd tunc idem mobile ſimul moueretur duobus motibus diſtinctis, & eſſet dare quintum genus motuum, præter illa quatuor poſita à Philoſopho quinto Phyſicor.ſcilicet motus ad ſubſtantiam,quantitatem,qualitatem,& *vbi*. Dico breuiter, quòd hæc ratio procedit ex falſa imaginatione; imaginatur enim iſte, quòd cùm mobile mouetur localiter ſuper aliquod ſpatium, quòd ſit vnus motus localis reſpectu ſuperficiei, ſuper qua mouetur, & alius motus ſit ad ipſum *vbi*:ſi enim attenderetur motus localis ex hoc ſolo,quòd eſſet ſuper quantitate,talis motus non eſſet ſucceſsiuus,quia in tali motu nulla eſſet ſucceſsio in quãtitate, ſuper qua mouetur,nec ſucceſsio in partibus ipſius mobilis, cùm ſint permanentes:ex quo ergo motus localis eſt verè ſucceſsiuus,oportet dicere,quòd talis ſucceſsio fiat in ipſo vbi totali, ita quòd continuè vnus reſpectus vbicalis ſuccedit alij modo præexpoſito & talis ſucceſſio in reſpectibus fit propter diuiſibilitatem,vel continentis,vel contenti, vel vtriuſque,vt ſuprà patuit. *Quinto phyſic.cõt.x.*18.

Dico ſecundò,quòd etiam poſito,quòd mobile verè moueatur ſuper magnitudinem ſic, quòd talis motus dicatur localis, & etiam moueatur ſecundùm alium, & alium reſpectum vbicalem, ſic,quòd talis motus dicatur vbicalis, adhuc nullum ſequitur inconueniens.Et concedo quòd idẽ mouetur diſtinctis motibus,& cùm infertur,quòd eſſet dare quintum genus motuum,negatur, quia motus vbicalis eſſet in Prædicamento *vbi*,& motus localis eſſet in prædicamento Quantitatis, quia talis motus diceretur ex hoc, quòd mobile continuè tranſit aliam,& aliam partem quantitatis:ſicut etiam dicimus, quòd motus alterationis eſt in prædicamento Qualitatis. Prima tamen reſponſio eſt melior.Et cùm dicit,quòd motus localis non pertinet ad prædicamentum Quantitatis, quia non eſt augmentum,vel decrementum.Dico, quòd ſi iſte concederet motum localem eſſe aliquam entitatem realem realiter diſtinctam à mobili,cuius oppoſitum ipſe tenet, haberet dicere, quòd talis motus pertineret ad genus quantitatis non ex hoc,quòd mobile acquirat realiter,& ſubiectiuè aliquam quantitatem nouam, ſed ex hoc quòd pertranſit aliam,& aliam partem quantitatis ſucceſſiuè, ita quòd vnam per prius,& aliam per poſterius,& ſic ſucceſſio eſſet in tali motu, licèt non in partibus quantitatis. 32. *Singularis doctrina.*

Ad quartum,vbi dicit,quòd ſi *vbi* diceret nouum reſpectum in ipſo mobili, quòd tunc eſſet poſſibile aliquid eodem tempore primò moueri continuè ſecundùm *vbi* alicuius loci,& quieſcere ſecundùm locum illum, & è contra quieſcere ſecundùm *vbi*,& moueri ſecundùm locum. Negatur hoc poſſe ſequi,& cùm probatur, quia quieſcere ſecundùm *vbi* non eſt aliud,quàm ipſum, & omnes partes eius eſſe in eodem loco, quo priùs: ſi intelligat, quòd eſſe in aliqua vltima ſuperficie, in qua priùs erat non includendo reſpectum circunſcriptionis paſſiuæ, quòd quieſcat ſecundùm *vbi* circunſcriptiuum:hoc patet eſſe falſum, quia & corpus Chriſti quieſcit ſub vltima ſuperficie quantitatis panis tranſubſtantiati, & tamen non quieſcit ſecundùm *vbi* circunſcriptiuum; patet, quia ibi non circunſcribitur; nam circunſcribi dicit commenſurationem totius contenti ad totum continens, & partium contenti ad partes continentis,

quæ commenſuratio nihil aliud eſt, niſi quidam reſpectus, vt patet à Doc. *in* 4. *diſt.* 10. non ſequitur ergo quieſcit ſecundùm locum, accipiendo *locum* pro vltima ſuperficie continentis, ergo quieſcit ſecundùm *vbi*, licèt benè ſequatur è conuerſo, ſcilicet quòd quieſcens ſecundùm *vbi* quieſcit etiam ſecundùm locum: quia non eſt imaginabile quòd *A* habeat *vbi* circunſcriptiuum, & quòd ſimul nõ ſit ſub quantitate continentis. Et quod infert iſte, quòd Deus poſſet transferre locatum partibiliter de ſuo loco, ſcilicet de vltima ſuperficie continentis conſeruando totaliter *vbi* in ipſo locato, negatur: quia eſt ſimpliciter impoſſibile ponere aliquem reſpectum ſine termino *ad quem eſt*, vt patet à Doct. in 4. diſt. 11.

34. *Impoſſibile eſt ponere reſpectum ſine termino.* Cùm ergo *vbi* paſſiuum eſſentialiter ſit reſpectus terminatus ad vltimam ſuperficiem continentis, ſecundùm quem contentum ſit præſens continenti, & partes conténti partibus continentis, ſi locatum non eſſet in tali ſuperficie, nullo modo includeret *vbi* ad talem ſuperficiem. Et cùm probatur, quòd locatum poſſit eſſe in tali *vbi*, & non in ſuperficie, quia ipſum *vbi* paſſiuum eſt res diſtincta eſſentialiter ac etiam ſubiecto, & ſitu ab ipſo loco, nec aliquam cauſalitatem habet alterum ſuper reliquum, quam Deus non poſſet plenè ſupplere. Concedo hoc totum. Et cùm infertur, ergo Deus poteſt transferre locatum partibiliter de ſuo loco, conſeruando totaliter *vbi* in ipſo locato, negatur conſequentia, vt patet in inſtantia; nam paternitas diſtinguitur eſſentialiter, & loco, & ſubiecto, &c. à re, quæ eſt Filius, ergo Deus poteſt facere Patrem ſine filio, non ſequitur: ſimiliter vnio naturæ humanæ ad Verbum diſtinguitur eſſentialiter ab ipſo Verbo, ergo poteſt facere naturam humanam formaliter vnitam, & quòd talis vnio non terminetur ad Verbum non ſequitur. Et cùm dicit in calce huius rationis, quòd ſi *vbi* dicit reſpectum nouum in ipſo locato, quòd Deus poterit in ipſo locato innouare continuè *vbi*, & ipſum in eodem loco adæquato, & primo retinere: dico quòd hæc propoſitio poteſt habere duplicem ſenſum. Primò, quòd exiſtente *A*, in aliqua vltima ſuperficie continentis primò, & adæquatè includente reſpectum ad ipſam ſuperficiem, quòd ſimul poteſt habere aliud, & aliud *vbi*, quia ipſum *A*, poteſt adæquatè contineri in alia, & alia ſuperficie: & hoc modo concedo propoſitionem, quia Deus poteſt facere idem corpus ſimul eſſe in pluribus locis adæquatis, loquendo de locis materialiter, ſcilicet accipiendo *locum* pro ſuperficie vltima, vt ſubtiliter probat Doctor *in* 4. *diſt.* 10. *q.* 2. Secundò quòd exiſtente *A* in *B*, vt in loco ſibi adæquato, poſſet habere aliud, & aliud *vbi* circunſcriptiuum, non actu exiſtente ſub alia, & alia ſuperficie, hoc eſt ſimpliciter impoſſibile, quia tunc poneretur reſpectus ſine termino ad quem eſt, vt ſuprà patuit; quia *vbi* paſſiuum dicit formaliter reſpectum ad vltimam ſuperficiem continentis, vt actu continentem, & circunſcribentem.

35. Nunc reſpondendeo ad argumenta facta pro ſecunda concluſione, quæ talis erat, quòd *vbi* non eſt res alia à loco, & à locato diſtincta, cuius oppoſitum tenet Doctor vt patet *in* 4. *diſt.* 10. *& in quolib. q.* 11. *& alibi ſæpè.*

Ad primam rationem. Ad primam ergo rationem, quòd ſi *vbi* eſſet res alia, quòd tunc eſſet poſſibile per potentiam Dei idem locatum eſſe in eodem loco, in quo priùs, & non eſſe vbi priùs, & è contra, eſſe vbi priùs & non in eodem loco, ideſt, in quo priùs, quæ non ſunt intelligibilia. Reſpondeo quòd iſta litera poteſt habere multiplicem ſenſum. Primò quòd *A* poſſit eſſe in eodem loco, ideſt, in eadem ſuperficie in qua priùs, & non eſſe vbi priùs, ideſt, quòd actu ſit in vltimata ſuperficie, & quòd non habeat *vbi* quod prius habebat in illa ſuperficie; concedo eſſe poſſibile, ſcilicet quòd *A* contineatur in aliqua ſuperficie, non tamen circunſcriptiuè, & quòd non habeat *vbi* circunſcriptiuum, vt patet de corpore Chriſti ſub quantitate panis, & hoc conceditur à Doctore *in* 4. *diſt.* 10. Secundò quòd *A* contineatur in aliqua ſuperficie circunſcriptiuè, & quòd non habeat idem *vbi*, quod priùs habuit. Dico hoc eſſe impoſſibile; quia idem reſpectus ſemper remanet idem termino, & fundamento eodem modo ſe habente; ſic intelligendo quòd *A* ponatur commenſurari toti ſuperficiei continentis ſic, quòd ipſum *A* correſpondeat toti ſuperficiei, & partes determinatæ à partibus determinatis ſuperficiei: & hæc commenſuratio eſt neceſſariò reſpectus. Non intelligo ergo quòd manente *A*, ſecundùm *eſſe* abſolutum, & ſuperficie ſecundùm eſſe abſolutum, quòd neceſſariò maneat *vbi* circunſcriptiuum, ſed poſita commenſuratione ſupradicta neceſſe eſt ipſum *vbi* manere quamdiu manet talis commenſuratio, & ſic patet quomodo iſta litera poteſt intelligi. Poſſent etiam dari alij ſenſus, quos breuitatis causâ omitto, & quia non multùm faciunt ad propoſitum.

36. *Ad ſecundam rationem. Socratem exiſtere in aliqua vltima ſuperficie poteſt intelligi duobus modis.* Ad ſecundam rationem pro ſecunda concluſione cùm dicit, ſi *vbi* eſt talis res, ſcilicet reſpectus, Deus annihilet ipſum *vbi*, quod habet Socrates exiſtens in iſto loco demonſtrato. Dico, quòd Socratem exiſtere in aliqua vltima ſuperficie, poteſt dupliciter intelligi, videlicet commenſuratiuè, & definitiuè tantùm. Primo modo, non poteſt deſtrui ab aliqua potentia ipſum *vbi*, quia eſt impoſſibile Socratem commenſurari alicui loco, & non dicere reſpectum ad ipſum locum, cùm talis commenſuratio, vel eſt formaliter reſpectus, vel ſaltem neceſſariò includit reſpectum. Secundo modo, concedo quòd poteſt annihilare tale *vbi* circunſcriptiuum licèt tunc ſit difficultas vt eſt in loco definitiuè, an neceſſariò dicat reſpectum: & teneo ſimpliciter quòd aliquid non poteſt eſſe in loco definitiuè ſic, quòd ſit perfectè præſens illi loco, quin dicat reſpectum præſentialitatis ad locum. Sed de hoc *in* 4. *diſt in.* 10. *& in quolib. quæſt.* 11.

Et cùm infert, quòd annihilato *vbi* circunſcriptiuo in Socrate, pono quòd Deus nullam aliam mutationem faciat in Socrate, aut in alia re, quod eſt benè poſſibile ſuæ potentiæ. Admitto caſum, & cùm vltrà quærit, an Socrates ſit in illo loco, in quo priùs erat, ſcilicet in vltima ſuperficie continentis, vel non poteſt dari vtrunque. Cùm dicit, quòd ſecundum dari non poteſt, quia tunc Socrates eſſet in loco ſecundùm aliam mutationem ab illa, qua mutatus fuit ſecundùm *vbi*, deperdendo ipſum quod eſt contra poſitum: negatur quòd mutetur aliqua mutatione poſitiua, videlicet acquirendo aliquod poſitiuum, aut aliqua mutatione deperditiua, deperdendo aliquod poſitiuum, quod priùs habuit.

37. Et cùm probat; quia Socrates priùs fuit in loco, & nunc non eſt in loco, ergo mutatur; negatur conſequentia, ſi in antecedente intelligit Socratem eſſe in loco nihil aliud eſſe, niſi in aliqua ſuperficie

ſuperficie contineri,& non dicere aliquid formaliter in ipſo Socrate; quia vt ſic, Socrates nec formaliter aliquid acquirit, nec deperdit: & ſi Socratem eſſe in loco hoc modo, & pòſt non eſſe diceret mutationem, multa inconuenientia contingerent, quia dicerem etiam Deum ſic mutari, quia nunc non eſt præſens tempori craſtino, & cras erit præſens, & ſimiliter heri fuit præſens tempori heſterno, & nunc non eſt præſens, cùm vnum extremum præſentialitatis non ſit,& tamen non mutatur. De hoc vide Doctorem in primo, *diſt.* 39. contra opinionem D. Thomæ. Et hoc eſt, quia per aliam, & aliam præſentiam non acquirit aliquid in ſe formaliter, nec ſimiliter amittit aliquid, quod erat in A, formaliter per carentiam præſentiæ. Et multa inconuenientia adduci poſſent, quæ breuitatis causâ pertranſeo. Si verò Socratem eſſe in loco diceret formaliter aliquid poſitiuum in Socrate, concedo quòd tunc mutaretur, ſi deſineret eſſe in loco; & tunc caſus primus eſſet impoſſibilis, videlicet quòd annihilato *vbi* in Socrate, ſi Socrates eſſet in loco, & ipſum eſſe in loco dicit aliquid poſitiuum formaliter in Socrate, poſſet Deus facere Socratem formaliter non eſſe in loco ſine mutatione, quia in illo inſtanti, quo deſineret eſſe in loco amitteret illum reſpectum, quem priùs habebat. Et cùm vltra dicit in calce huius rationis, quòd annihilato *vbi* in Socrate, aut eſſet in loco præexiſtenti, &c. Dico quòd non eſſet ibi circumſcriptiuè, quia Deus de potentia ſua poteſt deſtruere ipſum *vbi* circunſcriptiuum, manentibus corpore, & vltima ſuperficie continentis, vt patet à Doct. *in* 4. *diſtin.* 10. Sed tunc non ſequitur, quòd ſit in loco, de quo iſte intendit, ſcilicet in loco circunſcriptiuè.

38. *Ad tertiam rationem.* Ad tertiam rationem, cùm dicit, ſi *vbi* eſt res aliqua diſtincta à locato, aut eſt abſoluta, aut reſpectiua? Dico, quòd eſt reſpectus. Et cùm probat, quòd non, per diuiſionem, quia aut eſt reſpectus locati ad locum, aut loci ad locatum, aut vtriuſque, ſcilicet & locati ad locatum, & loci ad locatum. Concedo omnes partes huius diuiſionis. & cùm probat, quòd *vbi* non dicat reſpectum loci ad locum, quia tunc locus, puta vltima ſuperficies continentis haberet *vbi*, & poſſet conuenienter quæri, vbi eſt iſte locus. Et vltrà etiam, loci eſſet locus, quod non concederent. Dico quòd nullum ſequitur inconueniens, quia aliud eſt loqui de *vbi* actiuo, & de *vbi* paſſiuo, ſiue de circunſcriptione actiua, & paſſiua. Nam ſecundùm *vbi* paſſiuum tantùm aliquid dicitur locari, ſiue eſſe in loco, & nullo modo aliquid dicitur eſſe in loco ſecundùm *vbi* actiuum; & ſic non poteſt conuenienter quæri de vltima ſuperficie continentis reſpectu *vbi* actiui, vbi ſit tanquam in loco, cùm ſecundùm illud nullo modo dicatur eſſe in loco. Nec ſimiliter ſequitur, quòd locus ſit in loco, quia ſi *vbi* actiuum eſſet in vltima ſuperficie, aut in loco circunſcriptiuè, tunc circunſcriberetur ab vltima ſuperficie, quod eſt impoſſibile: & ſimiliter illud *vbi* haberet aliud *vbi*, ſecundùm quod primum *vbi* eſſet in loco, & ſic eſſet proceſſus in infinitum. Nec illud inconueniens, quod dicit, quòd tunc locus eſſet in loco ſequitur apud Scotiſtas, quia locum eſſe in loco tantùm ex hoc ſequeretur, ſi locus poſſet moueri localiter, ſiue ipſum *vbi*, & hoc eſt quod dicit Doctor *diſtin. præſenti. q.* 6. vbi ſic dicit, *Dico igitur, quòd locus habet immobilitatem oppoſitam motui locali omninò, & incorruptibilitatem ſecundùm equiualentiam per comparationem ad motum localem. Primum patet, quia ſi eſt aliquomodò mobile localiter, quantumcunque accipiatur, per accidens etiam poſſet dici eſſe in loco per accidens, & ei aſſignari alius, & alius locus.* Hæc ille. Et cùm probat, quòd locatum non dicat reſpectum ad locum, quia reſpectus loci ad locatum eſt de genere Relationis; igitur & reſpectus locati ad locum. Dico, quòd vterque reſpectus eſt de genere *vbi*, quod *vbi* diſtinguitur in *vbi* paſſiuum, & actiuum. Nam iſti reſpectus ſunt reſpectus extrinſecus aduenientes, vt patet à Doctore *in* 4. *diſtin.* 10.

An locus ſit in loco.

39. *Ad quartam rationem.* Ad quartam rationem, quæ fundatur in illa interrogatione de loco, &c. Dico breuiter, quòd cùm communiter quæritur in quo loco ſit Franciſcus, communiter reſpondetur de loco materiali, vel communi, vel proprio. Cùm dicunt, quòd eſt in Eccleſia, vel in domo, vel in alio loco, quia ipſi intelligunt, quòd in tali loco continetur. Si tamen vltrà quæreretur ſi Franciſcus eſt in tali ſuperficie contentus, ita quòd ſit ibi commenſuratiuè, dicítne reſpectum ipſius contenti ad ipſum continens, & è contra? Periti viri dicerent quòd ſic, quia videretur eis impoſſibile aliquod contentum ſic perfectè eſſe præſens continenti, quòd totum correſpondet toti, & pars parti, quin dicat relationem talis præſentialitatis, quæ dicitur circunſcriptio paſſiua. Et quòd non valet iſta conſequentia ad interrogationem factam de loco, reſpondetur quòd eſt in tali, vel tali loco; ergo *vbi* non dicit aliquem reſpectum alium à locato, quia (vt dixi) communiter fit interrogatio de loco materiali. Sicut etiam hæc conſequentia non valet, ſi quæratur, Franciſcus eſt ſimilis Ioanni, per quid ergo eſt ſimilis? ſiue ſecundùm quid eſt ſimilis? communiter reſpondetur, quòd ſecundùm albedinem; ergo ſimilitudo nihil aliud dicit niſi album, & album: non ſequitur, cùm dicat relationem fundatam in vtroque albo; ſit ergo quæſtio communiter de fundamentis ſimilitudinis, & per tale fundamentum communiter reſpondetur; ſic dico in propoſito.

40. Ad illam confirmationem, cùm dicit, ſi quis interrogat de Socrate, vbi eſt? & reſpondeatur eſt in Eccleſia, vel in ſcholis, conuenienter reſponderetur; ſi igitur *in Eccleſia*, & *in ſcholis*, non ſunt termini pertinentes ad prædicamentum *vbi*, aliqui non conuenienter reſponderent; igitur eiuſdem eſt interrogatiuum hoc aduerbium *vbi*, quod iſta ſignificant, ſignificant autem loca ipſa extrinſeca, & non aliquam rem formaliter loco inhærentem. Dico quòd *vbi* poteſt accipi dupliciter. Vno modo pro ſignificato. Alio modo, pro denominato, ſiue pro materiali. Primo modo, tam *vbi* actiuum, quàm *vbi* paſſiuum ſignificat formaliter reſpectum. Secundo modo, *vbi* actiuum accipitur pro ipſo continente, & ſic communiter fit interrogatio de continente; ſicut etiam dicimus, quòd talis locus eſt conueniens locato, ſcilicet locus materialiter ſumptus, vt includit qualitates conuenientes corpori naturali locato: ſicut etiam dicimus ille locus ſanus eſt, non accipitur pro reſpectu locantis ad locatum, ſed pro ipſo continente includente qualitates facientes pro ſanitate.

Vbi *poteſt accipi dupliciter.*

41. Ad auctoritatem Commentatoris, 5. Metaph. vbi dicit iſte, quòd Commentator vult quòd *locus* accipiatur tantùm pro ipſa vltima ſuperficie continentis, & vt ſic, talis locus eſt prædicamentum *vbi*. Dico quòd auctoritas Commentatoris

in 5. Metaphyſ. com. 28. eſt ad oppoſitum : vult enim ibi, quòd reſpectus continentis localiter ad contentum, ſit prædicamentum *vbi*: dicit enim ſic; *& iſte ſermo ita cecidit in libro, ſed exemplum non conuenit exemplificato, vbi loquitur de habitu*; *dicere enim quòd contentum habet continens, eſt ſicut animal habere cutem & arborem habere cortices, & hoc eſt prædicamentum* habitus. *Scyphum autem habere aquam, & ciuitatem habere homines, eſt èconuerſo, ſcilicet quia continens habet contentum, & ſecundùm hunc modum dicitur quòd locus habet locatum, & hoc in prædicamento* vbi, *& vniuerſaliter reſpectus in hoc prædicamento eſt conuerſus illi, qui eſt in prædicamento habitus.* & parum infrà, *Eſt enim reſpectus comparationis inter continens, & contentum, ſi igitur fuerit comparatio continentis ad contentum, erit prædicamentum* habitus, *ſed èconuerſo de vbi.* Hæc ille. & in calce illius commenti ſic dicit, *numerus reſpectuum, qui demonſtratur per* habere *ſicut ſecundùm numerum reſpectuum, qui demonſtratur per hanc dictionem* in. *ſed hìc hæc præpoſitio* in. *dignius dicitur de reſpectu contenti ad continens, & recepti ad recipiendum, & hoc verbum* habere *dignius dicitur de reſpectu continentis ad contentũ, & poſſidentis ad poſſeſſum.*

Quomodo locus habeat locatum.

Ex quibus expreſsè apparet, quòd ex quo ipſe habitus, qui eſt prædicamentum *vbi*, dicit tantùm reſpectum habentis ad rem habitam, ſimiliter, *vbi* dicit reſpectum continentis ad contentum : non enim res habens, nec res habita dicuntur *habitus*, qui eſt prædicamentum, nec ſimiliter ſuperficies vltima continens, & res contenta dicuntur eſſe de prædicamento *vbi*, ſed *vbi*, quod eſt prædicamentum erit tantùm reſpectus continentis ad contentum, & è contra. Ex iis etiam apparet quid dicendum ſit ad auctoritatem Commentatoris, 4. Phyſi. *com.* 34. & ſimiliter ad auctoritatem Boëtij de Tri. & ſui Commentatoris.

42. Vltimo loco reſpondendum eſt, quomodo ille reſponſiones factæ contra tres rationes, quas facit contra ſeipſum, non euacuent illas rationes. Cùm dicit ad primam, quòd ſic arguendo, locus eſt ſpecies Quantitatis, *vbi* eſt locus, ergo *vbi* eſt ſpecies Quantitatis ; quòd eſt fallacia æquiuocationis, ex varia ſuppoſitione medij. Dico quòd ſi iſte vult, quòd *vbi* nullum reſpectum dicat nec re, nec ratione additum loco, ſiue ſuperficiei, quòd in tali argumento non committitur aliqua fallacia: patet, quia quando aliqua duo ſic ſe habent, quòd ſunt penitus idem, quod verificatur de vno, verificatur de reliquo: cùm ergo *vbi*, & locus ſint penitus idem per re, ergo ſi de loco verificatur, quòd ſi ſpecies Quantitatis hoc idem verificabitur de *vbi.*

Præterea, quandocunque medium habet tantùm vnum ſignificatum, non contingit fallacia æquiuocationis; ſed *vbi*, & locus ſignificant penitus idem ex parte rei ; quia locus ſignificat vltimam ſuperficiem corporis continentis; & *vbi* ſignificat eandem, cùm nullo modo per te dicat aliam rem nec abſolutam, nec reſpectiuam.

Et cùm dicit ſecundò, ſoluendo hanc primam rationem, quòd eſto quòd locus ſit quantitas, non tamen locus eſt ſpecies Quantitatis, ſed paſſio quantitatis. Et probat per Commentatorem 5. Metaph. *c. de quanto*, vbi dicit, quòd Philoſophus in Prædicamentis enumerando illas ſpecies, locutus eſt ſecundùm famoſitatem tantùm, &c. Dico quòd hæc reſponſio minimè valet, quia ſiue locus ſit ſpecies Quantitatis, ſiue non, nihil refert ad propoſitum; quia ego quæro, an locus pertineat ad prædicamentum Quantitatis, ita quòd præcisè ſit in tali prædicamento, aut non, ſi ſic, cùm *vbi* ſit penitus idem quòd locus, ſequitur quòd *vbi* non erit prædicamentum diſtinctum à prædicamento Quantitatis, & tunc motus erit tantùm ad tria prædicamenta, ſcilicet ad Subſtantiã, Qualitatem, & Quantitatem, quod eſt contra Philoſophum, 5. *Metaph.* qui ponit motum ad quatuor prædicamenta, ſcilicet ad tria ſupradicta, & ad *vbi*. Si verò locus non eſt de prædicamento Quantitatis, & aliud non poteſt aſſignari, niſi prædicamentũ *vbi*, tunc quæro, aut dicit rem abſolutam, aut reſpectiuam ; ſi abſolutam, nulla alia erit, niſi ſuperficies continẽtis, quæ per ſe eſt in prædicamento Quantitatis; ſi reſpectiuã, tunc habetur propoſitũ, ſcilicet quòd locus ſit reſpectus alius ab vltima ſuperficie cõtinentis fundatus in ea, & terminatus ad locatũ.

Locus eſt paſſio quantitatis.

Quinto Metaphyſ. contex. 18.

43. Et cùm dicit iſte, quòd quamuis eadem res ſit locus, & quantitas, ſeu ſuperficies, non tamen ſecundùm eandem rationem dicitur ſuperficies, & locus; ſed inquantum eſt diuiſibilis ſecũdùm duas dimenſiones, dicitur ſuperficies; inquantùm verò eſt id, in quo aliud eſt tali modo eſſendi *in*. dicitur locus. Sed hæc reſponſio videtur tantùm fuga. Tum, quia in re, ſuperficies, vt includit duas dimenſiones, ſcilicet longitudinem, & latitudinem, & vt continet locatum, eſt ſimpliciter eadem res, & nullo modo diuerſificata. Tum, quia, vt continet locatum, aut præcisè eſt ſuperficies includens duas dimẽſiones; aut dicit aliquid aliud. Si primò, ergo locus nullo modo differt à ſuperficie. Si ſecundò, quæro de illo alio, aut dicit reſpectum ſuperficiei continentis ad cõtentum, aut abſolutum; quodcunque detur erit contra te. Si dicit reſpectũ, aut ille reſpectus eſt ex natura rei, & habetur propoſitum, quòd locus vltra ſuperficiem dicat rem reſpectiuam aliam à ſuperficie; aut eſt reſpectus rationis tantùm, & hoc eſt falſum. Tum, quia locus non eſſet in aliquo prædicamento, cùm prædicamenta ſint præter opus intellectus. Tum, quia nullo intellectu comparante, nullus locus eſſet, quæ omnia ſunt abſurda. Dicere ergo locum diſtingui à ſuperficie, & ex parte rei nõ eſſe aliud ab ipſa, nec ex parte rationis, videtur implicatio in adiecto.

44. Ad ſecundam reſponſionem, quâ nititur ſoluere auctoritatem Auctoris ſex Principiorum, dicentis, quòd *vbi* eſt circunſcriptio corporis à locis circunſcriptione procedens, &c. Dico quòd extorquet, & auctoritatem, & intentionem Auctoris, cùm dicit ipſum *vbi* non diſtingui ab vltima ſuperficie continentis. & cùm probat per ſimile, ſicut circunſcriptio loci, à qua dicit circunſcriptionem corporis procedere, non intelligitur aliqua res à loco diſtincta, qua circunſcribatur locus. Dico, quòd hoc vel eſt, quia Auctor ſex Principiorum ponit duplicem circumſcriptionem, ſcilicet actiuam, & paſſiuam; nam in eodem inſtanti, quo ponitur actiua, ponitur & paſſiua, & ècontra. Et non dicit, quòd ipſe locus, ſiue circumſcriptio actiua, à qua procedit circumſcriptio paſſiua, aliquomodo circumſcribatur. Dico etiam, quòd quando Auctor ſex Principiorum dicit, quòd *vbi* eſt circumſcriptio corporis à loci circumſcriptione procedens, id eſt, quòd ipſum *vbi* reſpectus procedit à circumſcriptione loci naturalis, vt à termino *ad quem*, quia vltima ſuperficie continentis ambiente locatum, ſtatim in ipſo locato oritur circumſcriptio paſſiua, quæ eſt reſpectus fundatus in locato, & terminatus ad vltimam ſuperficiem ambientem

Cap. 5. de vbi. Duplex eſt circumſcriptio.

ambientem ; & ſimiliter in eodem inſtanti oritur circumſcriptio actiua, quæ eſt reſpectus fundatus in ſuperficie ambiente,& terminatus ad vltimam ſuperficiem corporis locati:& ſic patet quomodo ſecundùm Boetium,non ſit ſimpliciter idem circumſcribi formaliter, & eſſe in aliquo loco,accipiendo *locum* pro vltima ſuperficie.

Ad vltimam reſponſionem datam ad auctoritatem Auctoris 6.Principiorum,dicentis; *Non autem in eodem eſt locus*, & vbi : *ſed locus quidem eſt in eo,quod capit* : vbi *verò in eo,quod circumſcribitur,& complectitur*:non videtur iſte ſoluere iſtam auctoritatem , cùm dicit quòd cùm auctor accipit *eſſe in*,non accipit pro inhærentia, ſed per prædicationem,& actum exercitum pro ſignato , & eſt ſenſus quòd non de eodem dicitur,ſeu prædicatur locus , & *vbi* : hæc enim reſponſio ex ſupradictis patet non eſſe ad intentionem auctoris,cùm accipiat ibi *eſſe in* præter omne opus intellectus , & vt dicit veram inhærentiam.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm vnus [a] *Angelus poſsit eſſe ſimul in pluribus locis?*

Alenſis 2.*p*.*q*.32.*m*.3. D.Thom. 1.*p*.*q*.52.*a*.2. D. Bonau. *hìc* 2.*p*.*a*.2.*q*.2. Rich. 1.*d*.37.*a*.1.*q*.3. Marſ. 2.*q*.2. *art*.2. Gab. *hic q*.2. *art*.3. Baſſol. *quæſt*. 4. *art*. 3. Vaſq. 1.*p*. *d*.190. Goffred. *quodlib*. 12. Mayr.2. *d*.1. *q*.8. Baccon.*d*.3. *q*.2.

1. QVOD non , quia tunc diſtaret à ſe ſicut locus diſtat à loco. Conſequentia probatur ex oppoſito conſequentis : quia illa,quæ ſunt ſimul alicui tertio, ſunt ſimul inter ſe. *Vide D. Th*.1.*p*.*q*. 52.*ar*.2.*&* *D*.*Bon*.*atque Var*.*q*. *præſẽti qui tenent partem negatiuam*. 5. *Phyſ*. *t*.*c*. 52. *n*.9.

Item,Angelus eſt natura omnino limitata:igitur ſecundũ quodlibet quod poteſt ineſſe ſibi:igitur ſecundùm locum : ergo non poteſt ſimul eſſe in pluribus locis.

Præterea,duo *vbi* ſunt formaliter contraria, quia inter ea poteſt eſſe diſtantia localis , & per conſequens motus : & motus eſt inter duo contraria,vel à contrario in medium:& in præcedenti quæſtione dictum eſt,quòd omnia diſtincta *vbi*, differunt ſpecie,& quæ differunt ſpecie ſub eodem genere ſunt contraria:& contraria non poſſunt ſimul ineſſe eidem,quia maximè diſtant,ſicut nec contradictoria:ergo,&c.

Item,ſi ſic,tunc poſſet ſimul quieſcere & moueri, quia quieſcere ſecundùm vnum *vbi* , & moueri ſecundùm aliud : ſed quieſcere & moueri inferunt quieſcere , & non quieſcere,quæ ſunt incompoſſibilia in eodem:igitur,&c. *Arg*. 4.

Præterea,aut poſſet moueri ſimul ad illa duo *vbi*,aut ab vno *vbi* moueri ad aliud, & tamen manere in illo primo *vbi*,& acquirere ſecundum cũ hoc:non primo modo,quia duo motus eiuſdem ſpeciei,non poſſunt ineſſe eidem, 3. *Phyſ*. neque multò magis duo motus contrarij:nec ſecundo modo,quia termini motus ſunt incompoſſibiles : & ideò mobile acquirendo terminum *ad quem*,neceſſariò amittit terminum *à quo*:igitur,&c. *Arg*. 5. *Tex*.*c*.19. 5.*Phyſ*.*t*.*c*. 26.*&* *circa finem*.

Contra, [b] Angelus poteſt eſſe in aliquo loco toto,puta pedali. Faciat igitur ſe in extremis huius loci,non exhibendo ſe præſentem medio , quia non eſt ibi vt forma , nec aliquo modo alio qui videatur neceſſariò requirere præſentiam totius : igitur erit in duobus locis non continuis.

Præterea,corpus poteſt eſſe in duobus locis ſimul:ergo multo magis ſpiritus. Antecedens declarabitur in quarto, in materia de Euchariſtia. *Di*.10.*q*.2.

COMMENTARIVS.

a ITVLVS quæſtionis poteſt habere multiplicem ſenſum. Primò, an Angelus poſſit eſſe in pluribus locis adæquatis, puta , quòd locus adæquatus Angeli ſit ſpatium vnius miliaris : an ſimul poſſit eſſe in duobus ; & Doctor determinabit quòd non,loquendo de poteſtate ipſius Angeli. Secundò , an poſſit eſſe in duobus locis non adæquatis,puta quòd poſſit eſſe in extremis ſpatij vnius militaris,ita quòd non in medio,quæ extrema dicuntur loca diſcontinua,& Doctor videtur ſuſtinere partem negatiuam,& affirmatiuam, videlicet quòd poſſit eſſe ſimul in talibus locis poteſtate propria, & non poſſit eſſe ſimul. Videtur enim quòd vtraque ſit probabilis. Et Doctor arguit pro prima parte ibi:

b *Contrà,poteſt eſſe in aliquo loco toto* , puta pedali. Per hanc rationem Doctor videtur probare quòd ſimul poſſit eſſe in locis extremis alicuius ſpatij pedalis abſque hoc,quòd ſit in medio:& patet,quòd ſi eſt in illis extremis,quod non oporteat eſſe in medio:quia ex quo Angelus non eſt in illa quantitate pedali,ſicut forma in ſubiecto,quæ nõ poſſet ſimul eſſe in extremis illius quantitatis,quin ſimul informet media inter illa extrema , nec eſt ibi ſicut locatum in loco circumſcriptiuè,quia tale locatum non poteſt eſſe in extremis alicuius quantitatis,quin ſimul ſit in medio:cùm ergo Angelus ſit ſimpliciter indiuiſibilis , & habeat, puta quantitatem pedalem pro loco ſibi adæquato , ita quòd nõ in maiori,ſequitur quòd ſicut poteſt eſſe in vno extremo,ita poſſit ſimul eſſe in alio extremo illius quantitatis,abſque hoc, quòd ſit in medio, cùm non ſit ibi ſicut forma informans , nec circumſcriptiuè;& ſic ſimul poteſt eſſe in duobus locis diſcontinuis.Et hæc ratio Doct.valet,tenendo quòd Angelus poſſit eſſe in maiori , & in minori loco infra locũ ſibi adæquatum, vt patuit in quæſtione immediatè præcedenti. Secunda pars oppoſita primæ aliter non probatur à Doctore.

SCHO

SCHOLIVM.

Reſoluit certum eſſe, Angelum non poſſe naturaliter eſſe in duobus locis adæquatis, dubium tamen an in duobus locis inadæquatis, certiſſimum verò de potentia abſoluta poſſe eſſe in pluribus locis, etiam adæquatis, de quo 4 d.10. q.2.

IN iſta quæſtione Damaſcenus, *lib.2. cap.3.* quòd de facto non eſt ſimul in duobus locis: quia ſecundùm eum, cùm ſunt in cælo, non ſunt in terra, nec è conuerſo. Hoc eſt de facto, de poſſibilitate tamen eorũ naturali, videtur probabile, quòd non poteſt vnus ſimul eſſe in duobus locis, quorum vterque ſibi ſit adæquatus ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ: puta ſi ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ poſſet eſſe in loco vnius miliaris, non poſſet virtute propria eſſe in duobus locis talibus: quia tunc iſte locus non videretur ſibi eſſe adæquatus ſecundùm virtutem ſuam naturalem. 2.

Sed vtrùm in duobus locis diſcontinuis poſſet eſſe, quorum nec vnus nec alius eſt ſibi adæquatus, dubium eſt: nec videtur ratio neceſſaria pro, nec contrà.

Sed quòd in duobus locis ſiue adæquatis, ſiue non, poſſet eſſe per potentiam diuinam, certum puto, quia nullam contradictionem includit, vt dicetur in quarto in materia de Euchariſtia.

Et ideò ad argumenta, ad primam partem, quæ videntur probare non tantùm impoſſibilitatem, de potentia Angeli naturali loquendo: verùm etiam impoſſibilitatem ſimpliciter, quia contradictionem, reſpondendum eſt.

Quod ſimul eſt cũ diſtantibus ſi eſt illimitatum, non ideo diſtat à ſe.

d Ad primum dico, quòd non ſequitur, ſicut nec è conuerſo, quando illud tertium, ad quod comparantur extrema, eſt illimitatum ſecundùm illud, ſecundùm quod extrema comparantur ad ipſum: ſicut patet de anima in manu dextra & ſiniſtra, quæ anima non diſtat à ſe: & tamen manus diſtat à manu, ita Deus non diſtat à ſe, tamen diſtant inter ſe illa, quæ cum illo ſunt hîc, & Romæ. Quodcunque autem ponitur idem in duobus *vbi* quacunque virtute ſit in eis, eſt aliquo modo illimitatum ad illa, & ideò neutra conſequentia valet.

An Angelus ſit limitatus ad vnum vbi naturaliter.

e Ad ſecundum dico, quòd ex ſe limitatus eſt ad naturam & proprietates naturales: ſed ad paſſionem accidentalem, ſiue ad reſpectum, qualem dicit *vbi*, (vel ſaltem non eſt ſine reſpectu) non oportet ipſum eſſe limitatum ad vnum adæquatum omnino, ita quòd impoſſibile ſit ipſum habere duo talia, licèt fortè virtute naturali ſit limitatus ad vnum adæquatum.

Ad tertium quære.

Ad 3. ADDITIO.

Poteſt dici, quòd non eſt inconueniens contraria relatiua ineſſe eidem, inconueniens tamen eſſet de abſolutis. Patet de relationibus mouentis & moti in eodem patet in quarto, diſt.10.q.2. ad primum argumentum, & ſimiliter in hac q. ad vltimum argumentum.

Vide ſupra d.1, 2.2.p.q. 3. & d.5 q.2

Poſſet etiam dici, quòd non eſt inconueniens, ſi illud cui inſunt, ſit illimitatum ad plura vbi, qualis eſſet in propoſito Angelus; patet ex præcedente ſolutione, ſicut in eſſentia diuina ſunt relationes oppoſitæ.

Ad 4. & 5. & 6. Phyſ. Aliquid poteſt ſimul moueri & quieſcere, ſine cõtradictione. Vt videtur in 4. d.10. de corpore exiſtẽte in pluribus locis. Elenchus eſt contradictio ſecundum idẽ ſimiliter, eodem tempore, & cũ

Ad quartum dico, quòd ſicut moueri eſt aliter ſe habere nunc quàm priùs: ita quieſcere eſt, nunc ſe habere ſicut priùs: non eſt autem inconueniens reſpectu *vbi*, aliquid ſe habere nunc vt priùs, & reſpectu alterius *vbi* aliter ſe habere nunc quàm priùs: & ita non eſt inconueniens, quòd hîc poſſit quieſcere & ibi moueri. Et ex hoc concedo abſolutè, quòd quieſcit ſimul & mouetur, quia prædicata affirmatiua ſimpliciter ſumpta ſequuntur ex ſeipſis ſumptis cum determinatione non diminuente. 3.

Et cùm infertur vlteriùs, igitur quieſcit, & non quieſcit, ibi eſt ignorantia Elenchi, & fallacia ſecundùm quid & ſimpliciter; nam quieſcere non infert non moueri abſolutè, ſed tantùm cum illa determinatione, cum qua accipiebatur quieſcere, prout antecedebat ad quieſcere ſimpliciter: & ideo non ſequitur, niſi quòd hoc mouetur in hoc *vbi*, & non mouetur in illo *vbi*, quæ non ſunt contradictoria.

Exemplum huius eſt. Hoc eſt duplum ad A, & dimidium ad B, igitur eſt duplum & dimidium: ſed non ſequitur, ergo eſt duplum & non duplum: non enim ſequitur ex primis antecedentibus, niſi cum iſta determinatione, quòd eſt duplum ad A, & non duplum ad B, & ex illis non ſequitur vlteriùs, ergo duplum & non duplum: ſed eſt ibi ignorantia Elenchi: ita quòd in omnibus talibus, in quibus contrahuntur prædicata, inferunt affirmatiuas, in quibus eadem prædicata ſimpliciter includuntur, ſed non infe-

runt negatiuas, in quibus prædicata inferuntur ſimpliciter ſubiectis non conuenire propter cauſas dictas.

aliter fit eſt ignorantia Elenchi.

4. Ad vltimum dico, quòd vtroque modo eſt poſſibile, & cùm improbatur primus modus; dico, quòd non eſt incompoſſibilitas motuum, niſi propter incompoſſibilitatem formarum, ſecundùm quas ſunt motus: & ideò ſi duo *vbi* non ſunt formaliter incompoſſibilia, nec vt habent *eſſe* in motu, nec vt habent eſſe in fluxu: nec duo motus ad duo *vbi* in eodem ſimul erunt incompoſſibiles. Eſt autem dictum Philoſophi. 3. *Phyſ.* verum de motibus ſecundùm formas incompoſsibiles: quales ſunt fortè formæ abſolutæ ſed non eiuſdem ſpeciei, & de hoc aliàs. Et cùm improbatur ſecundus modus: dico, quòd ſicut generatio & corruptio ſunt duo motus diſtincti, & habent proprios terminos diſtinctos: licèt frequenter concurrant, & tunc ſunt quatuor termini, duo ſcilicet à quibus, vna priuatio, & vna forma, & duo termini ad quos, ſcilicet vna priuatio, & vna forma: ita in motibus eſt receſſus à termino *à quo*, & acceſſus ad terminum *ad quem*: & tamen ſicut generatio abſque contradictione poteſt eſſe ſine corruptione, vel èconuerſo, quia non ſunt eadem mutatio: ita poteſt eſſe motus vel mutatio, inquantùm eſt acceſſus ad terminum *ad quem* abſque alio motu, qui eſt receſſus à termino *à quo*. Et tunc cùm dicitur termini motus ſunt incompoſsibiles, verum eſt de proximis terminis eiuſdem motus: ſed non eſt verum de terminis qui poſſunt eſſe quorumcunque motuum differentium.

Ad 5. Motus in cõpoſſibiles ex incompoſſibilitate formarum. 5. Met. & 8. & 9. & 3. d. 8. Generatio poteſt eſſe abſque cõtradictione ſine corruptione, & latio ſine loci perditione. Termini proximi ſunt, vbi & eius priuatio.

COMMENTARIVS.

1. *Quomodo Angelus de facto nõ poſſit eſſe in pluribus locis.*

c IN iſta *quæſtione*. Hîc Doctor tres concluſiones dicit. Prima eſt Damaſceni. *cap.* 16. & 33. dicentis, quòd Angelus de facto non eſt ſimul in duobus locis, quia cùm eſt in cœlo, non eſt in terra, nec èconuerſo. Secunda eſt de poſſibilitate Angeli naturali, & dicit quòd eſt probabile, vnum Angelum non poſſe ſimul eſſe potentia ſua naturali in duobus locis, quorum vterque ſit ſibi adæquatus ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ: puta ſi ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ poſſet eſſe in loco vnius miliaris, non poſſet virtute propria eſſe in duobus locis talibus, quia tunc iſte locus non videretur ſibi adæquatus ſecundùm virtutem ſuam naturalem. Et addit, an in duobus locis diſcontinuis poſſit eſſe, quorum nec vnus, nec alius eſt ſibi adæquatus dubium eſt, nec videtur ratio neceſſaria pro, nec contrà.

Quænam loca cõtinua. 5. Phyſ. contex. 39.

Aduerte, quòd loca continua ſunt illa, quorum vltima ſunt vnum, vt patet 5. Phyſ. quòd tunc contingit, quando inter illa tantùm cadit aliquod indiuiſibile continuans illa, quod eſt finis vnius, & principium alterius, & ſic partes extremæ alicuius continui, puta pedalis, non dicuntur ad inuicem continuæ, quia nullus punctus immediatè cadit inter illas continuas, puta, qui ſit finis primæ partis extremæ, & principium alterius partis extremæ. Si ergo vnus Angelus eſſet in illis partibus extremis, tunc eſſet in duobus locis diſcontinuis. Sed difficultas eſt, an ſimul poſſit eſſe in duobus locis continuis, puta, in duabus partibus alicuius quantitatis ad inuicem continuis. Doctor aliter non determinat.

Tertia concluſio eſt, quòd loquendo de diuina potentia. Angelus ſimul poteſt eſſe in duobus locis, ſiue adæquatis, ſiue non adæquatis, cùm nulla appareat contradictio. Et de hac materia prolixiùs tractatur à Doctore, *in* 4. *diſt.* 10. *q.* 2.

2. *Poſſibile eſt Deo facere idem corpus circumſcriptiuè, & localiter in diuerſis locis.*

Nunc ſoluenda ſunt argumenta principalia, quibus Doctor videtur probare eſſe ſimpliciter impoſſibile per quamcunque potentiam Angelum ſimul poſſe eſſe in pluribus locis.

d Ad primum reſpondet ibi: *Ad primum dico*, &c. *Sequitur & tamen manus diſtat à manu*, & hoc eſt ratione illimitationis ipſius animæ, ſecundùm quam eſt ſimul tota in toto, & in qualibet parte: ſed ſi eſſet ſic limitata, quòd tantùm informaret vnam partem, puta manum dextram, ſic ſimul non poſſet informare ſiniſtram, quin diſtaret à ſeipſa. In propoſito autem exiſtens in pluribus locis ſimul per quamcunque potentiam, eſt aliqualiter illimitatum: ideò non ſequitur quòd ſi ſimul eſt in duobus locis ab inuicem diſtantibus, quòd diſtet à ſeipſo; ſicut nec valet, quòd aliqua duo ſint ſimul inter ſe, ſi ſint ſimul alicui tertio illimitato: patet, quia exiſtens Brixiæ, & exiſtens Romæ, ſunt ſimul cum Deo, ergo ſunt ſimul inter ſe; non ſequitur, quia comparantur tertio illimitato ſecundùm immenſitatem; ſed ſi eſſent ſimul Franciſco exiſtenti tantùm in illo loco propter ſui limitationem eſſent ſimul inter ſe.

Quomodo Angelus ſit limitatus.

e Ad ſecundum. Reſpondet concedendo, quòd ſit limitatus quoad naturam ſuam, & naturales proprietates. Sed ex hoc non ſequitur ipſum eſſe limitatum quo ad paſſionem accidentalem, ſiue quoad reſpectum, qualem dicit *vbi*, & ſicut non repugnet eidem albo limitato in ſe ſimul poſſe habere plures ſimilitudines, ſic non videtur repugnare naturæ Angeli in ſe limitatæ, ſimul poſſe habere plura *vbi*, ſiue adæquata, ſiue non adæquata.

3. *Quomodo contraria inſint eidem.*

Ad tertium. Reſpondet ibi: *Ad tertium* quære; & additur reſponſio hîc in litera, quòd non eſt inconueniens contraria relatiua ineſſe eidem, vt patet de relationibus mouentis, & moti in eodem, vt patet à Doctore, *in* 1. *diſtinct.* 2. *parte* 2. *q.* 3. *diſt.* 5. *quæſt.* 2. *& in* 2. *diſt.* 25. *& in quarto, diſt.* 10. *q.* 2. *Ad argumenta principalia.*

5. *Phyſ. contex.* 68.

Quamuis hoc ſit ſatis benè dictum. Dico tamen ad argumentum, cùm dicitur, quòd motus eſt à contrario in contrarium, id eſt, quòd terminis *à quo* contrariatur termino *ad quem*, quòd Ariſtoteles loquitur de contrarietate largè ſumpta, quæ eſt à priuatione termini *à quo* ad terminũ *ad quem*, ſicut etiam ipſe Ariſtoteles dicit primo Phyſic, quòd forma, & priuatio ſunt contraria, accipit ibi *contraria* largè. Dico ergo, quòd quando aliquid mouetur à non *A* ad *A*, non poteſt ſimul eſſe ſub non *A*. & ſub *A* & ſic quando aliquid mouetur

mouetur à non tali loco ad talem locum,non poteſt ſimul eſſe in tali loco, & ſub priuatione eiuſdem. Si autem intelligat, quòd motus ſemper ſit inter terminos contrarios poſitiuè, patet eſſe falſum,vt patet de calido vt quatuor,quod mouetur ad calidum vt octo; nam calidum vt quatuor eſt terminus *à quo* poſitiuus; & calidum vt octo eſt terminus *ad quem* poſitiuus, & iſti ſunt termini fundamentales,& poſſunt ſimul eſſe. Sic dico in propoſito, quòd cùm *A* mouetur à loco *B* ad locum *C*,termini fundamentales ſunt *B* & *C*,& iſti termini ſunt compoſſibiles;quia *A* poteſt eſſe ſimul ſub *B*, & *C*,termini tamen formales ſunt incompoſſibiles, qui ſunt priuatio, & habitus. Eſt enim impoſſibile,quòd *A* ſimul ſit ſub negatione *C* & ſub ipſo *C*. Et quod dicit ſuprà quòd omnia diſtincta *vbi* differunt ſpecie, hoc non eſt verum ſimpliciter,quia plura *vbi* poſſunt tantùm differre numero,vt ſuprà patuit *q.6.de vbi* ſibi adinuicem ſuccedentibus;benè verum eſt, quòd illa *vbi*,inter quæ eſt motus localis differũt ſpecie,propter ſpatium interceptum,vt expoſui ſuprà *in illa q.6.* Poſito etiã quòd differrent ſpecie,non ſequitur quòd diſtincta ſpecie ſint ſemper contraria, vt patet de albedine & rubedine. Si dicatur,quòd ſi Angelus ſimul poteſt eſſe in duobus locis,ergo ſimul poteſt eſſe ſurſum,& deorſum, quæ videntur contraria. Dico conformiter ad ea, quæ dicit Doctor *in 4. diſt.10.q.2.reſpondendo ad principalia argumenta.*

Quomodo Angelus poſſit eſſe in diuerſis locis.

4. *Ad quartum dico.* In iſta litera plura dicit,quòd *ſicut moueri eſt aliter ſe habere nunc, quàm priùs*, id eſt, quòd mutari propriè eſt nunc indiuiſibiliter aliter ſe habere,quàm priùs ſe habuerit diuiſibiliter, quia priùs erat ſub *eſſe* diuiſibili ſucceſſiuo, & nunc ſub *eſſe* indiuiſibili, vt expoſitum eſt ſuprà,q.4.præſentis,diſt.ibi: *Et tunc ad ſecundam inſtantiam,quæ eſt de generabilibus, & corruptibilibus*,&c. Sequitur in litera,*ita quieſcere eſt nunc ſe habere, ſicut prius*, nunc quieſcens per horam, ita ſe habet nunc, ſcilicet in vltimo inſtanti illius horæ, ſicut prius ſe habuit per totam horam, vt infrà patebit q.9.præſentis,diſt.ſequitur: *Non eſt autem inconueniens reſpectu huius* vbi *aliquid ſe habere nunc vt priùs*, vt cùm quieſcit in illo *vbi* per horam,& in vltimo inſtanti illius horæ,ita ſe habet ſicut priùs per totam horam. Nec ſimiliter eſt inconueniens reſpectu alterius *vbi* aliter ſe habere nunc quàm priùs, quia in aliquo vltimo inſtanti eſt in aliquo *vbi*, in quo priùs non fuit, quando mouebatur localiter in terminum motus; aliter ſe habet nunc,quia indiuiſibiliter,quã priùs ſe habuerit, quia priùs ſe habuit diuiſibiliter, & ſucceſſiuè,dum eſſet ſub motu locali,& ita non eſt inconueniens in aliquo loco quieſcere, & in alio moueri. Sequitur: *Et ex hoc concedo abſolutè,quòd quieſcit ſimul,& mouetur,quia prædicata affirmatiua ſimpliciter ſumpta*,puta moueri, & quieſcere *ſequuntur ex ſe ipſis ſumptis cum determinatione non diminuente*: Nam benè ſequitur Franciſcus ciſcus mouetur in iſto loco,ergo ſimpliciter mouetur, & quieſcit in alio loco; ergo ſimpliciter quieſcit. Arguitur enim à parte in modo ad ſuum totum. Non autem ſequeretur ſi argueretur cum determinatione diminuente: non enim ſequitur Franciſcus mouetur ſecundùm imaginationem tantùm, ergo ſimpliciter mouetur. Sequitur.

5. *Et cùm infertur,igitur quieſcit & non quieſcit, ibi eſt ignorantia Elenchi & fallacia ſecundũ quid ad ſimpliciter*,nã verus Elenchus eſt contradictio ad idem,ſecundùm idem, ſimiliter, & in eodem

Quid ſit verus Elenchus.

tẽpore,vt patet in Elenchis,& vbi fit contradictio non habens omnes iſtas cõditiones,dicitur ignorantia Elenchi, quia eſt ignorantia verè contradictionis. In propoſito autem cùm diçitur, ergo quieſcit, & non quieſcit,deficit ſibi iſta conditio, quæ eſt ad idẽ,ſiue reſpectu eiuſdem. Cùm enim dico Franciſcus in loco *A* quieſcit, & in loco *B*, non quieſcit,*quieſcere, & non quieſcere* verificãtur de Franciſco reſpectu diuerſorum *vbi*. Si verò diceretur Franciſeus reſpectu *A* vbi quieſcit, & reſpectu eiuſdẽ *A*,vbi non quieſcit,tunc eſſet contradictio,& non eſt ignorantia Elenchi. Dicit etiã quòd eſt fallacia à ſecundùm quid ad ſimpliciter, quia non ſequitur: Franciſcus non quieſcit reſpectu *A vbi*, ergo ſimpliciter non quieſcit:ſicut nec etiam ſequitur Franciſcus non eſt albus ſecũdùm dentes;ergo non eſt ſimpliciter albus. Argumentũ enim à parte in modo non diminuente, ad tõtum in modo,affirmatiuè valet;ſed non valet negatiuè. Vnde benè ſequitur, Franciſcus currit velociter, ergo ſimpliciter currit, non tamen ſequitur negatiuè,Franciſcus non currit velociter,ergo non currit ſimpliciter. Sic in propoſito, &c. Ibi parùm infrà. *Ita quòd in omnibus talibus, in quibus contrahuntur prædicata,inferunt affirmatiuas, in quibus eadem prædicata ſimpliciter includuntur, ſed non inferunt negatiuas, in quibus prædicata inferuntur ſimpliciter ſubiectis non conuenire propter cauſas dictas.* Sic exemplificatur, quando prædicata ſunt contracta:vt cùm dico, Franciſcus currit velociter; *currere* enim contrahitur per ly *velociter*,tale prædicatum infert aliam propoſitionẽ affirmatiuam,in qua idem prædicatum ſimpliciter includitur, quia benè ſequitur, Franciſcus currit velociter, ergo Franciſcus abſolutè currit: & ſic cùm dico *A* eſt duplum ad *B*,ergo eſt duplum abſolutè, ſed non infertur negatiuè *A* non eſt duplum ad *B*, ergo non eſt duplum abſolutè, ſed cõmittitur fallacia ſecundùm quid ad ſimpliciter.

6. *Ad vltimum dico,quòd vtroque modo eſt poſſibile. Et cùm improbatur primus modus,dicit,quòd non eſt incompoſſibilitas motuum, niſi propter incompoſſibilitatem formarum, ſecundùm quas ſunt motus.* Cùm ergo duo *vbi*,non ſint incompoſſibilia in eodẽ in *eſſe* quieto, vt ſuprà patuit,& ſpecialiter *in quarto, diſt.10.qu.2.* ſequitur, quòd nec vt habent *eſſe* in motu, erunt incompoſſibilia. Eſt autem dictum Philoſophi verum de motibus ſecundùm formas incompoſſibiles,quales ſunt formæ abſolutæ,ſed non eiuſdem ſpeciei, & de hoc aliàs. Et cùm improbatur ſecundus modus, dicit Doctor,quòd motus generationis eſt diſtinctus à motu corruptionis; quia termini eorum diſtinguuntur; nam terminus *à quo* formalis reſpectu generationis eſt *non eſſe* formæ, & terminus *ad quem* formalis eſt ipſa forma acquiſita; reſpectu verò corruptionis terminus *à quo* eſt forma, & terminus *ad quem* eſt *non eſſe* ipſius formæ,& dicit quòd generatio, & corruptio frequenter concurrunt, quia ad generationem vnius ſequitur corruptio alterius,& è contra;non tamen eſt ſimpliciter neceſſarium, quòd concomitentur, vt ſuprà patuit in iſto ſecundo, diſt.1. quæſt.3. in reſponſione ad tertium argumentum principale. Et cùm dicit,quòd tunc ſunt quattuor termini ſuprà, quando generatio, & corruptio concurrunt, duo ſcilicet à quibus,vna priuatio, & vna forma, quia terminus *à quo* corruptionis eſt vna forma,& terminus *à quo* generationis eſt vna priuatio,& duo termini *ad quos*,ſcilicet vna priuatio,& vna forma

Quomodo ſit intelligendũ dictũ Ariſt.

quia

quia terminus *ad quem* corruptionis eſt priuatio formæ, & terminus *ad quem* generationis forma.

Quomodo in motu locali ſint duo motus.

Ita in motibus eſt receſſus a termino à quo, & acceſſus ad terminum ad quem, &c. Dicit Doctor in iſta litera, quòd quamuis communiter in motu locali ſint duo motus, & per conſequens quatuor termini, vt patet quando corpus *A* mouetur loco *B*, in locum *C*, recedendo à *B*, ſunt ibi duo motus, ſcilicet à *B* in non *B*, & à non *C* ad *C*, & ſic quatuor termini; ſi tamen *A* poſſet moueri ad locum *C* non deperdendo priorem locum, puta *B*, tunc tantùm ibi eſſet vnus motus, ſcilicet à non *C* ad *C*, & duo tantùm termini, ſcilicet priuatio loci *C*, & ipſum *C*. Et cùm dicitur termini motus, ſunt incompoſſibiles, verum eſt de proximis terminis eiuſdem motus, puta de priuatione, & habitu, qui ſunt termini formales; ſed non eſt verum de terminis, qui poſſunt eſſe quorumcunque motuum differentiam, ſicut eſt de duobus *vbi*, quæ ſunt reſpectu motuum differentium, vt cùm quis mouetur ab *vbi* ſurſum ad *vbi* deorſum, vel econtra; vel ab *vbi* dextro ad *vbi* ſiniſtrum, vt expoſitum eſt ſuprà, *quæſt. 6. præſentis diſtinctionis*, &c.

QVÆSTIO VIII.

An duo Angeli ſint ſimul in eodem loco?

Alenſis 2. *p. quæſt.* 32. *membr.* 3. D. Thom. 1. *p. quæſtione* 52. *art.* 3. D. Bonauent. *hic art.* 2. *quæſtione* 4. Rich. 1. *diſtinct.* 37. *art.* 2. *quæſtione* 4. Capreol. *hic quæſt.* 1. *art.* 2. Heruæus 2. *d.* 9. *q.* 1. *art.* 2. Vaſq. 1. *p. d.* 193. Mayron, *d.* 1. *q.* 7.

1. CTAVÒ quæro, Vtrùm duo Angeli poſſint ſimul eſſe in eodem loco? Quòd non quia duæ cauſæ totales non poſſunt eſſe ſimul reſpectu eiuſdem effectus: Angelus autem exiſtens in loco, eſt totalis cauſa reſpectu operationis in tali loco, propter quam dicitur eſſe ibi: igitur non poteſt eſſe cauſa cum eo alius Angelus propter aliquam operationem ibi exercitam. *D. Thom. 1. p. q. 52. a. 3. in ſolutione.*

Alia ratio ponitur ab aliis, quia quæ habent eundem modum eſſendi *in* non poſſunt eſſe ſimul: quod declaratur de duobus corporibus glorioſis, quæ non poſſunt naturaliter ſimul eſſe in eodem loco, licèt corpus glorioſum poſſit ſimul eſſe cum non glorioſo: ita de duobus Diis, ſi eſſent pares, neuter poſſet eſſe cum alio, ſecundùm Damaſc. cap 5. & tamen Deus poteſt eſſe ſimul cum creatura propter alium modum eſſendi eorum in loco. Cùm igitur Angeli habeant eundem modum eſſendi in loco, non poterunt ſimul eſſe in eodem loco. *Got. quodl. 6. q. 5. Quære D. Tho. quodl. 1. q. 2. & 22. ad hoc.*

COMMENTARIVS.

ARGVIT eſſe ſimpliciter impoſſibile plures Angelos poſſe eſſe ſimul in eodem loco per quamcunque potentiam. Primum argumentum eſt S. Thomæ: Duæ cauſæ totales non poſſunt eſſe reſpectu eiuſdem effectus quia tunc idem effectus poſſet ſimul eſſe & non eſſe, vt deducit Doctor *in* 1. *diſt.* 1. *p.* 1. *q. vlt. & alibi*: Sed Angelus exiſtens in vno loco eſt totalis cauſa reſpectu operationis in tali loco, propterquam dicitur eſſe ibi, puta mouendo aliquòd corpus, tunc Angelus dicitur eſſe ibi per talem motum, ſecundùm opinionem S. Thomæ 1. *p. q.* 52. *art.* 1. Ergo ſi alius Angelus ſimul eſſet in eodem loco tunc eſſet cauſa totalis eiuſdem operationis, ſcilicet mouendo illud corpus, cùm non ſit in loco niſi per operationé tranſeuntem in corpus. Circa quòd operatur, vt ſuprà patet à S. Thoma. Nec videtur habere aliam operationem circa corpus, quia Angelus non tranſmutat corpus cauſando ibi aliquam formam. Argumentum ſecundum clarum eſt.

SCHOLIVM.

Allatis rationibus ſuadentibus plures Angelos naturaliter poſſe eſſe in eodē loco, id relinquit vt dubium, ſed de potentia Dei ait eſſe certum, & ſoluit argumenta ſuadentia id fieri non poſſe naturaliter.

2. IN iſta quæſtione non eſt veritas ita clara, & certa de facto, ſicut eſt in præcedenti quæſtione, quia Richardus 4. de Trinit. videtur arguere dæmones non habere corpora per hoc, quòd legio fuit in corpore vnius obſeſſi: non enim potuiſſet legio fuiſſe in aliquo ſi habuiſſent corpora: ideò videtur arguere, quòd ſi habuiſſent corpora, fuiſſent corpora eorum ſimul in eodem loco: igitur modò quando non habent corpora, videtur dicendum quòd ſimul fuerunt abſque corporibus. *Argum. ad oppoſitum. Luc. 8. Marc. 5. Quære D. Dionyſ. de di. no. c. 3. lumina luminariuum, &c.*

Si etiam vnus Angelus mouens cœlum ſit in meridie, & alius bonus Angelus miſſus de cœlo ad terram, debeat tranſire per illum locum non videtur neceſſitas quòd non tranſeat quaſi per lineam rectam, vel quòd alius cedat ſibi. *Var. tenet*

Si etiam omnes Angeli fuiſſent creati ante creaturam corporalem, ſicut videtur verum ſecundùm Damaſcenum c. 17. & 21. non videtur facilè aſſignare, quomodo tunc non fuiſſent ſimul, & ſi tunc non fuiſſet inconueniens eos eſſe ſimul, nec modò. Quicquid autem ſit de facto, & de poſſibili, de potentia dico naturali eorũ, de poſſibili tamen reſpectu potentiæ diuinæ, non videtur eſſe impoſſibile, quin per ipſum poſſent eſſe ſimul.

Et tunc ad argumenta prima, quæ videntur probare oppoſitum reſpondendum eſt. Ad primum dico, quòd falſum ſupponit, ſcilicet quòd Angelus non ſit in loco niſi per operationem, quod improbatum eſt in 1. quæſt. huius materiæ. 3.

ſuprà q. 6. à num. 2. Refellit rationem D. Th. negãtis naturaliter plures Angelos poſſe eſſe in eodẽ loco.

Si etiam illud ſuppoſitũ admitteretur, poſſet vnus Angelus operari circa illud vna operatione, & alius alia operatione, & vterque ſecundùm illos, poſſet poni per ſuam operationem in loco, videlicet illius corporis, vbi operarentur: & ſic eſſe ſimul, quod eſt oppoſitum concluſionis argumenti. Et ſi dicas, quòd non poſſunt operari niſi corporaliter mouendo. Nec hoc iuuat, quia ſicut Angelus mouet liberè, ita poteſt mouere ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ, vel citra vltimum potentiæ ſuæ, & ſi mouet citra vltimum potentiæ ſuæ alius poteſt mouere illud mobile ſecum: ſicut apparet in homine, qui ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ potens portare quatuor lapides, poteſt citra terminum potentiæ ſuæ tantùm portare duos, ita quòd potentia ſua motiua nõ habeat actum ſuum, niſi circa duos: & tunc poteſt habere cooperantem portantem ſecum idem: cùm ergo Angelus ſit ſubſtantia agens liberè poteſt aliud mouere ſecum.

Plura eiuſdem modi eſſendi in poſſunt eſſe ſimul.

Ad ſecundum dico, quòd illa maior, quæ eſt famoſa in multis materiis, non eſt rationabilis. Nam *eſſe in*, nullam habitudinem eſſentialem dicit neceſſariò ad illud in quo eſt: *eſſe* autem *ab* dicit dependentiam eſſentialem ad illud, à quo eſt aliquod: quæ igitur rationabilitas, quòd plura poſſunt eſſe ab eodem, & eodem modo, & non poſſunt plura eſſe in eodem, eodem modo *eſſendi in*? quare enim plus repugnat reſpectus accidentalis vnius rationis, quàm dependentia eſſentialis vnius rationis? Similiter habent temporalia eundem reſpectum ad tempus, ſicut locata ad locum: Ex hoc ergo videtur ſequi, quòd non poſſunt plura temporalia eſſe in eodem tempore, quod videtur abſurdum.

Quod autem adducitur de duobus corporibus glorioſi, & de duobus diis, ſi ſimul eſſent, ſi verum eſſet, oporteret aliunde probare, quàm ex ratione eius, quod eſt eſſe in loco, eodẽ modo *eſſendi in*: quia ex hoc non videtur eſſe repugnãtia aliqua ſimultatis.

COMMENTARIVS.

2. HÆc quæſtio eſt ſatis facilis, & plura dicit Doctor.

Primò, quòd *in iſta q. non eſt veritas ita certa, & clara de facto, ſicut eſt in præſenti q.* patet, quia in præcedenti quæſt. certum eſt de facto, eundem Angelum ſimul non eſſe in pluribus locis, vt ibi patuit; ſed in iſta non eſt ita certum de facto, quòd plures Angeli ſint in eodem loco, vélne: videtur enim de facto plures Angelos fuiſſe in eodẽ loco, & patet auctoritate Richard. de Trin. vbi arguit dæmones non habere corpora per hoc, quòd legio fuit in corpore vnius obſeſſi, vt patet *Lucæ* 8. *& Marci* 5. Non enim potuiſſet legio fuiſſe in aliquo, ſi illi Angeli mali habuiſſent corpora. Ideò videtur arguere, quòd ſi habuiſſent corpora, fuiſſent eorum corpora ſimul in eodem loco; igitur modo quando non habent corpora, videtur quòd ſimul fuerunt in eodem loco.

Secundò probat hoc idem ibi: Si etiam vnus Angelus mouens cœlum, &c.

Nunc ſoluenda ſunt argumenta principalia,

Ad primum, Reſpondet Doctor. Primò negando ſuppoſitum, videlicet quòd Angelus tantùm ſit in loco per operationem, vt improbatum fuit ſuprà *quæſt. 6.* Secundò dicit, quòd ſi etiam illud ſuppoſitum admitteretur, ſcilicet quòd Angelus tantùm ſit in loco per operationem, adhuc vnus Angelus poſſet operari circa idem corpus vna operatione, & alius alia operatione, & ſic vterque eſſet in eodem loco per operationem. Et ſi dicas, quòd non poteſt operari circa corpus, niſi corporaliter mouendo, modò idẽ corpus non poteſt ſimul moueri à duobus mouẽtibus totalibus. Dicit Doctor, quòd hoc non obuiat, & reſponſio ſtat in hoc non eſt neceſſe Angelum mouere illud corpus ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ, imò poteſt citra vltimum ſuæ potentiæ mouere, cùm ſit agens merè liberũ, pono ergo, quòd vnus moueat liberè circa vltimum potentiæ ſuæ, tũc alius poteſt ſibi cooperari ad eundem motum. Sicut ſi aliquis haberet virtutem, qua poſſet ferre quatuor lapides ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ, & poteſt citra vltimum potentiæ ſuæ tantùm portare duos, & tunc poteſt habere alium cooperantem portantem ſecum alios duos lapides.

Ad ſecundum Reſpondet quòd illa maior, quæ eſt famoſa in multis materiis, nõ eſt rationabilis. Nam *eſſe in* nullam habitudinem eſſentialem dicit: Patet, quia eſſe in loco, non dicit dependentiam eſſentialem locati à loco; patet, quia eſſe in loco non dicit dependentiam eſſentialem locati à loco, *eſſe* tamen *ab* dicit habitudinem eſſentialem, quia communiter dicit dependentiam eſſentialem cauſati ad cauſam.

Arguit ergo Doct. à fortiori, ſi plura poſſũt eſſe ab eodẽ, & eodẽ modo, quæ eſſentialiter dependent ab illo, multò fortiùs plura poſſunt eſſe in eodem loco, & eodẽ modo eſſendi in loco, cùm talia locata tantùm dicant habitudinẽ accidentalem ad locum, vt patet; ideò illa propoſitio famoſa nõ eſt multùm rationabilis. Similiter habent temporalia eundem reſpectum ad tempus, ſicut locata ad locum: ex hoc ergo videtur ſequi, quòd non poſſunt plura temporalia eſſe in eodem tempore.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm Angelus poſsit moueri de loco ad locum motu continuo?

Alenſis 2.*part.q.*33.*memb.*1.2. *vbi* Caiet.D.Bonau.1. *d.*37. 2.*d.*2. *q.*1. Rich.*art.*3. *q.*1. D.Thom.1.*p. q.*53.*art.*1. Heruæus *tract.de motu ang.q.*1. *art.*1. Durand.1.*d.*37. *q.*1. 2.*p.* Ægid. 2.*d.*37. Bacon. 2.*d.*3. *q.*2. Vaſq.1.*p.d.*194. *ipſe* Scot.6.*Phyſ.q.*1.2.3.*&* 2. *Met.q.*4.5. *&* 6.*&* 8. *Met. q.*3. *&* 1. *princ.c.*3. *in Theorem.*§.omnes formæ eiuſdem.

1. PRIMÒ arguitur, quòd non poſſit moueri: quia *motus eſt actus entis in potentia ſecundùm quòd in potentia*, ex 3. Phyſicorum *vbi* autem vel locus non eſt actus Angeli, nec perfectio: quia omnis perfectio videtur eſſe nobilior perfectibili aliquo modo: non ſic autem *vbi* reſpectu naturæ Angelicæ. *Argum.* 1. *Tex. c.* 6. *&* 10.

COMMENTARIVS.

1. PRO intellectu tituli quæſtionis eſt notandum, quòd motus continuus dicitur ille, cuius vnum *mutatum eſſe* ſic copulat duas partes motus, quod eſt finis partis præteritæ, & principium partis futuræ, & inter quaſcunque duas partes ſemper mediat *mutatum eſſe*, ita quòd aliud, & aliud *mutatum eſſe* eſt inter alias, & alias partes; ſicut dicimus etiam de tempore continuo, quòd illud eſt tempus continuum, quando eſt aliquod inſtans continuans duas partes temporis ſic, quod eſt finis partis præteriteritæ, & principium partis futuræ, & hæc omnia prolixè expoſita ſunt quæſtione 2. præſentis diſtinctionis: Cùm ergo quæritur, *an Angelus poſſit moueri de loco ad locum motu continuo*. Puta quòd moueatur ſuper ſpatium bicubitale, an talis motus dicatur continuus, ſic quòd ſucceſſiuè tranſeat vnam partem poſt aliam. Ita quòd ſicut corpus mouetur localiter ſuper aliquod ſpatium in quocunque inſtanti temporis ſemper eſt ſub alio, & alio *mutato eſſe*, quæ *mutata eſſe* menſurantur alio, & alio inſtanti temporis, & continuant illum motum localem. Ita etiam Angelus, cùm mouetur ſuper aliquod ſpatium, fiat ſemper ſub alio, & alio *mutato eſſe*, quæ *mutata eſſe* menſurantur alio, & alio inſtanti temporis, & continuant motum localem ipſius Angeli, & ſic patet titulus quæſtionis.

SCHOLIVM.

Arguit Angelum non poſſe moueri continuo motu, & hoc duplici via. Prima, quia continuum videtur componi ex indiuiſibilibus: ſecunda, quia videtur componi ex minimis, pro quibus varia loca Philoſophi expendit.

Secundò quòd non poſſit moueri motu continuò arguitur, & primò in communi, quòd nullum ſucceſſiuum ſit continuum, & hoc duplici via probatur. Prima ex hoc quòd omne tale componitur ex indiuiſibilibus. Secunda, quia componitur ex minimis. Primam conſequentiam probat Philoſophus, 6.*Phyſic.* quia indiuiſibile non poteſt continuari indiuiſibili, cùm non habeat vltimum. Antecedens illud, ſcilicet quòd ſucceſſiuum componatur ex indiuiſibilibus, probo dupliciter. Primò, quia diuiditur in indiuiſibilia: igitur componitur ex eis. Probatio huius antecedentis: poſſibile eſt ipſum diuidi in illa omnia, in quæ eſt diuiſibile: ſubiectum videtur includere prædicatum huius propoſitionis: & ex hoc videtur vlteriùs poſſibile ipſum eſſe diuiſum in omnibus, in quibus ipſum poſſibile eſt diuidi. Iſta conſequentia probatur per illud. 6. Phyſic. *Quod impoſsibile eſt factum eſſe, impoſsibile eſt fieri*, & tertio Metaph. & 2 de Generatione dicit Philoſophus idem

Vlteriùs iſta de poſſibili ponatur in *eſſe* & ſequetur, igitur eſt actu diuiſum in illa omnia, in quæ poſſibile eſt ipſum diuidi, & ex hoc ſequitur, quòd eſt diuiſum in indiuiſibilia: quia ſi non, non eſt diuiſum in omnibus, in quibus poſſet diuidi: quia adhuc poſſet vltetiùs diuidi in partes illorum diuiſibilium. *Argum.* 2. *Text.c.*1. *Argum. Democriti. Vide c.*1.*de Gen.tex.*8. *Text.c.*92. *Text. c.*12. *Text.c.*64.

Secundò probo idem, quia ſucceſſiui nihil eſt actu niſi indiuiſibile: quia ſi aliquid eius diuiſibile eſſet actu, tunc ſimul eſſet ſucceſſiuum, & non eſſet ſucceſſiuum, illo igitur indiuiſibili non exiſtente actu, ſed raptim tranſeunte, quæro quid ſuccedit ſibi? Si aliquod indiuiſibile ſuccedit ſibi in continuo, habetur propoſitum, quòd indiuiſibile ſit immediatum indiuiſibili: & ſic continuum erit compoſitum ex indiuiſibilibus. Si non ſuccedit ſibi aliud indiuiſibile, igitur tunc non erit actu, nam indiuiſibile eius non eſt actu: & ſicut aſſumptum eſt, ſucceſſiuum non eſt in actu, niſi quia aliquod indiuiſibile eius eſt: igitur, &c.

Secunda via eſt, quia componitur ex minimis: igitur non eſt continuum. Conſequentia probatur, quia minimum ſimpliciter, quo ſcilicet nihil eſt minus ipſo, non habet partem ex qua ſit, quia tunc illa eſſet minor eo: igitur eſt omnino non quantum, quia omne quantum habet partem minorem ſe: ſed non quantum non poteſt continuari non quanto: ergo minimum non poteſt continuari. Antecedens probatur, & auctoritatibus & ratione. Primò auctoritate Philoſophi, 1. *Phyſicorum.* vbi rationes ſuæ videntur contra Anaxagoram inniti iſti principio, quòd eſt accipere minimum naturale, vt minimam carnem, vel minimum ignem: ſed ſecundùm ipſum 6. *Phyſicor.* eiuſdem rationis eſt ipſum motũ, & magnitudinem & tempus componi ex indiuiſibilibus, & diuidi in eis: igitur oportebit ponere minimum motum, & minimum tempus, ſicut permanens minimum. Idem videtur haberi à Philoſopho 2. *de Anima* vbi vult, quòd omnium natura conſtantium, determinata eſt ratio magnitudinis, & augmenti Non ſolùm autem permanentia ſunt naturalia, ſed etiam ſucceſſiua: igitur habent determinatam paruitatem, & magnitudinem.

3.

6. Phyſ. in princ. Text. 36. & 38. Text. 4. & 17. Tex. c. 41.

Patet idem etiam per Philoſophum in de Senſu, & Senſato, in illa prima dubitatione, vbi videtur velle, quòd paſſiones naturales non ſunt diuiſibiles in infinitum. Et hoc videtur probare, quia tunc ſenſus videretur poſſe intendi in infinitum: quia ad percipiendum minimum indiuiſibile requiritur acutior ſenſus in infinitum.

Cap. 7. An ſenſus poſſit intẽdi in infinitum.

Ratione autem probatur ſecundò idem antecedens ex hoc, quòd eſt dare primam partem motus: igitur & minimam. Conſequentia patet, quia ſi quælibet pars haberet minorem partem ſe, haberet etiam aliquid ſui prius aliquo ſui in infinitum. Antecedens iſtud de primitate, ſcilicet quòd contingat dare primam partem motus oſtenditur auctoritatibus Philoſophi, 1. Phyſicorum & 8. vbi dicit Philoſophus. *Non enim ſi partibile in infinitum eſt quod alteratur, propter hoc & alteratio: ſed velox fit, ſicut multoties denſatio.* vbi habet Commentator *ſubitò*, & exponit, hoc eſt, in inſtanti, & non in tempore.

Text. c. 23. in 8. c. 23.

Et quaſi ſi obiicit contra ſe, quia videtur hoc repugnare illi quod dicitur in 6. ſcilicet quòd ante omne *moueri* eſt *mutatum eſſe*: & ante omne *mutatum eſſe moueri.* Et reſpondet ſoluendo, quòd illud ibi intelligitur de motu inquantùm continuus eſt, & diuiſibilis: iſtud autem intelligitur hic de motu inquantùm eſt generatus, ſiue productus ad actum.

Tex. c. 52.

Ad iſtam intentionem videtur Philoſophus præmiſiſſe quoddam exemplum de guttis, quòd non eſt neceſſe ſi multæ guttæ aliquam partem amouerent de lapide, penetrando lapidem, quòd etiam quælibet gutta aliquid amoueat, & quòd ſemper pars amoueatur ante partem: ſed aliquando totum ſimul amouetur. Quando igitur dicit, tot guttæ amouent de lapide tantùm in aliquo tempore, pars autem illarum in nullo tempore tantùm amouet, exemplificat, ſicut multi trahunt nauem, nullus autem per ſe, ergo in multo tempore, traheret eam, videtur ergo innuere, quòd poſt aliquas guttas, tandem tota pars lapidis ſimul amoueatur. Et ita eſt in alteratione, quòd non ſemper pars ſequitur partem, ſed quandoque alteratio tota ſimul fit.

4.

Vbi ſuprà in 8.

Expreſsiùs hoc dicit in ſecunda dubitatione de Senſu, & Senſato, vbi vult, quòd non oportet quòd ſimiliter ſit in alteratione, & latione. Contingit enim aliquid ſimul totum alterari, & non dimidium priùs, velut aquam ſimul totam coagulari: attamen ſi fuerit multum quod calefit, aut coagulatur; habitum ab habito patitur: primum autem ab ipſo faciente tranſmutari, & ſimul alterari, & ſubitò eſt neceſſe.

Idem probatur per rationem, quia inter contradictoria non eſt medium: igitur inter *non eſſe* formæ inducendæ per motum, & *eſſe* ipſius, non eſt medium: *non eſſe* autem ipſius fuit in vltimo inſtanti formæ præcedentis: igitur inter iſtud inſtans, & illud, quod menſurat *eſſe* formæ ſuccedentis, non eſt medium: ſed ſi nullum eſſet primum, inter

eſſe

eſſe formæ inducendæ per motum, & *non eſſe* ipſius, eſſet medium: ergo ibi eſt dare primum, & illud primum non eſſet minimum in ſe, niſi eſſet indiuiſibile. Ex iſta primitate probata concluditur, quòd illud primum ſit minima pars. non enim poteſt iſtud primum eſſe indiuiſibile, quia Philoſophus, 6. *Phy.* oſtendit, quòd non contingit accipere primam mutationem in motu. *Text. c.46. & ſeq.*

SCHOLIVM.

Angelum non poſſe moueri ratione indiuiſibilitatis arguit tripliciter ex Philoſopho.

5. TErtiò principaliter arguitur, quòd Angelus non poſſet moueri, quia eſt indiuiſibilis. Probat enim Philoſ 6. *Phyſicor. cap.2. & penultimo*, quòd nullum indiuiſibile poteſt moueri. Hoc probat ex intentione: & illam rationem, quam facit, cap.2. replicat capitulo penultimo, quia *omne quod mouetur, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem*, quando enim totaliter eſt in termino *à quo*, non mouetur, ſed quieſcit: quando autem eſt in termino *ad quem*, totaliter motum eſt: indiuiſibile autem non poteſt eſſe in vno termino partim, & partim alio: quia non habet partem, & pattem:igitur,&c. *Text. 7. & 32. Text.c.87. Vide 4. Meta. t.7. c.22, & 1. de Anima t.c.69.*

Secunda ratio ſua eſt, cap.penult. quia *omne, quod mouetur, priùs pertranſit ſpatium ſibi æquale, vel minùs, quàm maius:* ſed indiuiſibile nec poteſt priùs pertranſire minus ſe: igitur pertranſit prius æquale, quàm maius ſe, & pertranſeundo ſemper ſpatium ſibi æquale, pertranſibit totum continuum ſupra quod mouetur: igitur illud componeretur ex indiuiſibilibus æqualibus indiuiſibili moto:conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. *Tex. c.89.*

Tertia ratio ſua videtur eſſe, quia *omnis motus eſt in tempore*: ſicut priùs probauit in *eodem 6. Phyſic.* & omni tempore erit accipere minus tempus, in quo minori poteſt minus mobile moueri: igitur omni mobili poteſt accipi minus mobile in infinitum, & ita nullum indiuiſibile eſt mobile. *Text.c.90.*

SCHOLIVM.

Arguit Angelum non eſſe mobilem motu continuo, defectu reſiſtentiæ, ex Philoſopho & Commentatore, de quo latè agit 4.Phyſ.q.10.& 11.

6. QVartò principaliter arguitur, quòd non poſſit moueri localiter continuè, quia non habet reſiſtentiam: quia ſicut dicit Commentator ſuper 4 Phyſ. *cap. de Vacuo*, ſucceſſio in motu eſt ex reſiſtentia mobilis ad motorem: vel medij ad mobile; vel medij ad motorem: nulla iſtarum reſiſtentiarum eſt in propoſito: non enim Angelus reſiſtit medio, nec è conuerſo, nec ſibiipſi, vt motori. Et confirmatur ratio, quia ſecundùm ipſum, graue in vacuo moueretur in non tempore: quia ibi nulla eſſet reſiſtentia, quæ poſſet cauſare ſucceſsionem in motu, non autem magis reſiſtit Angelus ſibi vel medio, quàm graue vacuo, ſed vacuum graui, ſi poneretur:ergo,&c. *Vide t. c. 37. 50. 60. & 74. vide 4. & 5. Phyſ. idem com. 71.*

Item, per rationem Philoſophi ibi: arguit enim ſic: Quæ eſt proportio medij ad medium, in ſubtilitate & denſitate, eadem eſt proportio motus ad motum in velocitate & tarditate: ſed nulla eſt proportio vacui ad plenum in ſubtilitate: igitur nec motus ad motum in velocitate & tarditate; ſed omnis motus poſsibilis ad omnem motum poſsibilem poteſt eſſe aliqua proportio in velocitate; igitur nullus motus eſt poſsibilis in vacuo, ſed aliquis eſt poſsibilis in pleno. *Tex.c.71. Ibid. text. com.72. & 73.*

7. Sicut ipſe arguit ex parte medij, ita poteſt argui in propoſito. Nam cæteris paribus, quæ eſt proportio motus ad motum in velocitate, eadem eſt proportio Angeli ad corpus in ſubtilitate: ſed nulla eſt proportio Angeli ad corpus in ſubtilitate: igitur, &c. ſicut in ratione ſua.

Alia ratio ſua eſt ibi, quia ſi in vacuo fiat motus, accipiatur aliud corpus plenum ſubtile in tanta proportione excedere aliud corpus in ſubtilitate, in quanta tempus motus vacui, minus eſt quàm tempus motus pleni: per illud medium plenum ſubtilius, erit motus æqualis motui in vacuo, quod habet pro impoſsibili. Ita poteſt in propoſito argui ex parte mobilium: ſi enim Angelus quantumcun-

que velociùs moueatur, quã corpus accipiatur aliquod corpus ſubtilius, quàm corpus illud datum in tanta proportione, in quanta tempus motus Angeli minus eſt tempore motus corporis dati; illud corpus in tali proportione ſubtilius in æquali tempore mouebitur cum Angelo.

Iſa.6. Tob.5. & Lucæ primo. Ad oppoſitum videtur eſſe Damaſcenus, lib.2. cap.3. vbi vult, quòd non ſunt ſimul in cælo, & in terra, & frequenter mittuntur in terram, vt apparet per ſcripturam.

SCOLIVM.

Greg.5. Moral. c.27. *Decidit Angelum poſſe moueri continuè ad locum, quia eſt receptiuus* vbi, *nec habet* vbi *certum, nec omnia* vbi, *ſimul poteſt habere de continuitate patet, quia inter duo vbi ſunt infinita vbi, quia ſpatium eſt diuiſibile in infinitum, & non poteſt Angelus illud pertranſire, niſi priùs pertranſeundo partem propinquiorem: affert etiam claras ſcripturas pro motu locali Angeli.*

AD quæſtionem dico [a] quòd ſic, quia omne receptiuum formarum alicuius generis, quòd non eſt ex ſe determinatum ad aliquam vnam illarum formarum, nec eſt illimitatum ad illas, poteſt moueri, ſiue mutari ab vna illarum formarum ad aliam. 8.

Iſta propoſitio patet per ſe, quia ſubiectum includit prædicatum: ſed Angelus eſt receptiuus alicuius *vbi*, definitiuè, licèt non circunſcriptiuè, ſicut patet priùs in prima quæſtione de locatione Angeli: nec eſt illimitatus ad omnia *vbi*, quia non eſt immenſus: ergo poteſt mutari ab vno *vbi* ad aliud. Et quòd [b] continuè, patet, quia inter duo *vbi* ſunt infinita *vbi* media: quod probatur ex continuo motu corporis per omnia illa *vbi*: per omnia autem illa poteſt Angelus tranſire, ita quòd in nullo illorum *vbi*, ſit niſi indiuiſibiliter, & per conſequens non poteſt omnia illa pertranſire, niſi continuè moueatur.

Hoc etiam confirmatur, quia anima beata æquabitur Angelis iuxta promiſſum Saluatoris, Matth. 22. *Erunt ſicut Angeli*: anima autem beata mouetur, imò anima Chriſti beatiſſima mouebatur localiter, quia deſcendit ad inferos, ſicut dicit articulus fidei: patet etiam ex ſcriptura, quòd Angeli mittantur quandoque cum corpore aſſumpto: & ſi tunc cum corpore mouebantur, videtur quòd tunc fuerit aliqua motio paſſiua ipſorum alia formaliter ab ipſa motione paſſiua ipſius corporis, quia non erant formaliter aliquid ipſius corporis. Similiter credibile eſt, quòd frequenter miſſi ſint ſine corpore, ſicut de illo miſſo ad Ioſeph de conceptu Beatæ Mariæ dubitantem.

Geneſ.18. & Tobiæ 5. *Matth.1.*

9. Ad argumenta quæſtionis dico [d] quòd non eſt inconueniens, omne cauſatum quantumcunque ſit perfectum (dummodo tamen non habeat in eſſentia ſua omnem perfectionem) eſſe capax, vel potentiale reſpectu alicuius perfectionis, licèt illa abſolutè minor ſit ſua natura: ſicut Angelus habet intellectionem, quæ eſt perfectio potentiæ intellectiuæ: & tamen intellectio eſt ſimpliciter ignobilior, ſiue imperfectior natura angelica: & ita poteſt concedi de *vbi*, vel præſentia corporali cum Angelo, quòd ſit aliqua perfectio Angeli: ſicut aliquis actus dicitur perfectio, ſed longè ignobilior illa natura, cui ineſt.

COMMENTARIVS.

1. a *AD quæſtionem* reſpõdet Doctor affirmatiuè, ſcilicet quòd Angelus poteſt moueri de loco ad locum motu continuo. Et primò probat, quòd poſſit moueri de loco ad locum. Secundò, quòd talis motus localis ſit continuus. Primum probatur ſic: *Omne receptiuum formarum* alicuius generis, &c. Nota quòd in maiori dicit receptiuo, quod non eſt ex ſe determinatum ad aliquod illius generis, quia ſi ſic eſſet, tunc non poſſet eſſe ſub alio illius generis: patet, quia ſi aliquod receptiuum coloris eſſet ex ſe determinatum ad albedinem, non poſſet moueri ad alium colorem, & eſſe ſub alio: patet, quia quod ex ſe eſt determinatum ad aliquid, eſt neceſſariò ſub illo. Deinde addit, quòd tale receptiuum non ſit illimitatum ad illa plura, ſic intelligendo, quod eſt illimitatum ad aliqua plura, ex natura propria neceſſariò habet illa plura, vt patet de illimitatione Dei reſpectu *vbi*, quia Deus ex natura propria, & ex ſua propria entitate eſt illimitatus ad omnem locum: ideò actu eſt in omni loco, & ſic non poteſt moueri de vno loco ad alium. Et loquitur Doctor de illimitato ſimpliciter, quia ſecus eſt de illimitato ſecundùm *quid*, nam corpus eſt illimitatum ad plura *vbi*, vt ſuprà patuit quæſt.7.

præſen

præſentis diſtinct.& tamen poteſt moueri de vno loco ad alium, ſed eſt illimitatum tantùm ſecundùm quid.

2. Dicit ergo, quòd hæc maior ſic intellecta eſt vera, quia ſubiectum includit prædicatum: ſicut etiam dicimus hanc eſſe veram, *homo eſt animal*, quia prædicatum includitur in ſubiecto; nam ſtatim poteſt inferri, quòd ſi homo ſit, quòd etiam ſit animal. Sic in propoſito, hoc ſubiectum, ſcilicet eſt receptiuum plurium *vbi*, & non eſt determinatum ad aliquod illorum, nec eſt ſimpliciter illimitatum ad illa, includit hoc prædicatum, ſcilicet *quod poteſt mutari* vel *moueri de loco ad locum.*

Differentia inter moueri & mutari. Et nota differentiam inter *mutari* propriè localiter, & *moueri*, quia *moueri localiter* menſuratur tempore, *mutari* verò menſuratur inſtanti temporis, vt cùm *A* mouetur ſuper aliquam magnitudinem, puta cubitalem, dicitur mutari, cùm fit ſub alio, & alio *mutato eſſe*, & ſic ſemper ſub alio, & alio *vbi.* Dicitur verò moueri, cùm ſucceſſiuè tranſit illam magnitudinem,quæ differentia ſuprà patuit, *quæſt.2. præſentis, diſtinct.* patet ergo iſta maior. Probatur minor, quæ habet duas partes; prima eſt, quòd Angelus eſt receptiuus *vbi*, vt ſuprà probatum eſt, *quæſt.6. præſentis, diſtinct.* nec eſt determinatus ex ſe ad aliquod vnum *vbi*, vt ſuprà patuit. Secunda eſt, quòd non eſt ex ſe illimitatus ſimpliciter ad *vbi*, quia tunc eſſet immenſus ex natura ſua, quæ immenſitas ſoli Deo competit.

3. b Ibi. *Et quòd continuè.* Hîc Doctor probat ſecundum principale, ſcilicet quòd talis motus localis Angeli ſit continuus, quia inter duo *vbi* ſunt infinita *vbi* media, quod probatur ex continuo motu corporis per omnia illa *vbi.*Quòd autem inter duo *vbi* ſunt infinita *vbi*, patet in ſimili, quia ſicut inter duo inſtantia ſunt infinita inſtantia, patet, quia inter duo inſtantia cadit tempus medium, vt patet 4.*Phyſ.* & in quocunque tempore ſunt infinita inſtantia, cùm illud ſit diuiſibile in infinitas partes, & ſicut inter duo *mutata eſſe* ſunt infinita *mutata eſſe*, quia inter duo *mutata eſſe* cadit motus medius, qui eſt diuiſibilis in infinitas partes, ſic in propoſito inter duo *vbi* in aliquo ſpatio ſunt infinita *vbi*, quia inter duo *vbi* cadit ſpatium intermedium, in quo ſunt infinita *vbi*, cùm ſit diuiſibile in infinitas partes, & per conſequens ſunt ibi infinita puncta, & in quocumque puncto ſpatij poteſt eſſe aliquod *vbi.* [Et aduerte quòd quando dicit Doctor quòd inter duo *vbi* ſunt infinita *vbi*, debet intelligi ſecundùm potentiam,& ſecundùm inexiſtentiam; non autem ſecundùm ſubſiſtentiam, de quo aliàs. Et ad cognoſcendum, quòd ſint infinita *vbi*, pono caſum, quòd mobile *A* quieſcat per horam in aliqua parte ſpatij pedalis, & ſic quieſcat in vltimo inſtanti illius horæ, & in tempore immediato ad illud inſtans localiter moueatur ſuper illud ſpatium, ita quòd ille motus localis duret per horam tranſeundo quantitatem pedalem; cùm ergo in iſta hora ſint infinita inſtantia, & in motu menſurato à tali hora ſint infinita *mutata eſſe*, quæ *mutata eſſe* ſumuntur per comparationem ad mobile, vt patet 4. *Phyſic. text. cap.* 103. quod mouetur ſuper tali quantitate, & ſic ſemper fit ſub alio, & alio *mutato eſſe*, & ſic ſi localiter mouetur ſemper fit ſub alio, & alio *vbi*: cùm ergo Angelus tranſeundo quantitatem pedalem non ſit ſimul in tota illa quantitate, ſequitur quòd ſit ſemper ſub alio, & alio *vbi*, & ſic non tranſit omnia illa *vbi*, niſi motu continuo; patet, quia vnum *vbi* eſt principium partis futuræ motus localis, & finis partis præteritæ, & ſic inter duo *vbi* cadit motus localis.

Quomodo inter duo vbi ſint infinita vbi.

c *Hoc etiam confirmatur.* Hîc Doctor probat auctoritatibus Scripturæ ſacræ, quòd Angelus moueatur motu locali, & continuo, quia cùm cùm anima beata ſit ſimilis Angelis. *Matth.* 22. & illa mouetur localiter, patet de anima Chriſti, quæ localiter deſcendit ad inferos, ſicut dicit articulus fidei, patet etiam *Geneſ.* 18. & Tobiæ per totum, quòd Angeli mittuntur quandoque cum corpore aſſumpto, & per conſequens mouebantur motione alia à motione corporis: patet, quia non dicuntur moueri per accidens ad motionem corporis, cùm non ſit pars, nec forma inhærens; ſed tantùm voluntariè applicatus ibi, & per conſequens Angelus aſſumpto corpore, vltra motionem corporis per ſe habet aliam per ſe motionem, qua mouetur localiter. Et quòd non dicatur moueri per accidens ad motionem corporis, Vide Doct. *in* 4. *diſtinct.* 10.*quæſt.*3. 4. *Quomodo Angelus moueatur.*

SED occurrunt quædam dubia circa aliqua dicta,reſpondẽdo ad quæſtionem,quæ dicta ſunt, concluſiones veræ, vt in litera patet, & ſunt quatuor per ordinem.

Concluſio prima: Omne receptiuum eorum alicuius generis, quod non eſt ex ſe determinatum ad aliquam vnam illarum, nec eſt illimitatum ad illas, poteſt mutari ab vna ad aliam.

Secunda: Angelus non eſt illimitatus ad omnia *vbi*, quia non eſt immenſus.

Tertia, Inter duo *vbi* ſunt infinita *vbi* intermedia.

Quarta, Angelus, etſi in quolibet *vbi* ſpatij ſit indiuiſibiliter, tamen tranſit illa *vbi* motu continuo, nec aliter poteſt tranſire.

Contra primam primò, quia Deus eſt illimitatus ad omne *vbi*, & tamen poteſt eſſe in alio *vbi*, in quo priùs non fuit: patet, quia Deus poſſet creare nouum locum, & ita fieri ibi vbi priùs non fuit: ſimiliter poteſt annihilari aliquis locus vbi priùs fuit, & ſic deſinere eſſe in illo loco. 5.

Reſpondeo, quòd concluſio intelligitur de *vbi* actu exiſtentibus, ſcilicet quòd actu non poteſt eſſe aliquod *vbi*, in quo ex neceſſitate naturæ non ſit.

Contrà, quia ſaltem habetur, quòd mutabitur ad *vbi* de nouo creato, quia non poteſt eſſe de nouo præſens *vbi*, ſine noua relatione reali, quia præſentia eſt relatio realis ſecundùm Doctorem *in primo diſtinct.* 39. contra Thom. & ſic ſi habebit nouam præſentiam ad *vbi*, mutabitur ad illud.

Quomodo præſentia ſit relatio realis.

Dico, quòd benè eſt relatio realis creaturæ ad Deum, ſed non è contra, & ſic Deus dicitur realiter præſens *vbi*,quia ipſum *vbi* eſt præſens Deo relatione reali, quæ terminatur ad ipſum Deum, ſicut dictum eſt etiam de creatura reſpectu Dei, *diſtinct.*30.*primi.*

Secundò, arguitur contra concluſionem, quia

non ſequitur non eſt illimitatum ad plures formas, ergo poteſt moueri ab vna in aliam, quia Corpus Chriſti, vt in Euchariſtia non eſt illimitatum ad *vbi* circumſcriptiuum,& tamen non poteſt moueri localiter.

Dico,quòd concluſio loquitur quòd ſit receptiuum talium;modò corpus Chriſti,vt in Euchariſtia non eſt receptiuum *vbi* circumſcriptiui, vt patet à Doctore *in* 4. *diſt.* 10.

Dico eriam,quòd illimitatum propriè ad omnia *vbi* non eſt receptiuum alicuius *vbi*,quia tale eſt infinitæ perfectionis. Et ideò licèt Deus nunc ſit in vno loco,in quo priùs non fuit, quia tamen non eſt receptiuus ipſius *vbi*, ideò non dicitur mutari ad illud, quia mutari eſt aliter ſe habere nunc quàm priùs.

Quid ſit mutari.

Dico vltrà, quòd poſito quod *A* ſit illimitatum ad omne *vbi*, & ſit verè receptiuum omnium *vbi*,quòd quamuis recipiat nunc vnum *vbi* quod priùs non habuit,non tamen dicitur moueri ad illud, quia motus non fit in inſtanti, & tamen poſito illo *vbi* in eodem inſtanti eſſet ibi de neceſſitate naturæ,aliter non eſſet ſimpliciter illimitatum.

Quid ſit mutari propriè.

Dico etiam,quòd non propriè mutabitur,quia mutari propriè eſt terminus alicuius motus, vt patet à Doctore *in ſecundo diſt. 2. parte prima, quæſt.* 4.

6. Tertiò arguitur,quia videtur repugnare, ſcilicet quòd aliquid ſit receptiuum formarum, & quòd ſit determinatum ad aliquam vnam; quia quod eſt determinatum ad aliquam formam,neceſſariò habet illam: ſed nullum receptiuum, vt receptiuum, neceſſariò ſe habet ad receptum;Patet;quia receptiuum eſt in potentia contradictionis,vt patet à Doctore in pluribus locis.

Dico quòd ſi determinatum ad aliquam vnam, quantùm in ſe eſt,neceſſariò habet illam,& tunc reſpectu illius non eſt tantùm receptiuum ſed etiam neceſſariò productiuum, vt patet de igne, qui determinat ſibi caliditatem in tanto gradu, qui neceſſariò producit illam in ſe,vt patet à Doctore *in* 4. in materia de Euchariſtia.

Quomodo Angelus ſit illimitatus ad omne vbi.

Contra ſecundam concluſionem probo quòd Angelus ſit illimitatus ad omne *vbi*: primò ſic: Angelus ſimul poteſt eſſe in omni *vbi*, vt patet à Doctore *in* 2. *diſt.*2. ergo eſt illimitatus ad omne *vbi*. Patet conſequentia, quia eſſe illimitatum ad omne *vbi* eſt ſimul poſſe eſſe in omni *vbi*.

Reſpondetur, quòd non poteſt eſſe ex natura propria,& ſic intelligitur illimitatio.

Contrà primò,quia Doctor *in primo, diſtin.*2. *parte* 2.*q.*3.*&* *in* 2.*diſt.*25.dicit, quòd voluntas eſt illimitata, quia ſimul poteſt habere duas relationes oppoſitas:ſufficit enim quòd poſſit ſimul illas recipere,& quòd agat illas accidit ſibi,ſic in propoſito.

Quomodo Angelus poſſit eſſe in omni loco.

Secundò,probo quòd competat Angelo etiam ex natura propria, quia non per aliquod ſibi aduentitium; ſicut dicimus, non conuenit ligno ex natura propria calefacere, ſed per calorem ſibi aduentitium, modò Angelus per ſuam eſſentiam poteſt eſſe in omni loco, ita quòd ratio formalis eſſendi in loco, & per conſequens in omni loco, eſt eſſentia Angeli. Probat enim Doctor contra Thomam ſuprà, *diſtinct.*2. *ſecundi*, quòd Angelus eſt in loco per eſſentiam.

7. Reſpondeo ad primum. Primò quòd non eſt ſimile de relationibus oppoſitis, & de locis, quia illimitatio ad loca eſt, quòd ex natura propria, & ex neceſſitate naturæ ſit in omni loco, & non ſit ibi per aliam cauſam ponentem ibi:ſed illimitatio ad relationes oppoſitas ſufficit quòd ſit talis natura, cui non repugnant ſimul relationes oppoſitæ poſſe ineſſe.

Dico ſecundò quòd voluntas præcisè dicitur illimitata ad relationes oppoſitas, quia habet virtutem mouendi ſe, vt patet à Doctore vbi ſuprà; & ſic eſſe illimitatum ad omne *vbi* eſt habere virtutem faciendi ſe in omni *vbi*.

Eſſentia Angeli eſt ratio recipiendi vbi paſſiuè.

Ad ſecundum,concedo quòd Angelus per eſſentiam poteſt eſſe in omni loco,ſic intelligendo, quòd eſſentia Angeli eſt ratio recipiendi *vbi* paſſiuè; ſed non eſt in omni loco, per eſſentiam actiuè ſic, quòd eſſentia Angeli ſit ratio faciendi ſe ſimul in omni loco, & ſic intelligitur Doctor.

Secundò arguitur: Angelus ſimul virtute propria poteſt eſſe in infinitis locis; ergo ſimul poteſt eſſe in omni loco. Antecedens patet, tenendo quòd Angelus tantùm ſit in puncto localiter, quod eſt probabile, vt dicit Doctor *in ſecundo diſtinct.*2.*parte* 2.*q.*6.& tenendo quòd in inſtanti poteſt moueri ab vno *vbi* ad aliud,ſiue mutari, & quòd ſimul habeat omnia *vbi* intermedia, vt patet, *quæſt.* 11. *&* 12. *diſtinct. ſecundi*, & inter duo *vbi* ſunt infinita *vbi*, vt ſuprà patuit: ergo ſimul in eodem inſtanti erit in infinitis *vbi*. Conſequentia patet, quia ſi eſt illimitatus ad infinita *vbi*, ſequitur, quòd etiam erit illimitatus ad omnia *vbi*, quæ ſunt, cùm illa actu ſint finita.

Reſpondeo primò ad antecedens,quòd etſi inter duo *vbi* ſint infinita,quia infinita puncta, tamen eo modo,quo ſunt ibi puncta, eo modo ſunt *vbi*, ſed non ſunt infinita puncta actu; ergo nec infinita *vbi* actu, ſecundùm aliquos.

Dico ſecundò, quòd etſi pertranſeat in inſtanti infinita *vbi*, non tamen habet illa ſimul ordine naturæ, ſed priùs habet vnum, quàm aliud, & ſic fortè non eſſet inconueniens.

Tranſire puncta infinita in actu poteſt intelligi dupliciter.

Dico tertiò, quòd eſt etiam ſimile de partibus, tenendo quòd ſit in magnitudine vt in loco, quia ſi tranſit vnam partem magnitudinis, tranſit infinitas, quia non eſt dabilis prima pars. Dico ergo quòd tranſire partes infinitas, vel puncta infinita in actu, poteſt dupliciter intelligi, ſcilicet vel quòd puncta infinita ibi ſubſiſtant, vel quòd tantùm inexiſtant: & ſic concedo, quòd ſecundo modo ſimul in eodem inſtanti temporis poteſt habere infinita *vbi* inexiſtentia, & non ſubſiſtentia, quia illa non poſſent dari, niſi etiam darentur ſimul in actu infinitæ partes ſubſiſtentes.

8. Nunc reſpondeo ad conſequentiam,quòd conceſſo antecedente qualitercunque, adhùc non ſequitur, Angelus poteſt in inſtanti tranſire de vno *vbi* ad aliud,inter quæ ſunt infinita *vbi*; ergo poteſt eſſe ſimul in omni loco: non ſequitur, quia non poteſt ſe facere in inſtanti in loco quantumcumque diſtanti,nec ſimul eſſe in loco quantumcumque magno, vel quantumcumque paruo,vt ſuprà patet à Doctore, diſtinct.2.

Tertiò arguitur ſic,Angelus ſimul,& æquè perfectè, & virtute propria poteſt eſſe in duobus locis adæquatis, tenendo quòd punctus ſit locus adæquatus Angelo; ergo poteſt eſſe in omni loco.

loco. Conſequentia videtur concedi à Doctore hîc *& in 4. diſtinctione 10. quæſt. 2.* etiam ab Ariſtotele 4. Phyſic. Antecedens patet, quia ſi in inſtanti mouetur ab vno *vbi* ad aliud, ergo ſimul eſt in illis duobus *vbi*.

Reſpondeo ad antecedens, quicquid ſit de conſequentia, quòd non eſt ſimul in duobus locis; quia in eodem inſtanti, quo fit in vno loco, deſinit eſſe in alio, puta ſi Angelus quieuit per horam in *A*, in vltimo inſtanti illius horæ poteſt mutari ad *B*, & ſic in illo inſtanti, quo habetur *B*, deſinit eſſe in *A*. Sic etiam dico, quòd quando in eodem inſtanti pertranſit infinita *vbi*, quòd nunquam habet ſimul duo *vbi* adæquata: nam in eodem inſtanti, quo fit in ſecundo *vbi*, deſinit eſſe in primo *vbi*. Similiter cùm fit in eodem inſtanti, in tertio *vbi*, deſinit in eodem inſtanti eſſe in ſecundo *vbi*, ita quòd inter talia *vbi* eſt tantùm ordo naturæ; nunquam enim concedendum eſt quòd ſimul habeat duo *vbi* adæquata, vt patet à Doctore *in iſto ſecundo, diſtinct. 2. quæſt. vndecima.*

Nota.

9. Contra tertiam concluſionem, ſcilicet quòd inter duo *vbi* ſunt infinita *vbi*, arguitur. Primò, quia tunc mobile tranſiens ab vno *vbi* ad aliud, tranſiret infinita *vbi*; ſed infinitum, ſiue in magnitudine, ſiue in multitudine, non poteſt pertranſiri, ſecundùm Philoſophum: ergo.

Reſponſio aliorum. Reſpondetur ab aliquibus, quòd non ſunt infinita in actu, ſed tantùm in potentia.

Contrà, quia illa *vbi*, quæ acquiruntur, loquendo de *vbi* fundamentaliter, præexiſtunt, vt patet, & poſito quòd infinita puncta non ſint in actu, ſed cauſentur alia, & alia puncta ex alia, & alia diuiſione continui; tamen loquendo de partibus, certum eſt quòd inter duo puncta ſunt actu infinitæ partes continui; ergo tranſeundo ab vno puncto ad aliud tranſitur infinitum in actu.

Reſpondeo, quòd non eſt inconueniens, quòd infinita in actu exiſtentiæ (ſicut ſunt puncta, & partes in toto homogeneo) poſſint pertranſiri; eſſet tamen inconueniens de infinitis in actu ſubſiſtentiæ, & ſic intelligit Philoſophus.

10. Secundò principaliter arguitur contra concluſionem, quia ſi inter duo *vbi* eſſent infinita *vbi* punctualia, ergo corpus planum, quod tranſit ab vno in aliud *vbi* priùs tangeret ſpatium in puncto, quia non poſſet eſſe in puncto, vt in loco, niſi tangendo; modò corpus planum non tangit in puncto. Sequeretur etiam quòd non poſſet tranſire ab vno *vb.* in aliud, niſi tangendo omnia *vbi*, ſiue puncta intermedia, & ſic continuè tangeret ſpatium in puncto alio, & alio.

Reſpondeo, quòd eſt neceſſe ponere quodlibet mobile priùs tangere ſpatium in puncto, ita quòd mobile etiam planum ſecundùm aliquid ſui priùs tangit in puncto, ita quòd mobile ſecundùm aliquod punctum inexiſtens, tangit ſpatium in aliquo puncto, ipſum tamen mobile ſecundùm partem diuiſibilem tangit ſpatium ſecundùm aliquam partem diuiſibilem ſpatij, & ſic planum poteſt ſecundùm aliquid ſui tangere ſpatium in puncto, & ſecundùm aliquid partem diuiſibilem, corpus verò perfectè ſphæricum non poteſt tangere niſi in puncto. Ad aliud inconueniens, dico quòd tranſit ſpatium, & diuiſibiliter, & indiuiſibiliter, ita quòd in tempore tranſit partem diuiſibilem, & in inſtanti punctũ, & ſic in qualibet parte temporis ſemper tranſit partem diuiſibilem, & in quolibet inſtanti illius temporis tantùm tranſit punctum. De hoc magis patebit inferiùs.

11. Tertiò principaliter arguitur, quia quæro quando corpus ſit in alio, & alio *vbi*, aut eſt ibi definitiuè tantùm, aut circumſcriptiuè: non ſecundò, patet, quia corpus non poteſt circumſcribi in puncto, cùm circumſcriptio ſit commenſuratio totius locati ad totum locum, & partium locati ad partes loci, vt patet à Doctore *in 4. diſtinct. 10. quæſt. 1.* non primò, quia ſupponitur quòd mobile moueatur motu locali circumſcriptiuo; patet, quia mouetur ad locum circumſcriptiuum.

Reſpondeo primò, quòd quando mobile mouetur ſuper ſpatium, puta pedale, vt puta cùm intrat aërem, vel aquam, poteſt dici moueri circumſcriptiuè ſecundùm partem, quia illa pars, quę primò intrat aërem, circumſcribitur alteri parti aëris, & cùm totum eſt in aëre, tunc ſecundùm totum circumſcribitur; & ſimiliter poteſt dici quando tangit in puncto, quia punctum mobilis perfectè commenſuratur puncto ſpatij, & ſic ſuo modo circumſcribitur.

Quid ſit moueri definitiuè. Secundò poteſt dici, quòd non apparet inconueniens, quòd dum eſt in puncto, ſit in loco tantùm definitiuè, & ſic dicetur moueri definitiuè, dum ſit in alio, & alio puncto, & dum eſt in ſpatio diuiſibili, quòd dicatur ibi circumſcribi, vel ſecundùm partem, vel ſecundùm totum, & ſic moueri motu locali circumſcriptiuo.

12. *An Angelus moueatur motu continuo.* Contra quartam concluſionem arguitur, probando primò, quòd Angelus ex hoc non dicatur moueri in motu continuo, quia tranſit infinita *vbi*, quæ ſunt media inter duo *vbi*. Et arguitur ſic primò, quia aut tranſit ab *vbi* ad *vbi* in tempore, aut in inſtanti: non primo: patet, quia tunc talis tranſitus eſſet motus: patet, quia tempus eſt propria paſſio motus, 4. Phyſic. ſi in inſtanti, ergo non mouetur ab *vbi* in *vbi* motu continuo, quia ille fit in tempore. *Quarto Phyſ. contex.* 150.

Reſpondeo, quòd concluſio debet intelligi, quòd inter duo *vbi* datur ſpatium medium, & quòd illud dicitur continuum, quod continuatur alio, & alio indiuiſibili, & ſicut linea dicitur continua, quia alio, & alio puncto continuatur, ita ſpatium locale dicitur continuum, quia alio, & alio *vbi*, ſiue puncto continuatur. Dico ergo, quòd quando Angelus tranſit ab vno *vbi* ad aliud, tranſit infinita *vbi*, quæ continuant aliam, & aliam partem ſpatij; & ſic tranſit ſpatium intermedium motu continuo, & in tempore.

Secundò arguitur, quia Angelus eſt ſimpliciter indiuiſibilis; ergo non mouetur ab *vbi* ad *vbi* motu continuo. Patet conſequentia, quia quod mouetur motu continuo tranſit aliam, & aliam partem ſpatij; quæ continuantur per aliud, & aliud indiuiſibile; ſed non poteſt tranſire illas, niſi tangendo illas, hoc autem eſt impoſſibile, quod indiuiſibile tangat diuiſibile, cùm tangat tantùm in puncto.

Reſponſio patebit infrà.

13. Tertiò arguitur, quia non ſequitur, tranſit ab *vbi* in *vbi*, inter quæ ſunt infinita *vbi*, ergo mouetur motu continuo, quia poteſt tranſire illa media in inſtanti, licèt ordine quodam naturali, vt patet à Doctore *in ſecundo, diſt. 2. q. 12.* ergo non

non mouebitur motu continuo. Tum etiam, quia poteſt tranſire ab *vbi* ad *vbi* in inſtanti, non habendo *vbi* intermedia, vt patet à Doctore *vbi ſuprà q.*11. ergo non eſt neceſſe, quòd ſi tranſit ab *vbi* ad *vbi*, inter quæ ſunt infinita *vbi*, quòd moueatur motu continuo.

Angelus non poteſt moueri in inſtanti de loco ad locũ.

Reſpondeo primò, quòd concluſio Doctoris eſt certa, quòd mouetur motu continuo, ſed non ita aſſerit, quòd poſſit moueri in inſtanti de loco ad locum, vt patet intuenti quæſtiones illas, ſcilicet 11. & 12. diſtinct. 2. Dico ſecundò, quòd ſi tranſit ſuper ſpatium ab *vbi* ad *vbi*, inter quæ sũt infinita *vbi* continuantia, quòd poteſt moueri continuè, cùm moueat ſe liberè, poteſt etiam trãſire in inſtanti; ſufficit enim continuitas ſpatij ad continuationem motus, vt infrà patet à Doctore *præſenti diſt. q* 9. Dico tertiò, quòd etſi poſſit moueri ab *vbi* ad *vbi* in inſtanti, non tamen poteſt moueri ab *vbi* ad *vbi* quantumcunque diſtans in inſtanti, ſed motu continuo, vt patet à Doctore: ſufficit enim Doctori oſtẽdere qualiter Angelus poſſit moueri motu cotinuo de vno *vbi* ad aliud *vbi*, & ſic patet intellectus concluſionis.

d *Ad argumenta* principalia. Ad primum. 14.

Reſpondet Doctor concedendo, quòd Angelus poſſit perfici, ſicut etiam perficitur ab intellectione, quam habet. Et cùm infertur, quòd tale *vbi* eſſet perfectius Angelo, dicit Doctor quòd non eſſet perfectius abſolutè natura ipſius Angeli, ſicut nec intellectio Angeli. Et cùm dicitur, quòd forma perficiens eſt perfectior perfectibili, vt etiam ipſe aſſerit *in primo, diſtinctione* 3. *quæſtione* 7. *& in quarto diſtinctione* 44. *quæſtione* 1. *reſpondendo ad primum argumentum principale.*

Quomodo Angelus poſſit perfici.

Dico, quòd aliter eſt loqui de perfectione abſolutè, & de perfectione ſecundùm *qnid*: concedo enim quòd omnis forma perficiens perfectibile, eſt perfectior tali perfectibili, & hoc abſolutè, vel ſecundùm *quid*. Si eſt forma ſubſtantialis, eſt communiter perfectior abſolutè perfectibili; ſi verò accidentalis, communiter eſt perfectior ſecundùm *quid* tantùm, puta ſub illa ratione, qua perficit & actuat, & perfectibile eſt imperfectius ſecundùm *quid*, puta ſub illa ratione, inquantùm eſt perfectibile.

Quomodo forma perficiens ſit perfectior perfectibili.

SCHOLIVM.

Probat per duas Geometricas demonſtrationes continuum non componi ex indiuiſibilibus (de quo agit 6. Phyſic. quæſt. 1. plura afferens Geometrica) prima eſt, quòd aliàs circunferentia minor eſſet æqualis maiori, vel pars æqualis toti. Secunda, aliàs linea Diametralis eſſet commenſurabilis coſtæ, quia puncta vtriuſque haberent ſe in aliqua proportione nnmerali, conſequens eſt falſum, quia quadratum Diametri non ſe habet ad quadratum coſtæ, ſicut vnus numerus quadratus ad alium numerum quadratum: quia inter huiuſmodi numeros non datur proportio dupla, inter illa quadrata datur, vt conſtat ex figura. Nec eſt alia commenſuratio, his quadratis conueniens, niſi qualis eſt vnius numeri quadrati ad alium quadratum infert etiam ex oppoſito, quòd Diameter & coſta: eſſent æquales, quod ad oculum patet eſſe falſum.

Text. 13. & 19. Continuum non componi ex indiuiſibilibus.

AD ſecundum [e] nego illud, quod aſſumitur, ſcilicet nullum ſucceſſiuum eſt continuum. Antecedens etiam, quod aſſumitur ad eius probationem, ſcilicet quòd componatur ex indiuiſibilibus, nego, & eius falſitatem probo per rationem Philoſophi. 6. Phyſic. de proportione ſeſquialtera, quæ plus conuincit aduerſarium; licèt fortè aliquæ rationes eius magis ſint à cauſa, quia ſupponit, quòd in quacunque proportione poſſit motus accipi velocior omni motu dato: & per conſequens motu aliquo dato menſurato tribus inſtantibus, erit accipere motum in duplo velociorem, qui menſuratur vel menſurabitur inſtanti cum dimidio.

6. Phyſicor. text. c. 4. & inde. Si permanens eſt cõtinuum, & ſucceſſiuũ.

Iſtud etiam de ſucceſſiuo [f], probo per continuitatem permanentis, quia permanens eſt continuum: igitur & ſucceſſiuum, conſequentiam probo. Quia ſi in motu, indiuiſibilia ſint ſibi inuicem immediata, quæro de mobili & ipſis *vbi*, quæ habet in ipſis inſtantibus immediatis. Si inter vltimum vnius *vbi*, & alterius, nihil ſit medium: igitur vltimum vnius immediatum eſt vltimo alterius. Si inter illa duo *vbi* ſit aliquid medium, quæro de vltimo ipſius mobilis quando eſt in ipſo medio? non in altero inſtãti, quia nec in illis duobus indiuiſibilibus: eſt igitur in medio aliquo inter illa duo inſtantia: ergo illa duo inſtantia non erant immediata, & iſtam conſequentiã declarat Philoſ. 6. *Phyſic.* quòd ſcilicet eiuſdem rationis eſt motum & magnitudinem, & tempus componi ex indiuiſibiiibus. Antecedens probari poteſt manifeſtiùs de permanentibus, quàm de ſucceſſiuis per rationes Phil. 6. *Phyſ.* quia magis eſt euidẽs & manifeſtũ quòd indiuiſibilia permanentia nõ faciant maius, quàm de indiuiſibilibus ſibi inuicem ſuccedentibus. Tamen efficaciùs probatur antecedens illud per duas rationes, vel duas probationes Geometricas, quarum prima eſt iſta; Super [g] centrum quodlibet

10.

Text. c. 4. Vide 1. de Gen. t. 8. & 3. Metaph. text. 16.



quodlibet,, quantumlibet occupando ſpatium : contingit circulum deſignare,ſecundùm illam petitionem ſecundam primi Euclidis : Super centrum igitur aliquod datum,quod dicatur A, deſcribantur duo circuli, maior qui dicatur B, & minor, qui dicatur D, ſi circumferentia maioris componatur ex punctis,duo puncta immediata ſibi ſignentur, quæ ſunt B, & C, ducatur linea recta ab A, ad B : & linea recta ab A, ad C, ſecundùm illam primam petitionem primi Euclidis : *à puncto ad punctum contingit lineam rectam ducere.* iſtæ lineæ rectè ductæ tranſibunt per circumferentiam minoris circuli. Quæro, aut ſecabunt eam in eodem puncto, aut in alio : ſi in alio, igitur tot puncta erunt in minori circulo, ſicut in maiori : ſed impoſſibile eſt duo inæqualia componi ex partibus æqualibus in magnitudine & in multitudine. Punctus enim non excedit punctum in magnitudine, & puncta in circumferentia circuli minoris ſunt tot, quot in circumferentia circuli maioris : ergo minor circumferentia eſt æqualis maiori, & per conſequens pars eſt æqualis toti

Si autem duæ rectè lineæ, A, B, & A, C, ſecent minorem circumferentiam in eodem puncto;ſit ille D, ſuper lineam, A, B, erigatur linea recta ſecans, ſcilicet eam in puncto D, quæ ſit D, E, quæ ſit etiam contingens reſpectu minoris circuli, ex decimoquinto tertij Euclidis; iſta cum linea, A, B, conſtituit duos rectos angulos,vel æquales duobus rectis ex decimotertio primi Euclidis:igitur angulus A.D.C. & etiam angulus B. D. E. valent duos rectos:pari ratione angulus A.D.E & angulus C. D. E. valent duos rectos : ſed quicunque duo anguli recti ſunt æquales quibuſcunque duobus rectis,,ex tertia petitione primi Euclidis:igitur dempto communi ſcilicet A.D.E. reſidua erunt æqualia, igitur angulus B.D.E. erit æqualis angulo C. D. E. & ita pars erit æqualis toti.

Linea recta tangit circulum in puncto. Ex 16. 3. Euclidis. Ad finem.

12. Ad iſtud diceret aduerſarius, D. B. & D. C. non includunt aliquem angulum: quia poſſet tunc illi angulo baſis ſubprotendi à puncto B. ad punctum C. quod eſt oppoſitum poſiti : quia B C. ponuntur puncta immediata:quando ergo accipitur, quòd angulus C. D. E. eſt totalis ad angulum B. D E. negatur : quia angulo B. D. E. nihil additur in angulo C. D. E. quia inter B. & C. in concurſu eorum in D. non eſt angulus

Ideſt æqualia vni tertio ſunt æqualia inter ſe. Ex 1. & 3. communi conceptione Giraldus Odonis, & & cancellarius Oxonienſis ſunt huius opinion. & Nicolaus Turonenſis.

Iſta reſponſio licèt videatur abſurda,negando angulum,vbi duæ lineæ concurrunt, quæ expanduntur ſuper ſuperficiem, & applicantur non directè, & in hoc contradicat definitioni anguli, primo Euclidis, negando etiam à B. in C. lineam poſſe duci, neget primam petitionem primi Euclidis; tamen quia hæc non reputarentur inconuenientia; quia ſequuntur ad propoſitum; contra reſponſionem aliter arguo, angulus C D.E. includit totum angulum B.D.E. & addit ſaltem punctum licèt proteruias, quod non addit angulum:& punctus, per te,eſt pars:igitur angulus C. D. E. addit ſuper angulum B. D. E partem aliquam : igitur eſt totum ad illud. Aſſumptum patet, quia ſi angulus dicatur ſpatium interceptum inter lineas, noa ineludendo lineas,tunc punctus primus lineæ B. D. extra circumferentiam minorem,nihil erit anguli B.D.E. & eſt aliquid anguli C. D. E.

A puncto in punctum contingit lineam ducere.

Si autem angulus, vltra ſpatium incluſum, includit lineam includentem : & tunc primus punctus lineæ D. C. extra circumferentiam minorem, nihil erit anguli. B. D.E. & eſt aliquid anguli C. D. E. & ita vtroque modo angulus C. D. E. addit punctum ſuper angulum B D.E.

Nec

Nec poteſt aliquo modo obuiari demonſtrationi principali, quaſi in illa circumferentia non incipiant lineæ diuidi à ſe, ſed alibi propinquius centro, vel remotius. Quia vbicunque hoc poſueris: ibi deſcribam circumferentiam minorem.

Iſtam ſecundam partem, ſcilicet quòd minor circumferentia non ſecetur in vno eodem puncto, ſi ſecetur à duabus lineis; non oporteret probare, niſi propter proteruiam aduerſarij: quia ſatis eſt manifeſtum quòd eadem linea, ſi protrahatur in continuum, & directum, nunquam terminabitur ex eadem parte ad duo puncta. Et ſi iſtud manifeſtum verum conceditur, ſtatim ex deductione in prima parte patet propoſitum.

Al. communicãtes. *Quadratus conſurgit ex numero in ſe multiplicato, vt 9. ex 3.* *Non 9. ad 4. nec 12. ad 9 nec 25. ad 12. nec 36. ad 25. &c.* *Diameter eſt linea tranſiens ab angulo in angulũ quadrati, coſta latus quadrati.* *Quando vna linea eſt commẽſurabilis alteri ſicut numerus numero, quadratũ linearũ ſe habebit ſicut vnus quadratus numerus ad alium quadratum numerum, & in huiuſmodi numeris nunquam eſt proportio dupla, eſt tamẽ inter quadrata Diametri & coſtæ.* *Quicũque pũctus natus eſt terminare & fundare lineam.*

Secunda probatio eſt ex quinta, & ſeptima decimi Euclidis. Dicit enim illa quinta, quòd omnium quantitatum commenſurabilium proportio eſt ad inuicem ſicut alicuius, numeri ad aliquem numerum: & per conſequens ſicut vult ſeptima, ſi lineæ aliquæ ſint * commenſurabiles, quadrata illarum ſe habebunt ad inuicem ſicut vnus numerus quadratus ad aliquem alium quadratum: quadratum autem Diametri non ſe habet ad quadratum coſtæ, ſicut numerus aliquis quadratus ad alium numerum quadratum: igitur nec linea illa, quæ erat Diameter quadrati, commenſurabilis erit coſtæ iſtius quadrati. Minor huius patet ex penultimi primi, quòd quadratum Diametri eſt duplum ad quadratum coſtæ: pro eo quòd eſt æquale quadratis duarum coſtarum: nullus autem numerus quadratus eſt duplus ad alium numerum quadratum, ſicut patet diſcurrendo per omnes quadratos ex quibuſcunque radicibus in ſe ductis. 13.

Ex hoc patet iſta cõcluſio, quòd diameter eſt aſymmeter coſtæ, ideſt incõmenſurabilis ſiautẽ lineæ iſtæ cõponerentur ex punctis, non eſſent incõmenſurabiles: haberent enim ſe puncta vnius ad puncta alterius in aliqua proportione numerali: nec ſolùm ſequeretur, quod non eſſent incommenſurabiles lineę: ſed etiam quòd eſſent equales,



quod eſt planè contra ſenſum. Probatio huius conſequentiæ: accipiantur duo puncta immediata in coſta: & alia duo oppoſita in alia coſta: & ab iſtis ad illa ducantur duæ lineæ rectæ æquè diſtantes ipſi coſtæ: iſtæ ſecabunt diametrum. Quæro autem in punctis immediatis, aut mediatis? Si in immediatis, igitur non plura puncta in Diametro ſunt, quam in coſta: igitur non eſt Diameter maior coſta. Si in punctis mediatis, accipio punctum medium inter illa duo puncta mediata Diametri, à quo trahatur linea in continuum, & directum; illa



cadet extra vtramque lineam iſtam ex datis: & ab illo puncto duco æquè diſtantem vtrique lineæ datæ, ex trigeſimo primo primi. Iſta æquè diſtans ducatur in continuum & directum. Ex ſecunda parte primæ petitionis primi, ſecabit coſtam: & in neutro puncto eius dato, ſed inter vtrumque: alioquin concurreret cum illa, cum qua ponitur æquè diſtans; quod eſt contra definitionem æquè diſtantium, quæ eſt vltima definitio poſita in primo: igitur inter illa duo puncta, quæ ponebantur immediata in coſta, eſt punctus medius. Sequitur hoc ex hoc, quòd dicebatur, inter duo puncta Diametri eſſe punctum medium: igitur ex oppoſito conſequentis, ſequitur oppoſitum antecedentis: igitur inter duo puncta prima, in Diametro,

métro, non eſt punctum medium : imò generaliter totus decimus Euclidis deſtruit illam compoſitionem lineæ ex punctis : quia nulla eſſet omnino linea irrationalis, ſiue ſurda, cùm tamen principaliter tractet ibi de irrationabilibus, ſicut patet, ibi de multis ſpeciebus irrationalis lineæ, quas aſsignat.

Linea irrationalis eſt, quæ alteri eſt incommenſurabilis, vt diameter coſtæ eiuſdem quadrati.

COMMENTARIVS.

1. Secundò principaliter arguit Doctor, probando quòd non poſſit moueri motu continuo : & primò probat in communi, quòd nullum ſucceſſiuum ſit continuum, & probat duplici via. Secundò principaliter probat, quòd ſuppoſito ſucceſſiuum eſſe continuum, quòd tamen Angelus non poſſit moueri localiter motu continuo. Sed antequam adducam argumenta, priùs declaro rationes Doctoris, quibus probat eſſe impoſſibile continuum, ſiue permanens, ſiue ſucceſſiuum componi ex indiuiſibilibus, quæ rationes ponuntur ibi.

2. *Ad ſecundum nego illud, quod aſſumitur, ſcilicet nullum ſucceſſiuum eſſe continuum.*

Et primò adducit duas rationes Philoſophi, & duas alias ſpeciales, & Geometricas, quibus probat eſſe ſimpliciter impoſſibile continuum componi ex indiuiſibilibus. Et prima ratio Philoſophi ponitur 6. Phyſicorum, *tex.comm.23. & 29.* de proportione ſeſquialtera. Et priùs declaro proportionem ſeſquialteram, vt faciliùs intelligatur ratio Philoſophi. Nam proportio ſeſquialtera continet totum & medietatem illius. Sicut tria ad duo: nam tria continent duo, & etiam medietatem dualitatis, quæ eſt vnitas, & ſic aſcendendo proportio ſeſquitertia continet totum, & tertiam partem ; ſicut quatuor ad tria, quia quatuor continent tria, & tertiam partem, quæ eſt vna vnitas, & ſic de proportione ſeſquiquarta, quæ continet totum, & quartam partem, ſicut quinque ad quatuor, & ſic de aliis. Dicit ergo Ariſtoteles quòd ſi motus eſſet compoſitus ex indiuiſibilibus, indiuiſibile de neceſſitate eſſet diuiſibile. Probatur, quia pono quòd A tranſeat ſpatium vnius miliaris in tribus inſtantibus temporis ; deinde pono, quòd B velociùs moueatur in duplo : quod patet, quia dato quocunque motu, adhuc velocior poteſt dari, vt probat Ariſtoteles ſexto Phyſicorum : ergo ille motus velocior in duplo menſurabitur minori tempore in duplo: ergo ſicut primus motus menſuratur tribus inſtantibus, ſecundus motus menſurabitur vno inſtanti, & dimidio alterius inſtantis, & ſic inſtans indiuiſibile erit diuiſibile, quod eſt impoſſibile.

Quid contineat proportio ſeſquialtera.

Sexto Phyſic. contex.29.

3. f *Iſtud etiam de ſucceſſiuo probo per continuitatem motus.* Hæc eſt ſecunda ratio Ariſtotelis, qua probat, quòd ſucceſſiuum non ſit compoſitum ex indiuiſibilibus. Et arguitur ſic : Sicut ſe habet continuum permanentis ad ſuas partes, ita & ſucceſſiuum ad ſuas ; patet, quia partes ſucceſſiui, puta motus, ſumuntur à partibus permanentis. Exemplum, ſi A tranſit ſpatium pedale, non dicimus quòd in motu ſit priùs, & poſteriùs, niſi per reſpectum prioris, & poſterioris in ſpatio, vt patet ; & ſimiliter dicimus, quòd prius, & poſterius in tempore ſumuntur à priori, & poſteriori in motu, vt patet 4. *Phyſicorum, tex. comm.* 104. Si ergo permanens continuum non habet partes indiuiſibiles, ſed diuiſibiles, ita & ſucceſſiuum. Declaro tamen hanc literam : Cùm dicit *permanens eſt continuum, igitur etiam ſucceſſiuum. Conſequentiam probo, quia ſi in motu indiuiſibilia*, puta mutationes, quæ ſunt indiuiſibiles, *ſint ſibi inuicem immediata*, id eſt, quòd inter duas mutationes, ſiue duo *mutata eſſe* non cadit medium, ſcilicet diuiſibile, *quæro de mobili, & ipſis* vbi, *qua habet in ipſis inſtantibus immediatis, ſi inter vltimum vnius* vbi, *& vltimum alterius, nihil ſit medium, igitur vltimum vnius immediatum eſt vltimum alterius.* Vult dicere, quòd cùm mobile mouetur ſuper aliqua magnitudine in quolibet puncto magnitudinis eſt aliud, & aliud *vbi*, & cùm mobile eſt in alio, & alio *vbi*, eſt ſub alio, & alio *mutato eſſe*, quibus *mutatis eſſe* correſpondet aliud, & aliud inſtans : accipio ergo duo inſtantia correſpondentia duobus *mutatis eſſe*, quæ duo *mutata eſſe* correſpondent duobus *vbi* in alia magnitudine, & illa duo *vbi* correſpondent duobus punctis ; tunc quæro, aut inter illa duo inſtantia cadit medium diuiſibile, aut nullum cadit medium ; ſi ſecundo, tunc vltimum vnius inſtantis, quod eſt ipſum inſtans indiuiſibile erit immediatum vltimo alterius inſtantis, ſiue quòd vnum inſtans erit immediatum alteri inſtanti, & cùm illa inſtantia menſurent immediatè duo *mutata eſſe* : ergo duo *mutata eſſe* erunt immediata, & quia illa *mutata eſſe* correſpondent duobus punctis in magnitudine : ergo duo puncta in magnitudine erunt immediata : & ſic duo *vbi* correſpondentia duobus punctis erunt ad inuicem immediata.

Succeſſiuum non eſt compoſitum ex indiuiſibilibus.

4. Si verò detur, quòd inter illa duo *vbi* ſit aliquod medium, tunc *quæro de vltimo ipſius mobilis, quãdo eſt in ipſo medio: non in altero inſtanti, quia nec in illis duobus indiuiſibilibus ; eſt igitur in medio aliquo inter illa duo inſtantia.* Vult dicere, quòd ſi detur tale medium, quæritur tunc de mobili, quod mouetur ab vno *vbi* menſurato ab vno inſtanti temporis ad aliud *vbi*, ſimiliter menſurato ab alio inſtanti temporis, cùm non ſit ſub illis indiuiſibilibus, quando recedit ab vno *vbi* ad aliud, igitur erit in aliquo medio inter *vbi*, & *vbi* puta in motu locali, & ſimiliter erit in medio, quod eſt inter illa duo inſtantia menſurantia illa duo *vbi*, & tale medium erit tempus inter illa duo inſtantia ; & ſic patet quomodo ſucceſſiua non ſint compoſita ex indiuiſibilibus. Sequitur ergo litera.

5. *Et iſtam conſequentiam declarat Philoſophus.* Conſequentia eſt iſta : Permanens continuum non eſt compoſitum ex indiuiſibilibus : ergo nec continua ſucceſſiuè. Patet iſta conſequentia per Ariſtot. vbi ſuprà, *quia eiuſdem rationis eſt motum, & magnitudinem, & tempus componi ex indiuiſibilibus.* Patet, quia ſucceſſio in motu, quæ eſt ſecundùm priùs, & poſterius accipitur à ſucceſſione in magnitudine ſecundùm prius, & poſterius in ipſa, etiam ſucceſſio in tempore accipitur à ſucceſſione in motu, vt patet ab Ariſtot. quarto Phyſicorum, *tex. comment.* 104. Sicut ergo magnitudo non eſt compoſita ex indiuiſibilibus, ita nec motus, nec tempus. Sequitur. *Antecedens probari poteſt.* Dicit Doctor, quòd hoc ante-

cedens, ſcilicet *continuum permanens non eſt compoſitum ex indiuiſibilibus*, poteſt manifeſtiùs probari, quàm de continuis ſucceſſiuis per rationes Philoſophi ſexto Phyſicorum,& primo de Generatione.tex.comm.8.& tertio Metaphyſ.tex.com. 16. magis eſt euidens, quòd indiuiſibilia permanentia non faciant maius,quàm de indiuiſibilibus ſibi innicem ſuccedentibus.Quòd autem indiuiſibile permanens additum indiuiſibili non faciat maius,patet, quia talia indiuiſibilia aut tangerent ſe ſecundùm ſe tota; igitur vnum non diſtingueretur ab alio ſecundùm ſitum, & ita non cauſaret extenſionem aliquam,non poſſunt autem tangere ſe ſecundùm partes,cùm non habeant illas.

22. *Quomòdo continua permanentia nõ componuntur ex indiuiſibilibus.*

Sed quicquid ſit de rationibus Ariſtotelis, quibus nititur probare continua permanentia, non poſſe componi ex indiuiſibilibus, Doctor addit duas rationes efficaciores,quibus probat continua permanentia nullo modo poſſe componi ex indiuiſibilibus. Et iſtæ duæ rationes ſunt ſatis claræ in litera, tamen pro iunioribus aliqualiter expono illas. Prima ratio eſt iſta. *Super centrum quodlibet quantumlibet occupando ſpatium*, &c. id eſt, quòd dato aliquo centro contingit deſignare circulum quantumcunque magnum. Sequitur:*Super centrum igitur aliquod datum, quod dicatur*, &c. *Quæro, aut ſecabunt eam in eodem puncto, aut in alio:ſi in alio,igitur tot puncta erunt in minori circulo, ſicut in maiori.* Hoc patet, quia quot lineæ ducuntur à centro ad circumferentiam maioris circuli,tot poſſunt deduci à centro eodem ad circumferentiam minoris circuli. Pono modo,quòd centum lineæ ducantur à centro A ad centum puncta immediata maioris circuli, aut illæ lineæ tranſibunt per minorem circulum in alio, & in alio puncto, & ſic quot puncta erunt in maiori circulo,tot erunt in minori circulo, quod eſt impoſſibile. Eſt enim impoſſibile duo inæqualia componi ex partibus æqualibus in magnitudine, & multitudine:punctus enim non excedit punctũ in magnitudine, & puncta minoris circuli tot ſunt,quot maioris circuli: ergo minor circumferentia eſt æqualis maiori, & per conſequens pars eſt æqualis toti. *Si autem duæ rectæ lineæ*,&c.

23. *Iſta linea recta*, ſcilicet D, E,*cum linea A, B, cõſtituit duos rectos angulos æquales duobus rectis, ex tertiadecima Euclidis*,vbi habetur,quòd quando ſuper lineam rectam cadit linea perpendiculariter,efficiuntur ibi duo anguli recti; ſi verò non cadat perpendiculariter efficiuntur duo anguli, vnus acutus, qui eſt minor, & alius obtuſus, qui eſt maior, tamen iſti duo anguli æquiualent duobus rectis. Sequitur, *igitur angulus A,D, E, & etiam angulus B, D, E,valent duos rectos*,&c.

Quid ſit angulus communis.

Pro maiori intelligentia, nota, quòd angulus communis eſt ille, qui eſt communis duobus angulis rectis, vt patet hic in exemplo. Nam angulus A,D,E,qui eſt citra circulum minorem,id eſt, illud ſpatium, quod eſt inter A, D, E,eſt angulus communis angulo C,D,E,& angulo B, D, E, qui anguli ſunt extra circumferentiam minoris circuli: ergo dempto illo communi, illi duo anguli erũt æquales, per vnam petitionem Euclidis:Quæ ſunt æqualia vni tertio, ſunt æqualia inter ſe: & tamen vnus angulus erit totum ad alium angulũ, igitur pars erit æqualis totiuſ angulus B,D,E, eſt pars anguli C,D,E patet,quia ſpatiũ inter B,D,E,eſt pars ſpatij inter C,D,E,& ſic pars eſt æqualis toti.

24. *Ad iſtud diceret aduerſarius*, &c. Quia probauit Doctor ſuprà, quòd angulus C,D,E eſt totum ad angulum B,D,E. & angulus B,D,E.eſt pars ipſius. Diceret aduerſarius,quòd ſi ſpatium inter lineas D,C,& D,B,eſſet angulus,quòd verum eſſet, ſed negaret ibi eſſe angulum:ſi enim ibi eſſet angulus,oporteret,quòd inter B,& C eſſet baſis. Vult enim ipſe aduerſarius, quòd angulus tantùm ſit inter tres lineas angulariter vnitas, modò inter B, & C non poteſt poni aliqua linea, quæ ſit baſis, quia tunc B,& C non eſſent puncta immediata.

Iſta reſponſio licèt videatur abſurda, negando angulum, vbi duæ lineæ concurrunt, ſiue coniunguntur in aliquo puncto, *quæ expanduntur ſuper ſuperficiem, & applicantur non directè, & in hoc contradicat definitioni anguli datæ primo Euclidis, negando etiam à B,in C,lineam poſſe dari.* Negat primam petitionem primi Euclidis, quæ eſt à puncto in punctum, contingit ducere rectam lineam. Sequitur ibi;*tamen quia hæc non reputarentur inconuenientia, quia ſequuntur ad propoſitum aduerſarij.*

Contrà reſponſionem aliter arguo. Hîc Doctor intendit concludere contra aduerſarium,quòd ſaltem angulus C,D,E:addit vnum punctum ad angulum B,D,E.quod patet,quia ſi angulus accipiatur pro ſpatio,non includendo lineas, certum eſt, quòd angulus B, D, E, non includit lineam, nec punctum lineæ C, D, E & tamen punctus ipſius lineæ eſt pars ſpatij anguli C,D,E.vt patet:ſi enim angulus (vt dictum eſt) ſit ſpatium interceptum inter lineas,non includendo lineas, tunc punctus primus lineæ B, D extra circumferentiam minorem nihil erit anguli B, D, E. quia talis angulus eſt tantùm ſpatium interceptum inter lineas B,D, E, quod ſpatium non includit primum punctum lineæ B, D, cùm talis punctus non includatur in ſpatio anguli B,D,E,quia nec linea B, D per poſitum, & ſic punctus primus lineæ B, D, extra circumferentiam minorem nihil erit anguli B,D, E. & eſt aliquid anguli C, D, E,patet, quia ſpatium interceptum inter lineas anguli C, D. E, includit ſpatium anguli B,D,E,vt ſupra patuit:ergo includit primum punctum lineæ B, D, quæ linea eſt terminus ſpatij anguli B,D.E. Et quòd etiam includat:patet,quia poſito,quòd linea A, B, & linea A, C, ſecent circumferentiam minoris circuli in eodem puncto, non tamen circumferentiam maioris circuli,ſed in alio,& alio puncto; tunc patet, quòd angulus C,D,E,includit angulum B,D,E,& ſpatium anguli C,D,E, includet ſpatium B,D,E,ſi modo angulus B,D,E, accipiatur tantùm pro ſpatio extra circumferentiam minoris circuli, non includendo lineas, tunc non includet primũ punctum lineæ B, D, ſed includetur in ſpatio anguli, C,D,E,& ſic angulus C,D,E,addit punctum ſuper angulum B, D,E, & ſic eſt totum reſpectu anguli B,D,E,patet,quia tunc maius, vt maius habet rationem totius reſpectu minoris, & per conſequẽs angulus B,D,E,erit pars,vel habebit rationẽ partis reſpectu anguli C,D,E, ſed angulus B,D,E,eſt æqualis angulo C,D, E, vt ſuprà patuit,quia ſunt æquales angulo communi: ergo inter ſe erunt æquales, dempto illo communi, vt patuit ſuprà. Sequitur.

25.

26. *Si autem angulus vltra ſpatium incluſum includit lineam includentem*, tale ſparium, *tunc primus punctus lineæ D, C extra circumferentiam minorem,nihil erit B,D,E.* patet,quia angulus B, D, E, tantùm includit lineam B, D, quæ includit ſpatium anguli B,D,E, & ſic non includit lineam C, D, pertinentem ad angulum C, D, E, & talis punctus,

punctus,ſcilicet lineæ C, D erit aliquid C,D,E,& ita vtroque modo angulus C,D,E,addit punctum ſuper angulum B, D, E, & ſic totum reſpectu anguli B,D,E, vt ſuprà patuit.

Nec poteſt aliquo modo obuiari, &c. Vult dicere,quòd ſi aduerſarius vellet dicere,quòd lineæ A, B, & A, C non diuidantur in circumferentia circuli minoris, nec infra circulum minorem, ſed tantùm extra, & ſic non oportet quærere, aut ſecabunt in eodem puncto,aut in alio, & alio, cùm ſint quodammodo eadem linea,vel quaſi vna ſupponitur alteri. Dicit Doctor quòd hoc nihil eſt, quia vbi diuiduntur, circumſcribatur circumferentia minoris circuli,& ſic idem quod prius, videlicet, aut ſecabunt in eodem puncto circumferentiæ minoris circuli, aut in alio, & alio, & arguatur vt priùs.

27. Secunda probatio principalis, qua probatur continuum permanens non eſſe compoſitum ex indiuiſibilibus, & procedit ex 5. & 17. Euclidis. *Dicit enim illa 5. quòd omnium quantitatum commenſurabilium proportio eſt adinuicem, ſicut alicuius numeri ad aliquem numerum*, patet,quia inter quantitates commenſurabiles, eſt proportio, vel dupla,vel ſeſquialtera, vel aliqua alia proportio, de quibus in quinto Euclidis. Sequitur: *Et per conſequens ſicut vult ſeptima*, &c. Intendit primò probare in hac ratione,quòd diameter quadrati ſit incommenſurabilis coſtæ,& tota probatio ſtat in hoc, quia quando vna linea eſt commenſurabilis alteri, eſt etiam proportionabilis alteri, & eſt proportio inter illas, ſicut proportio alicuius numeri ad numerum, & per conſequens inter quadratum vnius, & quadratum alterius eſt proportio ſicut numeri ad numerum; numerus enim quadratus eſt ille, qui conſurgit ex aliquo numero in ſe multiplicato, ſicut 9. eſt numerus quadratus, qui conſurgit ex numero quadrato in ſe multiplicato, patet, quia ter tria faciunt 9. & numerus ternarius dicitur radix numeri quadrati ſcilicet 9. & breuiter omnis numerus poteſt eſſe radix alicuius quadrati, quia in ſe multiplicatus ſemper reddit numerum quadratum, non autem omnis numerus eſt quadratus, quia non habet radicem,vt patet de numero denario.

Quid ſit numerus quadratus.

28. Dico vltrà,quòd nunquam numerus quadratus poteſt eſſe præcisè duplus ad alium numerum quadratum, vt patet in omnibus quadratis, quia non 16. eſt præcisè duplum ad 9.nec 25.nec 36.ad 25. nec 49.ad 36. & ſic de aliis. In propoſito autem quadratum diametri eſt duplum ad quadratum coſtæ: ergo non eſt proportio inter illa duo quadrata, ſicut proportio numeri quadrati ad numerum quadratum; igitur nec linea illa, quæ erat diametri quadrati commenſurabilis erit coſtæ iſtius quadrati,& per conſequens diameter eſt incommenſurabilis coſtæ quadrati. Expono tamen iſtam literam. Cùm dicit,quòd *omnium quantitatum commenſurabilium,proportio eſt adinuicem,ſicut alicuius numeri ad aliquem numerum*, id eſt, quòd ſi aliquæ quantitates ſint commenſurabiles adinuicem ſecundùm aliquam proportionem,puta duplam, vel triplam, vel ſeſquialteram, vel ſeſquitertiam,vel ſecundùm aliquam aliam proportionem,erit talis proportio inter illas quantitates, qualis erit alicuius numeri ad alium numerum;vt ſi inter duas quantitates ſit talis commenſuratio, quòd vna ſe habeat in proportione dupla ad aliam, erit talis proportio qualis erit, puta numeri 8. ad numerum 4. quæ eſt proportio dupla. Sequitur:

Expoſitio litteræ.

Et per conſequens ſicut vult ſeptima,ſi linea aliqua ſint commenſurabiles,quadrata illarum ſe habebunt adinuicem, ſicut vnus numerus quadratus ad aliquem alium quadratum. Exemplum, nam 16. ſe habet in proportione dupla ad 8. & quadratum numeri 16. eſt & 56. & quadratum numeri 8.eſt 64. Sic ſi aliqua linea conſtet ex 16. pũctis,& alia ex 8. quadratum lineæ 16. in tali proportione ſe habet ad quadratum lineæ 8. qualis proportio eſt numeri quadrati reſultantis ex numero 16. in ſe multiplicato ad numerum quadratum reſultantem ex numero 8.in ſe multiplicato. Sequitur: *Igitur nec linea illa,quæ erat diametri quadrati commenſurabilis erit coſta iſtius quadrati*,id eſt quòd diameter,qui eſt linea diametraliter tranſiens ab vno angulo quadrati ad alium angulum, eſt incommenſurabilis coſtæ, id eſt, lineæ laterali, quæ eſt vna pars quadrati, & dicitur ſibi incommenſurabilis,quia in nulla proportione ſe habet ad illam; patet, quia ſi eſſet aliqua proportio diametri ad coſtam, tunc quadratum diametri ad quadratum coſtæ ſe haberet in tali proportione in quali ſe poteſt habere vnum quadratum alicuius numeri ad alium quadratum alterius numeri. Sed nullum quadratum alicuius numeri, nunquam ſe habet in proportione dupla ad quadratum alicuius alterius numeri, vt ſuprà dixi. Cùm ergo quadratum diametri ſe habeat in proportione dupla ad quadratum coſtæ, vt patet, quia quadratum diametri eſt æquale quadratis duarum cõſtarum,vt patet in figura, & ſic patet quomodo diameter eſt incommenſurabilis coſtæ.

29. *Si autem lineæ iſtæ componerentur ex punctis.* Hic Doctor intẽdit probare principale intentum, ſcilicet quòd continuum permanens non ſit compoſitum ex punctis, quia ſi iſtæ lineæ permanentes, puta coſta, & diameter eſſent compoſitæ ex punctis, tunc eſſent adinuicem commenſurabiles, cuius oppoſitum probatum eſt ſuprà. Quòd autem eſſent commenſurabiles, probat quia haberent ſe puncta vnius ad puncta alterius in aliqua proportione numerali; patet, quia puncta in diametro eſſent in certo numero, quia cùm ſit linea finita,partes eius æquales eſſent finitæ,& illæ partes ſunt puncta: igitur illa puncta eſſent in certo numero, modo omnis numerus alteri numero eſt commenſurabilis,quia ſe habet in aliqua proportione,vt patet. Sequitur: *Quæro,aut in punctis immediatis, aut mediatis. Si primò, igitur non plura puncta in diametro ſunt,quàm in coſta.* Patet,quia dato quocunque puncto in coſta,contingit ducere lineam rectam ad punctum oppoſitum in alia coſta,& ſic poſito quòd in coſta eſſent tantùm centũ puncta immediata, & ducerentur ab illis punctis centum lineæ terminantes ad centum puncta alterius coſtæ,illæ lineæ ſecabunt diametrũ, ſi ſecent in centum punctis immediatis:ergo diameter erit æqualis coſtæ. Patet, quia tantùm tot partes habebit tam in numero, quàm in magnitudine, quot & coſta. Sequitur.

Continuum permanens non eſt compoſitum ex punctis.

30. *Si in punctis mediatis*,ſupple ſecet diametrum, *accipio punctum medium inter illa duo puncta mediata diametri,à quo trahatur linea in continuum, & directum, illa cadet extra vtrãque lineam iſtam ex datis,& ab illo puncto duco æquè diſtantem vtrique lineæ datæ ex 31. primi Euclidis. Iſta æquè diſtans ducatur in continuum,& directum*, ſcilicet à coſta in coſtam (*ex ſecunda parte primæ petitionis primi*)*ſecabit coſtam,& in neutro eius puncto dato.* Patet,quia ſi duæ primæ lineæ ducuntur à duobus

punctis coſtæ immediatis, & terminentur ad alia duo puncta immediata alterius coſtæ,& illæ duæ lineæ non ſecent diametrum in duobus punctis immediatis, ſed inter illa duo puncta cadit punctus medius:modò ab illo puncto medio diametri duco lineam æquè diſtantem illis duabus datis, quæ ſecet coſtam;quæro in quo puncto ſecet, ſi aliquo puncto medio:ergo illa duo puncta coſtæ non erunt immediata, quod eſt contra poſitum; ſi verò ſecent, vel terminentur ad aliquem punctum iſtorum duorum, erit terminus duarum linearum,& ſic concurreret cum illa linea,cum qua ponitur æquè diſtans, quod eſt contra definitionem æquè diſtantium,quæ eſt vltima definitio poſita in primo. Nam lineæ æquè diſtantes nõ poſſunt concurrere in eodem puncto,quia tunc conſtituerent Angelum,quod eſt contra definitionem æquè diſtantis,quæ lineæ æquè diſtantes dicuntur parallelæ: igitur inter illa duo puncta,quæ ponebantur immediata in coſta, erit punctus medius, quod eſt contra poſitum. Sequitur: *Sequitur ex hoc, quod dicebatur inter duo puncta diametri eſſe punctum medium,* id eſt, quòd ſequitur inter duo puncta immediata in coſta dari punctum medium, ex hoc quod conceditur inter duo puncta diametri, in quibus duæ lineæ coſtæ ſecant diametrum dari punctum medium. Sequitur: *Igitur ex oppoſito conſequentis, ſequitur oppoſitum antecedentis.* Antecedens eſt hoc:Inter illa duo puncta diametri datur punctus medius, & conſequens eſt hoc: ergo inter illa duo puncta immediata in coſta datur punctus medius. Oppoſitũ huius conſequẽtis eſt hoc; inter illa duo puncta in coſta non datur punctus medius, quod oppoſitum infert oppoſitum antecedentis,ſcilicet quòd inter illa duo puncta diametri, non datur punctus medius:& ſic ſequitur principale intentum, videlicet quòd diameter erit æqualis coſtæ. Sequitur: *Cùm tamen principaliter tractet ibi de irrationalibus.* Linea irrationalis,ſiue ſurda,dicitur illa, quæ eſt ſimpliciter incommenſurabilis alteri lineæ, vt patet ex decimo Euclidis.

Quæ ſit linea irrationalis.

SCHOLIVM.

Oſtendit ratione Geometrica,componi continuum ex minimis,quia circumferentia minor eſſet æqualis maiori,vel daretur minus minimo,vel diameter eſſet æqualis coſtæ,vt patet ex figuris.

EX eodem etiam apparet improbatio alterius antecedentis, de partibus minimis, quia aut illud minimum poſſet præcisè terminare lineam indiuiſibilẽ ſimpliciter: aut poſſet intercipi inter terminos duarum linearum. Si primo modo,minimũ ponitur ſimpliciter punctus indiuiſibilis:& tunc eſt idem ponere iſto modo minimum, & ſimpliciter indiuiſibile pro parte. Si ſecundo modo,ducantur igitur duæ lineæ protractæ à centro ad terminos talis minimi in circumferentia maiore, ita quòd includant præcisè tale minimum in illa circumferentia; tunc quæro, aut includunt aliquod minimum in circumferentia minore:aut præcisè nihil includunt,ſed omnino habent idem indiuiſibile continuans. Si primo modo, igitur erunt tot minima in minori circulo, quot ſunt in maiori: erunt igitur æquales. 14.



Si ſecundo modo, ſequitur quòd circumferentia minor ſecabitur in vno puncto à duabus rectis lineis exeuntibus ab eòdem puncto;quod eſt improbatũ in primo membro,imò ſequitur abſurdius,ſcilicet,quòd lineæ illæ in circũferentia maiori,includant illud minimum:& ducatur à termino vnius ad terminum alterius linea recta ſecũdùm primam petitionem primi,& tunc illa erit baſis trianguli duorum laterum,& per conſequens poterit diuidi in duo æqualia, ex 10. primi: & ita non erat minimum, quod datum eſt eſſe minimum,imò vlteriùs ducatur aliqua linea æquè diſtans illi baſi trianguli,illa erit minor illa baſe,ex 21. primi:& ita erit aliquid minus minimo:ſimiliter iſta poſitio ſiue vno modo,ſiue alio modo(ſi tamen intelligatur tale quid, quod non habet partem & partem in toto) concludit commenſurabilitatem diametri ad coſtam, imò æqualitatem, ſicut deductum eſt priùs contra primam opinionem.

Supra n.12. quia ſic pars eſſet æqualis toti.

1. *Continuum non componitur ex partibus minimis.*

EX eodem etiam apparet improbatio alterius antecedentis de partibus minimis. In principio quæſtionis in ſecundo argumento ponitur duplex antecedens. Primum, quòd omne cõtinuum componitur ex indiuiſibilibus. Secundum, quòd omne continuum componitur ex minimis. Vide ibi. Dicit Doctor hîc, quòd eſt impoſſibile continuum componi ex partibus minimis : & probat hoc ex eodem medio, quo probauit continuum non poſſe componi ex punctis. Dicit ergo ſic: Aut illud minimum poſſet præcisè terminare lineam indiuiſibilem ſimpliciter, aut poſſet intercipi inter terminos duarum linearum. *Si primo modo, tunc minimum ponitur ſimpliciter punctus indiuiſibilis*, & tunc eſt idem ponere iſto modo minimum, & ſimpliciter indiuiſibile pro parte, & ſic pars lineæ, & punctus idem erunt, & ſic erit idem dicere continuum componi ex minimis, ſicut ex punctis. Sequitur : *Si ſecundo modo*, videlicet, quòd tale minimum ſit aliquid interceptum inter terminos duarum linearum : ſi ſic, ergo duæ lineæ protractæ à centro, puta A, ad terminos talis minimi in circumferentia maiore, & dicantur illi termini B, C, ita quòd includunt præcisè tale minimum in illa circumferentia. Tunc quæro, aut illæ lineæ includunt aliquod minimum in circumferentia minore, aut præcisè nihil includunt, ſed omnino habent idem indiuiſibile continuans ipſas lineas. Si primo modo, igitur erunt tot minima in minori circulo, quot ſunt in maiori: ergo circulus minor erit æqualis circulo maiori. *Si ſecundo modo, ſequitur quòd circumferentia minor ſecabitur in vno puncto à duabus rectis lineis exeuntibus ab eodem puncto, quod eſt improbatum in primo membro*, quia ſicut argutum eſt ibi, pars eſſet æqualis toti, formando ibi angulos, ſicut in primo membro.

2. *Ocham quolib. 1. q. 9.*

Guliel. Ocham in quolib. 1. qu. 9. recitat ſub breuitate rationes Doctoris Mathematicas, præſertim illas, quæ videntur procedere ex eodem medio, quo procedit ſecunda ratio, & reſpondet ſecundùm aliquos, quas reſponſiones nititur infringere, & ſic ſaluare rationes Doctoris. Et reſpondetur ſic ad ſecundam rationem, quòd ſi linea protracta à coſta tangeret diametrum directè, tunc ſolùm tangeret vnum punctum in diametro, & alia linea alium punctum, & concluderet argumentum. Sed quia diameter longior eſt, quàm coſta, ideò quælibet linea protracta à coſta in coſtam tanget diametrum obliquè, & ideò ad minus tangit duo puncta diametri, & ſic non concludit ratio, quòd ſint tot puncta in coſta, quot in diametro, & ponitur exemplum, quia ſi vna virga cadat ſuper aliam obliquè, plus tangit de ea, quàm ſi caderet ſuper eam in directum per modum crucis, ſicut apparet ad ſenſum, & ſic eſt in propoſito.

Contrà: Si propter hoc linea protracta à coſta in coſtam per diametrum, tangit duo puncta diametri obliquè, quia diameter eſt longior coſta: ergo retenta ſuper eandem longitudinem duarum coſtarum, ſi fiat diameter multò longior, poterit tunc numerus punctorum augeri, ſicut augetur longitudo diametri, quòd linea protracta à coſta in coſtam tangeret obliquè duo puncta diametri longioris, & ſecunda linea tria puncta, & tertia linea quatuor puncta, & in fine aliquis punctus illius lineæ protractæ per diametrum, tangit diametrum ſecundùm longitudinem vnius pedis, vel domus, vel leucæ, ex quo ſequitur primò, quòd illa linea protracta à coſta in diametrum, non erit recta, quia punctus vnius lineæ tangentis diametrum mouetur ſuperiùs, & inferiùs, quia ex quo ille punctus per te tanget multa puncta diametri obliquè, & aliqua de illis ſunt ſuperiùs, aliqua inferiùs, ergo punctus iſte tangens iſta, mouetur ſuperiùs, & inferiùs.

3. *Pulchrum exemplum de virga.*

Secundò ſequitur, quòd punctus lineæ tangentis diametrum, erit ſimul naturaliter in diuerſis locis, vel ſitibus: quia ex quo tangit ſex puncta diametri, tunc erit naturaliter ſimul, & ſemel in ſex ſitibus cum illis punctis, quod eſt impoſſibile. Exemplum de virga, vel de quocunque alio corpore tangente directè, vel obliquè aliquod corpus, non eſt ad propoſitum, quia quando virga, vel aliud corpus cadit ſuper aliud obliquè, tũc multæ partes virgæ cadentis tangunt multas partes alterius virgæ, quas priùs non tangebant, & ſunt aliæ partes cadentis, & tangentis, quãdo tangunt obliquè, quàm quando tangunt rectè, ſicut manifeſtè patet ad ſenſum; & ideò non eſt mirum, ſi plures partes tangant, quando virga cadit obliquè, quàm quando cadit rectè. Nunc autem in propoſito sẽper eſt idem punctus lineæ tangentis diametrum directè, & obliquè, ideò non eſt ad propoſitum.

4. Item, arguo ad principale, quòd tunc eſſent æqualia puncta in minori circulo, & in maiori, quia à quolibet puncto maioris circuli per circulum minorem ad centrum commune vtriuſque circuli, poteſt trahi linea recta, imò ex linea recta poſita hypotheſi, qua tamen lineæ non coincidunt circa centrum. Aut ergo duæ lineæ protractæ, à duobus punctis immediatis circuli maioris tranſibunt per duo puncta circuli minoris, vel per vnũ tantùm. Si primo modo, habetur propoſitum, quòd tot ſunt pũcta in minori circulo, quot ſunt in maiori. Si ſecundo modo; contrà: Illæ lineæ ſunt rectæ, & æquè diſtantes, ſimiliter ſi illæ duæ lineæ coincidunt in eundem punctum circuli minoris, tunc ille punctus minoris circuli, in quo coincidunt coëxiſtet duobus punctis immediatis duarum linearum immediatarum, & eadem ratione poteſt coëxiſtere tribus punctis trium linearum tertij circuli maioris, & ſic poteſt coëxiſtere mille punctis alicuius circuli magni in tali proportione excedẽtis illum paruum circulum, & tunc ſequitur neceſſariò, quòd ille punctus ſic coëxiſtens centum aliis punctis, ſit longus ſine pluralitate punctorum, vel linea circumferentialis ſibi correſpondens. Si dicas, quòd idem argumentum eſt de lineis corporalibus tranſeuntibus à maiori circulo ad centrum per minorem circulum, quia ille ſemper magis, & magis approximantur. Aut ergo illæ lineæ corporales tranſibunt per aliam, & aliam partem circuli minoris, & ſic erunt æquales partes in vtroque circulo, aut per eandem, & tunc illa pars per maioritatem circulorum correſponderet mille partibus, & eſſet in mille ſitibus.

5 Reſpondeo, quòd non ſequitur propter diuerſitatem illarum linearum, & circulorum in infinitum, quia non eſt aliqua pars in maiori, quin ſibi correſpondeat aliqua pars in minori circulo, licèt multò minor correſpondeat. Patet hoc ad ſenſum, ſi fiant circuli : & ideò non ſequitur,

quòd ſint æquales partes eiuſdem quantitatis, ſed ſi componatur ex punctis, tunc duobus punctis immediatis in maiori circulo, aut correſpondent duo puncta immediata in minori, quia minus non poteſt correſpondere in paruo circulo, quia quilibet punctus eſt indiuiſibilis, aut idem punctus correſponderet vtrique. Si primo modo æqualia erunt puncta vtriuſque circuli. Si ſecundo modo, tunc erit idem punctus in diuerſis ſitibus, ſicut dictum eſt.

Imò ſequitur abſurdius. Hîc Doctor deducit ad maius inconueniens, videlicet quòd ſi illæ lineæ in circumferentia maiore includit illud minimum, quod non eſt præcisè terminans vnam lineam, ſi ducatur à termino vnius lineæ ad terminum alterius lineæ, vna linea recta ſecundùm primam petitionem Euclidis, erit baſis trianguli duorum laterum, qui videlicet triangulus conſtituetur ex linea D,B,& D,A, inter quæ B, C, intercipitur minimum, & tunc linea ducta à B, ad C, erit baſis illius trianguli, & tunc illa linea, qua eſt baſis, poterit diuidi in duo æqualia ſecundùm decimam primi: igitur illud interceptum non fuit minimum, quod tamen datum eſt eſſe minimum: imò ſequitur, quòd ſi ducatur aliqua alia linea æquè diſtans à baſi trianguli, in triangulo tamen, illa erit minor illa baſi ex 21. primi. & & ita erit minus minimo. Ibi ſequitur, *Similiter iſta poſitio ſi vno modo, ſiue alio modo,* id eſt, ſiue teneat continuum componi ex diuiſibilibus, ſiue teneat continuum componi ex minimis, *ſi tamen minimum intelligatur aliquid, quod non habeat partem, & partem in toto, concludit etiam commenſurabilitatem diametri ad coſtam, imò concludit æqualitatem*; ſicut ponendo indiuiſibilia conſtituere continuè.

SCHOLIVM.

Refutat aſſerents dari minimum ſecundùm formam, non ſecundùm materiam, ſeu minimum naturale, non Mathematicum: ſecundùm varios ſenſus quos id habere poteſt, tam authoritate, quàm ratione.

Ægid. quodl. 4. q. 6. & quodl. 6. q. 17.

AD iſta argumenta [a] reſpondetur, quòd non concludunt contra minimum ſecundùm formam: & ita ponitur minimum ſecundùm formam, non autem ſecundùm materiam: & habetur iſta diſtinctio à Philoſopho, primo de Gener. cap. de augmentatione, vbi vult quòd pars ſecundùm ſpeciem quælibet augeatur, & non ſecundùm materiam. 15.

Vide Var. hîc. t. c. 35.

Iſtud dictum [b] tripliciter intelligi poteſt. vel quòd pars ſecundùm ſpeciem dicatur pars ſecundùm formam; pars autem ſecundùm materiam dicatur pars quanti, inquantùm quanta eſt: quia quantitas conſequitur materiam; & tunc redit in quoddam antiquum dictum, ſcilicet quòd quanta ſecundùm quòd quanta, ſunt diuiſibilia in infinitum, non autem ſecundùm quòd naturalia.

Vide com. 2. Phyſic. c. 72. ad finem.

Vel poteſt [c] intelligi pars ſecundùm ſpeciem, quæ poteſt per ſe eſſe in actu, & pars ſecundùm materiam dicatur pars ſecundùm potentiam, videlicet pars vt exiſtit in toto; & tunc redit in idem cum alio dicto antiquo, quod eſt dare minimum, quod poteſt per ſe exiſtere: non autem eſt minimum in toto, quo non eſt minus exiſtens in eo, in potentia.

Aut poteſt intelligi tertio [d] modo, diſcordando ab iſtis duobus dictis antiquis, quòd ſit in aliquo, vt minima pars formæ, ſiue totius inquantùm habet formam: & non minima pars aliqua materiæ, aut totius ſecundùm materiam; & tunc videtur manifeſtè falſum, quia nulla pars materiæ in toto eſt ſine forma in actu, nec etiam ſine forma eiuſdem rationis in totis homogeneis: imò ibi ſicut totum diuiditur in partes homogeneas, ita materia per accidens, & forma per accidens diuiditur in partes ſuas homogeneas: & eo modo, quo eſt minimum totius, eſt minimum vtriuſque partis, & è conuerſo.

Non dari minimum quod ſic in non viuentibus.

Vide c. 60. 68. & 69. 3. Phyſ. ad propoſitũ.

Omittendo igitur iſtum tertium intellectum, illos alios duos intellectus excludendo, oſtendo quòd non impediunt probationes præcedentes. 16.

Primò [e] quidem hîc arguo contra primam viam, auctoritate Commentatoris, ſuper 3. Phyſic. ſuper illud *& videmus Plat.* Comment. 61. quære eum ibi.

Secundò Ariſtot. [f] de Senſu & Sen. in dubitatione illa prima, vbi allegatur in oppoſitum: ibi enim licèt dubitationem illam obſcurè ſoluat; hoc tamen certum dicit, quòd qualitates ſenſibiles ſunt determinatæ ſecundùm ſpecies: quod probat, quia vbi extrema ſunt poſita, neceſſe eſt media eſſe finita: in omni autem genere qualitatum ſenſibilium extrema ſunt poſita; quia contraria: ſed de quacunque vna qualitate ſingulari, vtrùm ipſa habeat terminabilitatem in ſe, videtur dicere, quòd non: quia exiſtunt cum continuitate, ideò habent aliud in actu, aliud in potentia, ſicut continuum: hoc eſt, ſicut continuum vnum eſt per ſe in actu, & plura in potentia, in quæ per ſe eſt diuibile: ita qualitas ſenſibilis, vt exiſtens in continuo, eſt vna in actu & plures in potentia, licèt per accidens: & tunc reducta

Ait com. lineam naturalẽ eſſe diuiſibilem in infinitũ. Qualitas ſenſibilis ſecundùm Phil. non habet minimum.

potentia

potentialitate quanti per ſe ad actum, reducitur etiam potentialitas paſſionis per accidens ad actum, ita quòd nunquam quantitas per diuiſionem diuiditur in quanta Mathematica: quia ſicut ipſe arguebat ad quæſtionem, quòd naturale non componitur ex partibus Mathematicis, ſed naturalibus: ita etiam in tales partes diuiditur. Qualiter autem non faciat ad propoſitum, patebit reſpondendo.

ſ. Philoſophus pro parte affirmatiua.

17. Iſtud etiam,[g] ad quod adductæ ſunt auctoritates Commentatoris & Ariſtotelis probatur per rationes, quia quando aliqua paſſio conuenit alicui præcisè ſecundùm aliquam rationem: cuicunque conuenit æqualiter ſecundùm illam rationem, eidem conuenit ſimpliciter æqualiter: ſicut *videre* natum eſt præcisè competere animali ſecundùm oculos, & non ſecundùm manus, cuicunque æqualiter conuenit ſecundùm oculos, ei ſimpliciter æqualiter conuenit, licèt non conueniat ei ſecundùm manus: ſed diuidi in partes integrales eiuſdem rationis extenſas, nulli conuenit niſi per quantitatem formaliter, nec maximo naturali magis quàm minimo: igitur cùm minimo conueniat ſecundùm iſtam rationem: ita ſimpliciter conuenit minimo, ſicut maximo.

Diuidi nõ magis conuenit maximo quã minimo.

Quòd ſi dicatur,[h] quòd forma minimi prohibet iſtud quod competeret ex quantitate, quantùm eſt ex parte quantitatis. Contrà, ſi per ſe conſequentia aliqua ſunt incompoſſibilia, & illa ad quæ conſequuntur illa, ſunt incompoſsibilia: & multò magis ſi illa, quæ ſunt de eſſentiali ratione aliquorum, ſunt incompoſſibilia, & ipſa erunt: ſed diuiſibilitas in tales partes, vel eſſentialiter conſequitur quantitatem, vel eſt de per ſe ratione eius, ſicut Philoſophus aſsignat rationem eius talem, 5. *Metaph.* igitur cuicunque formæ ponitur iſtud incompoſsibile, ei eſt quantitas incompoſsibilis: & ita ſimpliciter non erit illud diuiſibile inquantùm quantum: quia ſimpliciter non eſt quantum.

Si conſequentia ſunt in compoſſibilia, & illa ad quæ cõſequuntur. Tex. 18.

Hoc etiam probatur,[i] quia non eſt intelligibile aliquid eſſe quantum, quin ſit ex partibus: nec quòd ſit ex partibus, quin pars ſit minor toto: & ita non eſt intelligibile quòd aliquid ſit quantum indiuiſibile, ita quòd non ſit aliquid in eo minus, eo inexiſtens nec etiam poteſt poni aliqua caro ſimpliciter indiuiſibilis in tota carne; quia ſicut punctus ſeparatus non faceret quantum ſeparatum, ita nec caro punctualis, ſi eſſet cum alia, faceret aliquid maius, nec continuum, nec contiguum. Vnde ita probant rationes Philoſophi, 6. Phyſic indiuiſibilitatem partis alicuius rei naturalis, ſicut alicuius partis quanti inquantùm quantum.

18. Dico igitur, quòd iſta reſponſio de naturali, ſecundùm quòd quantum, & ſecundùm quòd naturale, ſi poteſt habere aliquam veritatem, debet intelligi affirmando, & negando rationem formalem diuiſibilitatis: ita quòd illa reſponſio, quæ dicit, quòd diuiditur inquantùm quantum, dicit quòd diuiditur per rationem quantitatis, tanquam per rationem formalem diuiſionis: & illa quæ dicit, quòd non diuiditur inquantùm naturale, negat naturalitatem eſſe rationem formalem huius diuiſionis, ſicut ſi diceretur, quòd animal inquantùm habet oculos videt, non inquantùm habet manus.

Naturale ſemper diuiſibile, ſed non quà tale, ſed qua quantum.

Iſte intellectus verus eſt: ſed ex hoc non ſequitur, quòd ſimpliciter ei non conueniat, quod conuenit ei ſecundùm quantitatem: non enim per naturalitatem concurrentẽ impeditur illud, quod conuenit naturaliter quantitati: ſicut nec per manus concurrentes in animali tollitur illud, quod conuenit ei ſimpliciter ſecundùm oculos: ita igitur abſolutè eſt omne naturale diuiſibile in ſemper diuiſibilia in infinitum. Sicut ſi illa quantitas, quæ eſt cum forma naturali, eſſet per ſe ſine omni forma naturali: & ita omnes rationes, quæ procedunt de quantitate abſolutè ſecundùm rationem quantitatis, concludunt de ea: vt eſt in naturalibus, quia diuiſibilitas eſt paſsio naturalis eius, & ex conſequenti dicitur de naturali, cuius eſt hæc paſsio.

COMMENTARIVS.

Quid ſit diſtinctio minimi ſecundùm formã, & materiã.

1. AD *iſta argumenta*. Hìc Doc. recitat opinionem Ægidij quolib. 4. *q.* 6. *& quolib.* 6. *quæſt.* 17. qui dicit, quòd iſta argumenta Doctoris Mathematica non concludunt contra minimum ſecundùm formam. Et vult, quòd continuum naturale ſit compoſitum ex minimis ſecundùm formam, vt patebit inferiùs, non autem ſecundùm materiam, & habetur iſta diſtinctio, ſcilicet minimi ſecundùm formam, & ſecundùm materiam à Philoſopho *primo de Geñr. cap. de augmentatione, text. com.* 35. vbi vult, quòd pars ſecundùm ſpeciem quælibet augeatur, & non ſecundùm materiam.

b *Iſtud dictum tripliciter intelligi poteſt.* Hìc Doctor primò exponit, quomodo pars poſſit intelligi ſecundùm formam, vel ſecundùm materiam. Et ſecundò improbat reſponſionem Ægidij. Dicit ergo ſic. Primò, quòd *pars ſecundum ſpeciem dicatur pars ſecundùm formam; pars autem ſecundùm materiam dicatur pars quanti*

inquantum quanta eſt, & hæc *quia quantitas conſequitur materiam*, & quia formam conſequuntur qualitates naturales: ideò pars ſecundùm ſpeciem, vel ſecundùm formam, ſit pars ſecundùm naturam. Et vult dicere, quòd continuum poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo inquantum eſt quoddam quantum, & ſic diuiſibile in partes quãtitatiuas. Alio modo inquantum naturale, vt puta inquantum illud quantum eſt calidum, vel frigidum, & huiuſmodi: & ſic ſit diuiſibile in partes calidas, vel frigidas. Addit, quòd tunc redit in quoddam antiquum dictum, ſcilicet quòd quanta, ſecundùm quòd quanta, ſunt diuiſibilia in infinitum, non autem quanta, ſecundùm quod naturalia, quia vt ſic, non ſunt diuiſibilia in infinitum: puta, quòd quantum calidum non ſit diuiſibile in infinitum in partes infinitas calidas, ita quòd ſit dabilis aliqua minima pars calida, quæ ſi amplius diuideretur, iam non eſſet calida. Doctor autem inferiùs probabit quòd etiam quantum naturale ſit diuiſibile in infinitas partes. Sequitur.

Continuum poteſt dupliciter conſiderari.

An quantum naturale ſit diuiſibile in infinitas partes.

38. c *Vel poteſt intelligi pars ſecundùm ſpeciem, quæ poteſt per ſe eſſe in actu, & pars ſecundùm materiam dicatur pars ſecundùm potentiam, videlicet pars, vt exiſtit in toto.* Vult dicere, quòd pars alicuius quanti, ſi poteſt per ſe actu exiſtere, & ſeparata à toto, dicitur pars ſecundùm ſpeciem, ſiue ſecundùm formam: vt verò tantùm inexiſtit toti, & nullo modo poſſit per ſe exiſtere ſeparata à toto, dicitur pars ſecundùm materiam, accipiendo *ſecundùm materiam*, vt eſt ſecundùm potentiam. Sequitur: *Et tunc redit in idem cum alio dicto antiquo*, &c. Vult dicere ſecũdùm iſtam opinionem, quòd licèt poſſit dari minimum actu exiſtens, non tamen poteſt dari minimum in potentia, quia quocunque dato in toto, adhuc minus poteſt dari in potentia. Patet ſecundùm ipſum Ægidiũ, qui vult vbi ſuprà, quòd poteſt dari minimum ſecundùm formam, ita quòd ſi amplius diuideretur, non haberet formam naturalem: non autem poteſt dari minimum ſecundùm materiam, quia quocunque dato adhuc minus poteſt dari.

39. d Sequitur, *aut poteſt intelligi tertio modo*, &c. Dicit ergo Doctor quòd ſi detur aliquod totũ, puta aqua, vel ignis, & dicatur, quòd poſſet dari minima pars formæ ipſius ignis (& loquitur hîc de forma partis) non autem poſſit dari minima pars materiæ, ſed data quacunque, adhuc minor poteſt dari, quòd hoc eſt manifeſtè falſum: tum, quia non poteſt dari aliqua pars materiæ ſine forma; tum, quia in homogeneis eo modo, quo eſt minimum totius, eſt minimum vtriuſque partis, & è contra; patet, quia ſi poteſt dari minima pars aquæ, datur minima pars materiæ exiſtens ſub minima parte formæ aquæ, & ſi non poteſt dari minima pars aquæ, ita quòd quacunque data adhuc minor poteſt dari; ſimiliter nec poteſt dari minima pars materiæ, nec minima pars formæ: & tota ratio ſtat in hoc, quia non poteſt dari aliqua pars, ſupple integralis ipſius aquæ, quin ſemper ſit compoſita ex materia, & forma, & per conſequens non poteſt dari aliqua pars formæ, quæ actu non ſit in materia, nec aliqua pars materiæ, quin actu ſit ſub forma: & hoc eſt quod dicit.

40. e *Primò quidem arguo contra primam viam auctoritate* Com. 3. Phyſic. com. 60. ibi: *& videmus Platonem*, propter hoc non ponere infinitum duo, quia exiſtimabat, quòd res poteſt pertranſire ſecundùm augmentũ, & procedere in infinitum ſecundùm diminutionem; ſed poſuit illa duo, & non vtitur eis: in numeris enim non eſt in infinitum, neque ſecundùm diminutionem, cùm vnitas ſit minima, neque ſecundùm augmentum; numerus enim peruenit ad decem. Dicit ibi Commentator quòd cùm Ariſtoteles declarauit, ſcilicet *in tex. 60.* quòd infinitum inuenitur in diminutione ſimpliciter, in additione non ſimpliciter, &c. vide tex 60. cum commento. Hîc ergo Doctor contra primam viam arguit, quæ dicit, quòd licèt detur minimum ſecundùm formam, non tamen inquantùm quantum, ideſt, quòd licèt detur minima caliditas, non tamen minima quantitas, quæ ſubiicitur caliditati, & ſic in calido huiuſmodi datur minimum calidum, ſed non datur minimum inquantùm quantum. Hîc verò Doctor intendit, quòd etiam non detur minimum ſecundùm formam, & ſi datur minimum ſecundùm formam, datur etiam ſecundùm quantitatem, & primò probat per Commentatorẽ, qui vult contra Platonem, quòd non ſit procedere in infinitum in magnitudine, ita quòd quacunque magnitudine data, non ſit dabilis maior in infinitum, ſed benè in diuidendo eſt proceſſus in infinitum, & patet *com.* 60 & patet quòd in tali commento non tantùm loquitur de quanto Mathematico, ſed etiam de quanto naturali.

Opinio Doctoris.

41. f *Secundò Ariſtoteles*, &c. In iſta litera multa dicit. Primò quòd qualitates ſenſibiles ſunt determinatæ ſecundùm ſpecies, ideſt, quòd non poſſũt eſſe infinitæ ſpecies. Patet, quia infinita nõ habẽt extrema, ſi enim linea eſſet actu infinita, nõ haberet extrema terminãtia, quia tũc eſſet actu terminata, & non terminata; qualitates autem ſenſibiles habent extrema actu, quia albedo, & nigredo ſunt extrema inter omnes colores: & vult ipſe Ariſtoteles quòd omni genere qualitatum ſenſibilium extrema ſunt poſita, quia contraria, & per conſequens ſpecies ſenſibiles in tali genere ſunt finitæ. Secundò dicit ibi, *ſed de quacunque vna qualitate ſingulari*, &c. Dicit Ariſtoteles quòd qualitas ſenſibilis ſingularis, puta hæc caliditas, ex ſe non habet terminabilitatem, ita quòd non poſſumus dicere quòd ſit tanta caliditas in actu, vel tanta, quia hoc habet à quantitate, in qua eſt; ſicut ergo talis quãtitas eſt diuiſibilis in infinitũ, ita etiam qualitas fundata in ipſa erit diuiſibilis in infinitum, ſaltem per accidens, quia ad diuiſionem quantitatis: ergo falſum eſt dicere, quòd calidum ſecundùm formam habet minimum, & ſecũdùm materiam, ſiuè ſecundùm quantitatẽ, nõ.

f *Iſtud etiam ad quod adductæ ſunt auctoritates.* Hæc ratio prima eſt ſingularis, quæ conſiſtit in hoc: Si *A* eſt ratio formalis, quare *B* inſit alicui ſubiecto, vbicunque ergo eſt *A*, ibi & *B*, ſicut rationale eſt ratio formalis, quare inuiſibilitas inſit homini: ergo vbi eſt rationale, ibi eſt riſibilitas; ſed quantitas eſt ratio diuiſibilitatis: ergo vbicunque reperitur quantitas, illud eſt diuiſibile, vel per ſe, vel per accidens; per ſe, vt quantitas; per accidens quod fundatur in quantitate extenſibiliter, & ſubiectum quantitatis. Sicut ergo in maximo naturali eſt diuiſibilitas in plura, ratione quantitatis inexiſtentis, ita in quocunque paruo naturali eſt diuiſibilitas, cùm in tali ſemper ſit quantitas, nam ſi ſubiectum eſt diuiſibile, & fundamentum in illo erit diuiſibile, quod intelligatur de fundato ad extenſionem ſubiecti, vel ſecundùm extenſionem ipſius.

Quantitas eſt ratio diuiſibilitatis.

h *Quòd ſi dicatur quòd forma minimi.* Vult dicere,quòd fortè aliquis diceret,quòd quantitas ſub minimo naturali, ideò eſt indiuiſibilis, quia illud minimum naturale, vt eſt ibi,prohibet huiuſmodi diuiſionem;& ſi quantitas illa poſſet eſſe ſine tali minimo naturali,eſſet diuiſibilis.

43. *Contrà.* Hìc probat Doctor quòd tale minimum ſi poſſet dari, non prohiberet huiuſmodi diuiſibilitatem quantitatis: nam cùm quantitas ex ſua ratione formali ſit diuiſibilis,ſiue ſeparata; ſiue coniuncta,ſemper erit diuiſibilis, cùm fortè diuiſibilitas ſit ratio formalis quantitatis.Expono tamen aliqualiter hanc literam cum dicit, *ſi per ſe conſequentia aliqua ſunt incompoſſibilia, & illa ad quæ conſequuntur illa ſunt incompoſſibilia.* Antecedens eſt hoc,quantum minimum, conſequẽs eſt hoc, ergo quantum minimum eſt diuiſibile: nam ſi iſta repugnant,ſcilicet quòd quantum minimum ſit diuiſibile, etiam antecedens repugnat, ſcilicet quantum minimum.Patet,quia quantum, vt huiuſmodi,eſt diuiſibile, & minimum, vt huiuſmodi,eſt indiuiſibile,& ſic dicere *A*,eſt quantum minimum,eſt dicere *A* eſt diuiſibile,& indiuiſibile.Sequitur:*Et multo magis ſi illa, quæ ſunt de eſſentiali ratione aliquorum, ſunt incompoſſibilia,& ipſa erunt* ſimiliter incompoſſibilia; patet, quia ſicut rationale, & irrationale ſunt incompoſſibilia,ita ſpecies conſtitutæ erunt incompoſſibiles.Sequitur: *Sed diuiſibilitas in tales partes,* ſcilicet integrales eiuſdem rationis, *vel eſſentialiter conſequitur quantitatem, vel eſt de per ſe ratione quantitatis, ſicut Philoſophus aſſignat rationem eius talem, 5. Metaph. tex.* com.18. Sequitur *igitur cuicunque formæ ponitur iſtud incompoſſibile,ei eſt quantitas incompoſſibilis,& ita ſimpliciter non erit illud diuiſibile inquantùm quantum, quia ſimpliciter non eſt quantum,* ideſt,quòd cuicunque formæ ponatur minimum, quod eſt incompoſſibile diuiſibilitatis, ſtatim ponitur illud non eſſe quantum, cùm quantum ſemper ſit diuiſibile.

Expoſitio literæ.

44. *Hoc etiam probatur, quia non eſt intelligibile aliquid eſſe quantum, quin ſit ex partibus.* Quod dicit ibi, quòd caro punctualis cum alia non faceret aliquid maius, nec continuum,nec continguum,quòd non faciat maius,patet,primo de gener.tex.com.8. *Diuiſio,* inquit, *in duo, vel plura,* ſcilicet puncta, *neque maius, neque minus priore, quapropter, & ſi omnes* ſupple quantitates *componantur,* ſcilicet ex punctis, *nullam facient magnitudinem.* Et Commentator ibi: *Monſtratur,* inquit, *quòd puncta neque augent,neque minuunt magnitudinem, hoc quod cùm nos diuidimus magnitudinem in duobus punctis, aut tribus, deinde componimus eam, tunc magnitudo neque fiet maior,neque minor,& cùm nihil faciunt in paruitute, aut in mngnitudine, neceſſe eſt vt non faciant magnitudinem,* Hæc ille. Et quòd non faciat continuum,patet, quia *continua ſunt* (ſecundùm Philoſophum 5 Phyſi.) *quorum vltima ſunt vnum,* vnde text.26.ſic ait: *Dico,* inquit, *eſſe continuum cùm idẽ fiat, & vnus vtriuſque terminus eorum, quæ tanguntur, & ſic ſignificat rationem continui, hoc autem eſſe non poteſt,cùm duo ſint vltima,* ibi Commentator. *Continua autem ſunt ſeſe, ideſt, quorum vltima adunantur apud contactum,& fiunt vnum ſecundùm quod ſignificat hoc nomen, ideſt,in rebus naturalibus,& artificialibus, in naturalibus verò dicimus quòd continua ſunt illa, quorum vltima ſunt vnum naturaliter,vt in membris continuis, & in artificialibus quando vltima eorum fiunt vnum per artificium. In mathematicis verò dicimus continua,quando vltimum vnius imaginatur eſſe commune eis,vt punctus,qui eſt commune eis, & linea duabus ſuperfioiebus,& iſta continuatio non eſt naturalis,* hæc ille.

Quæ ſint continua in naturalibus.

Ex hoc apparet, quòd caro punctualis, cum alia carne punctuali non faciet aliquod continuum,quia oportet aſſignare vltima eſſe vnum,& hoc per continuationem alicuius medij, quod ſit principium vnius, & finis alterius. Nec faceret contiguum, quia *contigua ſunt illa, quorum vltima ſunt ſimul,& ſe tangunt,* ita tamen quòd vltima eorum non ſint vnum, ſicut eſt in continuis. Vnde Philoſophus *5. Phyſic. tex. com.22. Dico,* inquit, *contigua, dum extrema ſunt in ſimul.* Ibi Commentator *Contigua ſunt corpora,quorum vltima ſunt,ſcilicet ſuperficies inſimul,ita quòd inter illas non eſt corpus extraneum,& hæc eſt contiguatio naturalis: contiguatio verò Mathematica eſt in magnitudinibus, quorum vltima ſupponuntur. Si igitur fuerint corpora,ſuperponuntur ſuperficies eorum contiguæ,ſi ſuperficies ſuperponentur lineæ, & ſi lineæ ſuperponentur puncta, ſi dicimus quòd punctus ſuperponitur puncto.Sed hìc nõ intẽdit Mathematicã,quoniã in Mathematicis duo vltima reuertũtur in vnũ,& ſic aſſimilãtur cõtinuo.In natura verò duo vltima remanẽt duo demõſtrata,* hæc ille. 45.

SCHOLIVM.

Refutat alium modum, quo dicitur dari minimum per ſe exiſtens, non tamen minimum in in toto, quo non eſt dabile minus, quia partes homogeneæ ſunt eiuſdem rationis cum toto, & ſic diuiſibiles vt illud. Oſtendit etiam non dari minimum in motu; quia in locali datur ſucceſſio ex ratione quanti, & ſic non tenet prima ſolutio de minimo ſecundùm formam. Vide Scot. 6. Phyſi.quæſt.10.

SEcunda a reſponſio non videtur excludere rationes prædictas,quin totum non eſſet compoſitum ex indiuiſibilidus, vel ex minimis partibus in toto:tamen videtur poſſe poni minimum in motu,pro eo, quòd pars motus per ſe eſt antequam ſit aliquid vlteriùs totius:& illa pars formæ ſecundùm quam eſt motus,præcedit omnes alias partes illius formæ, non tantùm natura,ſed etiam duratione: & ita tunc videtur eſſe per ſe, & non in toto:ſi igitur ſit minimum in naturalibus, quod poſſit per ſe eſſe, videtur eſſe minima pars formæ,quæ poteſt induci per motum:& ita minimus motus. 1.

b Sed contra illam reſponſionem arguo, quia ſicut eſſentiale eſt quanto poſſe di-

uidi

uidi in partes,ita eſt ei eſſentiale,quòd ſingulum eorum, in quæ diuiditur, poſſit eſſe hoc aliquid:igitur nulli eorum repugnat per ſe eſſe.

c Confirmatur ratio,& iſta conſequentia:tum quia partes illæ ſunt eiuſdem rationis quantùm ad formam,& materiam:cum toto igitur poſſunt habere per ſe exiſtentiam:ſicut & totum poteſt. Tum,quia ſi eſſent per ſe,eſſent indiuidua eiuſdem ſpeciei, cuius totum eſt indiuiduum. Abſurdum autem videtur, quòd aliquid habeat in ſe naturam illam,vnde ſit indiuiduum,vel poſſet eſſe indiuiduum alicuius ſpeciei:ita quòd ſimpliciter non repugnat ſibi poſſe eſſe indiuiduum illius, & ſi repugnet poſſe eſſe ſimpliciter:& hoc ſaltem de illis, quæ non ſunt accidentia, loquimur enim modo de ſubſtantiis homogeneis,quæ non inhærent eſſentialiter. Tum etiam, quia partes ſunt naturaliter priores toto:igitur non repugnat eis contradictoriè poſſe eſſe priores duratione ipſo toto:ſicut quia repugnat ipſi toti eſſe priùs natura hoc modo,ideò ſibi repugnat contradictoriè ex parte ſui eſſe priùs duratione.

Loquitur de toto homogeneo.

De quo ſupra q.4.

Videtur ergo, quoad hoc dicendum,quòd ſicut forma naturalis non tollit à toto naturali,quin ita ſit totum ſemper diuiſibile per quantitatem : ſicut eſſet, ſi ſola eſſet ita; etiam non tollit quin quodlibet diuiſum poſſet per ſe eſſe,quantùm ex ſe eſt,& ex parte ſui,ſicut poſſet quælibet pars quantitatiua in quam diuideretur quantum.

Id eſt in corrũpens.

Et ſi dicas,[d] quòd ſtatim conuerteretur in continens.Iſta reſponſio non videtur eſſe ad intellectum quæſtionis, quærimus enim minimum potens per ſe eſſe ex ratione intrinſeca, hoc eſt, cui per aliquod intrinſecum repugnat contradictoriè minùs eo per ſe eſſe:nulla autem ratio huius impoſſibilitatis intrinſeca aſſignatur, ſi totum corrumpatur, circumſcribamus enim omne continens, & omne corruptiuum, & quòd aqua ſola ſit in vniuerſo, quæcunque aqua data diuidatur, quia hoc eſt poſſibile, vt probatum eſt contra primam reſponſionem : iſta, in quæ fit diuiſio non erunt nihila, quia hoc eſt contra rationem diuiſionis:nec erunt non aqua ex ſola ratione diuiſionis: quia tunc aqua componeretur ex non aquis. Non etiam repugnabit formæ aquæ iſta paruitas, quæ iam eſt in actu, quia ita parua præfuit, licèt in toto:nec per ipſam diuiſionem corrumpetur aqua,quia circumſcriptum eſt omne corruptiuum ex hypotheſi : non videtur igitur aliqua ratio intrinſeca, quare naturali repugnet quin ſemper quocunque per ſe exiſtente, poſſit aliquid minus eo per ſe exiſtere : licet ratio extrinſeca fortè impeditiua talis per ſe exiſtentiæ aſſignetur contrarietas corrumpentis. 20.

Nulla diuiſio per ſe facit perire formam diuiſi,vnde in non viuentibus non datur minimum quod ſic per ſe loquendo.

Medium naturale eſt compoſitum habens qualitates naturales, mathematicum eſt tantum quantum. Tex.26.

e Arguo etiam contra vtramque reſponſionem ſimul, quia neutra ſaluat minimum in motu , propter quod improbandum tacta eſt aliqualiter præcedens deductio, licèt enim medium in motu locali non poſſet cedere mobili, niſi eſſet naturale : tamen ſi per impoſsibile medium Mathematicum poſſet cedere mobili Mathematico , verè eſſet ſucceſsio in motu tali propter diuiſibilitatem medij, priùs enim pertranſiret mobile priorem partem ſpatij quàm poſteriorem. Etiam modò,ſicut per accidens eſt in locato,ex parte locati, inquantùm locatum eſt, quòd habeat qualitates naturales,ſicut patet per Philoſophum,4.Phyſic. de cubo:& per accidens ex parte loci,inquantùm locus eſt,quòd habeat qualitatem naturalem, ex q.1. de loco:quia licèt naturalitas conueniat locanti,tamen per accidens conuenit loco:ita etiam licèt neceſſariò,tamen omnino per accidens conuenit motui ſecundùm locum, ſiue motui ſecudùm *vbi*,quod eſt in locato per ſe, inquantùm reſpicit per ſe locum: quòd qualitas naturalis ſit in ipſo * motu vel quòd ſit in illo,ſecundùm quòd eſt motus,ſiue in magnitudine, ſuper quam fit motus per ſe, igitur ratio ſucceſsionis eſt quantitas,vel in magnitudine,vel in mobili,vel in vtroque.

al.moto.

Non dari minimum in motu. Vide 10. Metaph. tex.com.4.

f Ex hoc deſtruitur prima reſponſio, quòd non faciat pro minimo motu : quia ex quo,ſecundùm eam; non eſt accipere in eo minimum ſecundùm quòd quantum, & ſucceſsio eſt in motu locali per ſe, ex ratione alicuius inquantùm quantum; ſequitur quòd in motu locali nullo modo poteſt eſſe minimum,& ita nec in aliis motibus, quia non ita immediatè concedatur de alteratione, ſi ponatur motus, vel ſucceſsio ſecundùm formam : tamen ſequitur per locum à maiori negatiuè, nullus enim motus velocior eſt latione,& ita nullus poteſt habere partes indiuiſibiles, ſi iſte neceſſariò habeat pa... diuiſibiles.

g Ex eodem etiam deſtruitur ſecunda reſponſio,quòd non faciat pro minimo motu : quia in magnitudine, ſuper quam eſt motus, non eſt accipere minimam partem : igitur nec minimum tranſitum ſuper illam magnitudinem , quia illo minimo tranſitu oporteret pertranſire minimam partem magnitudinis. 21.

Secunda

Id eſt ſecundus ſenſus ſolutionis Ægidij.

Secunda etiam reſponſio, quantùm ad minimum motum, deſtruitur etiam per alia. Primò, quia quando mouens eſt præſens, & vincens, ſuper motum non poteſt poni illa ratio extrinſeca, propter quam negatur tale minimum poſſe per ſe eſſe, ſcilicet præſentia corruptiui quia præſentia mouentis, & producentis tale minimum tunc vincit omne contrarium corruptiuum.

Partes minimi per ſe non conuerti in corrumpẽs.

Similiter quodcunque datum minimum in ſucceſſiuis poſſe eſſe in fluendo, hoc eſt minimum ibi ſimpliciter eſſe in toto: quia pars ſucceſſiui non habet aliud eſſe in toto, quàm vnam partẽ fluere ante aliam partem, quæ partes fluentes integrant totum, ſicut igitur in toto permanente, hoc eſt, partem eſſe in toto, eſt partem permanentem eſſe continuam alteri parti permanenti in toto: ita in ſucceſſiuo, partem eſſe in toto: eſt partem fluentem continuari alteri parti fluenti: 43.

COMMENTARIVS.

1. a *Secunda reſponſio non videtur excludere, &c.* Hîc Doctor dicit, quòd ſecunda reſponſio (quæ fuit quòd minimum ſecundùm formam poteſt dari, ſic intelligendo, quòd aliquod minimum naturale ſic poteſt per ſe exiſtere, quòd ſi ampliùs diuideretur non poſſet per ſe exiſtere) non excludit illas rationes Mathematicas: nam ex iſta reſponſione videtur ſequi, quòd poteſt haberi minima pars motus per ſe exiſtens, quæ ſi ampliùs diuideretur, non eſſet aliqua pars motus per ſe exiſtens, & ſimiliter poteſt haberi minima pars formæ per ſe exiſtens, vt puta minima pars albedinis, quæ ſi ampliùs diuideretur in partes non eſſet albedo: hoc idem eſſet dicendum de minima carne, & de minimo oſſe.

Declaratio littera.

Declaro tamen hanc literam. Cùm dicit. *Tamen videtur poſſe poni minimum in motu pro eo, quòd pars motus per ſe eſt, antequam ſit aliquid alterius totius*, patet, quia ſi detur motus vnius horæ, primò habetur aliqua pars motus, quàm illa intelligatur pars motus vnius horæ. Sequitur: *Et illa pars formæ, ſecundùm quam eſt motus præcedit omnes alias partes illius formæ, non tantùm natura, ſed duratione*, patet: quia ſi acquiratur aliqua albedo ſucceſſiuè, ſecundùm quam fit motus, priùs duratione habetur vna pars, quàm alia: patet, quia ſi non priùs duratione, ſequeretur quòd omnes partes illius formæ, ſecundùm quam eſt verus motus, haberentur in inſtanti temporis, & ſic motus fieret in inſtanti, quod eſt impoſſibile. Sequitur: *Et ita tunc videtur eſſe per ſe, & non in toto.* ideſt, quòd illa pars motus prior, & ſimiliter illa pars formæ prior, priùs intelligerentur habere *eſſe* per ſe exiſtens, quàm eſſent in aliquo toto. Sequitur: *Si igitur ſit minimum in naturalibus, quod poſſit per ſe eſſe, videtur eſſe minima pars formæ, quæ poſſit induci per motum*, & per conſequens poſſet dari minimus motus, quod eſt inconueniens.

2. *An minimũ poſſit dari.*

b *Sed contra iſtam reſponſionem arguo.* Hîc Doctor arguit, quòd tale minimum non poſſit dari, quia ſi illud minimum diuideretur in partes, quælibet pars eſſet hoc aliquid, & per conſequens illud tale non eſſet minimum per ſe exiſtens. & probat, quia ſicut eſſentiale eſt quanto poſſe diuidi in partem, ita eſt ei eſſentiale, quòd ſingulum eorum, in quæ diuiditur, poſſit eſſe hoc aliquid: igitur nulli eorum repugnat per ſe eſſe: cùm ergo minima pars formæ naturalis ſit quanta, ſequitur, quòd erit diuiſibilis in partes, & illæ partes, in quas diuiditur eſſent per ſe hoc aliquid.

c *Confirmatur ratio, & iſta conſequentia.* Cõſequentia eſt iſta, quanto eſt eſſentiale, poſſe diuiuidi in partes: ergo eſt ei eſſentiale, quòd ſingulum eorum, in quæ diuiditur poſſit eſſe hoc aliquid. Probat modò iſtam conſequantiam: tum, quia partes illæ ſunt eiuſdem rationis, quantùm ad formam, & materiam cum toto, igitur poſſunt habere ex ſe exiſtentiam. Loquitur hîc Doctor de toto homogeneo conſtituto ex partibus quantitatiuis: & ſic ſi diuidatur, puta caro, in decem partes, illæ partes ſunt eiuſdem rationis cum toto, quia quælibet pars eſt caro, & ſunt eiuſdem rationis, & quantùm ad materiam, & quantùm ad formam; patet, quia ſic totum componitur ex tali materia, & tali forma, ita quælibet pars componitur ex ſimili materia, & ex ſimili forma, vt patet: ergo ſi totum poteſt eſſe per ſe aliquid, ſequitur, quòd quælibet pars poſſit per ſe exiſtere, & eſſe hoc aliquid. Sequitur

Tum quia ſi eſſent per ſe, eſſent indiuidua eiuſdem ſpeciei, ſicut & totum eſt: hoc patet, quia ſi caro eſſet diuiſa actu in mille partes, quælibet pars eſſet per ſe indiuiduum carnis, accipiendo tamen illas partes, vt abſtrahunt ab *hîc* & *nunc*, & actuali exiſtentia, ſicut etiam eſt de tota carne ſingulari: ergo ſicut non repugnat toti carni ſingulari poſſe per ſe exiſtere, ita nec cuilibet parti: & hoc eſt quod dicit Doctor ibi: *Abſurdum autem videtur*, Hîc Doct. nonloquitur de indiuiduis accidentalibus, quia illa non poſſunt per ſe exiſtere, cùm aliis inhæreant, ſed loquitur de indiuiduis ſubſtantialibus, & homogeneis. Sequitur: *Tum etiam quia partes ſunt naturaliter priores toto*, Hoc patet per vnam propoſitionem Doctoris ſæpè adductam, quod eſt prius natura alio poſitiuè non repugnat ſibi poſſe eſſe prius duratione, vt ſuprà patuit *in iſto 2. diſt. 2. q. 4. & in 3. diſt 3. & alibi ſæpe.*

Indiuidua accidentalia non poſſunt per ſe exiſtere.

Et ſi dicas, quòd ſtatim conuerteretur in continens, ideſt, quòd ſi diceretur, quòd ſi minima caro diuideretur in duas partes, illæ partes conuerterentur ſtatim in continens, puta in aëre; vel in aliquo alio diſſoluente, & corrumpente illas partes, & conuertente illas in aërem, vel in aquam & ſic non poſſent per ſe ſtare.

Litera clara eſt.

3. e *Arguo etiam contra vtramque reſponſionem ſimul.* Hîc Doctor probat quòd iſta opinio non poſſit ſaluare minimum in motu. Nam hæc opinio vult expreſsè, quòd in motu ſit dare minimum, quòd motus componatur ex minimis: nam ex quo iſta opinio vult, quòd minimum tantùm ſit ſecundùm formam, & motus (ſi per poſſibile, vel impoſſibile omnis forma naturalis

lis eſſet ſequeſtrata à quantitate) adhuc eſſet verè ſucceſſiuus, & ſic daretur motus non habens minimum.

Declaratio litera. Declaro tamen hanc litteram, *licèt enim medium in motu locali non poſſet cedere mobili, &c. Prius enim pertranſiret mobile priorem partem ſpatij, quàm poſteriorem*: medium naturale non tantùm eſt compoſitum ex materia, & forma, ſed etiam eſt compoſitum ex partibus quantitatem habentibus, quod medium non eſt ſine qualitatibus naturalibus conſequentibus ipſum, vt patet de aëre, qui inquantùm eſt corpus naturale, poteſt cedere mobili, vt patet per experientiam: ſed ſi tale medium eſſet tantùm corpus Mathematicum includens lineam ſuperficialem, & profunditatem non poſſet cedere mobili. Hoc idem dico de corpore mobili, quod niſi eſſet corpus naturale, non poſſet localiter moueri, loquendo de motu locali circunſcriptiuo, *ſi tamen per impoſſibile medium Mathematicum*, ſcilicet corpus Mathematicum *poſſet cedere mobili Mathematico*, videlicet corpori Mathematico, *verè eſſet ſucceſſio in motu tali propter diuiſibilitatem medij*. Sequitur.

An medium naturale ſit ſine qualitatibus naturalibus.

4. *Etiam modò ſicut per accidens eſt in locato ex parte locati, inquantùm locatum eſt, quod habeat qualitates naturales*, patet hoc, quia locatum inquantum locatum non includit per ſe qualitates naturales: patet, quia ratio, quòd aliquid poſſit locari circunſcriptiuè eſt vltima ſuperficies ipſius corporis locati: quod modò tale locatum ſit calidum, vel frigidum, & huiuſmodi, accidit ſibi inquantùm locatum, & hoc patet, 4. *Phy. t. c. 76.* vbi ſic habetur: *At verò, & cubus habet magnitudinem tantam, quantam continet vacuum, quod ſi calidum eſt, aut frigidum, aut graue, aut leue, nihilominus alterum ineſſe ab omnibus paſſionibus eſt, & ſi non diuiſibile ſit ab illis*, ideſt, quòd ſi ponatur corpus eſſe calidum, vel frigidum, &c. illud corpus erit aliud ab illis paſſionibus, etiam poſito quòd ſit inſeparabile ab illis. Sequitur: *Quare & ſi ſepareiur ab omnibus illis, & neque leue, neque graue ſit, continebit æquale ſpatium*, & vide ibi Commentatorem, qui prolixè declarat intentum. Sequitur, *& per accidens ex parte loci inquantum locus eſt, quòd habeat qualitatem*, patet, quia locus eſt vltimum corporis ambientis immobile primum, vt patet 4. *Phy. t. c. 41.* illud vltimum eſt vltima ſuperficies corporis continentis, vt ſuprà patuit, *q. 1. de loco*: accidit ergo corpori locanti, vt locanti qualitas naturalis: patet, quia non locat inquantum calidum, vel frigidum, ſed ratione vltimæ ſuperficiei. Sequitur, *quia licèt naturalitas conueniat locanti, tamen per accidens conuenit loco.* Vult dicere, quòd quamuis aëri, vel aquæ, conueniant qualitates naturales, ita quòd aqua determinet ſibi de neceſſitate talem qualitatem naturalem, illa tamen qualitas conuenit loco, ſcilicet, vltimæ ſuperficiei aquæ tantùm per accidens, quia ratio locandi circunſcriptiuè eſt tantùm vltima ſuperficies locantis. Sequitur. *Ita etiam licèt neceſſariò, &c.* Vult dicere Doctor in ſententia, quòd licèt naturalitas ſemper inſit motui locali, tamen accidit ſibi inquantum eſt motus localis.

Doctrina peripatetica.

5. Pro clariori intelligentia huius literæ declaro aliqua. Primò, quòd *vbi* eſt in locato per ſe, inquantum reſpicit per ſe locum: non enim *vbi*, quod eſt reſpectus locati circunſcriptiuè ad locans circunſcriptiuè, in nullo modo dicendi per ſe conuenit locato, cùm ſit accidens omnino inſeparabile: ſed locatum inquantùm reſpicit locũ, ſiuè ſub illa ratione, ſub qua reſpicit locum, includit *vbi* per ſe, quia tunc talis reſpectus ſibi neceſſariò ineſt; ſicut dicimus, quòd Franciſco ſub illa ratione, qua reſpicit filium, ineſt per ſe paternitas, licèt abſolutè non inſit per ſe. Nec accipio hic *per ſe* ſecundùm aliquem quatuor modorum, ſed accipio *per ſe*, ideſt, abſolutè. Et ſic cùm dicit Doctor quòd locatum per ſe reſpicit locum per ſe, &c. ideſt, quòd ſi accipiatur locatum abſolutè per ſe, & ſub illa ratione præcisè, quâ reſpicit locum, non conuenit ſibi naturalitas aliqua. Secundò, motus localis præcisè conſideratur ſecundùm quòd aliquid mouetur acquirendo aliud, & aliud *vbi*; & talis motus localis circunſcriptiuus fit ratione magnitudinis, vel ipſius mobilis, vel ſpatij, ſuper quod tranſit mobile. Ratione ergo magnitudinis, vel ſpatij fit motus localis, quòd modò mobile, vel ſpatium habeant qualitates naturales, vt præcisè conſiderantur inquantùm ſit ibi motus localis accidit eis, cùm ratio ſucceſſionis ſit quantitas, vel in ipſa magnitudine, vel in mobili, vel in vtroque, & ſic patet iſta littera.

Quomodo locatum reſpiciat locum.

Ex hoc deſtruitur prima reſponſio, quòd non faciat pro minimo motu, nam opinio illa habet dicere ſecundùm primam reſponſionem, quòd poſſit dari minima pars motus; ſed hoc patet eſſe falſum, & contra opinionem illam, quia ſecundùm eam, non eſt accipere minimum in motu, ſecundùm quòd quantum, & ſucceſſio eſt in motu locali per ſe ex ratione alicuius, inquantum quantum: patet, quia talis ſucceſſio fit ratione quantitatis, vel ipſius mobilis, vel medij, vel vtriuſque, vt dixi ſuprà; & ſic in motu locali nullo modo poteſt eſſe minimum. Addit Doctor quòd *nec in aliis motibus*, puta augumentationis, vel alterationis; quia licèt non ità immediatè concedatur de alteratione, ſi ponatur motus, vel ſucceſſio ſecundùm formam; tamen ſequitur per locum à maiori negatiuè. Nullus enim motus velocior eſt latione, & ita nullus poteſt habere partes indiuiſibiles, *ſi iſte neceſſariò habeat partes diuiſibiles*, patet, quia ſi caliditas, quæ acquiritur in aliquo ſubiecto, ſiue in aliqua magnitudine poſſit acquiri, ſecundùm partes indiuiſibiles, tunc talis motus eſſet velocior quolibet motu locali; patet, quia ille motus eſt velocior, qui menſuratur minori tempore cæteris paribus. Nulla autem pars motus localis, quæcunque ſit illa, poteſt acquiri in inſtanti, ſed tantùm acquiritur in tempore, cùm motus non fiat in inſtanti: ſed ſi aliqua pars alterationis eſſet indiuiſibilis, illa acquireretur in inſtanti: patet, quia non poſſet acquiri ſucceſſiuè, & ſic patet quomodo in alteratione non datur minimum, nec multò minùs in augmentatione.

6. *Percipe diligenter æquo animo.*

7. g *Ex eodem etiam deſtruitur ſecunda reſponſio*, &c. Secunda reſponſio fuit, quòd non poteſt dari minimum per ſe exiſtens, & ſic minimus motus per ſe exiſtens. Et quòd non poſſit dari minimus motus per ſe exiſtens, patet, quia ſi motus eſt ſuper aliquam quantitatem, oportet quòd ſit tranſitus primò alicuius partis: ſed in quantitate ſecundùm illam opinionem non datur minima pars: ergo nec in motu, qui eſt ſuper illam quantitatem dabitur minimum, quod eſt contra illam opinionem.

Secunda etiam reſponſio, &c. Vult dicere Doctor quòd hæc ſecunda reſponſio, quæ eſt de minimo per ſe exiſtenti, primò deſtruitur quantùm ad hoc, quod dixit, quòd ſi minimum diuideretur

conuerteretur in continens,&c. Probat,quòd non conuerteretur, puta in caſu, quando mouens eſt præſens,& vincens ſuper motum.

Similter quodcunque datum minimum, &c. Hîc Doctor ſpecialiter probat de motu, quòd ſi daretur minimus motus per te,qui eſſet quoddam totum,tunc partes illius dicerentur partes inquātùm fluunt, nam fluendo vna continuatur alteri, quia prima pars fluit,& ſecunda aduenit:ſic ergo ſi minimus motus diuideretur, & partes illæ non per ſe exiſterent,non eſſet inconueniens,cùm non ſit de ratione partis ſucceſſiui, quòd actu exiſtat, ſed quòd fluat; ſicut è contrario eſt de ratione permanentis, quòd partes non fluant, ſed quòd permaneant in toto, & ſic patet quomodo non oportet recurrere ad hoc, quòd illæ partes conuerterentur in continens.

8. *Dubia notabilia ex concluſionibus Doc.*

In litera Doctoris quinque concluſiones videntur prima facie dubiæ, quæ hîc per ordinem ponuntur,contra quas multis mediis inſtatur,vt magis earum veritas eluceſcat.

Concluſio prima: Sicut quælibet pars quanti inquantùm quantum poteſt per ſe eſſe, ita quælibet pars quanti naturalis inquantùm quantum naturale poteſt per ſe eſſe,ſiuè non repugnat poſſe per ſe eſſe.

Concluſio ſecunda:Omne ens naturale homogeneum eſt ſimpliciter diuiſibile in ſemper diuiſibilia in infinitum.

Concluſio tertia: Sicut eſſentiale eſt quanto poſſe diuidi in partem,ita eſt eſſentiale,quòd ſingulum eorumin quæ diuiditur poſſit eſſe hoc aliquid.

Concluſio quarta:Si ſingulum eorum, in quæ diuiditur quantum poteſt eſſe hoc aliquid, igitur nulli eorum repugnat poſſe per ſe eſſe.

Concluſio quinta:Partes ſunt naturaliter priores toto, igitur non repugnat eis contradictoriè

9. poſſe eſſe ſine ipſo toto.

Contra primam arguitur,& accipio ignem,pro quanto naturali, qui eſt verè ſuppoſitum. Et primò ſic; ſi quælibet pars ignis poteſt per ſe eſſe: ergo quælibet diuiſa erit verè ſuppoſitum.Patet, quia ſicut ignis totus ponitur ſuppoſitū,quia poteſt per ſe ſtare,ergo & quælibet pars ignis poteſt per ſe eſſe:ergo quælibet diuiſa erit verè ſuppoſitum:patet,quia ſicut ignis totus ponitur ſuppoſitum,quia poteſt per ſe ſtare,ergo & quælibet pars, ſi poteſt per ſe ſtare,& tunc in eodem igne erunt plura ſuppoſita;& tunc contradicit ſibi,quia *in 2. diſt.* 15. probat quòd elementa non ſunt miſto, quia tunc eſſent plura ſuppoſita in eodem miſto, quod eſt inconueniens apud eum.

Secundò, ſequeretur quòd vna pars ignis non poſſet communicari igni vt pars, quia hoc eſt contra rationem ſuppoſiti:ſuppoſitum enim dicit negationem duplicis dependentiæ,ſcilicet actualis, & aptitudinalis; vel ergo pars ignis eſſet in igne violenter, vel nullo modo poſſet communicari,vt pars:vtrumque eſt inconueniens.

Tertiò, ſequitur quòd ex pluribus partibus ignis non poſſet conſtitui vnus ignis totalis, quia ſi quælibet nata eſt per ſe ſtare, & verè ſuppoſitum ex illis non poteſt fieri vnum, quia ex duobus entibus in actu, ſaltem vltimato, cuiuſmodi eſt ſuppoſitum, non fit vnum ex 7. *Metaph.*

Quartò: quia illa ſimilitudo non valet de quanto inquantùm quantum, & de quanto naturali inquantùm naturale:quia pars quantitatis ſeparata non eſt ſuppoſitum, ſicut nec tota quantitas;& ideò non videntur ſequi illa inconuenientia de partibus quanti inquantùm quantum, quæ ſequuntur de quanto naturali inquantùm naturale,quia quælibet pars eius,ſi poſſet per ſe ſtare,eſſet ſuppoſitum.

Quintò, ſequeretur quòd minima pars ignis poſſet verè agere,ſicut & totus ignis compoſitus: patet, quia eſſet ſimpliciter eiuſdem rationis, & eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, & talia ſic ſe habent,quod conuenit vni,& alteri cōuenit.

Reſpondeo ad primum,quòd Doctor non con- 10. tradicit ſibi, quia ſi quatuor elementa eſſent in miſto,eſſent quatuor ſuppoſita perfecta, quæ non concurrunt ad conſtituendum terrium; & eſſent ibi ſuppoſita verè diſtincta,& verè ſubſiſtentia,& non tantùm inexiſtentia.Hîc autem eſſent ſuppoſita tantùm inexiſtentia, & partes vnius ſuppoſiti totalis.

Ad ſecundum, dico primò,quòd nihil eſt propriè ſuppoſitum, quod eſt natum eſſe pars alterius,quia hoc eſt contra rationem ſuppoſiti.Dico ſecundò, quòd communicari alteri poteſt intelligi multipliciter. Primò in ratione ſuppoſiti, ita quòd in ſe non ſit ſuppoſitum, ſed tantùm in altero,ſicut natura humana in Verbo. Secundò, vt ſit ſuppoſitum in ſe,imperfectum tamen,& quòd ſit pars integralis alterius.Et tunc dico, quòd pars *Pars poteſt multipliciter accipi.* in toto non tantùm ſubſiſtit ſubſiſtentia totius, ſed etiam propria.Dico tamen diſtinguendo,quòd *pars* poteſt multipliciter accipi. Primò pro parte integrali. Secundò pro parte eſſentiali. Secundò modo pars eſſentialis ſeparata nunquam eſſet ſuppoſitum propriè,& ſic dicitur ſuppoſitum ratione totius eſſentialis. Primo modo aut eſt pars totius homogenei,quod non eſt natum eſſe pars alterius compoſiti heterogenei: aut eſt pars homogenei, quod eſt natū eſſe pars alterius heterogenei, ſicut caro hominis. Primo modo dico, quòd quælibet pars nata eſt eſſe ſuppoſitum,vt patet de partibus ignis,vel lapidis;& ſic tale ſuppoſitum poteſt eſſe pars alterius integralis; & tales partes ſunt ibi, quaſi ſecundùm iuxtapoſitionem: ibi enim non eſt informatio vnius partis ab alia. Secundo modo dico, quòd ſi pars illius heterogenei nata ſit eſſe ſuppoſitum, quòd etiam quælibet pars illius partis homogeneæ nata eſt eſſe ſuppoſitum. Ex hoc etiam apparet clarior reſponſio ad primum argumentum, quia in miſto elementa non ponerentur vt partes integrales, nec alicuius homogenei,nec heterogenei,ſed ponerentur partes eſſentiales miſti;& tunc eſt inconueniens ponere plura ſuppoſita eſſe partes eſſentiales alicuius, Poſſet etiam dici ſecundùm aliquos, quòd pars ignis ſeparata eſt actu ſuppoſitum, & vnita non eſt actu ſuppoſitum,ſicut natura humana vnita actu Verbo non eſt ſuppoſitum in ſe, ſed ſeparata ſic. Sed hoc non videtur eſſe verum, quia pars ignis non eſt in igne, ſicut natura humana in Verbo; quia ignis non videtur terminare in ratione ſuppoſiti dependentiam ſuæ partis integralis, cùm totus ignis dependeat in eſſendo, & exiſtendo à ſuis partibus integralibus, licèt partes vt in toto habeant perfectius *eſſe* pro quanto participant *eſſe* totius,non tamen propriè dependent à toto, vt à ſuppoſito, imò, quod ſic terminat dependentiam in ratione ſuppoſiti eſt prius: ſed partes, vt conſtituunt totum integrale, ſunt priores, ergo:videtur ergo alia reſponſio melior.

11. Ad tertium dico, quòd Philoſophus loquitur de partibus eſſentialibus, vt patet ibi, & non de partibus integralibus, quæ integrant totum quaſi ſecundùm iuxta poſitionem, cùm quælibet pars ſit diſtinctè ſignabilis, quia ſuppoſitum, non eſt perfectibile eſſentialiter ab alio, nec poteſt aliud eſſentialiter perficere, & ſic Philoſopho 8. *Met.* loquitur, quòd ex duobus entibus in actu non fit tertium eſſentialiter.

Ad quartum dico, quòd eſt ſimile quantùm ad hoc, quòd ſicut pars quanti ſeparata ab ipſo, ita poteſt exiſtere ſicut quantum, licèt nullo modo ſit ſuppoſitum; quia nec quantum, ſi tamen quantum eſſet ſuppoſitum, ita quælibet pars eſſet ſuppoſitum ſeparata, ſed quia quantum naturale, vt ignis eſt verè ſuppoſitum, ita & quælibet pars homogenea illius erit ſuppoſitum ſeparata.

Ad quintum dico, quod requiritur etiam debita diſpoſitio ad hoc, vt poſſit agere, qualis non apparet in minima parte ignis, & de hoc dicam inferiùs.

12. *Inſtatur contrà ſecundã.* Contra ſecundam arguitur primò, quia ſi quælibet pars quanti naturalis eſt diuiſibilis in infinitum: ergo pars erit æqualis toti: patet, quia ita pars eſt diuiſibilis in infinitas partes ſicut totum; ergo. Tum, quia infinitum poſſet excedi; patet, quia totum continet plures partes, quarum quælibet eſt diuiſibilis in infinitum: ergo.

Secundò ſic; ergo poſſunt eſſe infinitæ partes in actu: patet, quia fruſtrà eſt illa potentia, quæ nó poteſt reduci ad actum. Dum, quia potentiæ paſſiuæ correſpondet aliqua actiua; ſed quantum eſt diuiſibile in infinitas partes: ergo aliqua potentia actiua poteſt illud actu diuidere.

Tertiò datur prima, & vltima pars quanti: ergo non eſt diuiſibile in infinitum. Patet conſequentia, quia tale non habet nec primum, nec vltimum. Antecedens patet, quia quantum terminatur duobus punctis, modò pars terminatur ad punctum indiuiſibiliter; patet, quia illa immediatè tangit punctum, ita quòd inter punctum, & illam partem immediatè tangentem, non eſt alia pars.

Quartò, ſequeretur quòd aliquod quantum naturale eſſet intenſiuè infinitum; patet, accipio ignem intenſum vt duo, ſi eſt diuiſibilis in infinitos ignes, quilibet eorum erit intenſus vt duo, & ſic eſſent in eodem igne actu infinitæ perfectiones, quia quælibet pars ignis in ſe eſt perfectionis vt duo.

Quintò, ſequeretur quòd quælibet ſubſtantia naturalis eſſet compoſita ex infinitis ſubſtantiis: patet, quia tales ſunt diuiſibiles in infinitas ſubſtantias, vt patet de igne, aqua, & huiuſmodi; ſed hoc videtur impoſſibile; tum, quia agens non poſſet generare ſubſtantiam, niſi tranſiret infinitas partes, infinitum autem non poteſt pertranſiri. Tum, quia generatio non eſſet in inſtanti, quia diuiſibile in infinitum ab agente naturali non poteſt tranſiri in inſtanti, maximè ſi ſit ſubſtantia generabilis.

Sextò ſequeretur, quòd intellectus creatus ſimul poſſet infinita diſtinctè cognoſcere. Patet, quia Angelus diſtinctè, & perfectè cognoſcit ignem: ergo diſtinctè cognoſcit omnẽ partẽ ipſius ignis, & illæ ſunt infinitæ: ergo. Illud enim diſtinctè cognoſcitur, cuius omnes partes actu perfectè cognoſcuntur, vt patet à Doctore *in* 1. *diſt.* 3. *q.* 2.

13. Septimò, ſequeretur quòd quælibet pars ignis cùm ſit ita nata per ſe, eſſet ſicut totus ignis, vt patet in prima concluſione, quòd poſſet cauſare ſpeciem intelligibilem in intellectu, puta Angeli, quia etiam de ſingularibus habetur ſpecies intelligibilis, vt patet à Doc. *in* 2. *diſt.* 3. *q. vlt.* & ſic infinitæ partes ignis poſſent actu cauſare in aliquo intellectu creato infinitas ſpecies intelligibiles, quod eſt ſimpliciter impoſſibile.

Octauò, Si ignis eſt diuiſibilis in infinitos ignes, ergo quilibet eſt ita obiectum per ſe intelligibile actu, ſicut ipſe ignis. Patet conſequentia, quia quilibet includit quiditatiuè ens, quod ponitur adæquatum obiectum intellectus; ergo erunt actu infinita intelligibilia naturaliter mouentia intellectum; ergo quando ignis mouet actu intellectum ad ſui cognitionem, quælibet pars ignis actu mouet ad ſui cognitionem. Nec valet dicere, quòd vt ſeparata mouet, ſed non vt pars. Contrà, quia præcisè eſt eadem entitas vnita ſicut ſeparata, ergo, &c. Et vltrà ſequitur, quòd actu cauſantur infinitæ intellectiones in intellectu, quia quælibet pars, vt ſeparata, nata eſt habere, & cauſare propriam intellectionem; ergo & vnita, eùm ſit ſimpliciter eadem entitas.

Nonò, ſequeretur quòd Sol cùm ſit verè quantus, eſſet verè diuiſibilis in infinitas partes, quarum quælibet eſſet Sol, & ſic non repugnaret poſſe eſſe plures Soles, quod videtur contra Philoſophum. Conſequentia patet, quia omne quantum eſt diuiſibile in infinitas partes; ergo.

Decimò arguitur, quia etiam paſſio entis naturalis eſſet diuiſibilis in infinitas paſſiones; & ſic ſequeretur quòd ſicut ignis poſſet comburere magnum lignum, ita quodlibet pars ignis, cùm illa pars ſit æquè intenſa. Sequeretur etiam, quòd ſicut aliquod graue moueret ſe ad centrum, ita & quælibet pars poſſet ſe mouere.

14. *Soluuntur inſtantia.* Reſpondeo ad primum. Dico primò, quòd & ſi pars ſit æqualis toti ſecundùm partes proportionales, non tamen eſt æqualis ſecundùm partes quántitatiuas. Dico ſecundò, quòd *maius*, & *minus* ſunt tantùm paſſiones quanti finiti, & non infiniti, vt dicit Doctor *in iſto* 2. *diſt.* 1. *q.* 3. Et cùm dicitur, quòd infinitum excederetur, dico quòd pars ſecundùm partes proportionales eſt ita infinita ſicut totum, nec in toto poſſunt eſſe plures partes, quia in vtroque ſunt infinitæ; ſi enim in toto eſſent plures, poſſent numerari, incipiendo à prima parte, quæ non eſt dabilis; ſunt tamen in toto plures ſecundùm quantitatem, ſed non ſecundùm proportionem.

Ad ſecundum dico, quòd etſi tales potentiæ ſint reducibiles ad actum, non tamen ſimul, ſed ſucceſſiuè in infinitum, vt patet in corpore. q. 9. Cùm dicitur de potentia actiua, concedo quod eo modo, quo ponitur paſſiua, poteſt poni actiua correſpondens, & ſic concedo quòd ſicut quantum eſt ſucceſſiuè diuiſibile in infinitas partes, ita potentia actiua poteſt ſucceſſiuè diuidere; modò repugnat quanto poſſe ſimul diuidi in infinitas partes, vt patet à Doctore q. 9. vide ibi.

Ad tertiũ facilis eſt reſpõſio. Dico enim quòd licèt pars immediatè terminetur ad punctũ, & verſus punctũ immediatũ nõ ſit diuiſibilis, tamẽ ſimpliciter eſt diuiſibilis ex alia parte in infinitum.

Si dicatur, ſicut in quãto datur primũ punctũ, vt patet, ergo pars, quæ immediatè ſequitur punctũ, erit prima pars quanti: patet, quia illa tangit punctũ indiuiſibiliter, quia ante illa immediata non eſt prior, quia tunc non eſſet immediata puncto.

Dico, quòd non poteſt dari pars aliqua, quæ ſit omnino indiuiſibilis, quia quacunque data, etiam immedia

immediatiſſima puncto,cùm ſit quanta eſt diuiſibilis in infinitum,& ſi diuiſibilis,ergo non primò: imò dico, quòd ipſi puncto vna eſt immediatior alia in infinitum,quia quacunque immediata aſſignata,adhuc alia eſt in infinitum immediatior.

15. Ad quartum dico; quòd ſi poneretur albedo intenſa vt vnum, & eſſet extenſa ſuper magnam ſuperficiẽ, ita eſſet intenſa in minima parte, ſicut in tota ſuperficie,vt patet à Doctore *in 1.diſt.2.*& idẽ gradus intẽſionis ita perfectè eſſet in minima parte,ſicut in tota ſuperficie:ſi ergo eſſet diuiſa in infinitum, in qualibet parte eſſet tantùm vnus gradus intẽſionis,& ſi modò ſint vnitæ,ita poſsũt omnes habere proprium gradũ intẽſionis;non tamẽ ſequitur,quòd ſit infinitè intenſa, quia omnes illi gradus ſunt ſimpliciter eiuſdem rationis, ita quòd quilibet eſt præcisè intenſus vt vnum, ſiue quælibet pars eſt præcisè intẽſa vt vnũ,& hoc nõ facit maiorem perfectionem intenſiuam;ſed maior perfectio intenſiua eſt ſecundùm alium, & alium gradum intenſionis, ita quòd intenſa vt quatuor,eſt perfectior intenſa vt vnum.

Reſponſio ſingularis & notabilis. Dico etiam,quòd albedo illa eſſet infinita tantùm extenſiuè,quia ſicut in illa ſunt infinitæ partes,& quælibet habet proprium gradum intenſionis, ita ſunt ibi infiniti gradus intenſionis, & ſic infinita tãtùm extenſiuè.Nec eſt inconueniẽs eſſe aliquod infinitũ extẽſiuè,& hoc tãntùm ſecũdùm gradus inexiſtentes,ſicut etiam ignis eſt infinitus extenſiuè, quia diuiſibilis in infinitas partes,quæ actu ſibi inexiſtunt, & quælibet pars habet propriam perfectionẽ.Eſſet tamen incõueniens,quòd in igne eſſent infinitæ partes actu ſubſiſtentes, & diuiſæ, quia tũc daretur infinitum in actu ſecundùm numerum, quod eſt contra Philoſophos, licèt fortè non eſſet inconueniens,nec repugnans veritati.De hoc vide Doctorem *in 3.diſt.14.* Poſito ergo,quòd in vno quanto ſint infinitæ perfectiones, ita quòd quælibet pars habeat propriam perfectionem, & ſic infinitæ perfectiones ſecundùm infinitas partes, & ſic infinitum extenſiuè, non tamen ſequitur, in quanto ſunt actu infinitæ perfectiones inexiſtentes: ergo eſt infinitum intenſiuè. Quia ſi eſſet infinitũ intenſiuè, quælibet pars quanti haberet infinitos gradus intenſionis. Nam gradus intenſionis ſic ſe habent,quòd quãdo dicimus album eſt intenſum vt quatuor, omnes illi gradus ſunt in qualibet parte albi, & ſi eſſet intenſum in infinitum,in qualibet parte albi eſſent infiniti gradus intenſionis. Non ſequitur, ergo in albo ſunt infiniti gradus intenſionis, ſed infinitæ partes inexiſtentes, reddendo ſingulos gradus ſingulis partibus:ergo album eſt infinitum intenſiuè:non ſequitur, ſed tantùm ſequitur:ergo eſt infinitum extenſiuè, & etiam extenſiuè eſt tantùm infinitum ſecundùm *quid*, quia tantùm ſecundùm partes inexiſtentes.

16. Si dicatur, quòd benè ſequitur, eſt infinitum extenſiuè, ergo & intenſiuè; quia plura bona æqualia, puta decem,æquiualent vni bono intenſiuè,puta ſi ſint decem alba intenſa vt duo,æquiualent vni albo intenſo vt viginti & hoc patet à Doctore *in 1.diſt.2. & in quolib. q. 20.* ergo ſi in vno albo ſunt infinitæ partes æquales ſecundùm perfectionem, tunc æquiualent bono infinito intenſiuè,& ſic ſi eſſent actu infiniti homines,æquialerent bono infinito intenſiuè.

Reſpondeo, concedendo quòd æquiualerent alicui bono infinito intenſiuè, & hoc loquendo de gradibus intenſionis conſequentibus perfectionem non ſpecificam,ſed indiuiduorum.Si ergo eſſent infinitæ albedines actu, quarum quælibet eſſe intenſa vt vnum,vel vt duo,æquiualerent vni albedini intenſiuè infinitæ, licèt talis albedo nullo modo eſſet poſſibilis, vt patet ſubtiliter à Doctore *in 3. diſt.13.* & ſic vnum ſingulare albedinis excederet in infinitum alia ſingularia albedinis.

Notabilis diſtinctio. Si dicatur,quòd tunc talis albedo intenſiuè infinita eſſet Deus,quia infinitæ perfectionis.

Dico, quòd *infinitum intenſiuè* accipitur, pro nunc,dupliciter,quia quoddam dicitur infinitum intenſiuè præcisè ſecundùm gradus conſequentes naturã indiuidui, ſicut dicimus,quòd vna albedo eſt intenſior alia: & tale infinitum, puta aliqua albedo,& ſi excedat omnem albedinem in infinitum ſecundùm gradus intenſionis, conſequentes conditiones indiuiduales, non tamen excedit aliã ſecundùm gradus conſequentes naturam ſpecificam,ſiue ſecũdùm gradum ſpecificum, quia vt ſic, etiam minima albedo eſt ita ſpecificè,ſiue quiditatiuè perfecta, ſicut infinita albedo intenſiuè. Aliud eſt infinitum intenſiuè ſecundùm gradus ſpecificos, ſiuè quiditatiuos, ſiue ſecundùm gradus conſequentes præcisè naturam ſpecificam, & tale infinitum æquialet ſecundùm perfectionem infinitis ſpeciebus:& hoc modo ponitur natura diuina intenſiuè infinita,& infinitum primo modo dicitur infinitum ſecundùm *quid*, quia non diceretur abſolutè infinitum ens ſimpliciter, quia adhuc eſſet ens limitatum.Sed ſecundo modo,diceretur infinitum ſimpliciter,quia infinitum ens ſimpliciter excludens omnẽ imperfectionem, & includens omnem perfectionem ſimpliciter. Et ſic patet quid dicendum ad difficultatem. Sed an tale infinitum ſecundùm *quid* ſit in genere, vide quæ dixi *in primo,diſt.8.quæſt.2.*

17. Ad quintum, concedo quòd eſt ex infinitis ſubſtantiis;& etiam patet reſponſio ex dictis ſuprà, quomodo infinitum non poteſt pertranſiri. Et cùm dicitur de generatione.Dico primò, quòd fit in inſtanti,quia illa primò terminatur ad ſubſtantiam,vt priorem quantitate, & ſic ſimul tota inducitur.Dico ſecundò,quòd non habeo pro inconuenienti,quòd ſubſtantia genererur in tempore,vt patet à Doctore *9.Metaph.*

Quomodo intellectus Angeli non cognoſcit infinita. Ad ſextum dico, quòd intellectus Angeli poteſt cognoſcere ignem diſtinctè,ſecundùm omnes partes eſſentiales, & ſecundùm omnes partes integrales ſecundùm quantitatem, ſed non ſecundùm proportionem,quia actu non cognoſcit infinita, poteſt benè cognoſcere infinita in infinitum ſemper cognoſcendo vnum poſt aliud. Dico ſecundò quòd fortè non eſſet inconueniens, quòd cognoſceret infinitas partes inexiſtentes, ſed non infinitas ſubſiſtentes, ſed prima reſponſio eſt melior,vt videtur.

Ad ſeptimum dico, quòd ſi pars ignis eſſet ſeparata,& diſpoſita, poſſet cauſare propriam ſpeciem, ſed quando eſt vnita, & pars totius,tunc concauſat, & ſic concedo quòd omnes partes ignis æquè diſpoſitæ concurrunt ad cauſandum tantùm vnam ſpeciem intelligibilem ipſius ignis, an modo ſeparata poſſit, de hoc aliàs.

Ad Octauum concedo, quòd ſi quælibet pars ignis eſſet per ſe,eſſet per ſe actu intelligibilis, ſi tamen eſſet diſpoſita, & poſſet cauſare partialiter ſui cognitionẽ,tamẽ vt eſt pars alterius,omnes illæ partes æquè propinquæ & diſpoſitæ concurrũt concauſando tãtùm vnã intellectionẽ,qua cognoſcitur

ſcitur totũ & pars,non tamen quòd ſimul omnes partes ſecundùm proportionem diſtinctè concipiantur,ſed ſufficit,quòd confusè concipiantur.

An poſſint eſſe plures ſoles.

Ad nonum concedo, quòd non repugnat poſſe eſſe plures Soles, etiam ſecundùm viam Philoſophi, vt patet à Doc. *in 2. diſtin. 3. & in quolib. quæſt. 2.*

Ad vltimũ cõcedo,quòd totũ poteſt mouere ſe, quia eſt diſpoſitũ, cùm ſit debitæ quantitatis, ſed negatur,quòd quælibet pars,cùm non ſit in debita quantitate.Et licèt Doctor *in iſto 2.diſt.2.q.*10. dicat,quòd quælibet pars grauis moueat ſe,debet intelligi, vt eſt in toto graui, quia tunc quælibet

18. concurrit,hoc idem dico de igne & caliditate.

Contra tertiam concluſionem,& probo, quòd non quodlibet pars eſſet indiuidua, puta alicuius ignis. Primò ſic,quia ſi ignis eſt vnum ſingulare, & diuidatur in plures partes,quarum quælibet eſt ſingularis, ſequitur quòd quælibet habebit propriã hæcceitatẽ, & tunc quæro aut habebit illam priùs, aut in diuiſione fuit cauſata? non primò, quia tunc vnum ſingulare non eſſet vnum ſingulare, quia in eo eſſent plures ſingularitates, imò infinitæ: non ſecundo,quia non videtur, quòd in diuiſione continui ſtatim cauſetur noua entitas abſoluta, qualis eſt hæcceitas.

Secundò ſi hic ignis eſt diuiſibilis in plures ignes ſingulares (cùm ſingularitas ſit prior quantitate,loquendo de ſingularitate ſubſtantiæ,vt patet à Doctore *in diſt.3.*) ſequitur quòd hæc ſubſtantia lapidis eſſet diuiſibilis in partes infinitas, & ſic hæc ſubſtantia lapidis neceſſariò includeret infinitas, hæcceitates: ſi enim non eſſet ſic diuiſibilis, nunquam per quantitatem aduenientem poſſet actu diuidi,& ſic ſequeretur quòd nunquam poſſet eſſe aliquod ſingulare ſubſtantiæ, quin ſemper includeret infinitas ſingularitates,quod eſt valde inconueniens.

Tertiò arguitur, quia ſecundùm Doctorem *in 2.diſt.3.*ſingularitas eſt realiter idem naturæ,cuius eſt: ergo ſingularitas ignis erit ſimpliciter idem realiter naturæ ignis contractæ per ſingularitatẽ, & ſimpliciter realiter idem cum tota natura contracta:ergo non poſſet diuidi natura ignis contracta,quin & eius ſingularitas diuideretur,quod videtur inconueniens,quia ſingularitas eſt indiuiſibilis,quia eſt idem quo ſingulare eſt indiuiſum à ſe,& diuiſũ à quolibet alio.Et vltrà,ſi ponatur diuiſibilis,tunc ſequitur,quòd vna pars ſingularitatis erit præcisè idem cum vna parte naturæ contractæ,& alia pars alteri parti,& ſic de aliis, & ſic nulla vna ſingularitas eſſet idem toti naturæ contractæ,quod eſt inconueniens;

19. Quartò arguitur, quia plura ſingularia eiuſdẽ ſpeciei ſpecialiſſimæ non concurrunt ad compoſitionem alicuius tertij: patet, quia duo homines non faciunt vnum hominem, nec duo lapides vnum lapidem,quia tunc non eſſent in recta linea prædicamentali,quia pars non eſt in Prædicamento,vt etiam patet à Doctore *in 2.diſt.1.q.vlt.*

Pars non eſt in prædicamento.

Quintò arguitur, vnum indiuiduum nunquam eſt in potentia, vt perficiatur ab alio indiuiduo eiuſdem ſpeciei,vt patet,ſed ſi partes ignis eſſent indiuidua, tunc perficerentur ab ipſo toto igne, patet per Doctorem *in 3. diſt.1. contra opi.* quia partes in toto ſunt in potentia ad formam totius, & perficiuntur à forma totius.

Reſpondeo ad primum, concedo quòd quælibet pars habet propriam hæcceitatem,& hoc ante diuiſionem,quia partes ſunt priores toto,& per conſequens in illo priori habent propriam hæcceitatem,ſicut propriam entitatem.

Ad ſecundum concedo,quòd ſubſtantia ignis, vt prior quantitate eſt diuiſibilis in infinitas ſubſtantias,& cõcedo,quòd includit infinitas hæcceteitates. Et cùm dicitur in primo argumento, quòd tunc non eſſet vnum ſingulare.Dico,quòd ſi totum integrale dicit aliam entitatem realiter diſtinctam ab omnibus partibus integralibus,quòd ignis erit vnum ſingulare vna hæcceitate realiter eadem ſibi. Si verò non dicat aliam entitatem à partibus,tunc dico, quòd erit vnum ſingulare aggregatum ex infinitis partibus ſingularibus,& ſic erit conſtitutum ex infinitis ſingularibus.Et vltrà concedo,quòd in ſubſtantiis homogeneis non poteſt dari aliquod ſingulare quin illud ſit diuiſibile in infinita ſingularia.

Totum phyſicum non poteſt ſeparari à partibus.

Ad tertium dico,quòd ſi totum integrale dicit aliam entitatem à partibus, quòd habet hæcceitatem realiter eandem ſibi,& ſicut illa entitas reſultans eſt indiuiſibilis in plures tales entitates, ſic & eius hæcceitas,ſicut humanitas eſt indiuiſibilis in plures humanitates, ita & eius hæcceitas. Si verò totum integrale non dicit aliam entitatẽ à partibus. Dico, quòd quælibet pars habet propriam hæcceitatem contrahentem illam partem ad *eſſe* indiuiduale,quæ eſt eadem ſibi,ſed ex omnibus partibus integratur totum.

Ad quartum dico, quòd intelligitur ſic, quòd non concurrunt ad componendum tertium ſic, quòd vnum ſingulare ſit potentiale ad aliud, ita quòd vnũ informetur ab alio, ſed nõ intelligitur, quòd non poſſint concurrere ad integrandũ aliquod totũ,vbi non eſt informatio vnius ab alio.

Ad quintum dico, quòd totum non informat partes,nec perficit per informationem, vt patet à Doctore *in 3.diſt.2.* ſed pars, vt eſt in toto dicitur perfici pro quanto, dicitur participare perfectionem totius,non quòd ibi ſit aliqua informatio,& ſic Doctor intelligit.

Contra quartam arguitur primò, quia quantũ, vt ignis,diuiditur in materiã,& formã, & forma eſt verè indiuiduũ,vt patet à Doctore *in 2. diſt.3.* & tamen forma ſecundùm Philoſophũ non poteſt per ſe eſſe,quia tantùm habet *eſſe* in compoſito,vt etiã tenet Doctor *in 2.diſt.17.& in 4.diſt.43. q.2.*

20. *Quomodo forma ſit verè indiuiduum.*

Secundò arguitur,ſi minima pars ignis, qui eſt indiuiduum poteſt per ſe eſſe, ſiue exiſtere, aut eſt ratione quantitatis, aut ratione ſubſtantiæ ignis, non primò, quia nullũ eſt accidens, quod ſit alicui ratio ſubſiſtendi, vt patet: non ſecundò, quia ponitur, quòd indiuiduum quanti, vt quantum poteſt eſſe per ſe eſſe.

Tertiò arguitur, nihil quod habet eſſe inexiſtens poteſt per ſe eſſe: ſed omnes partes quanti exiſtunt ipſi quanto;ergo non poſſunt ſubſiſtere; ſi enim poſſent per ſe ſtare,cum in quanto ſint infinitè inexiſtentes, ſequeretur quòd actu poſſent infinitè ſubſiſtere.

Reſpondeo ad primum, quòd talis diuiſio non intelligitur in partes eſſentiales, ſed in partes integrales.

Ad ſecundum dico,quòd ratio per ſe ſtandi eſt duplex negatio,de qua Doctor *in 3.diſt.1.q.1.*quæ duplex negatio tantùm nata eſt ineſſe ſubſtantiæ perfectæ, quæ nata eſt verè ſubſiſtere, ſicut ſubſtantia compoſita reponibilis in Prædicamento,vel ſubſtantia ſimplex,vt Angelus,vel alia ſubſtantia ſimpliciter immaterialis, de quibus *in 3. Doctor,& in 1.& in quolib.*

Ad

Ad tertium negatur iſta propoſitio, ſcilicet quòd nihil inexiſtens alteri poſſit per ſe ſtare; quia videmus per experientiam, quòd pars quanti inexiſtit quanto, & tamen ſeparata per ſe exiſtit. Et cùm dicitur, quòd tunc poſſent infinitæ ſubſiſtere, concedo ſucceſſiuè, ſed non ſimul in actu, vel infinitæ in infinitum, vt dixi ſuprà.

21. Contra quintam. Et primò probo, quòd partes non ſunt naturaliter priores toto, quia aut ſunt priores poſitiuè, aut priuatiuè, ſeu negatiuè. Si primò, ſequitur quòd actu poſſunt exiſtere ſine toto, vt patet à Doctore in 2. immò quod eſt ſic prius natura, eſt etiam prius duratione, vt patet à Doct. in 2. diſt. 1. q. 2. & in 3. diſt. 3. q. 1. Si ſecundò, ſequitur quòd ſi non præuenirentur ab aliquo cauſando totum, quòd eſſent priores duratione, vt patet à Doctore *in 2. vbi ſuprà*.

Secundò arguitur, quia hæc concluſio non tantùm eſt vera de partibus integralibus, ſed etiã de partibus eſſentialibus. Tunc ſic, ſi forma ſubſtantialis ignis eſt naturaliter prior compoſito, & certum eſt, quòd non habet *eſſe à* ſe; ergo ab alio; ergo productio priùs terminatur ad formam, quàm ad compoſitum; ergo non producitur eadem productione, qua & compoſitum, quod eſt contra Doct. in 2. diſt. 17. & in 4. diſt. 43. quæſt. 2. etiam de anima intellectiua, ſecundùm viam Philoſophi.

Tertiò arguitur principaliter, quia ſequitur quòd forma partis haberet *eſſe* exiſtentiæ, & non eſſe præcisè in compoſito, quod eſt contra Doctorem *in 2. diſt.* 17. quòd autem haberet *eſſe* exiſtentiæ, patet, quia forma dat *eſſe* principaliter compoſito, vt ab omnibus conceditur, & per te eſt prior naturaliter compoſito, ergo in illo priori habet verum *eſſe* reale.

Quartò arguitur contra illud, quod dicit, quòd *partibus non repugnet poſſe eſſe ſine compoſito, quia priores naturaliter*, quia ſequitur quòd forma ignis & materia poſſent exiſtere ſine compoſito ignis, quod eſt impoſſibile apud Philoſophum; quia & ſi ponuntur ſeparata, ſcilicet forma & materia, ſequitur quòd forma materialis poſſet exiſtere ſine materia, & è contra.

22. Quintò arguitur, quia forma, & materia, etiam vt ſimul vnita, ſunt prius compoſito, ſaltem naturaliter; ergo poſſent eſſe vnita ſine cõpoſito, quòd eſt ſimpliciter impoſſibile, & ſic anima, & corpus poſſent ſimul eſſe vnita, & tamen homo nõ eſſet.

Sextò, ſi pars, vt naturaliter prior toto, poteſt eſſe ſine toto, ſequitur, quòd omnes partes alicuius totius integralis, etiam vnitæ, poſſint eſſe ſine toto integrali; patet, quia vt vnitæ, ſunt naturaliter priores toto, ergo, &c.

Septimò, Si omnes partes totius integralis, ſiue alicuius quanti poſſunt eſſe ſine ipſo toto, quia priores natura, ergo infinitæ partes actu poſſunt eſſe, & non inexiſtentes toti. Patet conſequentia, quia totum in actu dependet ab omnibus ſuis partibus; ergo oportet quòd omnes partes prius habeant eſſe in actu, quàm intelligatur totum, & ſic infinita in actu.

Octauò ſic; cauſa non cauſat, niſi ſit in actu, vt patet 3. *Phy.* & 5. *Metaph.* & cauſa etiam quando cauſat eſt prior cauſato, vt patet à Doctore *in 2. diſt. 1. & alibi*, ſed omnes partes totius integralis ſuo modo cauſant totum; ergo in illo priori ſunt in actu, ergo actu ſunt infinitæ partes priores toto, & per te eis non repugnat poſſe eſſe ſine toto, ergo poſſunt eſſe actu infinitæ partes, & non ineſſentes toti.

Nonò principaliter arguitur contra hoc, quod in concluſione innuit, ſcilicet quòd *non repugnat priori naturaliter poſſe eſſe ſine poſteriori naturaliter*, quia multa videntur ſequi inconuenientia. Sequitur primò, quòd non repugnat animæ intellectiuæ poſſe exiſtere ſine intellectu & voluntate, cùm ſit naturaliter prior ipſis, vt poteſt elici à dictis Doctoris *in 2. diſt.* 16. Nec valet dicere, quòd non diſtinguitur realiter: modò propoſitio Doctoris debet intelligi de diſtinctis realiter. Contrà, quia ipſe ſimpliciter loquitur, nam apud ipſum ſubiectum, & propria paſſio realiter non diſtinguuntur, & tamen conceditur, quòd non repugnat ſubiecto poſſe eſſe ſine paſſione, quia prius naturaliter, vt patet *in 2. diſt. 2. par. 1. q. 1.* vbi admittit illam concluſionem Henrici.

Decimò arguitur, quia ſequitur quòd eſſentia diuina, cùm ſit naturaliter prior attributis, & proprietatibus perſonalibus, poſſet eſſe ſine illis; patet, quia priori naturaliter non repugnat, &c. illud autem eſt poſſibile, quod non repugnantiam includit ſimpliciter; ſed omne poſſibile in diuinis ad intrà eſt neceſſariò ibi in actu, vt patet à Doctore *in 1. diſt. 2.* & in *quoli. q. 2.* ergo actu erit ſine attributis, & perſonis. 23. *Eſſentia diuina eſt prior attributis.*

Vndecimò, Si ſic, ſequitur quòd Deus poſſet facere punctum ſine linea, cùm ſit prius naturaliter illa, & realiter diſtinctum. Similiter poſſet facere inſtans alicuius temporis ſine tali tempore, à quo etiam realiter diſtinguit. Sequitur etiam, quòd poſſet facere motum ſine tempore, cùm ſit prior natura tempore, & realiter diſtinctus à tempore, vt ipſe videtur tenere *in 2. diſt. 2.*

Duodecimò videtur ſequi, quòd non repugnaret rei poſſe eſſe ſine modo ſuo intrinſeco, cùm res ſit naturaliter prior ſuo modo, cùm ſit immediatum fundamentum illius, & ſic homo poſſet eſſe ſine finitate, & Deitas ſine infinitate, quæ infinitas eſt gradus intrinſecus, vt patet à Doctore *in 1. diſt. 3. & in quolib. q. 5.*

Reſpondeo ad primũ, concedo vtrunque membrum; & concedo quòd ex ratione earum formali non repugnat eſſe priùs duratione; ſed ſi non poſſunt, hoc eſt, quia vnitæ neceſſariò cauſant totum, quam cauſalitatem propter eius imperfectionem Deus ſupplere non poteſt, & ſic patet ad primum & ſecundum membrum. Dico vltrà, quòd concluſio Doctoris magis eſt de partibus integralibus, quia illæ poſſunt manere ſeparatæ, non tamen ad inuicem vnitæ. 24.

Ad ſecundùm, concedo quòd per diuinam potentiam forma ignis poſſet eſſe ſine compoſito, & ſine materia; & ſic propria productione produci, vt etiam patet à Doctore *in 2. diſt. 22. q. 2.* Dico ſecundò quòd Doctor *in diſt. 17. ſecundi*, loquitur de facto, & ſecundùm viam Philoſophi, & verũ eſt quòd ſi productio terminaretur ad formã pro aliquo inſtãti, in quo nõ terminaretur ad cõpoſitũ, tunc forma poſſet per ſe ſtare: ſi enim pro aliquo inſtanti, ergo & pro aliqua duratione; ſed quia agẽs naturale in nullo inſtãti poteſt producere formã, niſi in materia, ad quãvnionẽ ſequitur neceſſariò cõpoſitũ, ideò dicitur quòd forma eadẽ porductione producitur, quã & cõpoſitũ, quia cõpoſitũ propriè per ſe exiſtit, & forma dicitur exiſtere, quia compoſitum exiſtit. Et ex hoc apparet reſponſio ad tertium argumentũ, quia non repugnat per diuinam potentiam poſſe exiſtere ſine compoſito. De facto & per potentiam creaturæ *Compoſitum per ſe exiſtit.*

non exiſtit, niſi quia compoſitum exiſtit. Ex his etiam apparet reſponſio ad quartum argumentũ.

25. *Totum non dicit tertiam entitatem aliam à partibus.*

Ad quintum, concedo quòd ex ratione formali partium etiam vnitatum non repugnat poſſe exiſtere ſine compoſito, ſed quia neceſſariò vnitæ cauſant compoſitum vna materialiter, & alia formaliter; ideò non poſſunt eſſe ſine compoſito, nec Deus poteſt ſupplere cauſalitatem earum; ſicut etiam non repugnat albedinem eſſe ſine albo, tamen albedini inhærenti ſubiecto repugnat eſſe ſine albo.

Cauſa quo modo ſit prior effectu.

Ad ſextum dico primò, quòd partes integrales vt vnitæ, non ſunt naturaliter priores toto, quia totum integrale dicit tantum partes vnitas; non enim dicit tertiam entitatem aliam à partibus. Dico ſecundò, quòd ſi diceret tertiam entitatem, quòd ipſe vt vnitæ eſſent priores, & vt ſic, abſolutè loquendo, non repugnaret eſſe ſine toto, ſed eſt repugnantia, quia neceſſariò vt partes materiales cauſarent ipſum totum.

Ad ſeptimum dico, quòd vt vnitæ non ſunt priores toto, vt dixi ſuprà, & ſi ſint priores vt ſuprà ad ſextum.

Ad octauum dico, quòd cauſa eſt prior effectu, quando per ipſam cauſatur aliud, vt patet de efficiente, & etiam de cauſa materiali & formali reſpectu compoſiti, quia eſt aliud ab ipſis cauſis; ſed partes integrales homogeneæ non cauſant aliud à partibus, quia totum integrale nihil aliud eſt quàm partes vnitæ ſimul. Dico ſecundò, quòd ſi teneatur quòd cauſant aliud à partibus, quòd abſolutè non repugnat, &c. ſed repugnat aliunde, quia ſcilicet cauſant neceſſariò tale compoſitum materialiter.

Ad nonum, & ad alia ſequentia, reſpondeo vnica reſponſione, quòd tali priori ex ſua ratione formali non repugnat, ſed ſi repugnat, repugnat, propter aliquod concomitans, puta vel quia identificantur realiter poſteriori, vel quia neceſſariò eſt cauſa intrinſeca compoſiti, vel ex aliquo alio.

SCHOLIVM.

Nunc ſoluit probationes adductas num. 1. pro ſecundo argumento, & refutando modum aliorum, explicat illam propoſitionem, poſſibile eſt continuum diuidi in omnia in quæ diuiſibile eſt, *circa quam pulchra habet logicalia, de quibus vide Lychet. & Tartaret. hic & ipſum Scot. 6. Phyſ. q. 2.*

Rogerius Baconis in opere maiori ad Clementem Papam 4. vide 1. de gen. t. 9.

SIc igitur a improbatis illis duabus deductionibus antecedentibus, reſpondendum eſt ad probationes adductas pro eis.

22. Ad primam dicitur quòd licèt poſſibile ſit continuum poſſe diuidi ſecundùm omne ſignum: non tamen eſt poſſibile diuiſum eſſe; quia iſta diuiſio eſt in potentia & in *fieri*, & nunquam poteſt eſſe tota in *facto eſſe*, & tunc ad illas probationes adductas in oppoſitum, conceditur de quacunque vna potentia ad vnam factionem, non tamen de infinitis actionibus, cum quarum vna reducta ad actum, neceſſariò ſtat alia non reducta ad actum: ita eſt in propoſito, quòd ſunt infinitæ potentiæ ad infinita *diuidi*: cum quarum vna reducta ad actum, neceſſariò ſtat alia non reducta ad actum: & ideò licèt concedatur poſſibilitas ad *diuidi*: non tamen ad *diuiſum eſſe*.

Com. 66. Confirmatur iſta [b] reſponſio per Auer. ſuper 3. Phyſic. vbi aſſignat rationem illius probationis Philoſophi, *quantam contingit magnitudinem eſſe in potentia, tantam contingit eſſe in act*, non ſic in numeris, propter hoc, quòd omnes illæ potentiæ, quæ ſunt ad partes magnitudinis, ſunt potentiæ eiuſdem potentialitatis & eiuſdem rationis, non ſic in numeris.

Contra iſtud ſequitur per te, continuum poteſt diuidi ſecundùm *A*: igitur poſſibile eſt ipſum eſſe diuiſum ſecundum *A* & ita de *B*, & *C*, & quocunque alio ſingulari, & hoc determinato, vel indeterminato: quia nulla vna diuiſi poteſt eſſe, quæ non poteſt eſſe completa: igitur omnes ſingulares antecedentis inferunt omnes ſingulares conſequentis: igitur antecedens infert conſequens, & poteſt diuidi in infinitum: ergo poſsibile eſt diuiſionem eſſe iam factam in actu in infinita.

Quòd ſi dicis ſingularia [d] conſequentis repugnare, non autem ſingularia antecedentis: contra ex compoſsibilibus nunquam ſequuntur incompoſsibilia: ſed ex ſingularibus illis ſequuntur illa patet inductiuè: igitur, &c.

23. Sed reſpondetur, quòd iſta propoſitio, *poſsibile eſt continuum diuidi ſecundùm quodlibet ſignum*, poſſet diſtingui ſecundùm compoſitionem & diuiſionem, vt eſſet ſenſus compoſitionis iſte, quòd hæc propoſitio eſt poſsibilis, *poſsibile eſt continuum diuidi ſecundùm quodlibet ſignum*: ſenſus autem diuiſionis eſt, quòd in continuo eſt diuidi poſſe ad quodcunque ſignum. Primus ſenſus eſt verus: ſecundus falſus. Vel poteſt diſtingui, ſecundùm quòd ſignum poteſt diſtribuere diuiſiuè, vel collectiuè. Poſſet etiam diſtingui, quòd *poſsibile* poſſet præcedere ſignum vel ſubſequi: & ſi præcederet, eſſet propoſitio falſa, quia notaretur, eſſe vna potentia ad attributionem prædicati: ſi ſequeretur, eſſet vera, quia notaretur potentia multiplicari ad multiplicationem ſubiecti.

Iſtæ

Iſtæ reſponſiones [e] non videntur multùm Logicæ. Tertia non, quia modus compoſitionis, puta poſſibilitas, non videtur poſſe diſtribui ad plures poſſibilitates, ſiue impoſſibilitates pro pluribus inſtantibus poſſibilibus, vel impoſsibilibus, ſeu incompoſſibilibus: & non notaretur prædicatum vniri ſubiecto pro aliquo vno inſtanti. Nec ſecunda reſponſio aliquid valet, quia illa non habet locum, niſi accepto hoc ſigno, *omnis*, in plurali, ſicut ibi: *Omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim*, nec reſponſio prima videtur valere, quia neceſſe eſt accipiendo extrema pro eodem tempore, vel pro alio, quòd *poſſibilitas* dicat modum compoſitionis vnientis extrema. *Reycit tres reſponſiones Baccon.*

24. f Omittendo longas, & prolixas euaſiones illarum improbationum, dico, quòd iſta propoſitio ſignat vnionem prædicati cum ſubiecto poſsibiliter pro aliquo vno *nunc*, licèt illud *nunc*, ſit indeterminatum; & tunc illa expoſitio eſſet vera, ſi talis ampliatio compoſitionis poſsit fieri virtute poſsibilitatis. Non enim poteſt fieri ampliatio ad plura *nunc*, vt non notetur poſsibilitas compoſitionis pro aliquo vno *nunc*, ſiue extrema accipiantur pro eodem *nunc*, ſiue pro alio: puta ſi ſedens accipiatur pro vno inſtanti, & ſtans pro alio. In omni ſenſu oportet quòd poſſibilitas modificet ipſam compoſitionem iungentem extrema pro aliquo vno *nunc*, tamen indeterminato.

Ita in propoſito, notatur diuidi vniri continuo ſecundùm ſignum, & pro quolibet eius: & hoc pro aliquo *nunc* indeterminato: hoc autem eſt impoſſibile, quia quandocunque vnitur ſibi prædicatum pro aliquo, vel aliquibus ſingularibus, neceſſariò ſibi repugnat pro aliis: neceſſe eſt enim, ſicut dicit prima reſponſio, quòd cum reductione potentiæ, non tantùm ad *factum eſſe*, ſed ad *fieri*, ſtet alia potentia non reducta, nec ad actum *facti eſſe*, nec etiam *fieri*: quia neceſſe eſt diuiſione exiſtente in *fieri*, vel in *facto eſſe* ſecundùm A, aliquid continuum terminari per A: & ita potentiam, quæ eſt in illa parte continui, non reduci ad actum.

Sed ſi arguas [g] quælibet ſingularis eſt vera, igitur & vniuerſalis. Poſſet dici, quòd ſingulares ſunt veræ, non tamen compoſſibiles: & vtrumque requiritur ad poſſibilitatem vniuerſalis.

Contrà, ſimul hæc eſt vera, continuum poteſt diuidi ſecundum A, & ſecundum B, & C, & ſic de quolibet alio ſingulari ſimul. Et ſi dicas, quòd ſingulares ſunt compoſſibiles accipiendo potentiam, ſed non actum terminantem potentiam pro eodem, puta eſt ſimul poſſibile continuum diuidi ſecundùm A, & ſecundùm B, & C, non tamen eſt poſſibile ſimul diuidi ſecundùm A, & B, & C, &c. Arguo quòd non oportet accipere poſſibilitatem diuidendi pro eodem *nunc*, ad hoc, vt vniuerſalis ſit vera: quia ſingulares abſolutè enunciantes prædicatum de ſingularibus, ſufficienter enumeratis, inferunt vniuerſale abſolutè enuncians idem prædicatum: ſed ſi tales ſingulares ſunt veræ omnes in ſe & abſolutæ: igitur & vniuerſalis.

Reſpondeo, [h] quòd ſingulares propoſitiones de poſſibili abſolutè ſumptæ, non inferunt formaliter vniuerſalem de poſſibili: ſed eſt fallacia figuræ dictionis, à pluribus determinatis ad vnam, poſſunt enim ſingulares ex vi ſermonis vnire prædicatum ſubiecto pro aliquo *nunc*: vniuerſalis autem vnit prædicatum ſubiecto pro quolibet eius vniuerſaliter: & ideò procedit ex forma ſignificandi à pluribus determinatis ad vnum. *Id eſt, à pluribus inſtantibus ad vnum. Vide Scot. li. Elench. q. 40. & ſeq.*

Iſta eſt ratio quare à præmiſſa de poſſibili vt *nunc*, & alia de poſſibili pro alio *nunc*, non ſequitur concluſio de poſſibili ſimpliciter & abſolutè: quia præmiſſæ illæ non [i] ſignificant ex forma ſua extrema vniri ipſi medio: & ſic non ſequitur vnio extremorum inter ſe, nec etiam eſt poſſibilis pro aliquo eodem. *Ex præmiſſis de poſſibili vt nunc non infertur concluſio de poſſibili ſimpliciter*

25. Et ſi quæras qualiter ſint accipiendæ ſingulares de poſſibili, vt ſufficienter inferant vniuerſalem.

Dico, quòd oportet eas accipi in compoſitione ſpecificata pro eodem *nunc* indeterminato: puta poſsibile eſt diuidi ſecundùm A, pro aliquo *nunc*, & poſsibile eſt diuidi ſecundùm B, pro eodem, & ſecundùm C, pro eodem *nunc*: & ſic de ſingulis, & tunc ſequitur vniuerſalis & aliter non.

Et ſi arguas, [k] quòd iſtæ ſingulares ſunt alterius vniuerſalis, puta iſtius, poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm quodlibet ſignum ſecundum vnum *nunc*, quæ formaliter differt ab illa alia.

Reſpondeo, [l] quòd differunt ſecundùm vocem, quia hoc quod iſta exprimit hîc, alia ex conſignificatione verbi demonſtrat extrema vniri.

Et ſi dicas, quòd etiam hoc modo ſpecificando prædicatum pro aliquo *nunc* determinato, vel indeterminato nulla ſingularis repugnat alij, vt poſsibile eſt diuidi ſecun-

dùm B, pro eodem *nunc*, non repugnat iſti, poſſibile eſt diuidi ſecundùm A, pro eodem *nunc*, & ita de C, & de quolibet alio ſingulari, quia ſi aliqua repugnaret, aut eſſet illa, quæ reciperet punctum immediatum, aut mediatum; non illa, quæ acciperet mediatum; quia diuiſio ſecundùm vnum ſignum, non impedit diuiſionem ſecundùm aliud ſignum mediatum: nec iſta, quæ immediatum, quia nullum eſt immediatum: igitur ſingulares vt inducunt vniuerſalem iſtam, vt nunc ſunt veræ & compoſsibiles.

Logica reſolutio. Reſpondeo, dico, quòd cuilibet ſingulari acceptæ, vel acceptibili, nulla ſingularis determinata accepta, vel acceptabilis repugnat indeterminata compoſitione pro eodem *nunc*: tamen quicunque acceptæ [m] repugnant infinitæ indeterminatæ.

Et ratio illius repugnantiæ eſt aſsignata priùs ex impoſsibilitate reductionis omnium potentiarum ſimul ad actum. Huius ſimile non habetur faciliter in aliis: benè enim poteſt poni exemplum, vbi quælibet ſingularis eſt poſsibilis: & tamen vniuerſalis non eſt poſsibilis, quia aliqua vna ſingularis, alicui vni ſingulari eſt incompoſsibilis: ſicut poſsibile eſt omnem colorem tibi ineſſe, hæc eſt impoſsibilis, quia aliqua vna determinata ſingularis alteri determinatæ repugnat: ſicut te eſſe album, repugnat iſti, te eſſe nigrum. Tamen ponamus, [n] quòd iſte non poſſet portare decem lapides, ſed nouem tantùm: & ſint illi lapides decem æquales, iſta propoſitio, *poſsibile eſt omnem lapidem portari ab iſto*, falſa eſt: & non quia aliqua ſingularis in ſe ſit falſa, nec quia aliqua ſingularis determinata ſit alicui determinatè incompoſsibilis: ſed aliquibus determinatis eſt aliqua indeterminata incompoſsibilis: quæcunque enim nouem ſingularia ſunt compoſsibilia, & decimum indeterminatè eſt incompoſsibile eis. Iſto modo debet intelligi reſponſio Auerroïs ſuper 1. de Generatione, qui dicit, quòd facta diuiſione in vno puncto, prohibetur fieri diuiſio in alio puncto: non quidem in aliquo alio determinato ſignato, vel ſignabili: ſed in aliquo indeterminato. 26.

Exemplo declarat, quomodo repugnat continuum ſecundum omnẽ partem eſſe diuiſum. Cap. 9.

Et tunc reſpondetur [o] ad argumentum factum contra me priùs de mediato & immediato, quòd etiam ſit contra eum. Dico, quòd non eſt dandum, diuiſionem fieri in aliquo immediato, ſed in aliquo mediato: non tamen determinato, ſiue ſignato, ſiue ſignabili, ſed indeterminato: quia quodcunque determinatum mediatum accipiatur, poſſet diuiſio ſtare ſecundùm illud ſignum, ſimul cum diuiſione ſecundùm iſtud ſignificatum: repugnabit tamen diuiſioni iſti diuiſio ſecundùm aliud ſignificatum mediatum ſecundùm aliquid, ſcilicet quòd non eſt in continuo determinato ad hoc indiuiſibile.

Sed ſi quæras de iſta [p] propoſitione, *poſsibile eſt continuum diuidi ſecundùm quodcunque ſignum*, iſta poteſt concedi: quia hoc ſignum *quodcunque* non tantùm eſt diſtributiuum, ſed etiam partitiuum: ita quòd ad veritatem vniuerſalis, cuius ſubiectum diſtribuitur per *quodcunque*, ſufficit ſigillata attributio prædicati cuicunque ſingulari, ita quòd non omni ſingulari ſimul, ſed cuicunque indifferenter: & non oportet quòd aliis, *omnis* autem non ſic ſignificat, ſed ſignificat ſubiectum ſimul accipi pro quolibet reſpectu prædicati:

Id eſt, pro alio & alio nunc, non pro eodem.

De hoc autem [q] ſigno *quilibet*, eſt dubium, vtrùm ſignificet idem cum eo, quod eſt *omnis*, vel cum eo quod eſt *quicunque*. Et quodcunque horum ponatur, dicendum eſt de illo, ſicut de illo, cui æquiualet, cùm tamen de intellectu conſtat, non eſt vis facienda in nomine.

COMMENTARIVS.

1. a *Sic igitur improbatis illis duabus deductionibus.* Nunc Doctor reſpondet ad probationes ſecundi argumenti in principio quæſtionis facti, quo probabatur hoc antecedens, ſcilicet quòd *ſucceſſiuum componitur ex indiuiſibilibus*; & probatio ſtat in hoc; poſſibile eſt ſucceſſiuum diuidi in omnia illa, in quæ eſt diuiſibile; ergo poſſibile eſt ipſum eſſe diuiſum in omnibus, in quibus poſſibile eſt ipſum diuidi; & ſic ſi eſt diuiſibile in infinitas partes actu, poſſunt eſſe infinitæ partes. Patet iſta conſequentia per illud Philoſophi 6. *Phyſ. tex. com. 92.* Quod impoſsibile eſt fieri, impoſsibile eſt factũ eſſe, vbi ſic habetur: *Quòd*, inquit, *impoſsibile eſt vniuerſaliter eſſe non erit, & quod impoſsibile eſt etiam tranſmutari, non tranſmutatur ad illud, ad quod non poteſt tranſmutari*, & ibi Commentator. *Dico*, inquit, *quòd nunquam diuiditur illud, quod impoſsibile eſt diuidi, cùm intellectum fuerit ex hoc illud, quod intendimus per indiuiſibile*, & parum infrà: *Omne quod impoſsibile eſt generari, impoſsibile eſt ipſum incipere in generatione; & vniuerſaliter, omne, quod impoſsibile eſt tranſmutari, impoſsibile eſt ipſum incipere in tranſmutatione*, Hæc ille.

Ad hanc rationem reſpondet Rogerius Baconis in opere maiori ad Clementem Papam IV. concedendo, quòd poſsibile ſit continuum diuidi ſecundùm omne ſignum, puta ſecundùm omnem partem ſignatam, ſecundùm quam eſt diuiſibile; negat tamen poſsibile eſſe ipſum eſſe actu diuiſum, quia iſta diuiſio eſt in potentia, & in *fieri*, & nunquam poteſt eſſe tota in *facto eſſe*, & tunc ad illas

Rogeri. Bac. in opere maiori ad Clem. Papam IV.

illas probationes adductas in oppoſitum, concedit de quacunque potentia ad vnam factionem, id eſt, quod poteſt fieri vna potentia, poteſt actu eſſe vna actione; non tamen hoc ſequitur de infinitis actionibus, cum quarum vna adducta ad actum neceſſariò ſtat alia non adducta ad actum; ſicut ſi calor infinitorum graduum eſſet acquiſibilis infinitis actionibus ſucceſſiuè, ita quòd vna actione tantùm acquiratur vnus gradus: & alia actione alius; non ſequitur: poteſt acquiri infinitis actionibus, ergo actu poſſunt eſſe infinitæ actiones; ſic eſt in propoſito, quia in continuo ſunt infinitæ potentiæ ad infinita *diuidi*, cum quarum vna reducta ad actum neceſſariò ſtat alia non reducta ad actum; patet, quia eſt vna potentia ad *diuidi* in duas partes primò, & data vna parte eſt in potentia ad *diuidi* in duas alias primò, & ſic in infinitum; licèt ergo concedatur poſſibilitas ad *diuidi* in infinitas partes, non tamen conceditur poſſibilitas ad eſſe diuiſum actu in infinitas partes.

2. *Scotus 5. q. quolib. abhorret infinitum in quantitate in actu, hoc idem ait in 3. diſ. prima.*

b *Confirmatur iſta reſponſio per* Auer. ſuper 3. Phyſ. comm. 69. vbi aſſignat rationem illius probationis Philoſophi. Quantam contingit magnitudinem eſſe in potentia, tantam contingit eſſe in actu. *Quantum*, inquit Ariſtoteles, *contingit potentia eſſe, & actu contingit tantumdem eſſe.* Dicit Commentator quòd non eſt ſic in numeris, propter hoc quòd omnes illæ potentiæ, quæ ſunt ad partes magnitudinis ſunt potentiæ eiuſdem potentialitatis, & eiuſdem rationis: non ſic eſt in numeris, vide ibi Commentatorem. Nam Auerroës vult quòd non eſt ſimile de potentia ad magnitudinem, & de potentia ad numerum, quia potentia ad magnitudinem, puta, vt octo, eſt eiuſdem rationis cùm potentiis ad partes magnitudinis, & ideò quando potentia ad magnitudinem vt octo, eſt in actu, tunc omnes potentiæ ad partes magnitudinis ſunt in actu, & ſic patet, quòd quantamcunque magnitudinem contingit eſſe in potentia, tantam contingit eſſe in actu; ſed potentiæ ad numerum, puta centum, & potentiæ partis, non ſunt eiuſdem rationis; patet, quia ex diuiſione alicuius continui cauſatur numerus, tunc dicitur numerus augeri, quando continuum magis ac magis diuiditur; & cùm iſtæ potentiæ ad *diuidi* non poſſint ſimul eſſe cum actibus, ſic intelligendo, quòd quando continuum diuiditur in duas partes, ita quòd eſt actu diuiſum, potentia ad *diuidi* in aliam partem, non eſt ſimul in actu, & ſic de aliis; cum ergo ex diuiſione continui augeatur numerus, & continuum ſemper ſit diuiſibile in infinitum, non ſequitur quòd quantumcunque numerum contingit eſſe in potentia, tantum contingit eſſe in actu, quia illæ potentiæ ad *diuidi* nunquam poſſunt eſſe in actu, & ſic numerus infinitus nunquam erit in actu, & ſic ex iſto dicto Commentatoris habetur quòd continuum eſt diuiſibile in infinitum, & nullius continui datur minimum in actu, nec omnes partes ſimul in actu, quamuis ſit diuiſibile in infinitas partes.

3. c *Contra iſtud.* Hic Doctor arguit probando quòd continuum ſimul poſſit eſſe diuiſum in actu; & probat hoc ſequi ſecundùm reſponſionem datam à Rogerio, & ratio ſtat in hoc; poſſibile eſt continuum, puta A, diuidi ſecundùm partem B, & ſecundùm partem C, & ſic in infinitum, ſiue loquendo de partibus determinatè, puta de iſta ſignata, & de iſta, ſiue de partibus indeterminatè, puta non actu ſignatis, ſed aptis ſignari; ſicut ergo poſſibile eſt A, diuidi in B, ergo A, poteſt actu eſſe diuiſum in B, & ſicut poteſt diuidi in C, ita poteſt actu eſſe diuiſum in C, & ſic in infinitum: ergo ſicut ſingulares, puta antecedentis, ſcilicet A, poteſt diuidi in B, & in D, & ſic in infinitum ſunt veræ: ergo & ſingulares conſequentis erunt veræ, ſcilicet ergo A ſimul poteſt eſſe diuiſum in B, & in C, & ſic in infinitum.

d *Quòd ſi dicis ſingularia conſequentis repugnare*, &c. id eſt, quòd etſi iſta non repugnent, continuum poteſt diuidi in iſtam, & in iſtam partem, & ſic in infinitum, tamen iſta repugnant in conſequente, videlicet quòd iſtæ partes ſingulares poſſint ſimul eſſe in actu.

Contrà, ex compoſſibilibus nunquam ſequuntur impoſſibilia: patet, quia ſicut ex vero non poteſt ſequi falſum, *ex primo Priorum*, & ex poſſibili nunquam poteſt ſequi impoſſibile, ſic ex compoſſibilibus non ſequuntur incompoſſibilia, *ſed ex ſingularibus illis ſequuntur illa*, ſupple ſingularia; patet, quia ſi iſta eſt vera, Continuum poteſt diuidi in A, & B, ergo A, & B, poſſunt ſimul eſſe in actu; & ſimiliter ſi poteſt diuidi in C, & D, & E, & F, & ſic de aliis: ergo illa poſſunt eſſe ſimul in actu.

Sed reſpondetur. Aliqui reſpondent ad primam propoſitionem, ſcilicet iſtam, *poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm quodlibet ſignum*, &c. quòd poteſt accipi in ſenſu compoſito; & tunc ſenſus eſt, ſcilicet iſta propoſitio eſt poſſibilis, videlicet poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm quodlibet ſignum, & eſt vera: & poteſt accipi in ſenſu diuiſo, & tunc eſt falſa, quia ſenſus eſſet, quòd continuum poſſet eſſe actu diuiſum ſecundùm quodlibet ſignum.

4. *Continuum dupliciter ſumitur.*

Vel poteſt diſtingui. Iſta opinio dat aliam reſponſionem dicens, quòd iſta propoſitio, *poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm quodlibet ſignum*, ſiue ſecundùm quamlibet partem, quod idem eſt, poteſt dupliciter accipi, ſcilicet collectiuè, & diuiſiuè. Primo modo propoſitio eſt falſa, quia ſenſus eſt, quòd poſſe diuidi ſecundùm quamlibet partem, poſſet ineſſe actu, & ſic continuum actu eſſet diuiſum in infinitas partes. Secundo modo propoſitio eſt vera, & ſenſus eſt, quòd continuum poteſt diuidi ſecundùm quamlibet partem ſucceſſiuè in infinitum.

Poſſet etiam diſtingui, dicit iſta opinio, quòd ſi ly *poſſibile* præcedat ſignum, tunc iſta eſt falſa, ſic dicendo: *poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm quodlibet ſignum*, & ſenſus eſt, quòd ſimul poteſt eſſe vna potentia ad continuum reſpectu prædicati, id eſt, quòd diuidi ſimul ſecundùm quamlibet partem poteſt competere continuo, ſic quòd ſit vna potentia in actu, includens plures potentias, id eſt, quòd ſimul poſſit dari continuum diuiſum in infinitas partes, & hic ſenſus eſt falſus. Si autem ly *poſſibile* ſequatur, ſic dicendo: *Continuum diuidi ſecundùm quodlibet ſignum eſt poſſibile.* Propoſitio eſt vera, & eſt ſenſus, quòd ſecundùm aliam & aliam potentiam, continuum poteſt diuidi in aliam & aliam partem in infinitum ſucceſſiuè, & hic ſenſus eſt verus.

5. o *Iſta reſponſiones non videntur multùm Logicæ*, &c. Hic Doctor improbat has tres reſponſiones, & primò improbat tertiam, quia non eſt Logicè dictum. Patet, quia modus compoſitionis, puta poſſibilitas, non videtur poſſe diſtribui ad plures poſſibilitates, ſiue impoſſibilitates pro pluribus

ribus inſtantibus, & non notaretur prædicatum vniri ſubiecto pro aliquo vno inſtanti: patet, nam cùm dico, *poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm quodlibet ſignum*, ly *quodlibet* non diſtribuit partes pro alio & alio inſtanti, ita quòd dicatur, poſſibile eſt diuidi ſecundùm hanc partem in vno inſtanti, & poſſibile eſt diuidi ſecundùm aliam partem in alio inſtanti: quia hoc ſignum diſtributiuum iunctum cum poſſibili, debet aliquando verificari pro omnibus ſuppoſitis ſimul; ſicut cùm dico, *poſſibile eſt omnem hominem eſſe album*, id eſt, quòd aliquando pro aliquo inſtanti poſſet verificari quòd omnis homo ſit albus.

Improbatio ſecundæ reſponſionis.

Nec ſecunda reſponſio aliquid valet, &c. Hîc improbat ſecundam reſponſionem non in ſe, quia in re verum eſt quod dicit, ſed quia non eſt Logicè dicta, quia ſignum diſtributiuum ſumptum in ſingulari non poteſt accipi de rigore ſermonis collectiuè, ſed quando accipitur collectiuè eſt in numero plurali.

Nec reſponſio prima videtur valere, &c. Doctor reprehendendo hanc primam reſponſionem, dicit, quòd non eſt Logicè dicta, quia *poſſibile* non eſt modus propoſitionis, ſed eſt modus compoſitionis, ita quòd accipiendo ipſam in ſenſu compoſito, ſenſus eſt, quòd iſta compoſitio eſt poſſibilis, ſcilicet *poſſibile eſt continuum diuidi*, &c. & hic eſt manifeſtè falſus, quia tunc denotatur hoc quod eſt diuidi ſecundùm quodlibet ſignum actu eſſe in continuo, & hoc eſt quod dicit in iſta litera.

6. *Nota.*

f *Omittendo longas*, &c. Hîc Doctor negat hanc propoſitionem, ſcilicet *poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm quodlibet ſignum*, quia iſta propoſitio ſignificat compoſitionem prædicati, ſcilicet *diuidi ſecundùm quodlibet ſignum*, cùm ſubiecto, *ſcilicet continuum* determinatum per ly *poſſibile*, & ſignificat illam vnionem pro aliquo vno *nunc* indeterminato: & eſt ſenſus, quòd diuidi ſecundùm quodlibet ſignum pro aliquo vno *nunc* indeterminatè poteſt competere continuo, & hic ſenſus eſt manifeſtè falſus, & quia hæc litera eſt aliqualiter obſcura, declaro eam incipiendo ibi; *& tunc illa propoſitio eſſet vera, ſi talis ampliatio compoſitionis poſſet fieri virtute poſſibilitatis, non enim poteſt fieri ampliatio ad plura* nunc, *vt non notetur poſſibilitas compoſitionis pro aliquo vno nunc.* Vult dicere quòd hic modus poſſibilitatis debet ſemper componere prædicatum & ſubiectum pro aliquo vno inſtanti, ſiue extrema accipiantur pro vno & eodem inſtanti; ſiue pro alio inſtanti. Exemplum primi, poſſibile eſt hominem eſſe album, ita quòd *homo* & *album* accipiantur in eodem inſtanti. Exemplum ſecundi, vt cùm accipio *album* pro vno iſtanti, & *nigrum* pro alio inſtanti; vt cùm dico, poſſibile eſt album eſſe nigrum, de rigore ſermonis modus poſſibilitatis vnit extrema prò aliquo vno inſtanti indeterminatè. Si ergo hæc eſſet vera, *poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm quodlibet ſignum*, iſtud prædicatum, ſcilicet *diuidi ſecundùm quodlibet ſignum*, pro aliquo inſtanti poſſet ineſſe continuo; hoc autem eſt impoſſibile, quia quandocunque vnitur ſibi prædicatum pro aliquo, vel aliquibus ſingularibus, neceſſariò ſibi repugnat pro aliis: neceſſe eſt enim ſicut dicit prima reſponſio, quòd cùm reductione potentiæ, non tantùm ad *factum eſſe*, ſed etiam ad *fieri* ſtet alia potentia non reducta, nec ad actum *facti eſſe*, nec etiam ad *fieri*; quia neceſſe eſt diuiſione exiſtente in *fieri* & in *facto eſſe* ſecundùm A, aliquod continuum terminari per A, & ita illa potentia, quæ eſt in illa parte continui, non reduci ad actum.

7.

g *Sed ſi arguas, qualibet ſingularis eſt vera igitur & vniuerſalis*, id eſt, continuum poſſibile eſt diuidi ſecundùm partem A, & ſecundùm partem B, & ſic in infinitum, tunc quælibet ſingularis eſt vera; ergo vniuerſalis erit vera, ſcilicet iſta, poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm omnem partem.

Poſſet dici, quòd ſingulares ſunt vera, non tamen compoſſibiles, &c. Vult dicere Doctor quòd data quacunque ſingulari, illa erit vera, non tamen iſtæ ſingulares ſunt ſimul compoſſibiles, vt ſuprà patuit; & tamen requiritur ad hoc, quòd vniuerſalis ſit vera, quòd non tantùm ſingulares ſint veræ, ſed etiam compoſſibiles.

Continuum poteſt diuidi.

Contrà, ſimul hæc eſt vera continuum poteſt diuidi ſecundùm A, & ſecundùm B, & C, & ſic de quolibet alio ſingulari ſimul, & ſic ſequitur quòd non ſint incompoſſibiles. *Et ſi dicas quòd ſingulares ſunt compoſſibiles, accipiendo potentiam, ſed non actum terminantem potentiam pro eodem*, id eſt, quòd quando dico poſſibile eſt ſimul continuum diuidi ſecundùm A, & ſecundùm B, ſi intelligatur quòd potentia eſt ad diuidi ſecundùm A, & ad diuidi ſecundùm B, concedatur, quia poſſunt eſſe plures potentiæ, puta ad A, & B, & C. Si autem intelligatur ſecundùm actum terminantem potentiam pro eodem, ſic intelligendo poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm A, & ſimul diuidi ſecundùm B actu, negatur. Sequitur in litera, *puta eſt ſimul poſſibile diuidi continuum ſecundùm A*, &c. id eſt, quòd loquendo de rigore ſermonis, cùm dico, eſt ſimul poſſibile continuum diuidi ſecundùm A, & ſecundùm B, vt ly *ſimul* præcedit *poſſibile*, eſt vera, & habet ſenſum primo modo dictum. Si verò dicatur poſſibile eſt continuum ſimul diuidi ſecundùm A, & B, tunc ſenſus eſt falſus, & habet ſenſum ſecundo modo dictum; nam cùm dico, *ſimul poſſibile eſt*, &c. ly *ſimul* determinat potentiam, ſiue poſſibilitatem. Cùm verò dico, *poſſibile eſt ſimul diuidi*, ly *ſimul* determinat actum.

8.

Arguò, quòd non oportet accipere poſſibilitatem. Hîc Doctor arguit contra illud quod ſuperiùs dixit ibi; *omittendo longas & prolixas euaſiones*, &c. vbi dixit, quòd iſta propoſitio, *poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm quodlibet ſignum*, eſt falſa, quia ſignificat illam vnionem pro aliquo *nunc* indeterminato; hîc verò vult probare quòd ad hoc vt hæc vniuerſalis ſit vera, ſcilicet *poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm quodlibet ſignum*, non ſit neceſſe prædicatum vniri ſubiecto pro aliquo vno inſtanti, quia ſingulares abſolutè enunciantes prædicatum de ſingularibus, ſufficienter enumeratis, inferunt vniuerſale abſolutè enuncians idem prædicatum.

An ſingulares determinatè inferãt vniuerſalẽ.

h *Reſpondeo, quòd ſingulares propoſitiones*, &c. Hîc Doctor dicit, quòd licèt aliquando ſingulares abſolutè ſumptæ, inferant vniuerſalem abſolutè ſumptam, vt *Franciſcus currit, & Ioannes, & ſic de aliis, ergo omnis homo currit*, non tamen ſingulares determinatæ per *poſſibile* formaliter inferunt vniuerſalem de poſſibili, id eſt, quòd talis vniuerſalis de *poſſibili* non infertur conſequentia formali, & ſi aliquando inferatur conſequentia materiali. Quòd autem non inferatur conſequentia formali, patet in iſta, *poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm iſtam partem, & ſecundùm iſtam,*

& ſic

& ſic de aliis, ergo poſſibile eſt abſolutè diuidi ſecundùm omnem partem, eſt enim fallacia figuræ dictionis à pluribus determinatis ad vnam, vt patet in tertio modo fallaciæ figuræ dictionis; vt dicendo: *Animal eſt Franciſcus, animal eſt Ioannes: & ſic de aliis, ergo animal eſt omnis homo.* Non ſequitur, quia arguitur à pluribus determinatis ad vnam determinatam: quia ex quo animal æqualiter ſe habet ad omnem hominem, cùm dico, *animal eſt Franciſcus*, ly *animal* tantùm ſupponit pro *Franciſco*, & ſic de aliis. Cùm verò dico *animal eſt omnis homo*, ſupponit de facto pro pluribus, & ſic deſcendendo ſub prædicato, ſequeretur, quòd iſta eſſet vera, *animal eſt hic homo, & hic homo, & ſic de aliis*, quod eſt falſum. Sic eſt in propoſito, arguitur enim à pluribus inſtantibus ad vnum inſtans, vt cùm dico, *poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm vnam partem pro inſtanti A, & poſſibile eſt ipſum diuidi ſecundùm aliam pro inſtanti B, & ſic de ſingulis, ergo poſſibile eſt abſolutè ipſum diuidi ſecundùm omnem parte, pro aliquo vno inſtanti indeterminato.*

9. i *Præmiſſæ illæ non ſignificant ex forma ſuæ extrema vniri ipſi medio*, nam præmiſſæ ſemper ſignificant ex forma, extrema vniri pro aliquo vno inſtanti, vt patet diſcurrenti per omnes ſyllogiſmos; modò præmiſſa ſumpta pro vno inſtanti, & alia ſumpta pro alio inſtanti, ex forma non ſignificant extrema vniri poſſe, & ſic non ſequitur abſolutè concluſio de poſſibili.

k *Et ſi arguas, quòd iſtæ ſingulares ſunt alterius vniuerſalis* Hîc arguit Doctor quòd cùm dico, poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm vnam partem pro inſtanti A, & ſecundùm aliam pro inſtanti B, ſunt ſingulares huius vniuerſalis, ſcilicet *ergo poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm omnem partem, pro alio & alio inſtanti*, & iſtæ ſingulares, *poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm partem* A, & ſecundùm partem B, & ſic de aliis, videntur ſingulares huius vniuerſalis, *ergo poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm omnem partem*, & ſi ſic, videtur falſum dicere, ſcilicet quòd iſtæ ſingulares primo modo ſumptæ, ſint ſingulares huius vniuerſalis, ſecundo modo ſumptæ, ſcilicet *ergo poſsibile eſt continuum diuidi ſecundùm omnem partem.*

l *Reſpondeo, quòd differunt ſecundùm vocem.* Dicit Doctor quòd in re iſtæ ſingulares ſunt idem ſcilicet, *poſsibile eſt continuum diuidi ſecundùm partem A, & ſecundùm partem B*, & *poſsibile eſt ſecundùm partem A, diuidi pro vno inſtanti*, & *poſsibile eſt ipſum diuidi ſecundùm partem B, pro eodem inſtanti*, & ſi differunt, tantùm ſecundùm vocem differunt.

10. *An linea pedalis poſſit diuidi.* *Et ſi dicas, quòd etiam hoc modo ſpecificando*, &c. Hîc Doctor intendit probare, quòd etiam ſit poſſibile continuum diuidi ſecundùm omnem partem, pro aliquo vno inſtanti, ſiue determinato, ſiue indeterminato: & pono pro exemplo lineam pedalem; & certum eſt quòd poſſibile eſt ipſam diuidi pro inſtanti A: quæro tunc an ſimul repugnet ipſam diuidi in alia partem pro eodem inſtanti, & ſic de aliis: ſi ſic, habeo propoſitum, quia poſſibile eſt ipſam diuidi ſecundùm quamlibet partem pro eodem inſtanti. Si verò repugnat, quæro quæ ſit illa pars, quæ repugnat, Aut eſt illa, quæ accipit punctum immediatum, vt, exempli gratiâ, ſi linea pedalis diuidatur in puncto A, & ſimul poteſt diuidi in puncto B, ſi repugnat ſibi ſimul diuidi in puncto A, & in puncto B: quia vt eſt diuiſibilis in puncto A, repugnat ſibi ſimul poſſe diuidi in puncto B, & ſi hoc repugnat, aut ideò eſt, quia punctum B, eſt immediatum puncto A, & hoc non eſt ponendum, cùm puncta non ſint immediata ad inuicem; aut ergo poteſt diuidi in C, quod eſt mediatum ipſi A: ergo ſi non repugnat ipſum diuidi in A, nec repugnabit ſimul poſſe diuidi in B, & hoc eſt quod dicit.

11. m *Cuicunque acceptæ repugnant infinitæ indeterminatæ*, patet, quia ſi mille diuiſiones fierent reſpectu ſignorum determinatorum in eodem inſtanti: ſimul illæ mille diuiſiones non repugnarent inter ſe, nec vna vni, nec vna pluribus; tamen cum hoc ſtat quòd ſint infinitæ indeterminatæ, quæ repugnent iſtis reſpectu eiuſdem inſtantis, & ratio aſſignata eſt in prima reſponſione, quia cùm vna potentia reducitur ad actum, non ſimul omnes poſſunt reduci ad actum, quia continuum cùm diuiditur, diuiditur in ſemper diuiſibilia, & ideò nunquam poteſt compleri tota diuiſio: ſi verò diuideretur in indiuiſibilia, eſſent omnes potentiæ ad illa indiuiſibilia reducibiles ad actum.

n *Tamen ponamus quòd iſte non poſſet portare decem lapides*, &c. id eſt, quòd ſi ponamus decem lapides æquales, quilibet illorum poteſt eſſe octauus, vel nonus; vnus ergo illorum indeterminatè ſumptus, poteſt dici nonus, & decimus; poſitis ergo nouem lapidibus determinatis, decimus indeterminatè ſumptus, quicunque ſit ille, eſt incompoſſibilis eis. Vult dicere Doctor quòd ponendo caſum, quòd Socrates poſſet portare nouem lapides tantùm, & non plures, ſint decem lapides æquales; tunc iſta vniuerſalis de *poſſibili* erit falſa, & tamen erunt omnes eius ſingulares determinatè veræ, ſed iſta, *iſte poteſt portare omnem lapidem*, eſt falſa, & iſta eſt vera, *iſte poteſt portare iſtum lapidem, & iſtum, & iſtum vſque ad nouem*, ſed ſi dicas, *poteſt portare & iſtum decimum*, iſta erit incompoſſibilis illis nouem, & tamen indeterminata, quia non eſt lapis ſignatus, quem non poſſit portare; tamen vnum non poteſt portare, & eſt decimus, ſit quicunque illorum decimus, quia non magis vnus, quàm alius eſt decimus, quia ſi incipis numerare ab vno, decimus erit incompoſſibilis aliis; & ſi incipias numerum ab illo, alius erit decimus, & ille erit incompoſſibilis aliis. *Et iſto modo debet intelligi reſponſio*, &c. quia omnes diuiſiones in continuo ſimul eſſe eſt impoſſibile, vnde ſic ait Commentator: *Et ideò videmus, quòd cùm diuiſimus magnitudinem ſuper aliquod punctum, quod impoſſibile eſt, quòd diuiſio cadat ſuper aliud punctum, conſequens illud punctum, quod erat poſſibile antequam diuiſio eadem caderet ſuper illud punctum, ſicut erat poſſibile in illo puncto; ſed cùm diuiſio cecidit ſuper illud primum, ſtatim fuit deſtructa poteſtas diuiſionis in ſecundo. Cùm igitur acceperimus aliud punctum poſſibile erit vt magnitudo diuidatur ſuper ipſum quocunque loco voluerimus, ſed cùm magnitudo fuerit diuiſa ſuper punctum, & in aliquo loco, tunc impoſſibile erit, vt diuidatur ſuper ſecundum punctum in loco, quo voluerimus, cùm impoſſibile eſt vt diuidatur ſuper punctum conſequens primum.* Hæc ille. *Reſponſio Commentatoris.*

12. o *Et tunc reſpondetur*, &c. Vult dicere in ſententia, quòd licèt omnes ſingulares ſignatæ, & ſignabiles reſpectu eiuſdem inſtantis ſint compoſſibiles, aliquæ tamen ſunt illis incompoſſibiles

les pro eodem inſtanti, & illæ ſunt indeterminatæ, & non poſſunt eſſe illæ, quæ reſpiciunt punctum immediatum, quia nullum eſt, ſed ſunt illæ, quæ reſpiciunt puncta indeterminata mediata, quæ ſunt in continuo, & non ſunt diuiſiones determinatæ reſpectu eiuſdem inſtantis, vt ſunt aliæ datæ & acceptæ, & hoc eſt quod dicit, *repugnabit tamen iſti diuiſioni facta ſecundum ſignum determinatum, diuiſio ſecundum aliud ſignum mediatum aliquid, ſcilicet quod non eſt in continuo determinatum ad hoc indiuiſibile*, id eſt, ad hoc inſtans, vt ſunt aliæ datæ.

Vbi ſit difficultas huius literæ.

p *Si quæras de iſta propoſitione, poſſibile eſt continuum diuidi ſecundum quodcunque ſignum*, &c. Tota enim difficultas huius literæ eſt de hoc ſigno *quodcunque*, & de hoc ſigno *quodlibet*, & dicit Doctor quòd ly *quodcunque* non requirit de neceſſitate prædicatum vniri ſubiecto pro eodem inſtanti; vt cùm dico, poſſibile eſt continuum diuidi ſecundùm quodcunque ſignum, nam cùm dico *diuidi*, &c. poteſt verificari de alia, & alia parte continui pro alio & alio inſtanti; ſed hoc ſignum *quodlibet*, ſiue hoc ſignum *omne*, & huiuſmodi, de rigore ſermonis requirit prædicatum vniri ſubiecto pro eodem inſtanti. Ex quo enim hoc ſignum *quodcunque* eſt diſtributiuum quantitatis diſcretæ, & non continuæ, & ideò ſimul eſt ſignum diſtributiuum & partitiuum; & ideò non requirit omnes ſuas ſingulares ſimul eſſe veras pro eodem inſtanti, ſed hæc ſignum *quodlibet* & *omne*, ſunt ſigna diſtributiua, & ſic requirunt ſuas ſingulares copulatiuè, & ſimul eſſe veras pro eodem inſtanti.

q *De hoc autem ſigno* quilibet *eſt dubium*, &c. 13.
Vult dicere, quòd hoc ſignum *quilibet*, ſiue confundat ſicut ly *omnis*, vel ſicut ly *quodcunque* non eſt curandum: Si tamen confundat vt ly *omnis*, ſcilicet diſtributiuè conſequenter dicendum eſt, ſicut de hoc ſigno *omnis*; ſi autem confundat vt ly *quodcunque* conſequenter dicendum eſt, ſicut de hoc ſigno *quodcunque*. Cùm enim dicimus, continuum eſt diuiſibile ſecundùm quodlibet ſignum, ſi ly *quodlibet* confundat ſicut hoc ſignum *omne*, propoſitio eſt falſa, quia tunc ſignatur hoc prædicatum quòd eſt *diuidi ſecundū omnem partē* vniri ſubiecto pro eodē inſtanti: ſi verò confūdat, vt hoc ſignū *quodcunque*, tunc propoſitio eſt vera, quia ſignificatur prædicatum vniri ſubiecto pro alio & alio inſtanti. Tamen quicquid ſit, cùm de intellectu cōſtat, nulla eſt vis faciēda in nomine.

SCHOLIVM.

Refert ſolutionem aliorum, ad ſecundam probationem antecedentis ſecundi argumenti. ſupr. n. 2. qui negant indiuiſibile eſſe quid poſitiuum: primò, quia ſecluſo omni indiuiſibili, continuum eſt finitum: ſecundò, ex indiuiſibili & partibus non poteſt fieri per ſe vnum: tertiò, haberet indiuiſibile eſſe, *& non eſſe, ſine generatione & corruptione. Hanc refutat Doctor quinque rationibus.*

Opinio nominal. vide Occh. in tract. de Euchar. & quodl. 1. q. 9.

AD ſecundam a probationem illius antecedentis dicitur, quòd indiuiſibile nihil 27.
eſt, niſi carentia continui, ita quòd nihil formaliter eſt inſtans, niſi carentia ſucceſſionis continuæ: & ita punctus eſt carentia longitudinis, & nihil poſitiuum dicit, & tunc neganda eſſet illa propoſitio, quòd ſucceſſiuum præcisè habeat *eſſe*, quia ſuum indiuiſibile ſit: imò præcisè habet *eſſe* ſucceſſiuum, quia pars eius fluit, & non quia indiuiſibile eius ſit aliquid poſitiuè.

Pro iſta poſitione b videntur multa facere: primò, quia poſita ſola ratione continui circumſcripto omni abſoluto, videtur eſſe terminatum ſi non ſit infinitum: nec videtur, quòd poſſit Deus ſeparare finitatem à linea: nec per conſequens punctum, quod non videtur eſſe probabile, ſi punctus eſſet alia eſſentia abſoluta à linea.

Quere Burleum ſuper 1. Phyſic. & alibi.

Similiter ſi eſſent duæ eſſentiæ abſolutæ, non videtur poſſibile, quomodo fieret aliquod vnum ex eis, niſi vnum alteri accideret: non enim ſunt vnum ſecundùm identitatem perfectam; quia ponuntur duæ eſſentiæ abſolutæ: nec vnum tertium compoſitum ex eis; quia neutrum reſpectu alterius eſt actus aut potentia. Similiter c indiuiſibile haberet *eſſe* & *non eſſe* abſque generatione, & corruptione: quia ſi in medio lineæ continuæ eſt tantùm vnus punctus, ipſa autem diuiſa ſunt duo puncta in actu: igitur eſt ibi aliquis punctus, qui non præfuit ibi, & ſine generatione, quia non videtur probabile, quòd diuidens generauerit ibi aliquam eſſentiam abſolutam: ſimiliter de figura inciſionis, videtur per Auctorem ſex Principiorum, quòd non ſit aliquid poſitiuè dictum: & tamen ibi eſt ſuperficies in actu, quæ priùs non fuit in actu.

In proœm. vide 2. Phyſ. tex. com. 11. Conatur Occ. q. 1. ar. 2. de Euch. hæc ſoluere.

d Sed contra iſtud, tunc ſequitur quòd generatio ſubſtantiæ, quæ non eſt per ſe 28.
terminus continui, nihil erit, vel ſaltem in nihilo: quia non eſt eius aliqua menſura poſitiua: & ita eſt de illuminatione & de omnibus mutationibus ſubiectis, quæ non ſunt per ſe termini motuum, & fiunt in inſtanti, ſicut nihil in nihilo, vel priuatio continuitatis in priuatione continuitatis; tamen de iſtis videtur abſurdum, quia non ſunt per ſe termini continuitatis alicuius continui, quia nihil ſunt continui, nec poſitiuè, nec priuatiuè.

Text. 9.

Prætereà, ſecundùm Philoſophum 1. *Poſter.* ratio lineæ eſt ex punctis, hoc eſt, in ratione eſſentiali lineæ, cadit punctus: quæ ratio dicitur de linea primo modo dicendi

dicendi per ſe : nulla autem priuatio pertinet per ſe ad rationem eſſentialem poſitiui igitur , &c.

e Præterea,ex eodem ſequitur, quòd ſi punctus tantùm eſt priuatio , quòd etiam linea tantùm erit priuatio,& ſuperficies & corpus:ſemper enim terminatum definitur per terminans,& poſitiuum non includit eſſentialiter priuationem.

Similiter ſequitur idem propter aliud : quia tunc linea tantùm erit carentia latitudinis,& ſuperficies tantùm carentia profunditatis,& tunc non erit niſi vnica dimenſio, quæ ponetur corpus cùm tamen illa dimenſio,quæ dicitur profunditas , poſſet alio reſpectu dici latitudo. Iſtæ enim tres dimenſiones f diſtinguuntur ſecundùm imaginationem trium linearum ſe interſecantium in eodem puncto. *Contra Ariſt. 1. Cæl. t. c. 2.*

Ex hoc infertur vlteriùs inconueniens,quòd ſi ſuperficies eſt tantùm priuatio profunditatis,quomodo erit punctus, niſi priuatio priuationis?Nihil enim videtur priuare priuationem,niſi formaliter poſitiuum.

Præterea, ſecundùm g ſuperficiem inſunt multæ qualitates corporales & ſenſibiles, vt videtur:ergo non eſt tantùm priuatio. Antecedens probatur de coloribus & figuris, quorum vtrumque eſt per ſe viſibile , & per conſequens poſitiuum : figura etiam propriiſſimè ſequitur ſpeciem , ſicut determinatiua organizationis corporis humani , & ideò videtur accidens manifeſtatiuum ſpeciei : non autem videtur probabile , entitatem poſitiuam talis conſequentis ſpeciem naturaliter,& manifeſtantis eam, includere eſſentialiter,vel pro ſubiecto habere immediatè priuationem. *Figura manifeſtatiua ſpeciei.*

Si autem hac h ſolutione omiſſa , redeundo ad ſecundam probationem aliter dicatur,quòd indiuiſibile,per quod ſucceſſiuum habet *eſſe*, eſt tantùm in potentia Hoc nihil iuuat,quia eodem modo quo habet *eſſe* in toto quando cedit, quæro quid ſibi ſuccedat:ſi aliud indiuiſibile.ſtat argumentum : ſi non,tunc ſucceſſiuum non erit.

COMMENTARIVS.

1. a *AD ſecundam probationem illius antecedentis.* Nunc Doctor reſpondet ad ſecundam probationem huius antecedentis , ſcilicet *ſucceſſiuum componitur ex indiuiſibilibus* , & probatio eſt ibi circa principium,quæſt. 1.

Secundò probo idem , quia ſucceſſiui nihil eſt actu,niſi indiuiſibile. Pro intelligentia huius probationis pono,quòd motus ſucceſſiuus ſit per ſpatium vnius horæ,certum eſt quòd ille motus non poteſt dici in actu niſi ratione alicuius indiuiſibilis, ſiue *mutati eſſe*, quod idem eſt, quia omnes partes,vel ſunt præteritæ,& ſic fluxæ;vel ſunt futuræ, & ſic fluendæ ; ergo ſi aliquis motus eſt in actu,eſt propter aliquod indiuiſibile, cuius indiuiſibilis datur primum & vltimum ſui *eſſe*, vt ſuprà patuit *q. 1. præſentis diſt.* & probat quòd pars motus diuiſibilis ſi actu eſſet , eſſet ſucceſſiua , & non ſucceſſiua;quod patet,quia dum actu eſt non habet *eſſe* fluens, ſed permanens , & cùm ſit ſucceſſiua non eſſet permanens , & ſic ſucceſſiua & non ſucceſſiua ; & ſic patet quomodo ſucceſſiui nihil eſt in actu,niſi indiuiſibile , ergo totum ſucceſſiuum erit compoſitum ex diuiſibilibus. Conſequentia probatur , ibi , *illo igitur indiuiſibili non exiſtente actu* , &c. Cùm dicit de indiuiſibili raptim tranſeunte, debet intelligi , vt ſuprà expoſitum eſt de ſucceſſione æui,*q. 1. præſentis diſ.* Nam inſtans raptim tranſiens ſic intelligitur, quòd primum inſtans menſurans aliquid , tranſit, & aliud immediatè ſuccedit , & illo tranſeunte aliud immediatè ſuccedit,& ſic in infinitum.Quærit ergo, quid ſuccedat indiuiſibili ? ſi indiuiſibile,habetur propoſitum, quòd continuum eſt compoſitum ex indiuiſibilibus;ſi non ſuccedit ſibi aliud indiuiſibile,ergo continuum non erit in actu , quia indiuiſibile eius non eſt in actu , & ſicut aſſumptum eſt, ſucceſſiuum non eſt in actu , niſi quia aliquid indiuiſibile eius eſt in actu.

Doctor primò recitat reſponſi. Ocham in 4. in *Scot. Oper. tom. VI.* tract. de Euchariſtia, qui dicit, quòd indiuiſibile nihil eſt,niſi carentia continui,ita quòd nihil formaliter eſt inſtans, niſi carentia ſucceſſionis continuæ.& ita punctus eſt tantùm carentia longitudinis ; & tunc neganda eſt illa propoſitio, ſcilicet quòd ſucceſſiuum præcisè habeat eſſe, quia ſuum eſſe indiuiſibile ſit , imò præcisè habet eſſe ſuum ſucceſſiuum,quia pars eius fluit. *Ocham in quarto tractatu de Euchariſtia.*

b *Pro iſta poſitione videntur multa facere.* Probat Ocham,quòd punctus ſit tantū priuatio, quia poſita ſola linea,& circunſcripto omni alio à linea ipſa eſt terminata;nec videtur quòd poſſit ſeparare finitatem, ſiue terminationem à linea, nec per conſequens punctum, quod non videtur eſſe probabile , ſi punctus eſſet alia eſſentia à linea , quia Deus poteſt ſeparare vnum abſolutum ab alio. 2.

c *Similiter indiuiſibile haberet eſſe , & non eſſe,abſque generatione, & corruptione.* Hæc ratio Ocham ſtat in hoc,quòd ſi punctus eſſet quid abſolutum poſitiuum , eſſet terminus generationis *ad quem*,& terminus generationis *à quo*, ita quòd per ſe poſſet generari , & corrumpi , quod eſt falſum , & quod non poſſit per ſe generari probat, quia ſi aliqua linea diuidatur in puncto,ipsâ diuisâ,ſtatim ſunt ibi duo puncta,& ſic punctus , qui ibi non præfuit , generatur , ſed falſum eſt , quod diuidens lineam generèt punctum. Similiter de figura inciſionis videtur per Auctorem ſex Principiorum , quòd non ſit aliquid poſitiuè dictum, & tamen ibi eſt ſuperficies in actu,quæ priùs non fuit in actu.

Reſpondeo ad has inſtantias , tenendo quòd punctus ſit aliquid poſitiuum de prædicamento Quantitatis. Ad primam inſtantiam dico, quòd lineam eſſe terminatam , poteſt dupliciter intelligi, primò poſitiuè, ſecundò priuatiuè , ſiue negatiuè. Primo modo eſt terminata per punctum poſitiuum. Et ſecundo modo eſt tantùm terminata negatiuè , ita qnòd ipſa linea ſine 3. *Punctus eſt aliquid poſitiuum.*

punctis poſitiuè non habet aliquem terminum actualem.

Ad ſecundam inſtantiam dico, quòd ſi linea eſt prior puncto, & punctus non identificetur ſibi realiter, quòd Deus poſſet facere ipſam ſine puncto, quia omne abſolutum prius alio, realiter diſtinctum ab illo poteſt eſſe ſine poſteriori, vt infrà patebit *in iſto ſecundo diſ.* 12. *qu.* 2. Si verò punctus identificatur realiter ipſi lineæ, non poſſet Deus facere lineam ſine puncto.

Ad tertiam inſtantiam dico, quòd ſi punctus eſſet aliud à linea, accideret ipſi lineæ, nec ex hoc diceretur lineam propriè componi ex linea, & puncto, ſed punctus eſſet in linea tantùm, vt terminans.

Ad quartam inſtantiam dico, quòd non ſequitur quòd punctus per ſe generetur, quia de neceſſitate concomitatur ad generationem alterius, puta lineæ, ſicut etiam relatio intrinſecus adueniens de neceſſitate concomitatur ad generationem alterius, puta termini, vel ſubiecti; vt patet de ſimilitudine; & ſimiliter hæcceitas de neceſſitate concomitatur ad aliquam ſubſtantiam genitam; & ſic dico quòd generans lineam, actu concomitanter generat puncta. Si etiam diceretur, quòd tali diuiſione generetur punctus per ſe, non eſſet fortè inconueniens, quia ad ipſum generandum ſufficeret ſubita actio. Ad aliud de figura inciſionis, vide in 6. Principiis attributis Scoto, vbi quærit an figura cauſata per inciſionem, puta in lapide, dicat aliquid poſitiuum, & ibi ſubtiliter probatur, quòd ſic; & ſic falſum eſt quod dicit Ocham. Et quod dixi de puncto in linea, quòd ſit quid poſitiuum, hoc idem dico de *mutato eſſe* in motu, & de inſtanti in tempore.

d *Sed contra iſtud tunc ſequitur*, &c. Hîc Doctor arguit contra Ocham, & probat, quòd inſtans temporis ſit aliquid poſitiuum; & ratio ſtat in hoc, nam ſecundùm Ocham ſubſtantia, quæ eſt terminus generationis menſuratur inſtanti temporis; ſimiliter generatio ſubſtantiæ menſuratur inſtanti temporis: modò ſi menſuratum eſt aliquid poſitiuum, etiam menſura de neceſſitate erit aliquid poſitiuum: eſt enim abſurdum dicere priuationem aliquam verè menſurare ens poſitiuum, quia, vt vidimus ſuprà, *præſenti diſ. q.* 2. *&* 3. menſura debet eſſe certior menſurato, quod non contingeret, ſi eſſet priuatio, cùm priuationes tantùm cognoſcantur per habitum: tenebra enim cognoſcitur per lucem, ſicut apparet 2. *de Ani. t. c.* 103. quòd viſus eſt tenebræ perceptiuus, quando ſcilicet lux non eſt præſens. Dicit ergo Doctor ſic in textu, tunc ſequitur quòd generatio ſubſtantiæ, quæ non eſt per ſe terminus continui nihil erit, quia ſi menſura ipſius nihil eſt, & menſuratum nihil erit, quod eſt inconueniens. Sequitur *vel ſaltem in nihilo*, id eſt, quòd generatio ſubſtantiæ, vel ipſa ſubſtantia generata erit in nihilo, tanquam menſuratum poſitiuè in menſura, quæ nihil eſt, & ſic ipſa ſubſtantia nihil eſſet, vel generatio ipſius, quia etiam non eſt eius aliqua menſura poſitiua. Sequitur, *& licèt poſſit euadi de mutationibus*, quæ ſunt termini motuum, & fiunt in inſtanti, ſicut nihil in nihîlo, vel priuatio continuitatis in priuatione continuitatis. Hîc dicit quòd duplex eſt mutatio, quædam eſt per ſe terminus motus, ſicut cùm acquiritur caliditas vt octo, vltimus gradus caliditatis acquiritur per mutationem & in inſtanti, & talis mutatio ſic acquiſita dicitur terminus motus ad quem terminatur motus præcedentium graduum; tunc dicit quòd inſtantia, quæ menſurant huiuſmodi mutationes ſunt nihil, quia & ipſa *mutata eſſe* ſunt nihil, & ſic ipſa *mutata eſſe* eſſent in nihilo tanquam menſurata, quæ nihil ſunt poſitiuè in ſuis menſuris, quæ ſimiliter nihil ſunt poſitiuè, tamen de iſtis videtur abſurdum, quæ non ſunt per ſe termini continuitatis alicuius continui, quia nihil ſunt continui, nec priuatiuè, nec poſitiuè, & per conſequens tales mutationes non dicuntur priuatio continuitatis motus, quæ priuatio ſit in inſtanti temporis, quod inſtans eſt priuatio continuitatis temporis.

Duplex eſt mutatio.

e *Præterea ex eodem ſequitur, quòd ſi punctus tantùm eſt priuatio continui*, quia terminat continuum, *etiam linea tantùm erit priuatio*, quia terminat ſuperficiem, & ſuperficies ſimiliter, quia terminat corpus, ſemper enim terminatum definitur per terminum, & poſitiuum non includit eſſentialiter priuationem. *Primo poſt. contex. 9.*

f *Iſtæ enim tres dimenſiones diſtinguuntur ſecundùm imaginationem trium linearum ſe interſecantium in eodem puncto*, & ſic fiunt tres dimenſiones illis tribus lineis, quia ſecundùm illas fit longitudo in tali figura, & latitudo, & profunditas, quæ notatur in illis tribus lineis fieri, & ſi corpus componatur illis tribus lineis, cùm corpus ſit quid poſitiuum, ſequitur quòd lineæ non ſint quid priuatiuum, quia tunc poſitiuum componeretur ex priuatiuis. Ex hoc etiam ſequitur vlteriùs inconueniens, quòd ſi ſuperficies eſt tantùm priuatio profunditatis, quomodo erit punctus, priuatio priuationis, ſi punctus ſit quid priuatiuum, priuatio enim priuationis eſt habitus ei oppoſitus, ſicut priuatio cæcitatis eſt viſus; ſi igitur punctus eſt priuatio priuationis, igitur punctus erit quid poſitiuum.

g *Præterea ſecundùm ſuperficiem inſunt multa qualitates.* Hæc ratio ſtat in hoc, quia ex quo qualitates ſenſibiles ſunt vera entia poſitiua, & fundantur in ſuperficie, ergo ſuperficies erit ens poſitiuum. Sequitur, *figura etiam propriiſſimè ſequitur ſpeciem, ſiue ſuperficiem*; nam ipſa figura, quæ ſequitur ad ſuperficiem per inciſionem, & fundatur in ipſa, cùm ſit ens poſitiuum, ſequitur etiam quòd ipſa ſuperficies erit ens poſitiuum.

h *Si autem.* Hîc Doctor recitat reſponſionem quorundam, ad rationem principalem, dicentium quòd illud indiuiſibile, per quod ſucceſſiuum habet *eſſe*, non eſt aliquod ens in actu, ſed tantùm ens in potentia, quia ſecundùm iſtos in linea ſunt quodammodò infinita puncta in potentia, & ſic in tempore infinita inſtantia.

Hoc nihil iuuat, quia adhuc argumentum procedit, quia inſtans eo modo quo eſt in toto, eo modo fluit, quæro igitur, quid ſuccedit inſtanti fluenti? aut ſuccedit aliud inſtans, & habetur propoſitum, quia tempus componitur ex indiuiſibilibus; aut tempus: & tunc ſucceſſiuum non erit, quia ſucceſſiuum non habet *eſſe*, niſi quia eius indiuiſibile eſt.

SCHOLIVM.

Reſpondet Doctor ad illam ſecundam probationem poſitam n. 2. declarans optimè, quid immediatè ſuccedit inſtanti in tempore, & poſtea ſoluit rationes ſuadentes continuum fieri ex minimis. Vide eum 1. Phyſ. q. 13. & 6. Phyſ. q. 8.

29. REſpondeo ad argumentum [a] quòd eo cedente, ſuccedit pars continua fluens, & non indiuiſibile immediatè, nec aliquid immediatè, niſi ſicut continuum eſt immediatum indiuiſibili. Et ſi obiicis, ergo non ſemper habet tempus eſſe vniformiter & æqualiter, quia quando illud inſtans poſitiuum eſt, tempus eſt, quia ſuum indiuiſibile eſt: illo autem tranſacto immediatè non eſt, quia aliquid eius indiuiſibile non eſt. Reſpondeo, ſicut linea non vniformiter habet *eſſe* vbique, prout, *vbique*, diſtribuit pro partibus lineæ & indiuiſibilibus lineæ, quia in iſtis ſcilicet partibus habet *eſſe*, vt in vltimis: & in illis, ſcilicet in punctis vt in terminis, & tamen vbique eſt vniformiter ſecundùm quòd *vbique* diſtribuit præcisè pro iſtis, vel præcisè pro illis: ita eſt in propoſito, ſi *ſemper* diſtribuit præcisè pro indiuiſibilibus, vel præcisè pro partibus, tunc vniformiter habet *eſſe*: ſed ſi pro vtriſque ſimul, non habet *eſſe* vniformiter.

Quia continuum eſt cuius vltima ſunt ſimul.

30. Ad probationem [b] alterius antecedentis, de partibus minimis: Reſpondeo, ad primam dico, quòd Philoſophus contra Anaxagoram ſatis habet ſi per ablationem à toto minoretur totum: ita quòd non ſemper poſſit de eo æquale abſtrahi: oportebit enim Anaxagoram dicere, ſicut imponit ſibi Philoſophus, quòd facta ſegregatione à carne cuiuſcunque generabilis de carne, adhuc remaneret caro tanta, vt ex ea poſſet vlteriùs ſegregari, ſeu generari quodcunque generabile: & hoc eſt impoſſibile, quia quantumcunque caro poteſt in infinitum diuidi & minorari ſaltem non remaneret tanta, vt poſſet ex ea quodcunque generabile generari: quia generabile quodcunque requirit quantitatem determinatam illius, ex quo generatur, maximè ſi generatio ſit tantùm ſegregatio, vel motus localis, ſeu lationis, quod imponitur Anaxagoræ: & vltra quantitatem illam omnem, ex qua generatur, minueretur caro per continuam ſegregationem aliorum ex ipſa. Non ergo propter intentionem Philoſophi ibi oportet ponere minimum in naturalibus, etiam ſeparatum per ſe exiſtens, nec in toto.

1. Phyſ. tex. 38. & 39. Ad rationes probãtes continuum componi ex minimis, poſitas, n. 3. Dicebat quodlibet generari ex quolibet per extractionẽ partium, quod falſum eſt, ſi per ſegregationẽ minuitur totum.

c Ad aliud Philoſophi *de Senſu & ſenſato*, dico, quòd paſſiones ſunt diuiſibiles quantumcunque: ita quòd nunquam quantum poſſet diuidi, niſi diuiſa paſſione ſenſibili: & tamen non diuiditur in infinitum, inquantùm ſenſibilis, id eſt, inquantùm eſt perceptibilis à ſenſu, ſicut ipſe vult ibi, quòd pars quantumcunque minima poteſt eſſe ſenſibilis virtute, licèt non actione, hoc eſt, quod ipſa in toto poteſt cooperari aliis partibus ad ſenſum immutandum: & licèt poſſet fieri diuiſio in eam, etiam per ſe exiſtentem, non tamen immutaret ſenſum.

Et tunc patet ad argumentum eius, quod adducitur in oppoſitum, quòd ſenſus creſcit in infinitum, ſi ponatur, &c. Verum eſt, ſi ſenſibile inquantùm actu perceptibile à ſenſu, poteſt diuidi in infinitum: non autem ſequitur, ſi illud quod eſt ſenſibile poteſt diuidi in infinitum.

Quantum non eſt diuiſibile in infinitum qua ſenſibile, vel ita vt ſentiatur.

COMMENTARIVS.

1. a *Reſpondeo ad argumentum.* Hîc Doctor ſoluit argumentum principale, & concedit quòd ſucceſſiuum dicitur eſſe in actu per indiuiſibile; vt ſuprà declaratur *in præſenti, diſ. qu. 2.* & cùm infertur vltrà quòd quando indiuiſibile raptim tranſit, vt puta quando deſinit eſſe, quid ſibi ſuccedit? Dicit quòd ad illud indiuiſibile immediatè ſuccedit pars continuè fluens, & ſic quando *mutatum eſſe* in motu tranſit, tunc ſibi ſuccedit aliqua pars motus, quæ eſt immediata illi. Et cùm dicitur poſtea, quòd illa pars motus eſt ſucceſſiua, & ſucceſſiuum non eſt in actu, niſi per indiuiſibile, dico quòd illa pars non eſt in actu, niſi per aliquod indiuiſibile continuans ipſam partem motus. Sed illud indiuiſibile non ſuccedit immediatè indiuiſibili tranſeunti, & ſic patet ratio ad argumentum.

Et ſi obijcis. Hîc arguit Doctor quia ſi continuum ſuccedit, puta ad inſtans temporis, tunc tempus non ſe haberet vniformiter, & æqualiter, & vbique; quod patet, quando inſtans poſitiuum eſt, tempus eſt, & ipſo inſtanti tranſeunte, tempus non eſt, quia aliquid eius indiuiſibile non eſt.

Ad hanc obiectionem patet reſponſio ex ſupradictis, quia tempus medietatis horæ dicitur eſſe, quia inſtans continuat illas partes: & licèt vltimum inſtans illius temporis tranſeat, ad quod immediatè ſequitur tempus alterius medietatis horæ, illud tempus ſequens dicitur eſſe actu, quia eſt ibi inſtans continuans partes illius, & ſic æqualiter ſe habet. Doctor tamen declarat ly *vniformiter*. Ibi: *Reſpondeo ſicut linea*, &c. linea enim habet *eſſe* in partibus lineæ, vt in vltimis. Dicimus enim quòd

quòd illud eſt continuum, cuius vltima ſunt ſimul, ſiue cuius partes vltimæ ſunt ſimul, & habent *eſſe* in punctis tanquam in terminis, puncta enim terminant lineam. Hoc idem dico de tempore, quia tempus vnius horæ habet *eſſe* in partibus temporis tanquam in vltimis: dicimus enim tempus horæ eſſe continuum, puta, quia vltimum medietatis horæ, & vltimum alterius medietatis horæ ſunt ſimul, & ſic habent *eſſe* in partibus ſicut in vltimis, & in inſtantibus tanquam in terminis. Si ergo intelligatur ſic, quòd tempus habet *eſſe* vniformiter in partibus, admittitur, quia dato quocunque tempore habent *eſſe* in partibus, tanquam in vltimis; ſi verò intelligatur quòd æqualiter habeat *eſſe* in inſtantibus tanquam in terminis, admittatur: quia dato quocunque tempore, æqualiter habent *eſſe* in inſtanti tanquam in termino. Sequitur, *ſed ſi pro vtriſque ſimul non habet eſſe vniformiter*: patet, quia vt in partibus habent *eſſe* vt in vltimis, & in inſtantibus habet tantùm *eſſe*, vt in terminis.

2. *An continuum componatur ex minimis.*

b *Ad probationes alterius antecedentis.* Nunc Doctor reſpondet ad probationes alterius antecedentis, quod fuit tale, *continuum componitur ex minimis*, & probatio talis antecedentis eſt circa principium quæſtionis, ibi: *Secunda via eſt, quia componitur ex minimis*, vbi ſic arguit, probando quòd ſucceſſiuum non ſit continuum; ſi ſucceſſiuum componitur ex minimis; igitur non eſt continuum. Conſequentia probatur, quia minimum ſimpliciter non habet partem ex qua ſit, quia tunc illa eſſet minor eo: igitur eſt omnino non quantum, quia omne quantum habet partem minorem ſe; ſed non quantum non poteſt continuari non quanto, id eſt, quòd indiuiſibile non poteſt continuari indiuiſibili, vt ſuprà expoſitum eſt, *q.* 1. *&* 2. *huius diſt.* ergo minimum non poteſt continuari alteri minimo; ergo ſi ſucceſſiuum ſit compoſitum ex minimo, non erit continuum. *Antecedens probatur auctoritatibus*, &c. *& minimum tempus, ſicut permanens minimum.* In textu n. 4. ſic habetur. *Et ratio eadem eſt in magnitudine, & tempore, & motu*, ſcilicet quantùm ſunt compoſita ex indiuiſibilibus, & quòd diuiduntur in diuiſibilia, aut quòd nullum eorum eſt tale, & ibi Commentator. *Ratio*, inquit, *eadem eſt in hoc in tribus ſpeciebus continuis, ſcilicet in magnitudine, & motu, & tempore, quantum illud, quod contingit in aliquo eorum contingit in reliquis, ſcilicet quòd ſi vnum fuerit indiuiſibile, ſequitur quòd reliqua ſint indiuiſibilia compoſita ex indiuiſibilibus, & ſi fuerit vnum compoſitum ex diuiſibilibus, ſequitur & reliqua ſint talia.* Hæc ille. Hoc idem habetur, t. 17. *Et cum omnis*, inquit, *magnitudo etiam eſt continua, quoniam eiſdem partibus, & æqualibus diuiditur tempus, & magnitudo.* Vide ibi Commentatorem.

Secundo de anima contex. 41. c. 7. Paſſiones omnes ſunt diuiſibiles, aut ſecundùm ſpeciem, aut ſecundùm accidens.

Ad percipiendum minimum diuiſibile requiritur acutior ſenſus in infinitum. Et hoc clarum eſt facto iſto fundamento, ſcilicet quòd ad videndum perfectè ſenſibile in minori quantitate, requirit ſenſum acutiorem, & quantò in minori videt, tantò acutior erit, & ſic ſi albedo eſſet diuiſibilis in infinitum, cùm quælibet pars ſit diuiſibilis, ſenſus eſſet acutior in infinitum, quod eſt falſum.

3. Reſpondet Doctor ibi: *Ad probationes alterius antecedentis de partibus minimis*, &c. Et primò reſpondet ad auctoritatem Ariſtotelis 1. Phyſ. dicens, quòd Ariſtoteles non dicit, quòd detur minima caro, ſed arguit contra Anaxagoram, qui dicebat quòd quodlibet poteſt fieri ex quolibet, vt ex carne, puta alicuius hominis poſſet generari ignis, aqua, lapis, & huiuſmodi, per extractionem partium ipſius carnis: ergo ſi decem res generantur ex carne, decem partes illius carnis extrahuntur, & ſic illa caro remanet minor, & per conſequens tot res poſſunt generari ex ipſa, quòd quodammodo parum, vel nihil ipſius carnis remaneret. Stante ergo illa minima carne, quæritur an quodlibet poſſit generari ex illa. Si dicit quòd ſic, ergo oportebit ipſam carnem paruam habere tot partes quot priùs habuit, cùm generatio fiat per extractionem partium, quod eſt inconueniens, vel oportebit concedere quòd non quodlibet generatur ex illa, & ſic falſum eſt quod dicit Anaxagoras, ſcilicet quòd quodlibet generatur ex quolibet. Et quòd ſic intelligat Ariſtoteles patet 1. Phy. t. c. 37. & 38.

c *Ad aliud Philoſophi de Senſu, & Senſato*, dicit primò Doctor quòd nunquam quantum poteſt diuidi, niſi diuiſa paſſione, ſiue qualitate ſenſibili, vt patet de albedine extenſa ſuper quantitatem bicubitalem, nam in quot partes diuiditur illa quantitas, in tot diuiditur & albedo extenſa, & quia illa quantitas eſt diuiſibilis in infinitum, ita albedo erit diuiſibilis in infinitum. 4.

Secundò dicit, quòd ipſa quantitas non eſt diuiſibilis in infinitum inquantùm ſenſibilis, nam ex quo ſenſus concurrit actiuè, puta ſenſus viſus ad viſionem; & viſibile ſimiliter actiuè, vt cauſa partialis, vt patet in 1. diſt. 3. q. 7. qualitas viſibilis non poteſt agere, niſi in tanta, vel tanta quantitate, vt etiam patet de igne, qui poſſet eſſe in tam parua quantitate, quòd non poſſet vrere, qualitates ergo ſenſibiles vt ſint ſufficientes ad mouendum ſenſum, non ſunt diuiſibiles in infinitum, ſed datur aliqua minima qualitas, quæ eſt ſufficiens mouere partialiter, quæ ſi vltrà diuidatur, non erit ſufficiens vltrà ad mouendum ſenſum, & hoc eſt, quod dicit.

Sequitur ibi, *ſicut ipſe vult ibi, quod pars quantumcunque minima poteſt eſſe ſenſibilis virtute, licèt non actione*; Senſus eſt, quòd ſi datur ignis in minima quantitate, non poterit agere, ſi modò fiat extenſior in maiori quantitate, tunc ignis ſic extenſus poterit verè agere: pars autem minima agit virtute, quia alteri parti vnita coagit ſibi: & hoc eſt quod dicit, quòd ipſa in toto poteſt cooperari aliis partibus ad ſenſum immutandum: & licèt poſſet fieri diuiſio in ea etiam per ſe exiſtente, non tamen immutaret ſenſum, & tunc patet ad argumentum eius, quòd ſenſus creſceret in infinitum, &c. verum eſt ſi ſenſibile inquantùm actu perceptibile a ſenſu poteſt diuidi in infinitum.

Inſtatur contra duas concluſiones in iſta litera vltima, quarum prima eſt: *Pars ſenſibilis quantumcunque minima, poteſt cooperari aliis partibus ad ſenſum immutandum, ſed per ſe exiſtens non poteſt ſenſum immutare.* 5.

Secunda concluſio eſt: *Si ſenſibile inquantùm actu perceptibile diuideretur in infinitum, ſenſus creſceret in infinitum.*

Contra primam primò, quia vna pars concluſionis videtur repugnare alteri, videlicet quòd minima pars poſſit coagere alteri, vt vnita ſibi, & quòd ſeparata non poſſit agere, immutando ſenſũ, quia eſt ſimpliciter eadẽ entitas ſeparata, quæ & vnita, & ſimpliciter in eadem parte quantitatis: ergo.

Secundò arguitur, quòd non poſſit coagere alteri parti; quia ſi coagit, puta ad cauſandum ſpe-

ciem

eiem ſenſibilem,vel ſenſationem, aut coagit præcisè ad eundem effectum numero, ita quòd idem ſit ab omnibus partibus, aut ad alium effectum. Si primò,aut coagit vt cauſa partialis,aut vt cauſa totalis: ſi vt totalis, ergo idem effectus erit à duabus cauſis totalibus,& eiuſdem rationis,quod eſt impoſſibile apud Doctorem in pluribus locis: ſi vt cauſa partialis, ergo infinitæ cauſæ partiales ſemper concurrunt ad eundem effectum, quia tale ſenſibile, vt ſuprà patuit, includit partes ſenſibiles in infinitum: ſed non eſt poſſibile, quòd dentur cauſæ infinitæ in actu reſpectu eiuſdem effectus. Si ſecundò, ſcilicet aut coagit ad alium & alium effectum, ſequitur quòd actu erunt infiniti effectus, quia cùm totum ſenſibile agit ad effectum, quælibet eius pars agit ad alium, & alium effectum; & cùm ſint ibi infinitæ,ergo actu erunt infiniti effectus,puta infinitæ viſiones,quod eſt impoſſibile.

Tertiò arguitur ad idem: aut vna pars coagit ad perceptionem alterius partis tantùm; aut ad perceptionem ſui tantùm; aut ad perceptionem ſui,& alterius: non videtur aliud membrum dandum. Si primò, contrà, Tum, quia illa alia pars perciperetur, & pars coagens non perciperetur, quando totum ſenſibile perciperetur. Tum, quia ſicut coagit vni, ita videtur poſſe omnibus coagere, cùm non ſit maior ratio de vna, quàm de alia,& ſic poſſet coagere infinitis partibus, quod videtur impoſſibile. Si ſecundò,ergo per coactionem huius partis, alia pars non perciperetur, ſed præcisè illa,quæ agit perciperetur,& tunc non diceretur coagere alteri. Si tertiò,ſequitur quòd illa pars virtualiter contineret aliam,quia illa alia perciperetur per actionem huius.

Quartò arguitur ad idem, quia ſequitur quòd nunquam ſenſibile, puta color extenſus poteſt agere ad ſui perceptionem, quia omnes partes coagunt vna alteri in infinitum, ergo erunt actu infiniti reſpectus, & infinitæ relationes:quia ſi A, coagit B, dicit reſpectum ad B, & ſic in infinitum.

6. *Contradictio in Scoto.* Quintò videtur quòd Doctor contradicat ſibi, quia vult *in 1.diſt.2.q.*10. quòd quælibet pars grauis moueat ſeipſam, & non moueat aliam; ergo hoc idem hîc habent dicere, ſcilicet quòd quælibet pars ſenſibilis moueat ſenſum ad ſui perceptionem,& non coagat alteri, cùm non ſit maior ratio de vno,quàm de alio,vt patet.

Sextò arguitur,quia ſequitur, quòd viſio coloris bipedalis ſemper ſit perfectior viſione coloris pedalis,ſtante æquali diſpoſitione vtrobique,quod eſt inconueniens. Probatur conſequentia, quia in colore bipedali ſunt plures partes,quàm in colore pedali: modò quando plures cauſæ partiales concurrunt ad effectum, ſi æquali conatu, & æquè perfectè concurrunt ſicut pauciores partes ſemper perfectiorem effectum producunt, vt etiam patet à Doctore *in* 2. *diſt.*11.

Septimò arguitur ad idem, quia ſi vna pars coagit alteri ad immutandum ſenſum, & ſic in infinitum de illis partibus, ergo viſus actu percipiet infinitas partes,quod eſt impoſſibile.

Octauò arguitur principaliter contra illud, quod dicit,quòd minima pars ſeparata non poteſt immutare ſenſum, & quod poſſit immutare probatur, quia poteſt partialiter immutare intellectum; ergo & ſenſum. Antecedens patet, quia eſt per ſe intelligibile, & entitas abſoluta, & de genere actiuorum; ergo partialiter concurrit ad ſui cognitionem, vt patet ex dictis Doctoris *in* 1. *diſt.*3.*q.*4.*&* 7. Conſequentia probatur. Tum,quia ſi poteſt immutare nobiliorem potentiam,ergo & ignobiliorem, quando continetur ſub obiecto vtriuſque potentiæ. Tum, quia ſi poteſt producere effectum nobiliorem;ergo & ignobiliorem,quando habet paſſum diſpoſitum; ſed intellectio eſt nobilior viſione ſenſitiua.

Nonò arguitur per rationem Doctoris *in* 1. *di.* 2.*par.*2.*q.*3.vbi eſt ratio formalis productiua non impedita, ſequitur actio; ſed minimus color intenſus,puta,vt duo,eſt ratio formalis producendi viſionem ſui,& eſt in ſubiecto,puta in quantitate; ergo poteſt immutari ſenſus ab eo.

Decimò arguitur, accipio propoſitionem Doctoris *in prologo.q.*3.*&* *in* 2.*diſt.*9. quòd ſi extrema proportionis, puta actiui ad paſſiuum ſint communia,ſi aliquid poteſt agere in aliquod paſſiuum quodlibet eiuſdem rationis poterit agere in idem paſſiuum;ergo ſi aliquis color poteſt agere in aliquam potentiam immutando illam,quilibet eiuſdem rationis poterit agere, ſed minimus color, puta minima pars albedinis, eſt eiuſdem rationis cum magna parte albedinis,cùm ſint eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ; ergo ſi magna poteſt immutare,ergo & minima.

Vndecimò, quia hæc concluſio prima videtur contradicere ſecundæ, quia in ſecunda habetur, quòd ſi viſibile,vt perceptibile, eſſet diuiſibile in infinitum,quòd ſenſus creſceret in infinitum; ergo ſequitur, quòd ſi ſenſus creſceret, quòd poſſet percipere, ſed viſio ſemper cauſatur ex viſibili, & vidente, ſecundùm Doctorem *in prologo, & diſt.*3.*q.*7.*primi.*

Duodecimò, quod poteſt magis approximari ſecundùm actum potentiæ tactiuæ eſt magis tangibile,ſed minima pars magis approximatur. Patet per Doctorem *q.*9.*ſecundi,diſt.*2.vbi vult quòd punctum ſit adæquatum videnti, &c. Et multæ aliæ rationes poſſent fieri, quæ causâ breuitatis pro nunc omittantur,ſufficiunt enim iſta.

Reſpondeo ad primam. Dico, quòd nulla eſt repugnantia,quia vt vnita coagit cum aliis partibus, quia illæ partes, vt vnitæ ſunt in quantitate debita,& ſufficiente ad agendum,vt verò ſeparata non eſt in quantitate ſufficiente. 7. *Nulla eſt contradictio in Scoto.*

Ad ſecundum dico,quòd coagunt ad effectum communem, puta ad vnicam viſionem, qua totum viſibile videtur, & quælibet eius pars; non enim ſunt diſtinctæ viſiones totius & partium. Cùm dicitur, quòd infinitæ cauſæ partiales concurrerent ſimul, dico quòd non eſt inconueniens, quod ſint infinitæ cauſæ inexiſtentes, ſicut etiam ſunt infinitæ partes inexiſtentes; ſed eſſet inconueniens de infinitis cauſis ſubſiſtentibus, imò eſt neceſſe,quòd infinitæ inexiſtentes concurrant, ſicut etiam patet de graui, quod mouet ſeipſum, quòd quælibet pars mouet ſe loquendo de partibus inexiſtentibus.

Ad tertium dico, quod quando Doctor dicit, quòd vna coagit aliis partibus,non debet intelligi ſic abſolutè:ſed debet intelligi,quòd partes vt vnitæ ſunt ſufficientes ad producendum effectum, puta viſionem: quia ſunt in diſpoſitione debita: & hoc modo vna coagit alteri, & è contra. Separatæ verò non ſunt ſufficientes,quãdo ſunt in minima quantitate,& omnes coagunt ad viſionẽ totius viſibilis,quod primò videtur,& ex conſequẽti partes videntur in toto, ſicut etiam patet de aliis partibus,puta calidi, quod minima pars non poſ-

ſet calefacere, tamen vt vnita aliis calefacit. Fortè etiam poſſet dici, quòd quælibet vt vnita mouet viſum ad ſui perceptionem; ita quòd viſio totius ſit aggregata ex partialibus viſionibus; ſicut quando graue mouet ſe, quælibet pars mouet ſe adæquatè, & ex illis partialibus motionibus aggregatur vnus motus, qui eſt motus totius grauis, vt patet à Doctore *in 2. diſ. 2. q. 10.* & ſic viſio totius viſibilis ſuo modo eſſet aggregata ex viſionibus partialibus, & tamen partes viſibilis, vt vnitæ, eauſant viſionem ſui, & ſic dicuntur coagere: ſeparatæ verò non poſſunt, quando ſunt in tam parua quantitate, ſicut etiam minima pars terræ ſeparata non poſſet mouere ſe, quæ tamen vnita aliis partibus adæquatè mouet ſe.

8. Ad quartum de reſpectibus dico, quòd nullum videtur inconueniens, quòd ſicut dantur infinitæ partes inexiſtentes ad inuicem vnitæ, quòd etiam dentur infinitæ vniones inter infinitas partes inexiſtentes. Et ſic poſito quòd vna coagat alij, non videtur inconueniens, quòd dentur tales infiniti reſpectus; ſicut etiam quando idem graue mouet ſe, quælibet pars mouet ſe, & ſic ſunt infiniti reſpectus, ſcilicet mouentis ad mobile, & ſic infinitarum partium mouentium ſe, erunt infiniti reſpectus ad ſeipſas motas, & è contra, etiam infiniti reſpectus infinitarum partium motarum ad ſeipſas, vt mouentes, &c.

Ad quintum dico, quòd nulla eſt contradictio, vt apparet ex dictis ſuprà: quia non ponit, quòd vna pars moueat aliam, ſed quòd illa non poſſet mouere ſi eſſet ſeparata, quæ tamen vnita mouet ſe, & ſic vna coagit alteri; ſic in propoſito partes dicuntur coagere, non quòd vna habeat actionem per aliã, ſed vt vnitæ ſunt diſpoſitæ ad agendum.

Ad ſextum, quòd ſi eſſent illa viſibilia æqualiter diſpoſita, & æqualiter intenſa, ita perfectè videretur vnum, ſicut aliud, & tot partes ſecundùm proportionem eſſent in vno, ſicut in alio, licèt non ſecundùm quantitatem: perfectior enim viſio non eſt, quia ſimpliciter eſt à pluribus cauſis eiuſdem rationis, ſed quia eſt à perfectiore viſibili ſecundùm intenſionem: ſi modò eſſet vnum viſibile perfectè diſpoſitum intenſum vt octo, & haberet decem partes tantùm, & aliud viſibile intenſum vt octo, & haberet viginti partes, viſio vnius non eſſet perfectior viſione alterius. Si dicatur, quòd motus cauſatus à graui habente triginta partes, eſt perfectior motu cauſato à graui habente decem partes, dico quòd fortè erit perfectior extenſiuè, ſi ſit aggregatus ex partialibus motionibus.

9. Ad ſeptimum dico, quòd videret infinitas partes tantùm confusè, ſed non diſtinctè, vt etiam ſuprà dixi de intellectu Angeli reſpectu quanti continui diuiſibilis in infinitas partes.

Ratio non eſt ſimilis de intellectu, & ſenſu.

Ad octauum dico primò, quòd non eſt ſimile de intellectu, & ſenſu; patet, quia color ſi eſſet ſeparatus à quantitate, poſſet immediatè mouere intellectum, & tamen non poſſet mouere ſenſum, vt patet à Doctore *in 4. diſ. 29.* quia obiectum ſenſibile approximatur ſenſui localiter, & oportet ipſum eſſe in diſpoſitione locali ad ſenſum, & ſic requirit debitam quantitatem: ſic dico in propoſito de minimo ſenſibili, quòd non eſt diſpoſitum ad immutandum ſenſum, vt eſt actu ſeparatum, licèt ſit diſpoſitum ad immutandum intellectum, cùm ſit virtus ſpiritualis. Dico ſecundò, quòd oporteret oſtendere, an minimum ſenſibile poſſit mouere intellectum, de hoc alias, ſed tamen ratio videtur certa.

Ad nonum concedo, quòd eſt ratio formalis, &c. ſed dico, quòd in iſta parua quantitate, non eſt diſpoſita ad immutandum ſenſum, ſed requiritur, quòd ſit in maiori quantitate.

Ad decimum dico, quòd propoſitio Doctoris debet intelligi de actiuo diſpoſito, quale non eſſet minimum ſenſibile.

Ad vndecimum, debet ſic argui: ſi viſibile eſſet perceptibile in infinitum, ſenſus creſceret in infinitum, quia quantò viſibile eſſet paruum, tantò ſenſus eſſet acutior, ſi diſtinctè perciperet illud. Et non debet ſic argui: ſi ſenſus creſceret, ergo perciperet viſibile quantumcunque minimum, benè verum eſt, quòd ſequitur quantùm eſſet ex parte ſenſus; ſed illud viſibile, vt perceptibile non eſſet dabile in propoſito, tamen ſequitur viſibile, vt perceptibile eſt dabile in infinitum, ergo ſenſus eſt dabilis acutior in infinitum, quia non eſt aliquid perceptibile à ſenſu, quin poſſit percipi, ſed non è contra ſequitur, eſt dabilis ſenſus acutior in infinitum, ergo eſt dabile ſenſibile in infinitum, vt perceptibile.

Ad duodecimum, ſiue vltimum, negatur quòd minima pars ſenſibilis ſit magis approximata, & hoc in ratione perceptibilis à ſenſu tactus, licèt fortè alio modo poſſit eſſe magis approximata, imò oportet tangibile eſſe aliqualiter diſtans, vt poſſit percipi à ſenſu tactus; quia ſenſibile ſuprà ſenſum diſpoſitum, &c.

10. *Contra ſecundam.*

Contra ſecundam, quæ talis eſt: *Si ſenſibile inquantum actu perceptibile, diuideretur in infinitum, ſenſus creſceret in infinitum.*

Contra primò: Sicut ſe habet intellectus ad intelligibile, ita ſenſus ad ſenſibile; ſed ſi intellectus perciperet intelligibile in infinitum, ita quòd vnam partem intelligibilis, puta ignis, in infinitum poſt aliam intelligeret, non creſceret in infinitum; patet, quia intellectus poteſt percipere omne intelligibile; ergo & ſenſus, ſi perciperet ſenſibile quantumcunque minimum in infinitum, non creſceret in infinitum. Similitudo eſt bona, quia vtrobique eſt comparatio potentiæ ad obiectum, & vtraque eſt perceptiua ſui obiecti.

Secundò, ſicut ſe habent potentia intellectiua ad ſuum obiectum adæquatum, ita & ſenſitiua ad ſuum: ſed intellectiua poteſt percipere omne intelligibile, aliter non adæquaretur obiecto intelligibili: ergo & ſenſitiua poteſt percipere omne ſenſibile, & tamen ex hoc non ſequitur, quòd creſceret in infinitum: ſed quodlibet ſenſibile, puta, quilibet color, verè continetur ſub adæquato obiecto potentiæ viſiuæ.

Tertiò arguitur, quòd potentia, puta viſiua, actu poſſit cognoſcere minimam partem coloris in infinitum, quia ponit differentiam inter maximum colorem, & minimum in infinitum, vt patet; ergo percipit vtrumque. Conſequentia patet per argumentum Philoſophi 2. de Ani. quod facit ad probandum ſenſum communem, & tamen patet quòd ſenſus non creſcit in infinitum.

Quartò, ſi ſenſus non poteſt percipere minimum ſenſibile in infinitum, aut hoc eſt, quia non poteſt percipere talem ſenſationem; aut quia non poteſt producere: non primò, quia viſus non eſſet quiditatiuè perfectior, quia reciperet quancunque viſionem. Non ſecundò. Tum, quia poteſt producere viſionẽ perfectiſſimi viſibilis, ergo & imperfectiſſimi, cuiuſmodi eſſet minimum ſenſibile

in infi

in infinitum. Tum etiam, quia ſi poteſt in effectum perfectiorem, poterit etiam in effectum imperfectiorem eiuſdem rationis, vt patet per Doctorem *in* 2. *diſt.* 18.

Quintò arguitur, quia potẽtia tãtò eſt perfectior quantò perfectiorẽ effectum nata eſt producere, patet; ſed potẽtia viſiua nata eſt producere perfectiorem viſionem circa perfectius viſibile, quàm circa imperfectius, cuiuſmodi eſt minimmu viſibile in infinitũ: ergo magis creſceret in cauſando viſionem magis viſibilis, quàm minùs viſibilis.

Sextò, quia nobilitas, & perfectio potentiæ arguitur ex nobilitate obiecti, & præcipuè ex nobilitate perfectiſſimi obiecti, cõtenti ſub adæquato potentiæ obiecto; ergo magis creſceret percipiendo magis ac magis perfectius ſenſibile, quàm percipiendo minùs, & minùs ſenſibile in infinitum; ſed percipiendo maius, & maius ſenſibile in infinitum non creſceret in infinitum, ergo, &c.

Septimò, quia ſicut potentia calefactiua ignis non creſceret in infinitum, ſi calefaceret minimum calefactibile in infinitum, vt patet; ergo nec potentia ſenſitiua, ſi cauſaret ſenſationem minimi ſenſibilis in infinitum. Similitudo videtur nota, quia vtraque potentia comparatur ad ſuum obiectum, & vtraque eſt actiua circa proprium obiectum, ergo.

Octauò, Si potentia viſiua perciperet punctum, tamen non diceretur creſcere in infinitum, quod tamen percipit, quia percipit punctualem colorem; ergo nec à fortiori dicitur creſcere in infinitum, ſi perciperet minimam partem viſibilis in infinitum. Conſequentia patet, quia punctus, cùm ſit indiuiſibilis, eſt minùs ſenſibilis quàm pars minima, cùm ſit ſemper, diuiſibilis.

Nonò arguitur, potentia percipiens plura eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, quorum quodlibet eſt æquè perfectum intenſiuè, non eſt perfectior percipiendo magis vnum, quàm aliud. hoc patet: ſed ſi ſit albedo vnius palmi intenſa vt duo, & diuidatur in infinitas partes, ita pars minima erit intenſa, ſicut & maior; ergo potentia viſiua non erit magis perfecta percipiendo minimam, ſicut magnam.

12. Decimò, ſi eſſet infinitum viſibile intenſiuè, viſus poſſet videre illud, quia maximè viſibile, & loquendo de viſu impaſſibili (patet etiã hoc, quia & intellectus poſſet intelligere infinitum intenſiuè ſub ratione infinitatis) & tamen ſenſus viſus non eſſet infinitus in virtute; ergo multò minùs eſſet infinitus, ſi videret minimum viſibile infinitum: maior enim virtus requiritur ad videndum infinitum intenſiuè, quàm finitum intenſiuè, etiam minimum in infinitum.

Vndecimò, poſito per poſſibile, vel impoſſibile, quòd minimum viſibile in infinitum ſit præſes potentiæ viſiuæ, vt actu viſibile, & perceptibile, & vt cã partialis viſionis, quæro an potentia viſiua poſſit partialiter concurrere cũ illo ad cauſandam viſionem illius, aut non? Si primò, habetur intentũ, quia ex hoc nõ ſequitur, quòd ſit infinita in virtute, vt patet. Si ſecundò, non videtur quare non ſit actiua partialiter circa illud, cùm circa quæcunque alia ſenſibilia ſit partialiter actiua. Sicut enim idem intellectus poteſt partialiter concurrere cum quocunque obiecto præſente in ratione obiecti actu intelligibilis, ita idem ſenſus poterit concurrere partialiter cum omni ſenſibili præſente in ratione obiecti actu ſenſibilis.

Duodecimò, Sicut minima pars intelligibilis in infinitum ſe habent ad minimam partem in infinitum alicuius ſenſibilis, ita intellectus ad ſenſum; ergo à tranſinutata proportione, ſicut primũ ad tertium, ita ſecundum ad quartum: ſed minimum intelligibile in infinitum poteſt intelligi ab intellectu, abſque infinitate intellectus; ergo & minima pars ſenſibilis in infinitum poteſt percipi à ſenſu, abſque infinitate ſenſus in virtute.

13. *Diſſ. militudo inter ſenſum, & intellectum.*

Reſpondeo ad primum, quòd non eſt ſimile de intellectu, & ſenſu: quia intellectus intelligit rem, puta qualitatem, vt in ſe, & non eſt neceſſe ipſam eſſe in aliquo quanto; ſed ſenſus non poteſt videre, niſi vt in quantitate exiſtente, vt patet à Doctore *in* 4. *diſt.* 11. & quantò eſt in minori quãtitate, tantò viſus erit acutior, vt patet intuenti.

Ad ſecundùm dico, quòd vera eſt ſimilitudo, ſi vtrobique obiectum eſt in debita diſpoſitione; ſed in propoſito intellectus habet omne contentũ ſub ſuo obiecto, vt obiectum in ſe abſolutè, nec requirit ipſum eſſe extenſum: ita enim perfectè intelligeret colorem inextenſum, ſicut extenſum, quia non ligatur iſtis conditionibus, ſed non eſt ſic de quolibet ſenſibili reſpectu ſenſus.

Ad tertiũ, negatur quòd potẽtia viſiua poſſit facere differentiã diſtinctè inter minimã partẽ coloris in infinitũ, & maximã: quia nec percipit minimã partẽ diſtinctè, ſed tantùm cõfusè, quãdo eſt vnita aliis partibus; ſed quando eſt ſeparata minima in infinitum nullo modo poteſt percipere.

Ad quartum dico, quòd hoc ideò eſt, quia concurrit actiuè partialiter, & oporteret ipſum, vt ſic creſcere in infinitum, quia quantùm eſt ex parte ſenſus, non poſſet producere acutiorem viſionem, niſi eſſet perfectior: & ideò ſi cauſaret partialiter viſionem partium ſenſibilis in infinitum oporteret producere viſionem acutiorem in infinitum, & ſic ſenſus creſceret in infinitum. Et cùm dicitur de viſione perfectiſſimi viſibilis. Dico, quòd non eſt ſimile, quia viſio perfectior intenſiuè eſt ab obiecto, non à potentia, vt aliàs expoſui *in* 2. *diſt.* 3 *q.* 10. Si enim obiectũ perfectiſſimũ ſit præſens intellectui, quantùm eſt ex parte intellectus, ita perfectam intellectionem cauſabit de obiecto imperfecto, ſicut de perfectiſſimo, vt patet aliàs. Similiter ſenſus ex parte ſua, ita perfectam viſionem cauſabit partialiter de imperfecto colore, ſicut de perfectiſſimo, quando obiecta ſunt æquè approximata. Sed non eſt ſic de viſione acutiori, quæ non eſt ex parte obiecti, ſed ex parte potentiæ; & ſic ſequitur, quòd quantò color eſt in minori quantitate in infinitum, quòd viſio coloris erit acutior in infinitum, licèt illud obiectum ſit in ſe imperfectius; & ideò benè concedo, quòd viſio, quæ terminatur ad obiectum perfectius, intẽſiuè eſt perfectior illa, quæ terminatur ad minimam partem viſibilis imperfectioris in ſe, & hoc loquendo de perfectione, quæ eſt ab obiecto: & concedo quòd ſi viſibile eſſet formaliter infinitũ, poſſet concurrere ad viſionem infinitam, & tamẽ potentia videndo illud eſſet ſimpliciter finita. Sed in propoſito loquimur de viſione, quæ eſt ex parte potentiæ, ſaltem partialiter: quæ viſio tantò dicitur ſubtilior, & acutior, quãtò præcisè eſt à perfectiore potentia: & viſio, quæ eſt alicuius coloris exiſtentis in minima quantitate, eſt acutior. Patet etiam ad illud, quòd ſi poteſt in viſionem perfectiorem, ergo & in imperfectiorem: concedo de perfectiore, & imperfectiore, quæ ſunt ex parte potentiæ: & ſic concedo quòd ſi poteſt in viſionem acutiſſimam, quòd etiam poteſt in minus

acútam. Et ideò benè concedo quòd ſi poteſt videre minimam partem in infinitum, quòd etiam poterit videre maiorem partem ipſius viſibilis.

Ad quintum patet ex ſuprà dictis, concludit enim de perfectione, quæ eſt ex parte obiecti, non de illa, quæ ex parte potentiæ ſimpliciter.

Ad ſextum dico primò, quòd verum eſt de nobilitate potentiæ extrinſeca, quæ ſumitur à nobilitate obiecti. 14. Dico ſecundò, quòd quando potentia vna habet ſimpliciter nobilius ens pro obiecto, eſt in ſe ſimpliciter perfectior illa, quæ habet pro obiecto ignobilius ens, vt patet de ſenſitiua, & intellectiua. Sed quando eadem potentia comparat ad obiectum nobilius, & ignobilius, non ſequitur, quòd quando percipit nobilius, quòd ſit nobilior in ſe, ſed tantùm denominatione extrinſeca, eo quòd terminetur ad obiectum nobilius, imò poteſt comparari ad infimum, puta ad calorem intenſum tantum, vt vnum exiſtentem in minima quantitate, & vt ſic talis potentia in ſe erit valde perfectior, quia, vt ſic, habetur producere effectum perfectiorem, & acutiorem viſionem.

Ad ſeptimum, non eſt ſimile, vt patet, quia vt calor cõparatur ad minimum calefactibile, ſi ſit præſens & diſpoſitum, poteſt cauſare in illo ita intenſum calorem, ſicut in magno calefactibili æquè diſpoſito, quia ibi ex parte caloris non requiritur maior virtus calefaciendi: benè argumẽtum concluderet, ſi calor haberet ſuper intenſiorem calorem cauſando in minori, & minori calefactibili. Sed ſenſus, puta vſus, quantò comparatur ad minùs viſibile, tantò acutiorem viſionem ſemper habetur producere.

Ad Octauum dico primò, quòd ſi punctus eſſet ſeparatus non poſſe percipi à viſu, & ſic percipitur, percipitur vt eſt in quanto, & tantùm confusè percipitur. 15. Et hoc patet à Doctore *in 4.d.10. q.vlt.* vbi ſic dicit, *quòd lumen punctuale non multiplicaret ſe ad organum corporale, ita quòd eſſet viſibile, ſecundùm communem opinionem, quæ diquæ dicit, quòd non eſt poſſibile indiuiſibile moueri.* hæc illæ, & multa alia ibi dicit reſpondendo ad argumenta principalia. Dico ſecundò, quòd non eſt ſimile de puncto viſibili, & de minima parte in infinitum viſibili, ſicut etiam non ſequitur de Angelo, qui poteſt eſſe in puncto, vt in loco, & tamen non poteſt eſſe in loco quantumcunque paruo in infinitum, loquendo de loco diuiſibili, quia ſi virtute ſua poſſet ſic eſſe, eſſet virtutis infinitæ, vt probat Doctor *in præſenti d.q.7.* ſic dicerẽ in propoſito, quia ſi perciperet minimã partem viſibilis in infinitum, creſceret ſenſus in infinitum, quia ſemper requiritur maior virtus actiua.

Ad nonum dico, quòd argumentum concludit de perfectione, quæ ſumitur ex parte obiecti, & ſic concedo quòd eſſet æquè perfecta intrinſecè, percipiendo albedinem palmi, ſicut minimam partem. Sed loquendo de perfectione ex parte potentiæ, dico quòd requiritur maior perfectio in percipiendo diſtinctè albedinem in minima quantitate, quàm in magna, vt ſuprà patuit.

Ad decimum dico, quòd concludit de perfectione, quæ eſt ex parte obiecti, vt ſuprà patuit.

Ad vndecimum, dico primò, quòd caſus eſt impoſſibilis, quia non poteſt dari minima pars in infinitum. Secundò, poſito quòd poſſit dari, adhuc non ſequitur quòd poſſit dari vt perceptibilis, vt ſuprà patuit. Dico tertiò, quòd poſito tali caſu impoſſibili, quòd ſi potentia viſiua non eſſet in infinitum actiuior, ſiue virtuoſior, quòd non poſſet percipere illud, quia ſi perciperet, oporteret cauſare viſionem acutiſſimam in infinitum, quod non poſſet eſſe, niſi creſceret in infinitum.

Ad duodecimum patet ex ſuprà dictis: & quod dicitur de tranſmutata proportione, patet quòd hîc non habetur locum. Et de hoc vide quæ expoſui *in 1.diſt.36.* reſpondendo ad rationes Henrici, vide ibi multa bona.

SCOLIVM.

Reſpondendo ad locum ex 2.de Anima poſitum num. 3. docet viuentia habere maximum & minimum, inanimata non, de quo agit 1.Phyſ.quæſt.13.& 14. Item optimè oſtendit non dari primum minimum, nec primam mutationem in motu, declarat etiam quomodo incipit & deſinit alteratio, augmentatio, diminutio, iuxta mentem Philoſ. Vide Lichet. qui hic optimè examinat iſta philoſophica, per vndecim concluſiones, reſpondendo omnibus in contrarium.

AD aliud a de ſecundo de Anima, patet, quòd loquitur de quantitate naturali augmentabilis & diminuibilis, quod concedo, quia illa quantitas cuicunque naturali perfecto eſt determinata in maius & minus, loquendo de illa quantitate, in qua naturaliter producitur, aut ſaltem ad minus in animatis loquendo de illa quantitate, ad quam procedit diminutio. Philoſophus tamen non loquitur ibi niſi de termino magnitudinis & augmenti: & ideò præcisè in illo loco intendit Philoſophus, quòd quantitas perfecta cuiuſlibet rei naturalis, eſt determinata in maius: ex quo habet propoſitum ſuum, quod intendit probare; ſcilicet quòd ignis non eſt principium augmentans in aliqua generatione, vel in aliqua ſpecie. Oportet enim principale agens in aliqua ſpecie, eſſe determinatum ad quantitatem perfectam illius ſpeciei, vt illam ſolam producat, & non vltra illam: ignis autem non eſt determinatus ad quantitatem determinatam in aliqua ſpecie, quia quantùm eſt ex ſe, produceret maius quantitatum, quia creſcit in infinitum, ſi apponantur combuſtibilia in infinitum. 31.

Non dat primum mutatum eſſe, nec primam partẽ in motu. Vide Sco.6

b Et cùm probatur illud antecedens de minimo, per hoc, quòd conuenit accipere primum in motu, poſſet conſequentia negari, quia illi, qui dixerunt primum in motu, dixerũt mutationem primam eſſe partem motus. Tamen nego primum vtroque modo, & primum motum & mutationem primam, quia Philoſ. *6.Phyſ.* ex intentione oſtendit

dit oppoſitum,ſcilicet quòd omne *moueri* præcedit *mutatum eſſe* in infinitum,& è contrario.Et perſuaderur hoc ſic, quia ſi ignis cauſaret aliquid primũ in motu,pari ratione poſſet cauſare æquale illi ſimul cum eo immediatum : & ita aut neceſſe eſſet fingere,quòd inter primum cauſatum ſimul, & ſecundum æquale illi, oporteret quieſcere agens:& ita motus componeretur ex motibus,& quietibus intermediis : aut oporterer agens poſt primum inductum inducere totum habitum ſucceſſiuè : quod videtur valde irrationabile : quia cùm ſit æqualis virtutis & æquè approximatum paſſo , ſicut poteſt aliquem gradum ſimul cauſatum primum ſimul inducere : ita illo inducto , poteſt inducere ipſum totum ſimul:& ita componeretur totus motus immediatè ex mutationibus immediatis,vel ex mutationibus ſiue motibus & quietibus intermediis. *Phyſ.q.8. Tex.52. & Tex.55.*

c Eſt ergo iſte proceſſus,ſit forma(ſub *eſſe* quieto, & ſub aliqua immutatione)corrumpenda per motum,puta in alteratione ſub calore in *eſſe* quieto,huius,inquam, immutationis eſt accipere vltimum ſcilicet immutationem terminatiuè quia mobile ſe habet nunc indiuiſibiliter,ſicut priùs diuiſibiliter:& hoc eſt immutari , ſicut mutari eſt aliter ſe habere nunc indiuiſibiliter, quàm priùs diuiſibiliter : ideò [d] autem eſt ſub eadem forma(ſub qua quieuit)in inſtanti immutationis;quia tunc agens, quod debet ipſum mouere,nihil egit priùs,nec nunc agit circa ipſum,ab illo inſtanti incipit mouere illud mobile:& hoc ſucceſſiuè , vel propter partes mobilis , quia nulla pars mobilis eſt æquè propinqua agenti:ſed pars propinquior altera parte in infinitum,& ſolus punctus mobilis eſt ſe toto immediatus agenti,& ille non eſt mobilis : ſiue propter partes formæ , ſecundùm quas debet eſſe motus : quarum quælibet ante aliam eſt inducibilis à mouente præſente:quia ratio extrinſeca, propter quam minimum non poſſet eſſe per ſe in naturalibus,eſt præſentia corrumpentis,hęc autem tollitur propter præſentiã corrumpentis, hoc autem tollitur propter præſentiam agentis corrumpentis omne corruptiuum ſui effectus:ab illo ergo inſtanti immutationis continuè remittitur calor , qui inſuit , & acquiritur frigus:non enim veriſimile eſt quòd ſit ſolus motus remiſſionis vſque ad aliquod inſtans, & tunc primò inducatur aliquid frigoris : vel enim calor remittendus haberet vltimum ſui *eſſe*,quod negat Philo 8.*Phyſic.*vel ſi non,ſaltem frigus immediatè ſequens ipſum haberet primum ſui *eſſe*:& tunc eſſet prima mutatio motus infrigidationis , quod eſt ita inconueniens , ſicut de prima remiſſione motus caloris: incõueniens etiam videtur quòd agens remittat calorem, niſi cauſando in ipſo aliquid incompoſſibile ſibi ſecundùm aliquem gradum : & ſecundùm quòd illud cauſat in maiori , vel minori gradu,corrumpit gradum,& gradum ipſius exiſtentis. *5. & 6. Phyſic. Immutatio eſt primũ non eſſe alterationis. Immutari eſt eodem modo ſe habere indiuiſibiliter, ſicut priùs diuiſibiliter, mutari è contra. Calor non habet vltimum eſſe. Tex.69.*

c Hoc etiam vult Philoſophus manifeſtè 6.*Phyſ.*quòd omne,quod mouetur,habet
32. aliquid vtriuſque extremi : & videtur manifeſtum ad ſenſum, quòd aquæ ſucceſſiuè calefaciendæ aliquid caloris ineſt manente adhuc frigiditate hac,& non adhuc totaliter corrupta : concurrunt ergo ſimul ab inſtanti immutationis motus remiſſionis caloris,& motus intenſionis frigoris , quorum neutrius eſt aliquid primum : & in aliquo inſtanti,in quo per mutationem ſubitam inducitur aliquis gradus frigoris omnino incompoſſibilis calori,in illo primo,calor non eſt & vſque ad illum, calor fuit , ita quòd calor nullum vltimum habuit ſui *eſſe*:ſed * habet vltimum in *eſſe* quieto & frigus nullum primum habet ſui *eſſe* ſimpliciter, licèt habeat primum in *eſſe* quieto , quod ſcilicet accipit per immutationem,licèt illud non ſit quies. *Tex.7. Simul incipit motus remiſſionis formæ & intenſionis oppoſitæ. al.habuit.*

Cùm ergo [f] probatur primum per Phil 8 *Phyſic* dico, quòd intentio Philoſophi eſt iſta,ſcilicet probare quòd non omnia ſemper mouentur:& contra eos,qui dicunt omnia ſemper moueri,dicit quòd manifeſtè conuincitur , ſi conſideremus illos motus,ex quibus mouebantur Moti enim erant ad hoc ponendum ex augmentatione & diminutione animatorum, quam videbant fieri perceptibiliter in aliquo magno tempore, puta in anno : & tamen in nulla parte eius : ex hoc concludebant , quòd illa fiebant in toto tempore & in nulla parte temporis perceptibiliter , licèt in qualibet parte temporis imperceptibiliter : quibus Ariſtoteles obuiat , quòd benè poteſt tale mobile quieſcere per aliquod tempus , & in paruo aliquo tempore moueri illo motu , illa quòd non oportet moueri ſemper ipſum illo motu. Et probat hoc per exemplum de guttis cadentibus cauantibus lapidem,quæ in aliquo certo tempore & numero cadunt,& nihil auferunt de lapide, tandem tamen vna cadens , puta centeſima,aufert in virtute omnium aliarum:aliquam partem lapidis,quæ tota ſimul aufertur, & non pars ante partem. Non intendit ergo Philoſophus ibi, quòd ablatio partis lapidis,ſit in inſtanti vel tota ſimul:nam iſta ablatio eſt motus localis, qui nullo modo poſſet fieri,niſi pars mobilis prius tranſeat ſpatium,quam totum mobile:ſed iſta vna pars lapidis, *Tex.32. Ad rat. ſup.n.3.fi. Contra Empedoclem. Diſponunt tamen ad motũ illũ, ſi enim nihil faceret, vltima gutta nihil faceret Vide Scot. 1.d.17.q.3. Suar.Met. d.44.ſ.9.*

lapidis,quæ aufertur per vltimam guttam in virtute omnium præcedentium.licèt ſucceſsiuè auferatur,tamen ablatio eius non eſt ſucceſſiua correſpondens toti ſucceſsioni caſus guttarum. Non enim quot erant guttæ cadentes, tot erant partes ablationis huius partis à lapide:ſed tota iſta parua pars per vltimam guttam aufertur, licèt ſucceſsiuè. Negat ergo Philoſophus ſucceſsionem huic correſpondentem, ſcilicet toti ſucceſsioni caſus guttarum:ac per hoc; ille lapis motus non mouebatur ſemper, licèt quando mouebatur per vltimam guttam, tunc ſucceſsiuè mouebatur. Et ſecundùm [g] iſtam intentionem ſubdit poſtea de alteratione, quòd non eſt neceſſe, quòd propter hoc ſit tota alteratio infinita: frequenter enim vbi habet litera noſtra *velox*, illa Commentatoris habet *ſubitò*, & exponit Commentator *ſubitò*, id eſt, *in inſtanti*, & non in tempore inferendo.

Text.8. 127. Quæ expoſitio eſt literæ contrariæ: quod patet ex tranſlatione ſua in multis locis, 33.
quia in 4 Phyſic.vbi tranſlatio noſtra habet *repentè*, ſua translatio habet *ſubitò*,& notificatur ibi,quòd illud dicitur fieri ſubitò,quod fit in tempore imperceptibili, & ita exponit ipſe ibi:igitur exponere *velox*, vel *ſubitò* per *inſtans*, eſt exponere tempus per *inſtans*. Sed intentio Philoſophi [h] eſt iſta,quòd non oportet,ſicut alterabile eſt diuiſibile in infinitum,quòd ita tempus infinitum correſpondeat alterationi alterabilis,ſiue ſemper dum alterabile eſt,quòd pars eius poſt partem continuè alteretur, ſicut poſſet eſſe ſucceſsio ex ratione partium alterabilis:ſed frequenter alteratio eſt velox,ſiue ſubitò,id eſt,quieſcente priùs vſque tunc illo alterabili, & tunc non ſunt ſimul, nec ſecundùm primam mutationem,nec ſecundùm primam partem motus,ſed ſucceſsiuè,& hoc eſt quod ſubdit ſtatim ratio appoſita à Philoſopho ad eandem concluſionem quòd quando quis ſanatur, ſanatio eius eſt in tempore, & non in termino temporis: & tamen mobile non ſemper mouetur illo motu, quia iſte motus finitus eſt inter duo contraria. Quomodo ergo acciperet ipſe in ratione præcedenti, alterationem fieri in inſtanti,ad hoc vt probaret non omnia eſſe in motu:& in ſecunda ratione accipit oppoſitum,ſcilicet quòd ſanatio non eſt in termino temporis,ſed in tempore:& tamen non ſemper eſt motus:quia eſt inter cõtraria, & ideò acquiſito illo cõtrario ceſſabit motus.

6.Phyſ. ad finem & alibi ſæpe.

Subdit ergo Philoſophus,quòd *dicere omnia continuè moueri, multùm in manifeſtis ambigere eſt*:vbi *continuè* accipitur pro *ſemper*, quia illud membrum quintum diuiſionis quinti membris improbat per omnia iſta,& adhuc ponitur ibi vlterior expoſitio, quia lapis manet durus,ergo nõ alteratur.Nõ ergo ex aliquo verbo,quod hîc dicitur,negat totam ſententiam ſuam in 6.Phyſic.& dato quòd hîc eſſet aliquod verbum, quod expreſsè hoc videretur ſonare (licèt nullum ſit,niſi ex falſo intellectu ſumptum) magis tamen eſſet exponendum ſecundùm illud quod hîc dicitur,quàm totum iſtud, quod eſt hîc principale,alibi retractare,propter aliqua,quæ dicuntur alibi; non ita principaliter,nec ex intentione ſicut hîc.

Tex.c.21. 8.Phyſ.ponitur illa diuiſio ſ. ante omne mutari dari mutatum eſſe.

Ad aliud de ſenſu, [i] & ſenſato dicetur in argumento vltimæ q. huius diſtinctionis. 34.

Ad rationem [k] de contradictoriis dicitur, quòd illa ſunt contradictoria, quæ ſunt accepta pro eodem tempore,& ſecundùm alias conditiones requiſitas:& illa non ſunt contradictoria,quæ non ſunt accepta pro eodem tẽpore, quod probatur per definitionem cõtradictionis poſitam primo Elenchorum:& ideò non eſſe caloris, vt præceſſit in vltimo inſtanti immutationis,& eſſe caloris ſuſceptum in tempore habito,non ſunt contradictoria reſpectu caloris.

& 1.Peri. c.5. Vide Scot. li. Elench. q. 55. de ignorantia Elenc.

I Contrà,*eſſe* caloris & *non eſſe* abſolutè ſumpta(non prout intelliguntur in eodem inſtanti) ſunt incompoſſibilia ſimpliciter, ita quòd quia ſunt incompoſsibilia ſimpliciter;ideò non poſſunt eſſe in eodem inſtanti, & non è conuerſo: & ratio incompoſſibilitatis pro eodem inſtanti non eſt alia, niſi quia ipſa formaliter ſunt oppoſita,nulla alia oppoſitione formaliter quàm contradictoria:igitur,&c.

Text.47. Idem 5. Phyſ.t.52. & 2. de Anima. t.44. Contradictoria complexa, pro eodem inſtanti.

Confirmatur hoc per ſimile in aliis, quia contrarium contrario ſuccedens, verè eſt ei contrarium,licet non ſimul in eodem inſtanti.Similiter formam vt eſt terminus, *ad quem* priuationis, verè opponitur ſibi priuatiuè vt eſt terminus *à quo*, & eſt motus inter oppoſita formaliter. Vnde Philoſophus *Primo Phyſ. cap.25.* vult, quòd omnis motus ſit inter contraria oppoſita,vel priuatiua,vel media inter hæc:& tamen iſta,vt ſunt termini traſmutationis,nunquam ſimul ſunt.

Poſſet etiam [l] argui quòd creationis termini non eſſent contradictorij,quia *non eſſe*, quod præcedit *eſſe* creati,non poteſt ei eſſe contradictorium,nec priuatiuum, nec medium inter hæc, quia in nullo ſucceptiuo eſt:& ſi non eſſet contradictorium ei: creatio ergo non eſſet inter contradictoria, vel contraria; quod videtur abſurdum. Quod autem

autem ° adducitur de definitione contradictionis, eſt æquiuocatio, quia alio modo contradictio eſt in complexis; & alio modo eſt in incõplexis. Complexa non ſunt contradictoria, niſi accipiantur pro eodem inſtanti, pro quo oportet illa ambo enuntiare prædicatum de ſubiecto. Incomplexa autem abſolutè ſumpta non determinando ad aliquod inſtans, ſunt contradictoria. De contradictione prima loquitur Philoſophus in Perihermenias: de ſecunda verò in Prædicamentis.

ſuendam incomplexa abſolutè contradicunt. Lib. 1. c. de oppoſ.

35. Aliter reſpondeo ᵖ ad argumentum, quòd immediatum poteſt accipi dupliciter. Vno modo, inter quod ſecundùm ſe totum, & aliud non eſt medium: alio modo, quod ſecundùm ſe totum eſt cum altero ſtatim, vel poſt alterum. Primo modo, continuum eſt immediatum ſuo termino, quia inter indiuiſibile terminans & diuiſibile terminatum nihil cadit medium. Secundo modo indiuiſibili terminanti continuum nihil eſt immediatum; nihil enim ſecundùm ſe totum ſtatim ſequitur illud indiuiſibile, ſed pars illius totius, quod eſt immediatum totum primo modo, ſequitur indiuiſibile ſecundùm partem ante partem in infinitum.

Quomodo indiuiſibile eſt immediatum parti, vel è conuerſo?

Ad propoſitum ergo ᵠ dico quòd ſicut menſuræ iſtæ ſe habent, ita & menſurata, ſcilicet quòd quando vnum contradictorium menſuratur indiuiſibili, & aliud menſuratur diuiſibili; & tunc minor eſt falſa. Nullum enim eſt medium inter contradictorium, ſecundùm quòd eſt in tota menſura ſua, & contradictorium aliud, ſicut nec inter totam menſuram eius, & menſuram alterius, contradictorium tamen quod menſuratur diuiſibili non eſt alicui immediatum, ita quòd ſecundùm aliquod *eſſe* ſui, videlicet prout eſt menſura ſua, ſtatim reliquum contradictorium ſequatur. Ita dico in propoſito, quòd *non eſſe* fuit in indiuiſibili: *eſſe* autem formæ inductæ per motum, eſt in toto tempore habito, & ideò nullum eſt medium inter illa: & tamen quod ſequitur, in tempore non eſt immediatum ſecundo modo præexiſtentiam in inſtanti.

Minor eſt ſi inter non eſſe, & eſſe formæ inducendæ per motum non eſt primum, eſt medium inter contradictoria ſup. n. 4. fi.

COMMENTARIVS.

1. *Sequitur expoſitio literæ.*

a *Ad aliud de ſecundo de anima.* Dicit Doctor quòd clarum eſt, quòd Ariſtoteles loquitur tantùm de quantitate naturali entis augmentabilis, vel diminuibilis. Et vult dicere, quòd ens naturale augmentabile poteſt augeri ſecundùm tantam quantitatem, & non plus; & ſimiliter ad hoc, vt ſit tale ens naturale, puta homo, vel aſinus, oportet quòd detur ſimpliciter minimum. Sequitur: *Philoſophus tamen non loquitur ibi, niſi de termino magnitudinis, & augmenti,* nam in hoc loco intendit Philoſophus probare, quòd ignis non eſt principium augmentans in aliqua generatione, vt aliqui dicebant; quia ex quo genitum naturale eſt determinatæ quantitatis ſecundùm augmentum, & ignis non eſt determinatus ad quantitatem determinatam in aliqua ſpecie; quia quantùm eſt de ſe produceret maius quantum, quia creſcit in infinitum, ſi apponantur conbuſtibilia, & ſic ſi ignis eſſet principium augmenti, puta hominis, quantum ſibi adderetur de nutrimento, tantum poſſet augeri de homine.

2. b *Et cùm probatur illud antecedens de minimo.* Hìc Doctor reſpondet ad probationem illius antecedentis, quod eſt, *ſucceſſiuum componitur ex minimis,* quæ probatio eſt ibi in argumentis principalibus: ratione autem probatur ſecundò idem antecedens. Primò ergo declaro rationem, & ſecundò reſponſionẽ ad rationem, & ratio, qua probatur illud antecedens, ſtat in hoc; eſt dabilis prima pars motus, ergo & minima. Conſequentia patet, quia ſi quælibet pars haberet minorem partẽ ſe haberet etiam aliquid ſui prius aliquo ſui in infinitum. Antecedẽs probatur, videlicet quòd ſit dabilis prima pars motus, & probatur primò auctoritate Philoſophi 1. *Phy.* & 8. *t. c.* 23. vbi dicit Philoſophus, ibi in 8. *Non enim ſi partibile in infinitum eſt, quod alteratur propter hoc, & alteratio, ſed velox ſit ſicut multoties denſatio.* Vbi haberet Commen. *ſubitò,* & exponit, *hoc eſt in inſtanti, & non in tempore.* Exemplum, licèt enim cera, quæ eſt alterabilis, puta ad rarefactionem ſit partibilis in infinitum, ipſa tamen rarefactio non eſt partibilis in infinitum: & patet, quia aliquoties fit ſubitò, ideſt, in inſtanti, ſecundùm Commentatorem, ſi ſic, ergo datur prima pars ipſius alterationis, & ſic prima pars motus.

Et quaſi obiicit ſe contra ſe, videlicet quòd non detur prima pars motus, quia ſi daretur, videretur repugnare illi, quod dicitur in 6. Phy. t. c. 52. quòd ante omne *moueri ſit mutatum eſſe*, & ante omne *mutatum eſſe* eſt *moueri.* Reſpondet ſoluendo, quòd illud ibi intelligitur de motu inquantùm continuus eſt, & diuiſibilis. Iſtud autem intelligitur hìc de motu inquantùm eſt generatus, ſiue productus ad actum.

Ad iſtam intentionem videtur Philoſ. promiſiſſe quoddam exemplum de guttis. Exemplum hoc patet, quia remotio lapidis per vltimam guttam aquæ fit quodammodo in inſtanti, & ſic talis motus quo pars lapidis remouetur per vltimam guttam aquæ, fit ſubitò, & datur prima pars ſui, & quòd fiat ſubitò, patet, quia præcedentes guttæ non remouent partem lapidis, ſed tantùm vltima, & ſic patet exemplum illud, quia ſi alteratio illa, vel motus ille ſimul fiat, ſequitur quòd datur prima pars, & exempla clara ſunt in litera, quæ videntur probare, quòd quandoque detur vna tota alteratio ſimul.

3. *Exemplum de guttis.*

Et cùm probatur illud antecedens de minimo. Aliqui dixerunt, quòd in motu poteſt dari prima mutatio, ſiue aliquod *mutatum eſſe*, quod, vt ſic, poteſt dici prima pars motus; ſed accipiendo partem motus pro aliquo diuiſibili, prima pars motus non poteſt dari. Doctor autem probat, quòd neutro modo poſſit dari prima pars motus, & probat auctoritate Philoſophi. 6. *Phyſ. text. com.* 32. & ſic perſuadetur à Doct. ſi enim ignis, qui dicatur *A*, poteſt calefacere aliquod quantum pedale, & illud

illud quantum dicitur *B*, ita quòd tantùm vnum gradum intenſiuè ipſius calefactionis producat in toto quanto pedali: & licèt illa calefactio ſit indiuiſibilis intenſiuè, cùm ſit tantùm vnius gradus, eſt tamen diuiſibilis in infinitum extenſiuè: & tunc quæro, ſi *A* poteſt producere primam partem ipſius calefactionis in aliquo inſtanti, vel calefacere primam partem ipſius quantitatis ita quòd in aliquo inſtanti ſit primum *mutatum eſſe*, ſiue primum *moueri* in aliquo tempore, quia motus ſemper fit in tempore quomodocũque accipiatur.

4. Probat Doctor quòd non poteſt dari primum *calidum eſse* in aliquo inſtanti, neque primum *calefieri* in aliquo tempore: quòd non primum *calidum eſſe*, patet, quia ſi *A*, in quantitate pedali producit primum *calidum eſſe*, pari ratione, poteſt producere ſecundum *calidum eſſe* in eodem inſtãti, & pari ratione tertium, & ſic totum pedale calefit in inſtanti, & talis calefactio non erit motus, vt patet. Si vis dicere, quòd in primo inſtanti tãtùm producit primum *calidum eſse*: quæro in quo producit ſecundùm *calidum eſſe*: Si dicis, quòd in inſtanti immediato poſt primum *calidum eſſe*, ergo ſecundum *calidum eſſe* erit immediatum primo *calido eſſe*, & ſic duo *mutata eſſe* erunt immediata, & per conſequens duo indiuiſibilia, quod eſt contra Philoſophum 6. *Phyſ.* Si vis dicere, quòd ſecundum *calidum eſſe* non producitur in inſtanti immediato, ſed in tempore immediato poſt primum *calidum eſſe*: contrà, quia non minor virtus requiritur in producendo ſecundum *calidum eſſe*, quàm in producendo primum, & maximè cùm paſſum ſit æquè diſpoſitum, puta quantum pedale, & ſic producetur ſecundum *calidum eſſe* in inſtaati, & non in tempore. Et ſic ſecundum *calidum eſſe* tantùm natum eſt produci in inſtanti, ſicut & primum: ergo non in tempore. Si vis dicere, quòd producit ſecundum *calidum eſſe* in inſtanti, ſed non in inſtanti immediato poſt inſtans, ſed in vltimo inſtanti temporis immediatè ſequentis primum inſtans. Contrà, quia tunc oportet ipſum *A* quieſcere per illud tempus intermedium, & ſic producto primo *calido eſſe*, prõducet ſecundum calidum in vltimo inſtãti temporis immediati ad inſtans, quo produxit primum calidum, & ſic oportet ipsũ *A*, quieſcere per aliud tempus immediatum, & ſic iſte motus calefactionis factus ſuper quanto pedali, erit compoſitus ex quietibus, & *mutatis eſſe*, quod eſt falsũ. Si ergo non poteſt dari primũ *mutatũ eſſe*, à fortiori nec primũ *moueri*, cùm quælibet pars motus ſit diuiſibilis in infinitũ, vt ſatis ſuprà probatũ eſt.

5. c *Eſt ergo iſte proceſſus.* In iſta litera Doctor multa dicit. Primò, quòd eſt dare vltimum alicuius formæ in *eſſe* quieto. Exẽplum, ſi quantũ pedale ſit totum alteratum aliqua calefactione, in vltimo inſtanti illius calefactionis incipit quieſcere: & pono modò, quòd ſit ſub tali calefactione per horam, totum illud tempus vocatur tempus quietis, & in vltimo inſtãti illius horæ eſt ſub *eſſe* quiero: patet, quia in illo inſtanti eodem modo ſe habet, ſicut in toto tẽpore illius horæ præcedẽtis, quia in vltimo inſtãti nõ incipit moueri, ſicut nec in hora præcedenti, & poſt illud inſtans, in quo quieuit ipſum quantũ incipit moueri, puta in tẽpore immediato poſt inſtans quietis. Et hoc eſt quod dicit Doctor quòd declarat quid ſit *immutari*, quia *immutari* eſt eodẽ modo ſe habere indiuiſibiliter, ſicut prius ſe habuit diuiſibiliter, ideſt, quòd in vltimo inſtãti indiuiſibili eodẽ modo ſe habet, ſicut in hora præcedenti diuiſibili, quia in vtroque quieſcit. Et declarat ipſum *immutari* per ſuũ contrariũ, quod eſt *mutari*, quia *mutari* eſt aliter ſe habere nũc indiuiſibiliter, ideſt, in vltimo inſtãti ipſius motus, quàm priùs ſe habuerit diuiſibiliter, ideſt, in toto tẽpore præcedẽte vltimũ inſtãs ipſius motus, ideſt, quòd ſe habeat diuiſibiliter, & quãtùm ad tempus, & quantùm ad ortum, vt ſuprà declaratum eſt.

Quid ſit immutari.

d *Ideò autẽ eſt ſub eadẽ forma, ſub qua quieuit in inſtãti immutationis*: nã inſtãs immutationis eſt vltimũ inſtãs quietis, ſicut inſtans mutationis eſt vltimũ inſtans terminãs motũ præcedentẽ. Sequitur ibi: *Ab illo inſtãti incipit mouere illud mobile*, puta quantũ pedale: ſi enim detur quantum pedale calidũ vt octo, & detur frigidũ pedale vt decẽ, & agat in calidũ pedale remittẽdo ipsũ. Dicit Doctor quòd poſt vltimũ inſtãs, in quo quieuit quãtũ pedale ſub calore, nunc frigidũ pedale in tẽpore immediato poſt inſtãs immutationis, ſiue quietis, in quo quieuit quantũ pedale ſub calore incipit mutare ipſum quantũ pedale, remittẽdo caloreẽ ipſius, & introducẽdo in illud quantũ aliquem gradũ frigiditatis. Sequitur: *Et hoc ſucceſſiuè, vel propter partes mobilis*, &c. Dicit hîc Doctor, quòd quãdo frigidũ pedale, & dicatur *A*, mouet calidũ pedale, & dicatur *B*, remittendo caloreẽ, quòd motus remiſſionis, quo mouetur quantũ pedale à calore vt octo, ad priuationem ipſius caloris, & quo quantũ pedale mouetur à priuatione frigiditatis ad frigiditatẽ, puta vt octo, eſt ſucceſſiuus. Deinde declarat huiuſmodi ſucceſſionem, puta calefactionis remittendæ, & frigefactionis acquirendæ, quia talis ſucceſſio aut fit ex parte ipſius mobilis, puta quanti pedalis, cùm ſit diuiſibile in infinitas partes; tunc non eſt dabilis prima pars, quæ fiat frigida, & ſic non eſt dabile primum frigidum: & ſimiliter quando calor remouetur à quanto pedali non eſt dabilis prima pars quanti, à qua remouetur calor: patet, quia ipſum quãtum eſt diuiſibile in infinitum, & ſic nõ eſt dare primum *mutatũ eſſe* in motu remiſſionis, ſicut nec eſt dabile primum *mutatum eſſe* propter formam acquirendã, vel deperdendã; adhuc non eſt dabilis prima pars motus, quia illa forma, ſecũdùm quam fit motus, eſt diuiſibilis in infinitum, vt ſuprà patuit; & ſic quando quantum pedale mouetur motu remiſſionis deperdendo calorem, non eſt dabilis prima pars caloris in remiſſione; ſicut etiam cùm mouetur ad frigiditatem, non eſt dabilis prima pars frigiditatis, cùm iſtæ qualitates ſint diuiſibiles in infinitum, ſaltem per accidens, quia ad diuiſionem quantitatis, in qua ſunt. Sequitur. 6.

Nota.

Quia ratio extrinſeca propter quam minimum, &c. Dicit Doct. quòd ſi quantum pedale frigidum vt decem, agat in quantum pedale calidum vt octo, expellendo aliquid caloris ipſius, & introducendo primũ gradum frigiditatis per motũ, quomodo, ille gradus poterit conſeruari in quanto calido vt ſeptem. Dicit, quòd conſeruatur propter præſentiam agentis, puta frigidi corrumpentis omne corruptiuum ſui effectus, quia ipſum frigidum corrumpit gradum caloris corruptiuum gradus frigiditatis: & ſic patet quomodo frigidum conſeruat continuè effectum ſuum in quanto calido, corrumpendo calidum, & introducẽdo frigidũ; & hoc eſt, quod ſequitur ibi in litera, *ab illo ergo inſtanti immutationis continuè remittitur calor, qui infuit, & acquiritur frigus*, & quòd ab illo inſtãti immutationis, ſcilicet quietis, in quo quantũ pedale 7.

pedale quieuit ſub calore ſucceſſiuè remittitur calor, qui infuit, & ſucceſſiuè acquiritur frigus in ipſo quanto pedali. Sequitur: *Non enim eſt veriſimile.* Dicit quòd quando frigidum vt decem, agit in calidum vt octo, ipſum frigidum non remittit tantum ipſum calidum: ſic intelligendo, quòd remittat ipſum vſque ad vltimum inſtans, puta quòd motus remiſſionis duret per horam, & in vltimo inſtanti illius horæ deſinat eſſe calor vt octo: & tunc primò inducatur aliquid frigoris in ipſo quanto pedali, in quo prius erat calor vt octo, quia ſi ſic, tunc ſequeretur alterum iſtorum, ſcilicet vel quòd calor remittendus haberet vltimum ſui *eſſe*, quod negat Philoſophus 8. *phyſic. tex. comm.* 69. Sic quòd in vltimo inſtanti remiſſionis caloris calor eſſet, & in tempore immediato non eſſet, ita quòd habens vltimum ſui *eſſe* exponitur per poſitionem de præſenti, & negationem de futuro, ſcilicet calor nunc eſt, & immediatè poſt hoc non erit; & ſic in illo tempore immediato inducetur frigus, in quo deſinet calor: modò qualitas remiſſibilis non habet vltimum ſui *eſſe*.

8. Et quando dicit, quòd aut frigus habebit primum inſtans ſui *eſſe*, quia ſi calor in vltimo inſtanti deſinit eſſe, & ſic non habet vltimum ſui *eſſe*, in illo inſtanti incipit frigus; tunc frigus habet primum inſtans ſui *eſſe*. Et non accipitur hîc primum inſtans ſui *eſſe* propriè, ſicut dicimus, quod nunc eſt, & immediatè ante hoc non fuit; quia aquiſito frigore per horam, in vltimo inſtanti illius horæ eſt verum dicere, quòd frigus nunc eſt, & immediatè ante hoc non fuit, & ſic habet primum inſtans ſui *eſſe*. Sed in propoſito intelligitur, quòd ſi frigus ſecundùm aliquem gradum incipit eſſe in illo inſtanti, in quo calor deſinit eſſe, quòd in motu frigefactionis datur primum *mutatum eſſe*, ſiue prima mutatio; quia in illo inſtanti acquiritur aliquis gradus frigoris, & in tempore ſequenti acquiritur frigus perfectiſſimè, & per conſequens daretur primum *mutatum eſſe*, quòd eſt contra Ariſtot. *ſexto Phyſicorum. tex. commen.* 52. qui vult, quòd ante omne *mutatum eſſe* ſit *moueri*, & ante omne *moueri* ſit *mutatum eſſe*; ſicut ergo non datur prima remiſſio motus caloris, ſiue non datur aliquod inſtans, in quo incipiat calor remitti, vt ſuprà declaraui, ſic nec poteſt dari aliquod inſtans, in quo ſit prima infrigidatio.

9. [c] *Hoc etam vult Philoſophus.* Vult dicere, quòd nunquam in aliquo quanto eſt motus remiſſionis, quin etiam ſit ſimul motus acquiſitionis; quia ſi aqua ſit frigida vt octo, non remittitur illa frigiditas, niſi ſucceſſiuè introducatur caliditas; & ſic omne quantum, quod mouetur à contrario in contrarium, puta à frigido ad calidum, dum ſub tali motu, ſemper habet aliquid vtriuſque extremi, quia & aliquid frigiditatis, & aliquid caliditatis: patet, quia dum eſt ſub motu remiſſionis frigiditatis, ſimul eſt ſub motu acquiſitionis caliditatis, ſiue etiam moueatur à contrario in medium, puta ab albo in rubeum, hoc idem continget.

Concurrunt ergo ſimul ab inſtanti immutationis motus remiſſionis caloris, & motus intenſionis frigoris, quorum neutrius eſt aliquid. Primum patet, quia in motu remiſſionis caloris non datur aliquod inſtans, in quo ſit prima remiſſio, cùm talis remiſſio incipiat fieri in tempore immediato poſt inſtans mutationis, ſiue quietis; & ſimiliter in motu intenſionis frigoris non datur aliquod inſtans in quo ſit prima infrigidatio, cùm talis fiat in tempore immediato poſt inſtans, in quo quieuit quantum pedale ſub calore, vt dixi ſuprà. Sequitur in litera, *& in aliquo inſtanti, in quo per mutationem ſubitam inducitur aliquis gradus frigoris* &c. Vult dicere Doctor, quòd quando frigidum vt decem, remittendo calidum vt octo, puta per tempus vnius horæ, in vltimo inſtanti illius horæ introducit aliquem gradum frigoris omnino incompoſſibilem vltimo gradui caloris, & tunc in eodem inſtanti calor deſinit eſſe, ita quòd in eodem inſtanti verum eſt dicere calor nunc non eſt, & in tempore immediato ante hoc inſtans fuit: ergo calor in iſto inſtanti deſinit eſſe: ſimiliter verum eſt dicere de frigore, frigus nunc eſt, puta in *eſſe* quieto, & in tempore immediato ante hoc inſtans non fuit: ergo frigus incipit eſſe, & hoc eſt quod dicit Doctor. Sequitur: 10.

Ita quòd calor nullum vltimum habet ſui eſſe, ſed habet vltimum in eſſe quieto. Hoc ſic debet intelligi, quòd quando calor deſinit eſſe, non habet aliquod vltimum inſtans, in quo calor ſit, immediatè poſt illud inſtans deſinat eſſe, quia ſi ſic, tunc eſſet verum dicere, calor nunc eſt, & immedtatè poſt hoc non erit, quod falſum eſt, vt ſuprà expoſitum eſt, *quæſt. prima præſentis diſt.* quomodo in permanentibus, & in ſucceſſiuis non datur vltimum ſui *eſſe*· & quod dicit, quod habet vltimum in *eſſe* quieto, hoc non debet referri ad vltimum inſtans remiſſionis caloris; ſed debet referri ad vltimum inſtans immutationis, ſiue quietis, poſt quod inſtans in tempore immediatè ſequenti incipit remitti calor, nam vt incipit remitti vſque ad vltimum inſtans remiſſionis non eſt ſub *eſſe* quieto, ſed ſemper eſt ſub motu; & in vltimo inſtanti, quo deſinit eſſe ipſum quantum pedale, eſt ſub mutatione, ſiue ſub *mutato eſſe*: Sequitur. *Et frigus nullum primum habet ſui eſſe ſimpliciter.* Et declaratur primò, quia frigus incipit eſſe in quanto pedali in tempore immediato poſt inſtans immutationis caloris, & incipit *eſſe* ſub motu intenſionis; modò in ſucceſſiuis non datur primum inſtans ſui *eſſe*, id eſt, non datur aliquod inſtans in quo habeat *eſſe* ſimpliciter, cùm tale *eſſe* tantùm menſuretur tempore, vt ſuprà expoſui, *quæſt.* 1. *præſentis diſt.* Secundò declaratur, quomodo habeat primum in *eſſe* quieto; patet, quia ipſum frigus habet aliquod inſtans primum, in quo habet *eſſe* quietum: nam in vltimo inſtanti horæ, in quo calor deſinit eſſe, & frigus incipit eſſe in illo inſtanti, ſicut ceſſat motus remiſſionis caloris, ita ceſſat motus intenſionis frigoris; & ſic in illo inſtanti habet *eſſe* quietum: & tunc verum eſt dicere, quòd frigus habet primum in *eſſe* quieto, ideſt, quòd quantum pedale ab illo inſtanti habet primum *eſſe* quietis ſub frigore, licèt illud nõ ſit quies, id eſt, quòd illud primum in *eſſe* quieto, cùm ſit in inſtanti, non poteſt dici quies: nam propriè quies menſuratur tempore, quod patet, quia ſicut motus eſt in tempore, & *mutatum eſſe* in inſtanti temporis, ita quies eſt in tempore, & *eſſe* quietum in inſtanti, & ſicut in motu ſunt infinita *mutata eſſe*, ita & in quiete ſunt infinita quieta *eſſe*, & ſic patet iſta litera. Nota

Cùm ergo probatur primum per Philoſophum &c. Nunc Doc. reſpondet ad auctoritatem Philoſophi, qua probabatur dari primam partem 11.

motus,& dicit, quòd Ariſtoteles tantùm intendit probare, quòd non omnes res ſemper moueantur, ſicut fuit opinio Heracliti 4. *Metaph. text. comm.* 22. quòd omnia mundi entia erant in continuò motu. Probat ergo Ariſtoteles quòd non ſemper moueantur, puta res augmentabilis, vel alterabilis: quia dicebant iſti, quòd res augmentabilis ſemper augeatur; nam aliquando fit quodammodo ſubita alteratio, vel mutatio: ergo non ſemper idem motu mouetur. Et dat exemplum de guttis cadentibus. Vbi non intendit, quòd ablatio partis lapidis ſit in inſtanti, vel tota ſimul: nam ipſa ablatio eſt motus localis, qui nullo modo poſſet fieri, niſi pars mobilis priùs pertranſeat ſpatium, quàm totum mobile; ſed iſta vna pars lapidis, quæ aufertur per vltimam guttam in virtute omnium præcedentium, licèt ſucceſſiuè auferatur, tamen ablatio eius non eſt ſucceſſiuè correſpondens toti ſucceſſioni caſus guttarum: non enim quot erant guttæ cadentes, tot erant partes ablationis huius partis à lapide, ſed tota iſta parua pars per vltimam guttam aufertur, licèt ſucceſſiuè, quia non in inſtanti: negat ergo Philoſophus ſucceſſionem huic correſpondentem, id eſt, toti ſucceſſioni caſus gurtarum, ac per hoc ille lapis motus non mouebatur ſemper, licèt quando mouebatur per vltimam guttam, tunc ſucceſſiuè mouebatur.

12. g *Et ſecundùm iſtam intentionem ſubdit poſtea de alteratione, quòd non eſt neceſſe, quòd propter hoc ſit tota alteratio infinita*, ſupple, quòd duret in infinitum, & probat ibi: *Frequenter enim.* Dicit Ariſtoteles quòd aliquando in aliqua re, puta in quanto pedali, fit alteratio velox, vt patet ad ſenſum: & ſic non ſemper durat huiuſmodi alteratio, ſiue motus alterationis. *Frequenter enim vbi habet litera noſtra* velox, *illa Commentatoris habet* ſubitò, id eſt, in tempore imperceptibili; & ideò illi qui exponunt Commentatorem *ſubitò*, id eſt, *in inſtanti*, non rectè exponunt, cùm talis expoſitio ſit *contraria literæ, quod patet ex translatione noſtra, & Repentè*, inquit Ariſtoteles *quod in ſenſibili tempore eſt propter paruitatem*: hæc ille. Et translatio Commentatoris ſic dicit: *Subitò ſignificat illud, quod fit in tempore non ſenſibili.*

Malè interpretatur Auerr.

h Sed intentio Philoſophi eſt iſta, & Philoſophus intendit probare, quòd alterabile non ſemper alteratur, quia aliquando ſubitò alteratur quis ab ægritudine in ſanitatem, ita quòd ſanatio illa fit in tempore, & non in termino temporis, ſcilicet in inſtanti, & quòd ſanabile non ſemper moueatur illo motu ſanationis: patet, quia iſte motus finitus, ſiue terminatus, eſt inter duo contraria, quia inter ægritudinem & ſanitatem, vel accipiendo *contraria* largè, puta à priuatione ad habitum, & ſic ſanabile priùs fuit ſub priuatione ſanitatis, quàm ſub ſanitate: ergo non ſemper mouebatur ad ſanitatem. Sequitur. *Quomodo ergo acciperet ipſe.* Dicit Doctor, quòd Ariſtoteles in ratione præcedenti de alteratione veloci, ſi acciperet ipſam in inſtanti contra Heraclitum, & in iſta ratione de ſanatione acciperet ipſam eſſe in tempore, non concluderet contra Heraclitum: intendit enim probare quòd res non ſemper moueantur. Et ſi probaret quòd alterabile aliquando alteratur in inſtanti: ergo ſemper non alteratur, non concluderet contra Heraclitum, quia negaret Heraclitus aliquid poſſe alterare in inſtanti, ſicut & ipſe Ariſtoteles expreſsè negat. 6. *Phyſicor.* ergo in iſtis rationibus intendit de alteratione, quæ fit in tempore. Sequitur. *Subdit ergo Philoſophus, quòd dicere omnia continuè moueri, multum in manifeſtis inducere eſt*, quia manifeſtum eſt res aliquas non continuè moueri: *continuè* accipitur ibi ſemper, &c.

i *Ad aliud de Senſu, & Senſato dicetur ad argumento vltimæ quæſt. huius diſtinctionis*, reſpondendo ad ſecundum argumentum principale ibi; * *Ex iſto* apparet ad illud de Senſu & Senſato, &c. * *q. 1. n. 4.*

13. k *Ad rationem de contradictoriis.* Hic Doctor reſpondet ad vltimam rationem, qua probatur illud antecedens, ſcilicet quòd ſucceſſiuum componatur ex minimis; quæ ratio ſumitur per rationem contradictoriorum: & ratio ſtat in hoc: nam inter *non eſſe* formæ frigoris, & *eſſe* ipſius, nòn cadit aliquod medium, cùm tale *eſſe*, & *non eſſe* ſint contradictoria; cùm igitur in vltimo inſtanti caloris abùciendi ſit *non eſſe* frigoris inducendi, & poſt illud inſtans ſit *eſſe* ipſius frigoris. Si igitur non eſſet primum inſtans, in quo ipſum frigus haberet *eſſe*, tunc inter *eſſe* ipſius frigoris, & *non eſſe* eſſet aliquid medium, & ſic inter contradictoria daretur medium: igitur datur primum *eſſe* ipſius frigoris ſucceſſiuè acquiſibilis, & illud primum non eſſe minimum, niſi illud primum eſſet indiuiſibile, vt vt patet. Ex iſta primitate probata concluditur quòd illud primum ſit minima pars; non enim poteſt illud eſſe primum, niſi indiuiſibile, quia Philoſophus 6. *Phyſicor. tex. comm.* 46. oſtendit quòd non contingit accipere primam mutationem in motu.

Dubia occurrentia.

In iſta littera occurrunt nonnulla dubia circa vndecim concluſiones, quas pono hìc per ordinem.

14. Prima concluſio: *Omne* moueri *præcedit* mutatum eſſe *in infinitum*, & *omne* mutatum eſſe *præcedit* moueri *in infinitum.*

Secunda concluſio: *Si ignis cauſaret aliquod primum in motu, pari ratione poſſet cauſare æquale illi ſimul cum eo, cùm ſit æqualis virtutis, & æquè proximus paſſo.*

Tertia concluſio: *Si ignis poſſet inducere primam partem motus, & ſimul non poſſet inducere æqualem, tunc motus componeretur, vel ex mutationibus immediatis, vel ex mutationibus & quietibus.*

Quarta concluſio: *Mutari eſt aliter ſe habere nunc indiuiſibiliter, ſicut priùs ſe habuit diuiſibiliter.*

Quinta concluſio: *Nulla pars mobilis eſt æquè propinqua agenti, ſed pars propinquior alteri parti in infinitum, ſed ſolus punctus mobilis eſt ſe ſolo immediatus agenti.*

Sexta concluſio: *Nulla pars formæ, ſecundùm quam poteſt eſſe ſucceſſio motus, eſt immediatè inducibilis, ſed qualibet pars ante aliam in infinitum.*

Septima concluſio: *Si eſſet ſolus motus remiſſionis vſque ad aliquod inſtans, & tunc primò induceretur aliquid frigoris, ſequeretur, vel quòd calor remittendus haberet vltimum ſui eſſe, vel quod frigus immediatè ſequens haberet primum ſui eſſe, & tunc eſſet prima mutatio motus infrigidationis, quæ ſunt inconuenientia.*

Octaua concluſio: *Concurrunt ſimul ab inſtanti immutationis motus remiſſionis, puta caloris, & motus intenſionis, puta frigoris.*

Nona

Nona concluſio. *In aliquo inſtanti, in quo per mutationem ſubitam inducitur aliquis gradus frigoris omnino incompoſſibilis calori, in illo inſtanti calor non eſt, & vſque ad illud inſtans calor fuit.*

Decima concluſio: *Calor remittendus nullum vltimum habet ſui* eſſe, *ſed habet vltimum in* eſſe. *quieto.*

Vndecima concluſio: *Frigus intendendum nullum primum habet ſui* eſſe *ſimpliciter, licèt primum habeat in* eſſe *quieto, quod accipit per mutationem, licèt illud non ſit quies.*

15. *Subtilia argumenta contra concluſiones Doct.* Contra has concluſiones, vt firmitas earum magis appareat, multis mediis inſtatur. Et primò contra primam, quæ talis eſt: *Omne* moueri *præcedit* mutatum eſſe *in infinitum, & omne* mutatum eſſe *præcedit* moueri *in infinitum.* Contrà, primò contra primam partem concluſionis. Et pono caſum, quòd in puncto quanti pedalis quieſcat aliquod mobile per horam, & per vltimum inſtans illius horæ, & in tempore immediato illi inſtanti incipiat moueri, & quòd ſucceſſio motus accipiatur pro nunc à diuiſibilitate partium illius quanti: hoc caſu ſtante, certum eſt quòd in tempore immediato mouetur, & ante illud *moueri* immediatum non eſt aliquod *mutatum eſſe*, quia illud *mutatum eſſe*, aut fit tranſeundo partem quanti: & hoc non, quia pars tranſitur in tempore; aut tranſeundo punctum, & hoc non: quia quæro quem punctum, aut punctum in quo quieuit, aut aliud punctum immediatum: non primò, quia in illo ſimpliciter quieuit, etiam in vltimo inſtanti, quod inſtans dicitur inſtans immutationis; non ſecundò, quia tunc eſſet punctum immediatum puncto, & inſtans immediatum inſtanti; quod eſt contra Philoſophum. 6. *Phyſicorum.*

16. Secundò arguitur de motu alterationis, puta intenſionis. Et pono caſum, quòd mobile *A* quieſcat per horam, & in vltimo inſtanti illius horæ, & in tempore immediato ad illud inſtans moueatur ad caliditatem vt octo: certum eſt quòd per quamlibet partem motus aliquid caliditatis acquiritur. Tunc ſic, ſi ante omne *moueri* intenſionis eſt aliquod *mutatum eſſe*, ſequitur, quod ſicut per aliam, & aliam partem motus intenſionis alia, & alia pars caliditatis acquiritur, vel alia & alia pars gradus intenſionis acquiritur, (tenendo quòd quilibet gradus intenſionis ſit diuiſibilis in infinitum) ita per aliud, & aliud *mutatum eſſe* aliquid formæ acquiritur, tunc ſic, ſi mobile poſt vltimum inſtans immutationis mouetur ad caliditatem, & ante hoc moueri eſt *mutatum eſſe*, ergo per illud *mutatum eſſe* aliquid, acquiritur de caliditate, quæro quid acquiritur: non pars formæ, quia illa eſt diuiſibilis in infinitum, nec gradus fœrmæ, quia ſi ille ponitur diuiſibilis, acquiritur ſucceſſiuè. Si etiam ponitur extenſus in quantitates, eſt diuiſibilis in plures partes integrales, quæ acquiruntur ſucceſſiuè. Si ergo *mutatum eſſe* eſt ante omne *moueri* motu intenſionis, ſequitur quòd ante omnem motum intenſionis erit aliquid intenſiuè acquiſitum in mobili *A* quod eſt impoſſibile.

17. Tertiò arguitur ad idem de motu remiſſionis: & pono caſum, quòd mobile *B* quieſcat ſub caliditate per horam, & in vltimo inſtanti illius horæ, & in tempore immediato moueatur motu remiſſionis, qui fuit ſecundùm fluxum formæ remittendæ, ſtante hoc caſu, quæro quid deperditur de caliditate, in illo *mutato eſſe*, quod eſt ante omne *moueri*? non pars formæ, quia illa ſucceſſiuè deperditur & per motum: non gradus aliquis formæ, quia ille, aut ponitur diuiſibilis in infinitum, aut ponitur in quantitate diuiſibili, & ſic erit diuiſibilis ad diuiſibilitatem quantitatis: quocunque dato, ille gradus non deperditur, niſi ſucceſſiuè, & ſic per motum remiſſionis: ergo ante omne *moueri* non eſt aliquod *mutatum eſſe*.

Quartò arguitur ſic, per argumentum ducens ad impoſſibile: Si ante omne moueri eſt *mutatum eſſe*: ergo inſtans erit immediatum inſtanti, quod eſt impoſſibile apud Philoſophum. 6. *Phyſicor.* Probatur conſequentia. Pono caſum, quòd quis quieſcat per horam, & in vltimo inſtanti illius horæ etiam quieſcat, & in tempore immediato illi inſtanti moueatur. Hoc ſtante, arguo ſic, ante *moueri* immediatum ad inſtans immutationis eſt aliquod *mutatum eſſe*: ergo inſtans eſt immediatum inſtanti, patet, quia *mutatum eſſe* menſuratur inſtanti, ſed non inſtanti immutationis, vt patet: ergo alio inſtanti. Patet, quia non tempore immediato: ergo inſtans eſt immediatum inſtanti.

Quintò arguitur, quia ſi ante omne *moueri* eſſet *mutatum eſſe*: ergo in motu datur prima mutatio, quod eſt contra Philoſophum. 6. *Phyſ.* & contra Doctorem præſenti quæſt.

Sextò ſequeretur, quòd ante omne tempus eſſet inſtans, quod eſt falſum. Probo conſequentiam, & ſuppono quòd tantùm tempus ſit in motu, cùm ſit menſura motus *ex quarto Phyſicorum.* Hoc ſtante, pono caſum, quòd *A* quieſcit per horam, & per vltimum inſtans illius horæ, & in tempore immediato moueatur, ille motus menſuratur tempore, ſi ante illud tempus eſt inſtans, quæro quod inſtans? non inſtans immutationis, vt patet: ergo aliud, aut immediatum inſtanti immutationis, & tunc datur inſtans immediatum inſtanti, aut mediatum: ergo inter illud inſtans, & inſtans immutationis eſt tempus medium, & ante illud tempus eſt inſtans menſurans *mutatum eſſe*, quod eſt ante *moueri*: ergo.

18. *Ponitur caſus.* Contra ſecundam partem concluſionis probo, quòd non omnem mutationem præcedat aliquod *moueri*. Primò ſic: Pono caſum, quòd *A* quieſcat in ſpatio per horam, & in vltimo inſtanti illius non quieſcat, ſed incipiat recedere à loco, quo eſt, tenendo quòd ille locus ſit punctualis. Hoc poſito, patet quòd illius motus datur primum *mutatum eſſe*: Patet, quia in vltimo inſtanti horæ incipit moueri, & motus fit in tempore immediatè ſequente, quæ præcedit *mutatum eſſe*, quod menſuratur vltimo inſtanti illius horæ, & ante illud *mutatum eſſe* non eſt aliquod moueri, quia in tempore illius horæ quieſcit: ergo.

Secundò arguitur, datur alicuius motus vltimum *mutatum eſſe*: ergo & primum *mutatum eſſe*. Patet conſequentia, quia non eſt maior ratio de vno, quàm de alio. Nec valet dicere, quòd motus eſt diuiſibilis in infinitum à parte antè, ideò non datur primum *mutatum eſſe*, quia à parte pòſt eſt ita diuiſibilis in infinitum, quia ita non poteſt dari vltima pars motus, ſicut nec prima.

Tertiò arguitur, quia cuiuſlibet continui, tam ſucceſſiui, quàm permanentis, dantur duo extrema terminantia illud. Patet de quantitate per-

manente, quæ licèt ſit diuiſibilis in infinitum, tamen actu habet duo extrema indiuiſibilia terminantia, vt duo puncta. Similiter eſt de tempore vnius horæ, quod habet duo inſtantia terminantia illud, ergo ſimiliter erit de motu: ergo datur primum *mutatum eſſe*.

Quartò arguitur auctoritate Philoſophi 6. *Phyſicorum* eiuſdem rationis ſunt quantitas, motus, & tempus: ſed quantitas permanens habet primum indiuiſibile, quod eſt principium illius: ergo & motus habebit primum *mutatum eſſe*.

Quintò, ratio motus ſumitur à magnitudine, quia ſucceſſio in motu eſt à diuiſibilitate magnitudinis, vt patet à Doctore *præſenti quæſt.* & continuitas motus ſimiliter ſumitur: cùm ergo in magnitudine ſemper detur indiuiſibile initians, ante quòd non eſt aliqua pars magnitudinis, ſequitur quòd ſimiliter erit in motu, quòd dabitur primum *mutatum eſſe*, correſpondens primo puncto magnitudinis, ſuper quam fit motus.

Sextò, datur aliqua mutatio, ante quam nõ eſt aliquod *moueri*; ergo. Probatur antecedens, quia Angelus poteſt quieſcere per horam in vno *vbi*, & in vltimo inſtanti horæ mutari ad aliud *vbi*, vt patet à Doctore *in diſt. præſenti q.* 11. & 12. ergo erit mutatio, quam nullum *moueri* præcedit.

Septimò arguitur, quia vbi eſt prius, & poſterius, ibi eſt primum. Patet 5. *Metaph. c. de Priori*: ſed in motu eſt prius, & poſterius, vt patet 4. *Phyſ.* ergo ibi erit primum, & illud non erit, niſi primum *mutatum eſſe*: non aliqua pars motus, cùm ſit diuiſibilis in infinitas partes, nec dabilis prima pars motus.

Octauò arguitur. Pono quòd Angelus quieſcat per horam in aliquo *vbi*, & in vltimo inſtanti illius horæ mutetur ad aliud *vbi*, & in tempore immediato ad illud inſtans moueatur motu cõtinuo, caſus eſt poſſibilis. Hoc ſtãte, patet quòd illius motus erit prima mutatio, quàm in inſtãti.

Nonò arguitur. Et pono caſum, quòd agens perfectum, puta calidum perfectum, in inſtanti inducat in paſſum aliquem calorem, & prima pars calefacta calefaciat aliam in tempore, & alia aliam ſimiliter in tempore, & ſic deinceps quouſque alteretur totum, hoc eſt poſſibile, vt patet à Doctore *in præſenti diſt. q.* 12. in ratione ad vltimum argumentum. hoc ſtante, patet quòd illius motus alterationis datur primum mutatum, quo inducitur in inſtanti calefactio in aliqua prima parte.

20. *Ad primum.* Reſpondeo ad primum contra primam partem, concedendo caſum, & dico quòd ille motus, qui fit in tempore immediato, eſt diuiſibilis in infinitum, & quòd ante quamcunque mutationem datur *moueri*. Cùm dicitur, quòd mutatio illa fit tranſeundo punctum, concedo: & cùm quæritur, quod punctum tranſit? Dico quòd punctum, quod eſt in parte quanti ſuper quòd fit motus, & quia inter duo puncta eſt pars diuiſibilis in infinitum, ideò poſt primum punctum, in quo quieſcit mobile, mobile mouet ſuper ſpatium, quod immediatè ſequitur punctum, in quo quieuit: & quia illud eſt diuiſibile in infinitas partes, & per conſequens diuiſibile in infinita puncta, & ſic in tali ſpatio, ſuper quòd immediatè fit motus, non poteſt dari primum punctum, nec prima pars cum quocumque, vel quacumque data eſt dabile, vel dabilis aliud, vel alia.

Ad ſecundum. Ad ſecundum de motu remiſſionis, & ſimiliter de motu intenſionis. Dico breuiter ad illa duo ſimul, quòd ſi quilibet gradus eſt diuiſibilis in infinitum, quòd in tempore immediato inſtans quietis mobile *A* mouetur motu intenſionis: & concedo, quòd acquiritur aliqua pars gradus, quæ eſt diuiſibilis in infinitum; & ſic pars ante partem in infinitum, & ſic ſemper *moueri* præcedit *mutatum eſſe*: & cùm quæritur quid acquiratur per *mutatum eſſe*? Dico, quòd ſicut in motu locali ſuper ſpatium in qualibet parte motus acquiritur alia, & alia pars ſpatij, & in quolibet *mutato eſſe* acquiritur aliud, & aliud punctum, ſic in motu intenſionis formæ in qualibet parte motus intenſionis acquiritur alia, & alia pars formæ intenſibilis, & in quolibet *mutato eſſe* acquiritur aliud, & aliud indiuiſibile, quæ continuant formam intenſibilem, ſicut aliud, & aliud punctum in motu locali continuant motum localem. Hoc idem dico de motu remiſſionis. Si verò gradus formæ non ſit diuiſibilis in infinitos gradus, ſed tantùm ſit diuiſibilis ad diuiſibilitatem quantitatis, in qua recipitur. Dico quòd acquiritur in qualibet parte motus aliqua pars in infinitum, ita quòd nulla prima, ſed vna ante aliam in infinitum, puta ſi ſpatium pedale debet calefieri, prius aliqua pars ſpacij calefit in infinitum, ita quòd non aliqua pars prima ſpatij, ſed ante quamcunque aſſignatam ſemper aliqua calefit in infinitum, & ſic ante omne *mutatum eſſe* eſt *moueri* in infinitum, & è contra. Et concedo, quòd in quolibet *mutato eſſe* aliud, & aliud punctum alteratur, & calefit.

Ad quartum dico, quòd ſicut illius motus, qui incipit in tempore immediato ad inſtans quietis, non eſt dabilis aliqua prima pars, ſed ante quamlibet eſt alia in infinitum; & ſimiliter aliud, & aliud *mutatum eſſe* in infinitum, ita quòd ante quamcunque partem illius morùs eſt aliquod *mutatum eſſe*, & ante quodcunque *mutatum eſſe*, eſt aliqua pars motus. Sic dico de tempore menſurante illum motum, quòd ante quamcumque partem illius eſt alia in infinitum, & ante quamcumque eſt aliquod inſtans illius temporis menſurans *mutatum eſſe*, & ante illud eſt pars temporis. Dico ergo, quòd loquendo de tempore immediato ad inſtans quietis non datur aliquod primum inſtans præcedens illud tempus, ſed ante quodcunque inſtans illius temporis datur aliqua pars temporis, ſicut etiam in motu immediato ad inſtans quietis non datur primum *mutatum eſſe*, ita nec in tempore menſurante illum motum datur aliquod primum inſtans. 21.

Ad quintum dico, quòd ſicut ante omne *moueri eſt mutatum eſſe*, ita ante omne *mutatum eſſe* eſt aliquod moueri, & ſic patet quomodo non datur prima mutatio in motu. Si dicatur, ſi motus incipit poſt inſtans quietis, puta tranſeundo aliquod ſpatium, nonne datur aliquod *mutatum eſſe* initians illum motum, ſicut quando incipit à primo puncto ſpatij tranſire partem immediatam illi puncto? quia inter illam, & illum punctum non eſt alia, ſic de motu & *mutato eſſe*. Dico, quòd licèt inter illam, & punctum, non ſit alia immediata, tamen illa quæ eſt inter duo puncta, eſt diuiſibilis in infinitum, non enim fit diuiſio à parte puncti, cùm ex illa parte ſit immediata puncto, & ſic indiuiſibilis: tamen quacunque minima data inter duo puncta, eſt diuiſibilis in infinitum. Hoc idem dico de motu, quòd non diuiditur à parte *mutati eſſe* immediati, ſed inter duo *mutata eſſe* eſt motus, qui eſt diuiſibilis in infinitum, quia non eſt pars motus 22.

aſſignabi

aſſignabilis immediata alicui *mutato eſſe*, quin alia in infinitum ſit illi puncto propinquior, ſiue immediatior, vt ſuprà dixi de partibus quantitatis comparatis ad punctum. Nam de ratione motus, (vel ſaltem conſequitur ratione motus) eſt, quòd ſit ſemper diuiſibilis: ergo aſſignata quacunque parte, motus ſemper erit in infinitum diuiſibilis, & per conſequens in infinitum vna prior alia, & aſſignata vna habet *mutatum eſſe* continuans, & quia ante illam eſt alia, & alia in infinitum, ſequitur quòd ante illam eſt aliud, & aliud *mutatum eſſe* in infinitum: & ſic ante omnem partem motus eſt *mutatum eſſe*, & ante *mutatum eſſe* eſt aliqua pars motus.

Ad ſextum dico, quòd tempus ſequens inſtans quietis eſt diuiſibile in infinitas partes, & ſicut non poteſt dari prima pars, ita nec primum inſtans; loquendo præcisè de tempore menſurante motum immediatè ſequentem inſtans quietis, & hoc patet ex ſupradictis.

Ad argumenta contra ſecundam partem facta.

23. *Ad argumenta.* Ad primum dico, quòd motus non fit tranſeundo punctum ſpatij, ſed fit tranſeundo partem diuiſibilem ſpatij, & tunc dico, quòd illius motus non datur aliquod primum *mutatum eſſe*, nec illud *mutatum eſſe*, in quo primò mobile recedit à puncto, eſt principium motus immediatè ſequentis, ſed benè omnia *mutata eſſe*, quæ ſunt in illo motu, pertinent ad illum motum, quia continuant illum, continuando partes motus, vt expoſui ſuprà q. 1. & 4.

Ad ſecundum, negatur conſequentia, quia neceſſe eſt omnem motum terminari per aliquod *mutatum eſſe*, quod menſuratur inſtanti, quod inſtans adhuc dicitur inſtans immutationis, vt expoſui ſuprà, *dt. 2. q. 4. & q. 9.* Sed quando motus incipit, ſemper incipit in aliquo tempore, & ideò non poteſt dari primum *mutatum eſſe*: quælibet enim pars motus eſt diuiſibilis in infinitas partes, & nulla pars poteſt incipere in inſtanti, ſed benè poteſt terminare ad inſtans, quia tunc nullus motus eſt, nec aliqua eius pars.

Ad tertium, negatur ſimilitudo de permanentibus, & ſucceſſiuis, & ratio negationis eſt, quia motus non incipit in puncto primo quanto, quia nunquam mobile recedit à puncto, niſi in tempore, vt patet, quia non recedit, niſi tranſeundo in partem ſpatij, & ſic in tempore tranſit, & hoc ſatis patet à Doctore, qui vult, quòd motus tantùm fit tranſeundo partem, quæ eſt diuiſibilis in infinitum; & ideò motus non poteſt habere aliquod primum *mutatum eſſe*.

Ad quartum dico, quòd auctoritas Philoſophi
24. intelligitur quantùm ad hoc, quòd ſicut quantitas non componitur ex indiuiſibilibus, ita nec motus, nec tempus, vt patet ibi. Dico etiam, quòd ſicut magnitudo eſt diuiſibilis in infinitas partes, ita motus & tempus, ſed non eſt ſimile quantùm ad hoc, quòd ſicut quantitas habet primum punctum, quod eſt principium, ſic quòd motus & tempus, vt patet reſpondendo ad tertium argumentum.

Ad quintum reſpondeo ſicut ad tertium & quartum.

Ad ſextum dico, quòd poteſt dari aliqua mutatio, quæ nec eſt principium, nec finis motus; & ſic concedo caſum de Angelo, & dico, quòd illa mutatio, ad quam immediatè ſequitur motus, nullo modo pertinet ad illum motum, nec eſt principium motus illius, ſicut etiam dictum eſt ſuprà, q. 4. quòd ſubſtantia acquiritur per mutationem, quæ tamen non eſt finis alicuius motus, ſed concomitatur motum, puta alterationem præcedentem, quæ immediatè terminatur ad proprium *mutatum eſſe*.

Ad ſeptimum concedo, quòd eſt ibi prius & poſterius, negatur tamen conſequentia, quòd ibi ſit aliquod primum: & dico, quòd auctoritas Philoſophi intelligitur de priori, & poſteriori, inter quæ eſt ordo eſſentialis, vt exponit Doctor ſuper 5. Metaph. vide ibi. Sed nulla pars motus dependet eſſentialiter ab alia, nec ſimiliter ab aliquo *mutato eſſe*.

Ad octauum dico, concedendo caſum, quòd illa mutatio, qua mutatur ab vno *vbi* ad aliud, nullo modo pertinet ad illum motum ſequentem, vt ſuprà expoſui.

Ad nonum dico per idem, concedendo caſum illum: ſed illa prima mutatio nullo modo pertineret ad motum ſequentem, vt ſuprà expoſui, & ſic patet reſponſio ad omnes iſtas rationes.

Contra ſecundam, quæ talis eſt: *Si ignis poſſit* 25. *inducere aliquod primum in motu, pari ratione poſſet cauſare æquale illi ſimul cum eo immediatum, cùm ſit æqualis virtutis, & æquè proximum paſſo.* Arguitur primò, quia ſi tale agens in eodem inſtanti poſſet in paſſum inducere æquale: ergo in eodem inſtanti poſſet ignis, ſi eſſet perfectus, inducere infinitos gradus æquales, ſi poteſt vnum gradum inducere. Patet, ponendo quòd omnes alij gradus æquales ſint æquales primò inducto: conſequens falſum, quia tunc poſſet produci actu infinitus calor intenſiuè, quod eſt impoſſibile. *Contra ſecundam.*

Secundò, Deus in inſtanti poteſt producere in aliquod paſſum gratiam intenſam vt quatuor: ergo in eodem inſtanti producere quamlibet ſibi æqualem: ergo poſſet in eodem paſſu producere actu infinitam gratiam, quod eſt contra Doctorem *in tertio, diſtin.* 13. Probatur conſequentia, quia ſucceſſiuè poteſt producere æqualem in infinitum, ergo & ſimul per concluſionem ipſius. Quòd autem ſucceſſiuè probo, quia paſſum eſt ita diſpoſitum reſpectu vnius gradus, ſicut reſpectu alterius, quia nullus gradus gratiæ repugnat paſſo, cùm ſit tantùm in potentia receptiua: & non videtur, quòd ita non poſſit recipere perfectiſſimam, ſicut imperfectiorem, nec etiam repugnat Deo poſſe producere, ſiue intendere gratiam in infinitum, cùm ſit virtutis infinitæ.

Tertiò arguitur, quia tunc eadem voluntas ſimul poſſet actu producere infinitas volitiones de eodem obiecto, ſi aliquam primam poſſet producere in inſtanti, & illæ aliæ eſſent æquales. Hoc patet per concluſionem Scoti. & quòd poſſit vnũ producere in inſtanti, patet, quia quando habet obiectum perfectè præſens, & nullo modo eſt impedita, poteſt in inſtanti producere: ergo.

Quartò arguitur, quia tunc memoria fœcunda 26.
perfecta in nobis, ſi in inſtanti poteſt producere vnam intellectionem primam: ergo in eodem poteſt ſimul infinitas producere de eodem obiecto. Probatur conſequentia, quia infinitæ ſunt producibiles ſucceſſiuè æquales, imò ſequitur, quòd ſi in inſtanti poteſt producere intellectionem vt duo, quòd ſimul poteſt producere quamlibet ſibi æqualem, & ſic in inſtanti poteſt intendere illam intellectionem in infinitum.

Quintò arguitur, quia ſi concluſio eſſet vera, ſequeretur quòd ſi ignis eſſet perfectè approximatus calefactibili, & in minimo tempore in

duceret aliquam partem caloris, tunc in eodem tempore induceret quamlibet partem caloris æqualem primo; & ſic ſemper in paruiſſimo tempore perfectiſſimè calefaceret calefactibile, cùm ſit agens merè naturale: oppoſitum autem experimur.

Sextò, ſequeretur inconueniens contra Philoſophum, quia ſemper in principio motus ceſſaret motus. Probatur, quia alterans in principio alterationis inducit in paſſum aliquam partem formæ acquiſibilis per alterationem: ergo in tali principio motus poteſt, imò neceſſariò inducit quamlibet partem æqualem, ſi alterans eſt agens naturale; & ſic in principio cuiuſcunque motus alterationis ceſſaret motus.

Septimò arguitur, quia tunc graue in minimo tempore deſcenderet in centrum. Probatur, quia in aliquo minimo tempore pertranſit aliquam partem medij: ergo in eodem tempore pertranſiret quamlibet æqualem primæ, & ſic patet quòd ſemper in minimo tempore deſcenderet, cuius oppoſitum experimur.

27. Octauò arguitur ſic, quia tunc ſequeretur, quòd Angelus poſſet omnem diſtantiam in inſtanti pertranſire, quod eſt contra Doctorem infrà *q.*11. Probatur conſequentia, quia in inſtanti poteſt tranſire de loco ad locum, ita quòd poteſt pertranſire tantum ſpatium: ergo in eodem inſtanti poteſt pertranſire omne æquale, & ſic in inſtanti poteſt pertranſire ſpatium quantumcunque diſtans.

Nonò arguitur, quia ſi ſic eſſet, tunc ſequeretur quòd Angelus in inſtanti poſſet eſſe in loco quantumcumque magno, quod eſt contra Doctorem *in ſecundo, diſt.*2. *q.*6. Probatur conſequentia, quia virtute propria in inſtanti poteſt eſſe in tanto loco, & ſucceſſiuè in alio, & alio loco: ergo in eodem inſtanti ſimul poteſt eſſe in loco quantumcunque magno, quia in eodem inſtanti poteſt eſſe in loco quocũque æquali illi primo.

Decimò arguitur, quia ſequitur, quòd Angelus in inſtanti ſimiliter poſſit eſſe in loco quantumcunque minimo, ſiue paruo, quod eſt contra Doctorem *vbi ſuprà*. Probatur conſequentia, quia in inſtanti poteſt eſſe virtute propria in loco ita paruo infra totum locum ſibi adæquatum, vt patet à Doctore *in ſecundo vbi ſuprà*: ergo poteſt ſimul eſſe in loco quocunqe ſibi æquali: & ſic deſcendendo ſequitur, quòd poteſt eſſe in loco quantumcunque minimo, ſiue paruo.

Vndecimò ſequitur, quòd Angelus ſimul in eodem inſtanti poſſit eſſe in omni loco, puta pedali ergo in eodem inſtanti ſimul poteſt eſſe in omni loco æquali. Patet, quia ſucceſſiuè in alio & alio inſtanti poteſt eſſe in alio, & alio loco pedali: ergo ſimul in omnibus. Nec valet dicere, quòd ſimul eſſe in omnibus, repugnat ſibi, quia Angelus eſt in potentia receptiua ad omnem locum, vt patet à Doctore vbi ſuprà.

Duodecimò arguitur, quia tunc ſequitur, quòd Angelus poſſit ſimul in inſtanti loqui Angelo quantumcumque diſtanti, quod eſt contra Doctorem infrà *diſtin.*9. Probatur conſequentia, quia in inſtanti poteſt loqui Angelo diſtanti, puta per ſpatium pedale: ergo in eodem inſtanti, ſimul poteſt loqui Angelo diſtanti per æquale ſpatium. etiam in infinitum.

Tertiodecimo arguitur, quia idem obiectum præſens intellectui in ratione obiecti actu intelligibilis poſſet ſimul in eodem intellectu producere plures intellectiones æquales primæ, ſi illa prima eſſet producibilis in inſtanti, & ſic quaſi infinitas ſimul, quòd videtur manifeſtè falſum.

Reſpondeo ad primum, concedo illud, ſcilicet 28.
quòd ſimul poſſet producere æquales: & cùm infertur: ergo calorem infinitum, negatur, quia aliquis gradus poſſet repugnare, cùm nulla qualitas poſſet nec ſimul, nec ſucceſſiuè produci intenſiuè infinita; aliquis enim gradus maior repugnaret, vt patet à Doctore *in tertio, diſtin.*13. Dico ſecundò, quòd ſi poteſt producere primam partem motus, ſcilicet mutationem, qua acquiratur in inſtanti prima pars alicuius gradus, quòd ſimul poſſet inducere omnem æqualem, etiam in infinitum à parte pòſt: ſed tunc non ſequitur, quod producat infinitum intenſiuè, vt ſuprà patuit, quia tantùm produceretur vnus gradus intenſiuè, qui eſſet diuiſibilis in infinitas partes.

Ad ſecundum dico, quòd ſi gratia eſſet intenſibilis in infinitum, quòd Deus ſimul poſſet producere, ſed non eſt intenſibilis in infinitum, vt probat Doctor *in* 3.*diſt.*13. *Gratia non eſt intenſibilis in infinitum.*

Ad tertium, negatur quòd poſſit ſimul producere plures volitiones de eodem obiecto, ratio eſt, quia volitio tantùm habet *eſſe*, vt continuatur ab eadem voluntate. & ſic in continuo *fieri*, vt patet à Doctore *in primo diſt.*3.*q.vlt.& in quolib. q.*13. ideò ipſa voluntas tantùm cõtinuaret vnam de eodem obiecto, & ipſa manente alia non poſſet cauſari, ſed ipſa poſſet intendi. Et ſi poteſt produci prima pars alicuius gradus volitionis in inſtanti, & quælibet ei æqualis, & dic vt dictum eſt ad primum.

Ad quartum dico ſimiliter, vt dixi ad tertium.

Ad quintum dico, quòd benè ſequitur de in- 29.
ſtanti, ſed non de tempore. quia pro inſtanti habet paſſum perfectè approximatum: paſſum enim non eſt perfectè approximatum agenti naturali, niſi ſecundùm punctum, vt patet à Doctore *q.*9. ideò ſi poteſt in eodem paſſo producere primam partem alterationis, & quamlibet ſibi æqualem poterit producere, cùm ſit agens æqualis virtutis, & & æquè approximatum paſſo. Sed quando producit aliquam partem in tempore, & per conſequens ſucceſſiuè, non ſequitur quòd ſimul in eodem tempore poſſit alia producere, quia ex quo continuo ſucceſſiuè acquiritur, ſi vna pars acquiritur præcisè in tanto tempore, pars ſequens æqualis ab illo agente non poteſt ſimul in eodem tempore produci, ſed benè in æquali tempore. Si enim ſecunda pars induceretur in eodem præcisè tempore, & eodem ſimpliciter motu; ſequitur quòd illa ſecunda pars non acquiritur ſucceſſiuè poſt primam partem, quod tamen requiritur. Sit ergo ignis virtutis vt quatuor, habeat paſſum approximatum, ſi poteſt producere calorem, vel aliquam partem in tempore vnius horæ, partem æqualem, ſequentem poteſt producere in æquali tempore, ſed non præcisè in eodem tempore; quia tunc illa ſecunda pars non acquireretur ſucceſſiuè poſt primam partem, quæ ponitur primæ parti ſuccedi, & ſi eſſet agens virtutis vt octo, poſſet producere illam primam partem in duplo minori tempore: ſed non eſt ſic quando producit primam partem in inſtanti, quia tunc vna non habet ſuccedere alteri: ſed ſicut in inſtanti produceret primam, ita poſſet quamlibet æqualem illi primæ ſimul in eodem inſtanti producere.

Et per hoc patet reſponſio ad ſextum, quòd non

non poteſt ceſſare motus in principio ipſius,cùm neceſſariò acquirat ſemper ſucceſſiuè vnam partem poſt aliam.

30. Ad ſeptimum dico, quòd graue,nec pertranſiret medium in eodem tempore, quo pertranſit aliquam primam partem, quia ille tranſitus, ex quo eſſet ſucceſſiuus, neceſſariò tranſiret vnam partem poſt aliam; bene poſſet ſecundam partem æqualem primæ pertranſire in æquali tempore, & die vt ſuprà ad quintum argumentum. Dico ſecundò, quòd in eodem tempore, quo habet aliquam primam partem, tamen diuiſibilem in infinitum, non habet ſecundam æqualem primæ: & ideò non ſequitur, quòd in eodem tempore poſſit pertranſire ſecundam.

Ad octauum de Angelo dico,quòd ſi in eodem inſtanti haberet aliud ſpatium æquè ſibi propinquum, ſicut primam partem ſpatij, quòd poſſet ſimul in eodem inſtanti pertranſire illud. Sed quando Angelus eſt in aliquo loco, quòd habet ſpatium puta vnius miliari,ſperfectè propinquum virtuti ſuæ, vt poſſit illud in inſtanti pertranſire, in eodem inſtanti non habet ſpatium ſequens propinquum perfectæ virtuti Angeli, cùm ipſe Angelus ſit virtutis finitæ, & limitatæ, ideò aliquod magnum ſpatium poterit ei facere reſiſtentiam, vt patet à Doctore, *q.9.diſt.2.ſecundi.*

Et per hoc patet reſponſio ad nonum, & decimum argumentum.

Quomodo Angelus non poteſt eſſe in duobus locis adæquatis.

Ad vndecimum dico, quòd ſimul non poteſt eſſe, nec in duobus locis adæquatis, vt ſupra dixi: ſed quando in inſtanti ſit in vno loco, in eodem inſtanti deſinit eſſe in priori loco, vt ſupra expoſui. Et cùm dicitur, quòd ſi in inſtanti poteſt eſſe in loco pedali, quòd in eodem poteſt eſſe in æquali, dictũ eſt, quòd poſito quòd in inſtanti poſſit eſſe in alio æquali, quòd etiam in eodem recederet à primo. Dico etiam,quòd in eodem inſtanti non poſſet eſſe in quocunque æquali, quia non quodcunq; æquale erit ei æquè proximum.

Ad duodecimum dico, ſicut dixi ad octauum, & nonum, quia non quælibet diſtantia æqualis primæ eſſet ſibi æquè propinqua, & proxima.

Ad tertiumdecimum dico, vt dixi ad tertium de voluntate:illud enim obiectum quandiu eſſet præſens intellectui in ratione obiecti actu intelligibilis tantùm continuaret primam intellectionem.

Contra tertiam.

31. Contra tertiam arguitur, probando quòd eſſet verè motus; & præſuppono quòd alteratio inducatur in ſpatio vnius horæ,& quòd prima pars inducatur in inſtãti,& ſecunda in alio inſtanti ſequente tempus intermedium ad primum inſtans, & ſic deinceps quouſque inducatur totus calor, ſecundùm quem eſt alteratio. Arguo primò ſic: tota iſta alteratio menſuratur tempore vnius horæ:ergo eſt verè motus, quia tempus non eſt ſine motu, cùm tempus ſit paſſio motus, vt patet 4. *Phyſic.*

Secundò, Alterabile *A* verè alteratur, & non in inſtanti: ergo in tempore; ſed quod alteratur in tempore verè mouetur, vt patet.

Tertiò, Omnis forma, quæ ſucceſſiuè acquiritur, acquiritur verè per motum; ſed talis calor acquiritur ſucceſſiuè:patet, quia partibiliter: patet,quia in alio, & alio inſtanti acquiritur alia, & alia pars.

Reſponſio.

Reſpondeo ad primum, negatur quòd menſuretur tempore, ſed alia & alia pars acquiritur præcisè in alio, & alio inſtanti: & cùm dicitur, acquiritur per horam. Dico primò, quòd tempus menſurans quietem non eſt propriè tempus actuale, vt patet *in d.2.ſecundi.* Dico ſecundò,poſito quòd ſit tempus actuale, ſunt ibi plura tempora, quia inſtantia illa, quibus acquiritur alia, & alia pars,non pertinent ad illa tempora:non enim continuant tempus quietis, quia illis inſtantibus tantùm menſurantur *mutata eſſe.* Dico vltrà, quòd etiam poſito quòd pertinerent ad tempus horæ menſurans quietem, quòd nec in toto illo tempore, nec in aliqua parte temporis illius eſt aliqua alteratio, vt paret, quia illa tantùm in inſtanti acquiritur, & per conſequen, illud tempus nullo modo menſurat illam alterationem.

Ad ſecundum dico, quòd tantùm alteratur in alio & alio inſtanti: quia in alio, & alio inſtanti acquiritur alia, & alia pars, ſecundùm quas dicitur alterari in alio & alio inſtanti; ſed in temporibus intermediis nullo modo alteratur, cum nihil formæ tunc acquiratur.

Ad tertium dico; quòd non acquiritur ſucceſſiuè: & cùm dicitur,quòd acquiritur partibiliter. Concedo: ergo ſucceſſiuè: negatur, quia in ſucceſſione partes,ſecundùm quas eſt ſucceſſio continuatur ſecundùm aliud, & aliud indiuiſibile,vt expoſui in iſto ſecundo,*diſt.2.q.1.&* 4. hìc autem nulla eſſet talis continuatio, vt patet intuenti.

Cõtra quartum quid ſit mutari.

32. Contra quartam quæ talis eſt: *Mutari eſt aliquid aliter ſe habere nunc indiuiſibiliter, quàm prius ſe habuerit diuiſibiliter*: Arguitur primò ſic: in illo vltimo inſtanti mobile quieſcit: ergo non mutatur. Patet, quia quies opponitur motui. Antecedens patet à Doctore, *diſt.2. q.9.iſtius ſecundi*, vbi vult, quod illud dicatur inſtans immutationis, ſine quietis.

Secundò ſic: In illo inſtanti indiuiſibili mobile nihil acquirit: ergo non mutatur. Conſequentia patet, quia mutari poſitiuè eſt aliquid acquirere, quod priùs non habuit. Antecedens patet, quia alteratio acquiritur tantùm in tempore præcedente illud inſtans: patet, quia in illo inſtanti ceſſat tota alteratio.

Tertiò. Si in illo vltimo inſtanti aliquid formę per alterationem acquiſibilis acquiritur, quæro quid ſit illud: aut eſt pars quanta, aut gradus diuiſibilis,de quo ſuprà: & hoc non,quia acquiruntur diuiſibiliter,& ſic non in inſtanti.

Quartò, Si mutari eſt aliter ſe habere nunc indiuiſibiliter: ergo in quolibet inſtanti temporis,quo fit motus,mobile mutatur: & tunc quæro vt priùs, quid acquiritur in quolibet mutato eſſe,aut diuiſibile, aut indiuiſibile:nõ primò,quia illud acquiritur per motum, & in tempore: non ſecundò, quia tunc mobile non diceretur mutari ſecundum, puta calorem,quia tunc nec calor,nec pars caloris acquiritur,cùm ſit verè diuiſibilis.

Quintò: Quia Angelus de vno *vbi* ad aliud poteſt tranſire, ſic quòd verè mutatur, quia in illo inſtanti acquirit nouum *vbi*, quod priùs non habuit, & tamen non ſe habuit priùs diuiſibiliter, cùm ille tranſitus tantùm fuerit in inſtanti.

Sextò arguitur,& pono caſum,quòd *A* moueatur ad albedinem per horam,& in vltimo inſtanti illius horæ per diuinam porentiam albedo annihiletur,& inducatur nigredo; patet quòd *A* in toto tempore mutatur, quia habet albedinem, quam priùs non habuit, & tamen non ſe habet nunc indiuiſibiliter reſpectu albedinis per motum acquiſitæ. Patet,quia in vltimo inſtanti illius

horæ deſinit eſſe ſub albedine.

33. Septimò arguitur, quia ſi oportet *A* diuiſibiliter ſe habere priùs : ſequitur, quòd materia non mutaretur ab vna forma ſubſtantiali ad aliam, quod eſt contra Philoſophum in pluribus locis. Quòd autem ſequeretur, patet, quia forma ſubſtantialis acquiritur in inſtanti, & in parte præcedenti non fuit ſub forma.

Octauò arguitur, quia mobile, puta *A* ſicut in qualibet parte motus habet *eſſe* diuiſibiliter, quia quælibet pars eſt diuiſibilis, & diuiſibiliter acquiritur ; ita in quolibet *mutato eſſe* habet *eſſe* indiuiſibiliter : ergo non videtur verum, quòd *mutari* eſt aliter ſe habere nunc indiuiſibiliter, quàm priùs ſe habuit diuiſibiliter, cùm in toto tempore præcedenti ita habeat *eſſe* indiuiſibiliter, quia in quolibet *mutato eſſe* ſicut & diuiſibiliter, vt in qualibet parte motus.

Nonò arguitur, Sequeretur, quòd alicuius ſucceſſiui daretur primum inſtans ſui *eſſe*. Patet, quia in vltimo inſtanti verum eſſet dicere, mobile in iſto inſtanti vltimo eſt calidum, & in toto tempore præcedenti non fuit calidum, qui tamen calor ſucceſſiuè acquiritur. Patet, quia per motum: ergo concluſio illa non eſt vera.

Diuiſibilitas duobus modis ſumi poteſt.

Decimò arguitur de diuiſibilitate; aut enim accipitur iſta diuiſibilitas ex parte formæ acquiſibilis, ſiue formæ fluentis ; aut accipitur pro ipſo fluxu formaliter accepto. Hæc diſtinctio patet à Doctore in pluribus locis. Si primò, contrà, quia tota illa forma eſt immobilis in vltimo inſtanti, & ſic in illo inſtanti non ſe haberet indiuiſibiliter. Si ſecundò, contrà, quia talis fluxus, cùm ſit reſpectus partis prioris ad partem poſteriorem, erit ſimpliciter indiuiſibilis : nulla enim relatio eſt diuiſibilis in plures partes, vt patet. Tum etiam, quia quælibet relatio oritur in inſtanti, ſcilicet poſitis fundamento & termino, & ſic non acquiritur diuiſibiliter, ſicut in vltimo inſtanti illius temporis.

34. Vndecimò arguitur, quia ſi *mutari* eſſet, &c. Tunc Doctor ſibi contradiceret in pluribus locis, vbi vult, quòd ſit verè mutatio, licèt non ſe habuerit ſubiectum diuiſibiliter priùs : Patet, quia *in primo diſtin.39.* dicit quòd tranſitus de contradictorio in contradictoriũ ſemper eſt cum mutatione, qui tamen trãſitus multoties fit in inſtanti. Dicit etiam *in quarto, diſtinct.* 10. quòd corpus Chriſti verè mutatur, loquendo de mutatione, quæ eſt ad alterum, quando acquirit nouam præſentiam in Euchariſtia, quam tamen acquirit in inſtanti, vt vult *in quarto diſtin.7.* quòd in vltimo inſtanti prolationis verborum fit corpus Chriſti in Euchariſtia, & multa alia dicit in diuerſis locis, vbi expreſsè concedit veram mutationem, vbi ſubiectum tantùm aliter ſe habet nunc indiuiſibiliter, & nullo modo priùs ſe habuit diuiſibiliter.

An corpus Chriſti mutetur.

Duodecimò arguitur, quia ſequeretur quòd forma, quæ per motum acquiritur, verè mutaretur, quod eſt contra Doctorem, qui vult, quòd tantùm ſubiectum mutetur, vt patet *in ſecundo, diſt.2 quæſt.4.& in quarto, diſt.11.* Probatur conſequentia, quia illa forma in tempore præcedenti habet *eſſe* ſucceſſiuum, & diuiſibile, quia in motu, & in tempore, & in vltimo inſtanti habet *eſſe* indiuiſibiliter, quia præcisè in mutato *eſſe* & in inſtanti, vt patet.

35. Reſpondeo ad primum, & dico quòd quies propriè tantùm opponitur motui ; & ideò ſicut motus menſuratur tempore, ita & quies, & ideò in vltimo inſtanti terminante motum mobile non quieſcit, tamen illud vltimum inſtans dicitur inſtans quietis, quia in illo inſtanti terminatur motus, & mobile non mouetur ; & ſic datur primum inſtans quietis, Cùm dicitur, ſi quieſcit, ergo non mutatur. Dico quòd tantùm debet inferri : ergo non mouetur : quia motus propriè opponitur quieti, vt dixi, ſed non ſequitur de *mutari*.

Ad ſecundum, dico primò, quòd in illo vltimo inſtanti acquirit aliquem gradum formæ, ſecundùm quam fit intenſio, licèt ille gradus ſit diuiſibilis ſecundùm aliquos, vel indiuiſibilis: & quòd talis gradus acquiratur, patet per Doctorem *qu.9.* de motibus intenſionis, & remiſſionis concurrentibus, vbi dicit, quòd in aliquo vltimo inſtanti inducitur gradus incompoſſibilis, &c. Secundò poteſt dici, quòd in toto tempore præcedente illud inſtans, ſemper forma eſt in *fieri*, & ſucceſſiuè per motum acquiritur, & in vltimo inſtanti ipſa eſt completè in *facto eſſe*, ita quòd in tempore præcedenti non poteſt dici, calidum nunc eſt, ſed continuè fit, & in vltimo inſtanti verùm eſt dicere, calidum nunc eſt : non quòd in illo inſtanti aliquid caloris inducatur, ſed totus in tempore præcedenti inducitur, ſed quia in tempore præcedenti ſemper eſt in continuo *fieri*, & per motum continuè acquiritur : patet, quia in toto illo tempore mobile verè mouetur ad calorem, ideò non poteſt dici in aliqua parte illius temporis, calidum eſt, ſed calidum continuè fit. Primus tamen modus videtur rationabilior, ſcilicet quòd in illo vltimo inſtanti aliquid formæ acquiratur. Suſtinendo tamen ſecundum modum dicendi, cùm dicitur, non mutatur poſitiuè, niſi acquirendo aliquid. Dico, quòd in illo inſtanti dicitur præcisè mutari poſitiuè ad calorem, quia in illo inſtanti perfectè calidum eſt, ita quòd non eſt amplius in continuo *fieri*, ſed in *facto eſſe*, & propriè in illo inſtanti verum eſt dicere, calidum eſt, & immediatè ante hoc non fuit, quia erat in *fieri*.

Ad tertium patet ex ſupradictis. 36.

Ad quartum poteſt reſponderi ſicut ad ſecundum, ſcilicet quòd in quolibet inſtanti acquiritur aliquid formæ : & cùm dicitur, aut eſt diuiſibile, aut indiuiſibile : poteſt dari vtrumque. Cùm dicitur, quòd diuiſibile acquiritur tantùm per motum: negatur. Patet quando in vltimo inſtanti inducitur gradus formę incompoſſibilis formæ corrumpendæ. Si teneatur quòd ſit indiuiſibilis, patet quòd mobile diceretur mutari ſecundùm gradum caloris indiuiſibilem. Secundò, tenendo ſecundum modum dicendi, diceretur quòd in tempore præcedenti inſtans, aliquid formæ acquireretur, ſic quòd in illo etiam paruo tempore eſſet in *fieri*, & in inſtanti immediatè ſequenti eſſet in *facto eſſe*. Patet, quia ſi per tempus immediatè ſequens non intenderetur amplius forma, illa pars formæ eſſet in illo inſtanti in *facto eſſe*.

Angelus non mutatur.

Ad quintum dico, quòd licèt Angelus tranſeat in inſtanti & acquirat nouum *vbi*, tamen non dicitur propriè mutari ; quia *mutari* propriè eſt terminus immediatus alicuius motus : licèt ergo ſit ibi mutatio, tamen non dicitur propriè mutatio, quia vt ſuprà expoſui, mutatio propriè terminat immediatè aliquem motum.

Ad ſextum dico, quòd poſito tali caſu, mobile non diceretur mutari propriè, quia non in aliquo indiuiſi

ndiuiſibili. Dico ſecundò, quòd eſt impoſſibile, quòd detur præcisè aliquis motus, & quòd non terminetur ad aliquod *mutatum eſſe*, ſicut non poſſet dari aliquod tempus ſine inſtanti terminante.

Ad ſeptimum, concedo quòd materia non propriè mutaretur, vt patuit ſuprà, reſpondendo ad quintum argumentum.

Ad octauum, facilis eſt reſponſio, quia in vltimo inſtanti dicitur propriè mutari, quia in illo terminatur totus motus, ita quòd poſt illum non ſequitur aliqua pars motus in aliis, aut præcedentibus ſemper poſt vnum inſtans immediatè ſequitur motus. Et vltrà dico, quòd licèt in omnibus illis inſtantibus ſemper mobile ſe habeat indiuiſibiliter, quia tamen inter illa inſtantia, ſiue *mutata eſſe* ſemper ſe habet diuiſibiliter; ideò dicimus quòd in vltimo inſtanti ſe habet indiuiſibiliter, & in toto tempore, & in qualibet parte temporis præcedentis ſe habuit diuiſibiliter, & ſucceſſiuè.

Ad nonum dico, quòd licèt forma acquiſita per motum in vltimo inſtanti habeat primum *eſſe*, quia in illo verè eſt, & in illo ceſſat omnis motus, tamen reſpectu motus non poteſt dari primum ſui *eſſe*, quia in nullo inſtanti verum eſt dicere, motus eſt, cùm neceſſariò ſit in tempore.

98. Ad decimum dico breuiter, quòd iſta diuiſibilitas accipitur ex parte motus, quia quælibet pars ſemper diùiſibiliter acquiritur etiam ex parte formæ non abſolutè, ſed pro quanto ſucceſſiuè, & diuiſibiliter acquiritur, ita quòd in toto tempore præcedenti ſemper diuiſibiliter acquiritur, ita quòd ſemper vna pars poſt aliam; ſed in vltimo inſtanti habet *eſſe* acquiſitum: licèt enim ſit in ſe diuiſibilis, non tamen in illo inſtanti dicitur diuiſibiliter acquiri.

Ad vndecimum dico, quòd non contradicit ſibi, & concedo quòd in pluribus locis concedat mutationem eo modo, quo argutum eſt ibi; tamen diceretur, quòd non eſſet mutatio propriè dicta, cùm mutatio propriè dicta ſit ſemper terminus alicuius motus, vt ipſe exponit *in ſecundo, diſtin. ſecunda, quæſtio. quarta.*

Quid ſit mutari propriè. Ad duodecimum dico, quòd mutari propriè eſt reſpectu ſubiecti, quod in tempore præcedenti habet *eſſe* ſub forma ſemper diuiſibiliter, & ſucceſſiuè, ita quòd acquiritur ſibi alia & alia pars, & in vltimo inſtanti indiuiſibiliter, quia præcisè ſub forma in *eſſe* quieto: & ſic dicitur aliquid propriè mutari; puando in aliquo tempore acquirit formam ſucceſſiuè, & in vltimo inſtanti illius habet formam in *eſſe facto*, & non in *fieri*.

39. *Cõtra quintam.* Quinta concluſio eſt iſta: *Nulla pars mobilis eſt æquè propinqua agenti, ſed pars propinquior alteri parti in infinitum, ſed ſolus punctus mobilis eſt ſe toto immediatus agenti.* Iſta concluſio habet plures partes, contra quas arguam, & primò contra primam partem, ſcilicet quæ talis eſt: *Nulla pars mobilis eſt æquè propinqua agenti*, & primò arguo ſic: quia Angelus poteſt in inſtanti mouere aliquod corpus: ergo omnes partes illius ſunt æquè propinquæ. Antecedens patet, quia in inſtanti poteſt ſeipſum mouere de loco ad locum, vt ſuprà patuit: ergo & aliud corpus, cùm non videatur maior ratio: & hoc patet à Doctore *in quarto, diſtin. 49.* de agilitate corporum. Conſequentia patet, quia ſi omnes partes mobiles non eſſent æquè propinquæ Angelo mouenti, non poſſet illud mouere in inſtanti.

Secundò arguitur, quia ſi nulla eſt æquè propinqua, ſequitur quòd agens nullo modo poſſet mouere mobile. Patet, quia ſi nulla pars ipſius eſt æquè propinqua, nullo modo erit motus illius mobilis: oportet enim agens per contactum habere mobile præſens vel ſecundùm ſe totum, vel ſecundùm aliquam partem, quæ ipſi mouenti ſit immediatè propinqua.

Tertiò arguitur ſic, ſi punctus eſt ſe toto immediatus agenti: ergo aliqua pars ipſius mobilis erit æquè immediata. Patet conſequentia, quia cùm agens habeat punctum mobilis æquè immediatum, ſequitur quòd poſt punctum habebit partem mobilis æquè immediatam, quia illa pars eſt immediata puncto: non enim punctus eſt immediatus puncto. 40.

Quartò arguitur, quia ſi ſic eſſet, ſequeretur quòd ignis approximatus calefactibili nunquam poſſet calefacere illud. Patet, quia ſi aliqua pars non eſſet primò immediatè propinqua igni non poſſet calefieri: imò ſequitur vltrà, quòd nulla pars calefactibilis poſſet immediatè calefieri, ſi nulla ſit æquè immediata.

Quintò, Sequitur ergo, quòd ſi nulla pars mobilis, puta calefactibilis, ſit immediata agenti, ſiue calefacienti, quòd pars diſtans eſſet æquè calefactibilis ſicut pars propinqua. Patet conſequentia per te, quia nulla pars eſt æquè propinqua, ſiue immediata.

Sextò arguitur de agente per contactum corporalem, quòd habeat aliquam partem mobilis æquè immediatam. Et pono caſum, quòd ignis pedalis ſit præſens parti pedali, puta aëris, vel ligni, & tangat illam, & nullum ſit impedimentum, nec ex parte ignis, nec ex parte aëris vel ligni: tunc ſequitur, quòd immediatè calefaciat partem illam pedalem; & ſic aliqua pars ipſius calefactibilis ſit æquè immediata igni calefacienti.

Septimò arguitur de agente per contactum tantùm virtualem: & primò de Sole, qui habet omnes partes aëris illuminabilis æquè propinquas, & immediatas, aliter non illuminaret totum aërem in inſtanti. Patet etiam de multis aliis agentibus per contactum merè virtualem, de quibus non oportet diſcurrere.

Octauò arguitur, quia idem videtur ſequi de Angelo, qui mouet ſe ſuper aliquo ſpatio, qui ſi non habet partem ſpatij æquè immediatam, quòd æquè primò tranſibit totum ſpatium, vel nullo modo poterit illud tranſire, ſi non habet aliquam partem æquè propinquam. 41.

Nonò arguitur ſic: agens in aliquo tempore alterat partem mobilis: ergo habet aliquam partem æquè immediatam, ſcilicet illam, quam immediatè alterat.

Decimò, Si agens non habet aliquam partem æquè immediatam in principio motus, ſequitur quòd in toto motu nunquam habebit aliquam partem æquè immediatam, quod videtur falſum. Conſequentia patet, quia non fit magis præſens parti remotæ per motum, quàm parti propinquæ, quia vtrobique habet partem diuiſibilem in infinitas partes.

Vndecimò arguitur, quia aliquis motor corporalis æquè primò, & æquè immediatè tangit aliquam partem mobilis, & non tantùm præcisè in puncto; ergo illa erit æquè immediata ipſi motori, ſicut & punctus. Antecedens patet per experientiam. Conſequentia ſimiliter patet, quia ideò punctus eſt immediatus motori, quia immediatè tangitur ab eo: ergo cùm aliqua pars immediatè

mediatè tangatur, ſequitur quòd æquè erit immediata ipſi motori.

Duodecimò arguitur ex dictis Doctoris, quia Angelus poteſt eſſe æquè primò in aliquo ſpatio diuiſibili, vt in loco ſibi adæquato, vt patet à Doctore *in ſecundo, diſt.2. quæſt.6. vel 7.* ergo æquè primò eſt in omni parte, cùm ſit ſimpliciter indiuiſibilis: ergo æquè immediatè videtur, quòd poſſit mouere ſe per illud ſpatium, & per conſequens videtur, quòd omnes partes illius ſint ipſi Angelo æquè proqinquæ, & ſimiliter æquè immediatæ.

42. *Contra ſecundam partem arguitur.* Contra ſecundam partem arguitur, quia ſi pars eſſet ſemper propinquior alteri parti in infinitum, ſequerentur multa inconuenientia. Primò, quòd mouens lapidem non poſſet incipere motum, niſi actu moueret partes infinitas. Patet, quia ſi mouet priùs partem propinquam: & iſta datur ſemper pars propinquior in infinitum: ergo non poteſt illam propinquam mouere, niſi moueat ſemper actu infinitas partes: imò ſequitur quòd in quacunque minima parte motus ſemper moueat partes infinitas etiam in infinitum, quod videtur impoſſibile.

Secundò ſequitur, quòd Angelus ſit applicatus primo mobili punctualiter, quòd non poſſit incipere mouere partem cœli, quin ſimul moueat ſecundùm partes actu infinitas, cùm in infinitum vna ſit propinquior alteri, ſecundùm concluſionem.

Tertiò ſequitur, quòd mouens lapidem non poterit ipſum mouere ſecundùm vltimam partem. Patet, quia quacunque data ſemper habet propinquiorem in infinitum.

Quartò ſequitur, quòd igitur habens calefactibile perfectè præſens & diſpoſitum, non poſſit ipſum ſecundùm aliquam partem immediatè calefacere, niſi ſimul calefaciat infinitas partes. Patet, quia ſemper propinquiorem calefacit, ſed ſemper in infinitum alia eſt propinquior alteri.

Quintò pono caſum, quòd ignis ſit adæquatè præſens ligno pedali, tunc ſequitur quòd ſimul poteſt omnes illas partes calefacere: ergo vna non erit propinquior altera, quia tunc ſimul non calefieret, & æquè primò, vt patet.

Sextò ſequeretur, quòd Deus non poſſet æquè primò, & æquè immediatè mouere lapidem. Patet, quia propinquior priùs mouetur.

Septimò ſequitur, quòd Deus non poſſet æquè primò calefacere aliquod lignum, quia oporteret priùs calefacere partem propinquiorem, & pars ſemper eſt propinquior alia in infinitum.

43. Octauò ſequitur, quòd Sol non poſſet ſimul illuminare aërem, quando aſcendit ad hemiſphęrium noſtrum, quia neceſſariò priùs illuminaret partem propinquiorem in infinitum.

Nonò ſequitur, quòd agens non poſſit aliquando habere partem perfectè propinquam. Patet, quia vna eſt propinquior altera in infinitum, & ſic quacunque data ſemper eſt alia proqinquior, & ſic nunquam poſſet aſſignari aliqua pars perfectè propinqua.

Decimò ſequitur, quòd idem graue non poſſet ſeipſum mouere ſecundùm omnem partem, & hoc ſimul, quia nulla pars eſſet ei propinqua, ſed vna propinquior altera in infinitum: conſequens eſt contra Doctorem *in 2. diſt.2. q.10.*

Vndecimò ſequitur, quòd Angelus non poſſet ſimul tranſire aliquod ſpatium, quia neceſſariò tranſiret partem propinquiorem priùs, imò partem propinquiorem in infinitum. Conſequens eſt contra Doctorem *in ſecundo, diſt.2.q.11.& 12.*

44. *Contra tertiam partem.* Duodecimò ſequitur (tenendo, quòd gradus intenſionis ſit diuiſibilis in infinitum) quòd agẽs non poſſet ſimul inducere in paſſum aliquem vnum gradum, puta caloris, quia prius induceret propinquiorem in infinitum.

Contra tertiam partem arguo probando, quòd ſolus punctus non ſit immediatus agenti. Primò ſic: Pono caſum, quòd *A* ſit mouens *B*. puta lapidem, & per te ſolus punctus lapidi eſt immediatè propinquus *A*. ergo incipit mouere primò lapidem ſecundùm punctum: & tunc quæro, aut in tempore, aut in inſtanti? non primò, quia ex quo habet paſſum perfectè præſens ſecundùm punctum: ſequitur quòd non in tempore moueat, vt patet per rationem Doctoris, q.illa.9.vbi probat, quòd non poſſit dari prima mutatio Tum, quia ſi moueretur in tempore, ibi eſſet ſucceſſio, & hoc non, quia punctus eſt ſimpliciter indiuiſibilis; non ſecundò, quia motus non fit in inſtanti.

Secundò arguitur, quia ſequeretur quòd nunquam graue poſſet moueri ab aliquo agente ſecundùm aliquam partem: Patet, quia ſolus punctus eſt immediatus agenti: ergo tantùm ſecundùm punctum mouet: Patet, quia tantùm ſecundùm illud mouet, quod eſt ſibi immediatum & propinquum, cùm moueat ſecundùm contactum.

Tertiò arguitur, quia ſequitur quòd in toto motu lapidis deorſum nunquam allqua pars moueatur, nec per conſequens ipſe lapis. Patet, quia in toto motu tantùm eſt immediatum alicui puncto, modò vni, modò alteri, & ſic ille motus non videretur continuus.

Quartò arguitur, quia ſequitur quòd Intelligentia applicata orbi habet tantùm orbem perfectè, & immediatè propinquum ſecundùm aliquem punctum, & ſic ſequitur quòd motus orbis ſemper incipiat à puncto, & ſic orbis diceretur præcisè moueri ſecundùm aliud, & aliud punctum, cùm ſecundùm punctum tantùm ſit immediatus, & perfectè propinquus orbi, quod eſt inconueniens.

Quintò arguitur, quia ſequitur quòd alteratio, puta calefactio ligni primò, & immediatè incipiat 45. à puncto, ita quòd lignum primò, & præcisè fiat calidum in puncto; & ſic talis calefactio, ſiue alteratio fiet in inſtanti, vt ſuprà patuit, quod eſt inconueniens.

Sextò arguitur, quia ſequitur quòd lignum tantùm alteraretur ſecundùm aliud, & aliud punctum, & ſic tantùm fieret calidum ſecundùm aliud, & aliud punctum, & nunquam aliqua pars eſſet calefacta, cuius oppoſitum videmus: & quòd hoc ſequatur: patet, quia lignum numquam eſt immediatè propinquum calefacienti, niſi ſecundùm punctum.

Septimò arguitur, quia ſequitur quòd ſit impoſſibile ignem poſſe calefacere, nec aliquod totum calefactibile, nec aliquam eius partem: patet, quia cùm ſit agens de neceſſitate, & tota virtute ſemper priùs calefaciet propinquius, & immediatius calefactibile; & quia in tota alteratione ſemper habet calefactibile immediatè propinquum ſecundùm punctum aliud, & aliud: neceſſariò ſequitur, quòd nulla pars poterit calefieri.

Octauò

Octauò arguitur, quia ſequitur quòd punctus calefactibilis calefiat intenſiuè quantùm intendi poteſt à tali agente, antequam aliqua pars calefactibilis aliquo modo calefiat, quod eſt inconueniens. Probatur ſequela, quia ex quo habet calefactibile perfectiſſimè præſens tantùm ſecundùm punctum: ergo in illo puncto producet calorem perfectiſſimum, quem poteſt producere, cùm ſit agens naturale, & per modum naturæ.

46. Nonò arguitur, quia ſequitur, quòd nulla alteratio poſſit eſſe continua: Patet per præmiſſa, ſcilicet quia alterabile continuè alteraretur ſecundùm aliud, & aliud punctum, & non ſecundùm aliam, & aliam partem; modò inter indiuiſibilia non poteſt eſſe continuatio, vt expoſui *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 1.

Decimò arguitur, quia ſequitur, quòd nullum mobile poterit pertranſire aliquod ſpatium, niſi tantùm punctualiter; patet, quia primò tranſijt, quod eſt immediatè propinquum: ſed nulla pars ſpatij eſt immediatè propinqua, ſed ſolus punctus, vt patet per Doctorem: & ſic nullum mobile poterit moueri ſuper aliquo ſpatio motu continuo, & locali, quod eſt abſurdum.

Vndecimò arguitur: Pono caſum, quòd ignis ſit præſens ligno calefactibili, & primò, & immediatè lignum ſit præſens punctualiter; tunc ſic, primò punctus calefiet, quæro quid calefiet immediatè poſt punctum; aut aliud punctum, aut aliqua pars ligni? non primò. Tum, quia ſicut primum punctum calefit in inſtanti, ita & ſecundum, & ita tota calefactio eſſet compoſita tantùm ex *mutatis eſſe*. Tum, quia ſi punctum ſecundum calefit, aut illud eſt immediatum primo puncto, aut mediatum: non primò, quia punctum non eſt immediatum puncto: non ſecundò, quia quæro quomodo ignis fiat præſens ſecundo puncto, quin fiat preſens partibus intermediis, & ſic priùs habebit partem intermediam immediatè præſentem, quod eſt contra Doctorem.

Duodecimò ſequitur, quòd Angelus nullo modo poſſit moueri motu continuo, quod eſt contra Doctorem *in illa qu.* 9. Probatur conſequentia, quia ſemper immediatè habet ſpatium præcisè punctualiter præſens, & ſic ſemper tranſibit in puncto, &c.

47. *Reſponſio.* Reſpondeo, & priùs præmitto quandam expoſitionem concluſionis, cùm dicit Doctor quòd agenti nulla pars mobilis eſt immediatè propinqua, ſiue æquè propinqua, ſic intelligitur, quòd ex quo quælibet pars mobilis ſemper eſt diuiſibilis in infinitum, ideò non poteſt aſſignari aliqua pars propinqua, quin alia ſit propinquior propter ſui diuiſibilitatem: eſt tamen aliqua pars ſaltem ſecundùm quantitatem ita propinqua agenti, quòd agens poteſt agere circa illam, illa tamen non eſt ſic propinquior, aliter illa pars non eſſet diuiſibilis in infinitas partes, quia verò punctus eſt indiuiſibilis, ideò poteſt eſſe immediatus agenti, quia non habet partem, quæ poſſit eſſe immediatior, ideò ſe totus eſt immediatus agenti, & nulla pars eſt ſe tota immediata agenti, quia quacumque ſignata in infinitum, alia eſt propinquior, & immediatior.

Hoc præmiſſo reſpondeo ſigillatim ad omnes rationes.

48. Ad primam. Dico primò, quòd concluſio intelligitur de mobili, pro quanto mouetur motu proprio, & ſic nulla pars mobilis eſt immediatè propinqua agenti, ſiue mouenti, imò aſſignata quacumque, adhuc alia eſt immediatior, & ſic in infinitum. Dico ſecundò, quòd poſito quòd lapis moueatur in inſtanti, negatur tamen quòd omnes partes mobiles ſint æquè immediatè ipſi Angelo mouenti, imò nulla pars eſt ſibi immediatè propinqua, quia aliqua data, adhuc alia eſt propinquior. Et cùm dicitur, quòd ſi non ſint omnes æquè immediatè, & æquè propinquæ, quòd non poterit moueri in inſtanti. Dico, quòd nulla eſt immediata, nec ſequitur non eſt immediatè propinqua: ergo non poteſt minuere: negatur iſta conſequentia, quia ad hoc vt moueat, non eſt neceſſe, quòd pars mobilis ſit immediatè propinqua, cùm hoc ſit ſimpliciter impoſſibile, ſed ſufficit quòd ſit propinqua eo modo, quo poteſt eſſe propinqua. Sufficit etiam quòd pars ſecundùm quantitatem ſit propinqua, ſed non de partibus proportionalibus, cùm illæ ſint infinitæ.

Ad ſecundum, negatur conſequentia, quia poteſt habere ſufficientem propinquitatem ad hoc, vt poſſit mouere, licèt non habeat æquè immediatè propinquam propter cauſam ſuperiùs dictam. Cùm dicitur, quòd agit per contactum. Dico primò, quòd non eſt neceſſe agens tangere paſſum corporaliter, vt patet à Doctore in ſecundo, & in quarto. Dico ſecundò, quòd poſito quòd tangat; adhùc non ſequitur, quòd tangat aliquam partem immediatè propinquam, quia ſemper alia eſt propinquior: ſufficit enim quòd ſuo modo tangat partem ſecundùm quantitatem, quæ tamen pars non eſt immediatè propinqua propter ſui indiuiſibilitatem. 49.

Ad tertium, concedo de puncto, ſed negatur de aliqua parte. Cum dicitur, quòd poſt punctum habet immediatè partem mobilis; negatur. Cùm dicitur, quòd inter punctum, & partem nihil mediat. Dico, quòd etſi mediet, tamen ſignata illa parte, quæ neceſſariò eſt inter duo puncta, ſemper eſt diuiſibilis in infinitum, ideò agens non poteſt habere illam immediatè propinquam, vt ſuprà dixi.

Ad quartum, negatur quòd ignis non poſſet calefacere lignum, ſufficit enim quòd lignum ſit ſuo modo propinquum, vt ſuprà dixi. *Partem diſtare poteſt intelligi dupliciter.*

Ad quintum dico, quòd partem diſtare, poteſt dupliciter intelligi. Primo modo ſecundùm quantitatem: alio modo ſecundùm proportionem. Primo modo poſſet pars diſtare, puta per palmum, quòd non poſſet calefieri ab igne. Secundo modo aliqua pars poſſet eſſe propinqua, licèt non immediatè propinqua, quòd tota poteſt calefieri, licèt ſemper ſecùndùm proportionẽ vna ſit propinquior alia, loquẽdo de partib⁹ illius partis. 50.

Ad ſextum, patet reſponſio ex ſupradictis. Concedo enim, quòd ignis poteſt habere aërem pedalem propinquum ſecundùm quantitatem, puta quòd ignis pedalis tangat aërem pedalem: ſed negatur, quòd aliqua pars illius aëris pedalis, vel ipſe aër pedalis ſit æquè immediatè propinqua igni pedali.

Ad ſeptimum negatur quòd Sol habeat nec omnem, nec aliquam partem æquè immediatè propinquam, imò ſimpliciter nullam.

Ad octauum dico per idem, quòd Angelus quando mouetur ſuper ſpatium, nunquam habet aliquam partem ſic propinquam, quin ſemper habeat propinquiorem, quia, vt dixi, quacumque data, ſiue ſignata, illa eſt diuiſibilis in infinitas partes.

Ad nonum

51. Ad nonum concedo, quòd habet illam partem, quam alterat propinquam propinquitate requiſita ad huiuſmodi alterationem; ſed non habet aliquam partem æquè immediatè propinquam.

Ad decimum, concedo quòd agens in toto motu nunquam habet aliquam partem æquè immediatè propinquam, ſiue ſe tota propinquam, quia quælibet pars eſt diuiſibilis in infinitum.

Ad vndecimum, patet reſponſio ex ſupradictis.

Ad duodecimum, concedo quòd Angelus poteſt eſſe æquè primò in aliquo ſpatio, ſed poſtea negatur quòd æquè primò poſſit eſſe in omni parte, quia nulla eſt ſibi æquè immediatè propinqua, ſiue ſe tota propinqua. Dico etiam, quòd Angelus dicitur eſſe in aliquo ſpatio adæquato, quia non poteſt eſſe in maiori; ſed poſtea non ſequitur, quòd aliqua pars ſpatij illius ſit ſe tota propinqua Angelo propter ſui diuiſibilitatem.

52. *Ad argumenta contra ſecundam partum.* Ad argumenta contra ſecundam partem. Ad primum, & ſecundum, concedo quòd non poteſt incipere motum, niſi tranſeat infinitas partes, vt patet ex ſupradictis.

Ad tertium dico, quòd ſicut mobilis non poteſt dari prima pars, ita nec vltima, quia quælibet eſt in infinitum diuiſibilis; nec motus terminatur ad aliquam partem vltimam, ſed tantùm ad *mutatum eſſe*; nec ſimiliter quantitas terminatur ad aliquam partem, ſed tantùm ad punctum.

Ad quartum, concedo quòd actu calefacit infinitas partes, imò hoc eſt neceſſe ſi aliquam calefacit.

Ad quintum dico, quòd poſito quòd ſimul calefaciat omnes partes calefactibilis, non tamen ſequitur quòd aliqua pars ſit ſe tota æquè immediatè propinqua, vt ſuprà expoſui.

Ad ſextum, concedo quòd Deus immediatè poteſt calefacere totum aërem; ſed poſtea nego quòd aliqua eius pars ſit æquè immediatè, & ſe tota propinqua, quia ſemper eſt in infinitum diuiſibilis.

Ad ſeptimum reſpondeo, ſicut ad quintum, & ſextum; & ſimiliter reſpondeo ad octauum.

Ad nonum dico, quòd partem eſſe perfectè propinquam agenti poteſt dupliciter intelligi. Primò, quòd ſit ſe tota æquè immediatè propinqua. Secundò, quòd ſit propinqua propinquitate ſufficiente ad pati. Primo modo nulla pars eſt propinqua, ſed benè ſecundo modo.

Ad decimum, vndecimum, & duodecimum, patet reſponſio ex ſupradictis.

53. *Ad argumenta contra tertiam partem.* Ad Argumenta contra tertiam partem.

Ad primum dico, poſito quòd *A* quieſcat in puncto ſpatij in aliquo vltimo inſtanti alicuius temporis, & pòſt incipit moueri: dico tunc, quòd ille motus ſit in tempore, quia immediatè poſt punctum tranſit partem ſpatij diuiſibilem in infinitum; nec incipit mouere lapidem ſecundùm punctum, ſed ſecundùm partem. Et concedo quòd in tempore immediato ad inſtans quietis recedit à puncto, tranſeundo partem.

Ad ſecundum, negatur quòd graue non poſſit moueri ab aliquo agente, & concedo, quòd graue non eſt ſe toto, nec ſecundùm aliquam partem æquè propinquum agenti, ſed tantùm ſecundùm punctum, & tamen ipſum graue eſt ſufficienter propinquum agenti, ad hoc vt poſſit moueri; non enim ad poſſe moueri requiritur talis immediata appropinquitas, ſed talis, qualis dicta eſt ſuprà.

Ad tertium patet reſponſio ex dictis ad ſecundum argumentum.

54. Ad quartum, concedo quòd Intelligentia habet tantùm punctum ſe toto immediatè propinquum, ſed pòſt negatur quòd motus orbis incipiat ab illo puncto, quia tunc eſſet diuiſibilis punctus ad hoc, vt motus eſſet ſucceſſiuus, vt patet à Doctore *quæſt. 9.* ſed motus incipit ſuper partem ipſius mobilis.

Ad quintum, concedo quòd immediatè lignum ſit calidum in puncto, & concedo quòd in inſtanti, & concedo quòd alteratur in inſtanti, & immediatè pòſt alteratur pars; & concedo quòd pars ante partem in infinitum. Si dicatur, quòd tunc alterationis datur prima mutatio. Dico, quòd illud *mutatum eſſe* non pertineret ad motum immediatè ſequentem, vt expoſui in aliis concluſionibus.

Ad ſextum dico, quòd alteraretur ſecundùm aliam, & aliam partem in infinitum, & ſimiliter ſecundùm aliud, & aliud punctum in infinitum, quia inter duo puncta eſſet pars diuiſibilis in infinitas partes.

Ad ſeptimum dico, quòd haberet etiam partem ſufficienter propinquam, licèt non ſe tota propinquam, & ita calefieret illa pars. Dico ſecundò, quòd non eſſet impoſſibile punctum priùs intensè calefieri, & pòſt partem, & ſic deinceps. Dico etiam, quòd pars calefacta immediatè poteſt calefacere partem propinquam.

Ad octauum patet ſicut ad ſeptimum.

Ad nonum dico, quòd illa alteratio eſſet verè continua, quia ſicut pars calefit, ita punctus continuans partem calefieret.

Ad decimum, vndecimum, & duodecimum, patet reſponſio ex ſupradictis.

55. *Contra ſextam.* Contra ſextam, quæ talis eſt: *Nulla pars formæ, ſecundùm quam poteſt eſſe ſucceſſio in motu eſt inducibilis, ſed quælibet ante aliam.*

Contra primò, quia quælibet pars formæ, ſecundùm quam eſt ſucceſſio in motu, realiter diſtinguitur ab alia, nec dependet in *eſſe* ab alia, & eſt entitas abſoluta: ergo poteſt induci ſine alia, puta agens poteſt producere aliquam partem formæ naturalis nulla alia priùs producta. Conſequentia patet, quia illa eſt producibilis, cùm ſit ens naturale, & diſtincta realiter ab omni alia, & à nulla dependens.

Secundò arguitur, quacunque parte formæ naturalis aſſignata, illa realiter diſtinguitur ab omni alia parte, vt patet: ergo Deus poteſt eam conſeruare ſine omni alia; & ſi poteſt conſeruare ſine omnia alia, poteſt etiam eam inducere in aliquo paſſo ſine omni alia parte, & ſic aliqua poteſt induci abſque hoc, quòd alia priùs inducatur, aliter illa dependeret ab illa priori.

Tertiò, pono quòd Deus creet calorem in aliquo paſſo, certum eſt quòd ſaltem priùs naturâ creat partes integrantes illum calorem: ergo priùs naturâ poteſt præcisè creare vnam partem, non creando aliam in infinitum, aliter ſequeretur quòd cauſa prima in creando dependeret ab aliqua cauſa ſecunda, quod eſt irrationabile: ergo aliquam partem caloris poteſt inducere nulla alia priùs inducta.

Quartò

Quartò arguitur: Si aliqua pars puta *A*, non poteſt ab aliquo agente immediatè induci, niſi priùs alia inducta; aut hoc ideò eſt, quia illa dependet in *eſſe* à priùs inducta, aut quia agens ex ſua natura non poteſt illam inducere, niſi priùs inducat aliam: aut quia ad poſitionem illius neceſſariò ſequitur, quòd alia ſit priùs poſita, iſta videtur ſufficiens diuiſio. Sed certum eſt, quòd illa non dependet ab alia priori: patet, quia nec in genere cauſæ materialis, cùm vna pars non ſit materia alterius; nec in genere cauſæ formalis, cùm vna pars non ſit forma alterius; nec in genere cauſæ finalis, aut efficientis, vt patet. De ſecundo patet, quia agens ſicut poteſt in vnam partem, ita & in aliam, cùm ſint eiuſdem rationis, & ita vnam ſine alia poteſt inducere, vt etiam patet de partibus ſecundùm quantitatem, quia poteſt inducere partem pedalem abſque hoc, quòd inducat cubitalem. De tertio etiam patet, quia ibi nulla eſt dependentia.

Quintò arguitur, quia ſi aliqua non poteſt induci, niſi priùs alia inducta in infinitum, ſequitur quòd nullum agens poterit producere aliquod quantum naturale. Probatur, quia cauſa, etiam quando actu cauſat, eſt prior effectu, & partes ſemper ſunt natura priores toto, vt patet à Doctore *iſta q. 9.* ergo agens priùs naturâ producit partes infinitas, quàm producat totum: hoc autem videtur impoſſibile, quia infinita actu producere non poteſt.

58. Sextò arguitur, ſupponendo quòd partes ſint priùs naturâ toto, tunc ſic: agens priùs naturâ producit partes quanti naturalis, aut producit illas vna actione tantùm, aut alia, & alia actione, ita quòd vna actione, & aliam alia actione. Si primò, ſequitur, quòd vna actione attingit infinita producibilia, quorum quodlibet eſſet per ſe producibile, & propria actione, quia ſingulum eorum eſt ita ſingulare, ſicut & totum, vt patet à Doctore *q. 9.* ſequitur etiam, quòd infinita ſingularia poſſunt ſimul eſſe in actu, quia, & actio illa poteſt ſimul eſſe in actu. Si ſecundò, quæro, aut illæ actiones ſunt ſimul, aut vna eſt prior alia. Si primò, hoc non videtur, quia infinitæ actiones non videntur ſimul poſſe eſſe, vt patet. Tum etiam, quia ex quo vna non dependet ab alia, vt patet, ſequitur, quòd vna poſſit eſſe ſine alia, & ſic non neceſſariò omnes ſimul. Si ſecundò habetur, propoſitum, quia ſi vna actio priùs terminatur ad vnam partem, quàm alia ad aliam partem, ſequitur quòd illa actione vna pars poteſt induci, alia parte non priùs inducta.

Septimò arguitur ſic: ſupponendo quòd quælibet pars quanti naturalis ſit ita ſuppoſitum, ſicut & totum quantum naturale, hoc patet à Doctore vbi ſuprà. Secundò ſuppono, quòd quodlibet tale ſit ita per ſe producibile, ſicut & totum, hoc ſequitur ex primo præſuppoſito. Tertiò præſuppono, quòd productio vnius ſuppoſiti, puta ignis, non neceſſariò dependet à productione alterius ſuppoſiti, quia nec ſuppoſitum aliquo modo dependet ab alio ſuppoſito eiuſdem rationis. His præſuppoſitis patet intentum, quòd quælibet pars eſt per ſe inducibilis, & producibilis abſque alia.

Octauò arguitur ſic, intellectus diuinus ab æterno diſtinctè cognouit omnes partes quanti, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 2.* & diſtinctè cognouit quòd quælibet pars eſſet verè ſingulare abſolutum, & ab æterno omnes illæ partes fuerunt perfectè præſentes voluntati diuinæ; ergo voluntas diuina ab æterno potuit velle præcisè vnam partem induci in paſſo abſque inductione alterius partis: patet, quia volitio vnius partis nullo modo dependet à volitione alterius.

Nonò arguitur per argumentum à minori, quia minùs videtur, quòd punctus quanti naturalis poſſit immediatè induci, nullo alio puncto priùs inducto, quàm aliqua pars quanti naturalis: patet, quia punctus eſt minoris entitatis. Tum etiam, quia punctus non poteſt per ſe exiſtere, pars autem ſic, vt patet à Doctore *quæſt. 9.* ſed punctus inducitur nullo alio priùs inducto: patet, quia quantum naturale neceſſariò habet duo puncta vt extrema, ante quæ non eſt aliud; ergo à fortiori poteſt induci vna pars abſque alia. 59. *An punctus poſſit per ſe exiſtere.*

Decimò arguitur, quia ſequitur, quòd eſſet aliquod ens abſolutum per ſe producibile; & creabile, & natum per ſe exiſtere, quod tamen à nullo agente poſſet per ſe produci, quod videtur ſimpliciter inconueniens: modò quælibet pars, puta aquæ, eſt verè per ſe producibilis, & nata per ſe exiſtere, vt ſuprà patuit: ergo, &c.

Vndecimò arguitur: Si agens quando producit aliquam partem ignis neceſſariò priùs producit aliam, quæro aut producit aliam eadem actione, aut alia actione? Si primò, hoc non videtur. Tum, quia eadem actione producerentur infinita, vt ſuprà dixi. Tum, quia illa actio priùs terminatur ad priorem partem, & ſic in infinitum, & ſic continuaretur illa actio in infinitum, quod eſt impoſſibile. Tum etiam, quia eadem actio non videtur poſſe terminari ad plura ſucceſſiuè, quia habito termino priori ceſſat illa actio. Si ſecundò, ſequitur, quòd agens nunquam incipiat agere: patet, quia actione agit formaliter: ſed ſi actio eſt prior alia ſemper in infinitum, ſequitur quòd agens ſecundùm actionem nunquam inciperet agere, quod eſt abſurdum.

Duodecimò arguitur, & ſuppono quòd quælibet pars ignis, vt ſuprà dixi, ſi eſſet ſeparata, eſſet entitas abſoluta, & verè ſuppoſitum, & verè per ſe exiſtens, ſicut & totus ignis integratus ex omnibus illis partibus: hoc ſtante arguo ſic; Deus poteſt annihilare aliquam partem ignis abſque hoc, quòd aliam annihilet; patet, quia quælibet eſt verè annihilabilis, & nullo modo vna dependet ab alia, vt ſuprà probaui. Si ergo aliquam poteſt annihilare abſque hoc quòd aliam annihilet: ergo ſequitur, quòd etiam poteſt aliquam creare abſque hoc, quòd aliam creet. Patet conſequentia, quia ſolùm annihilabile eſt per ſe creabile, & tanta virtus requiritur in annihilatione, quanta etiam requiritur in creatione, vt patet à Doctore *in quarto, diſt. 1. q. 1. & diſtin. 16. quæſt. 2.*

Contra ſeptimam, quæ talis eſt: *Si eſſet ſolum motus remiſſionis vſque ad aliquod inſtans, & tunc primò inducatur aliquid frigoris, ſequeretur, vel quòd calor remittendus haberet vltimum ſui eſſe, vel quòd frigus immediatè ſequens haberet primum ſui eſſe, & tunc eſſet prima mutatio motus infrigidationis, quæ ſunt inconuenientia.* 60.

Contra, primò probo, quòd non eſſet inconueniens ſi daretur vltimum caloris remittendi, quia pono caſum, quòd remiſſio caloris duret per horam, & per vltimum inſtans illius

illius horæ,& immediatè poſt deſinat eſſe, caſus eſt poſſibilis;tunc ſequitur, quòd calor remittendus habeat vltimum ſui *eſſe*:patet, quia poteſt exponi per poſitionem de præſenti, & negationem de futuro : nam hæc eſt vera, calor in vltimo inſtanti horæ eſt, & immediatè poſt illud inſtans non erit,ergo.

Quomodo Maria potuerit eſſe in gratia.

Arguitur ſecundò,& ſuppono dictum Scoti in *tertio,diſt.3.q.prima*, ſcilicet quòd Maria potuit eſſe in gratia tantùm per inſtans,vel in peccato,& in tempore immediato eſſe in peccato,vel in gratia,& ſic gratia poteſt habere *eſſe* præcisè per inſtans, quæ eſt qualitas permanens: ergo reſpectu illius datur vltimum inſtans ſui *eſſe*. Patet exponendo ſicut exponitur, quando habet vltimum *eſſe*:ſequitur enim, gratia nunc eſt, & immediatè poſt hoc non erit,ergo gratia habet vltimum inſtans ſui *eſſe*:ſed non eſt maior ratio de vna qualitate,quàm de alia,ergo.

Tertiò arguitur,ſupponendo dictum Doctoris in *quolib.qaaſt.*12. vbi oſtendit,quòd poſſibile eſt creaturam tantùm durare per inſtans : ſi ſic, ergo poterit habere vltimum inſtans ſui *eſſe*, non eſt ergo inconueniens permanens,ſiuè ſubſtantiã, ſiuè accidens poſſe habere vltimum inſtans ſui *eſſe*.

61. Quartò arguitur, quòd ſtante concluſione illa non ſequatur, quòd calor remittendus habeat vltimum ſui *eſſe* : & pono caſum,quòd calor remittendus duret per horam, & quòd in vltimo inſtanti illius horæ deſinat eſſe,& primò inducatur aliquid frigoris ; nullum illorum inconuenientium ſequitur.De primo patet,quia calor non habebit vltimum ſui *eſſe*, quia in illo inſtanti deſinit,nec ſecundum ſequitur, ſcilicet prima mutatio motus,quia motus fieret in tempore,& illa infrigidatio fieret in vltimo inſtanti illius horæ, & ſic illa infrigidatio non pertineret ad motum intenſionis, ſicut aliàs dictum eſt,ſi Angelus in inſtanti tranſeat de *vbi* in *vbi*,& in tempore immediatè moueatur continuè, illud *mutatum eſſe* non diceretur primum *mutatum eſſe* illius motus continui,ſic diceretur in propoſito.

Quintò arguitur ſic,poſito quòd frigus inducendum habeat primum ſui *eſſe*,vt ipſe dicit, adhuc dico,quòd non ſequitur ex hoc inconueniens. Patet primò,quia ipſe Doctor concedit,quòd permanentia, cuiuſmodi eſt quælibet pars frigoris habent primum inſtans ſui *eſſe*,vt ipſe declarat in *ſecundo,diſt.2.q.1.& in quolib.q.*12.Secundò,quia communiter ab omnibus conceditur, quòd permanentia habent primum inſtans ſui *eſſe*.

62. Sextò arguitur, quòd non ſit inconueniens, quòd detur prima pars infrigidationis,quia pono quòd Deus in vltimo inſtanti horæ, in quo calor deſinit eſſe, inducat aliquam partem frigoris, & in tempore immediato illud frigus intendatur, Patet quòd datur prima pars frigoris, quæ continuè intenditur, licèt illa pars ſit diuiſibilis in infinitum. Nec dico, quòd Deus inducat primam partem, ſcilicet indiuiſibilem, ſed quòd inducat aliquam partem diuiſibilem, quâ inducta ſtatim intendatur.

Septimò arguitur, quia non videtur inconueniens, quòd detur vltima mutatio infrigidationis ſicut & prima,ſed vltima neceſſariò datur:ergo & prima.

Octauò arguitur ſic:motus infrigidationis neceſſariò habet duo extrema,quæ ſunt duo *mutata eſſe* : patet, quia quilibet motus neceſſariò clauditur duobus *mutatis eſſe*,ſicut & quodlibet tempus duobus inſtantibus ; ergo infrigidatio neceſſariò clauditur duabus mutationibus.

Nonò arguitur, quia in illo vltimo inſtanti, quo calor deſinit eſſe,ſi agens perfectum eſſet perfectè approximatum paſſo,poſſet inducere totum frigus inducibile ab eo,aliter non eſſet perfectum; & ſic in illo inſtanti eſſet tota infrigidatio ſimul, & ſic ſequeretur tunc quòd daretur prima infrigidatio.

Decimò arguitur, quòd poſſit dari prima pars intenſionis frigoris,quia pono, quòd *A* quieſcat præcisè per horam, & in vltimo inſtanti illius horæ deperdatur aliquis gradus caloris, & inducatur aliquid frigoris ; ergo neceſſariò datur prima infrigidatio, ſi hoc non ſequitur, ergo nec ratio Doctoris,cùm non ſit maior ratio ibi, ſicut & hîc.

Vndecimò arguitur, quia ex illa concluſione videtur ſequi, quòd ita poſſet dari prima pars remiſſionis caloris. Patet per caſum poſitum ad decimum argumentum:ſi ſic,ergo & prima pars intenſionis, cùm non ſit maior ratio de vna, quàm de alia.

Duodecimò ſuppono, quòd dicit Doctor *in quartò,diſt.*12.quòd in vltimo inſtanti diſpoſitionis, puta aquæ, inducitur forma ſubſtantialis aquæ,& in eodem inſtanti inducitur ab aqua aliqua frigiditas, quæ poſtea intenditur, & ſic haberet concedere primam partem infrigidationis, quia illa inducitur in inſtanti, quo calor corrumpitur.

Reſpondeo ad argumenta contra ſextam concluſionem. 63. Et poteſt vna ratione ſatisfieri quaſi omnibus. Ad illa de reali diſtinctione, concedo quòd quælibet pars realiter diſtinguitur, & ſic poteſt eſſe ſine alia, ſed quacunque aſſignatâ, & datâ illâ, ſemper eſt diuiſibilis in infinitas partes, & ſic nunquam aliqua primò poteſt induci aliqua, ſcilicet quæ ſit indiuiſibilis in vlteriores partes, imò quacunque data,& inductâ ſemper alia priùs eſt inducta propter ſui diuiſibilitatem.

Ad illa de productione,creatione, & volitione diuina. Dico breuiter, quòd quacunque parte aſſignatâ poteſt immediatè produci ſine alia,ſed illa ſemper erit diuiſibilis in infinitum, & ſic non ſequitur, quòd poſſit aliquam primam inducere; quia illa prima eſſet ſimpliciter indiuiſibilis,quod eſt impoſſibile.

Ad illa de actione poteſt concedi, quòd vna actione,& pluribus. Si eſſent ſeparatæ pluribus actionibus producerentur. Si producitur aliquis color diuiſibilis,dico quòd omnes partes poſſunt produci vna actione continuata,vel quòd pluribus actionibus partialibus integrantibus vnam totalem,nec inconuenientia ſequuntur.

Ad argumenta contra ſeptimam concluſionem.Ad tria prima concedo poſſibilitatem illam, 64. quia Deus poſſet facere hoc. Sed apud Philoſophum eſſet ſimpliciter impoſſibile, quia ſemper in vltimo inſtanti remiſſionis formæ inducitur aliquis gradus alterius formæ intenſibilis incompoſſibilis illi priori,& ideò in illo vltimo inſtanti non poteſt eſſe forma remittenda, & ideò dicit Doctor quòd hoc eſt contra Philoſophum.Sic etiam eſt de forma ſubſtantiali, quæ nullo modo habet vltimum inſtans ſui *eſſe*, non quòd ſimpliciter repugnet illi formæ, ſed quia in vltimo inſtanti inducitur neceſſariò aliqua forma ſubſtantialis repugnans formæ priori : nam in vltimo inſtanti diſpoſitionis ſubiecti neceſſariò inducitur

forma

forma oppoſita, & illa alia neceſſariò deſinit eſſe, vt etiam declarat Doct. *in 2. diſt. 2. q. 9. & in quarto, diſt. 13.*

65. Ad quartum dico, quòd aliud eſt dicere, quòd in aliquo inſtanti inducatur abſolutè aliqua pars frigiditatis, & in tempore immediato intendatur; aliud eſt dicere, quòd motus intenſionis formæ incipiat in aliquo inſtanti, ſicut concluſio intelligit. Primo modo concedo quòd illud *mutatum eſſe* non pertinet ad motum intenſionis immediatè ſequentem, ſicut procedit exemplum de Angelo. Sed ſecundo modo benè pertinet: quia ponitur quòd in vltimo inſtanti horæ, in quo calor deſinit eſſe, incipiat frigus, & ſic benè ſequitur quòd illud *mutatum eſſe*, in quo aliquid frigoris acquiritur, eſſet principium motus ſequentis, & ſic eſſet prima infrigidatio, ſiuè primum *mutatum eſſe* in motu.

Ad quintum dico, quòd in dictis Doctoris nulla eſt contradictio, quia hîc accipit primum *eſſe* frigoris pro prima infrigidatione, ſiue pro primo *mutato eſſe* motus intenſionis, & ſic eſt impoſſibile; ibi autem accipit primum inſtans, in quo res habet completum *eſſe*, quia tunc ſic exponitur; incipit per poſitionem de præſenti, & negationem de præterito: vnde ſequitur in vltimo inſtanti intenſionis formæ; frigus nunc eſt, ſcilicet in *eſſe* completo: & immediatè ante hoc non fuit: ergo incipit eſſe.

Ad ſextum patet reſponſio ex dictis ad quartum: concedo enim caſum, ſed tunc in illo inſtanti non incipit motus intenſionis, vt ibi dixi.

Ad ſeptimum patet reſponſio ex dictis ad alias concluſiones priùs, vbi expoſui quare non poteſt dari prima pars motus, ſiue primum *mutatum eſſe* & tamen neceſſariò datur vltimum *mutatum eſſe*, vide ibi, ſic pariformiter dico de prima, & vltima infrigidatione.

Ad octauum patet reſponſio ſicut ad ſeptimum, vide quæ ſuprà dixi.

Ad nonum, conceſſo caſu illo dico, quòd illud *mutatum eſſe* quo ab agente perfecto inducitur frigus non eſſet principium motus intenſionis, ſicut ſequitur in concluſione Doctoris.

Ad decimum, & vndecimum reſpondeo ſicut ad quartum, & ad nonum, & reſponſio clara eſt.

Ad duodecimum admitto caſum. Et dico breuiter, quòd ſicut *mutatum eſſe*, quo ſubſtantialis forma inducitur, non eſt propriè terminus motus præcedentis diſpoſitionis, licèt tantùm concomitanter, vt patet à Doctore *in ſecundo, diſt. 2. quæſt. 4.* Sic *mutatum eſſe*, quo inducitur qualitas conueniens aquæ, non eſt principium motus intenſionis illius qualitatis, licèt talis motus poſſit in tempore immediato concomitari. Et ſic patet reſponſio ad omnes iſtas rationes, quam benè nota.

66. *Contra octauum.* Contra octauam, quæ talis eſt: *Concurrunt ſimul ab inſtanti immutationis motus intenſionis frigoris, & motus remiſſionis caloris.* Contra quam arguo. Primò ſic: Et pono caſum, ſcilicet quòd ſit frigus vt octo, & dicatur *A*, & calor vt ſeptem, & dicatur *B*: ſi *A* remittit *B*, puta corrumpendo gradum ſeptimum *B*, quæro, quomodo corrumpit illum? aut corrumpit inducendo gradum incompoſſibilem gradui ſeptimo, aut nihil inducendo. Si ſecundò, ergo erit remiſſo *B*, ſine intenſione *A*: Si primò, quæro de illo gradu incompoſſibili, qui non ponitur incompoſſibilis, niſi formaliter, ſed primus gradus frigoris inductus non videtur, quòd poſſit formaliter corrumpere gradum ſeptimum *B*: Tum, quia cum gradu ſeptimo ſtat vnus gradus frigoris. Tum, quia calor vt ſeptem, magis reſiſtit vni gradui frigoris: vt patet: ergo.

Secundò arguitur ſic: ſi *B* remittit *A*, continuè, ſequitur quòd *B* poterit immediatè corrumpere formam ſubſtantialem, conſequens eſt contra Doctorem *in quarto, diſt. 12.* qui vult, quòd nullum accidens poſſit corrumpere ſubſtantiam. Antecedens probatur, & pono quòd frigidum vt octo, ſit tantùm in aliqua quantitate puta pedali, & ſit perfectè præſens igni calido vt ſeptem: tunc ſic, ſi motus intenſionis frigoris concurrit cum motu remiſſionis caloris ignis, ſi frigus intendatur vt octo, nullus gradus caloris remanebit in igne, vt patet, ſed in eodem inſtanti, quo corrumpitur vltimus gradus caloris in igne, corrumpitur etiam ipſe ignis, vt patet; aliter remaneret ignis, & nullo modo calidus.

67. Tertiò arguitur, quia ſi illi duo motus concurrunt, ſequitur, quòd in vltimo inſtanti remiſſionis caloris non erit frigus intenſum. Probatur, quia ſi iſti duo motus concurrunt, ſcilicet remiſſionis, & intenſionis, erunt circa idem ſubiectum, ſit ergo ignis calidus vt ſeptem: & frigus vt octo, approximatum igni, ſequitur, quòd quando calor remittitur in igne, quòd remittitur per gradum frigoris incompoſſibilem receptum in igne: fiat ergo ignis frigidus vt ſeptem, (quod eſt neceſſe fieri; ſi totus calor remittitur) ſequitur quòd in ipſo igne non erit aliquis gradus caloris, & per conſequens, nec erit ignis: ergo nec erit frigus intenſum in vltimo inſtanti remiſſionis, quod eſt inconueniens.

Quartò arguitur ſic: poteſt eſſe intenſio caloris ſine remiſſione frigoris; ergo iſti duo motus non ſemper concurrunt. Antecedens patet, quia ſubſtantia ignis eſt immediata cauſa ſui caloris, vt patet à Doctore *in 4. diſt. 12.* ergo poterit intendere ipſum, & tamen ibi non erit remiſſio aliqua frigoris, cùm priùs non fuerit in igne frigus. Similiter Deus poſſet remittere calorem abſque intenſione frigoris, vt patet: ergo iſti duo motus non neceſſariò concurrunt.

Quintò arguitur: ſi iſti motus ſemper concurrunt, ſequitur quòd duo contraria erunt ſimul in eodem ſubiecto, ſaltem in gradibus æqualibus, quod videtur impoſſibile. Quòd ſequatur, patet, quia in tantum frigus in eodem ſubiecto poterit intendi, & calor remitti, quòd aliquando erunt æqualia in gradibus.

68. *Reſpondeo.* Reſpondeo: ad primum dico, quòd *A* inducit gradum incompoſſibilem gradui ſeptimo. Et cùm infertur, quòd non repugnat formaliter gradui ſeptimo, negatur. Cùm probatur primò, quia ſtat cum illo, negatur: quia neceſſariò expellit gradum ſeptimum. Tenendo quòd ſit calor intenſus præciſè vt ſeptem, benè verum eſt, quòd ſi induceretur in ſubiectum calidum vt octo, quòd tunc ſtaret cum gradu ſeptimo, ſed expelleret gradum octauum, & ſic non poſſet ſtare cũ gradu octauo.

Cùm ſecundò probatur, quia calidum vt ſeptem magis reſiſtit &c. Dico, quòd *reſiſtentia* non accipitur hîc formaliter, ſed quaſi effectiuè, quando enim calidum effectiuè eſt magis conſeruatiuum gradus, quàm frigus ſit inductiuum gradus, tunc calidum dicitur magis reſiſtere. Sed in poſito *A* vt octo eſt fortius ad inducendum

gradum incompoſſibilem gradui ſeptem *B*, quàm *B* ad ipſum conſeruandum, ideò *B* non magis reſiſtit, imò ſtante approximatione neceſſariò inducitur gradus incompoſſibilis gradui ſeptem, quia fortius agens, & agens per modum naturæ, & per ſeipſum.

69. Ad ſecundum dico primò, quòd ſi *A* ſit tantùm in quantitate, & non in ſubſtantia, quòd caſus eſt impoſſibilis apud Philoſophum, quia non datur accidens ſeparatum à ſubſtantia. Dico ſecundò, quòd caſu admiſſo, quòd *A* non corrumpet immediatè gradum caloris, quem ignis ſibi determinat, puta ſi ignis determinat ſibi duos gradus caloris, tunc quando *A* remittit *B*, vſque ad illos duos gradus excluſiuè; quòd in vltimo inſtanti, in quo inducitur gradus frigoris incompoſſibilis, puta gradui ſecundo caloris, quòd in illo inſtanti corrumpitur ſubſtantia ignis, & ſimul corrumpuntur illi duo gradus, ita quòd priùs quaſi natura corrumpitur ſubſtantia ignis, & quaſi poſteriùs natura corrumpitur calor vt duo: Si dicatur à quo corrumpitur ſubſtantia ignis? ſi à frigido, ergo accidens corrumpit ſubſtantiam. Dico vt dicit Doctor *in quarto, diſt.* 12. quòd corrumpitur ab aliqua ſubſtantia ſuperiore, vt à Deo: vide ibi. Si verò *A*, ſit in ſubſtantia, puta in aqua. Dico tũc, quòd in eodem inſtanti, in quo inducitur gradus incompoſſibilis gradui ſecundo *B*: quòd ſubſtantia aquæ corrumpit ſubſtantiam ignis, & ſic ad corruptionem talem, ſequitur corruptio caloris vt duo, vt patet à Doctore *in quarto, diſt.* 12.

70. Ad tertium dico, quòd remiſſio caloris non intelligitur fieri vſque ad vltimum gradum incluſiuè, quia tunc nihil caloris remaneret, ſed ſi in remiſſione aliquid caloris remanet in ſubiecto, tunc intelligitur fieri vſque ad illum gradum incluſiuè. Et poſito, quòd totus calor corrumpatur per motum remiſſionis, & per conſequens ſubſtantia caloris: Dico tunc, quòd in eodem inſtanti, in quo calor ſecundùm omnem gradum deſinit eſſe, quòd tunc frigus deſinit eſſe, tenendo quòd frigus inductum ſit præcisè in eodem ſubiecto, in quo & calor. Si verò teneatur, quòd quando aqua corrumpit ignem, & non indiuiſibiliter, ſed diuiſibiliter, & quòd inducat formam ſubſtantialem aquæ diuiſibiliter, & in tempore: & quòd inducatur frigus in forma aquæ inducenda diuiſibiliter, tunc non ſequitur, quòd corrupto igne corrumpatur frigus, quia non eſſet inductum in ſubſtantia ignis, de hoc aliàs erit ſermo.

Ad quartum dico, quòd concluſio Doctoris non intelligitur, quin poſſit eſſe intenſio caloris ſine remiſſione frigoris; ſed intelligitur, quòd non poteſt eſſe via naturali remiſsio caloris ſine intenſione, puta frigoris, quia naturaliter non corrumpitur aliquis gradus caloris, niſi per gradum frigoris incompoſſibilem. Et quod dicitur de Deo, quòd poteſt remittere, &c. Concedo, ſed concluſio intelligitur via naturali.

71. *Quomodo contraria poſſint eſſe ſimul.* Ad quintum, dico primò, quòd non intelliguntur contraria, niſi in gradibus intenſis, vt patet à Doctore *in quarto, diſt.* 44. Dico ſecundò, quòd poſito, quòd ſint contraria in gradibus æqualibus, quod videtur verum, tunc negatur quòd poſſint ſimul eſſe in gradibus æqualibus. Et patet, quia ſi frigus ſit vt octo, & calor vt octo, nulla erit actio, vt patet. Si verò calor ſit vt ſeptem, & frigus vt octo, & approximata, & tunc ſi frigus inducat vnum gradum incompoſſibilem ſeptimo gradui caloris, tunc in ſubiecto erunt ſex gradus caloris, & vnus frigoris: ſi inducantur duo frigoris, tunc erunt quinque *B*, & duo *A*: ſi tres *A*, tunc erunt quattuor *B*, & tres *A*, ſi quatuor *A*, tunc erunt tres *B*, & quatuor *A*, ſi quinque *A*, tunc erunt duo *B*: & quinque *A*: ſi verò ſex *A* tunc erunt vnus *B* & ſex *A*, & ſic patet quomodo nunquam erunt ſimul in gradibus æqualibus.

Si dicatur, quòd adhuc ſtant ſimul in gradibus æqualibus, vt patet in iſtis caſibus. Pono enim, quòd ſit calidum vt duo, & frigidum vt quattuor, approximatum calido vt duo, & inducat præcisè vnum gradum frigiditatis, tunc ille gradus inductus corrumpet formaliter vnum gradum caliditatis, & tunc erit præcisè idem calidum vt vnum, & frigidum vt vnum: ergo contraria erunt ſimul in gradibus æqualibus. Similiter ſit calidum vt quattuor, & frigidum vt ſex, approximatum, & inducat præcisè duos gradus frigiditatis, expellentes duos gradus caliditatis, tunc ſequitur quòd idem erit calidum vt duo, & frigidum vt duo, & multi alij caſus poſſent poni. Nec valet recurrere ad ſubiectum, quòd determinat ſibi caliditatem in tanto gradu, ſicut ignis, qui ſi determinat ſibi duos gradus caliditatis, in illo non poteſt induci vnus gradus frigiditatis corruptiuus vnius gradus caliditatis, niſi ſimul, imò priùs corrumpatur ſubſtantia illius ignis, vt ſuprà patuit per Doctorem *in quarto*, in materia de Euchariſtia; & ideò ſi ſubſtantia ignis non corrumpitur, eſt ſic conſeruatiua illorum graduum, quòd gradus incompoſſibilis non poteſt induci. Sed ponẽdo quòd determinet ſibi tantùm vnum gradum caliditatis, & ſit calidus vt duo, tunc poteſt induci vnus gradus frigiditatis, qui tantùm expellet vnum gradum caliditatis, & ſic idem ignis erit ſimul calidus vt vnum, & frigidus vt vnum. Et diceretur fortè, quòd caſus eſſet impoſſibilis, quia ignis, etſi non determinet ſibi duos gradus caliditatis, ſed tantùm vnum, tamen eſt magis conſeruatiuus ſecundi gradus caliditatis, quam frigus vt ſex, ſit inductiuum alicuius gradus frigiditatis incompoſſibilis, quia ſi poſſet corrumpere illum ſecundum gradum, poſſet etiã corrumpere primum gradum, cùm ſint eiuſdem rationis, vt patet. Sed quia de hoc eſſent multa diſcutienda, quæ requirerẽt prolixum tractatum, de quo eſt prolixus ſermo in quarto, in materia de Euchariſtia, ideò omittatur pro nunc. Ad euitandum ergo difficultatem, quæ eſt de ſubiecto determinante ſibi qualitatem in tanto gradu, accipio in propoſito ſubiectum neutrum, puta lapidem, qui nullum gradum caliditatis ſibi determinat: ſit ergo calidus vt duo, approximatus frigido vt ſex, & inducatur vnus gradus frigiditatis tantùm, tunc ille lapis erit calidus vt vnum, & frigidus vt vnum: ergo contraria ſimul in gradibus æqualibus.

Reſpondeo, ſuſtinendo quòd contraria non poſſint ſimul eſſe in gradibus æqualibus, quòd ſi lapis eſt tantùm calidus vt duo, quòd frigus quantumcunque intenſum non poterit præcisè inducere vnum gradum frigiditatis incompoſſibilem vni gradui caliditatis, quia natura contrariorum hoc non patitur, quia tunc contraria eſſent ſimul in gradibus æqualibus. Licèt enim gradus frigiditatis ſit ſimpliciter compoſſibilis gradui ſecundo caliditatis, tamen ſtante primo gradu caliditatis in lapide, gradus ille frigiditatis non poteſt induci, quia tunc 72.

duo

duo incompoſſibilia eſſent in eodem, ſcilicet frigiditas vt vnum,& caliditas vt vnum;ſicut etiam hîc licèt frigiditas vt vnum, ſit compoſſibilis caliditati ignis vt vnum & quantùm in ſe eſt, nata ſit induci talis frigiditatis, tamen ſtante ſubſtantia ignis non poteſt induci,quia tunc duo incompoſſibilia,ſaltem virtualiter eſſent ſimul, ſcilicet ſubſtantia ignis cum ſola frigiditate: à fortiori hîc cùm iſta ſint incompoſſibilia formaliter,quia contraria formaliter. Similiter dico, quòd ſi lapis ſit calidus vt quatuor, approximatus frigido vt ſex,quòd benè frigidum vt ſex poteſt inducere vnum gradum frigiditatis incompoſſibilem gradui caliditatis,& tunc lapis erit calidus vt tres, & frigidus vt vnum, quia iſta non ſunt incompoſſibilia, quia contraria non ſunt incompoſſibilia ad inuicem in gradibus inæqualibus, ſed tantùm in gradibus æqualibus;illo tamen gradu frigiditatis inducto,qui ſtat cum lapide calido vt tres, frigidum vt ſex non poſſet alium gradum frigiditatis inducere,ita quòd præcisè illum alium, quia tunc duo incompoſſibilia eſſent ſimul, ideò ſtante calido vt tres, & frigido vt vnum, eſt impoſſibile quòd alius gradus frigiditatis inducatur. Poſſet benè frigidum vt ſex continuè remittere calidum,ita quòd nihil calidi remaneret in lapide,& intendere frigidum, ſed non poſſet ſic remittere calidum, & ſic ſimul intendere frigidum, quòd calidum, & frigidum eſſent ſimul in gradibus æqualibus.Nec alia ratio videtur aſsignanda, niſi quia natura contrariorum talis eſt,quòd non permittit contraria ſimul eſſe in eodem in gradibus æqualibus,ſiue remiſsis,ſiue intenſis: & ſimiliter talis eſt, quòd permittit contraria ſimul eſſe in gradibus inæqualibus: non enim à priori poteſt alia ratio aſsignari,incompoſsibilia enim ſuis entitatibus formalibus ſunt incompoſsibilia: & ſimiliter compoſſibilia ſuis entitatibus formalibus ſunt compoſsibilia; non enim immediatior ratio poteſt aſsignari, vt patet à Doctore *in primo,diſtin.2.quæſt.2. par.1. quæſt.1. & in tertio diſt.1. & alibi ſæpe*, ſicut etiam non poteſt aſsignari alia ratio à priori, quòd contraria in gradibus æqualibus intenſis nõ poſſunt eſſe ſimul, niſi ex ſola ratione terminorum, quia videlicet tales termini in talibus præcisè gradibus repugnant formaliter ad inuicem. Nec enim apparet ratio euidens, quòd albedo in ſummo, & ſimiliter nigredo in ſummo repugnant formaliter in eodem, & quòd albedo vt quattuor, & nigredo vt quattuor non ſic repugnent, imò videtur ſimpliciter eadẽ ratio,& ſic patet quid dicendũ ad inſtantias.

73. *Contra concluſionem nonam.* Contra concluſionem nonam, quæ talis eſt: *In aliquo inſtanti,in quo per mutationem ſubitam inducitur aliquis gradus frigoris incompoſſibilis calori,in illo primo calor non eſt, & vſque ad illum calor fuit.* Contrà primò,quòd non inducatur aliquis gradus per mutationem ſubitam, quia ille gradus incompoſsibilis aut eſt diuiſibilis in plures gradus, aut indiuiſibilis. Si primò, ergo non per mutationem ſubitam,ſiue indiuiſibilem,cùm ille ſit diuiſibilis. Tum etiam, quia alij præcedentes, cùm ſint diuiſibiles, acquiruntur diuiſibiliter,& per motum: ergo & ille incompoſsibilis, cùm ſit eiuſdem rationis cum omnibus præcedentibus. Si ſecundò, ergo & alij præcedentes etiam indiuiſibiles,cùm ſint eiuſdem, & eiuſdem rationis; & ſic acquiruntur indiuiſibiliter, & ſic per mutationem; & ſic totus ille motus intenſionis erit ſimpliciter compoſitus ex *mutatis eſſe*,& ſic non erit quouis modo motus.

Secundò arguitur ſic, probando quòd non inducatur aliquis gradus incompoſsibilis, quia nullus præcedentium fuit incompoſſibilis: ergo nec aliquis ſequentium. Patet antecedens, quia quilibet præcedens illum gradum ſtat cum calore. Probatur conſequentia, quia quilibet eſt eiuſdem rationis: ergo non magis vnus eſt incompoſſibilis, quàm alius, nec valet dicere de gradu, quem ſibi determinat ignis, qui non corrumpitur per gradum incompoſſibilem, puta frigoris, eo quòd conſeruatur ab ipſo igne,vt patet à Doctore *in quarto,diſt.* 12. quia accipio aliquod corpus, quod non determinat ſibi aliquem gradum caloris,puta lapis, certum eſt tunc quòd non magis vnus gradus conſeruatur à lapide, quàm alius.

Tertiò arguitur, quòd in toto tempore præcedenti non fuerit calor,quia pono caſum,per poſſibile, vel impoſſibile, quòd frigus agat in calidum per totum tempus præcedens inſtans,in quo inducitur gradus incompoſſibilis, & quòd in illo vltimo inſtanti nihil agat, quæro tunc, an calor ſit, vel ne?ſi non, ergo non fuit in toto tempore præcedenti, quod eſt contra concluſionem. Si ſic, contrà, quia in toto tempore præcedenti erat in continuo motu remiſſionis, modò quod eſt in continuo motu non eſt, loquendo de permanentibus. Pono etiam quòd illud idem agens poſtea applicetur calido ſemper remiſſo vſque ad illud inſtans, de quo ſuprà:& tunc quæro,an inducat gradum incompoſſibilem calori in inſtanti, aut in tempore?Si ſecundò,ergo non inducitur gradus incompoſſibilis per ſubitam mutationem.Si primò,ergo agens natutale ageret in inſtanti in principio ſuæ actionis, quod eſt inconueniens. 74.

Quartò arguitur ad idem, ſi in toto tempore præcedenti calor fuit, certum eſt quòd fuit in aliquo ſubiecto, puta in ligno: tunc ſic, pono quòd frigidum inducat in toto tempore præcedenti frigus vt ſeptem, cum quo ſtet calor vt vnum, ſequitur tunc, quòd idem ſubiectum ſimul erit calidum & frigidum, ita quòd iſtæ ſunt verè ſubiectum, puta, *A* eſt ſimpliciter calidum, & ſimpliciter frigidum, quod videtur inconueniens.

Quintò arguitur,probando quòd in toto tempore præcedenti inſtans mutationis fuerit frigus, cuius oppoſitum dicit concluſio; & pono quòd gradus incompoſſibilis caloris ſit gradus vt octo, ſiue gradus ſequens immediatè gradum ſeptimum ipſius frigoris, tunc ſic: in toto tempore præcedenti præceſſit frigus vt ſeptem:ergo in toto tempore præcedenti frigus fuit;patet, imò in toto tempore præcedenti, præcipuè accipiendo illud vltimum, quod immediatè terminatur ad inſtans mutationis, vel acquiſiti ſunt gradus ſeptem, & in illo vltimo inſtanti acquiritur tantùm vnus incompoſſibilis: ergo in toto illo tempore magis fuit frigus, quàm in illo vltimo inſtanti. Nec valet dicere,quòd in tempore præcedenti eſt in cõtinuo motu, quia licèt illi gradus acquirãtur per motũ,tamẽ quãdo ſecundus acquiritur,iã primus eſt acquiſitus,& eſt in ſubiecto in *eſſe* quieto, & ſic ſimiliter ſecũdus reſpectu tertij,&ſic de aliis.

75. *Reſponſio ad primam.* Reſpondeo ad primum, & dico (ſuſtinendo opinionem, quòd quilibet gradus ſit diuiſibilis) quòd eſt diuiſibilis: & cùm infertur, ergo acquiritur diuiſibiliter, & per motum, negatur:

tur:& dico, quòd acquiritur in inſtanti. Poteſt enim induci forma diuiſibilis per mutationem, & tunc ſe habet reſpectu inducentis, vt indiuiſibile quoddam, ſicut etiam dicit Doctor *præſenti diſtin. quæſt. vltima ad reſp. ad vltimum arg. principale.* Et cùm confirmatur, quia alij præcedentes inducuntur diuiſibiliter, concedo; & poſt negatur conſequentia, quia licèt ſit eiuſdem rationis cum aliis, tamen indiuiſibiliter inducitur, quia inducitur per *mutatum eſſe*, quod eſt terminus motus intenſionis, & quia minorem indiſpoſitionem reperit in ſubiecto, tenendo tamen, quòd in vltimo inſtanti motus intenſionis aliquis gradus inducatur. Et hoc dico, quia aliqui tenent, quòd quilibet gradus formæ tantùm inducatur in tempore præcedenti, & nullo modo in vltimo inſtanti illius temporis; & tunc oporteret multa pertractare, quæ modò tranſeo. Si verò teneatur, quòd illi gradus ſunt indiuiſibiles in plures gradus, vt etiam nonnulli tenent: tunc oporteret dicere, quòd continuitas, ſiue ſucceſſio motus, nullo modo accipitur à forma illa acquirenda intenſiuè, ſed tantùm ab ipſo mobili quanto, ita quòd vnus gradus, puta frigoris acquiritur in ipſo mobili diuiſibiliter, ſic intelligendo, quòd priùs vna pars mobilis ſit frigida vt vnum, & ſic ſucceſſiuè vna pars poſt aliam, ita quòd tota ſucceſſio ſit propter diuiſibilitatem mobilis, & tunc in vltimo inſtanti motus intenſionis inducitur gradus incompoſſibilis, ſic intelligendo, quòd in aliquo vltimo inſtanti ſit ipſum mobile frigidum vt octo, & tunc deſinit ſimpliciter eſſe calidum.

76. Ad ſecundum dico, quòd eſt incompoſſibilis non ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſtantibus gradibus præcedentibus: nam inducto frigore vt ſeptem ſtat calor vt vnum, ſi modò inducatur alius gradus frigoris, ille erit neceſſariò incompoſſibilis illi gradui; & hoc tenendo, quòd omnes gradus ſint ſimpliciter eiuſdem rationis. Nec intelligo, quòd cum frigore vt octo, non poſſit ſtare calor vt vnum, quia ſi in ſubiecto priùs fuiſſet calor vt nouem, & pòſt induceretur frigus vt octo, tunc cum frigore vt octo, ſtaret calor vt vnum. Sed intelligo, quòd ſi in ſubiecto priùs fuiſſet calor vt octo, & ſi pòſt induceretur frigus vt octo, quòd tunc cum frigore vt octo, non poſſet ſtare calor vt vnum: loquendo etiam de frigore vt octo, exiſtente in aliquo ſubiecto, benè tunc in tali ſubiecto poſſet induci calor vt vnum, & tunc ibi eſſet frigus tantùm vt ſeptem, vt ſuprà expoſui.

Ad tertium dico primò, quòd caſus eſt impoſſibilis, loquendo naturaliter, vt etiam concluſio intelligitur. Dico ſecundò, quòd caſu admiſſo, calor eſt, ideſt, quòd eſt aliquis gradus caloris in ſubiecto: & cùm infertur, quòd in tempore præcedenti eſt in continuo motu remiſſionis; concedo, quòd calor ſemper remittitur in tempore præcedenti vſque ad illum gradum, qui non corrumpitur in tempore, ſed in vltimo inſtanti illius temporis: & quamdiu ille gradus caloris eſt, verum eſt dicere, quòd calor eſt: non enim intelligitur concluſio, quòd in toto tempore præcedenti ſit totus calor, cùm continuè deperdatur ſecundùm alium, & alium gradum; ſed quia in toto tempore præcedenti vltimum inſtans ſemper eſt aliquis gradus caloris: ideò conceditur abſolutè, quòd ſemper calor ſit. Et loquor ſemper tenendo opinionem, quòd in vltimo inſtanti deperdatur aliquis gradus caloris.

Ad quartum concedo, quòd calor ſit in ſubiecto: nego tamen quòd ſit ſimpliciter calidum, ſicut etiam aqua tepida, in qua eſt aliquis gradus caloris, non dicitur ſimpliciter calida; aliud eſt enim dicere, quòd calor ſimpliciter eſt, & quòd ſubiectum habens illum calorem, ſit ſimpliciter calidum.

Ad vltimum dico, quòd etſi in tempore præcedenti aliquid frigoris fuerit in ſubiecto, tamen non propriè dicitur, frigus eſt, niſi in vltimo inſtanti, in quo habet perfectum *eſſe*: in toto enim tempore ſemper eſt in continuo *fieri*, quia tunc habet primum inſtans ſui *eſſe*, quia tunc eſt verum dicere frigus nunc eſt, & immediatè ante hoc non fuit: ergo. Multa tamen eſſent dicenda in iſta materia, quæ modò tranſeo.

77. Contra concluſionem decimam, quæ talis eſt: *Calor remittendus nullum vltimum habet ſui* eſſe, *ſed habet vltimum in* eſſe *quieto.* *Contra concluſionem decimam.*

Arguitur primò, quòd habeat vltimum ſui *eſſe*, & pono caſum, quòd frigus remittat calorem per horam, ita quòd remittat continuè vſque ad vltimum inſtans illius horæ excluſiuè, & in illo inſtanti impediatur, & in tempore immediato ad illud inſtans corrumpat vltimum gradum caloris, ſtante iſto caſu, certum eſt quòd calor remittendus habet vltimum inſtans ſui *eſſe*: patet, quia exponitur per poſitionem de præſenti, & per negationem de futuro; ſequitur enim calor in iſto inſtanti vltimo eſt, immediatè poſt hoc non erit: ergo deſinit eſſe.

Secundò arguitur ad idem, & pono caſum, quòd ſit agens liberum, & ſit calor vt octo, & inducat in tempore frigus vt ſeptem, & in vltimo inſtanti illius temporis nihil inducat, & in tempore immediato inducat gradum incompoſſibilem, caſus eſt poſſibilis de agente libero, tunc ſtante caſu, patet, quòd calor habebit vltimum *eſſe*, & patet vt priùs.

Tertiò arguitur ad idem, & pono caſum, quòd agens perfectum ſit perfectè præſens calori, remittendo in tempore immediato ad aliquod inſtans, certum eſt quòd in illo tempore inducet gradum incompoſſibilem calori, aliter non eſſet actiuum perfectum: & pono quòd ſublata ſit omnis indiſpoſitio: & tunc ſtante caſu, patet quòd calor remittitur præcisè in tempore, & ex hoc ſequitur, quòd habeat vltimum inſtans ſui *eſſe*, cùm in tempore immediato deſinat eſſe, & præcipuè prima cauſa hoc poteſt facere, imò poteſt in inſtanti creare calorem, & in tempore immediato ipſum annihilare, & ſic calor habebit vltimum inſtans ſui *eſſe*.

Quartò arguitur, probando quòd calor remittendus non habeat vltimum inſtans in *eſſe* quieto. Et pono casū, quòd calor remittendus quieſcat per horā, & in vltimo inſtāti illius horæ ſit perfectè præſens frigidū in duplo vincēs calidū, tunc in illo vltimo inſtanti inducet aliquem gradum frigoris in eodem ſubiecto, in quo eſt calor, & ſic ſequitur, quòd calor remittendus non habebit vltimum inſtans ſuæ quietis. Patet, quia in illo vltimo inſtanti remittitur, & caſus eſt poſſibilis: ergo. 78.

Quintò arguitur contra eandem partem concluſionis, & pono caſum, quòd actiuum inducat calorem vt octo, in paſſum per ſpatium vnius horæ, ita quòd in vltimo inſtanti illius horæ inducat vltimum gradū, & in tēpore immediato ad illud

illud inſtans frigidum vt duodecim, fiat perfectè præſens ipſi paſſo, circumſcripto omni impedimento, tam ex parte actiui, quàm ex parte paſſi; patet quòd actiuum in tempore illo immediato, inciperet remittere calorem, & tunc ſequitur, quòd calor remittendus, neque vltimum inſtans ſuæ quietis habuerit. Patet, quia nullo modo quieuit, habens enim vltimum inſtans quietis (loquendo de quiete propriè, quæ opponitur tempori) quieſcit per aliquod tempus præcedens illud inſtans.

Agens per modum naturæ non agit in tempore.

Sextò arguitur, quia videtur ſequi impoſſibile, videlicet quòd agens perfectiſſimum, & per modum naturæ neceſſariò aget in tempore. Si enim calor remittendus habet vltimum inſtans in *eſſe* quieto, ſequitur quòd actiuum infinitum, & per modum naturæ, & perfectè præſens paſſo corrumpet illum calorem præcisè in tempore, & ſic virtus infinita neceſſariò aget in tempore, quod eſt impoſſibile.

Septimò, quia Doctor videtur ſibi contradicere, quia ipſe *præſenti diſtinctione* contra Thomam expreſsè concedit, quòd non eſt neceſſe, quòd quieſcens per aliquod tempus quieſcat in vltimo inſtanti illius temporis.

79. *Reſponſio ad primum.*

Reſpondeo ad primum, & dico primò, quòd concluſio intelligitur de motu remiſſionis continuò, qualis non eſſet ſtante caſu. Dico ſecundò, quòd ſtante caſu illo, calor remittendus non diceretur habere vltimum ſui *eſſe*, quia ille gradus, aut indiuiſibiliter corrumpitur in tempore, & tunc non remittitur; aut diuiſibiliter, & tunc in aliquo vltimo inſtanti illius temporis inducitur gradus incompoſſibilis, & ſic non habebit vltimum inſtans ſui *eſſe*. Dico tertiò, quòd caſus eſt ſimpliciter impoſſibilis, loquendo via naturali, & ad mentem Philoſophi, quia agens naturale, & remittens calorem per aliquod tempus, ita quòd continuè remittatur vſque ad vltimum inſtans illius, neceſſariò in illo vltimo inſtanti inducit gradum incompoſſibilem calori, & ſic calor non habebit vltimum inſtans ſui *eſſe*.

Ad ſecundum patet reſponſio ex ſuprà dictis.

Ad tertium dico, quòd ſi illud agens remittit calorem ſucceſſiuè, quòd neceſſariò in vltimo inſtanti illius temporis inducet gradum incompoſſibilem. Si verò immediatè ipſum corrumpit, tunc caſus non eſt ad propoſitum, quia concluſio intelligitur de motu remiſſionis. Dico ſecundò, quòd caſus eſt impoſſibilis per naturam, ſcilicet quòd detur agens naturale ſic præſens paſſo, in quo ſit calor, quòd præcisè in illo tempore deſtruat calorem, vt patet per experientiam.

Caſus eſt impoſſibilis.

80. Ad quartum. Dico primò, quòd fortè caſus eſt impoſſibilis. Dico ſecundò, quòd ſtante caſu nihil eſt ad propoſitum, quia concluſio intelligitur præcisè de motu remiſſionis; modò ſi in illo vltimo inſtanti aliquid caloris deſtruitur, hoc non erit per motum remiſſionis, quia ille præcisè fit in tempore; nec deſtructio illius gradus vllo modo pertinebit ad motum remiſſionis in tempore immediato ad illud inſtans ſequentis, vt aliàs expoſui, quomodo non datur prima mutatio in motu.

Ad quintum, dico primò, quòd fortè caſus eſt impoſſibilis, loquendo via naturali. Dico ſecundò, quòd caſu admiſſo, concluſio debet intelligi, quòd ſi quieuit per aliquod tempus, quòd non poſſet remitti, loquendo de motu remiſſionis continuò, niſi quieuerit per vltimum inſtans illius temporis. Dico tertiò, quòd ſtante caſu illud inſtans adhuc dicetur vltimum inſtans in *eſſe* quieto, quia immediatè pòſt incipit moueri, non tamen propriè erit vltimum inſtans in *eſſe* quieto, vt ſuprà patuit.

Ad ſextum patet reſponſio ex dictis præſentis diſtinctionis, *quæſtione quarta*, agens enim infinitum poteſt agere in inſtanti, & ſi aliquando tale agens in agendo coaſſiſtat neceſſariò tempori, non eſt ex imperfectione agentis, ſed quia inſtans non poteſt eſſe immediatum inſtanti; ideò ſi actio incipit poſt inſtans, neceſſariò erit in tempore, vel ſaltem coaſſiſtet tempori. Et vltrà dico, quòd non ſequitur, quòd ſi agens infinitum in tempore immediato ad inſtans deſtruit calorem, quòd ipſum deſtruat ſucceſſiuè, imò totum ſimul poteſt deſtruere, & talis deſtructio non menſurabitur tempore, licèt coaſſiſtat alicui tempori, ſicut etiam ſi immediatè poſt aliquod inſtans annihilaret vnam animam, talis annihilatio non eſſet ſucceſſiua, ſed ſubita, & tamen coaſſiſteret tempori, ſolus enim motus propriè menſuratur tempore.

Ad vltimum dico, quòd Doctor ſibi non contradicit, quia ibi dicit, quòd abſolutè non eſt neceſſe: hìc enim vult, quòd calor non poſſit remitti ſucceſſiuè, ſi quieuerit per aliquod tempus, niſi quieſcat in vltimo inſtanti illius temporis, vt dixi ſuprà.

81. *Contra vndecimam concluſionem.*

Contra vndecimam concluſionem, quæ talis eſt: *Frigus intendendum, nullum ſcilicet primum habet eſſe ſimpliciter, licèt habeat primum ineſſe quieto, quod accipit per mutationem, licèt illud non ſit quies.* Contrà, quia in illo inſtanti quo inducitur gradus incompoſſibilis calori verum eſt dicere, frigus eſt, & immediatè ante hoc non fuit: ergo habet primum inſtans ſui *eſſe*. Hoc etiam patet ex concluſione decimaſexta.

Secundò arguitur, quia calor remittendus in illo inſtanti, in quo inducitur gradus incompoſſibilis, habet primum ſui *non eſſe*: ergo frigus inductum, & incompoſſibile habet primum ſui *eſſe*. Antecedens patet, quia verum eſt dicere, calor in hoc inſtanti non eſt, & immediatè ante hoc fuit, vt patet per concluſionem decimamſextam; ergo habet primum ſui *non eſſe*; habens enim primum ſui *non eſſe*, communiter exponitur per negationem de præſenti, & poſitionem de præterito. Conſequentia patet, quia quando ad deciſionem alicuius formæ pro aliquo inſtanti ſequitur alia forma in eodem inſtanti, ſicut illa quæ deſinit habet primum ſui *non eſſe*: ita illa, quæ ſequitur præcisè in illo inſtanti habet primum ſui *non eſſe*.

Tertiò arguitur, quòd frigus non habeat primum in *eſſe* quieto, quia ſequeretur, quòd tempus haberet primum inſtans, quòd eſt impoſſibile, quia ſicut in motu non datur prima mutatio, ita nec in tempore datur primum inſtans. Quòd autem ſequatur tempus habere primum inſtans, probatur, ſi enim frigus habet primum inſtans quietis, & immediatè poſt illud inſtans quieſcat per horam, ſequitur quòd tempus quietis vnius horæ habebit primum inſtans. Si enim incipit quieſcere in aliquo inſtanti, & in tempore immediato, ſequitur propoſitum.

Quartò arguitur, quòd non quieſcat aliquo modo in illo vltimo inſtanti, quia in illo inſtanti ſubiectum verè mutatur. Patet per Doctorem *præſenti diſtinctione, quæſt. quarta.* Vbi vult, quòd *mutari* ſit aliter ſe habere nunc indiuiſibiliter,

quàm priùs ſe habuerit diuiſibiliter : ſi ergo ſubiectum in illo inſtanti,in quo recipit gradum frigoris incompoſſibilem calori mutatur : ergo tunc non quieſcit,& ſi ſic, ſequitur quòd nec frigus in illo inſtanti quieſcat.

Quintò arguitur, nihil quòd incipit eſſe,dum incipit eſſe quieſcit. patet : ſed frigus in illo inſtanti incipit eſſe : patet per exponentes,quia verum eſt dicere, frigus nunc eſt,& immediatè ante hoc non fuit:ergo incipit eſſe.

82. *Reſponſio ad primum.* Reſpondeo ſimul ad primum,& ad ſecundum, quòd Doctor non negat abſolutè, quòd frigus non habeat primum ſui *eſſe* : nam aliter ſibi contradiceret,ſed vult ibi, quòd frigus in illo principio,quo incipit acquiri intenſiuè, non habeat aliquod primum inſtans ſui *eſſe* : patet,quia tantùm acquiritur per motum. Nam immediatè poſt vltimum inſtans quietis caloris, calor incipit remitti, & frigus induci, & ideò in illo tempore immediato frigus non poteſt habere aliquod primum ſui *eſſe*, ſed loquendo de termino motus, ſcilicet in illo vltimo inſtanti,in quo calor deſinit eſſe, frigus incipit eſſe, & ſic habet primum inſtans ſui *eſſe*.

Ad tertium dico breuiter, quòd illud vltimum inſtans eſt finis temporis præcedentis menſurantis motum intenſionis frigoris, & eſt primum temporis ſequentis menſurantis quietem ſequentem. Si tamen quies menſuratur tempore vero, quod non credo, vt patet à Doctore *diſtinct. præſenti,quæſtio.4.* & ſi ſic,dico, tunc abſolutè, quòd illud inſtans eſt tantùm finis temporis menſurantis motum intenſionis frigoris.

Ad quartum,& quintum ſimul dico, vt ſuprà etiam dixi,quòd illud vltimum inſtans dicitur inſtans immutationis,quia in illo inſtanti ceſſat motus ſimpliciter, & tunc dicitur in illo inſtanti quieſcere, pro quanto nullo modo mouetur ; & licèt ſubiectum in illo inſtanti verè mutetur,quia tamen nullo modo mouetur, dicitur tunc quieſcere, prout quies opponitur motui, non autem mutationi,ſiue *mutato eſſe*. Et ſic patet, quomodo concluſio iſta debeat intelligi.

Ad rationem de contradictoriis. Ad rationem de contradictoriis primò Doctor recitat reſponſionem Thomæ, quam improbant. Deinde adducit reſponſionem prnpriam, & reponſio Thomæ ſtat in hoc, quòd contradictoria accipiuntur pro eodem inſtanti,ſicut illa non ſunt contradictoria, quæ non ſunt accepta pro eodem inſtanti;cùm ergo *non eſſe* caloris, vt præceſſit in vltimo inſtanti immutationis,ſiue quietis, & *eſſe* caloris ſuſceptum in tempore habito, non ſint in eodem inſtanti, ſequitur, quòd non erunt contradictoria.

83. l *Contra eſſe caloris*, &c. Hîc Doctor intendit probare contra Thomam quòd contradictio ſumatur ex ratione formali terminorum, & non per reſpectum ad tempus, ſiue ad inſtans temporis : quia enim termini ſic ſunt incompoſſibiles, ideò contradicunt : nam ſi per impoſsibile nullum tempus eſſet, nec aliqua menſura eſſet, iſti termini ſimpliciter repugnarent ad inuicem, videlicet eſſe Franciſcum,& non Franciſcum, repugnat enim ſimpliciter idem eſſe Franciſcum,& non eſſe Franciſcum, & non repugnat ſibi per comparationem ad tempus, cùm accidat ſibi ſic comparari ad tempus, vel ad inſtans temporis;& ideò dicit Doctor, quòd benè ſequitur, ſunt incompoſsibiles ſimpliciter, ideò non poſſunt eſſe in eodem inſtanti,& non è contra,quia non ſequitur,non poſſunt eſſe in eodem inſtanti, ergo ſunt incompoſſibiles ſimpliciter ; quia prima incompoſsibilitas eſt ex ratione formali terminorum intrinſeca:ſecunda autem eſt tantùm per comparationem ad aliquod extrinſecum.

m *Similiter forma, vt terminus ad quem priuationis*, &c. Vult dicere, quod ipſa forma, ad quam terminatur motus,opponitur priuatiuè ipſi priuationi vt termino à quo. Sequitur, *& tamen iſta vt ſunt termini tranſmutationis*, nunquam ſimul ſunt, cùm opponantur ad inuicem per Ariſtot. vbi ſuprà. *Si*, inquit, *ergo hoc verum eſt, quòd omne quod fit fiat, & corrumpatur, quod corrumpitur, aut ex contrariis in contraria, & in horum media, media autem ex contrariis ſunt, vt colores ex albo,& nigro, quare omnia vtique erunt, quæ natura fiunt,aut contraria, aut ex contrariis:* Hæc ille.

n *Poſſet etiam argui, quòd creationis termini non eſſent contrarij.* Hîc Doctor probat, quòd ſi contradictoria tantùm ſumerentur reſpectu eiuſdem inſtantis,quòd tunc termini creationis, ſcilicet,*à quo*,& *ad quem*,non contradicerent,qui termini ſunt *non eſſe* creaturæ,& *eſſe* ipſius:nam *non eſſe* creaturæ præcedit tempore ipſum *eſſe*,& quòd dicit hîc, quòd *non eſſe* creaturæ non contrariatur *eſſe* ipſius creaturæ,patet, quia contrarium eſt aliquod ens poſitiuum ; nec etiam opponitur ſibi priuatiuè,quia priuatio eſt in ſubiecto apto nato; modò *non eſſe* creaturæ in nullo *eſſe* fundatur tanquam in ſubiecto, nec etiam opponitur ſibi, vt aliquod medium opponitur extremis,quia huiuſmodi medium eſt ſemper aliquod ens poſitiuum: ergo ſi *non eſſe* creaturæ opponitur *eſſe* ipſius creaturæ,opponitur contradictoriè, & tamen *non eſſe*,& *eſſe* non ſunt in eodem inſtanti. 84.

o *Quod autem adducitur de definitione contradictionis eſt aquiuocatio*, &c. Nota hanc literam, quòd quando dicitur in Elenchis,quòd contradictoria ſunt ad idem, ſimul, & in eodem tempore,debet intelligi de contradictoriis complexis, vt *omnis homo currit,quidam homo non currit*;non autem de incomplexis, ſicut non eſſe A, & eſſe A. De prima contradictione, quæ eſt inter complexa,loquitur Philoſophus in libro Periherm.& de ſecunda, quæ eſt inter incomplexa, loquitur in Prædicamentis.

p *Aliter reſpondeo ad argumentum.* Hîc Doctor dat propriam reſponſionem, præmittendo vnam diſtinctionem de immediato, quia immediatum poteſt accipi dupliciter.Primò,inter quod ſecundùm ſe totum, & aliud non eſt medium, & ſic continuum eſt immediatum termino, vt linea eſt immediata puncto,quia inter totam lineam, & punctum nullum cadit medium;& ſimiliter tempus eſt immediatum inſtanti ; quia inter tempus vnius horæ, & vltimum inſtans terminans illud tempus non eſt aliquod medium,& ſimiliter inter motum,& *mutatum eſſe* non cadit medium, accipiendo aliquem totum motum, puta vnius horæ inter ipſum & mutationem terminantem ipſum motum non eſt aliquod medium. Secundò dicitur immediatum, quòd ſecundùm ſe totum eſt cum altero ſtatim,vel poſt alterum, & ſic indiuiſibili terminanti continuum nihil eſt immediatum;nihil enim ſecundùm ſe totum ſtatim ſequitur illud indiuiſibile ; patet,quia ſi in aliqua linea ſignetur aliquis punctus terminans eam, linea ſequens,cuius eſt principium ſecundùm ſe,tota non eſt immediata illi puncto,nec immediatè ſequitur illum

illùm punctum,ſed pars illius totius,quod eſt immediatum totum. Primo modo ſequitur indiuiſibile ſecundùm partem ante partem in infinitum: ſicut etiam patet de tempore, quia aliquod vnum tempus, puta medietatis horæ ſecundùm ſe totum, & ſecundùm omnes partes ſuas non immediatè ſequitur ad vltimum inſtans alterius medietatis horæ;ſed ſequitur ſecundùm aliam, & aliam partem in infinitum, quia data quacunque parte proxima illi inſtanti, dabilis eſt alia in infinitum, cùm quælibet pars temporis ſit diuiſibilis in infinitum; licèt ergo totum illud tempus poſſit eſſe immediatum alicui inſtanti, loquendo de immediato primo modo, non tamen poteſt eſſe immediatum,loquendo de immediato ſecundo modo.

q *Ad propoſitum ergo.* Nunc Doctor reſpondendo ad rationem de contradictoriis applicat ad propoſitum,quæ dixit de immediato, dicit, quòd ſicut menſuræ iſtæ ſe habent, ita & menſurata, ſcilicet quòd quando vnum contradictorium mẽſuratur indiuiſibili,& aliud menſuratur diuiſibili; tunc minor eſt falſa, ſcilicet iſta: Sed ſi inter *non eſſe* formæ, & *eſſe* formæ inducendæ per motum non eſt aliquod primum, eſt medium inter illa, quæ ſunt contradictoria, negatur: nullum enim eſt medium inter contradictorium, ſecundùm quod eſt in tota menſura ſua, & contradictorium aliud; ſicut nec inter totam menſuram eius, & menſuram alterius: Patet, quia *non eſſe* formæ menſuratur inſtanti, & *eſſe* formæ menſuratur tempore immediatè ſequenti, ſicut expoſitum eſt ſuprà; & ſicut inſtans eſt immediatum tempori, loquendo de immediato primo modo, ita *non eſſe* formæ eſt immediatum *eſſe* formæ,ſic quòd inter illa non cadit medium,tamen ſicut inſtans,& tempus non ſunt immediata ſecundo modo, ſic quòd totum tempus ſecundùm ſe non ſequitur inſtans, vt expoſui, ita *eſſe* formæ, quod menſuratur tempore ſecundùm ſe totum, eſt immediatum *non eſſe* formæ menſurato inſtanti, ſed ſicut tempus ſequitur inſtans per partem in infinitum, ſic *eſſe* formæ, ſequitur *non eſſe* formæ per partem ante partem in infinitum: nec ſimiliter, ſicut non eſt danda prima pars temporis, quæ ſit ſecundùm ſe totam immediata inſtantia, ita nec eſt danda prima pars formæ,quæ ſit ſecundùm ſe totam immediata *non eſſe* formæ, & ſic patet reſponſio ad ſecundam rationem principalem.

SCHOLIVM.

Reſpondendo ad tertium argumeutum,num. 5. adductum,probat indiuiſibile per ſe exiſtens, poſſe moueri localiter, etiam continuè & hoc ex motu ſphæræ, & cubi ſuper planum: & reiicit reſponſiones aliorum: de quo agit 6. Phyſ. q. 7. & ſoluit tria loca Ariſt. in contrarium adducta, explicando ſucceſſionem lationis prouenire ex diuiſibilitate ſpatij,vel mobilis,& alterum horum ſufficere. Leuchet. hic benè examinat difficultates philoſophicas huius literæ, per ſex concluſ.

36. AD tertiam [a] argumentum principale quæſtionis quando dicitur, quòd Angelus non poſſit moueri,quia eſt indiuiſibilis,quamuis poteſt faciliter reſponderi,quòd Angelus occupat locum diuiſibilem,& ideò reſpectu loci ſe habet,ac ſi eſſet diuiſibilis: aut ſi occupat locum punctalem,& ita vt punctaliter exiſtens non poteſt continuè moueri, vt ſemper habeat *eſſe* punctale. Tamen quia non videtur ratio, quare negatur indiuiſibile moueri, etiam ſi eſſet indiuiſibile quantitatis per ſe exiſtens: ideò poteſt concedi, quòd Angelus habens, *vbi* punctale, poteſt continuè moueri, vt in puncto ſemper exiſtens.

Poſitum num. 5.

Vide Sco. 6. Phyſ. q. 7.

Et iſtud quod aſſumptum eſt de indiuiſibili, probatur multipliciter. Primò, quia ſphæra ſuper planum mota, deſcribit in plano lineam:& tamen non tangit niſi in puncto:ergo illud punctum pertranſit totam lineam: & tamen non propter hoc tota linea illa,quæ ſic pertranſitur à puncto componitur ex punctis:ergo à ſimili, nec hoc ſequeretur ſi ille punctus eſſet per ſe.

Sphæra ſuperplanum mota tantum tangit lineam.

Hîc reſpondetur multipliciter: primò, quòd non eſt ſphæricum in natura, ſed tantùm in intellectu, vel imaginatione. Sed hoc nihil eſt [b] quia cœlum ſimpliciter eſt ſphæricum: & tamen dato quòd non eſſet aliquod ſphæricum in natura, adhuc non eſſet contradictio ex parte ſphæræ, & plani,quòd hoc ſuper illud moueatur, vt ſphæra ſuper planum:eſſet autem contradictio,ſi ex motu indiuiſibilis ſuper aliquid, ſequeretur ipſum eſſe indiuiſibile,vel componi ex indiuiſibilibus.

Aliter dicitur,[c] quòd naturalis ſphæra tangit planum in linea, non in puncto. Sed hoc videtur impoſſibile:quia quod applicatur lineæ circulari, ita quòd eam totam tangit neceſſariò eſt circulare: quia quælibet pars lineæ circularis eſt circularis, ſicut linea recta eſt in qualibet parte recta: nam rectæ lineæ nulla pars eſt circularis, vel curua.

Quod tangit totum circulũ eſt circulare.

Aliter dicitur, [d] quòd quia punctus ille per accidens mouetur, ideò non oportet, quòd commenſuret ſibi ſpatium ſuper quod mouetur: ſphæra autem per ſe mouetur, & etiam eſt diuiſibilis. Sed contra [e] iſtud, quia quamuis pars in toto moueatur per accidens: tamen ſemper eſt in ſpatio ſibi æquali, & per tranſeundo illa,deſcribit totum ſpatium: imò ſi albedo, quæ magis mouetur per accidens moto quanto,quàm aliquid, quod

6. Phyſ. tex. 86. Motum sẽper in ſpatio ſibi æquali.

quod eſt pars, vel terminus quanti, ſecundùm quantitatem ſuam, quam habet per accidens, comparetur ad ſpatium, adhuc eius quantitas accidentalis commenſuraretur ſpatio: vnde non videtur quòd quantùm ad commenſurationem, aliquid auferat moueri per accidens aliter, quàm per ſe moueri. Item, linea iſta ſuppoſita non commenſuratur ſphæræ: quia tunc eſſet corpus ſphæricum, ſed commenſuratur alicui moto ſuper ipſam: ergo tantùm puncto motò ſuper eam.

Tunc tota ſphæra eſſet in vacuo, & ſolum punctum tangeret plenum.

Si etiam ponatur, [f] ſphæram eſſe in vacuo, & ſolam lineam eſſe plenam, & per impoſſibile ſphæra poſſet moueri in vacuo, & iſte punctus ſuper lineam plenam, illa linea plena non deſcriberetur, niſi præcisè ex puncto illo, & ita ſequitur propoſitum ex iſtis.

Præterea, accipiatur ε corpus cubum, & moueatur prima ſuperficies eius: vel ſemper eſt in aliquo ſibi æquali, & ita in ſuperficie: vel correſpondet ſibi aliquid in magnitudine ſuppoſita, puta linea, & ſic ſemper pertranſeundo priùs aliquid magnitudinis quàm aliud pertranſit totam magnitudinem: ergo tota magnitudo ſuppoſita componitur ex linea, ſi ratio illorum valeat.

Cubus habet ſex ſuperficies vt alea, cuius quælibet linea terminans terminat duas ſuperficies, & in quiete tangit lineã tantum, ſed in motu partem.

Præterea, ſignetur punctus primus in linea, ſuper quam alia linea mouetur; iſte punctus in linea ſuppoſita deſcribit totam lineam motam: quia ſicut ſemper quicunque punctus lineæ motæ eſt continuè in alio, & alio puncto lineæ ſuppoſitæ: ita eſt è conuerſo, quicunque punctus lineæ ſuppoſitæ ſupponitur alij, & alij puncto lineæ motæ: & tamen cum omnibus iſtis ſtat continuitas motus.

Succeſſio lationis ex diuiſibilitate mobilis vel ſpatij.

Poteſt ergo concedi (cùm non videatur niſi fuga dicere de moueri per accidens) quòd indiuiſibile poſſet per ſe moueri, ſi per ſe eſſet, & tamen continuè: nec ex hoc ſequeretur magnitudinem pertranſitam eſſe compoſitam ex indiuiſibilibus. Propter tamen [h] intentionem Ariſtotelis, qui allegabatur, oportet intelligere, quòd in motu locali eſt ſucceſſio ex duplici cauſa, videlicet ex diuiſibilitate mobilis, & ex diuiſibilitate ſpatij, quarum vtraque cauſa ſi eſſet per ſe, & præciſa, eſſet ſufficiens ratio ſucceſſionis. Nam quodlibet mobile priùs pertranſit vnam partem ſpatij quàm aliam: & ita eſſet ſucceſſio ex parte ſpatij, comparando idem mobile ad diuerſas partes eius: quodcunque etiam idem in ſpatio, priùs pertranſit mobile ſecundùm primam partem ſui mobilis, quàm ſecundùm ſecundam: & ita eſſet ſucceſſio ex parte mobilis, comparando ad quodcunque idem in ſpatio: ita etiam poſſet aſſignari in motu alterationis, & fortè in motu augmentationis.

An punctum ſit alterabile, vide Sco. 4. d. 10. q. 9. ad 2.

Negat igitur Philoſophus, & benè, quòd indiuiſibile quantùm eſt ex ſe, poſſit moueri, vel mouere, ita quòd ex eius parte poſsit accipi continuitas motus, ita quòd ſit mobile habens in ſe rationem completam mobilis continui, quia non habet in ſe, quod continuè moueatur: non tamen eſt illud, cui repugnat continuè moueri, vel mouere, accipiendo ab alio continuitatem motus.

6. Phy. t. 7. Quod mouetur partim eſt in termino à quo & partim ad quẽ, explicatur Id eſt ſub mutato eſſe continuãte partes motus, & ſub vbi quod etiã ſubeſt mutationi, quia ſi mobile eſt in alio pũcto, eſt in alio vbi. Tex. com. 89.

Et iſtud [i] concludunt rationes ſuæ, & non plus, ſicut patet diſcurrendo per rationes eius omnes: cùm enim primò accipitur, quòd omne quod mouetur partim eſt in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: verum eſt, ſi ſit tale mobile, ex cuius ratione ſit ſucceſſio motus: tale enim mobile eſt ſecundùm partem: & partem ſui in termino, & in termino: & non ita ſolùm, ſed ſecundùm idem ſui eſt partim in termino vno, & partim in alio, hoc eſt in aliquo medio non quieſcendo: ſed inquantùm eſt aliquid vtriuſque, hoc eſt inquantum eſt per quod tendit ab vno in alterum, hoc eſt dictu, quòd eſt ſub mutatione, & ſub aliquo ſubiacente mutationi, & ſic continuat partes motus.

Cùm autem accipitur indiuiſibile, non poteſt eſſe partim in vno termino, & partim in alio, quia non habet partes: verum eſt de prima partibilitate: & ideò concludendo, quòd ſic non eſt mobile, concedo: falſum autem eſt de ſecunda partibilitate.

Tex. com. 89.

Ad aliud cùm dicitur, [k] quòd priùs pertranſit omne mobile æquale, vel minus quàm pertranſit maius. Reſpondeo, & dico, quòd *pertranſiri* poteſt accipi pro tranſitione diuiſibilis, vel indiuiſibilis: ſi indiuiſibilis, falſa eſt propoſitio, ſi intelligatur, quòd ante omne *pertranſire* maius vniuerſaliter, pertranſeat indiuiſibile æquale: tunc enim oporteret concedere, quòd eſſet dare primam mutationem in motu locali, quod etiam nec ipſi peruerſores Ariſtotelis, non expoſitores, dicentes ipſum retractare quod dicit in 6. Phyſic. poſſunt rationabiliter dicere quòd in 8. contradicat ſibi ipſi: non ergo oportet, quòd omnem tranſitionem ſucceſſiuam, quæ eſt maior ipſo mobili, præcedat pertranſitio indiuiſibilis.

Si autem intelligatur de pertranſitione diuiſibilis: tunc poteſt intelligi de toto, non

ratione

ratione totius, ſed ratione partis: & hoc non comparando partem ad *vbi* ſibi æquale, & totum ad *vbi* ſibi æquale: quia continuum eſt, cuius motus eſt vnus, & indiuiſibilis, ex 5. Metaph. & ita ſimiliter pertranſit pars ſpatium ſibi correſpondens, & totum mobile ſpatium totum ſibi correſpondens: ſed intelligendo reſpectu alicuius certi, & determinati puncti in ſpatio, priùs pertranſit totum ratione partis alicuius illud punctum, & in hoc quod pertranſit illud, pertranſit aliquid minus ſe, loquendo de *vbi* alio à ſuo primo *vbi* totali, quàm ſic pertranſeat æquale, vel maius: & hoc eſt per accidens inquantùm mobile poteſt habere *vbi* minus ſuo totali *vbi*. *T. 8. & 5. Phy. t. 23.*

Sed ſi loquamur de *vbi* maiori, & minori, & æquali, ſecundùm quæ attenditur immediatè continuitas motus, quorum infinita ſunt aliquid primi *vbi*: ſimpliciter priùs pertranſit maius ſe quàm æquale ſibi.

39. Ad propoſitum igitur, ſaluando illud quod eſt de per ſe ratione motus continui, non oportet ſaluare illud, quod non eſt de per ſe ratione eius. Et ſi obiicis, [1] quod quicquid ſit de ratione Ariſtotelis in ſe, ſemper iſte punctus eſt in ſpatio ſibi æquali, & ſic pertranſit totum: ergo commenſurat totam lineam ſuppoſitam, & ita illa linea ſuppoſita erit compoſita ex punctis; dico quod ſemper, id eſt, in quolibet indiuiſibili, eſt in ſpatio ſibi æquali, non autem ſemper, id eſt, in quacunque parte temporis. *Quomodo punctus moueri poſſit ſuper planum, quin hoc ſit ex tantũ punctis? Scot. 6. Phyſ. q. 7.*

Idem argui poteſt [m] de ſuperficie prima corporis cubi, quia licèt in quolibet *nunc* temporis ſupponatur præcisè lineæ, ſuper quam mouetur; tamen in tempore medio inter duo inſtantia, fluit ſuper medium continuum inter illa extrema.

Ad vltimam rationem, [n] benè concedo, quòd omni tempore dato contingit accipere minus tempus: ſed ex hoc non ſequitur in illo minori tempore poſſe moueri minus mobile, niſi loquendo de mobili continuo, quod erat ex parte ſui cauſa continuitatis motus.

COMMENTARIVS.

1. **n. 5. Quomodo Angelus poſſit moueri in motu continuo.*

a REſpondet Doctor ad tertium argumentum: & primò dicit, quòd licèt Angelus ſit indiuiſibilis, tamen quia occupat locum diuiſibilem, quia poteſt eſſe in tanto loco definitiuè, vt ſuprà patuit, *quæſt. 6. præſentis diſtinctionis*, & ſic poſſet moueri localiter motu continuo, ita quòd ſucceſſio continua motus localis ſumeretur ex ſucceſſione partium loci, ita quòd ſucceſſiuè pertranſiret illud ſpatium. Sequitur, *aut ſi occupat locum punctualem, & ita vt punctualiter exiſtens non poteſt continuè moueri, vt ſemper habeat* eſſe *punctuale*. Vult dicere Doctor quòd ſi Angelus eſſet tantùm in loco punctuali, vt ſic, non poſſet moueri motu continuo, cùm ſemper in tali ſpatio haberet *eſſe* punctuale: punctus enim non poteſt continuari puncto, ſicut nec indiuiſibile indiuiſibili vt ſuprà patet. Sequitur, *Tum quia non videtur ratio*, &c. Hìc Doctor intendit probare, quòd indiuiſibile etiam quantitatiuum, ſi eſſet per ſe exiſtens, poſſet moueri localiter motu continuo, ſi moueretur ſuper aliquod ſpatium continuum. Et primò probat, quia ſphæra ſuper planum mota deſcribit in plano lineam, & tamen non tangit planum niſi in puncto: ergo punctum ſphæræ pertranſit totam lineam, quæ tamen linea ex hoc non erit compoſita ex punctis.

2. *An cœlum ſit ſphæricum.*

b *Sed hoc nihil eſt.* Hìc dupliciter reſpondet. Primò, quòd cœlum eſt ſimpliciter ſphæricum. Secundò, dato quòd non ſit ſphæricum de facto, tamen eſt poſſibile dari ſphæricum perfectum moueri ſuper planum perfectum. Sequitur, *Eſſet autem contradictio, ſi ex motu diuiſibilis*, &c. Dicit in ſententia, quòd indiuiſibile moueri ſuper planum, & tale motum eſſe continuum, & compoſitum ex ſemper diuiſibilibus nulla apparet contradictio; ſi verò talis motus eſſet compoſitus ex indiuiſibus, vel ſpatium ſupra quod mouetur indiuiſibile ex tali motu, ſequeretur componi ex indiuiſibilibus, eſſet contradictio indiuiſibile hoc modo moueri.

c *Aliter dicitur, quòd naturalis ſphæra tangit planum in linea, & non in puncto*, & ſic falſum eſt dicere, quòd punctus ſphærici moueatur. Contra hoc arguit Doctor, quia tunc ſequeretur, quòd linea ſupra planum eſſet circularis, & eſſet recta, vt patet, ſicut quælibet pars ſphærici eſt ſphærica, vt probatur in Aſtronomia, & quælibet pars circularis, vel circuli eſt circularis; & non intelligitur, quòd quælibet pars ſit circularis, ſed quòd prætendit, ſcilicet principiatiuè circularitatem, quia ſcilicet eſt curua, & non recta; linea corporis ſphærici eſt circularis, etiam quælibet pars ipſius; ergo ſi corpus ſphæricum tangeret planum in linea, & moueretur ſuper planum motu recto, certum eſt, quòd ibi efficeretur linea recta, & per te tantùm tangit in linea, quæ eſt circularis: ergo illa linea eſſet circularis, & recta, quod eſſet impoſſibile.

d *Aliter dicitur, quòd quia punctus ille per accidens mouetur*, &c. Iſta litera ſupponit vnum, ſcilicet quòd illud, quod mouetur ſuper aliquod ſpatium, ita quòd partibiliter pertranſit illud, in alio inſtanti eſt in alia, & alia parte ſpatij: non eſt autem neceſſe, quòd illud, quod mouetur per accidens, puta ad motum alterius, commenſuret ſibi ſpatium, ſuper quod eſt motus: cùm ergo punctus tantùm moueatur per accidens ſuper plano, quia ad motum ſphæræ non erit neceſſe ipſum commenſurari ſpatio, & ſi non commenſurat ſibi ſpatium, non mouetur localiter.

e *Sed contra iſtud.* Hìc Doctor probat, quòd *quamuis pars in toto moueatur per accidens, tamen ſemper eſt in ſpatio ſibi æquali*, &c. Dicit quòd quando aliquod album mouetur ſuper aliquod ſpatium, illa albedo, quæ mouetur per accidens, commenſuret illud ſpatium per accidens, quia ſi 3.

eſſet

eſſet ſeparata, adhuc commenſuraret. Sic tamen intelligendo, quòd ſi albedo per poſſibile eſſet ſeparata, & haberet illam extenſionem, quam habet vt vnita quanti, quòd tunc præcisè occuparet tantum locum ſeparata, quantum coniuncta. Si etiam intelligatur non extenſa, ſed tantùm exiſtétia albedinis, ſi vt in ſubiecto occupat ſpatium, puta indiuiſibile, quia vt ſic, in extenſa eſt omninò indiuiſibilis, adhuc ſeparata præcisè occuparet idem ſpatium: ergo à fortiori punctus, cùm ſit pars quantitatis, vel ſaltem intrinſecum ipſi quanto, cuiuſmodi non eſt albedo, ſi eſſet per ſe ſeparatus, commenſuraret ſpatium, tranſeundo illud.

4. f *Si etiam ponatur ſphæram eſſe in vacuo, & ſolam lineam eſſe plenam.* Hîc Doctor reſpondet tacitæ obiectioni, quia fortè aliqui dicerent non eſſe poſſibile ſphæram tantùm tangere planum in puncto, quia etiam tangit medium, ſcilicet aërem, & ita aërem ſibi commenſurat, ideò Doctor ad hoc euitandum ponit caſum de vacuo, puta quòd ſit vacuum, & in vacuo ſit planum, & ſphæra, & per impoſſibile moueatur ſphæra in vacuo ſuper planum, tunc manifeſtum erit, quòd non tangit niſi in puncto. Et notandum eſt, quòd aliqui voluerunt vacuum eſſe locum nullo corpore repletum, aptum tamen repleti. Aliqui verò eſſe ſpatium nullo corpore naturali repletum, tamen repletum corpore Mathematico, & tunc dimenſiones manent in vacuo, ſicut ſi deſtrueretur tota ſubſtantia aëris, & omnis qualitas naturalis, ſola quantitate aëris remanente, ſic eſſet vacuum dimenſionatum, loquendo de vacuo, primo modo, nihil poſſet ibi moueri, ſecundùm Commentatorem, & ſi eſſet graue, deſcenderet in inſtanti. Nec ſimiliter ſecundo modo, quia tales dimenſiones non ſunt natæ cedere alicui corpori, & ita ſi illud mobile ſit corpus, non cedent ei, ſed ſi per impoſſibile moueretur per illud vacuum, dimenſiones vacui penetrarent dimenſiones illius mobilis, & ita duo corpora eſſent in eodem. Et ſic Doctor accipit *vacuum* hîc.

5. *Corpus cubum quid ſit.* g *Præterea accipiatur corpus cubum.* Hîc intendit ſecundò principaliter probare indiuiſibile de prædicamento Quantitatis poſſe moueri. Et primò de corpore cubo figurato ad modum taxilli habens ſex ſuperficies, ſi moueatur ſuper magnitudine habet tale corpus lineam terminantem duas ſuperficies, cùm quælibet eius linea terminans terminet duas ſuperficies, vt patet, tunc ſi moueatur, eius lineæ correſpondet linea in magnitudine in inſtanti quietis, ſed dum mouetur, non correſpondet ei linea in magnitudine, ſed continuum, & tamen deſcribit ſuperficiem in magnitudine, non conſtitutam ex lineis; igitur ſic faceret linea, ſi eſſet ſeparata à ſuperficie, & ſic moueretur ſuper magnitudine ſemper, id eſt, in omni inſtanti commenſuraret ſibi lineam in magnitudine ſuppoſita, & in tempore flueret ſuper continuum. Patet etiam hoc; ſi ponantur duæ lineæ, quarum vna ſupponatur alteri, patet, quòd punctus lineæ inferioris deſcribit lineam ſuperiorem, & hoc poſito quòd linea ſuperior moueatur ſuper lineam inferiorem, & tunc etiam punctus lineæ ſuperioris deſcribit totam lineam inferiorem, & tamen neutra eſt compoſita ex punctis: ſicut igitur non ſequitur, hic punctus lineæ deſcribit lineam; igitur linea eſt conſtituta ex punctis; ita non ſequitur, punctus ex ſe monetur, deſcribendo lineam: igitur illa linea eſt conſtituta ex punctis; & ſi iſtæ conſequentiæ valerent de puncto ſeparato à linea, quare non de puncto coniuncto lineæ: & quare non valeret de linea corporis cubi, quia ipſa deſcribit totam ſuperficiem magnitudinis, quare igitur illa ſuperficies non componeretur ex ſuperficiebus? Dicit igitur Doctor quantùm ad iſtud, quòd cùm non videatur, niſi fuga, & non vera ſolutio de motu per accidens, quòd valet, punctus mouetur per accidens, ideò non deſcribit lineam, nec commenſurat eam ſibi; imò deſcribit, & commenſurat, eo quòd ſibi conuenit menſurare, vt infrà patebit. Dicit igitur Doctor hanc concluſionem de indiuiſibili, quòd diuiſibile poteſt moueri per ſe, ſi per ſe eſſet, & motu continuo, nec ex iſto dicto ſequitur magnitudinem, ſuper qua moueretur, eſſe compoſitam ex punctis.

Indiuiſibile an poſſit moueri.

6. h *Propter tamen intenſionem Ariſtotelis.* Hîc intendit primò aſſignare cauſam ſucceſſionis in motu locali, & ſic oſtendere quomodo indiuiſibile de genere Quantitatis poſſit localiter moueri. Secundò exponit auctoritates Philoſophi. Quantùm ad primum dicit, quòd duplex eſt cauſa ſucceſſionis in motu locali, ſcilicet diuiſibilitas ſpatij, & diuiſibilitas mobilis, & vtraque per ſe, & ſeorſum ſumpta eſt ſufficiens. De prima patet, quia mobile priùs pertranſit vnam partem ſpatij, quàm aliam, comparando mobile ad diuerſas partes ſpatij. De ſecunda etiam patet, quia ſi per poſſibile mobile diuiſibile pertranſiret punctum, adhuc ſucceſſiuè pertranſiret, quia priùs ſecundùm vnam partem ipſius mobilis, & poſteriùs ſecundùm aliam partem, & ſic de aliis, vt patet de facto, quando mobile pertranſit aliquod ſpatium, priùs ſecundùm vnam partem tranſit punctum ſignatum in ſpatio, & poſteriùs ſecundùm aliam partem. Et addit, quòd etiam in motu alterationis poſſet aſſignari cauſa ſucceſſionis, tam ex parte mobilis, quàm ex parte formæ; patet, quia ex diuiſibilitate formæ mobile priùs recipit vnam partem formæ, quàm aliam: ex parte etiam mobilis patet, quia priùs alteratur ſecundùm vnam partem, quàm ſecundùm aliam, & addit, quòd etiam hæc duplex cauſa fortè poſſet aſſignari in motu augmentationis, licèt hoc ſit magis difficile, quia non videtur poſſe aſſignari mobile indiuiſibile, quod ſit quantitatis ſucceſſiuæ ſuſceptiuum; in alteratione verò facilè aſſignari poteſt, quia punctus exiſtens in quanto alteratur, & ſucceſſiuè ſucceſſione partium formæ. Sed an indiuiſibile poſſit alterari, patet de indiuiſibili ſubſtantiali, quia Angelus poteſt recipere aliam, & aliam cognitionem. Sed an indiuiſibile quantitatiuum, vt punctus, poſſit recipere aliquam quantitatem. Dico, quòd non poteſt recipere certam quantitatem certæ intenſionis, vt tenet Doctor *in quarto, diſtinct. 10. queſt. 9. reſpondendo ad 2. arg. principale.* Alij tamen dicunt, quòd punctus eſt alterabilis per accidens ad alterationem partium, quas continuat ad inuicem, ſed quicquid ſit, patrum curandum eſt. Deinde addit Doctor, quòd Philoſophus benè negat punctum poſſe moueri localiter quantùm eſt ex ſe, id eſt, quòd ex parte eius poſſit accipi continuitas motus, cùm non habeat partes, non tamen indiuiſibile eſt illud, cui repugnat mouere, aut moueri, accipiendo continuitatem, & ſucceſſionem motus ſui à ſpatio.

An punctus poſſit moueri.

7. i *Et iſtud concludunt rationes ſuæ.* Hîc dicit, quòd rationes Ariſtotelis, quibus probat indiuiſibile

ſibile non poſſe moueri motu continuo,ſiue ſucceſſiuo, probant tantùm de ſucceſſione, quæ eſt ex parte mobilis,& ſic indiuiſibile non mouetur motu ſucceſſiuo,& continuo, cùm in ipſo nulla ſit ſucceſſio partis,& partis:ſed non concludunt de ſucceſſione,quæ eſt ex parte ſpatij,ſuper quod mouetur indiuiſibile,& hoc eſt quod dicit.Cùm ergo dicit Ariſtot. 6. *Phyſic. tex. comm.* 7. quòd omne quòd mouetur, partim eſt in termino *à quo*,& partim in termino *ad quem*, verum eſt de mobili diuiſibili,quia ſecundùm partem, & partem ſui eſt in termino & termino : non enim eſt totaliter in termino *à quo*, quia tunc quieſceret; nec totaliter in termino *ad quem*, quia iam eſſet motum,& non moueretur,vt patet à Philoſopho vbi ſuprà. Sequitur, *& non ita ſolùm, ſed ſecundùm idem ſui eſt partim in termino vno, & partim in alio,hoc eſt in aliquo medio non quieſcendo.* Dicit Doctor,quòd diuiſibile, puta corpus pedale,quod dicatur A, quod moueatur ſuper ſpatium quadrupedale,& dicatur B,A ſecundùm aliam,& aliam partem eſt in termino *à quo*, & in termino *ad quem* ipſius B,& ſic eſt ibi ſucceſſio,& non ſolùm hoc, ſed etiam accipiendo idem mobile A,ſecundùm idem *eſſe* ſui, eſt partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, ſupple in aliquo medio ſpatij B, non quieſcendo, ſed inquantùm ipſum medium ſpatij eſt aliquid vtriuſque, ſcilicet termini *à quo*, & termini *ad quem* ſpatij B. Sequitur, *hoc eſt,inquantum eſt,per quod tendit ab vno in alterum,* id eſt, quòd ipſum medium ſpatij B,eſt illud,per quod mobile A, tendit ab vno termino in alterum, ſcilicet à termino *à quo*, ad terminum *ad quem* : nam mobile A, quod tranſit ſuper ſpatium B, antequam ſit ſub termino *ad quem*:oportet quòd priùs ſit ſub medio inter terminum *à quo*,& terminum *ad quem*. Sequitur.

Quomodo ſit intelligenda propoſitio Ariſt.

8. *Hoc eſt dictu, quòd eſt ſub mutatione*,&c. Hæc litera ſic exponitur. Nam cùm mobile mouetur à termino *à quo*, alius motus ad terminum *ad quem* ipſius, recedendo à termino *à quo* ſit ſub mutatione, ſiue ſub *mutato eſſe*, quod *mutatum eſſe* eſt finis partis poſterioris motus *à quo*, & principium partis prioris motus *ad quem*, ideò dicit Doctor, quòd etiam illud mobile diuiſibile mouetur motu ſucceſſiuo : accipiendo ſucceſſionem ex parte ſpatij, quia in aliquo medio ſpatij ipſum mobile ſecundùm ſe eſt ſub aliqua mutatione,ſiue *mutato eſſe*, quod continuat partem ipſius motus, ſcilicet partem *à quo*, & partem *ad quem*;& hoc eſt quod dicit,quòd eſt ſub mutatione;& immediatè addit *ſub aliquo ſubiacente mutationi*,id eſt,quòd ipſum mobile,dum eſt in medio ſpatij, non tantùm eſt ſub mutatione, modo præexpoſito,ſed etiam ſub aliquo ſubiacente mutationi,id eſt, ſub aliquo *vbi*, quod ſubeſt mutationis. Nam mobile, vt mouetur ſuper aliquod ſpatium ſemper,vt eſt in alio,& alio puncto ſpatij eſt in alio, & alio *vbi*, vt ſuprà declaratum eſt de loco Angelorum, *quæſt.6. præſentis diſtin.* & ſicut ipſum mobile vt in medio eſt ſub mutatione, ſequitur etiam,quòd ipſum *vbi* in quo eſt,ſit ſub mutatione.

Sequitur. *Cùm autem accipitur indiuiſibile*, &c. Hic Doctor concedit, quòd indiuiſibile non poteſt eſſe in termino *à quo*, & in termino *ad quem*,ratione ſuarum partium, cùm non habeat partes, ſed benè poteſt eſſe ſub termino *à quo*, & *ad quem* ratione ſpatij:vt enim ipſum indiuiſibile eſt in aliquo medio alicuius ſpatij ratione illius medij poteſt dici eſſe ſub termino *à quo*, & *ad quem* modo præexpoſito.

Nota.

k *Ad aliud,cùm dicitur, quòd priùs pertranſit omne mobile æquale.* In hac litera tam difficili multa ſunt notanda. 9.

Primò, quòd indiuiſibile, quando pertranſit ſpatium,puta pedale,ſemper pertranſit maius, & hoc patet, quia indiuiſibile, dum eſt in aliquo ſpatio, eſt tantùm in puncto illius ſpatij : ſi ergo pertranſiret minus ſe, tunc punctus in quo eſſet, eſſet diuiſibilis, ſi etiam primò pertranſiret ſibi æquale, tunc primò pertranſiret punctum ſpatij pedalis,& ſic reſpectu motus ſuper planum pedale daretur prima mutatio, quod patet ; ex quo enim tranſit punctum in inſtanti, & totum ſpatium ſequens in tempore,illa tranſitio puncti eſſet inſtantanea mutatio, & ſic alicuius motus daretur prima mutatio, quod ſubtiliter ſuprà improbatum eſt. Eſt etiam contra Ariſtotelem ſexto Phyſicorum, vbi vult, quòd in quolibet motu ante omne *mutatum eſſe* ſit moueri, & è contra, licèt aliqui peruerſores Ariſtotelis, & non expoſitores,vt Auerroiſtæ, velint quòd Ariſtoteles retractauerit illud, & volunt, quòd detur prima mutatio, & ſic vt dicit Doctor, ſi volunt ipſum retractare in octauo Phyſicorum, quod dixit in ſexto,poſſunt rationabiliter dicere,quòd in octauo contradicat ſibiipſi. Dicit ergo Doctor infrà: non ergo oportet, quòd omnem tranſitionem ſucceſſiuam,puta ſi mobile ſit ſemipedale,& ſpatium ſuper quod mouetur, quòd ſit pedale, in quo eſt ſucceſſio, vel tranſitio, præcedat pertranſitio indiuiſibilis, imò ſemper præcedit tranſitio diuiſibilis : nam data quacumque tranſitione ſuper ſpatium, ſemper erit diuiſibilis in infinitum, cùm quælibet pars ſpatij ſit diuiſibilis in infinitum, & ſic non poteſt dari aliqua prima tranſitio reſpectu alicuius motus. Tenendo tamen, quòd punctus mouetur motu continuo, tunc dico, quòd ſemper tranſit maius *vbi* ſibi adæquato, quia vt eſt in *vbi* adæquato,eſt præcisè in puncto ſpatij ; & cùm mouetur recedendo à ſuo *vbi*, tranſit partem ſpatij diuiſibilem, & ſic tranſit maius ; ſed hîc oportet dicere alterum, vel daretur prima mutatio in motu locali, quam etiam aduerſarij negant in motu locali, licèt ponant primam mutationem in motu alterationis, vel augmentationis, vel oportet ponere indiuiſibile, nullo modo poſſe moueri localiter motu continuo.

Secundò dicit,quòd loquendo de diuiſibili,puta de aliquo corpore pedali, quod mouetur ſuper ſpatio pedali, quòd tale corpus pertranſit minus, non ratione ſui,ſed ratione partis,non comparando partem ad locum ſibi æqualem,nec totum ad locum ſibi æqualem,ſed comparando ad certum punctum indiuiſibilem in ſpatio, quia vt ſic, mouetur, tranſeundo minus, ſecundùm quòd pars præcisè tranſit punctũ ſignatum,quod eſt diſcontinuum alteri puncto ſignato, cùm non ponatur pars, quia duo *vbi*, ſiue mille, vt præcisè ſunt in punctis ſignatis,& in pũcto ſignato,ponitur pars habere *vbi*,ſunt *vbi* diſcontinua, & hoc eſt quod dicit,vt pars non comparatur loco æquali,ſi enim pars comparetur loco æquali, & totum loco ſibi æquali,& moueatur totum motu continuo, tunc pars ſemper tranſibit maius, & totum ſimiliter ſimul tranſibit maius recedens à loco ſibi æquali; & ſi poneretur, quòd tantùm pars moueretur 10.

tranſeundo maius, & totum ſimul non moueretur, ſed ſtatim poſt motionem partis moueretur, tunc motus totius, & partis non eſſent vnus motus, imò neceſſariò eſſent duo motus.

Hìc nota, quòd corpus pedale, quod dicatur A, & locus ſuper ſpatio pedali ſibi correſpondens, vel æqualis erit ſpatium pedale, & dicatur B, accipio aliquam partem paruam ipſius A, & illa ſit quantitas digitalis, & dicatur C, locus correſpondens ſibi in ſpatio erit ſpatium digitale. Dicit ergo Doctor, quòd ſi pars illa C pertranſibit locum ſibi æqualem, etiam ipſum A pertranſibit locum ſibi æqualem, ad hoc, quòd motus ſi continuus, quod patet. Dicimus enim motum alicuius mobilis eſſe continuum, cùm continuatur motui partis: ſi ergo C tranſiret locum ſibi æqualem, & A, ſimul non tranſiret, tunc ille motus non eſſet continuus: patet, quia non eſſet indiuiſibilis, quòd requiritur ad motum continuum: eſſet enim diuiſibilis, quia alius, & alius motus: nam vnus eſt reſpectu partis tranſeuntis locum ſibi æqualem, & alius eſſet reſpectu totius tranſeuntis locum ſibi æqualem, ita quòd inter iſtos duos motus eſſet quodammodò quies media, ſi pars prius pertranſit, & hoc eſt quod dicit Doctor ibi, *& hoc non comparando partem ad vbi ſibi æquale*, &c.

11. Sequitur infrà: *Sed intelligendo reſpectu alicuius certi, & determinati puncti.* Dicit Doctor quòd ipſum A, vt tranſit ſpatium bipedale priùs pertranſit minus illius ſpatij, non ratione ſui, ſed ratione partis C, ſic intelligendo, quòd quando A eſt in ſpatio pedali, & tranſit illud faciendo ſe in alio ſpatio pedali ſignato aliquo puncto in ſpatio pedalis ſequentis, ipſum C priùs pertranſit illud punctum, quàm ipſum A, & quia punctus minus eſt ipſo A, ratione ipſius C, dicimus, quòd A, ſemper pertranſit minus, quàm maius, vel æquale. Et addit Doctor, quòd hoc debet intelligi de *vbi* alio à ſuo primo *vbi* totali. Et vult hìc Doctor, vt patet, & infrà *quæſtione vltima*, quòd aliquando ſunt aliqua, *vbi* alia & alia, & diſcontinua, ita quòd mobile deſerit totaliter primum *vbi*, & fit totaliter ſub alio *vbi*, ſi modò in illo alio *vbi*, puta pedali, ſignetur punctus, tunc pars C, priùs pertranſit illum punctum, quàm ipſum A, & ſic A, ratione partis C, priùs pertranſit minus, quàm æquale, vel maius: ſed hic motus non eſt continuus, cùm illa duo *vbi* ſint diſcontinua: nam motus localis continuus eſt inter illa *vbi*, quæ ſic ſe habent, quòd vnum *vbi* eſt pars alterius; ſi modò loquamur de continuitate motus, quæ eſt inter illa *vbi*, quæ ſic ſe habent, quòd vnum eſt pars alterius,

12. *Expoſitio alio.um ſi placet.* Dicunt alij, quòd A mobile ſemper pertranſit maius ſpatium, & non minus, neque æquale. Et pono caſum, quòd ſit ſpatium bipedale, & dicatur A, in quo ſunt infinita *vbi*, quia infinita puncta in potentia, & inter quæcunque duo puncta eſt ſpatium medium, & in illo ſpatio medio ſunt infinita *vbi* in potentia, quia & infinita puncta: patet, quia quocunque ſpatio dato, illud eſt diuiſibile in infinitas partes. Pono modo, quòd omnia *vbi* totius ſpatij dicantur partes *vbi* totalis, & ſic hoc modo motus localis ſuper tali ſpatio continuatur; ſit ergo mobile A occupans ſpatium ſemipedale. Dicunt, quòd quando pertranſit ſpatium, ſemper pertranſit maius ſe, quod patet. Nam dum eſt in ſpatio ſibi æquali non mouetur localiter, dum verò acquirit punctum ſpatij immediatè ſequentis, ſpatium ſemipedale pertranſit. Maior patet, quia ille punctus pertinet ad *vbi* totale, & ſic pertranſeundo punctum illum, pertranſit totum ſpatium, in quo erat, & illum punctum ſibi additum, vel partem ſibi additam, & ſic pertranſit maius, & ſic continuando ſemper pertranſit maius vſque ad terminum quietis, nam tranſacto puncto, ipſum A, fit in loco ſibi æquali, puta bipedali; ergo & dum tranſit alium punctum, adhuc pertranſit maius, quia ſpatium ſibi æquale; & punctum additum, vel partem additam, & ſic ſemper continuando motum ſuper ſpatium; & ſic aliqui exponunt, quomodo ſemper tranſit maius, loquendo de motu locali continuo. Et licèt fortè ſit bona expoſitio, tamen ſaluo ſemper meliori iudicio, poteſt ſic exponi, quia ex quo mobile, vt eſt in ſpatio, non habet aliquam partem æquè primò ſibi immediatam, ſed ſolum punctum æquè primò ſibi immediatam, & ideò mobile primò tangit ſpatium in puncto, & ſic ſecundùm punctum primò eſt in *vbi*, tunc dico, quòd quando recedit ab ipſo *vbi* in ſpatio, & mouetur motu locali continuo, tunc tranſit maius, quia tranſit partem diuiſibilem, & ſtatim fit in *vbi* immediatè ſequens illam partem; & cùm recedit ab illo *vbi*, tranſit partem immediatè ſequentem, & ſic ſemper tranſit maius. Loquendo ergo de motu continuitatis, dicit Doctor quòd ſemper pertranſit maius, & nunquam minus, nec æquale, & hoc eſt, quod dicit infrà ibi: *Sed ſi loquamur*, &c. Quando ergo dicit Ariſtoteles quòd pertranſit prius, aut minus, aut æquale, quàm maius, debet intelligi modo præexpoſito ſuprà, de toto reſpectu partis. Et dicit Doctor quòd accidit ipſi toti ſic pertranſire minus, vel æquale, quia hoc eſt ratione partis, loquendo ſemper de alio & alio loco diſcontinuo modo præexpoſito. Si verò mobile non haberet partes ſemper pertranſiret maius, loquendo de quocunque loco, ſiue continuitatis, ſiue non, & ſic patet iſta litera.

Expoſitio ad mentem propriam.

13. l *Et ſi obijcis.* Arguit Doctor, quòd ex quo punctus ſemper eſt in ſpatio ſibi æquali, quia in puncto: ergo ſi punctus pertranſit ſpatium pedale, ſemper efficiet lineam pedalem compoſitam ex punctis; patet, quia ſemper eſt in alio, & in alio puncto.

Dico, quòd ſemper. Dicit Doctor quòd punctus in quolibet indiuiſibili, ſiue in quolibet inſtanti, eſt in ſpatio ſibi æquali, ſcilicet in puncto, non autem ſemper, accipiendo ly *ſemper* pro quacunque parte temporis, quia data quacunque parte temporis ſemper erit in ſpatio diuiſibili: ſicut dicimus etiam de mobili diuiſibili, quòd ſemper eſt in *mutato eſſe*, accipiendo *ſemper* pro quolibet inſtanti temporis menſurantis motum illum, quia in quocunque inſtanti illius temporis ſemper eſt ſub alio, & alio *mutato eſſe*, non autem ſemper eſt ſub alio *mutato eſſe*; accipiendo *ſemper* pro alia & alia parte temporis, quia in quacunque parte temporis menſurantis talem motum, eſt ſub alia, & alia parte motus, & non ſub *mutato eſſe*.

m *Idem argui poteſt.* Dicit Doctor, quòd ſi vltima ſuperficies corporis cubi (quod ſcilicet habet ſex ſuperficies vt taxillus) ſuperponitur lineæ præcisè, ſuper quam moueatur, licèt in quolibet inſtanti temporis ſemper ſuperponatur lineæ præcisè, vel parti ipſius, tamen in toto tempore medio inter duo inſtantia, fluit medium

diuiſibile

diuiſibile ipſius lineæ, & hoc eſt dictu, quòd quamuis illa ſuperficies, quæ ſit quantitatis vnius taxilli parui, dum mouetur ſuper lineam, quæ ſit longitudinis cubitalis, in quolibet inſtanti temporis ſemper ſuperponitur lineæ præcisè, & non ſequitur ex hoc, quòd talis motus ſit compoſitus ex indiuiſibilibus, imò ſemper ex diuiſibilibus, dum in inſtanti A ſuperponitur parti lineæ præcisè, & in inſtanti B, ſuperponitur alij parti, tamen ex quo inter duo inſtantia cadit tempus medium, ita in tali tempore medio fuit medium continuum ipſius lineæ: non ergo ſequitur ſuperficies illa, dum mouetur ſuper lineam, ſemper ſuperponitur illi in alio, & alio inſtanti: ergo mouetur in alio, & alio inſtanti; ſed ſequitur, quòd mouetur in alio, & alio tempore, cùm inter duo inſtantia detur tempus medium menſurans motum inter duo *mutata eſſe*, & ſicut inſtans temporis correſpondet *mutato eſſe*, & *mutatum eſſe* correſpondet puncto lineæ, ita tempus immediatè ſequens inſtans, menſurat motum immediatè ſequentem *mutatum eſſe*, & motus eſt continuus, quia ſuper lineam continuam immediatè ſequentem punctum.

n *Ad vltimam rationem.* Doctor ſoluit vltimam rationem Philoſophi, qua probat, quòd indiuiſibile non poſſit moueri. Et dicit concedendo, quòd omni tempore dato contingit accipere minus; patet, quia quælibet pars temporis eſt ſemper diuiſibilis in infinitum; non tamen ſequitur, quòd minus mobile poſſit moueri in minori tempore, vt patet de puncto, quod eſt mobile minimum, tamen non mouetur in non tempore, ſed in tempore. Si verò mobile eſſet cauſa continuitatis motus, minus mobile moueretur in minori tempore. Patet experimento, quia ſi accipiatur corpus tricubitale, & corpus cubitale, in maiori tempore moueretur tricubitale, quia continuitas motus acciperetur penes partes ipſius mobilis.

14. *Inſtantia cõtra ſex concluſiones.*

In iſta litera Doctoris ſunt multæ inſtantiæ contra ſex concluſiones, quæ hîc ponuntur per ordinem.

Concluſio prima: *Complexa non ſunt contradictoria, niſi accipiantur pro eodem inſtanti, ſed incomplexa ſunt contradictoria abſolutè ſumpta, non determinando ad aliquod inſtans.*

Concluſio ſecunda: *Poteſt concedi, quòd Angelus habens* vbi *punctuale poteſt continuè moueri, vt in puncto ſemper exiſtens.*

Concluſio tertia: *Indiuiſibile de genere Quantitatis poteſt moueri motu ſucceſſiuo, & verè continuo.*

Concluſio quarta: *Si punctus per ſe exiſtens tranſiret ſpatium efficeret lineam, quæ tamen non eſſet compoſita ex punctis, licèt ſemper tangeret ſpatium in puncto.*

Concluſio quinta: *Si iſta eſſet vera, quòd indiuiſibile ſemper tranſit minus, vel æquale, quàm maius tunc dabilis erit prima mutatio in motu locali.*

Concluſio ſexta eſt. *Punctus poteſt moueri motu alterationis, & fortè motu augmentationis.*

Contra primam concluſionem, quæ talis eſt: *Complexa non poſſunt eſſe contradictoria*, &c.

Contra primam partem primò, quia quæcunque repugnant, ſuis rationibus formalibus repugnant, vt patet à Doctore *in primo, diſt. in. 2. & 13. & in tertio, diſt. 1. q. 1. & alibi*, ergo contradictoria complexa repugnant ſuis rationibus formalibus, & per conſequens non repugnant præcisè per comparationem ad aliquod inſtans.

Secundò. Iſtæ propoſitiones contradicunt, ſcilicet *omnis homo eſt animal*; *aliquis homo non eſt animal*, & tamen non contradicunt præcisè per reſpectum ad inſtans temporis; patet, quia nunquam poſſunt ſimul eſſe veræ, nec pro eodem inſtanti, nec pro alio, & alio inſtanti, nec pro eodem, vel alio, & alio tempore, vt patet.

Tertiò arguitur, quia circumſcripto omni tempore, & omni inſtanti temporis, & ſimpliciter circumſcripta omni menſura durationis. Iſtæ duæ propoſitiones non poſſunt ſimul eſſe veræ, ſcilicet *omnis homo currit*, *aliquis homo non currit*, quæ ſunt in materia contingenti: ergo non ſunt contradictoriæ per reſpectum ad inſtans temporis.

Quartò arguitur, quia multæ propoſitiones, quæ communiter tenentur contradictoriæ, poſſunt ſimul eſſe veræ in eodem inſtanti temporis: patet, tenendo dictum Doctoris *diſt. 1. huius ſecundi, q. 1.* quòd in eodem inſtanti temporis poſſunt eſſe plura inſtantia naturæ. Tunc ſic, in primo inſtanti naturæ, hæc eſt vera, *nullus homo eſt riſibilis*; patet, quia tantùm pro illo inſtanti verificantur prædicata quiditatiua, ſecundùm Doctorem, & ſimiliter hæc eſt vera in ſecundo inſtanti naturæ, *aliquis homo eſt riſibilis*, & tamen iſtæ duæ ſunt ſimul veræ in eodem inſtanti temporis, licèt oppoſitum ab omnibus teneatur. 15. *Nota.*

Quintò arguitur, quia iſtæ ab æterno contradicunt, *Pater in diuinis generat alium Deum*, pater non generat alium Deum, vt dicit Doctor *in primo, diſtinct. 4. quæſt. 1.* & tamen nullo modo comparantur ad aliquod inſtans temporis, cùm tunc non fuerit tempus, imò iſtæ duæ propoſitiones ſunt ſimpliciter incompoſſibiles, & nunquam poſſunt eſſe veræ.

Sextò arguitur contra ſecundam partem, probando quòd non dicantur contradictoria, niſi per reſpectum ad aliquid inſtans, quia datis quibuſcunque contradictoriis, quæ ſunt propriè inter affirmationem, & negationem, nunquam intelliguntur contradictoria, niſi ſimul intelligantur, quòd enim Franciſcus ſit, & non ſit, eſt contradictio tantùm pro eodem inſtanti, & non pro illo, & alio tempore, quia iſta verificantur pro alio, & alio tempore. Nam ab æterno Franciſcus non fuit, & ex tempore Franciſcus fuit: ergo. Similiter album, & non album contradicunt, & tamen non contradicunt, niſi accipiatur pro eodem, vt patet ad ſenſum.

Septimò, repugnantia terminorum eſt tantùm reſpectu ſimultatis, aliter enim non intelligitur repugnantia: nam incompoſſibilitas terminorum eſt in comparatione ad ſimultatem: ex hoc enim dicuntur incompoſſibiles, quia non ſimul compatiuntur, nec in ſe inuicem, nec in aliquo alio, ſed hæc ſimultas non poteſt accipi, niſi præcisè in eodem inſtanti, & per conſequens contradictio in terminis, quæ dicit incompoſſibilitatem terminorum non poterit eſſe, niſi ſit in eodem inſtanti.

16. Reſpondeo præmittendo aliqua. Primum, quòd contradictio in terminis abſolutè ſumptis, accipitur præcisè ex rationibus formalibus terminorum, id eſt, quòd ipſi termini primò & formaliter repugnant, & formaliter ſunt incompoſſibiles. Et ex hoc ſequitur, quòd non poſſunt eſſe ſimul, quia enim ſunt ſimpliciter incompoſſibiles ex ſuis rationibus formalibus, ideò non poſſunt eſſe ſimul, & non è contra, arguitur

quaſi à cauſa ad effectum; quia enim rationes formales terminorum ſimpliciter repugnant, ideò non poſſunt eſſe ſimul. Et ſi arguatur, non poſſunt eſſe ſimul, ideò repugnant, arguitur ab effectu ad cauſam: non enim *non ſimultas* eſt cauſa repugnantiæ, ſicut etiam compoſſibilitas terminorum præcisè accipitur à rationibus formalibus terminorum, (vt patet à Doctore in locis præallegatis) ſic & incompoſſibilitas terminorum. Et ſicut ratio compoſſibilitatis eſt cauſa ſimultatis terminorum (non autem ſimultas terminorum eſt cauſa compoſſibilitatis eorum) ſic præcisè ratio incompoſſibilitatis terminorum eſt cauſa *non ſimultatis*, & non è contra. Et ſicut termini aliqui dicuntur compoſſibiles ex rationibus abſolutis eorum, circumſcripta omni comparatione, ſiue ad tempus, ſiue ad ſubiectum, in quo ſunt ita termini, qui ſunt incompoſſibiles, circumſcripto omni reſpectu tam ad tempus, quàm ad ſubiectum, quàm etiam ad quodcunque aliud ex rationibus eorum abſolutè ſumptis dicuntur ſimpliciter incompoſſibiles.

Quæ ſint contradictoria complexa.

Præmitto etiam ſecundò, quòd contradictoria complexa dicuntur propriè, quando prædicata comparantur ad idem ſubiectum, ita quòd ſimul non poſſunt verificari de eodem ſubiecto, licèt ſucceſſiuè poſſint verificari. Licèt enim *currere, & non currere* abſolutè contradicant ex rationibus formalibus terminorum, & abſolutè repugnent, tamen non dicuntur repugnare Franciſco, niſi præcisè comparando pro eodem inſtanti, abſolutè enim non repugnant Franciſco: patet, quia aliquando poteſt currere, aliquando non currere. Et iſtæ duæ propoſitiones, *Franciſcus currit, Franciſcus non currit*, ſunt contradictoriæ, vt prædicata præcisè comparantur Franciſco pro eodem inſtanti, licèt illa prædicata ad inuicem comparata formaliter repugnent ex ſuis rationibus formalibus abſolutè ſumptis.

17. His præmiſſis reſpondeo ad rationes, & primò ad primam. Diço, quòd propoſitio Doctoris intelligitur tantùm de terminis, qui dicuntur compoſſibiles, vel incompoſſibiles ex ſuis ſolis rationibus formalibus, & non intelligitur de complexis, quæ non dicuntur repugnare, niſi pro quanto prædicata comparantur ad idem ſubiectum pro eodem inſtanti.

Ad ſecundum dico, quòd iſta prædicata, *animal, non animal* non ſolùm repugnant formaliter, & abſolutè ſumpta, ſed ſimpliciter repugnant ſubiecto, ſcilicet *homini*, ſiue ſimul, ſiue ſucceſſiuè: *non animal* enim nunquam poteſt verificari de homine. Doctor enim loquitur propriè de illis contradictoriis, quorum prædicata non poſſunt ſimul ineſſe ſubiecto, licèt ſucceſſiuè. Et poſito etiã quòd loquatur de quibuſcunque contradictoriis complexis. Dico quòd non dicerentur contradictoria reſpectu ſubiecti, niſi pro eodem inſtanti.

Ad tertium dico, quòd caſu poſito, quòd omnis menſura durationis eſſet circumſcripta in re, adhuc non dicerentur contradictoria, niſi pro eodem inſtanti, vel tempore, ſaltem ſecundùm imaginationem, ſicut Doctor loquitur ſuprà *diſt.* 1. *quæſt.* 3. & *præſenti diſtinct. quæſt.* 4. de tempore ſecundùm imaginationem.

Ad quartum dico, quòd ſi contradictio habeat accipi pro eodem inſtanti temporis, quòd illæ duæ propoſitiones contradicunt, nec ſunt ſimul veræ in eodem inſtanti temporis, & hoc accipiendo præcisè ipſum inſtans temporis: licèt enim in primo inſtanti naturæ vna ſit vera, & in eodem inſtanti, alia non ſit vera, ſed vera in ſecundo inſtanti naturæ: tamen accipiendo totum inſtans temporis, ſi in eodem inſtanti temporis totali vna ſit vera, alia in eodem totali inſtanti neceſſariò erit falſa. Et eſt pariformiter dicendum, ſicut etiam Doctor dicit ſuprà, *præſenti diſt. qu.* 1. de æternitate, quomodo in inſtanti æternitatis dicuntur contradictoria, & quomodo non, quia iſtæ ſunt ſimul veræ in eodem inſtanti æternitatis, *Franciſcus currit, Franciſcus non currit*, quia heri currebat, & hodie non currit, & tamen *heri*, & *hodie* ſunt in eodem inſtanti æternitatis, & ſic non dicuntur contradictoria: ſi tamen acciperetur inſtans æternitatis, vt præcisè coëxiſtit tempori heſterno, vel hodierno, tunc contradicerent, vt patet. Vide quæ ſuprà in locis præallegatis expoſui. Si tamen acciperetur contradictio non præcisè pro eodem inſtanti temporis, ſed etiam pro quocunque inſtanti naturæ, vel originis, tunc illæ duæ propoſitiones tantùm contradicerent pro eodem inſtanti naturæ.

Ad quintum dico, vt ſuprà dixi, quòd ſufficit inſtans æternitatis comparari ad aliquod inſtans temporis ſecundùm imaginationem.

Ad ſextum, & ſeptimum ſimul patet reſponſio ex dictis ſuprà, quòd *non ſimultas* ſequitur præcisè ex repugnantia terminorum, quæ ſumitur ex rationibus formalibus terminorum, vt ſuprà diffusè declaraui, quæ omnia benè nota.

18. *Contra concluſionem ſecundam.*

Contra concluſionem ſecundam, quæ talis eſt: *Poteſt concedi, quòd Angelus habens* vbi *punctuale, poteſt continuè moueri, vt in puncto ſemper exiſtens.* Contrà, primò ſic: nihil quòd in toto ſpatio ſemper indiuiſibiliter ſe habet, mouetur motu continuo ſuper illo ſpatio, ſed ſe habens punctualiter in toto ſpatio ſemper ſe habet indiuiſibiliter, & huiuſmodi eſt Angelus, ſi habet *eſſe* punctuale in toto ſpatio, ergo. Maior patet, quia quod mouetur localiter motu continuo, ſemper tranſit aliam & aliam partem ſpatij, ſecundùm quas eſt vera ſucceſſio motus continui, vt ſuprà patuit, & per conſequens, ſi mobile in ſe ſit indiuiſibile, reſpectu tamen ſpatij ſe habebit diuiſibiliter.

Secundò arguitur: Omne quod mouetur localiter motu continuo, ſemper acquirit alium, & alium locum diuiſibilem, aliter non moueretur motu continuo, vt ſuprà patuit; ſed in toto motu ſuper ſpatium ſemper in puncto exiſtens non acquirit alium, & alium locum diuiſibilem: patet, quia ſicut acquirens locum indiuiſibilem, & punctualem eſt in illo, ita acquirens locum diuiſibilem erit in illo, ſed ſemper in puncto exiſtens in toto ſpatio nunquam eſt in loco diuiſibili, quia in nulla parte ſpatij: ergo nihil tale mouetur localiter motu continuo.

Tertiò arguitur: Si Angelus, vt mouetur localiter ſuper ſpatio ſemper in puncto exiſtit. Quæro quando deſerit primum punctum, in quo eſt localiter, in quo fit immediatè, aut fit, vel incipit eſſe in alio puncto, aut in aliqua ſpatij parte: non primò, quia tunc non moueretur continuè, vt patet non ſecundò, quia tunc non eſſet in puncto exiſtens, vt patet.

Quartò arguitur: Si Angelus mouetur motu continuo ſuper ſpatium, aut mouetur tangendo illud, aut non tangendo. Si primò, ſequitur quòd tanget aliquam partem ſpatij, aliter non

tangeret

tangeret ſpatium; ſed ſi tangeret partes ſpatij, tunc non eſſet in illis in puncto, vt patet, & ſic non eſſet in toto ſpatio ſemper exiſtens vt in puncto. Si ſecundò, ergo non moueretur ſuper tale ſpatium, non enim videtur imaginabile, quòd A tranſeat motu continuo per medium aquæ, vel aëris, & quòd non tangat aliquam partem aquæ, vel aëris, ſicut tranſeundo ſemper tangit in puncto, vt dicit concluſio.

Quintò arguitur ſic: Quando Angelus mouetur à puncto ad punctum, aut fit in alio puncto in inſtanti, aut in tempore. Si primò ergo non mouetur motu continuo à puncto ad punctum. Si ſecundò, ſequitur quòd cùm tempus ſit menſura motus ſucceſſiui, & continui, & talis motus non poſſit eſſe niſi ſuper ſpatio verè diuiſibili, ſequitur quòd Angelus aliquando erit in tali ſpatio diuiſibili, quod eſt contra concluſionem.

19. Reſpondeo ad primum, & dico quòd maior poteſt dupliciter intelligi. Primò, quòd mobile ſemper ſe habeat indiuiſibiliter, id eſt, quòd in toto ſpatio ſit ſemper indiuiſibile, & tamen tranſeat ſpatium diuiſibile diuiſibiliter. Secundò, quòd ſemper ſe habeat indiuiſibiliter, id eſt, quòd in toto ſpatio non ſolùm ſit indiuiſibile, ſed etiam quòd tranſeat ſpatium illud indiuiſibiliter. Secundo modo maior eſt vera, & minor falſa, quia licèt Angelus in toto ſpatio ſemper ſit exiſtens indiuiſibiliter, tam ex parte ſua, quàm ex parte ſpatij, id eſt, quòd in ſe ſemper ſit indiuiſibilis, & ſemper tangat ſpatium indiuiſibiliter, quia in puncto præcisè, tamen tranſit illud ſpatium diuiſibiliter, & ſucceſſiuè, ita quòd per priùs vnam partem, & per poſteà ius aliam.

Acquirere locum diuiſibilem poteſt dupliciter intelligi.

Ad ſecundum dico ad maiorem, quòd acquirere locum diuiſibilem, poteſt intelligi, vel de loco materiali, puta de ſpatio in ſe, vel de loco formali, puta de reſpectu, ſiue de *vbi* formaliter. Si primo modo intelligitur, adhuc diſtinguo, quòd acquirere alium, & alium locum diuiſibilem poteſt dupliciter intelligi. Primò, quòd acquirat locum diuiſibilem, puta partem ſpatij exiſtendo in illo, vel illa. Secundò, quòd acquirat non exiſtendo actu in illo, vel illa, ſed ſucceſſiuè tranſeundo primo modo. Maior eſt ſimpliciter falſa, ſed ſecundo modo eſt vera, & ſic concedo, quòd Angelus acquirat ſemper aliam, & aliam partem ſpatij, non actu exiſtendo in illis, ſed ſucceſſiuè tranſeundo, ſcilicet vnam poſt aliam.

20. Ad tertium dico, quòd Angelus quando deſerit punctum, in quo actu exiſtit, fit in alio puncto. Et cùm quæritur de ly *immediatè*, dico quòd fieri in alio puncto immediatè poteſt multipliciter intelligi. Primò, quòd fiat in alio puncto immediatè, id eſt, immediato primo puncto, & hoc eſt impoſſibile, quia punctum non eſt immediatum puncto, vt patet ſexto Phyſicorum. Secundò, quòd fiat in alio puncto immediatè, id eſt, quòd fiat in illo puncto non tranſeundo per aliquod medium, & hoc non, quia tunc non moueretur à puncto ad punctum motu continuo. Tertiò, quòd fiat in alio puncto immediatè, id eſt, quòd tranſeundo ſpatium intermedium illud, quod immediatè tangit, eſt punctus, & ſic conceditur, quòd Angelus ſit immediatè in alio puncto, id eſt, quòd non acquirit aliquid immediatè tangendo illud, niſi punctum, ſed illud non poteſt tangere, niſi priùs tranſeat ſpatium diuiſibile, vel aliquam partem ſpatij diuiſibilem.

Ad quartum dico, quòd mouetur ſuper ſpatium tangendo illud præcisè in alio, & alio puncto, & nunquam tangit in aliqua parte diuiſibili. Si dicatur, quando Angelus eſt in primo puncto ſpatij pedalis, & immediatè mouetur ſuper illo ſpatio. Quæro quid immediatè tangit, non punctum, quia non eſt immediatum primo puncto, ſed aliqua pars ſpatij eſt immediata illi, quia inter punctum, & punctum eſt aliqua pars: ergo videtur, quòd per priùs tangat illam partem. Dico, quòd tangere illam partem, poteſt dupliciter intelligi, ſcilicet aut quòd tangat illam in puncto, vel in alio & alio indiuiſibili; aut quòd tangat illam in aliquo diuiſibili. Primo modo tangit partem, ſed non ſecundo modo. Si dicatur, quòd non videtur imaginabile, quòd A tranſeat, & moueatur ſuper ſpatium pedale, in quo ſunt infinitæ partes diuiſibiles inexiſtentes, & quòd nullam illarum tangat. Dico quòd ſi puncta in ſpatio eſſent ita diſtincta, quòd poſſit ſignari primum, ſecundum, tertium, & quartum, inter quæ cadunt partes diuiſibiles, fortè non eſſet imaginabile, quòd A poſſet tranſire, & moueri de puncto ad punctum, tangendo illa, & quòd nullo modo tangeret partes intermedias. Sed non eſt ſic intelligendum, ſed quia non poſſunt dari, vel ſignari duo puncta, quin inter illa duo ſint infinita, imò infinities infinita; patet, quia inter duo puncta eſt aliqua pars, quæ ſemper eſt diuiſibilis in infinitas partes, & quælibet illarum ſemper eſt diuiſibilis in infinitas partes, & ſic inter quæcunque duo puncta ſignata etiam proxima quantùm dici poſſunt, ſunt infinities infinita puncta. Et ex his patet quomodo indiuiſibile tranſeundo ſpatium tangat quamlibet partem illius ſpatij præcisè in puncto, imò non poteſt tranſire minimam partem, quin tangat infinities infinita puncta. Hoc etiam patet de corporibus, quæ mouentur localiter ſuper ſpatio, quæ quando mouentur, habent in ſpatio præcisè punctum, loquendo de loco adæquato. Priùs enim ſecundùm aliquid ſui tangit ſpatium in puncto, & ſic ſucceſſiuè ſuper totum ſpatium, vt ſuprà patuit, & tamen ſecundùm illud indiuiſibile dicitur corpus moueri localiter.

21. *Tangere partem poteſt intelligi dupliciter.*

Si iterum dicatur, tempus correſpondet motui, & motus parti diuiſibili ſpatij: cùm ergo A indiuiſibile mouetur ſuper ſpatio in tempore, quæro quid tangat: ſi punctum, Contrà, quia motus ſit ſuper diuiſibili: ſi partem diuiſibilem, ergo indiuiſibile tangit diuiſibile, & non præcisè in puncto, quod eſt propoſitum. Dico quòd dum mouetur in tempore, quòd tangit infinities partes infinitas præcisè in puncto, & nunquam in aliquo diuiſibili, quia in quacunque parte temporis ſunt infinities infinita inſtantia, & in quolibet inſtanti illius temporis eſt in aliquo puncto ſpatij, & in quolibet puncto eſt in alio, & alio *mutato eſſe*: non eſt ergo imaginandum, quòd in tempore mobile indiuiſibile nihil tangat, eo quòd tempus menſurat motum, & motus eſt ſuper diuiſibile, quia ſicut in tempore quantumcunque paruo ſunt infinitæ partes, imò infinities infinitæ, & per conſequens infinities infinita inſtantia, ſic ſimiliter eſt in motu menſurato à tali tempore, & correſpondenter eſt in ſpatio, ſuper quo fit talis motus, & ſic patet, quòd quando mobile indiuiſibile mouetur ſuper aliquo ſpatio, & talis motus menſuratus aliquo tempore quantumcunque paruo, tangit infinities infinitas partes illius

22.

ſpatij ſemper in puncto, quæ omnia benè nota.

Ad quintum, ſiue vltimum, cùm quæritur, quando Angelus mouetur à puncto ad punctum, aut fit in alio puncto in inſtanti, aut in tempore. Dico, quòd ſi mouetur motu continuo propriè accepto, quòd neceſſariò fit in alio puncto in tempore, & nullo modo in inſtanti. Et cùm inferitur, quòd cùm tempus ſit menſura motus ſucceſſiui, qui fit in aliquo ſpatio diuiſibili, quòd Angelus aliquando erit in tali ſpatio diuiſibili.

Eſſe in ſpatio diuiſibili poteſt intelligi duobus modis.

Dico, quòd eſſe in ſpatio diuiſibili poteſt dupliciter intelligi, vel quòd ſit ibi, tangendo illud indiuiſibiliter, & in puncto; aut tangendo diuiſibiliter, & non in puncto. Primo modo concedo, quòd Angelus eſſet in tali ſpatio, ſed non ſecundo modo, imò in tali tempore tangeret ſpatium in infinitis punctis.

2 3. *Contra concluſionem tertiam.*

Contra concluſionem tertiam, quæ talis eſt: *Indiuiſibile de genere Quantitatis poteſt moueri motu ſucceſſiuo, & verè continuo.* Contra hanc concluſionem poſſunt fieri omnes inſtantiæ ſupradictæ contra concluſionem ſecundam, licèt poſſint fieri aliquæ ſpeciales, ſed illæ ſufficiant.

Contra concluſionem quartam, quæ talis eſt: *Si punctus per ſe exiſtens tranſiret ſpatium efficeret lineam, quæ tamen non eſſet compoſita ex punctis, licèt ſemper tangeret ſpatium in puncto.* Contra primò, quòd nullo modo poſſit efficere lineam, oſtendo, & arguo ſic: Si punctus poteſt efficere lineam in ſpatio, puta cubitali, tranſeundo ſpatium illud, ſequitur neceſſariò, quòd tangat per longum totum ſpatium illud, ita quòd nihil ſit illius ſpatij in longum, quin tangatur à puncto: patet, quia illa linea efficeretur fluxu puncti ſuper ſpatium. Et ſi ſic ſequitur, quòd ex quo ſpatium conſtat ex diuiſibilibus, puta partibus, & ex indiuiſibilibus, puta punctis, quòd punctus tanget ſpatium illud ſecundùm partes tam diuiſibiles, quàm indiuiſibiles, quòd eſt impoſſibile.

Secundò arguitur: Si punctus tranſitu ſuo ſuper ſpatium cauſat lineam, quæro quo modo cauſat: non effectiuè. Tum, quia non ponit de genere actiuorum, tum, quia quantitas non videtur poſſe cauſari ab aliquo eiuſdem generis, vt patet: non formaliter, cùm non ſit formalis cauſa lineæ, vt patet, nec multò magis erit cauſa materialis, nec finalis, vt patet; nec cauſatur à motu ſuper ſpatium. Tum, quia ſucceſſiuum formaliter nullo modo ponitur de genere actiuorum. Tum, quia abſolutum, cuiuſmodi eſt quantitas, nullo modo poteſt cauſari à reſpectiuo, cuiuſmodi eſt motus formaliter ſumptus.

Tertiò arguitur, probando quòd linea effecta à puncto tranſeunte ſuper ſpatium, neceſſariò eſſet compoſita ex punctis. Et arguo ſic: Si linea efficitur puncto ſuper ſpatium tranſeunte, tangendo ſpatium tranſitu ſuo, ita quòd continuè tangat ſpatium, ſi enim aliquam partem ſpatij tranſiret, non tangendo illam, nihil lineæ efficeretur in illa parte, & ſic non efficeretur linea continua ſuper toto illo ſpatio, quod continuè tranſiret. Si ergo efficeret tangendo ſpatium, & non aliter, ſequitur quòd talis linea eſſet neceſſariò compoſita ex punctis, ex quo ſemper tanget ſpacium in puncto.

2 4. *Reſponſio ad concluſionem.*

Reſpondeo vt dixi ad concluſionem ſecundam, quòd tangeret ſpatium ſemper in puncto, & quòd tangendo omnem partem illius ſpatij etiam in infinitum diuiſibilem, efficit neceſſariò lineam in tali ſpatio. Eſt enim impoſſibile tranſire omnes partes alicuius ſpatij infinities infinitas, tangendo illas in puncto, quin efficiatur in tali ſpatio linea, vel realiter; vel ſaltem ſecundùm imaginationem, quæ tamen linea non erit compoſita ex punctis, ſicut nec motus, qui cauſatur, quando indiuiſibile tranſit ſuper ſpatium erit compoſitus ex punctis, vt ſuprà dixi. Si enim punctus præcisè tranſiret puncta ſignata in ſpatio quantumcunque proxima, & præcisè, tangendo illa, fortè non cauſaretur linea continua. Sed quia non poſſunt ſignari duo puncta, etiam quantumcunque proxima, quin inter illa ſint infinities infinitæ partes, quas omnes tangeret in puncto, & inter quæcunque duo puncta illarum partium infinities infinitarum, cadunt etiam infinities infinitæ, quas etiam omnes pertranſiret, tangendo illas in puncto, ideò ſic tranſeundo efficeret lineam continuam, & nullo modo ex punctis compoſitam. Et per hoc patet reſponſio ad tertium argumentum.

Ad ſecundum dico, quòd fortè non cauſaretur linea, niſi ſecundùm imaginationem; vel ſi realiter cauſaretur, dico quòd cauſaretur à puncto tantùm inſtrumentaliter, & à principali mouente punctum cauſaretur effectiuè.

Contra concluſionem quintam, quæ talis eſt: 25.
Si mobile prius tranſiret minus, vel æquale, quàm maius, loquendo de tranſitione indiuiſibili, tunc eſſet dabilis prima mutatio in motu locali. Hic poſſet multipliciter inſtari; quia tamen ſolutiones argumentorum poſſent faciliter haberi ex ſupradictis: adduco quinque rationes ſoluendas faciliter diligenter intuentibus expoſitionem literæ, & dubia ſuperiùs enucleata.

Arguitur ergo primò ſic; quia hoc idem videtur ſequi, ſi indiuiſibile tranſeat maius. Et pono caſum, quòd A indiuiſibile quieſcat per horam in puncto alicuius ſpatij, & in vltimo inſtanti illius horæ incipiat tranſire ſuper ſpatium, certum eſt, quòd tunc in illo inſtanti tranſibit maius, quia partem diuiſibilem ſpatij, & ſic illa tranſitio, cùm ſit inſtantanea, erit mutatio, & per conſequens illius motus localis ſuper ſpatio erit dabilis prima mutatio.

Secundò, quia hoc idem videtur ſequi neceſſariò, quando mobile diuiſibile mouetur ſuper ſpatio, quia primò, & immediatè tranſit æquale, quia immediatè ſecundùm partem fit in puncto, vt patet à Doctore *præſenti quæſt.* & ſic videretur ſequi, quòd in tali motu daretur prima mutatio, quod eſt incommeniens.

Tertiò arguitur contrà, quia Doctor in concluſione videtur ſupponere, quòd ſi A tranſiret minus, vel æquale, quòd tunc in motu locali daretur prima mutatio, & ſic ſupponit, quòd vt ſic, poſſet moueri motu locali, quod tamen non videtur verum, imò nullo modo moueretur motu continuo. Patet, quia ſi ſemper tranſit minus, vel æquale, & ſic tranſeundo tranſit in inſtanti, ſequitur quòd præcisè tranſibit in alio, & alio *mutato eſſe*, & ſic non erit motus.

Quartò arguitur, quia non ſequitur præcisè, tranſit primò æquale: ergo in motu locali datur prima mutatio. Et pono caſum, quòd Angelus quieſcat per horam in aliqua ſpatij parte, & in vltimo inſtanti illius horæ præcisè tranſeat punctum immediatè ſequentem, & in tempore immediato moueatur ſucceſſiuè ſuper ſpatium. Patet quòd tunc in inſtanti tranſit æquale, & ſic mutatio, quæ tamen mutatio non erit prima mutatio motus localis, cùm in illo inſtanti nullo

modo

modo moueatur, nec illa mutatio pertinebit ad motum localem immediatè ſequentem, vt ſuprà expoſui in his concluſionibus: hoc idem videtur dicendum de puncto.

Quintò arguitur: Pono quòd *A* quieſcat per horam in puncto ſpatij bicubitalis, & in vltimo illius horæ aliqua virtute tranſeat ſpatium pedale, & in tempore immediatè ſequente moueatur ſuper ſpatio aliquo, patet quòd tunc tranſit maius in inſtanti, & ſic propriè mutatur; & tamen illa mutatio non dicetur prima mutatio motus localis immediatè ſequentis.

Reſponſionem quære ex ſupradictis in aliis dubiis.

Contra ſextam. Contra ſextam, probo quòd punctus non poſſit moueri motu alterationis. Et primò arguitur ſic: Nulla forma nata informare ſubiectum diuiſibiliter, poteſt ipſum informare indiuiſibiliter: ſed qualitas corporalis, vt color, & calor, & huiuſmodi eſt forma talis: ergo. Sed ſi informaret punctum, informaret tantùm indiuiſibiliter, cùm punctus ſit ſimpliciter indiuiſibilis: ergo maior cum minori eſt nota.

Secundò, Nulla forma, quæ tantùm eſt natà informare corpus, poteſt informare non corpus: Patet, quia ſicut forma merè ſpiritualis non poteſt informare corpus, nec è contra: ergo. Sed forma qualitatiua corporis eſt tantùm nata informare corpus, cùm ex hoc dicatur corporalis: ergo non poteſt informare punctum, cùm nullo modo ſit corpus: ergo.

Tertiò ſequeretur, quòd talis alteratio fieret in inſtanti, vel ſaltem daretur prima mutatio in alteratione: patet, quia alterans non poteſt ſibi approximari, niſi punctualiter, vt patet, & per conſequens nullum erit impedimentum, neque ex parte puncti, neque ex parte alterantis, vt patet: & ſic, vel inducit aliquem gradum, puta caloris in inſtanti, vel inducet omnem gradum in inſtanti.

Quartò arguitur, quia ex quo alterans non eſt perfectè præſens alicui corpori, niſi in puncto, vt patet per Doctorem *in iſto ſecundo, diſt. 2. q. 9.* & ſic ſequeretur, quòd quando corpus alteratur partibiliter, quòd primò punctus alterabitur, inducendo aliquem gradum in inſtanti, vt patet; & ſic in alteratione, qua corpus alteratur, puta ſecundùm calorem daretur prima mutatio, quod eſt inconueniens.

Quintò ſequeretur, quòd poſſet dari minus minimo ente naturali, quod poſſet immutare viſum, vel quod poſſet comburere magnum lignum, quod eſt contra Doctorē *præſenti quæſtione*, vbi vult, quòd detur minima pars entis naturalis, quæ poſſet immutare, qua minor non poſſit; ſed punctus perfectè albus, vel perfectè calidus eſt ens naturale, & minus quacunque parte data, cùm ſit indiuiſibilis, & illa pars diuiſibilis: ergo.

Reſpondeo breuiter, quòd poteſt loqui de alteratione, qua aliquid alteratur dupliciter, ſcilicet extenſiuè, & intenſiuè. *26. Reſponſio.*

Primo modo nihil alteratur, niſi ſit verè diuiſibile, & ſic calor non poteſt extendi, niſi in corpore diuiſibili, & extenſo.

Secundo modo poteſt aliquid alterari indiuiſiliter, ſiue inextenſibiliter: & hoc modo punctus poteſt calefieri, & moueri motu alterationis: forma ergo corporalis poteſt informare, & extensè, ſiue diuiſibiliter, & inextensè, ſiue indiuiſibiliter. Si dicatur, quòd motus eſt ſucceſſiuus, & talis ſucceſſio, vel eſt ex diuiſibilitate mobilis, vel ſpatij, vel formæ acquirendæ. Sed in propoſito punctus eſt tantùm indiuiſibilis, & poſito quòd forma, puta calor, ſit diuiſibilis ſecundùm aliam, & aliam partem, tamen ſic partibiliter non poteſt recipi niſi in quanto diuiſibili. Dico quòd color eſt dupliciter diuiſibilis, ſcilicet ſecundùm partes quantitatiuas, & ſecundùm gradus intenſionis. Primo modo punctus non poteſt moueri ad colorem motu continuo, & ſucceſſiuo, quia tali motu tantùm diuiſibile mouetur: ſed benè poteſt moueri ſecundo modo, quando color intenditur gradualiter in puncto.

Ad alias inſtantias patet reſponſio ex ſuprà declaratis.

SCHOLIVM.

Ad quartum num. 6. adductum explicat quomodo ſucceſsio motus eſt ex reſiſtentia mobilis ad motorem & medij ad vtrumque, quia ſcilicet mobile eſt ſub vbi, *cui non poteſt immediatè ſuccedere* vbi *intentum, quia* vbi *medium, vel pars* vbi *intenti, priùs pertranſiri neceſſe eſt à motore finito, & quia* vbi *medium natura ſua præcedit* vbi *remotum. Docet etiam motum dabilem in vacuo, de quo latè agit 4. Phyſ. quæſt. 12. Explicat etiam quomodo iuxta proportionem mobilis ad mobile, in ſubtilitate ſit proportio motus ad motum in velocitate, de quo latè agit 4. Phyſ. quæſt. 8. 10. & 11.*

40. AD quartum a argumentum principale de cauſa ſucceſſionis in motu, dico quòd licèt poſſet fieri contentio & altercatio de intentione Auerroïs, & in quo contradicit Auempace, ſicut apparet 4. Phy. *cap. de Vacuo*, Breuiter tamen dico, quòd cauſa ſucceſſionis in quolibet motu eſt reſiſtentia mobilis ad motorem: non quidem talis, quòd mouens non poſſit vincere mobile: tunc enim non moueret ipſum: ſed nec etiā talis, quòd mobile reinclinetur ad oppoſitum, quia ſic eſt præcisè in motu violento: ſed talis reſiſtentia, quòd mobile ſemper eſt ſub aliquo, cui non poteſt immediatè ſuccedere terminus intentus à mouente, & iſta reſiſtentia mobilis ad motorem eſt propter defectum virtutis mouentis: & cum hoc propter reſiſtentiam medii ad mouens & mobile: per quod medium poteſt intelligi omne illud, quod neceſſariò præcedit inductionem termini intenti: ſed tale medium non eſt neceſſariò medium, niſi virtuti limitatæ.

Tex. 71. Quæ reſiſtentia mobilis & medij facit ſucceſſionē in motu locali.

Si enim eſſet virtus infinita, poſſet ſtatim ponere mobile in termino *ad quem*, ita quòd nec propter formam oppoſitam termino *à quo*, quam mobile iam haberet: nec propter media naturaliter ordinata inter illam formam, quam habet mobile, & terminum, *ad quem* eſſet neceſſitas, quòd tale mouens priùs moueret per talia media, quàm induceret terminum. Poſſibilitas igitur ſucceſsionis eſt ex reſiſtentia medii ad mobile & ad motorem, ita quòd hîc eſt vna reſiſtentia. Mobile enim inquantùm habet talem formam, inter quam & terminum nata ſunt eſſe talia media, poteſt continuè moueri per illa ad terminum: & per iſta media, quæ reſiſtunt mobili, vt poſſit non ſtatim eſſe in termino, poteſt intelligi diuiſibilitas partium mobilis, vel diuiſibilitas formæ, ſecundùm quam eſt motus, vel vtraque ſimul. Neceſſitas tamen ſucceſſionis, nunquam eſt ex hac reſiſtentia, ſed præcisè comparando iſtam ad agens, cui mobile reſiſtit propter iſtam reſiſtentiam medij ad ipſum: ita quòd ſicut erat poſſibilitas ex ſola reſiſtentia medij ad mobile, ita virtus illa limitata non poſsit tollere iſtam reſiſtentiam, & ideò reſiſtit illa reſiſtentia agenti, ne ſtatim inducat terminum.

Exemplũ primi, ſi per poſſibile diuiſibile caperet vbi punctuale, ſecundi, ſi indiuiſibile tranſiret vbi diuiſibile, tertij ſi diuiſibile caperet vbi diuiſibile.

Tunc ad illa, [b] quæ adducuntur ad oppoſitum, quòd ſcilicet Angeli ad ſe nulla eſt reſiſtentia, dico quòd ex quo agit non ex in infinitate virtutis actiuæ, quando eſt in cœlo, inter quod *vbi* & ſuum *vbi* in terra, nata ſunt eſſe multa media, quæ etiam virtuti ſuæ motiuæ ſunt media, ita quòd nec virtus ſua motiua poteſt omnia illa media facere ſimul & terminum, nec etiam poteſt ſtatim terminum facere, niſi priùs faciendo illa media: & ideò eſt hîc reſiſtentia tota, quæ requiritur ad ſucceſsionem in motu. 41.

Quia non eſſet ceſſio medij quod nihil eſt vel ſecundum alios forte ſupponitur vacuũ eſſe quantum ſine quali. de quo. 4. Phyſ. cap. 4 vide Scot. ibi q. 13.

Et cùm arguitur, de dicto ipſius Auerrois de graui ſi ponatur in vacuo, quòd deſcenderet ſubitò propter defectum reſiſtentiæ à parte medij, dico quòd ſi vacuum poneretur, graue non moueretur in ipſo, ſecundùm Philoſophum, quia vacuum non poſſet cedere graui, & dimenſiones ſeparatæ non poſſent eſſe ſimul: tamen ſi poneretur vacuum poſſe cedere, & eſſe ſpatium, & non quòd latera pleni eſſent ſimul: quia tunc non eſſet vacuum: dico tunc, quòd motus grauis eſſet ſucceſsiuè in vacuo, quia prior pars vacui priùs cederet, & totum graue priùs tranſiret hanc partem ſpatij, quàm illam: & ſicut dictum fuit priùs in præcedenti argumento & modò, per ſe ſucceſsio eſt in motu locali ex ſpatio inquantùm quanto.

Non dari motum De hoc latè Scot. 4. Phyſ. q. 8. 10. & 11.

Ad argumenta [c] Philoſophi, inquantùm inducuntur ad propoſitum, dico quòd illa propoſitio, quæ eſt proportio medij ad medium, &c. vera eſt cæteris paribus: & ideò ſequitur motum non eſſe in vacuo aut ſaltem vera eſt contra eos, qui poſuerunt vacuum eſſe totam cauſam motus ſiue ſucceſsionis in motu. 42.

Minor eſt hæc, angeli ad corpus nulla eſt proportio in ſubtilitate.

Sed ad propoſitum arguendo, hîc ſimiliter de mobilibus, ſicut ibi de ſpatiis, iſta propoſitio negari poteſt, quæ eſt proportio mobilis ad mobile in ſubtilitate, eadem eſt proportio motus ad motum in velocitate.

Scilicet vacui & pleni, quæ non proportionantur.

Et ſi accipias quæ eſt [d] proportio huius ſub ratione quâ mobile eſt, & alterius ſub ratione quâ mobile; concedo, ſed tunc minor eſt falſa. Angelus enim mobilis eſt continuè, inquantùm habet quantitatem virtualem, ſecundùm quam poteſt coëxiſtere loco quanto, ſicut corpus per quantitatem ſuam formalem poteſt coëxiſtere loco quanto. Similiter quod Philoſophus infert in ſecunda ratione ſua, quòd motus ſit in æquali tempore per vacuum & plenum. Si inferatur hîc aliquid illi ſimile, ſcilicet, quòd in æquali tempore mouetur Angelus & corpus, non eſt impoſsibile: ibi autem eſt impoſsibilitas ex ratione mediorum, ſecundùm quòd videtur ratio eius procedere.

Angelus Tobiæ aqualiter mouebatur cum ipſo.

Sed dato quòd rationes Philoſophi non multùm concludant ad propoſitum, quia non ita ſe habent hîc mobilia, ſicut ibi ſpatia: valent tamen rationes ſuæ ſimpliciter ita quòd ſua prima ratio eſt, oſtenſiua, & reliqua ducens ad impoſsibile.

Velocitas accidẽtalis eſt ex parte medij, eſſentialis ex parte ſpatij.

Reſpondeo igitur [e] quòd ſi vacuum poſſet cedere, & motus poſſet eſſe in eo, quod ex diuiſibilitate ſpatij motus haberet diuiſibilitatem & ſucceſsionem, ſicut modò ex diuiſibilitate ſpatij pleni, motus haberet per ſe ſucceſsionem eſſentialem: ſed vltra iſtam ſucceſsionem poteſt addi velocitas, vel tarditas ratione conditionis accidentalis ipſius medij, inquantùm eſt promotiuum, vel impeditiuum ipſius motus: ſiue ratione ſubtilitatis per quam promouet, aut ſaltem non impedit: aut ratione denſitatis oppoſitæ. Tunc igitur fieret motus ſucceſſiuus in vacuo, & eſſet proportionabilis motui in pleno, & hoc loquendo de ſucceſſione eſſentiali non de velocitate & tarditate ſuperaddita: quia omnino nullam velocitatem aut tarditatem ſuperadditam haberet mobile in vacuo, haberet autem aliquam in pleno: ſed *nihil* ad *aliquid* non eſt proportio præcisè: ergo habet Philoſophus ex hoc contra aduerſarium dicentem motum eſſe in vacuo, quòd nullus motus habens aliquam velocitatem vel tarditatem habens aliquam 43.

quam velocitatem, vel tarditatem accidentalem ſuperadditam eſſentiali, poteſt eſſe in vacuo: & ideò negat Philoſophus talem accidentalem ſucceſſionem poſſe eſſe in motu: & hoc non eſt inconueniens, ſi poneret præcisè eſſe motum in vacuo: ſed eſſet, ſi cum hoc poneret, vacuum eſſe medium promotiuum in motu, vel medium neceſſarium in motu, ex parte cuius ſumeretur velocitas, vel tarditas motus. *Motus vacuo an eſſet velox vel tardus.*

Eodem etiam modo illud quod infert in ſecunda ratione, non eſt impoſſibile aduerſario dicenti præcisè, motum eſſe in vacuo: quia medium plenum poteſt æquari medio vacuo, inquantùm eſt ratio, vel cauſa ſucceſſionis eſſentialis in motu, & ſi aliquod plenum acciperetur in tali proportione, in quali accipit Philoſophus ad motum datum, illud eſſet omnino neutrum, nullam qualitatem accidentalem dans, nec medium plenum, nec medium vacuum.

Quid ergo habet Philoſophus contra aduerſarium ex illa ratione? Dico, quòd habet tantùm, quòd vacuum nullam qualitatem accidentalem habet vltra ſucceſsionem eſſentialem: quia ſi ſic, poſſet aliquod medium plenum dari æquale & tunc per medium plenum & vacuum fieret motus in tanto tempore, quantum tempus correſponderet illi conditioni accidentali motus, quod eſt impoſsibile, quia ſecundùm hoc media eſſent improportionabilia. *vide com. c. 72. 4. Phyſ.*

COMMENTARIVS.

1. a AD *quartum argumentum principale.* In iſta litera multa ſunt notanda. Primò, opinio antiquorum fuit, quòd motus localis tantùm fieret in vacuo, vt patet *quarto Phyſicorum tex. comm.* 71. & arguebant ſic: Si corpus mouetur localiter, aut recipitur in vacuo, aut in pleno: non ſecundo modo, quia tunc duo corpora eſſent ſimul: ergo primo modo, & ſic ſequitur, quòd vacuum ſit cauſa motus localis. Contra quam quando arguunt Ariſtoteles & Auerroës arguunt contra Auenpacem, & reſpondent ad rationem ipſius, quòd recipitur in vacuo, ſic intelligendo, quòd quando corpus mouetur in aëre, eſt plenum in actu, ſed vacuum in potentia: quia dum corpus ad ipſum mouetur, ipſum corpus efficit latera continenntis in actu, & occupat totum illud ſpatium, quod eſt inter latera continentis, replendo illud.

Secundò nota, quæ ſit cauſa ſucceſſionis in quolibet motu ibi: *Breuiter tamen dico.* Dicit Doctor quòd cauſa ſucceſſionis in motu, puta quòd Angelus non poſſit moueri de loco ad locum, puta de cœlo ad terram in inſtanti, ſed motu continuo, & ſucceſſiuo, iſta ſucceſſio cauſatur per reſiſtentiam mobilis ad ipſum motorem, & ipſius mobilis ad medium inter ipſum, & terminum. Exempli gratia. Angelus, vel virtus motiua Angeli mouent ſubſtantiam ſuam de cœlo ad terram, illa ſubſtantia dicitur mobile, & facit reſiſtentiam virtuti motiuæ Angeli, ideſt, quòd talis ſubſtantia, vt comparata virtuti finitæ, limitatæ non poteſt eſſe in inſtanti à tali virtute de cœlo ad terram, & talis ſubſtantia, vt comparatur tali virtuti tranſit ſucceſſiuè per omnia media vſque ad terram, & ſic omnia illa media inter cælum, & terram faciunt ſibi reſiſtentiam, cùm ſint ſic ordinata, quòd tale mobile, vt comparatum tali virtuti non poteſt ſimul, & in inſtanti tranſire, ideò ſucceſſio in tali motu cauſatur ex reſiſtentia mobilis ad motorem, & ex reſiſtentia mediorum ad mobile.

2. *Expoſitio litera.* Quia tamen iſta litera videtur aliqualiter difficilis, expono illam, cùm dicit, quòd *cauſa ſucceſſionis in motu eſt reſiſtentia mobilis ad motorem, non talis, quòd mouens non poſſit vincere mobile; tunc enim non moueret ipſum*: patet, quia ſi eſſet maior reſiſtentia in mobili, quàm virtus in mouente, non poſſet moueri à tali virtute, vt patet, quia virtus motiua non poteſt mouere quodcunque mobile: non enim homo poteſt mouere aliquod magnũ, & exceſſiuũ graue, quia in tali graui eſſet maior reſiſtẽtia, quàm eſſet virtus motiua hominis pro ſtatu iſto. Sequitur: *Sed nec talis, quòd mobile reinclinetur ad oppoſitum, quia ſi eſt præcisè in motu violento*, vt patet de graui ſurſum. quod inclinatur ad deorſum, & ideò mouens lapidem ſurſum, quamuis lapis non faciat mouenti fortè vllam reſiſtentiam, quin poſſit fortè illum mouere de loco deorſum ad locum ſurſum in inſtanti, & non in tempore: & ſic nulla eſſet ibi ſucceſſio: tamen poſito quòd ipſe lapis faciat reſiſtentiam, accipiendo *reſiſtentiam* pro eo, quod mouetur contra inclinationem eins naturalem, talis tamen reſiſtentia non eſt illa, quæ propriè faciat ſucceſſionem in motu. Et poſito etiam quòd talis reſiſtentia eſſet cauſa ſucceſſionis in motu, adhuc eſſet tantùm cauſa ſucceſſionis in motu violento, & non naturali, & quia multa mouentur localiter motu naturali continuo, & ſucceſſiuo, vt patet de graui; quod mouetur deorſum, ibi quærenda eſt cauſa ſucceſſionis in tali motu, & ideò alia eſt aſſignanda à prædicta. Sequitur: *Sed talis reſiſtentia, quòd mobile ſemper eſt ſub aliquo, cui non poteſt immediatè ſuccedere terminus intentus à mouente*, vt patet, quia cùm mobile *A* mouetur ſuper ſpatium bicubitale, dum eſt in principio illius ſpatij, in illo tunc non poteſt eſſe in fine illius ſpatij bicubitalis: oportet enim mobile, cùm ſit virtutis finitæ, ſe facere preſens alij parti, non ſimul, ſed tantùm ſucceſſiuè. Et hoc eſt quod dicit Doctor, quòd hoc eſt propter defectũ virtutis motiuæ, & cùm hoc propter reſiſtentiam medij ad mouens, & mobile, per quod medium poteſt intelligi eſſe illud, quod neceſſariò præcedit inductionem termini inducendi, vt patet, ponendo quòd mobile *A* moueatur ſuper ſpatio *B*, vnius miliaris, & intendat acquirere locum in fine illius ſpatij, dum eſt in principio ſpatij, quia ſimul non poteſt eſſe in fine ſpatij, ſed tantùm ſucceſſiuè; ideò dicimus, quòd tale ſpatium, ſiue medium, facit reſiſtentiam mouenti, & mobili, quia dum mobile eſt in vna parte medij, ſtatim non poteſt *Nota.*

eſſe

eſſe in fine medij, ideò omnes partes illius ſpatij faciunt reſiſtentiam, & mouenti, & mobili: & ideò dicit, quòd omne illud, quod neceſſariò præcedit inductionem termini principaliter intenti, dicitur medium, quod facit reſiſtentiam modo prædicto. Sequitur: *Sed tale medium non eſt neceſſariò medium, niſi virtuti finitæ.*

3. Si enim eſſet virtus infinita, poſſet ſtatim ponere mobile in termino *ad quem*, ita quòd nec propter formam oppoſitam termino *à quo*, quam mobile iam haberet, puta quia ſi mobile eſſet in principio ſpatij vnius milliaris in *eſſe* quieto, vltimum *vbi* illius ſpatij, ad quod intendit moueri, diceturforma oppoſita termino *à quo*, ſcilicet *vbi* in quo eſt ſub *eſſe* quieto, mouetur enim ab *vbi*, in quo iam eſt ad aliud *vbi*. Si ergo virtus finita poneret mobile in inſtanti in vltimo *vbi* illius ſpatij nulla eſſet reſiſtentia, quia in inſtanti poneretur in illo *vbi*. Sequitur. *Nec propter media naturaliter ordinata inter illam formam, quam habet mobile, & terminum ad quem, eſſet neceſſitas, quòd tale mouens priùs moueret per talia media, quàm induceret terminum.* Pono, quòd mobile moueatur ſuper ſpatio vnius milliaris, & ſit in principio ſpatij vt in *vbi* in *eſſe* quieto, tale dicitur forma, quam habet mobile, & vltimum *vbi* acquirendum à tali mobili ſuper tali ſpatio dicitur forma, & terminus *ad quem*, & alia dicitur terminus *à quo*, & media naturaliter inter terminum *à quo*, & *ad quem* ſunt omnia *vbi* inter media, quæ naturaliter faciunt reſiſtentiam virtuti tantùm finitæ, ſed nullâ virtuti infinitæ. Sequitur: *Poſſibilitas igitur ſucceſſionis eſt ex reſiſtentia mobilis ad motorem*, quia mobile reſiſtit motori, vt patet de graui moto ab homine ſuper aliquo ſpatio, quæ reſiſtentia eſt ex reſiſtere medij ad motorem, & ad mobile: patet de graui moto per medium denſius, quod non ita citò deſcendit: quia ergo medium reſiſtit mobili, & motori: ideò enim dicitur mobile reſiſtere motori, quia medium ſuper quod mouetur mouetur mobile, reſiſtit ipſi mobili & motori, quia dum mobile eſt in vno *vbi* alicuius ſpatij, non ſtatim poteſt poni in *vbi* diſtanti virtute finita, quia dum eſt in tali *vbi*, omnia media inter illud *vbi*, & *vbi* diſtans acquirendum, faciunt reſiſtentiam, & mobili, & mouenti. Sequitur. *Ita quòd eſt hîc vna reſiſtentia*, videlicet, quæ eſt ex parte medij modo priùs poſito, mobile enim inquantum habet formam, puta *vbi* in *eſſe* quieto, inter quam & terminum, ſcilicet *vbi* acquirendum, nata ſunt eſſe talia media, poteſt continuè mobile moueri per illa media ad terminum, & per iſta media, quæ reſiſtunt mobili, vt poſſit non ſtatim eſſe in termino, poteſt intelligi diuiſibilitas partium mobilis, vel diuiſibilitas formæ, ſecundùm quam eſt motus, vel vtraque ſimul.

Exemplum primi. Exemplum primi: Si per poſſibile mobile verè diuiſibile in partes quantitatiuas acquirit aliquod *vbi* punctuale, & indiuiſibile, illud *vbi* non poſſet ſimul eſſe in toto diuiſibili, ſed prius ſecundùm vnam partem moueretur ad illud indiuiſibile, & poſtetius ſecundùm aliam partem, vt expoſui ſuprà: & ſic ſucceſſio, & diuiſibilitas in tali motu locali acciperetur ex diuiſibilitate mobilis, & ſic partes mobilis facerunt reſiſtentiam ipſi mobili.

Exemplum ſecundi. Exemplum ſecundi: Si punctus, vel Angelus moueretur ſuper ſpatium, puta vnius milliaris, tunc diuiſibilitas motus localis acciperetur à diuiſibilitate ſpatij.

Exemplum tertij. Exemplum tertij: Si mobile diuiſibile moueretur ſuper ſpatio diuiſibili. Sequitur. *Neceſſitas: tamen ſucceſſionis nunquam eſt ex hac reſiſtentia*, ſcilicet medij, vel mobilis, vel vtriuſque. *Sed præcisè comparando iſtam ad agens, cui mobile reſiſtit propter iſtam reſiſtentiam medij ad ipſum*; patet, quia ſi comparetur ad mouens infinitæ virtutis, cui nullum mobile reſiſtit propter reſiſtentiam medij ad ipſum mobile nulla erit reſiſtentia.

b *Tunc ab illa, quæ adducuntur ad poſitum,* 4. *ſcilicet quòd Angeli ad ſe nulla ſit reſiſtentia*, patet ex his, quæ dixi in principio, reſpondendo ad quartum argumentum principale.

Et cùm arguitur de ipſo dicto Auerroïs de graui, ſi ponatur in vacuo. Dicit Doctor, quòd ſecundùm viam Philoſophi, ſi poneretur vacuum, quòd non eſſet ibi motus, quia ibi nihil eſſet, quòd cederet mobili, & faceret reſiſtentiam, & ſic non poſſet eſſe ſucceſſio. Et quòd dicit ibi: *Et dimenſiones ſeparatæ non poſſunt eſſe ſimul.* Nam ſicut impoſſibile eſt duo corpora eſſe ſimul propter penetrationem dimenſionum, ſecundùm Philoſophum quarto Phyſicorum: ita eſt impoſſibile, quòd dimenſiones ſeparatæ à corpore naturali poſſint eſſe ſimul, ideſt, quòd ſicut duo corpora naturalia non poſſunt eſſe ſimul in eodem loco, quia tunc dimenſiones vnius corporis penetrarétur à dimenſionibus alterius corporis, ſic nec duo corpora tantùm Mathematica, nec vnum corpus naturale, & aliud Mathematicum, quia ita eſſet penetratio dimenſionum. Sequitur. *Tamen ſi poneretur vacuum*, poſſe cedere, & eſſe ſpatium, & non, quòd latera plena eſſent ſimul, quia tunc non eſſet vacuum, ita quòd latera illa non eſſent plena, ſed tantùm eſſet ſpatium, tunc poſſet eſſe motus, quia ſucceſſio per ſe eſt in motu locali & ſpatio inquantum quantum.

Scotus in 4. ſent. de dotibus beatorũ, tenet duo corpora poſſe eſſe in eodem loco.

c *Ad argumenta Philoſophi*, &c. Doctor con- 5. cedit illam propoſitionem, ſi cætera ſint paria, ſcilicet mobilia, ſi enim ſint duo media, vnum dẽſum, & aliud rarum, & duo mobilia æqualia in pondere, & figura (quia vna figuratio facit velociùs corpus moueri, vt patet per experientiam) tunc qualis erit proportio aquæ ad aërem in raritate, & denſitate, talis erit proportio motus facti in aqua ad motum in aëre in velocitate, & tarditate. Sed nulla eſſet proportio vacui ad plenum in denſitate, & raritate, igitur nec eſſet aliqua proportio motus facti in pleno ad motum factum in vacuo, in velocitate, & tarditate, ſed omnis motus ad alium motum eſt aliqua proportio in velocitate, & tarditate, igitur nullus motus poteſt fieri in vacuo. Et ſic Scotus concederet, quòd nullus talis motus poſſet fieri in vacuo, ſcilicet velox, aut tardus. Sequitur: *Ibi aut ſaltem vera eſt contra eos, qui poſuerunt vacuum eſſe totam cauſam motus*, ſiue ſucceſſionis in motu, & ita vacuum eſſet cauſa velocitatis, & tarditatis in motu. Sed nihil ad propoſitum de Angelis.

Sed illa ratio applicetur ad propoſitum arguendo hîc de mobilibus, ſicut ibi de ſpatiis, & mediis. Et arguatur ſic, qualis eſt proportio mobilis ad mobile in ſubtilitate, & denſitate, talis eſt proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate: iſta eſt falſa, quia poteſt eſſe proportio motus ad motum in velocitate, &c. Et tamen non erit proportio mobilis ad mobile in ſubtilitate, & denſitate, quia ſtat alterum mobile, non eſſe ſubtile, nec denſum, ſicut mobile indiuiſibile, & tamen motus erunt proportionati in velocitate. Sequitur ibi.

d *Etſi*

6. d *Etſi accipias, quæ eſt proportio vnius ſub ratione qua mobile, & alterius ſub ratione qua mobile,* ideſt, qualis eſt proportio corporis ad Angelum in mobilitate, talis eſt proportio motus corporis ad motũ Angeli in velocitate, & tarditate. Sequitur. *Concedo: ſed tunc minor eſt falſa,* ſcilicet iſta corpus, & Angelus non proportionãtur in mobilitate, quia ſicut Angelus eſt mobilis continuè, in quantum habet quantitatem virtualem, ſecundùm quam poteſt coëxiſtere loco quanto, & tanto loco, & non præcisè loco determinato, vt ſuprà patuit *diſt. præſenti, quæſt. 7.* ſic corpus per ſuam quantitatem formalem molis habet coëxiſtentiam ad locum, & ita motus corporis, & motus Angeli poſſunt proportionari in velocitate, & tarditate. Sequitur. *Similiter quòd Philoſophus infert in ſecunda ratione ſua, quòd motus ſit in æquali tempore per vacuum, & plenum.* Vult dicere, quòd ſi aſſumitur ſecunda ratio Philoſophi probando, quòd tunc motus angeli, & corporis poſſent fieri in æquali tempore ſic arguendo: Si motus fieret in vacuo, fieret in tempore, patet, cùm motus non poſſit fieri in inſtanti. Si in tempore fieret, accipiatur aliquod plenum in tanta proportione, quanta eſt temporis ad tempus, ſequitur tunc, quòd motus factus in pleno fieret in æquali tempore cum motu facto in vacuo. Exemplum: Sit tempus menſurans motum factum in vacuo, & ſit octauæ horæ, & tempus menſurans motum factum in pleno quartæ horæ, accipiatur tunc vnum plenum ſe habens ad plenum, in quo fit motus in tali proportione, ſcilicet dupla, in qua fit motus in vacuo, tunc erit motus in tali pleno & in vacuo in æquali tempore. Scotus concedit, quòd hoc totum eſt impoſſibile. Et iſta ratio concludit contra Empedoclem, & alios antiquos. Sed nihil ad propoſitum, quia hîc proportionantur mobilia, ſcilicet corpus, & Angelus in mobilitate, ibi non commenſurantur ſpatia, ſcilicet vacuum ad plenum, nec proportionantur. Et ſi arguas Angelus mouetur, igitur in tempore, concedo, & aliquod corpus mouetur in tempore concedo, iſta duo tempora proportionantur, concedo. Accipiatur aliud corpus in duplo ſubtilius, & ſe habens ad iſtud corpus in eadem proportione, in qua ſe habet tempus, in quo Angelus mouetur ad tempus, in quo corpus mouetur, tunc ſequitur, quòd illud corpus ſubtilius mouebitur in æquali tempore cum Angelo. Sed dicit Doctor quòd hoc non inconuenit, ſed eſt benè poſſibile, quia hoc corpus, & Angelus proportionantur in mobilitate, igitur & in motu, & ita poſſunt moueri corpus, & Angelus æquè velociter, & æquè tardè, ſed eſt ibi impoſſibilitas ratione mediorum quæ, media, ſcilicet vacuum, & plenum nullo modo poſſunt proportionari in ſubtilitate, & denſitate, cùm vacuum non ſit ſubtile, nec denſum, & nihil ad aliquid, ideò nulla eſt proportio: & tamen ſi illi motus fierent in æquali tempore poſſent proportionari in velocitate, & tarditate, & ſpatio, non tamen oporteret, ſi motus facti in illis proportionantur.

7. e *Reſpondeo igitur, quòd ſi vacuum,* &c. Dicit Doctor in ſententiâ, quòd ſucceſſio in motu eſſentiali cauſatur ſolùm ex diuiſibilitate, vel mobilis, vel medij, ſiue illud medium ſit plenum, ſiue vacuum, dummodo illud vacuum poſſit cedere. Succeſsio in motu eſt ſimpliciter à diuiſibilitate, & vt ſic, talis motus non dicitur neque velox, neque tardus, quia ſi velocitas attenderetur penes diuiſibilitatem ſpatij, tunc ſi ſpatium eſſet æquale, vnum graue veloçiùs non moueretur altero, ſed velocitas, & tarditas ſunt ſuperaddita ipſi medio diuiſibili, ita quòd ſi datur medium rarius corpus velociùs, ibi mouetur, quàm in medio denſo, accipiendo tamen mobilia proportionata ſecundùm grauitatem, & figuram. Et aliqui dicunt, quòd ipſa raritas in medio eſt quædam qualitas actiua, quâ velociùs mouetur ipſum graue deſcendens per tale medium. Alij verò, quòd non eſt qualitas actiua, ſed medium rarius minùs reſiſtit. Sed hæc ſecunda opinio videtur verior, & magis ad mentem Philoſophi. Cùm ergo in vacuo nulla ſit raritas, neque denſitas, ideò motus factus ibi non poteſt dici, neque velox, neque tardus, ſed eſt ſimpliciter neuter ad tarditatem, & velocitatem, vt dicit Doctor quaſi in fine. Si ergo fiat comparatio motus facti in vacuo, & facti pleno raro, vel denſo, quoad ſucceſſionem eſſentialem motus, dico, quòd poteſt ibi eſſe proportio. Si verò fiat comparatio quoad velocitatem, & tarditatem nulla ſimpliciter eſt proportio, cùm nullo modo ſit velox, vel tardus. Et arguit Ariſtoteles contra antiquos, qui dicebant motum fieri in vacuo, quòd non concludunt de ratione eſſentiali motus, ſed vt cauſatur ſimpliciter à diuiſibilitate. Sed quia antiqui dicebant motum in vacuo eſſe tardum, vel velocem, ideò argumenta Ariſtotelis concludunt contra illos de tarditate, & velocitate motus; & probat quòd talis motus non poteſt eſſe velox, neque tardus, & hoc intendit. Applicando modo de Angelo dico, quòd motus Angeli non poſſet dici neque velox, neque tardus, vt tranſit per aliquod medium; quia Angelus ita facilè tranſit quodcunque medium quantumcunque denſum, ſicut medium quantumcunque rarum: diceretur tamen ille motus continuus, & ſucceſsiuus propter diuiſibilitatem medij.

QVÆSTIO X.

Vtrùm Angelus poſsit mouere ſe?

*Doctores citati quæſt.præced.& ſpecialiter.*Greg.2.*diſt.*6.*quæſt.*1.*art.*4.Capreol.*ibi art.*4.Maior *hic q.*11. *ſi.*Vaſq.1.*p.d.*194.Scot.*q.præced.n.*3.*vide eum* 9.*Met.quæſt.*7.*de primo princ.ca.*3.*&* 4.*con.*6.*&* 9.*&* 4. *Phyſ.quæſt.*8.*&* 9.Mayron.2.*d.*2.*q.*11:

DEcimò quæro, Vtrùm Angelus poſſit mouere ſe? Quòd non, quia nihil idem poteſt ſimul eſſe in potentia, & in actu ſecundùm idem: mouens autem, ſecundùm quòd mouens, eſt in actu; & motum ſecundùm quod motum eſt in potentia: ergo nihil mouet ſe. 1.

Confirmatur ratio per hoc, quòd aliqua diuidentia ens, vt ſubſtantia & quantitas, ſunt incompoſſibilia in aliquo vno eodem: ergo pari ratione, actus & potentia in quolibet vno ſunt incompoſſibilia.

Text. com. 30. *Tex.com.*2. Item, omne quod mouet ſe, diuiditur in duo, quorum alterum eſt primo mouens, alterum primò motum, ex 8. Phyſic. & probatur ex prima concluſione 7. quod nihil mouet ſe primò: quia tunc quieſceret ad quietem partis, & non quieſceret ad quietem eius: quæ probatio tenet de corpore moto: & ex hoc ſequitur, quòd in quocunque corpore mouente ſe, ſit talis diſtinctio: & ex hoc videtur ſequi vniuerſaliter, quòd in quocunque mouente ſe requiratur talis diſtinctio. Eadem enim videtur incompoſſibilitas, quòd idem non corpus moueat ſe primò, ſicut quod idem corpus moueat ſe primò: ſed Angelus non diuiditur in duo, quorum alterum ſit primò mouens, alterum primò motum; ergo, &c.

Contrà, Angelus poteſt moueri localiter ex præcedenti quæſtione, & non à corpore effectiuè, vt videtur, nec tantùm miraculoſe à Deo: ergo mouetur à ſeipſo.

COMMENTARIVS.

DEcimò quærit Doctor, An Angelus poſſit mouere ſeipſum de loco ad locum, ideſt, an in Angelo ſit aliqua virtus actiua, quæ ſit principium formale ſui motus localis, ſiuè qua poſſit mouere ſeipſum motu locali, ita quòd idem Angelus numero ſit receptiuus motus localis, & productiuus eiuſdem motus in ſeipſo.

Primò arguit probando quòd nihil poſſit mouere ſe, quia tunc idem reſpectu eiuſdem eſſet ſimul in actu & in potentia: quia mouens, vt mouens eſt in actu, quia omne agens agit in quantum eſt in actu, vt patet à Philoſopho 2. Phyſic. tex.comm.37.

Reliqua patent.

SCHOLIVM.

Reſoluit Angelum poſſe ſe mouere, quia animalia, & grauia, & leuia ſe moueat, idque eſt in ipſis perfectionis quod verò grauia & leuia moueantur à ſe, oſtendit ex Philoſopho & ratione, ſoluit quatuor loca Philoſ. in contrarium, de quo latè agit. 8.*Phyſ.* 4.5.*&* 6. *Vide eum* 4. *Phyſ.q.*8.*&* 9.

COncedo, a quòd poteſt à ſe localiter moueri, quia cuicunque ineſt potentia paſſiua ad aliquid acquirendum, vel habendum per motum, non eſt imperfectionis in eo, quòd habeat potentiam actiuam, per quam poſſit illud acquirere: ſed perfectionis eſt, &c. quod apparet, quia animatis data eſt potentia actiua reſpectu quantitatis perfectæ, ad quam ſunt in potentia quando generantur: patet etiam in grauibus, & leuibus, *vbi* eſt potentia actiua ad illud *vbi*, cuius ſunt receptiua naturaliter. 2.

2. de Anima t. com. 47. *q.*6.*&* 7. Similiter animalia habent potentiam actiuam reſpectu ſenſationis, ad quam ſunt in potentia paſſiua, totalem tamen habere non poſſunt, ſicut declaratum eſt diſtin. 3. primi, quia potentia non poteſt habere omnia obiecta: igitur cùm Angelo inſit potentia ad *vbi*, quod poteſt acquirere per motum, non eſt imperfectionis in eo, ſi habeat potentiam actiuam reſpectu eiuſdem: imò videtur eſſe imperfectionis in eo, ſi non habeat potentiam actiuam reſpectu eiuſdem, ex quo non repugnat aliis entibus minùs perfectis, habere talem potentiam actiuam.

Op. com. b Etſi dicatur, quòd hoc conuenit tantùm entibus imperfectionibus vt animalibus ſecundùm

ſecundùm partem, quia poſſunt diuidi in duo, ſcilicet mouens, & motum, & quod aſſumptum c eſt de grauibus, & leuibus, falſum eſt, & contra intentionem Philoſophi 8. Phyſic. vbi videtur ſpecialiter contra hoc facere quatuor rationes. *munis 8. Phyſ. t. c. 28. 29. & 30.*

Primò per hoc, quòd graue non eſt animal; ſecundò per hoc quòd nõ poteſt ſiſtere ſe; tertiò, quia non poteſt mouere ſe motibus diuerſis; quartò, quia eſt continuum, id eſt, eiuſdem diſpoſitionis in parte & in toto: & tale non poteſt mouere ſe, & ſoluendo quæſtionem dicit quòd ſcilicet tantùm habent naturalia principium patiendi reſpectu motus, & non faciendi.

3. d Primò oſtendo oppoſitum per auctoritates. Secundò per rationes. Auctoritas, prima eſt Philoſophi 8. Phyſ. vbi ſoluens dubitationem de grauibus, & leuibus, dicit, quòd quia potentia dicitur multipliciter, propter hoc non eſt manifeſtum, à quo mouetur vt graue. Diſtinguit autem potentiam ad actũ primum, & ad actum ſecundum, vt patet de potentia ad ſcientiam, & conſiderationem: & applicando ad propoſitum dicit, quòd ignis eſt in potentia eſſentiali, vt fiat frigidus, prout ſcilicet aqua generatur ex eo: cùm autem genita fuerit aqua eſt in potentia accidentali ad agendum, id eſt, ad infrigidandum, niſi impediatur: ita etiam dicit ipſe de graui & leui: leue enim fit ex graui, vt ex aqua, aër: cùm autem eſt iam leue, operabitur mox, niſi prohibeatur: actus autem leuis eſt alicubi eſſe & ſurſum: prohibetur autem cùm in contratio loco fit. Vnde nihil valet exponere, quòd cùm ſit in actu leue, eſt actu leue, ita quòd leuis eſt aſcendere: quia tunc idem eſt dicere, quòd actu leue eſt, & dicere quòd quia leue eſt, actu aſcendit: quod nihil aliud eſt, niſi cauſaliter dictum. Dicit enim, quòd mox operabitur, niſi prohibeatur, quod non poteſt intelligi de actu leuis primò, quia * actus leuis non poteſt prohiberi, vel impediri dum eſt actualiter talis. Similiter dicit, quòd prohibetur cùm eſt in contrario loco: non autem eſt non leue actu primò, quia eſt in contrario loco: ergo intendit de actu ſecundò, ſcilicet, quòd actus eius eſt alicubi, id eſt, quòd actus eius, qui eſt ſurſum, ſiue ſurſumitas ſit operatio eius; ſicut ergo ignis habens calorem in actu primò, verè & effectiuè ſe habet ad calefactionem, quæ eſt operatio eius ſecunda: ita & ignis actu exiſtens leuis, effectiuè ſe habet ad eſſe ſurſum, ſiue ad operationem ſecundam, quæ eſt ferri ſurſum. *Tex. 32. Ex Philoſopho grauia à ſe mouerí.* *Potentia ad ſcientiã eſt ad actũ primum, ad conſiderationem ad actum ſecundum, ad actum primum eſſentialis, ad ſecundũ accidentalis dicitur.* ** ſcilicet primus.*

4. Idem etiam e 4. Phyſic. cap. de Vacuo, vbi dicit, quod denſum & rarum concomitantur duæ contrarietates, videlicet, graue & leue, durum & molle: & loquens de contrarietate grauis & leuis, dicit, quòd ſecundùm hanc contrarietatem erunt actiua motus: ſecundùm autem durum & molle, paſſiua: igitur, &c. *Tex. 85. & 86.*

f Et ſi obiicias, iſta non eſt intentio ſua, quamuis ſic ſonent verba quia ſecundo de Generatione, enumerans qualitates actiuas, excludit grauẽ & leue à qualitatibus verè actiuis, & paſſiuis. *Tex. 8.*

Reſpondeo & dico quòd contradiceret ſibi ipſi in 8. Phyſi. per illud ſecundi de Generatione, niſi alio modo intelligeret hîc & ibi. nam in 8. Phyſic. ſicut pro iſtis allegatum eſt, dicit quòd habent principium, non agendi, ſed patiendi: in ſecundo autem de Generatione dicit, quòd graue & leue, nec ſunt actiua nec paſſiua, & probatio ſua patet ibi: aliter igitur g loquitur ipſe de actione in 8. Phyſi. & aliter in ſecundo de Generatione, vbi occurrit ſermo de actione & paſſione: & aliter in primo de Generatione, & aliter in ſecundo de Generatione. Sicut enim in lib. Phyſi. loquitur de motu in generali, & vniuerſali: in lib. autẽ de Generatione de motu ad ad formam ita in 7. Phyſic. loquitur de actione & paſſione in communi, & in vniuerſali: & ita verum eſt, quod dicit. 8. Phyſi. quòd habent principium patiendi reſpectu motus localis. In lib. autem de Generatione loquitur de actione ad formam, vbi agens & patiens ſunt contraria. Quod vtique verum eſt de actione vniuoca eorum, quæ ſunt in principio diſſimilia & contraria, & in fine ſunt ſimilia. Similiter h in actione æquiuoca, ſimile eſt agens producto ſecundùm formam ſimilitudine æquiuoca, ſicut ipſe cõcedit ibi in primo de Generatione, aliquod agens nõ communicare cum paſſo, ſicut nec medicinam cum corpore ſanato. Hoc autem modo negat in ſecundo de Generatione grauia & leuia, non ſolùm eſſe principia agendi, vel faciendi, ſed etiam patiendi: & hoc expreſſè ſonat ratio ſua, quia iſta non ſunt principia agendi alia, nec patiendi ab aliis: & ideò non ſunt principia producendi aliquid ſecundùm formam aliquam, de qua productione loquitur ibi, nec principia patiendi ab aliquo agente correſpondente tali actioni. Sunt tamen principia actiua aliquo modo, reſpectu motus localis ad *vbi*, & aliquo modo paſſiua reſpectu eiuſdem, quorum vtrumque expreſſit ipſe in 8. Phyſic. quòd paſſiua in hoc, quòd naturalia habent in ſe

principium patiendi: quòd actiua in hoc quod dicit operationem leuis eſſe alicubi, ſicuti ſcientis eſt conſiderare.

Ad hoc etiam poteſt adduci auctoritas Commentatoris tertio Cæl & Mun.com, 28. *In ſimplicibus*, inquit, *idem eſt ſecundùm ſpeciem motor & motum, ſed differunt ſecundum modum*: apis enim mouet ſe inquantum grauis in actu, & mouetur inquantum eſt potentia inferius, inuenitur enim vno modo in actu; alio modo in potẽtia: & cauſa huius eſt hæc, quia componitur ex materia & forma. Sed de hoc videtur variè loqui, quia in com. 28. illius 3. Cæl. & Mun. & 8. Phyſic. videtur velle, quòd moueat ſe per accidens pellendo medium, ſicut nauta mouet ſe mouendo nauem, in qua exiſtit: & ideò auctoritatibus eius non eſt multùm innitendum. 5.

Rom. 32.

Ratione oſtendit grauia ſe mouere. Tex. 37. Text. 3. Cauſa & effectus neceſſariò ſunt ſimul. Tex. 32.

Ad iſtam [k] concluſionem ſunt rationes. Prima talis: omnis effectus quando in actu cauſatur, habet cauſam in actu, hoc patet per Ariſtotelem. 2. Phyſi. & 5. Metaph. cap. de Cauſa. *efficiens in actu & cauſatum in actu ſimul ſunt, & non ſunt.* Patet etiam, ſi nulla eſſet auctoritas, per rationem manifeſtam, quia quod non eſt, quando non eſt, non producit aliquid ad *eſſe*: igitur quãdo deſcenſus grauis eſt in actu, tunc aliquid eſt cauſans in actu: non autem tunc eſt in actu à remouente prohibens: neque per conſequens ab impellente ipſum graue, fertur deorſum: quia pellens non per ſe mouet deorſum, quia in hoc eſt quaſi remouens prohibens: & tale mouens ſecundùm Philoſophum 8. *Phyſic.* eſt quaſi mouens per accidens: & præter mouens per accidens, oportet dare mouens per ſe efficiens: quia omne per accidens habet reduci ad per ſe. Nec iſtud poteſt eſſe centrum trahens, quia, ſi per impoſſibile, nullum graue eſſet in centro, ſed tota terra amota ab eo, & remanente centro ſub ſola ratione centri, vt priùs, adhuc graue naturaliter tenderet ad centrum.

2. Phy. c. 66. & 8. Phyſ. 39.

Centrum non attrahit graue.

Quid ergo attrahit? nunquid *vbi* Mathematicum? Conſtat quòd non, quia non eſt forma actiua: nec etiam influentia cœli, quia hoc videtur eſſe fuga recurrere ad agens vniuerſale, quia eſt negare effectus particulares, & cauſas particulares: influentia etiam cœli quantùm eſt de ſe, vmformis eſt in toto medio: quare ergo vnam partem in toto medio moueret ſurſum, & aliam deorſum; niſi poneretur agens particulare [m] determinans? Nec iſtud actu mouens, quando actu mouet, poteſt poni actu graue motum: quia nihil mouet ſe vniuocè ad illud quod habet: & præter hoc motus eſt quid extrinſecũ graui: nec generans, quia tunc poteſt non eſſe. Ergo oportet dare, quòd ſit aliquid intrinſecum ipſi graui, vel ipſummet, per aliquid intrinſecum.

Hic eſt varietas litera in originalibus, ſed iſta eſt bona. Got. quodl. 8. q. 2. reiicitur.

Quia igitur oportet dare aliquid intrinſecum, dicitur quòd generans manet in virtute in graui, & per hoc mouet ipſum graue.

Contra [n] iſtud non manet in virtute, niſi ſicut cauſa in ſuo effectu: & quod ſic manet, non eſt ens in ſe, ſed tantùm quia manet in ſuo effectu, & tunc virtus illa reſpectu motus pertinet ad genus cauſæ efficientis, ſi generans dicatur efficere: & nihil efficit niſi ſecundùm quòd eſt in actu: neceſſe eſt igitur quòd efficiens efficiat actu: quia illud quod eſt efficiẽs in virtute tantũ, nõ efficit: & ita ſequitur adhuc propoſitũ. 6

8. Phyſ. t. 35. Graue per ſe mouet leue ſibi annexum.

Præterea [o] illud quod non mouet aliud, niſi priùs naturaliter ab alio motum, ab eodem habet, quòd moueat, & quòd ſit motum: ſed graue, cui alligatum eſt leue, cuius leuitas non excedit grauitatem eius, mouet illud leue trahendo illud ſecum ad centrum, & non mouet niſi quia motum: ergo priùs naturaliter eſt motum quàm moueat, & ab eodem mouetur, à quo habet, quòd moueat illud ſibi alligatum: mouet autem illud non per aliud, quàm per grauitatem ſuam; igitur & ſeipſum.

Poſſet [p] confirmari iſta ratio, quia quando aliquid habet potentiam actiuam reſpectu alicuius formæ, poteſt eam cauſare in quocumque paſſo proportionato & approximato: ſed graue habet potentiam actiuam reſpectu *vbi* deorſum, ſicut habet reſpectu illius, quod trahit ſecum, & ipſummet, quando eſt extra illum locum, eſt receptiuum illius formæ carens ea, & eſt proportionatum, & approximatum ſibi: ergo poteſt iſtam formam cauſare in ſeipſo.

5. cauſa poſitiue & priuatiuè cauſans.

Hoc etiam poterit ſatis patere, ſi conſideretur, quòd quies requirit cauſam actualiter cauſantem, ſicut & motus; tunc enim oportet dare cauſam cœuè cauſantem quietem naturaliter grauis cum ipſo graui: nulla autem cauſa cœuè cauſans quietem iſtam cum graui, eſt niſi graue, & per conſequens graue effectiuè mouet: & per conſequens mouetur ad illam quietem à ſeipſo, quia iſta duo ſunt ab eadem cauſa.

Cur graue frangit id cui ſuperponitur.

Præterea, [r] graue impeditum à motu, remouet prohibens, ſi grauitas eius vincit virtutẽ illius impedientis, vel reſiſtentis: puta, ſi ſuperponatur alicui continuò, & grauitas eius ſuperet rationem continuitatis, frangit illud: & ſic ſoluendo continuitatem eius 7

ſoluit

ſoluit impedimentum deſcenſus eius: huius autem fractionis, cùm ſit motus violentus, oportet ponere exiſtentem cauſam extrinſecam: & non videtur rationabile
8.*Eth.c.* 2. fingere aliam cauſam, quàm ipſummet graue: non autem frangit illud, niſi quia intendit facere ſe in centro: igitur ab eodem principio actiuo habet ſe facere in centro, à quo habet illud impediens remouere.

Hoc etiam declarari poteſt aliter, quia grauius mouetur velociùs, & tamen ab eodem, videlicet generante poſſet generari aliquid grauius, & etiam aliquid minùs graue: & poſſent iſta duo eſſe in eadem diſtantia ad centrum & in eadem influentia cœli: igitur difformitas motuum in iſtis, eſt ab aliquibus intrinſecis.

*Tex.*88. *vti.*89.*de & oento.* Item, motus naturalis intenditur in fine, ſecundùm Philoſophum, *primo de Cælo & Mundo*: cuius difficile eſſet aſſignare cauſam, ſi effectiuum iſtius motus, eſſet præcisè aliquid extrinſecum.

Reſpondeo tunc ad Philoſophum, qui adducitur in contrarium, & quòd ſit pro me, ſicut adduxi, quòd graue ſe mouet effectiuè, ſicut ſciens mouet ſe effectiuè ad actum ſpeculandi. Et intelligo ſic: ſicut habens formam aliquam, quæ nata eſt eſſe principium alicuius actionis vniuocæ, poteſt per illam formam agere in receptiuum approximatum, & proportionatum: ita etiam habens formam, quæ nata eſt eſſe principium actionis æquiuocæ poteſt per ipſam agere æquiuocè in paſſum appoximatum: & ſi ipſummet ſit receptiuum illius actionis, vel effectus æquiuoci, & carens eo, ex quo eſt maximè approximatum, & proportionatum ſibi ipſi, non ſolùm poterit cauſare effectum illum in alio, imò ſummè cauſabit iſtum effectum in ſeipſo. Ita in propoſito lapis exiſtens ſurſum eſt in potentia ad *vbi* deorſum: grauitas autem reſpectu iſtius: *vbi* eſt principiũ actiuũ æquiuocum, ſicut vniuerſaliter reſpectu *vbi* non oportet quærere niſi principium æquiuocum: non enim mouens mouet mobile ad aliquod *vbi*, quia formaliter mouens eſt in actu ſecundùm illud *vbi*: ſed tantũ quia virtualiter, quia igitur ipſummet graue receptiuum eſt ipſius effectus æquiuoci, & caret eo cauſat in ſeipſo primò iſtum effectum, & in nullo alio niſi priùs cauſando in ſe: ita quòd cauſare eſtud eſt operatio grauis, ſicut dicit Philoſophus, vt calidi calefacere: ſed quòd cauſet hoc in ſe, accidit ei. Accidit enim ſibi, in quantùm eſt actiuum reſpectu huius cauſationis, vel reſpectu huius cauſabilis, quòd ipſummet ſit receptiuum eiuſdem effectus. Iſtud poſſet intelligi, ſi graue manens ſurſum poſſet propellere aliud ad centrum: tunc enim non dubitaret aliquis quomodo graue eſſet principium deſcenſus in altero: nec modò minùs eſt cauſa actiua reſpectu deſcenſus ſui ipſius.

Grauitas reſpectu vbi, principium. æquiuotem. Graue prius cauſat effectum in ſe quam in alio. 8. *Phyſ. vbi ſupr.* 3. *Phy.t.*3.

8.

u Tamen propter vnum verbum Philoſophi, addo vltrà, quòd motus iſte non eſt naturalis in ſe, ex hoc quod habet principium actiuum in ſe: ſed ſolùm ex hoc, quòd mobile habet principium intrinſecum paſſiuum naturaliter inclinans ad motum, quod patet per definitionem naturæ. 2. *Phyſic.* quia *eſt principium motus eius, in quo eſt primò per ſe, & non per accidens*, nihil enim eſt principium naturaliter mouendi alicui niſi inquantùm eſt per ſe, & primò in eo, quod mouetur: non eſt autem per ſe, & primò in aliquo quod mouetur, niſi inquantùm eſt paſſiuum: ergo non eſt aliquid natura, vel principium naturale alicuius, niſi quia eſt principium paſſiuum in moto. Hoc etiam patet, quia ideò aliquid mouetur naturaliter, quia mouetur ſicut aptum natum eſt ipſum moueri. Ita eſt in propoſito, ita quòd licèt hîc, ſicut & in multis aliis, principium actiuum ſit principium mouendi: non tamen propter illud principium actiuum mouetur naturaliter, ſed propter principium paſſiuum, propter quod ſic mouetur, & hoc eſt quod ſubdit Philoſophus, poſtquam dixit quòd actus leuis eſt eſſe alicubi, & ſurſum; tamen dicit ipſe *Quæritur quare mouẽtur in ipſorum locã?* Et reſpondet: *cauſa autem eſt, quia apta nata ſunt ibi eſſe.* & ſignanter dicit *in ipſorum loca*: hoc eſt, naturaliter mouentur in loca illa quia apta nata ſunt ibi eſse, id eſt, habent naturalem inclinationem ad illud *vbi*, & hoc modo poſtea ſubdit, quòd habent principium tantùm patiendi & non faciendi, ſcilicet reſpectu motus inquantùm naturalis eſt: & ita ibi in ſolutione iſtius dubitationis de motu grauium, quaſi intercalariter loquitur de principio effectiuo huius motus, & de principio naturali huius motus, quod tantùm paſſiuum eſt

*Reſpondet ad locum ex Philoſ. Text.*3. *Motũ eſſe naturalem reſpectu principij paſſiui, non actiui.* *Text.*32.

9.

Rationes etiam eius non concludunt contra me: nam primæ tres, quæ habent vnã vim, oſtendunt graue non mouere ſe, ſicut agens per cognitionem mouet ſe: non enim animal poſſet ſiſtere ſe citra vltimum terminum intentum, nec etiam poſſet mouere ſe diuerſis motibus, niſi ageret per cognitionem. & ex hec ſatis ſequi-

*Text.*29. *Ad rationes poſitas n.*2.

10.

tur propoſitum Philoſophi, quod illa non ſunt prima mouentia; nam primum mouens mouet per cognitionem, quia ſapientis eſt dirigere, ſicut oſtenſum eſt de Deo ſuprà *d.2.primi* de cognitione Dei.

Quarta ratio ſua de continuo, non concludit præcisè inquantùm quantum, ſed de continuo, hoc eſt, quod eſt eiuſdem diſpoſitionis in omni parte; probat enim, quòd graue non mouet ſe effectiuè, quia non eſt pars vna in actu, quæ poteſt facere aliam in actu ſecundùm eandem qualitatem: quomodo ipſe dicit in de Senſu & ſenſato. Et concedo, quòd hoc modo pars grauis exiſtens in actu, non cauſat motum in alia parte, ſed totum graue eſt in actu ſecundùm actum primum, & cauſat in ſe actum ſecundum.

Graue non mouet vnã partem ſui per aliam, c.7.

Sed obiicies quomodo Philoſophus, ſi concedat graue ſic moueri effectiuè à ſe, licèt non per cognitionem, nec etiam quòd naturalis eius ſit ab eo inquantum habet principium actiuum, quomodo habebit principale propoſitum ſuum, quod iſta neceſſariò mouentur ab alio, quod ipſe intendit principaliter probare? Dico, quòd ſatis habet hoc ex diſtinctione potentiæ: iſta enim non reducunt ſeipſa de potentia ſecunda ad actum ſecundum, niſi priùs reducta fuerint de potentia prima ad actum primum, vel ſaltem poſſent reduci ad actum primum. Quod dico pro totis elementis, quæ tota ſecundùm ipſum ſunt ingenerabilia & incorruptibilia: & tamen quia ſunt eiuſdem rationis cum partibus ſuis non repugnat eis reduci de potentia prima ad actum primum, ſicut partes eorum reducuntur. Sequitur ergo, quòd omne graue & leue, licèt moueat eſſe effectiuè de potentia ſecunda ad actum ſecundum, tamen mobile eſt, vel mouetur ab aliquo alio extrinſeco à potentia prima ad actum primum: non enim oportet, quòd ſi omne, quod mouetur ab alio, quòd in omni motu moueatur ab alio, & ſufficit Philoſopho primum, quia per hoc deuenietur ad aliquod aliud ab omnibus iſtis, quòd nec in vno motu, nec in quocumque poterit moueri ab alio: ſed eſt omnino mouens immobile. 11.

De hoc 1. d. 8. qu. 5. Elementa ſecundum ſe tota, iuxta Phil. in generabilia & incorruptibilia: mixta non ſic. Vide 3. Ca. & alibi.

Similiter etiam poteſt dici, quòd in iſto motu, etſi moueantur à ſe effectiuè: non tamen mouentur à ſe, ſicut à primis mouentibus: ex quo non mouent ſe per cognitionem: ſequitur, quòd præſupponant aliquid ſic mouens per cognitionem: & ita licèt moueant ſe effectiuè: non tamen ſic, quin moueantur ab alio, licèt non ſicut à cauſa proxima.

COMMENTARIVS.

1. a *Concedo.* Hic Doctor reſpondet ad quæſitum affirmatiuè, ſcilicet quòd Angelus poteſt mouere ſeipſum. Et ratio ſtat in hoc: Si de quo minus videtur: ergo & de quo magis. Sed multa imperfectiora Angelo habent potentiam actiuam reſpectu multorum, ad quæ ſunt in potentia paſſiua; patet, quia animata, quæ ſunt in potentia paſſiua ad debitam quantitatem, habent potentiam actiuam reſpectu illius, & magis hoc patebit *in quarto, diſtinct.44.q.1.* Tum, quia grauia ſunt in potentia paſſiua, & receptiua ad *vbi* deorſum, & leuia ad *vbi* ſurſum, & habent potentiam actiuam reſpectu ſui motus localis ad huiuſmodi *vbi.* Tum, quia animalia ſunt in potentiua paſſiua ad operationes ſenſitiuas, & habent potentiam actiuam reſpectu illarum ſaltem partialem, vt ſuprà patuit *in primo, diſt.3.qu.7.* & patet etiam *in quo lib. q.15.* vide ibi. Cùm ergo in Angelo ſit potentia paſſiua, ſiue receptiua ad aliud & aliud vbi, vt clarè patuit ſuprà *quæſt.6. præſentis diſt.* ſequitur à fortiori, quòd magis habebit potentiam actiuam reſpectu motus localis, ſic quòd talis potentia actiua ſit principium formale, mouendo Angelum ad *vbi*, & quieſcendo in illo: hoc enim eſt perfectionis in natura, quæ eſt in potentia paſſiua ad aliquid, quòd reſpectu illius habeat potentiam actiuam.

2 Opinio communis. b *Et ſi dicatur, quòd hoc tantùm conuenit entibus imperfectioribus*, ſcilicet quòd entia imperfectiora, quæ ſunt in potentia paſſiua ad operationes, habeant potentiam actiuam reſpectu illarum: patet de animalibus, quia ſunt compoſita, ideò poſſunt diuidi ſic, quòd ſecundùm vnam partem ſit mouens, & ſecundùm aliam ſit mobile; puta quia anima eſt principium actiuum mouendi corpus, & corpus eſt in potentiu paſſiua ad huiuſmodi motum.

c *Et quod aſſumptum eſt de grauibus, & leuibus, &c.* Hic videtur reſpondere ad illud de grauibus, &c. & dici, quòd videtur contra Philoſophum 8. *Phyſic. tex. comm 29. & 30.* vbi videtur aſſignare quatuor rationes, quòd grauia, & leuia non poſſunt mouere ſe.

Quòd autem eſſet intentio Ariſtot. patet vbi ſuprà, incipiendo à tex. 28. vſque ad 30. incluſiuè. vbi ſic ait in tex. 28. circa finem. *Eorum enim quæ mouentur ab alio, hæc quidem extra naturam poſuimus moueri: alia autem relinquuntur contra poni, quia natura: hæc autem ſunt* ſupple naturalia, *quæ dubitationem afferunt à quo mouentur, vt leuia & grauia, hæc enim in oppoſitos locos violentia mouentur. In proprios autem leue quidem ſurſum, graue autem deorſum natura*, &c. Et pòſt immediatè ſequitur in tex. 29. qui incipit: *A quo autem non adhuc manifeſtum, ſicut cùm moueãtur extra naturam*, id eſt quòd leuia, & grauia, cùm moueãtur ſecundùm naturam, non eſt ita manifeſtum, à quo moueantur, ſicut cùm mouentur contra naturam ab agente extrinſeco. Et ſequitur. *Et namque ipſa* ſupple grauia, & leuia *à ſeipſis licere*

dicere impoſſibile eſt : & hæc eſt prima ratio Ariſtotelis, quia ipſa grauia, & leuia non videntur poſſe moueri à ſeipſis, cùm hoc ſit proprium animatorum, vt patet per Philoſophum, vbi ſuprà. *animalis*, inquit, *hoc etiam & animatorum proprium* : & ibi Commentator dicit, quòd ideò animalia mouentur à ſeipſis, id eſt, à principio intrinſeco, quia non indigent à cauſa extrinſeca, quemadmodum corpora ſimplicia.

3. Secunda ratio eſt vbi ſuprà. *tex.comm.29.* quia iſta corpora ſimplicia ſe ſiſtere non poſſunt, cum hoc ſit proprium animatorum. *Facere*, inquit, *ſtare poſſe ipſa ſecundùm ſeipſa*, ſupplè eſt proprium animalis. Et ibi Commentator. *Si*, inquit, *ignis eſſet cauſa in ſe, per quam poſſet moueri ſine indigentia cauſæ extrinſecæ, tunc per iſtam cauſam poſſet quieſcere ſine indigentia cauſæ extrinſecæ. Res enim, inquam, eſt cauſa, qua poteſt moueri ſine indigentia cauſæ extrinſecæ : ſicut animal in quo eſt anima, per illam poteſt quieſcere* : hæc ille. Conſtat autem, quod cùm ignis mouetur ſurſum, non habet in poteſtate ſua poſſe quieſcere, antequam deueniat ad centrum.

Tertia ratio patet *tex.commen.29.* ſcilicet quia talia corpora non poſſunt mouere ſeipſa, quia nec motibus diuerſis. *Et ideò* inquit : *Si aſcenſus ad ſuperius eſt ab ipſo igne, manifeſtum eſt, quod deſcenſus ignis etiam ad inferius eſt ex ipſo igne, & dicere etiam, quòd res quæ mouentur ex ſe vno motu tantùm mouentur, non eſt de ratione ſi mouent*: hæc ille, id eſt, quod de ratione eorum, quæ poſſunt mouere ſe, eſt quòd etiam poſſint mouere ſe motibus diuerſis, ſiue oppoſitis, vt patet de animalibus.

4. Quarta ratio ponitur *tex.comm.30.* vbi ſic habetur: *Amplius quomodo contingit continuum aliquod, & ipſum ſeipſum mouere, ſecundum enim, quòd vnum eſt continuum, non actu ſecundum hoc impoſſibile eſt, ſed ſecundùm quòd diuiditur : ſic hoc quidem aptum natum eſt facere, illud autem pati, neque igitur horum vllum ipſum ſeipſum mouet*, &c. Et ibi Commentator: *Et illa*, inquit, *quæ mouentur per principia in eis, neceſſe eſt, vt diuidantur ſecundum definitionem in motorem, & motum, & vt non ſint idem ſecundùm definitionem, & eſſentiam : motor enim debet eſſe diſtinctus à moto, aut ſecundùm definitionem, & eſſe inſimul, ſicut illa, quæ mouentur ab extrinſeco ; aut ſecundum definitionem tantùm, ſicut eſt diſpoſitio in habentibus animas : anima enim, quæ eſt motor in eis, diſtinguitur à corpore, vt eſt motum ſecundùm definitionem, licèt non diſtinguitur ſecundùm eſſe, ſcilicet quod inpoſſibile eſt animam eſſe ſine corpore. Et quia corpora ſimplicia ſunt vna ſecundùm definitionem, & vnum eorum poteſt diuidi in motorem, & motum, neceſſe eſt, vt non ſint mota ex ſe niſi eſſet poſſibile, vt motor eſſet ipſum motum. Si igitur aliquis dixerit, quod ſunt corpora ſimplicia compoſita ex materia, & forma, quorum vtrumque eſt diſtinctum ſecundum definitionem à reliquo. Dicimus ad hoc, quòd prima materia non eſt exiſtens in actu, & illud, quòd mouetur ex ſe debet diuidi in motorem, & motum in actu, quoniam illud, quod eſt in potentia neque mouetur, neque mouet. Si igitur lapis, vel graue mouetur ex ſe, contingeret vt eſſet mouens, & motum eodem modo ſecundùm formam, quam non eſt exiſtens in actu, niſi ſecundum formam, quod eſt impoſſibile.* Hæc ille.

5. d *Primò oſtendo oppoſitum per auctoritates.*

Hîc Doctor intendit probare auctoritatibus & rationibus, quòd grauia, & læuia, & multa alia corpora ſimplicia poſſint mouere, ſic, quod graue habet principium intrinſecum cauſatiuum ſui motus localis, & ipſum graue eſt receptiuum huiuſmodi motus : & primò auctoritate Philoſophi 8. *Phyſicorum. Quoniam*, inquit, *potentia eſſe, multipliciter dicitur, hoc autem cauſa eſt, non eſſe manifeſtum à quo huiuſmodi*, ſcilicet grauia, & læuia mouentur, vt ignis ſurſum, terra deorſum. Deinde *diſtinguit potentiam ad actum primum, & ad actum ſecundum, vt patet de potentia ad ſcientiam, & conſiderationem.* Potentia enim ad ſcientiam, ſiue ad habitum ſcientiæ, dicitur potentia ad actum primum, & potentia ad actualem conſiderationem, dicitur potentia ad actum ſecundum. Sequitur. *Et applicando ad propoſitum*, &c.

Nota, quòd potentia ad actum primum communiter dicitur potentia eſſentialis, ſiue potentia remota, quia talis potentia eſt ad formam, quæ eſt ratio formalis agendi, & principium productiuum actus ſecundi : vt autem eſt ſub tali forma, ſiue actu primo, tunc eſt in potentia accidentali, ſiue propinqua ad actionem, ſiue ad actum ſecundum ; & ſic ignis eſt in potentia eſſentiali, vt fiat frigidus, id eſt. quòd materia, quæ eſt ſub forma ſubſtantiali ignis, eſt in potentia eſſentiali ad formam ſubſtantialem aquæ, quæ eſt principium formale infrigidandi, & vt actu eſt ſub tali forma, eſt in potentia accidentali, ſiue propinqua ad actum ſecundum, quod eſt infrigidare. Sequitur.

6. *Ita etiam dicit ipſe de graui*, &c. Et vult dicere in ſententia, quòd quando aër, qui formaliter eſt leuis, cùm habeat in ſe leuitatem, cauſatur ex aqua, quæ formaliter eſt grauis, tunc ex graui fit leue, & eſt ſimiliter, vt priùs de igne ; nam materia dicitur in potentia eſſentiali ad læuitatem, quæ eſt principium productiuum motus ſurſum : & dicitur in potentia accidentali ad alicubi eſſe, vt cùm aër agit in aquam, expellendo formam ſubſtantialem aquæ, & formam leuitatis, introducendo ſcilicet formam ſubſtantialem aëris, ad quam concomitatur leuitas, ſic talis materia aquæ dicitur eſſe in potentia eſſentiali ad eſſe ſurſum, ſiue in potentia remota : at verò actu eſt ſub forma aëris, & per conſequens ſub forma leuitatis eſt in potentia propinqua adeſſe ſurſum. Sequitur. *Actus autem leuis eſt alicubi eſſe, &c.* id eſt, quòd leue non ſtatim ſit ſurſum, prohibetur dum eſt in contrarium, id eſt, deorſum, nam vt leue eſt deorſum prohibetur ne ſtatim ſit ſurſum ; & ſic patet quomodo leue habet in ſe principium ſui motus. Sequitur : *Vade nihil valet exponere, quòd cùm ſit in actu leue eſt actu leue, ita quòd leuis eſt aſcendere*, id eſt quòd cùm materia aquæ eſt ſub forma aëris, & ſub forma leuis, tunc actu leuis eſt, & vt leuis eſt aſcendit.

Contra hoc arguit Doctor, quia ſi iſta opinio intelligit quòd aër vt actu leuis eſt, ſtatim aſcendit per principium ſibi intrinſecum, & ſic opinio verum dicit. Si autem ſic intelligit, quòd actu leuis eſt, & leue naturaliter inclinatur ad eſſe ſurſum, ſed non poteſt eſſe ſurſum à principio intrinſeco, ſed ab agente extrinſeco. Hoc eſt manifeſtè falſum, cùm dicit Ariſtoteles vbi ſuprà, quòd mox operabitur, niſi prohibeatur; phibetur

autem à potentia violenta, vt exponit Commentator. & dicit Doctor quòd tale prohiberi non poteſt intelligi de actu primo leuis, quia actus leuis non poteſt prohiberi, vel impediri, ſicut etiam ignis, vt eſt ſub calore, non prohibetur quin ſit ſub actu primo; poteſt tamen prohiberi ne calefaciat; ſic eſt de leui, quòd ſi ponatur deorſum non poteſt prohiberi quo ad actum primum: patet, quia non quocumque loco ſit, ſemper habet leuitatem, quæ eſt principium formale productiuum motus ſurſum. Poteſt tamen prohiberi quo ad rectum ſecundum, quia dum detinetur deorſum violenter, tunc prohibetur aſcenſus eius. Si igitur Ariſtoteles vult, quòd cùm mox fuerit leue, ſtatim eſt ſurſum, niſi prohibeatur, ſequitur, quòd leue habeat principium intrinſecum ſui motus.

e *Idem etiam quarto Phyſicor.* &c. *ſecundùm autem durum & molle paſſiua.* Vnde tex. 85. ſic dicit: *Duo enim ſunt in viroque denſo & raro, graue enim & durum denſa videntur eſſe. Contrarium verò rara, leuéque molle.* Et pòſt ſequitur in text. 86. circa finem. *Denſum*, inquit, *& rarum ſecundùm hanc contrarietatem motus, ſcilicet ſurſum & deorſum actiua ſunt, ſecundùm autem durum & molle paſſiua, & non paſſibilis receptiua, & non loci mutationis, ſed alterationis magis.* Hæc ille Et licèt Commentator videtur exponere ſic, quòd corpora non recipiunt translationem, niſi hoc modo contrarietatis ſcilicèt ſecundùm raritatem, & denſitatem tamen vbi habentur verba expreſſa Philoſophi magis videtur dici conſequenter ad ea, quàm extorquere ea. Dicit Commentator Parùm infrà ſic: *Durities verò & molities non ſunt cauſa translationis, ſicut denſum & rarum, ſed ſunt cauſa facilitatis, & difficultatis translationis, quoniam ſi corpus, in quo eſt translatio, fuerit molle, translatio erit facilis in ea, ſicut in aëre, & cùm fuerit durum, erit difficilis, aut impoſſibilis, ſicut in terra.* Et parum pòſt, *& non ſunt cauſæ translationis in loco, ſicut ſunt leue, & graue, ſed ſunt cauſæ translationis propriæ, & intendit, vt multis videtur, quòd molle eſt cauſa paſſionis, & durum actionis, molle enim eſt paſſiuum, & durum actiuum*, hæc ille.

8. f *Et ſi obijcias*, quia ſecundo de Generatione text. comment. 8. *Horum*, inquit, *graue & leue, neque actiua, neque paſſiua, non enim in faciendo aliquid aliud, neque in patiendo ab alio dicuntur*: hæc ille.

Reſpondeo. Dicit Doctor hîc, quòd entia naturalia ſecundùm graue & leue ſunt actiua. Et cùm dicit Ariſtoteles quòd non ſunt actiua. Dicit Doctor quòd Ariſtoteles intendit de actione, ſiue de motu ad formam; & verum eſt, quòd grauitas non eſt ratio formalis producendi formam abſolutam in aliquo; & ſimiliter leuitas: nec etiam grauitas, & leuitas ſunt rationes formales diſponendi aliquod ſubiectum ad formam ſubſtantialem, ſicut caliditas in igne eſt ratio formalis diſponendi lignum, vt materia ipſius ſit ſuſceptibilis formæ ſubſtantialis ignis, nec ſimiliter ſunt paſſiua, quia grauitas in aqua non eſt ratio formalis, quare aqua patiatur ab igne, licèt benè frigiditas, quæ contrariatur caliditati. Non autem negat Ariſtoteles. quòd grauitas & leuitas ſunt principia agendi reſpectu motus; & hoc modo poſſunt dici principia actiua, & paſſiua motus. Et ſic patet, quomodo aliter loquitur Ariſtoteles de principio paſſiuo & actiuo, grauis & leuis, in ſecundo de Generatione, & aliter loquitur in octauo Phyſicorum, *text. comment.* 86. Expono tamen literam iſtam, cùm dicit, *Reſpondeo dico, quòd contradiceret ſibiipſi.* Nam in 8. Phyſyc. dicit quòd licèt graue & leue non ſint actiua, ſed tantùm paſſiua, vt ſuprà patuit à *textu* 28. vſque ad textum 30. incluſiuè, & in ſecundo de Generatione, tex. vbi ſuprà dicit, quòd non ſunt, neque actiua, neque paſſiua, & probatio ſua patet ibi, cùm dicit, *oportet autem actiua inuicem, & paſſiua eſſe elementa, miſcentur enim, & tranſmutantur adinuicem*, hæc ille.

Expoſitio literæ.

9. g Aliter igitur loquitur ipſe de actione in 8. Phyſic. &c. *In libro autem de Generatione.* tex. 8. *Calidum*, inquit, *& frigidum, humidum & ſiccum, hæc quidem, quia actiua ſunt, hæc autem, quia paſſiua dicuntur*: hæc ille.

Quomodo agens, & patiens ſint æquiuoca, & vniuoca.

Et addit Doctor quòd hoc eſt verum de actione vniuoca, quia agens & patiens ſunt in principio æquiuoca, & in fine vniuoca; patet, nam ignis & aqua, quæ ſunt contraria in principio actionis dicuntur æquiuoca, & in fine vniuoca, quod ſic declaro: Cùm enim ignis agit in aquam, in principio actionis materia ignis eſt ſub forma ignis, & materia aquæ adhuc eſt ſub forma aquæ, quæ formaliter differunt ſpecie, & ſic ſemper ignis, & aqua in principio actionis ſunt æquiuoca. Dum autem ignis in fine actionis expellit formam aquæ, & in materia ipſius introducit formã ignis, tunc materia aquæ fit ſub forma ignis, quæ eſt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ cum forma ignis agentis; & ſic ignis productus compoſitus ex forma ignis, & materia quæ priùs erat ſub forma aquæ eſt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ cum igne producente.

h *Similiter in actione æquiuoca ſimile eſt agens producto ſecundum formam ſimilitudine æquiuoca*, quod ſic debet intelligi, quòd eſt aliquod agens, & paſſum, quæ ſunt ſemper æquiuoca tam in principio actionis, quàm in fine, id eſt, quòd materia paſſi, licèt amittat formam priorem, ſemper tamen fit ſub forma alterius ſpeciei à forma agentis. Exemplum de Sole, quando agit in aliquam materiam, puta exiſtentem ſub forma vermis, expellit in fine actionis formam vermis, & generat ibi formam muſcæ, quæ non eſt eiuſdem ſpeciei cum Sole: eſt igitur tale agens ſimile paſſo in fine actionis ſimilitudine æquiuoca, ſiue virtuali, de qua dictum eſt ſuprà in primo, diſtinct. 3. q. 8.

Exemplum.

10. *Quomodo grauia & leuia ſunt principia agendi, & patiendi.*

Sequitur: *Sicut ipſe concedit ibi in primo de generatione*, vide tex. Nam ſanitas dicitur tantùm æquiuocè de medicina, & corpore ſano, quia de medicina tanquam de ſigno ſanitatis, & de corpore ſano, tanquam de ſubiecto ſanitatis.

Sequitur. *Hoc autem modo negat in* 2. de Generatione, cùm dicit: *Horum autem graue quidem, & leue, neque actiua, neque paſſiua, non enim in faciendo aliud, neque in patiendo ab alio dicuntur, oportet autem actiua inuicem, & paſſiua eſſe elementa.*

Sequitur: *Et ideò non ſunt principia producendi aliquid ſecundum formam aliquam*, ſcilicet abſolutam, vt ibidem loquitur de principio patiendi ab aliquo agente correſpondẽte tali actioni, quia non ſunt principia recipiendi formam abſolutam ab aliquo agente.

Sequitur: *Sunt tamen principia actiua aliquo modo reſpectu motus localis ad* vbi, *& aliquo modo paſſiua reſpectu eiuſdem*, id eſt, quòd graue habet

habet in ſe rationem formalem agendi, puta grauitatem; & rationem formalem patiendi, puta formam talis compoſiti, ſiue aliquid aliud: & ſic patet iſta litera.

i *Ad hoc etiam poteſt adduci auctoritas Comment.* 31. Cæli & Mundi, com. 28. circa finem. *Et quia*, inquit, *motor eſſentialiter diſtinguitur à moto, ſicut in animalibus: motor enim in eis eſt alius à moto, cùm motor ſit animal, & motum ſit corpus, in corporibus autem ſimplicibus idem eſt motor ſecundùm ſpem, & motum, ſed differunt ſecundùm modum, lapis enim mouet ſe inquantum eſt grauis in actu, & mouetur inquantum eſt potentia inferius: inuenitur enim vno modo in actu, & alio modo in potentia, & cauſa eſt hæc, quia componitur ex materia & forma; forma igitur eius mouet inquantùm eſt forma, & mouetur ſecundùm quod eſt in materia, non enim eſt in potentia ad inferius, niſi ſecundùm quòd eſt in materia.* Hæc ille, & patet ex iſto textu quomodo accipit corpora ſimplicia, quia accipit corpora ſimplicia, quæ ſunt vniformia in toto, & in partibus.

Sequitur. *Sed de hoc videtur variè loqui*, quia in commento ſupradicto *videtur velle, quòd lapis moueat ſe per accidens pellendo medium, ſicut nauta mouet ſe mouendo nauem, in qua exiſtit*, & parum infrà; *lapis*, inquit, *non eſt per ſe motus eſſentialiter, ſed aſſimilatur ei, quod mouetur per ſe, ideo indiget in ſuo motu motore extrinſeco*, &c. hoc idem in octauo Phyſicorum, commento 32.

11. Quomodo grauia & leuia poſſint mouere ſe.

k *Ad iſtam concluſionem ſunt rationes.* In iſta litera Doctor intendit probare rationibus, quòd grauia & leuia poſſunt mouere ſe. Prima talis eſt, omnis effectus quando in actu cauſatur, habet cauſam in actu, vt patet 2. Phyſic. tex. com. 37. *Differunt*, inquit, *in tantum quòd operantes quidem, & ſingulares ſimul ſunt, & non ſunt, & quorum ſunt cauſæ, ſicut hic medicus, cum hoc, qui fit ſanus, & hic ædificator cum ædificato, quæ autem ſunt ſecundùm potentiam non ſemper*, ſupplè ſimul ſunt, *& non ſunt, corrumpitur enim, & non ſimul domus, & ædificator*: hæc ille. Et ibi Commentator. *Differentia*, inquit, *inter cauſas, quæ ſunt actu, & quæ ſunt potentia eſt, quoniam quæ ſunt actu inueniuntur cum illis, quorum ſunt cauſæ, & deficiunt cum illis: verbi gratia, quoniam iſte medicus non eſt curator in actu, niſi cum hoc curato in actu.* Hæc ille. Hoc idem vult Philoſophus, quinto Metaph. capitulo de Cauſa tex. com. 3. *Differunt*, inquit, *in tantum, quòd agenda quidem, & ſingularia ſimul ſunt, & non ſunt, & ipſa, & quorum cauſæ, vt hic medens, cum hoc conualeſcente, & hic ædificator cum hoc ædificio.* Hæc ille. Ex hac auctoritate arguit Doctor deſcenſus grauis eſt in actu; ergo eſt aliquid cauſans in actu, non autem tunc eſt in actu à remouente prohibens, neque per conſequens ab impellente ipſum graue fertur deorſum; patet, quia impellens non continuat ſemper motum illum, vt patet de proijciente lapidem deorſum; ſed benè verum eſt, quòd in principio motus dum lapis impellitur, ille motus erit fortè velocior in principio; imò impellens non per ſe mouet deorſum, quia in hoc eſt quaſi remouens prohibens, & tale mouens ſecundùm Philoſophum 8. *Phyſicorum, tex. comment.* 32. eſt quaſi mouens per accidens, *Suſtinens*, inquit, *& prohibens dimouens eſt ſicut mouens, eſt autem ſicut non, vt columnam euellens, aut lapidem remouens, aut è vaſe aquam.* Secundum accidens enim mouet, ſicut repercuſſa ſphęra non à pariete mota eſt, ſed à proijciente. Et Commentator ibi: *Si aliquis*, inquit, *homo aufert columnam ſuſtentantem pondus, tunc ille homo mouebit illud pondus, & cadet illud ponderoſum ad inferius per accidens; & ſimiliter quando aufert lapidem poſitum ſuper vtrem inflatum, ille homo dicitur mouere illum vtrem per accidens, & dicitur mouere per accidens, quia iſta potentia eſt violenta*: hæc ille. Sequitur in litera Doctoris: *Et præter, mouens per accidens oportet dare mouens per ſe efficiens*, quia omne per accidens habet reduci ad per ſe, vt patet per Philoſophum. 2. Phyſic. tex. com. 65. *Quoniam*, inquit, *ſunt caſus, & fortuna cauſæ eorum, quorum vtique autem intellectus fiet cauſa, aut natura cum ſecundùm accidens cauſa aliqua fiat horum ipſorum; nihil autem ſecundùm accidens prius eſt his, quæ ſunt per ſe manifeſtum eſt, quòd neque per accidens cauſa prius eſt ea, quæ eſt per ſe.* hæc ille. Si ergo impellens mouet per accidens lapidem, ſequitur quòd talis motus debeat reduci ad aliquam cauſam per ſe.

l Sequitur in littera Doctoris. *Nec iſtud poteſt eſſe centrum trahens.* Hic reſpondet huic obiectioni, ſcilicet ſi quis velit aſſignare cauſam talis motus eſſe centrum &c. Dicit quòd hoc non poteſt eſſe cauſa, quia ſi, per impoſſibile, nullum graue eſſet in centro, ſed tota terra mota ab eo remanente centro ſub ſola ratione cētri, vt priùs, adhuc graue naturaliter tenderet ad centrum? quid ergo attrahi? non *vbi* mathematicum; patet, quum vltima ſuperficies corporis locantis nō ſit forma actiua. Nec influentia cœli, vt aliqui dicunt, quia influentia cœli quantùm eſt de ſe, vniformis eſt in toto medio, puta in toto aëre, quare ergo aliquod ens naturale mouetur ſurſum vt leue, & aliquod deorſum, vt graue, cùm ſit talis influentia vniformis in toto medio? vel ergo omnia grauia & leuia, vniformiter mouebuntur deorſum, vel omnia ſurſum cuius contrarium apparet.

12. Scotus reſpondet tacitè obiectioni.

m Sequitur, *niſi poneretur agens particulare determinans*, &c. Vult dicere Doctor ſi vis dicere, quòd graue actu motum ab agente extrinſeco mouet ſe, id eſt, quòd ipſum graue, vt actu habet in ſe motum localem, tunc mouet ſeipſum ſecundùm quòd actu illum motum habet ab agente exteriori; & eſt ſenſus, quòd ſi graue mouetur deorſum per ſpatium vnius miliaris, agens extrinſecum primò incipit mouere ipſum graue cauſando in ipſo motum, tunc ille motus cauſatus erit principium mouendi ipſum graue per totum ſpatium. Contra hoc arguit Doctor, quia nihil mouet ſe vniuocè ad illud, quod habet, id eſt, quòd ratio formalis producendi aliquid, puta eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ non poteſt producere illud in illo ſubiecto in quo eſt: ſicut caliditas in igne, & ſi ſit ratio formalis producendi caliditatem in ligno, tamen non eſt ratio formalis producendi aliam caliditatem in ipſo igne: hoc idem dico de generante, quia & ſi humanitas ſit ratio formalis in Franciſco producendi aliam humanitatem, puta in Ioanne, non tamen eſt ratio formalis producēdi aliam humanitatem in Franciſco. Si ergo motus localis in graui eſt ratio formalis producendi alium motum localem in ipſo graui, qui eſt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ cum primo, tunc ſequeretur quòd moueret ſe vniuocè ad id, quod habet: benè poteſt eſſe ratio formalis

Nihil mouet ſe vniuocè.

producendi aliquid æquiuocè in ſe, & ſic grauitas in corpore graui eſt huiuſmodi. Sequitur ibi: *nec generans.* Deinde dicit quòd cauſa huius mótus non poteſt aſſignari ipſum generans, graue, vel leue, quia tale generans poteſt non eſſe, graui exiſtente, & per conſequens graue poteſt moueri generante ipſum non exiſtente: modò effectus in actu non eſt, niſi à cauſa in actu *ex 2. Phyſ. tex. c.37.* Et licèt Commentator videatur dicere *in 8. Phyſ. c.32. circa finem huius commenti* quòd mouentus à generante, vbi ſic dicit: *& intendebat declarare ex iſto ſermone, quòd motus corporum naturalium in hoc loco eſt in rei veritate ab eo, quod generat ipſa, ſicut alia accidentia, quæ inueniuntur generari in re per generationem ipſius. Sent. ſuper diſt. 3.4. & 5.* quòd loquitur de agente remoto, quia tale agens generando graue dat graui principium ſui motus. Et ſi Commentator intelligeret, quòd generans graue ſit agens propinquum, & immediatum reſpectu motus grauis, experientia eſt in contrarium.

Opin. Gothfredi.

14. n *Contra iſtud.* Hìc Doctor improbat hanc reſponſionem, quia cauſam manere in effectu in virtute, nihil aliud eſt, niſi effectum habere *eſſe* à tali cauſa: ex quo enim effectus erat in virtute cauſæ antequam produceretur, ipſo producto cauſa manet in effectu in virtute: & quòd effectus habet *eſſe* per cauſam, quæ habebat ipſum in virtute ſua; ſed cauſam ſic manere in effectu in virtute, non dicit aliquod *eſſe* in actu in cauſa: patet, quia effectus poteſt manere ea non exiſtente, & ſic ſequitur, quòd graue non poteſt manere virtute alicuius cauſæ actu non exiſtentis, cùm effectus non poſſit eſſe in actu, niſi à cauſa in actu.

o *Præterea, illud quod non mouet aliud* &c. Nec eſt ſecunda ratio quam facit, probando quòd graue habeat in ſe principium ſui motus, & declaro priùs propoſitionem illam per exemplum, quia inſtrumentum, puta ſerra, non mouet, ſcilicet ſcindendo lignum, niſi inquantùm mota ab artifice; igitur talis ſectio erit ab eodem agente effectiuè, à quo, & motus ſerræ, vt patebit *in 4. diſt. 1. & 4.* Ex hoc infero propoſitum, quia graue non mouet leue deorſum ſibi alligatum, niſi quia motum ab alio; ergo ab eodem principio erit motus ipſius leuis, & ipſius grauis; ſed conſtat ipſum leue moueri deorſum ratione grauitatis exiſtentis, puta in lapide, cui leue alligatum eſt; ergo & ipſa grauitas erit ratio mouendi ipſum graue per ſe. Et Doctor in iſta ratione ſupponit, quod probauit in prima ratione, videlicet quòd graue non moueatur, nec ab impellente, nec ab influentia cæli, nec à centro, nec à generante; ergo ſi graue mouet leue alligatum, quia motum ab alio, erit ipſum graue priùs motum realiter ab eodẽ, à quo & leue mouetur deorſum.

Exemplum.

p *Poſſet confirmari illa ratio,* &c. Iſta confirmatio ſtat in hoc, quòd habens potentiam actiuam reſpectu alicuius formæ poteſt eam cauſare in quocumque paſſo ſibi proportionato; patet de igne, qui habet in potentia actiua calorem, & per conſequens poteſt illum cauſare in quocunq; calefactibili ſibi proportionato: cùm ergo graue habeat in potẽtia actiua *vbi* deorsũ, poterit illud cauſare in paſſo ſibi proportionato; ſicut ergo poteſt cauſare *vbi* deorſum in leui alligato graui, multò magis poterit cauſare *vbi* deorſum in ipſo graui cùm ſit paſſum receptiuum, & proportionatum reſpectu talis *vbi.*

Nota dili genter.

15. q *Hoc etiam poterit ſatis patere.* Hæc ratio eſt ſatis bona: & ſtat in hoc, quia quæro à te, cùm graue quieſcat in centro, quæ ſit cauſa ipſius quietis, videlicet quòd quieſcat ibi? Si dicis, quòd grauitas, quod vtique verum eſt, cùm nulla alia cauſa appareat; Sequitur quòd eadem grauitas erit principium intrinſecum mouendi graue exiſtens extra centrum ad *vbi* in centro, vbi quieſcit, & quòd eadem ſit cauſa motus, & quietis: expreſsè patet à Philoſopho 8. Phyſic. tex. commen. 29.

Si aliquis, inquit, *eſt cauſa ſuiipſius in ambulatione, eſt etiam cauſa ſuiipſius in dimittendo ſui ambulationem.* Hæc ille, & hoc ſecundùm tranſlationem Commentatoris, vbi Commentator ſic dicit; *ſi ignis eſſet cauſa in ſe, per quam poſſet moueri ſine indigentia cauſæ extrinſecæ, tunc per iſtam cauſam poſſet quieſcere ſine indigentia cauſæ extrinſecæ. Res enim in qua eſt cauſa, quæ poteſt moueri ſine indigentia cauſæ extrinſecæ ſicut animal in quo eſt anima, per illam poteſt quieſcere:* hæc ille.

r *Præterea graue impeditum à motu remouet prohibens.* Hæc ratio eſt ſatis clara, & ſtat in hoc; ex quo enim graue poſitum ſuper aliquod continuum, ratione ſuæ grauitatis frangit, & diſſoluit illud continuum, vt petat centrum, ſequitur quòd talis grauitas erit cauſa talis diſcenſus: patet, quia ſi eſt cauſa fractionis continuè propter deſcenſum ad centrum, multò fortiùs erit cauſa ipſius deſcenſus.

ſ *Hoc etiam declarari poteſt aliter.* Hæc declaratio eſt ſatis bona, quia ponendo duo grauia in eadem diſtantia ad centrum, & in eadem influentia cæli, quorum vnũ ſit graue vt 8. (& aliud vt quatuor. Certum eſt) quod graue, vt 8. (vt experimento patet) velociùs deſcendit; ergo reſpectu motus velocioris non videtur poſſe aſſignari alia cauſa, quàm ipſa grauitas in ipſo graui. 16.

Graue mouet ſe effectiuè.

Item motus naturalis intenditur in fine ſecundùm Philoſophum, &c.

t Reſpondeo tunc ad Philoſophum, &c. Et tota iſta reſponſio ſtat in hoc, quòd habens formam, quæ eſt principium alicuius formæ vniuoce id eſt eiuſdem ſpeciei cum forma producendi, vel principium alicuius formæ æquiuocè, quæ forma ſit alterius ſpeciei à forma producente, talis forma productiua erit ratio formalis produducendi formam æquiuocè, vel vniuocè in quocunque paſſo ſibi proportionato: ſed lapis exiſtens ſurſum eſt in potentia paſſiua ad *vbi* deorſum, & grauitas in lapide eſt principium actiuum æquiuocum reſpectu talis *vbi*: ergo poterit cauſare illud in lapide, cùm ſit paſſum ſibi debitè approximatum.

Sequitur: *Non enim mouens mouet mobile ad aliquod vbi* &c. & hæc propoſitio eſt ſimilis huic propoſitioni, quæ habetur *diſt. 3. primi. q. 7.* ſcilicet quòd idem poteſt eſſe in actu virtuali, & potentia formali, quæ ibi diffusè expoſita eſt. Dicit ergo Doctor quòd mouens aliquod graue ad *vbi* A, cauſans tale *vbi* in graui non requiritur, quòd habeat ipſum *vbi* formaliter, ſiue in ſe; ſed requiritur, quòd habeat illud in virtute ſua.

An motus ſit naturalis.

u *Mobile habet principium intrinſecum paſſiuum naturaliter inclinans ad motum*: quod patet per definitionem naturæ, 2. Phyſicorum, tex. commen. 3. *Eſt*, inquit, *natura principium alicuius, cauſa mouendi, & quieſcendi in eo, in quo eſt primum, & per ſe, & non ſecundùm accidens, dico autem non ſecundum accidens, cùm fiat vtique ipſe ſibi*

ſibi aliquis cauſa ſanitatis,cùm ſit medicus,ſed tamen non ſecundùm quòd ſanatur, medicinam habet, ſed accidit eundem medicum eſſe, & ſanari. Vnde & diuiduntur aliquando adinuicem. Hæc ille, & ſic Ariſtoteles intelligit de principio paſſiuo, cùm nihil ſit principium alicui naturaliter mouendi, niſi inquantùm eſt per ſe,& primò in eo, quod mouetur; non eſt autem per ſe, & primò in aliquo, quod mouetur, niſi inquantùm eſt paſſiuum; ergo non eſt aliquid natura,vel principium naturale alicuius,niſi quia eſt principium paſſiuum in moto, id eſt, quòd talis motus non poteſt dici naturalis ex hoc, quòd efficitur ab agente naturali; quia tunc motus violentus poſſet etiam dici naturalis,cùm poſſit fieri ab agente naturali, prout agens naturale diſtinguitur contra agens à propoſito. Sed dicitur naturalis ex hoc, quòd mobile naturaliter inclinatur ad illud: & intelligitur ſic,quòd natura primò, & per ſe prædicatur de principio paſſiuo, quod habet naturalem inclinationem, vel ad formam ſubſtantialem, vt in generatione, vel ad receptionem naturalem motus, & quietis, ſicut patet de graui, quod mouetur ad *vbi* deorſum.

18. Sequitur,*non propter illud principium actiuum mouetur naturaliter,* ſuple ipſum mobile,*ſed propter principium paſſiuum, propter quod ſic mouetur*, ſuple quia tale mobile habet naturalem inclinationem ad recipiendum in ſe talem motum: & hoc eſt, quod ſubdit Philoſophus *in* 8. *Phyſic. tex com.*32. poſtquam dixit, quòd actus leuis eſt eſſe alicubi, & ſurſum, dicit ipſe, quæritur, quare mouentur in ipſorum loca grauia,& leuia? Et reſpondet ſic, *cauſa autem eſt, quia apta nata ſunt alicubi eſſe, & hoc ex leui & graui eſſe, hoc quidem ſurſum, illud autem deorſum duci.* Hæc ille. Cùm dicit *apta nata*, id eſt habent naturalem inclinationem ad illud.

Quare mouentur in ipſorum loca grauia, & leuia.

Sequitur: *Et hoc modo poſtea ſubdit, quòd habent principium patiendi, & non faciendi, ſcilicet reſpectu motus inquantum naturalis eſt*, vt patet in fine illius textus, vbi ſic dicit: *Quidem igitur nihil horum*, puta grauium,& leuium *mouet ſeipſum, manifeſtum eſt, ſed motus habet principium non mouendi, neque faciendi, ſed patiendi.* Hæc ille, id eſt, quòd res mota reſpectu motus naturalis in genere huiuſmodi, non habet principium actiuum,ſed tantùm paſſiuum, quia talis motus ideò dicitur naturalis, non quia cauſatur, ſed quia receptiuum habet naturalem inclinationem ad ipſum. Et ſic debet exponi Philoſophus, ſicut etiam videtur exponere Commentator vbi ſuprà c.32.in fine huius commenti.

Quare motus grauium & leuium dicatur naturalis.

Sequitur. *Et ibi ita in ſolutione huius dubitationis.&c.* De actiuo patet ibi:*Cùm*,inquit,*ſit aër aqua quodammodo potentia, & leue, & cùm aër eſt potentia, cotingit enim per impedimentum non ſurſum eſſe, ſed ſi auferatur impediens agit, & ſemper ſurſum fit.* Hæc ille. quæ auctoritas expoſita eſt ſuprà. Et de principio paſſiuo patet in fine textus, vbi vult, quòd mobile non habeat principium faciendi,ſed tantùm patiendi eo modo, quo expoſit ſuprà. 19.

Ibi. *Quarta ratio ſua de continuo.* Dicit Doctor quòd illa quarta ratio non concludit de quanto, ſiue de continuo inquantùm quantum abſolutè, ſed de continuo, vt etiam dicit Commentator 8. *Phyſic.commen.*30. *Illa*, inquit,*quæ ſunt conſimilia partium ſimplicium impoſſibile eſt, vt moueant ſe.* Hæc ille: & ſic concedit Doctor, quòd graue hoc modo non mouet ſe, ſicut dicimus de alio continuo quòd non moueat ſe totum ſimul, ſed vna pars mouet aliam, & illa mota mouet aliam; ſicut cùm aër calefit, vna pars calefacta calefacit aliam, & illa aliam, & ſic tandem totus calefit, ſed non eſt ſic de graui, non enim vna pars grauis mouet aliam, nec eſt ratio mouendi ſe, cùm quælibet habeat in ſe grauitatem, totum compoſitum ex omnibus partibus habet in ſe principium mouendi ſe totum.

Quomodo graue non moueat ſe.

Sed obijcies. Hic Doctor obijcit contra ſe,quia ſi Philoſophus 8.*Phyſic.*probat quòd primus motor ſit tantùm mouens, & non motus, per hoc, quòd omne, quod mouetur ab alio mouetur, vt patet 7.*Phyſic. tex. com.*1. *& inde*, & ſic non eſt proceſſus infinitum in motis ab alio; ergo ſtandum eſt ad vnum motorem,qui tantùm moueat; ſi ergo concederet Ariſtoteles quòd graue moueret ſe,hoc idem poſſet dici de graui.qudd dicitur de primo motore, videlicet quod mouet, & non mouetur.

Dico,quòd ſatis habet hoc ex diſtinctione potentiæ. Hîc Doctor dat ſingularem expoſitionem Ariſtotelis quæ expoſitio ſententialiter ſtat in hoc,ſcilicet quòd ſaltem omne aliud à Deo, mouetur ab alio, quo ad actum primum, & ipſo poſito in actu primo, poteſt poſtea mouere ſe ad actum ſecundum; & ſic iſta litera clara eſt, & ſufficit Philoſopho hoc primum, ſcilicet quòd ſit mobile ad actum primum,quia per hoc deuenietur ad aliquid tale ab omnibus iſtis, quod nec in vno motu, nec in quocumque poterit moueri ab alio, ſed erit omnino mouens immobile, & quo ad actum primum,& quo ad actum ſecundum.

SCHOLIVM.

Remiſsiuè ad primum docet quomodo aliquid ſit ſimul in actu & potentia, de quo 1.*d.*3.*q.*7. *ad* 1,*pro* 2.*opin.&* 2.*d.*3.*q.*8.*ad* 4.*& d.*25.*qu.*1.*ad* 1.*docet etiam ad ſecundum latè,quomodo graue moueat ſe primò,explicando duas primitates totalitatis,& cauſalitatis præciſæ,ſuſtineneo ſubtiliter Philoſophum.*

1. AD primum [a] argumentum principale dictum eſt *d.*3.*primi.*quomodo poteſt aliquid agere in ſe, & reſponſum eſt ibi ad illud argumentum. Quod autem additur pro confirmatione, quòd quædam diuidentia ens ſunt incompoſſibilia in quocunque: igitur & iſta, concedo de iſtis vt ſunt oppoſita. Oppoſita autem ſunt, prout dicunt modos cuiuslibet entis, prout ſcilicet idem eſt ens in potentia antequam actu ſit, & ens in actu, quando iam eſt: & iſto modo nulli eidem conueniunt, nec

*q.*7.*ſoluendo rationes* 2.*opin.*

Eſſe in potentia & in actu ſimul quomodo ſtat.

nec formaliter, nec etiam denominatiuè: quod ſcilicet idem dicatur ens denominatum ſimul ab aliquo in aliquo actu,& ab eodem in potentia. Vt tamen actus accipitur pro principio actiuo,& potentia pro principio paſſiuo,quæ cadunt infra eſſentiã cuiuſlibet definibilis vel definiti;ſic non ſunt oppoſita,nec ſic diuidunt ens,nec repugnat alicui eidem. *Actus & potentia quomodo diuidunt. ens ?*

Ad ſecundùm argumentum [b] dico primò ad auctoritatem illam 8.Phyſ.quòd ſcilicet omne mouens per cognitionem diuiditur in duo, quorum vnum eſt primò mouens,& aliud eſt primò motum: & ratio huius eſt, quia potentia motiua talis mouentis eſt potentia organica, ita quòd illa requirit non tantùm diſtinctionẽ inter corpus & animã, ſicut inter mouẽs & motum,ſed fortè in ipſo corpore,in quo virtus organica, requirit partem corporis mouentem diſtinctam à parte mota non eſt autem ita neceſſe de mouente ſe non organice,quia totum eſt vniforme quantùm ad actum primum, & totum in potentia quantùm ad actum ſecundum. *Mouens ſe organice in duo diuiditur.*

13 Sed ad probationem illius propoſitionis [c], quæ accipitur ex principio 7.Phyſ. vbi probatur quòd nihil mouet ſe primò:dico, quòd hoc quod dicit *primò* dupliciter poteſt accipi. Vno modo poteſt dici idẽ quòd eſt *ſecundùm totum*, & opponitur ei, quòd eſt *ſecundùm partem*: & hoc modo accipit Philoſophus moueri primò in 5. Phyſ. vbi diſtinguit, quòd aliquid mouetur ſecundùm accidens; aliquid ſecundùm partem;& aliquid primò & ſimiliter in 6. vbi dicit quòd quiquid mouetur in aliquo tempore, primò mouetur in quolibet illius temporis, & alibi frequenter. Alio [d] modo hoc, quod eſt *primò* dicit cauſalitatem præciſam: quomodo accipitur in 1. Poſter.in definitione vniuerſalis. Dico tunc [e] quòd ratio Ariſtotelis in principio 7. benè probat quòd nullum corpus mouetur à ſe primò hac duplici primitate ſimul: quia ſi mouetur à ſe primò, id eſt, ſecundùm ſe totum:igitur motus ineſt cuilibet parti eius.Cõſequentia tenet per hoc,quòd totum inquantum mouẽs eſt homogeneum, & moueri eſt paſſio homogenea,paſſio autem homogenea non ineſt toti primò hac primitate niſi inſit cuilibet parti eius:ſequitur igitur, quòd ſi totum mouetur primò hoc modo quòd ſi pars quieſcit, totum quieſcit. Accipiendo autem aliam primitatem cauſalitatis præciſè,ſi totum mouetur à ſe primò,non remouetur hoc prędicatum,quod eſt *moueri ab ipſo*, propter hoc, quod remouetur ab aliquo, quod non eſt ipſum, nec remouetur ab ipſo propter id, quod remouetur ab aliquo, quod eſt eſt aliquid eius. Si enim triangulus habet tres primò hac primitate,non ſolum non remouetur ab eo *habere tres*. ſi remouetur à quadrangulo qui nihil eſt eius,imò etiam non remouetur ab eo propter hoc, quod remouetur à parte trianguli,puta ab hoc angulo,vel illo:igitur & *moueri* non remouebitur à toto, cui primò ineſt hac primirate, etiam ſi remouea-tur à parte eius, quæ pars non eſt ipsũ: &ideò ſi totum mouetur hac primitate primò; non quieſcit ad quietem partis, prius autẽ illatũ eſt hoc de illo quod mouetur primò altera primitate,quieſcit ad quietem partis:impoſsibile igitur eſt totũ moueri primò vtraque primitate ſimul,& includit contradictionem, ſicut contradictio ſequitur:tamen altera primitate præciſè, poteſt aliquod totum moueri à ſe primò. *Nihil mouet ſe primò, explicatur. Text. 1. Text. 44. ſ.cauſalitatis præciſæ & ſecundum quamlibet ſui partem*

In propoſito [f] autem dico quòd graue mouetur à ſe primò,quia ſecundùm quamlibet partem, & mouet & mouetur: & cuilibet parti competit, licèt non primò,ſed inquantùm eſt in toto mouere & moueri. *Grauemouet ſe primò,& qua primitate.*

14 Sed nunquid conuenit [g] graui primò moueri deorſum primitate ſecundo modo dicta?Dico quòd poſsumus loqui de *moueri* deorsũ in cõmuni:vel de *hoc moueri*, quod cõuenit huic toti graui,vel de parte huius *moueri*,quod cõuenit partibus grauis & dico quòd ſicut totũ graue & pars grauis ſunt homogenea in grauitate:ita *moueri totale* ꝙ eſt paſſio totalis totius,& *moueri partiale*,ꝙ eſt paſsio partis, sũt *moueri* eiuſdẽ rationis,&ſicut *moueri deorsũ naturaliter* in cõmuni ineſt primò primitate cauſalitatis præciſè graui in cõmuni:ita *hoc moueri totale*,ineſt huic graui totali ſimili primitate&*hoc moueri partiale*, quod eſt pars *huius moueri totalis*,ineſt parti huius grauis ſimili primitate: nõ ergo hoc totum homogeneum graue mouetur à ſe primò,ita quòd *moueri*, vt eſt cõmune ſibi:cuilibet parti eius inſit ſibi primò ſecundùm hanc primitatẽ &quia tunc nõ remouetur à toto, et ſi remoueretur à parte.Hoc autem eſt falſum propter aliam primitatem neceſſariò concurrentem cum iſta, ſi iſta ponatur in ſubiecto homogeneo reſpectu paſſionis homogeneæ. Tamen graue [h] etiam hac primitate cauſalitatis,videlicet præciſæ,mouetur hac motione:& verum eſt, quòd hæc motio totalis non remoueretur à totali graui,propter hoc quòd remoueretur hæc motio totalis àquocunque *Philoſophi rationes eſſe Sophiſticas, putat Greg. d. 6. 1.q.3. An graue mouetur. primò primitate cauſalitatis præciſæ.*

mouetur hac motione totali: nec propter hoc remouetur hæc motio totalis ab hoc graui totali.

15. 1 Sed obiicies, quòd ſaltem remouetur à toto graui motio totalis, ſi à parte eius remoueatur motio partialis: ergo motio totalis non ineſt toti primò cauſalitate præciſa, vel primitate cauſalitatis præciſæ: quia ſi ſic ineſſet, nullo modo remoueretur ab ipſo propter remotionem alicuius alterius prædicati ab eo, quod non eſt ipſum.

Reſpõdeo & dico, quòd hoc totale graue inquantùm eſt tale homogeneum, eſt ex partibus ſimilibus, & partes iſtæ ſunt priores aliquo modo ipſo toto: ita quòd deſtructis iſtis in ratione partium, non manet totum, ita dico, quòd non eſt inconueniens, quòd eis inſint ſuæ paſſiones, vt motiones partiales, & quodammodò priùs quàm motio totalis conueniat ipſi toti: quia & motio totalis componitur ex partium motionibus partialibus, ſicut totum graue ex partibus grauis: & tunc nego hanc propoſitionem aſſumptam. Quod conuenit alicui primò, id eſt, ſecundùm cauſalitatem præciſam, non remouetur ab eo, quia aliquid quod non eſt illud prædicatum, remouetur ab aliquo, quod non eſt ipſum ſubiectum. Hæc enim propoſitio eſt falſa vniuerſaliter, vbi ſubiectum habet ſubiectum prius, & paſſio paſſionem priorem: tunc enim ad remotionem prioris paſſionis à priori ſubiecto, ſequitur paſſionem poſteriorem remoueri à poſteriori ſubiecto: præcisè ergo probat ratio Ariſtotelis quòd totum non mouetur à ſe primò, hoc eſt, quòd *moueri*, quod eſt oaſsio homogenea non ineſt toti homogeneo primò, hoc eſt ſecundùm cauſalitatem præciſam, inquantùm illa paſsio accipitur vt homogenea, hoc eſt, vt eiuſdem rationis toti quanto, & parti quanti: quia ſic non remoueretur à toto, licèt remoueretur à parte, quod falſum eſt propter primitatem totalitatis: quæ infertur hîc ex ratione cauſalitatis præciſæ: tamen non probat quin totum poteſt moueri à ſe primo, loquendo de illa motione totali, cuius partes ſunt motiones partium, & de primitate cauſalitatis præciſæ: & cum hoc ſtat, quòd moueatur primò alia primitate, ſcilicet totalitatis accipiẽdo *moueri* in communi, prout ſcilicet conuenit toti, & cuilibet parti totius: ita quòd alio modo oportet accipere prædicatum, quod debet ineſſe toti hac primitate & illa.

COMMENTARIVS.

1. *Actus, & potentia ſunt oppoſita.*

a *AD primum argumentum principale.* Dicit Doct. quòd aliquid eſt in actu virtuali, & potentia formali, vt patet *in primo diſtin. 3. q. 7.* Et ad confirmationem dicit, quòd actus, & potentia, vt ſunt oppoſita, accipitur potentia obiectiuè: & ſic conceditur eſſe impoſſibile annexum ſimul actu exiſtere, & eſſe in potentia ad actum exiſtendi. Sed potentia ſubiectiua, & actus non repugnant: nam Franciſcus eſt in actuali exiſtentia, & cum hoc eſt in potentia ſubiectiua, ſiue receptiua ad albedinem; nam actus & potentia primo modo non poſſunt dici de aliquo eodem, neque per ſe, neque denominatiuè: per ſe, vt Antichriſtus ſimul non eſt in actu, & potentia obiectiua. Denominatiuè, vt Franciſcus non poteſt ſimul denominari albus ab albedine in actu, & potentia ad ipſam; impoſſibile enim eſt, quòd ſimul ſit in actu albus, vt in potentia ad eandem albedinem, vt tamen *actus* accipitur pro principio actiuo, & *potentia* pro principio paſſiuo, quæ cadunt infra eſſentiam cuiuslibet definibilis, vel definiti, ſic non ſunt oppoſita; nec ſic diuidunt ens, hæc repugnant alicui eidem: & quod dicit, quòd *actiuum, & paſſiuum cadunt infra eſſentiam cuiuſlibet definibilis*, &c. debet fortè intelligi de definibili primò, & per ſe, cuiuſmodi eſt ſola ſubſtantia, vt patet per Philoſophum 7. *Metaph.* tex. com. 19. *Quod quidem igitur eſt definitio, quæ quidem ipſius quid erat eſſe ratio, & quid erat eſſe, aut ſolùm ſubſtantiarum eſt, & maximè, & primum, & ſimpliciter palam*: hæc ille, & ibi Commentator: *Declaratum eſt*, inquit, *ex hoc ſermone, quòd definitio ſimpliciter eſt ſermo, qui ſignificat quiditatem rei, & quòd quiditas non inuenitur, niſi in ſubſtantiis tãtũ, aut magis in ſubſtantiis, & modo priori, & ſimpliciori.* Hęc ille. Cũ ergo definitio detur per genus, & differentiam, videtur quòd definibile ſit aliquid habens locum materiæ, cuius eſt pati, & eſt aliquod habens locum formæ, cuius eſt agere. Quicquid ſit de hoc, videlicet cur differentia poſita in definito ſit de numero actiuorũ, aliàs habet videri.

Quid ſit definitio ſimpliciter.

2. b *Ad ſecundum argumentum* dicit Doctor quòd auctoritas Philoſophi, 8. *Phyſic. commen.* 30. intelligitur de mouente, & moto per cognitionem, quia potentia motiua, quæ eſt organica, & per conſequens conſtituta ex anima, & tali organo, ſicut de potentia viſiua dictum eſt *in primo diſtin. 3. q. 6.* requirit non tantùm diſtinctionem animæ, & corporis, ſicut inter mouens, & motum; ſed fortè in ipſo corpore, in quo eſt virtus organica, requirit partem corporis mouentem, diſtinctam à parte mota; ſed non eſt ſic de mouente ſe non organicè, quia eſt totum vniformè quantùm ad actum primum, & totum in potentia, quantùm ad actum ſecundum. Exemplum de lapide, tenendo quòd grauitas lapidis ſit principium mouendi, talis grauitas eſt vniformiter in toto lapide, quia totus lapis eſt grauis; & ſimiliter tota ſubſtantia lapidis eſt tota in potentia ad *vbi* deorſum. De iſto autem motu organico, & de eius differentia à motu non organico, vide Doctorem *in quarto diſt. 49. q. 14.*

3. c Ibi. *Sed ad probationem illius propoſitionis,*

Hic

Quomodo nihil mouet ſe primò,

Hîc primò exponit quomodo accipiatur ly *primò*, & licèt aliqualiter expoſitum ſit in primo, *diſt.19.q.1.*Hîc tamẽ prolixiùs exponit,&primò dicit,quòd aliquid mouetur primò accipiendo ly *primò* pro eo, quod eſt *ſecundùm ſe totum*,& tunc illud dicitur moueri primò,quod mouetur ſecundùm omnem partem ſui; & tunc ly *primò* oppõnitur ei,quod eſt moueri ſecundùm partem,ſicut dicimus, quòd homo mouetur, quia aliqua pars principalis mouetur; & ſimiliter dicimus, quòd homo eſt criſpus,quia aliqua pars eius eſt criſpa. Et ſic Ariſtoteles accipit *primo moueri*,ſcilicet ſecundùm ſe totum, in quinto Phyſ.*tex.com.primi*, vbi diſtinguit, quòd aliquid mouetur ſecundùm accidens, aliquid ſecundùm partem, & aliquid primò, *Tranſmutatur*,inquit, *tranſmutans omne, aliquid quidem ſecundùm accidẽs,vt cùm dicimus muſicum ambulare, quoniam cui accidit muſicum hoc ambulat, hoc autem in aliquid huius mutari ſimpliciter dicitur mutari,vt quæcumque dicuntur ſecundùm partes:ſanatur enim corpus,quia oculus, aut thorax, hæc autem partes totius corporis ſunt. Eſt autem etiam aliquid quod neque ſecundùm accidens mouetur, neque in eo,quod aliquid ipſius, ſed in eo,quòd ipſum mouetur primò. Et hoc eſt ſecundùm ſeipſum mobile.* Hæc ille. Sequitur, *& ſimiliter in 6.Phyſ. In quo*,inquit,*primò mutatum eſt,quod mutatum eſt neceſſe eſt atomum eſſe.Dico autem primum, quod non per alterum,aliquid ipſius eſſe huiuſmodi ſic.*Hæc ille: & vide ibi Commentatorem diffusè.

Aliquid mouetur multis modis.

4. d Sequitur. *Alio modo, hoc quòd eſt primò dicit cauſalitatem præciſam, quomodo accipitur in primo Poſte.*t.c.11. *Vniuerſale*, inquit, *dico,quod cùm de omni ſit, & per ſe eſt ſecundùm quod ipſum eſt,per ſe autem, & ſecundùm quod ipſum eſt idem eſt*,& paulò infrà.*Vniuerſale autem eſt:tunc quod cum in quolibet, & primò demonſtratur.*Accipit ergo hîc Doctor *primò*,vt dicit cauſalitatem præciſam, ſicut dicimus, quòd homo eſt primò riſibilis,id eſt quòd ipſe homo eſt cauſa præciſa,& adæquata,quia ſit riſibilis, & non pars hominis, puta corpus,vel anima.Et differentia iſtorũ ſtat in hoc, quia quod conuenit alicui primò ſecundo modo,ſi remouetur à quolibet alio,quod non eſt ipſum, vel etiam à qualibet parte ipſius adhuc conuenit ſibi;nam ſi riſibile remouetur ab aſino, a Franciſco,ab anima, à corpore,adhuc hæc erit vera, *homo eſt riſibilis*. Similiter patet de *habere tres* reſpectu trianguli. Illud verò quod conuenit alicui primò accipiẽdo ly *primò* primo modo, ſi remouetur ab aliqua eius parte ſtatim remouetur ab ipſo,cui dicitur primò cõuenire.Dicimus, enim quòd aliquod graue mouetur primò ſecundùm ſe totum.i.ſecundùm omnem partem; ſi ergo motus remouetur ab vna eius parte, falſum erit dicere, quòd ipſum graue moueatur primò ſecundùm ſe totum:quod patet, quia non ſecundùm omnes partes.

Quomodo accipiatur primò.

5. *Nota.* e *Dico tunc,quòd ratio Ariſtotelis* Dicit quòd ratio Ariſt.benè probat,quòd nullum corpus mouetur à ſe primò,hac duplici primitate ſimul,quia tunc ſimul quieſceret,& non quieſceret.Patet,accipiendo graue,quod dicatur *A*,habens decẽ partes, ſi mouetur primò,accipiendo *primò* ſecundo modo,tunc remoto ipſo *moueri* ab omnibus eius partibus,adhuc *A* mouetur,vt ſuprà patuit.Si etiã hoc mouetur primò,accipiendo *primò* primo modo,id eſt ſecundùm omnes partes,tunc vna parte quieſcente non conuenit ſibi *moueri primò* iſto primo modo;ergo ſimul quieſceret, & non quieſceret,quod eſt impoſſibile. Non quieſceret enim ſi moueretur primò, accipiendo *primò* ſecundo modo, etiam omnibus partibus quieſcentibus;& ex alia parte quieſceret ad quietem vnius partis, accipiendo *primò* primo modo, & hoc eſt,quod dicit in iſta litera.

Quomodo graue mouetur à ſe primò.

f Ibi. *In propoſito autem dico,quod graue mouetur.* Vult dicere Doctor quòd graue mouetur primò accipiendo *primò* primo modo, ſic quòd ſecundùm quamlibet partem mouet, & mouetur,& cuilibet parti competit, licèt non primò, ſed inquantùm eſt in toto, id eſt,quòd quælibet pars quantumcunque minima ipſius grauis mouet,& mouetur, prout eſt exiſtens in toto,quia ſi daretur aliqua minima pars grauis ſeparata, quãuis eſſet diuiſibilis in plures partes, non tamen poſſit mouere,vt ſuprà patuit in q.præcedenti de minimo ſenſibili.

6. g *Sed nunquid conuenit graui.* Dicit Doctor quòd accipiẽdo *graue* in communi,eſt cauſa præciſa ipſius *moueri deorſum* in communi,& ſic moueri deorſũ in communi cõuenit ſibi primò,accipiendo *primò* ſecũdo modo;patet, quia ſi *moueri* in communi remoueatur à quolibet inferiori ipſius *grauis*, vel à qualibet parte eſſentiali ipſius adhuc iſta erit vera, *graue poteſt moueri deorſum*, quia grauitas eſt præciſa cauſa quare hoc prædicatum inſit ſibi: & ſimiliter accipiendo *hoc graue*, puta lapidem bipedalem, conuenit ſibi *hoc moueri* primò, quia hoc graue eſt cauſa præciſa *huius moueri*, ſicut dicimus, quòd hoc riſibile primò conuenit Franciſco,quia Franciſcus eſt cauſa præciſa, quare hoc riſibile inſit ſibi. Si etiam accipiatur aliqua pars ipſius grauis bipedalis, puta pars ſemipedalis erit cauſa præciſa *huius moueri* competentis ſibi, ita quòd *hoc moueri* particularis, primò conuenit illi parti. Et quod dicit infrà. *Non ergo totum homogeneum graue mouetur à ſe primò*, vt eſt commune ſibi, & cuilibet, *ita quod moueri, vt eſt commune ſibi*, &c. Dicit Doctor quòd accipiendo graue, puta pedale, quod eſt quoddam homogeneum, quia ſicut totum graue, ita & quælibet pars eius; graue non mouetur primò, loquendo de primitate ſecundo modo, quia ſi ſic, tunc remoto motu à qualibet parte eius, adhuc moueretur primò, quòd eſt falſum,propter aliam primitatem competentem ſibi, quia ipſum graue ſingulare non poteſt moueri primò,niſi quælibet eius pars moueatur, cùm *moueri* totius,& *moueri* partium ſint homogenea, quia eiuſdem rationis, ſed non ſic eſt de iſto homine, ſi remoueatur riſibilitas à partibus integralibus,vt patet.

Nota.

h Sequitur. *Tamen graue hoc,primitate cauſalitatis.* Dicit, quòd accipiendo *moueri primo*, quod eſt *moueri* totale, conuenit ipſi graui, vt graue eſt cauſa præciſa illius, & etiam competeret ſibi ſi remoueretur à qualibet parte eius. Et nota benè, quod nunc dicit Doctor quòd ſi *moueri* remoueretur ſimpliciter à partibus, adhuc competeret ſibi, quia hoc eſt impoſſibile; ſed accipiendo ſic, quòd *moueri totale* ſi remoueretur à partibus imò de facto remouetur, adhuc ſibi competeret, quia hoc eſt verum, ſcilicet quòd graue primò mouetur, loquendo de motu totali præcisè competenti ipſi graui, & tamen hæc eſt falſa, quòd pars moueatur motu totali, quia pars mouetur tantùm motu partiali.

Nota.

i *Sed obiicies, quòd ſaltem remouetur à toto*,&c.Dicit Doctor ſi graue pedale poteſt moueri primò hac ſecunda primitate, vt dicis ; ergo remoto motu ab aliqua parte eius, loquendo de motu partiali,adhuc poterit moueri primò, quod eſt falſum:

Reſpondeo,& dico, quòd hoc totale graue, &c. Tota vis huius literæ ſtat in iſta propoſitione; *ſed quod conuenit alicui primò,iſta ſecunda primitate, non remouetur ab eo ſi remoueatur à parte.* Hæc propoſitio ſic eſt exponenda, ſi ſubiectum eſt cauſa præciſa,& adæquata, puta *A*,& ipsũ *A* paſſio non integratur ex pluribus, ſicut dicimus, quòd homo eſt cauſa præciſa, & adæquata riſibilitatis,& ipſa riſibilitas non integratur ex pluribus riſibilitatibus, vel ex pluribus partibus riſibilitatis;hoc modo, quod conuenit alicui primò, non remouetur ab eo,ſi remoueatur à partibus.Si verò ſubiectum dicitur cauſa ipſius præciſa, non ex ſua ratione formali:ſed quia integratur ex pluribus partibus,ita quòd quælibet pars ibi concurrit,vt cauſa partialis ad ipſum *A*, integratum ex pluribus,tunc non ſequitur,quòd ſi *A* conuenit alicui primò, quòd ipſo remoto ab aliqua parte ipſius ſubiecti, quòd adhuc competat ſibi, & ſic eſt in propoſito, quia cùm dico, quòd graue pedale eſt cauſa præciſa motus localis, ipſum graue pedale ſic integratur ex partibus ſuis homogeneis, quòd quælibet pars concurrit partialiter ad ipſum *moueri*,& ipſe motus:qui conuenit primò, integratur ex motibus partialibus cauſatis ex ſubiectis partialibus:ideò non ſequitur;quòd ſi moueri competat primò graui pedali, quòd adhuc ſibi poſſet competere, ſi remoueretur à partibus,

QVÆSTIO XI.

Vtrùm Angelus poſſit moueri in inſtanti?

Alenſis 2.*p.q.*35.*m.*3 .D.Bonau.1.*d.*37.2.*p.art.*2.*quæſt.*3.Rie.*a.*3.*q.*3.Albert.*art.*23.*&* 24. D.Thom.1.*p. q.*53.*art.*3.Henr.*quodl.*13.*quæſt.*17.Maior *hic quæſt.*12.Vaſq.1.*p.d.*197.Mayron.2.*d.*3.*quæſt.*13.

*Arg.*1. *Tex.*29. *&* 90.*in ſimili*

VOD non, quia tunc maior virtus poteſt moueri in minori quàm in inſtanti. Probatio conſequentiæ : ita enim arguit Philoſophus 6.Phyſi.quod ſi maior virtus mouet in tempore,& maxima virtus mouet in inſtanti. 1.

Ratio ad opp.

Contrà, aliqui motus ab aliquibus corporibus mouentibus ſunt in inſtanti, vt illuminatio medij ; igitur & motus Angeli multò fortiùs poteſt eſſe in inſtanti,quia maior eſtvirtus mouentis, & minor reſiſtentia medij.

SCHOLIVM.

*Sententiam D. Thom. aſſerentis Angelum moueri in inſtanti temporis diſcreti impugnat Doctor.inferendo grauia abſurda,ſecundò,refutat poſitionem Henrici,de qua ſupr. q.*4. *vbi de tempore diſcreto.*

Opinio D. Tho. 1. *p. q.*53. *art.*3. *cor. & ad* 3.*& quodl.* 9.*art.*9. *& quodl.* 11.*q.*4. *Opi.Hen. quodl.* 13. *quæſt.*7. *& quodl.*12. *quæſt.*8. *ſupr.q.*4.

HIc dicitur,quòd Angelus poteſt moueri in inſtanti : ſed non temporis continui, ſed diſcreti,quod probatur:quære in Thoma.Alius Doctor dicit de iſto tempore diſcreto.Quære. 2.

Contra primam poſitionem arguo. Videtur enim contradicere ſibiipſi : videtur enim Angelum ponere eſſe in loco per operationem : & ſi intelligat de operatione tranſeunte in corpus illa operatio erit in tempore communi,vel in inſtanti temporis communis:ſi autem intelligat de operatione immanente,ſcilicet intellectione, & volitione,illa patet ex dictis priùs in materia de æuo:nec eſt in tempore noſtro communi,nec in alio,ſed in æuo ſecundùm eum,igitur,&c.

Prætereà,ratio ſua non videtur concludere, quia tunc ſequeretur, quòd in vltimo inſtanti prolationis verborum in conſecratione, eſſet ibi vera forma panis, quæ præfuit in toto tempore illius prolationis:ſimiliter cùm aër quieuit in eſſe tenebroſo per totum tempus,ſequeretur,quòd in vltimo inſtanti illuminationis illius aëris tenebroſi, aër eſſet tenebroſus:& ita ſequeretur quòd illuminatio non fieret in inſtanti:

Ait enim quod quieſcit per tempus In vno termino, non poſſe in vltimo inſtanti eius eſſe in altero termino.

Et ſi dicas,quòd iſta illuminatio eſt terminus motus localis,quo Sol fit præsẽs medio : contrà, ponatur Sol creatus de nouo,& medium præexiſtens:modò etiam licèt cum *vbi* terminante motum localem concurrat illuminatio medij à Sole ſic factæ præſente :tamen iſta illuminatio non eſt per ſe terminus motus localis, ſed aliquod *vbi* acquiſitum ipſi Soli:nec etiam poteſt per hoc euadi quin aër quieuerit ſub *eſſe* tenebroſo vſque ad hoc inſtans.

Præterea, ſi oportet Angelum in quocunque tempore quieſcentem, in vltimo inſtanti illius temporis immutatum eſſe in eodem *vbi*: igitur nunquam mutatur, nec in tempore continuo, nec in tempore diſcreto. Probatio conſequentiæ, accipio aliquam partem temporis, cum qua quieſcit: & per conſequens cum vltimo illius immutatus eſt: ſi etiam in aliquo inſtanti temporis diſcreti debeat moueri localiter, quæro, aut illud eſt immediatum inſtans noſtro inſtanti terminanti tempus quietis, aut mediatum? Si mediatum, ergo inter inſtans noſtrum, in quo fuit Angelus immutatus, & hoc inſtans eſt tempus medium, in quo etiam quieſceret Angelus: ergo & in illo & cum illo vltimo inſtanti illius temporis immutatus erit; & ita in illo inſtanti mediato, in quo ponebatur mutari, non mutatur: ſi autem eſt inſtans immediatum: quæro quid correſpondet ei in tempore noſtro? ſi inſtans, igitur inſtans in tempore noſtro eſt immediatum inſtanti: igitur tempus noſtrum eſt diſcretum: ſi tempus, igitur in illo inſtanti non mutatur Angelus inſtantaneè: quia illud inſtans per te coëxiſtit parti temporis noſtri, in qua, vel cum qua poteſt continuè moueri, vel quieſcere.

Secundùm D. Thom. Angelus eſſet immobilis in tempore.

Hen.

Propter iſtud argumentum forte, ponit ſecunda poſitio, quòd inter duo inſtantia temporis diſcreti cadit quaſi quies media ipſius Angeli cum parte media temporis noſtri. 4.

§. 4. huius diſt. ad 2.

Sed contra illam ſecundam poſitionem probatum eſt ſuprà, quòd non eſt neceſſe operationem Angeli durare cum inſtantibus temporis noſtri: igitur nec illa duratio erit ratio quietis in termino tranſitus ſubiti: quare etiam neceſſe erit ponere Angelum poſt tranſitum ſubitum quieſcere; non videtur aliqua ratio, ſed tantùm fuga, ne ponatur tempus noſtrum diſcretum ex hoc, quòd ponitur talis tranſitus eius in diſcreto tempore.

Præterea, quod ponit, quòd in tali *nunc* poteſt mutari; ita quòd ſimul habeat plura *vbi* æqualia, inter quæ non eſt ordo niſi tantùm naturæ, vel imaginatione, non autem duratione; videtur impoſſibile, quòd Angelus virtute ſua naturali habeat in vno inſtanti temporis noſtri, & ſui plura *vbi* ſibi æqualia; & hoc declarat exemplum de graui, quod ipſi adducunt ad propoſitum.

ADDITIO. *Henricus quodlibeto 13. quæſt. 7. imaginatur tale exemplum ad propoſitum ſuum de motu Angeli, vtpoteſi graue deſcenderet iuxta aliquem murum, vbi nullam reſiſtentiam haberet plus quàm in vacuo; vel ponatur, quòd ſpatium ſit vacuum, & imaginatur ibi tria* vbi *ſibi æqualia, vt A. B. C. non priùs inquit erit in A. quàm in B. nec in B. quàm in C. niſi ſecundùm imaginationem, non autem ſecundùm rem, ſeu durationem.*

Si enim vacuum poſſet cedere corpori ibi poſito, & ita eſſe motus in vacuo: non eſſet intelligibile, quòd graue eſſet in pluribus *vbi*, ſibi æqualibus: ſed priùs in vno *vbi* quam in alio *vbi*, & prius in priori *vbi* quam in poſteriori, & priùs dutatione vna pars grauis eſſet in ſpatio quàm alia pars.

Quod etiam ipſe adducit de corpore, quod pertranſit infinita *vbi* in tempore finito, propter hoc, quòd non eſt niſi in potentia in illis *vbi*, benè concludit, quòd tempus Angeli benè poteſt eſſe ex partibus finitis eiuſdem quantitatis, & tamen in illo tempore poteſt pertranſire ſpatium infinitum: ſed non includit, quòd in vno inſtanti poſſit pertranſire tantùm ſpatium, imò concludit oppoſitum, corpus enim ita pertranſit totum ſpatium in aliquo tempore, quòd in alia, & alia parte temporis pertranſit aliam, & aliam partem ſpatij.

COMMENTARIVS.

1. Opinio Diui Thomæ.

[a] *Hic dicitur.* Hæc eſt opinio Thomæ *in 1. part. ſum. quæſt. 13. ar. 3.* vbi ſic dicit: Motus localis Angeli poteſt eſſe continuus, & non continuus, & ſic poteſt menſurari tempore continuo, & tempore diſcreto. Continuitas enim temporis eſt ex continuitate motus, ſed iſtud tempus, ſiue ſit tempus continuum, ſiue non, non eſt idem cum tempore, quod menſurat motum cæli, & quo menſurantur omnia temporalia, quæ habent mutabilitatem ex motu cæli. Motus enim Angeli non dependet ex motu cœli; & reſpondèdo ad tertium argumentum ſic dicit, tempus autem motus Angeli poteſt eſſe non continuum, & ſic Angelus in vno inſtanti poteſt eſſe in vno loco, & in alio inſtanti in alio loco, nullo tempore intermedio exiſtente. Si autem tempus motus Angeli ſit continuum, Angelus in toto tempore præcedenti vltimum *nunc* variatur per infinita loca, ſicut ipſe ponit in art. 2.

Dicit etiam aliam concluſionem in corpore quæſtionis quòd non eſt poſſibile, vt aliquid in toto tempore præcedente quieſcat in vno termino, & poſtea in vltimo inſtanti illius temporis ſit in alio termino.

[b] *Alius Doctor dicit de iſto tempore diſcreto,* & eſt Henricus *quol. 13. q. 7.* qui vult, quòd Angelus poſſit

ſit moueri,& in inſtanti temporis continui, & in inſtanti temporis diſcreti, vult enim Henricus(vt ſuprà patuit) quòd inter duo inſtantia temporis diſcreti , cadat quaſi quies media ipſius Angeli cum parte media temporis noſtri,ideſt, quòd inſtanti temporis diſcreti coëxiſtunt inſtantia temporis noſtri;& ſicut inter duo inſtantia temporis noſtri cadit tempus medium , ita vult,quòd inter inſtantia temporis diſcr ti, cadat quies media coëxiſtens tempori noſtro medio:& hoc ideò poſuit, quia ſi inſtantia temporis diſcreti,quæ correſpondent inſtantibus temporis noſtri , eſſent omnino immediata , ſequeretur quòd ſicut tempus diſcretum diceretur diſcretum, quia componeretur ex huiuſmodi inſtantibus ſibi immediantibus , quòd etiam tempus noſtrum eſſet diſcretum,quia inſtantia eſſent ſibi immediata.

4. *Scotus improbat opinionem Hen.*

Doctor arguit contrà ibi : *Sed contra illam ſecundam poſitionem.* Ex quo enim Henricus vult, quòd vna operatio Angeli menſuretur vno *nunc* temporis diſcreti , & vult ibi ; quòd illud *nunc* coëxiſtat de neceſſitate pluribus inſtantibus temporis noſtri, & per conſequens pluribus partibus temporis noſtri , cùm inter quæcunque duo inſtantia ſit tempus medium. Vult etiam Henricus quòd illa duratio operationis ſit ratio quietis in termino tranſitus ſubiti.

Contra arguit Doctor , quia ex quo probatum eſt ſuprà,*ſcilicet diſt.2.quæſt.4.art.1. huius ſecundi* , quòd vna intellectio Angeli poteſt tantùm durare per inſtans,ita quòd coëxiſtat tantùm vni inſtanti temporis noſtri ; ergo illa duratio non erit ratio quietis in termino tranſitus ſubiti. Sequitur : *quare etiam neceſſe erit ponere Angelum poſt tranſitum ſubitum quieſcere, non videtur aliqua ratio,*quia dixit Henricus quòd quando Angelus tranſit ſubitò de loco *A*,ad locum *B* , non poteſt tranſire de loco *B*,ad locum *C*, niſi quieſcat priùs in ipſo *B*,& dicit Doctor quòd non videtur iſta neceſſitas,ſed tantùm fuga.

Quod etiam ipſe adducit de corpore, quod pertranſit infinita vbi *in tempore finito , propter hoc, quòd non eſt niſi in potentia in illis vbi.* Si enim corpus pedale mouetur per ſpatium bipedale, certum eſt quòd pertranſit infinita *vbi* in tempore finiio, puta in medietate horæ:ergo à fortiori videtur quòd Angelus poſſit pertranſire illud ſpatium in aliquo inſtanti , vt arguit Henricus Dicit Doctor ibi : *Benè concludit , quòd tempus Angeli poteſt eſſe ex partibus finitis eiuſdem quantitatis* , puta quòd ſit tempus vnius diei,tunc tale tempus erit compoſitum ex 24. horis , quæ ſunt partes eiuſdem quantitatis,licèt omnes partes illæ ſint diuiſibiles in infinitum , & in illo tempore poteſt pertranſire ſpatium infinitum,non in actu, ſed in potentia:puta , quòd in illo tempore poteſt pertranſire ſpatium vnius milliaris , quod ſpatium licèt actu ſit finitum:eſt tamen diuiſibile in partes infinitas , & ſic eſt infinitum in potentia.

5. *Improbat opin. D.Thoma.*

Improbata opinione Henrici, reſtat nunc improbare opinionem Thomæ vbi Doctor contra duo principaliter arguit.Primò contra hoc,quòd dicit Angelum moueri in inſtanti temporis diſcreti:& ſecundò contra hoc,quòd dicit, quòd eſt neceſſe Angelum quieſcentem in aliquo loco per aliquod tempus etiam quieſcere in vltimo inſtanti illius temporis, & poſt inſtans quietis mouetur in inſtanti ad alium locum.

Contra primum arguit:*Contra primam poſitionem ar guo*,&c. Si Angelus mouetur in inſtanti temporis diſcreti,tunc contradiceret ſibimet,quia ex quo Angelus per ipſum eſt in loco per operationem , vt tenet *in prima parte ſum. quæſt.52. art.1. & 2.* puta per motionem alicuius corporis, & cùm illa motio menſuretur tempore , vel inſtanti temporis noſtri , ſequitur quòd motio, qua mouet ſe localiter menſuretur eodem modo, cùm iſtæ motiones ſint locales , & eiuſdem rationis , & ſic ſibi contradiceret. Et licèt Thomas *in prima parte ſum. quæſt. 53. art.3. in corpore quæſt.* ſic dicat tempus , ſiue ſit continuum, ſiue non , ſcilicet quo menſuratur motus localis Angeli , non eſt idem cum tempore , quòd menſurat motum cæli ,&c. tamen quia motus localis quo aliquod corpus mouetur ab Angelo , videtur ſimpliciter eſſe idem, vel ſaltem eiuſdem rationis cum motu locali , quo Angelus mouetur , cùm ipſe non ſit in loco , nec localiter moueatur, niſi per operationem tranſeuntem : cùm ergo tempus , quo menſuratur motus localis corporis moti ab Angelo , menſuretur tempore noſtro continuo , videtur quòd etiam motus localis ipſius Angeli menſuretur tempore noſtro continuo.

6. *Opinio vera D.Thomæ.*

Sequitur:*Si autem intelligat de operatione immanente,*vt ſuprà patuit *præſenti diſt.quæſt.4.* Hîc tamen aduerte , quòd Thomas expreſsè vult *in prima parte ſum.quæſt.10. art.5. reſpondeo ad primum arg. principale* , quòd huiuſmodi operationes menſurentur tempore , vnde ſic ait : *Ad primum dicendum , quòd creaturæ ſpirituales quantùm ad affectiones , & intelligentias, in quibus eſt ſucceſſio, menſurantur tempore ; quantùm verò ad eorum* eſſe *naturale menſurantur æuo ; ſed quantùm ad viſionem gloriæ participant æternitatem:* hæc ille:niſi forte ipſe Thomas in alio loco dicat ipſas menſurari æuo. Sed quicquid ſit de hoc,parum refert,quia concedit quòd Angeli ſunt in loco per operationem tranſeuntem , & non immanentem , & ex hoc reducit Thomam ad contradictionem.

Præterea ratio ſua non videtur concludere: Hîc Doctor arguit contra ſecundum principale , probando quòd non ſit neceſſe quieſcens per horam , etiam quieſcere in vltimo inſtanti illius horæ , ſi debeat moueri , ita quòd ſi Angelus quieuerit per totam horam in vltimo inſtanti illius horæ non poterit moueri : ſed oportet illum quieſcere in vltimo inſtanti. Contra hoc arguit Doctor,quia ſi ſic , opus eſſet quieſcere in vltimo inſtanti , tunc ſubſtantia panis quieſcente ſub accidentibus in vltimo inſtanti prolationis verborum , & cùm in illo inſtanti,ſit etiam ibi corpus Chriſti(vt probatum eſt in quarto , in materia de Euchariſtia) ſimul eſſet panis, & corpus Chriſti, quod eſt falſum:& ideò Doctor dicit in quarto *vbi ſuprà* , quòd in vltimo inſtanti , quo panis deſinit eſſe ſub accidentibus , in eodem corpus Chriſti incipit eſſe ſub illis accidentibus.

7. *Simiiliter cùm aër quieuit in eſſe tenebroſo.* Hîc Doctor deducit ad aliud inconueniens , ſcilicet quòd illuminatio aëris non fuerit in inſtanti , imò ſequeretur , quòd aër ſimul eſſet ſub tenebra , & ſub luce , puta ſi aër ſit tenebroſus per totam noctem , & quieſcit ſub illa tenebra per totam noctem , & etiam in vltimo inſtanti illius , tunc alterum duorum ſequeretur, vel quòd illuminaretur in tempore immediato

ad vltimum inſtans noctis; vel ſi illuminaretur in inſtanti, aut in inſtãti immediato ad vltimũ inſtãs noctis; & ſic inſtans eſſet immediatum inſtanti, quod eſt contra Philoſophũ 6. *Phyſ. com.* 4. Si verò illuminaretur in vltimo inſtanti, ergo aër ſimul eſſet lucidus, & tenebroſus: non autem dicimus, quod aër quieſcit ſub tenebra per aliquod tempus, & in vltimo inſtanti illius temporis in quo cauſatur lux deſinit eſſe tenebra, ita quòd non datur vltimum inſtans ſui *eſſe*.

Non datur vltimum inſtans ſui eſſe.

Etſi dicas, quòd iſta illuminatio eſt terminus motus localis, quò Sol fit præſens medio: & cùm motus localis fiat in tempore, ideò talis illuminatio fit in tempore, & ſic non eſſet inconueniens aërem quieſcere ſub tenebra in vltimo inſtanti noctis.

Contrà, ponatur Sol creatus de nouo. Hic Doctor inſtat ſic, quia ſi ponatur, nunc medium diſpoſitum, quod quieſcat ſub tenebra per totam noctem, & in vltimo inſtanti illius noctis creetur Sol optimè diſpoſitus circa tale medium: certum eſt quòd in eodem inſtanti illuminabit medium, & ſic non oportet recurrere ad motum Solis localem, ponendo quòd creetur præſens medio in inſtanti vltimo.

Modò etiam licèt cum vbi *terminante motum localem.* Hîc Doctor adhuc improbat illam reſponſionem, in qua dicitur, quòd illuminatio eſt terminus motus localis, quia terminus motus localis Solis eſt aliquod *vbi* de nouo acquiſitum, ſed illuminatio medij, quæ ſequitur ad motum localem Solis, nó eſt aliquod *vbi*, vt patet; ergo nó eſt per ſe terminus motus localis, ſed magis ipſa illuminatio dicitur terminus alterationis; quia aër alteratur recipiendo nouam illuminationem.

8. *Illuminatio eſt terminus alterationis*

Præterea ſi oportet Angelum, vbi dicit in iſta litera, quòd ſi oportet ipſum Angelum quieſcentem in aliquo loco, puta per horam, quieſcere in vltimo inſtanti illius horæ, & immediatè poſt illud inſtans moueri localiter, ſequitur quòd nullo modo poſſit moueri, nec in tempore continuo, nec in tempore diſcreto, quia aut moueretur in inſtanti mediato vltimo inſtanti quietis, aut in inſtanti immediato: non mediato, quia tunc inter duo inſtantia eſſet tempus diſcretum, correſpondens tempori noſtro, & opus eſſet ipſum quieſcere per illud tempus: quod patet, quia tu dicis, quòd tantùm mouetur in inſtanti mediato; ergo in tempore immediato quieſcit: & ex alia parte dicis, quòd quando quieſcit in aliquo tempore, oportet ipſum quieſcere in vltimo inſtanti illius temporis: vltimum autem inſtans iſtius temporis diſcreti immediati eſt hoc inſtans mediatum, & ſic opus eſſet ipſum quieſcere in inſtanti, & nunquam moueri; ſi ergo opus eſſet quieſcere per totum tempus, & in vltimo inſtanti illius, & in inſtanti mediato moueri, nunquam poſſet moueri, nec in tempore noſtro, nec in inſtanti temporis noſtri. Si autem illud inſtans eſt immediatum, aut correſpondet inſtanti temporis noſtri, & ſic inſtantia temporis noſtri erunt immediata; ſi autem tempus noſtrum correſpondet illi inſtanti immediato: ergo ſequitur quòd Angelus non poſſit moueri inſtantaneè, quia illud inſtans per te, coëxiſtit parti temporis noſtri, in qua, vel cum qua poteſt continuè moueri, vel quieſcere.

Has tamen inſtantias, quas facit Doctor contra Thomam, videlicet contra ſecundum eiuſdem dictum, quidam nouus expoſitor *in prima parte Sancti Tho. quæſt. 53. art. 3.* nititur ſoluere. Primò præmittit aliqua, & ſecundò reſpondet ad inſtantias. Quantùm ad primum ſic dicit: Sciendum eſt igitur, quòd in toto tempore dupliciter diſtribui poteſt, primò in partes tantùm, vt idem ſit dicere in toto aliquo tempore, & in qualibet parte illius temporis. Secundò in partes, & in quocunque illius ſunt. Et ſic idem eſt dicere, in toto aliquo tempore, & in qualibet parte, & in quolibet inſtanti illius. Et quamuis vtroque modo propoſitio ſit in vſu, in propoſito tamen in primo ſenſu à Philoſophis, & Theologis intelligitur. Alioquin eſſet implicatio in adiecto dicere cùm ex aqua fit ignis, in toto illo tempore eſt aqua, & in vltimo inſtanti eſt ignis. Et in hoc ſenſu conſtat primam opinionem dixiſſe, quòd Angelus in toto aliquo tempore quieſcit, & in vltimo illius inſtanti nouum locum acquirit. Et quoniam realiter, & non aparenter S. Thom. intendit ſibi contradicere, idcirco oportet dicere in eodem ſenſu diſtribui ly *in toto tempore*. Ita quòd controuerſia eſt, an iſta propoſitio *A*: quieſcit in aliquo toto tempore, ideſt, in qualibet parte alicuius temporis, & in vltimo inſtanti illius aliter ſe habeat: ſit poſſibilis. Prima enim opinio reputauit eam poſſibilem, & ſuper ipſam fundauit poſitionem ſuam: Sanctus Thomas verò reputat eam impoſſibilem, & hæc de primo.

Caietanus nititur ſoluere argumenta Scoti.

Quo ad ſecundum dicitur, quòd hæc propoſitio eſt vera gratia materiæ, non autem gratia formæ, ideſt, non verificatur in omnibus terminis, ſed in iſtis. Et declaratur vtrunque, primò pars negatiua, quia ex *eſſe* tale in aliquo tempore, non formaliter infertur eſſe etiam tale in vltimo inſtanti illius temporis: iſta enim conditionalis non eſt neceſſaria: Si eſt homo in aliqua hora, ergo in termino illius horæ eſt homo: imò de facto apparet illius falſitas de hora menſurante eius corruptionem. Euidens eſt autem ratio, quare non teneat formaliter, quia ſcilicet totum tempus præcedens ſuum terminum comparatur ad illud, vt prius ad poſterius, nec eſt neceſſarium, quòd ſi eſt tale in priori menſura, perſeuerare tale in poſteriori. Pars verò affirmatiua declaratur, aduertendo, quòd cum intentio S. Thomæ ſit tractare de naturis, & naturaliter competẽtibus ipſis Angelis tam ſecundùm ſtatum naturæ, quàm genere, non eſt hîc ſermo de poſſibili, aut impoſſibili Logico, & reſpectu potentiæ diuinæ, ſed de poſſibili Philoſophico; in quo attenditur quid rei ordini congruat ſecluſis miraculis, non quid Deus poſſit. Et hoc ſemper eſt attendendum in ſcrutandis rerum naturis ſectantibus S. Thomæ doctrinam. Dicitur ergo, quòd impoſſibile eſt ſecundùm ordinem rerum naturalium aliquid habere *eſſe* quietum in toto aliquo tempore, & in fine illius aliter ſe habere, quoniam omne factum eſſet in ratione termini *ad quem*, ſeu omnis terminus præceditur ſecundùm naturæ curſum ab aliquo fieri. Habet enim hoc rerum ordo, experientia teſte, vt nihil nouum tam repente fiat per ſe, quin aliqua præceſſerit via ducens ad illum terminum. Et propterea cùm habere aliquid *eſſe* ſub quiete non ſit via ad alteritatem, ſiue acquiſitiuam, ſiue deperditiuam, ſed habere illud *eſſe* in motu, quia hoc eſt acquirere, vel perdere, conſequens eſt, vt quieſcens

Nota.

in

in aliquo toto tempore in termino illius eodem modo ſe habeat. Alioquin veniſſet ad terminum ad quem non præceſſiſſet. Quod autem in termino aliter ſe habet, quàm priùs præcedente motu ad terminum peruenit.

11. Ad inſtantias autem adductas contra propoſitionem ſic intellectam, facilè patet ex dictis reſponſio. Quod enim adducitur de tranſubſtantiatione dupliciter deficit. Primò, quia illud non eſt naturale, ſed miraculoſum valde, ac per ad potentiam Dei ſpectat. Secundò in hoc, quòd tranſubſtantiatio nullam habet quietem oppoſitam, niſi abuti velimus vocabulis, cùm nec motus ipſa ſit.

Ad ſecundam inſtantiam de illuminatione, dicitur, quòd illuminatio eſt terminus motus localis. Et ad obiectiones contra hoc, reſpondendo ad primam, dico quòd quamuis illuminatio abſolutè per accidens terminet motum localẽ, quoniam ſcimus partes propinquas corpori ſolari perpetui eſſe luminis nullo acceſſu, vel receſſu Solis ab eis concurrente, tamen illuminatio noua, de qua tantùm præſens poteſt eſſe ſermo ad propoſitum, per ſe eſt terminus motus localis: non per ſe primò, ſed per ſe ſecundò ſecundùm naturæ curſum. Et ex hoc patet reſponſio ad ſecundum, quia ſcilicet non eſt ad propoſitum, quia de Dei potentia, non de naturæ curſu loquitur.

12. Ad tertiam verò dicitur, quòd quamuis aër quieſcat ſecundùm *eſſe* abſolutum in toto tempore præcedente præſentiam Solis, non tamen quieſcit ſecundùm *eſſe* relatiuum, quia continuè aliter, & aliter ſe habet ad Solem, ſecundùm *eſſe* propinquum, vel diſtans: quia ad relationem non eſt per ſe motus, vt dicitur 5. *Phy.* Sed aliquid poteſt aliter ſe continuè habere ſecundùm *eſſe* relatiuum propter motum non in ſe, ſed in alio ad ipſum habente ordinem aliquem: ideò ſtat quòd aër non quieſcat ſub tenebra, nec moueatur, ſed habens eam continuè, aliter ſe habeat propter motum alterius ſecundùm *eſſe* reſpectiuum ducens ad excluſionem tenebræ, & acquiſitionem luminis. Et vtrunque horum ponitur ſatis rationabiliter. Nam quia ad relationem non eſt motus, ergo nec quies: quoniam circa idem habent fieri, ſed loco motus eſt aliter ſe habere, & loco quietis eodem modo ſe habere. Et quia priuatio luminis, ſcilicet tenebra, non radicatur in aliqua forma contraria lumini, ſed in relatione diſtantiæ, ſeu abſentiæ inter diaphanum, & lucens, conſequens eſt, quòd aër abſque motu in ſe aliter ſe habet continuè ſecundùm *eſſe* tenebroſum conſecutiuè. Ex hoc, quòd aliter ſe habet continuè ſecundùm eſſe propinquum ad Solem per motum ipſius Solis.

co. tex. 10. & 7. Phyſic. contex. 21.

Tertia deinde inſtantia multipliciter deficit non intelligens mentem S. Thomæ loquentis de propria menſura motus Angelici, & de aliter, vel eodẽ modo ſe habere in vltimo inſtãti in ratione termini *ad quem*, & non qualitercunque, & de motu non per acquiſitionem ſimplicem ipſius termini, ſed vt expoſuimus in titulo; vnde inſtantia illa æquiuocat, primò de motu Angeli, intendens *motus* nomine termini acqiſitionem: ſecundò conueniendo etiam ſecum vocabulo, dico, quòd Angelus poteſt in vltimo inſtanti temporis alicuius eſſe in aliquo loco, & vt in termino *ad quem*, & vt in principio motus, quia poteſt poſtquam nuſquam fuit, in vno inſtanti ſui temporis coëxiſtenti vltimo inſtanti alicuius horæ applicare ſe loco. Tunc enim in tota hora nuſquam fuit, & in vltimo eſt hoc, quod apud S. Thomam non eſt *moueri*, ſed *mutatum eſſe*: vt in termino verò *ad quem*, quia poteſt Angelus in duobus inſtantibus ſui temporis immediatis diuerſis locis ſucceſſiuè ſe applicare. Ita quòd illa duo inſtantia coëxiſtant vni horæ, ſic quòd ſecundùm coëxiſtat vltimo inſtanti horæ, & primum toti tempori præcedenti.

13. Iſte nouus expoſitor antequam reſpondeat ad inſtantias Doctoris, multa dicit, quæ non videntur ſic eſſe vera, vt ipſe aſſerit. Et primò cùm dicit, quòd hæc diſtinctio eſt in vſu, ſcilicet moueri in toto aliquo tempore, poteſt exponi dupliciter, prout idem eſt, quòd in qualibet parte illius temporis, excludendo inſtantia. Secundò in qualibet parte temporis, & in quolibet illius includendo inſtantia temporis. In ſecundo modo nec eſt de rigore ſermonis, nec communiter in vſu: patet, quia cùm dico, mouetur in aliquo tempore, puta in aliqua hora, non poteſt intelligi, niſi de qualibet parte illius, quia verum eſt, quòd data quacunque parte horæ, mobile mouetur, ſed nullo modo poteſt exponi, quòd moueatur in quolibet illius horæ, accipiendo ly *quolibet* etiam pro inſtanti, quia tunc ſequeretur, quòd in quolibet inſtanti illius horæ moueretur, quod eſt impoſſibile, cùm motus non fiat in inſtanti. Et hoc eſt quod intendit etiam Ariſtoteles 5. *Phy. tex. comm.* 1. vbi vult, quòd illud, quod mouetur ſecundùm ſe primò, intelligatur moueri ſecundùm quamlibet partem eius: accipiuntur ibi partes tantùm diuiſibiles, non autem indiuiſibiles: patet, quia indiuiſibile non mouetur ſuper aliquod ſpatium, vt patet per Ariſtotelem 6. *Phyſic. tex. com.* 7. Iſta etiam expoſitio eſt contra Philoſophum 6. *Phy. tex. c.* 44. vbi vult quòd quicquid mouetur in aliquo tempore primo, mouetur in quolibet illius temporis, ideſt, in qualibet parte temporis illius; & patet, quòd nullo modo poteſt exponi de inſtanti, cùm ſit ſimpliciter impoſſibile aliquid poſſe moueri in inſtanti, quod tamen ſequeretur, ſi ille ſecundus modus eſſet verus, & in vſu.

14. Secundò dicit iſte, quòd propoſitio Thomæ eſt tantùm vera gratia materiæ, non autem gratia formæ, cùm non ſit in omnibus vera iſta, ſcilicet propoſitio quieſcẽs in aliquo tempore non poteſt aliter ſe habere in vltimo inſtanti illius temporis: & dat inſtantiam iſte contra illam propoſitionem, quia ſequitur, homo eſt in aliqua hora, & tamen non ſequitur, quòd in vltimo inſtanti illius horæ ſit, ponendo quòd in fine illius horæ ſequatur corruptio, quia tunc daretur vltimum inſtans ſui *eſſe*. Quamuis hoc ſit benè dictum, fortè tamen non eſt ſic ad mentem Thomæ vbi ipſe dicit: Nam Thomas in prima par. q. 53. ar. 3. ſic dicit, *de ratione enim quietis eſt, quòd quieſcens non aliter ſe habeat nunc, & priùs. Et ideò in quolibet nunc temporis menſurantis quietem, quieſcens eſt in eodem, & in primo, & in medio, & in vltimo.* Et parum infrà, *patet, quòd quieſcere in toto tempore in aliquo, puta in albedine, eſt eſſe in illo in quolibet inſtanti illius temporis. Vnde non eſt poſſibile, vt aliquid in tempore præcedente quieſcat in vno termino, & poſtea in vltimo inſtanti illius temporis ſit in alio termino.* Hæc Thomas. Ex qua litera patet expreſsè, quòd illa propoſitio eſt vera apud Thomam non tantùm de materia, ſed etiam de forma,

Caiet. non recitè percipit mentem D. Thomæ.

niſi extorqueatur litera. Et quod dicit etiam iſte expoſitor ad mentem Thomæ, quòd ſi aliquid eſt tale in priori menſura, non eſt neceſſarium perſeuerare tale in poſteriori menſura, ſi accipit poſteriorem menſuram pro vltimo inſtanti prioris menſuræ hoc patet expreſsè eſſe contra poſitionem Thomæ dicentis, quieſcere in toto tempore in aliquo, puta in albedine, eſt eſſe in illo in quolibet inſtanti illius temporis. Si autem accipit poſteriorem menſuram pro tempore mediatè ſequenti vltimum inſtans prioris menſuræ, tunc propoſitio eſt vera ad mentem Thomæ, ſed tunc propoſitio eſt contra ipſum exponentem, quia ipſe vult quòd non ſit neceſsè quieſcere in vltimo inſtanti prioris menſuræ, vt patet ex dictis eius.

15. Tertiò dicit iſte ad mentem Thomæ, quòd via naturali non eſt poſſibile, quòd quieſcens in aliquo toto tempore in vltimo inſtanti illius temporis aliter ſe habeat, quia omne *factum eſſe* in ratione termini *ad quem*, ſeu omnis terminus præceditur ſecundùm curſum ab aliquo *fieri*; hoc dictum poteſt habere vltimum ſenſum. Primò quòd quieſcens ſub aliqua forma, puta per horam in vltimo inſtanti illius horæ non poteſt eſſe ſub forma oppoſita; & hic ſenſus eſt manifeſtè falſus, præcipuè tenendo etiam ſecundùm eos, quòd forma ſubſtantialis acquiratur in inſtanti; & ſimiliter in inſtanti deperdatur, tunc ſic: materia exiſtens ſub forma ligni quieſcit in aliquo toto tempore: & tamen in vltimo inſtanti illius temporis non quieſcit ſub illo; patet, quia in illo vltimo inſtanti ſit ſub forma ignis, nam in permanentibus datur primum inſtans ſui *non eſſe*, & ſic iſta eſt vera in vltimo inſtanti illius temporis, materia ligni non eſt ſub forma ligni; & ſic deſinit eſſe. Patet ergo, quòd etiam ſecundùm curſum naturæ, in vltimo inſtanti illius temporis ſit ſub forma ignis. Secundus ſenſus poteſt eſſe, quòd quieſcens ſub aliqua forma ſubſtantiali eſt ſub diſpoſitionibus facientibus pro tali forma in aliquo toto tempore, puta per idem, in vltimo inſtanti illius temporis non poteſt eſſe ſub forma oppoſita, & hic ſenſus eſt verus, quia in vltimo inſtanti illius temporis non deperduntur accidentia facientia pro tali forma, ſed in tempore immediato ad inſtans quietis incipit moueri, deperdendo illa; ſed tunc nihil eſt ad propoſitum, quia ſunt multa agentia perfecta naturalia, quæ ſtatim in lucunt formas in ſubiecto diſpoſito, vt patet de Sole illuminante medium. Pono etiam, quòd detur aliquod ſubiectum vltimatè diſpoſitum, quod quieuerit per horam ſub forma *A*, certum eſt quòd agens diſpoſitum, & præſens, ſi eſt vincens ipſum ſubiectum, in vltimo inſtanti illius horæ inducet formam oppoſitam, & tunc ſubiectum in illo vltimo inſtanti non quieſcit ſub forma priori, ſed aliter ſe habebit.

16. Præterea, pono quòd intellectus, puta Angeli, quieſcat ſub intellectione *A*, per horã, certum eſt quòd in vltimo inſtanti illius horæ erit ſub alia intellectione. Patet ſecundùm iſtum expoſitorem *in prima parte ſummæ quæſt.* 10. *art.* 1. vbi ſic dicit, Illæ, ſcilicet operationes cùm ſint immediatè ſibi inuicem ſuccedentes, & inſtantaneæ ſecundùm ſe, quia quælibet eſt tota ſimul, &c. Nec oportet ipſum recurrere ad inſtantia temporis diſcreti, quia tunc pono caſum, quòd intellectio Angeli menſuretur inſtanti temporis diſcreti, quod correſpondeat tempori noſtro vnius horæ, & poſt ſit ſub alia intellectione in alio inſtanti temporis diſcreti; quæro tunc, aut illud ſecundum inſtans correſpondet vltimo inſtanti temporis noſtri, & tunc habetur propoſitum; aut correſpondet alij inſtanti immediato priori inſtanti temporis, & tunc vnum inſtans temporis noſtri eſſet immediatum alteri inſtanti, quod eſt contra Philoſophum 6. *Phyſic. tex. commen.* 4. aut correſpondet tempori immediatè ſequenti; ergo non videtur talis operatio acquiri inſtantaneè, vt ipſe dicit. Sequitur ergo quòd iſta propoſitio, etiam ſecundùm curſum naturæ, non ſit vera, ſcilicet quieſcens in aliquo toto tempore, in vltimo inſtanti illius temporis non poteſt aliter ſe habere.

17. *Quomodo reſponſiones data ad inſtantias minimè euacuent illas.*

Vltimo loco oſtendo, quòd reſponſiones datæ ad inſtantias Doctoris minimè euacuent illas. Et patet de prima reſponſione de pane tranſubſtantiato, vbi dicit ipſe quòd eſt per miraculum: hoc non videtur ad propoſitum, quia ſaltem forma ſubſtantialis panis in vltimo inſtanti ſuæ quietis poteſt definere eſſe per introductionem alterius formæ, vt ſuprà dixi; & ſic in vltimo inſtanti quietis materia talis formæ aliter ſe habebit. Patet etiam, ponendo quòd materia panis quieuerit ſub forma panis, quæ determinet ſibi aliquem gradum accidentis, certum eſt quòd in aliquo vltimo inſtanti quietis panis ſub tali gradu poterit deſinere eſſe, tenendo quòd tantùm ſit ibi vnus gradus accidentis, de quo *in* 4. *diſt.* 12. Dico etiam, quòd hîc non oportet ſe reſtringere ad miraculum, cùm Thomas abſolutè dicat, quòd quieſcens in aliquo vno tempore in vltimo inſtanti illius temporis, non poteſt aliter ſe habere, vt ſuprà patuit. Et quod dicit pòſt, quòd tranſubſtantiato nullam habet quietem oppoſitam, niſi abuti velimus vocabulis, cùm nec motus ipſa ſit. Patet hanc reſponſionem parum valere, quia pono quòd *A*, quieſcat ſub albedine per horam, & in aliquo vltimo inſtanti deperdatur, certum eſt quòd *A*, vt eſt ſub albedine per horam, verè quieſcit, quia talis quies opponitur motui præcedenti, quo albedo ſucceſſiuè acquiri potuit in ipſo *A*: nec eſt neceſſe, quòd quies opponatur motui ſequenti: ſicut etiam dicimus, quòd mobile *A*, quieſcit in aliquo loco per horam, illa quies ſumitur, prout opponitur motui præcedenti, non autem motui ſequenti: & ſi aliquando poſſit ſumi, vt opponitur motui ſequenti, non tamen eſt ſimpliciter neceſſe. Sic dico in propoſito, quòd ſubſtantia panis dicitur quieſcere ſub accidentibus, vt quies opponitur motui præcedenti, quo illa accidentia acquiri potuerunt in ipſo *A*, & ſic non eſt neceſſe quòd opponatur alicui motui ſequenti. Dico etiam, quod aliquid, puta *A*, poteſt dici verè quieſcere in aliquo tempore, puta ſub albedine, quæ licèt in inſtanti per caſum corrumpatur, tamen eſt apta nata deperdi ſucceſſiuè, & per motum, ſic eſt in propoſito: quamuis ſubſtantia panis in tranſubſtantiatione deſinat eſſe in vltimo inſtanti quietis ſub illis accidentibus, quia tamen in illa accidentia nata ſunt deperdi per motum, ideò ſubſtantia panis in aliquo tempore quieſcebat ſub illis accidentibus.

18. *Illuminatio non eſt terminus motus localis.*

Ad aliud de lumine, cùm primò dicit, quòd illuminatio eſt terminus motus localis, hoc patet manifeſtè falſum, quia terminus motus localis eſt tantùm ipſum *vbi*, vt patet 5. Phyſi. illuminatio verò,

verò, ſiue lumen receptum in aëre non eſt aliquod *vbi*, vt patet. Et licèt per motum localem Solis quo fit præſens aëri noſtro, ſequatur illuminatio aëris, non tamen talis illuminatio poteſt dici terminus motus localis per ſe, nec primò, nec non primò. Patet, quia tale lumen immediatè cauſatur à Sole, vel à luce in ipſo medio. Et quod dicit, quòd ſi Sol crearetur de nouo, quòd hoc eſſet miraculum: certè hæc eſt vna fuga, quia & ſi aliquid fiat per miraculum, tamen ipſo poſito, poſſet naturaliter agere, vt patet de cæco illuminato per miraculum, qui poſtea naturaliter videt; ſic in propoſito, poſito quòd aër quieſcat ſub tenebra per diem, & in vltimo inſtanti illius diei creetur Sol, patet quòd in illo inſtanti illuminabitur aër: ergo in illo vltimo inſtanti aliter ſe habebit.

Et quod dicit pòſt, quòd aër non dicitur quieſcere ſub tenebra, quia ſemper habet alium, & alium reſpectum ad Solem, pro quanto Sol continuè magis, ac magis ſibi appropinquat, & quia fit ſub alio, & alio reſpectu, ideò non quieſcit ſub tenebra.

Hæc reſponſio ab omni experientia eſt aliena.

Hæc reſponſio eſt nimis abſona, & ab omni experientia aliena, quia tunc ſequeretur, quòd quieſcens ſub frigiditate, puta per horam, diceretur non quieſcere, quia continuè mutatur ſub alio & alio reſpectu, puta ſi ignis ſit diſtans per milliare, & continuè appropinquet frigido, tunc frigidum ſemper erit alio & alio reſpectu, pro quanto ignis corruptiuus frigiditatis magis ac magis appropinquat, & ſic verè quieſcens ſub frigiditate non quieſceret; nam tamdiu A quieſcit ſub albedine vt 8, quamdiu habet albedinem vt 8, & non dicitur non quieſcere ſub albedine per quemcunque nouum reſpectum ſibi aduenientem. Sic dico in propoſito, quòd aër tamdiu quieſcit ſub tenebra, quamdiu ſtat ſub illa, quamuis continuè aliter & aliter ſe habeat ſecundùm alium & alium reſpectum ad Solem appropinquantem. Et quod dicit iſte, quòd tenebra non radicatur in aliqua forma contraria lumini, ſed radicatur in relatione diſtantiæ ipſius aëris ad Solem, hoc mirum videtur, quia cùm tenebra ſit priuatio luminis, & priuatio ſit in ſubiecto apto nato, ſi talis priuatio radicatur in tali relatione, ergo talis relatio erit apta nata recipere lumen; ſed talis relatio non fundatur, niſi in aëre, vt diſtante à lumine; ergo non poſſet eſſe ibi lumen, niſi vt in diſtante.

9. Et quòd dicit ad vltimam inſtantiam Doctoris contra Thomam, quòd tunc Angelus non poſſet moueri, nec motu continuo, nec motu diſcreto, patet quòd talis reſponſio nullo modo euacuet inſtantiam Doctoris, vt patet diligenter intuenti illam. Et quod dicit iſte, quòd Angelus poteſt in vltimo inſtanti temporis alicuius eſſe in aliquo loco, quia poſtquam nuſquam fuit in vno inſtanti ſui temporis coëxiſtenti vltimo inſtanti alicuius horæ applicare ſe locò, tunc enim in tota hora nuſquam fuit, & in vltimo illius eſt hîc. Quamuis hoc poſſit fortè eſſe verum in ſe, tamen eſt contra ipſum, & contra magiſtrum ſuum. Contra ipſum, patet, quia ipſe diceret, quòd quieſcens ſub priuatione alicuius formæ per horam in vltimo inſtanti illius horæ non poſſet incipere eſſe ſub tali forma, nec poſſet aliter ſe habere, ponendo enim quòd Franciſcus ſit extra totum vniuerſum, & per conſequens nuſquam ſit, & ibi quieſcat per diem, haberet dicere, quòd in vltimo inſtanti illius diei non poſſet ſe facere præſentem alicui loco circumſcriptiuo, ſed in tempore poſt illud vltimum inſtans. Sic in propoſito ſi ponatur Angelum nuſquam eſſe per horam, non videtur ſecundùm eum, quòd in vltimo inſtanti illius horæ poſſit aliter ſe habere, cùm non ſit maior ratio de Angelo quieſcente in aliquo loco per horam, & de Angelo quieſcente nuſquam per horam, ſicut nec de ſubiecto quieſcente ſub albedine per horam, quod poſtea ſit ſub nigredine, & de ipſo quieſcente per horam ſub ſola priuatione nigredinis, quia neutro modo in vltimo inſtanti illius quietis poterit aliter ſe habere: & ſic patet improbatio huiuſmodi noui expoſitoris.

10. *Apparens contradictio in dictis Doct.*

Vltra prædicta adduco vnam inſtantiam contra vnum dictum Doctoris, quia ipſe dixit, quòd quieſcens, puta ſub tenebra per horam, in vltimo inſtanti illius horæ fit ſub lumine: in hoc videtur ſibi contradicere, quia ſuprà *in q. 9.* de motu Angelorum, vbi loquitur de motibus concurrentibus, dicit ipſe quòd quieſcens ſub calore, puta per horam, quieſcit in vltimo inſtanti illius horæ, ita quòd datur vltimum inſtans immutationis, ſiue quietis, vt ibi expoſui, & tamen in hoc videtur Doctor improbare Thomam.

Solutio contradictionis.

Dico quòd non eſt ſimile, quia Doctor ibi vult, quòd in corruptione formæ ſubſtantialis, quæ corrumpitur in inſtanti, quòd non datur vltimum inſtans ſuæ quietis, quia tunc hæc eſſet vera, forma ſubſtantialis in vltimo inſtanti eſt, & immediatè poſt hoc non erit; tunc quæro, aut in inſtanti immediato non erit, & tunc inſtans eſſet immediatum inſtanti, aut in tempore immediato ad illud inſtans non erit; & tunc ſequuntur duo inconuenientia. Primum, quòd corrumpetur talis forma in tempore. Secundum, quòd forma oppoſita non introducetur in inſtanti: diceretur ergo, quòd in vltimo inſtanti definet eſſe, & in eodem quo definit eſſe, alia introducitur. Thomas verò dicit, quòd quieſcens in aliquo tempore, quieſcit in vltimo inſtanti illius temporis: & quod adducitur de Doctore de motibus concurrentibus. Dico quòd aliud eſt propoſitionem eſſe vniuerſaliter veram, & aliud tantùm particulariter: ſi Thomas intelligat vniuerſaliter, quòd quieſcens in aliquo toto tempore, de neceſſitate quieſcit in vltimo inſtanti illius temporis, eſt vniuerſaliter falſa, vt ſuprà patuit per multas inſtantias. Si verò intelligat ipſam eſſe veram in motu alterationis, & augmentationis, & huiuſmodi, propoſitio poterit eſſe vera, quia tales formæ non poſſunt haberi, niſi per motum, & ſic quieſcens ſub caliditate per horam, in vltimo inſtanti illius horæ quieſcit, & poſt illud inſtans in tempore immediato incipit moueri ad frigiditatem, non enim in vltimo inſtanti illius horæ poteſt moueri ad frigiditatem, quia tunc motus fieret in inſtanti, ſed tantùm in tempore immediato, & ſic intelligit Doctor, quòd vbi concurrunt duo motus ſcilicet intenſionis, & remiſſionis, quòd quieſcens ſub forma remittenda in aliquo toto tempore, neceſſariò quieſcit in vltimo inſtanti illius temporis, & hoc prolixè expoſitum eſt ſuprà, q. 9.

SCHOLIVM.

Reiȳcit tempus diſcretum vt ſuperfluum, & ſic ait motum Angeli menſurandum tempore communi, & ad quæſt. reſoluit contra Henr. Angelum non poſſe ſe mouere in inſtanti, ita vt ſimul vbi *intermedia occupet, benè tamen, ſi talia* vbi *intermedia non occupet, de quo quæſt. ſeq.*

Primo & 8. Phyſic.

Tempus diſcretum reiȳcit vt ſuperfluũ.

DIco ergo ad quæſtionem, [a] quòd quia pluralitas non eſt ponenda ſine neceſſitate; & non eſt neceſſitas, quare debeat poni tempus diſcretum menſurans motum Angeli: nam quicquid ſaluatur per illud tempus diſcretum, ſaluabitur etiam per tempus continuum in communi. Sicut enim oportet eos dicere, quòd ſi tranſeat in inſtanti, non poteſt immediatè habere alium tranſitum inſtantaneum: ita poteſt poni ſi tranſeat inſtantaneè in inſtanti temporis continui, ita quòd licèt poſt illud inſtans poſſit habere motum continuum in tempore habito: non tamen poteſt habere tranſitum inſtantaneum immediatum: non ergo eſt inconueniens ponere Angelum, inquantùm participat conditionem corporalem, id eſt, quæ poteſt eſſe eiuſdem rationis aliquo modo in ipſo, & etiam in corpore: quod etiam participet menſuram corporis aliquo modo: inquantùm autem mouetur localiter participat *vbi*, quod eſt conditio, & paſſio corporalis aliquo modo eiuſdem rationis in ipſo, & in corpore: ergo etiam poteſt menſurari menſura primi corporis moti. 5.

Et ſi obiicias [b] quòd poteſt moueri ſtante cœlo: ergo non oportet motum eius eſſe in tempore.

Auguſt. 2. Confeſſionum.

q. 4. huius diſt.

Cap. 10.

Ceſſante motu cæli, mouebũtur homines.

Reſpondeo, [c] ita ſtante cœlo poterit Petrus poſt reſurrectionem ambulare: & tamen iſta ambulatio non fingetur eſſe in tempore quodam alio à communi tempore noſtro continuo. Similiter etiam non exiſtente primo motu cœli, menſuratur quidem quies ipſius motus cœli potentialiter (ſicut dictum eſt priùs) tempore illo quo motus primus menſuraretur, ſi eſſet poſitiuè, & actualiter, & in illo tempore potentiali poteſt menſurari motus alius tunc actualiter exiſtens: ita quòd non eſt neceſſe menſuratum à motu primi cœli dependere in *eſſe*, vel eſſentia à motu illo, ſicut fuit motus ſub tempore Ioſue, ſtante cœlo: quia menſuratio iſta quanti per quantum, vt æqualis per æquale, non eſt per aliquid, à quo menſuratum eſſentialiter dependeat, ſicut eſt in menſuris quiditatiuis: ſed tantùm ſufficit, quòd motus iſte, quando eſt, poſſit diſtinctè cognoſci ſecundùm quantitatem ſuam ex cognitione diſtincta temporis: & hoc vel actualis vel potentialis: & ita dico, quòd quando iſte motus cœli non erit, poterit tamen alius motus menſurari per tempus huius motus primi cœli, inquantum ſcilicet motus ille poſſet fieri cum tanta parte illius motus ſi eſſet, & nunc eſt cum tanta parte quietis cùm quanta pars motus poſſet eſſe.

d Hoc ergo ſuppoſito, quòd non eſt neceſſe ponere pro motu Angeli aliam menſuram à tempore communi: cùm quæritur, vtrùm poſsit mutare, vel moueri in inſtanti? Dico, quòd dupliciter poteſt intelligi mutatio, & poteſt dici duplex mutatio. Vna includens totam realitatem motus: alia præcisè includens realitatem termini motus. 6.

Exemplum huius eſt, quòd iſtud mutatur ab A *vbi* vſque ad B *vbi* poteſt intelligi dupliciter: vel quòd ſimul habeat omnia *vbi* intermedia, ſicut haberet, ſi præcisè moueretur ſucceſsiuè: vel quòd illa mutatione præcisè haberet vltimum *vbi*, ſicut haberet, ſi illa mutatio eſſet vltimus terminus motus. Primo modo contradicendo ſecundæ opinioni, non video qualiter Angelus virtute naturali poteſt mutari, vel moueri in inſtanti: quia non videtur quòd virtute ſua naturali poteſt habere plura *vbi* æqualia.

Secundo modo, non videtur inconueniens, quin poſſet mutari in inſtanti: quia quòd terminus motus non ſtatim inducatur, hoc eſt ex imperfectione virtutis ipſius mouentis, quæ imperfectio non eſt attribuenda Angelo, niſi aliqua neceſsitas appareret: quia dignificanda eſt natura, quantum apparentia permittunt.

8. Phy. t. c. 56. & 2. de gener. c. 59.

e Ad argumentum in oppoſitum dico, quòd illa conſequentia Philoſophi tenet ex hoc, quòd in antecedente includitur menſuram eſſe diuiſibilem per hoc, quòd ponitur in eo. In quacunque autem menſura diuiſibili poteſt aliqua virtus aliquid facere, maior poteſt facere in minori: ſed in iſto antecedente, Angelus mutatur in indiuiſibili non includitur eſſe diuiſibile. Hæc igitur conſequentia: mouetur in inſtanti, igitur aliquid poteſt moueri in minori; tenet non tantùm ex propoſitionibus veris & 7.

ex natura

ex natura rei: ſed ex aliqua falſa, quæ includitur in illo antecedente: eſt enim iſta vera ex natura rei, quidquid cauſat aliqua virtus in menſura diuiſibili, maior virtus poteſt hoc cauſare in menſura minori: ſed minor, quæ erit ibi ſumenda ſub illa maiori vera, non eſt vera ex natura rei, ſed tantùm ex hypotheſi iſta, videlicet quòd motus eſt in inſtanti: ſi autem dicatur Angelum mutari in inſtanti, & per hoc debeat inferri, quòd aliqua virtus debeat ipſum mutare in minori quàm in inſtanti: minor, quæ ibi erit ſumenda ſub maiori illa vera, non erit vera ex natura rei, nec ex hypotheſi: & ideò conſequentia non valet. Et ex hoc patet, quòd multæ conſequentiæ enthymematicæ tenent non præcisè virtute alicuius veræ ſubintellectæ: ſed quandoque virtute alicuius falſæ ſubintellectæ: dum tamen includatur in antecedente.

COMMENTARIVS.

1. *Primo Phyſ. contex. 50. & 3. de ani. cõtex. 60. & 8. phyſ. contex. 48.*

a *DIco ergo ad quæſtionem*, &c. Hîc Doctor probat, quòd non eſt neceſſe ponere tempus diſcretum, vel inſtans temporis diſcreti menſurans motum localem Angeli, quia ita æquè benè poteſt ſaluari talis menſura per tempus continuum in communi. Sicut enim oportet eos dicere, quòd ſi tranſeat in inſtanti, non poteſt immediatè habere alium tranſitum, ita quòd ſi Angelus inſtantaneè tranſit ad vnum locum, non poteſt poſtea immediatè, & inſtantaneè tranſire ad alium locum, ita poteſt poni ſi tranſeat inſtantaneè in inſtanti temporis continui, ita quòd licèt poſt illud inſtans poſſit habere motum continuum in tempore habito, non tamen poteſt habere tranſitum inſtantaneum immediatum; non ergo eſt inconueniens ponere Angelum inquantum participat conditionem corporalem, id eſt, quæ poteſt eſſe eiuſdem rationis aliquomodo in ipſo, & etiam in corpore, quòd etiam participet menſuram corporis aliquomodo: inquantùm autem mouetur localiter participat *vbi*, quod eſt conditio, & paſſio corporalis aliquo modo eiuſdem rationis in ipſo, & in corpore, quia ſicut corpus acquirit *vbi* motu continuo, ita & Angelus, vt ſuprà patuit *in 9. q.* & ſicut corpus fit præſens per motum tali ſpatio, ita & Angelus, licèt in hoc differant, quia corpus eſt in loco circumſcriptiuè, Angelus verò tantùm definitiuè; cùm ergo illi motus ſint ſimiles, & quaſi eiuſdem rationis, ſequitur, quòd ſicut motus localis corporis menſuratur tempore communi, ita & motus localis Angeli.

2. b *Et ſi obijcias, quòd Angelus poteſt moueri ſtante cœlo, ergo non oportet motum eius eſſe in tempore* communi, ſiue menſurati tempore communi, quod tempus commune eſt primò menſura motus primi mobilis.

Tempus noſtrum eſt duplex.

c *Reſpondeo, ita ſtante cælo*, &c. Nota in iſta litera ſingulare dictum, ſcilicet quòd tempus noſtrum eſt duplex, & eſt illud, quod menſurat motum primi mobilis, quia motus eſt cauſa temporis, vt patet 4. *Phyſic. t. c. 99. & 109.* Et tempus potentiale, & eſt illud, quòd menſuret quietem primi mobilis, quia dicimus, quòd quando quieſcit, puta per imaginationem noſtram per horam, ſi motum fuiſſet per illam horam, tantum motum perfeciſſet, & quia tantus motus actualis menſuratur tanto tempore actuali, ideò dicimus, quòd tempus potentiale menſurat quietem; & ſicut aliàs viſum eſt, quòd motus vniuerſalis, ſiue primi mobilis eſt quodammodo menſura omnium motuum particularium; ita tempus menſurans illum motum erit menſura extrinſeca motuum particularium; ſed intrinſeca motus vniuerſalis, ſic dico de tempore potentiali, quòd erit menſura intrinſeca quietis primi mobilis modo præexpoſito, & extrinſeca motus, & quietis particularis.

Mutatio poteſt intelligi dupliciter.

d *Hoc ergo ſuppoſito.* Reſpondet quòd talis mutatio poteſt dupliciter intelligi, vel quòd includat totam realitatem motus; vel quòd præcisè includat realitatem termini motus. Exemplum primi, ſi A, ab *vbi* B moueatur vſque ad *vbi* C, inter quæ duo *vbi* ſint mille *vbi*, ſic quòd poſſit inſtantaneè moueri, à B ad C, ita quòd habeat omnia illa *vbi* intermedia. Exemplum ſecundi, puta, quòd à B, immediatè fiat in C, non non tranſeundo *vbi* intermedia, ſiue non ſimul habendo illa. Primo modo contradicendo ſecundæ opinioni, non video qualiter Angelus virtute naturali poſſit moueri in inſtanti, quia non videtur quòd virtute ſua naturali poſſit habere plura *vbi* æqualia. Sed ſecundo modo, non videtur inconueniens, &c.

3. *Litera eſt ſatis obſcura.*

e *Ad argumentum in oppoſitum dico.* Quia iſta litera eſt ſatis obſcura, vt clariùs intelligatur, notanda ſunt aliqua. Primò præmittendo vnum argumentum: Quæcunque virtus poteſt mouere A in aliqua menſura diuiſibili, puta in hora, maior vnitas poteſt mouere in minori menſura: ſed Angelus per te poteſt mouere ſeipſum, vel aliquid aliud in inſtanti; ergo maior virtus, puta infinita, poterit mouere in minori menſura, quàm ſit menſura inſtantis. Conſequens eſt contra Ariſtotelem vbi ſuprà. Secundò nota, quòd maior propoſitio eſt vera ex natura rei, & ſequitur ex illa maiori, quòd ſi poteſt aliqua virtus mouere in aliqua menſura diuiſibili, quòd maxima virtus poterit mouere in minima menſura indiuiſibilis, ſcilicet in inſtanti; iſta autem propoſitio, *aliqua virtus poteſt mouere in inſtanti*, non eſt vera ex natura rei, ſed tantùm ex ſuppoſitione, ſcilicet ſuppoſito quòd motus poſſet fieri in inſtanti, cùm tamen fiat in tempore, vt patet. Dicit ergo Doctor quòd ſi maior virtus mouet in tempore, ergo maxima mouet in inſtanti; quòd iſta conſequentia eſt vera, ſuppoſito quòd motus poſſit fieri in inſtanti: maior ergo primi ſyllogiſmi eſt vera ex natura rei, & ſi addatur iſta minor illi maiori: *Sed virtus Angeli poteſt mouere in inſtanti*, iſta minor eſt vera ex ſuppoſitione: ergo virtus infinita poſſet mouere in minori menſura, quàm in inſtanti, concluſio falſa. Dico quòd non eſt mirum, quòd ſequatur concluſio falſa ex minori ſimpliciter falſa, & hoc eſt, quod dicit Doctor. Conſequentia Ariſtotelis eſt iſta, ſi maior virtus mouet in tempore, ergo maxima mouet in inſtanti.

An virtus Angeli poſſit moueri in inſtanti.

In

In antecedente, puta Ariſt. *includitur menſuram eſſe diuiſibilem, per hoc quod ponitur in eo*; ſupple in antecedente. Sequitur: *In quacunque autem menſura diuiſibili poteſt aliqua virtus aliquid facere, maior poteſt facere in minori*: & ſic benè ſequitur, quòd maxima virtus poterit facere in inſtanti, quod inſtans eſt minima menſura: & hoc quia menſura in antecedente eſt diuiſibilis ſemper, ſequitur quòd maior virtus poterit facere in minori menſura, & maxima in indiuiſibili.

5. Sequitur, *ſed in iſto antecedente Angelus mutatur in indiuiſibili, non includitur eſſe diuiſibile*, quia ſi arguatur ſic, virtus vt 8, poteſt mutari in inſtanti; ergo maior virtus poteſt mutari in minori menſura, non ſequitur, quia menſura in antecedente eſt omnino indiuiſibilis.

Sequitur. *Hæc igitur conſequentia*, &c. Declarat Doctor maiorem incluſam in iſta conſequentia; ſi aliqua virtus mouet in inſtanti; ergo maior poteſt moueri in minori; & hæc conſequentia tenet in virtute huius maioris verè ex natura rei, ſcilicet *quicquid cauſat aliqua virtus in menſura diuiſibili maior virtus poteſt cauſare in menſura minori. Sed minor, quæ erit ibi ſumenda ſub illa maiore vera, non eſt vera ex natura rei, ſed tantùm ex hypotheſi iſta, ſcilicet quòd motus eſt in inſtanti*; ſed ex iſta minore falſa, ſcilicet ſed Angelus mouet in inſtanti, ſequitur iſta concluſio falſa; ergo maior virtus mouet in minori, quàm in inſtanti.

6. *Si autem dicatur Angelum mutari in inſtanti.* Dicit Doctor hîc, ſi loquamur modò de mutatione, quæ fit in inſtanti, & non de motu, qui fit in tempore, & arguatur ſic: Angelus mutat aliquid in inſtanti; ergo maior virtus mutat in minori menſura. Dicit Doctor infrà ibi, *minor, quæ ibi erit ſumenda ſub maiori illa vera*, illa maior eſt illa, quæ eſt poſita in principio ſyllogiſmi. Sequitur, *non erit vera ex natura rei, nec ex hypotheſi*, nam ſub illa maiori poſſem facere duas maiores. Primò iſtam, ſed Angelus mouet in inſtanti, quæ eſt vera tantùm ex hypotheſi; & tunc ſequitur quòd ſicut motus eſt diuiſibilis, ita menſura illa inſtantanea eſt diuiſibilis, quia menſura, & menſuratum ſunt vnigenea: & ideò benè ſequitur iſta concluſio falſa; ergo infinita virtus poteſt mouere in minore, quàm in inſtanti. Secunda minor eſt iſta; ſed Angelus poteſt mutare aliquid in inſtanti, ita quòd ſit ibi tantùm mutatio indiuiſibilis, quia in maiori accipitur menſura diuiſibilis, in minori etiam accipitur diuiſibilis, & hæc minor eſt falſa ex natura rei, ſcilicet mutatio menſuretur inſtanti diuiſibili; & etiam ex hypotheſi, quia non ſupponitur mutationem menſurari menſura diuiſibili, & ſic non ſequitur concluſio vera, nec ex natura rei, nec ex hypotheſi, ſcilicet ergo virtus infinita poteſt aliquid mutare mutatione propriè dicta, in minori menſura, quàm in inſtanti.

7. Sequitur. *Et ex hoc patet, quòd multæ conſequentiæ enthymematicæ* (vt iſta conſequentia aliquid mouet in inſtanti, ergo maior virtus mouet in minori) *tenent non præcisè virtute alicuius veræ ſubintellectæ*, puta iſtius; quicquid mouet aliqua virtus in menſura diuiſibili maior virtus poteſt mouere in maiori. *Sed quandocunque virtute alicuius falſæ ſubintellectæ*, puta iſtius; ſed Angelus mouet aliquod in inſtanti, ergo maior virtus in minori menſura. Sequitur, *dum tamen includatur in illo antecedente*, ſupple illa minor; nam in iſto antecedente; Quicquid poteſt mouere aliqua virtus in menſura diuiſibili, maior virtus poteſt mouere in minore; includitur quòd motus poſſit fieri in inſtanti, quæ eſt minor; & patet, quia ſi maior virtus in minori menſura poteſt mouere, maxima poterit mouere in inſtanti. Et ideò nota, quæ dicit Doct. *in primo, diſt. 2. q. 1.* gloſſando dictum Ariſtotelis 8. Phyſ. t. 79. quòd ſi eſſet virtus infinita moueret in non tempore, quia maior virtus mouet in minori tempore; ergo infinita mouebit in non tempore. Vide ibi.

QVÆSTIO XII.

Vtrum Angelus poßit moueri ab extremo in extremum, non tranſeundo per medium?

Alenſ. 2. *p. qu.* 33. *memb.* 2. D. Thom. 1. *p. qu.* 53. *art.* 2. & 3. Henr. *quodl.* 13. *qu.* 7. D. Bonau. 2. *d.* 37. 2. *p. ar.* 2. *qu.* 2. Rich. *art.* 3. *q.* 2. Capreol. 2. *d.* 6. *qu.* 1. Vaſq. 1. *p. d.* 196. Vide Scot. 1. *Met. q.* 4. Mayron. 2. *d.* 39. Baccon. 2. *d.* 3. *q* 12.

VOD ſic, quia aut Angelus eſt in loco per operationem ſecundùm aliquos: & videtur planum, quòd poteſt operari in extremo, non operando in medio: aut ſaltem imperio voluntatis mouet ſe, licèt per aliquam aliam potentiam executiuam: & poteſt velle eſſe in extremo, non volendo eſse in medio, ſicut poteſt intelligere extremum non intelligendo medium 1.

Præterea, corpus Chriſti p. ius exiſtens in cœlo empyreo, nunc eſt in altari, & non tranſit medium: igitur hoc poterit Angelus, cùm corpus magis videatur ſequi leges loci, quàm ſpiritus.

4. 6. & 8. *Phyſic.* Contrà nulla pars temporis poteſt tranſire à futuro in præteritum, niſi per præſens: ſed ita videtur eſsentialis ordo inter partes loci, ſicut inter partes temporis: ergo non poteſt localiter pertranſiri ab extremo ad extremum niſi per medium.

SCHO

SCHOLIVM.

Ponit ſententiam aliorum, maximè D. Thomæ, cum quo conuenit, niſi in eo quod D. Thomas videtur dicere Angelum inſtantaneè moueri poſſe à ſe ad vbi *diſtans, non tranſeundo medium. Dicit ergo primò, Angelum continuè non poſſe ſe mouere ad* vbi *indiſtans, non tranſeundo medium. Secundò, idem ait quoad* vbi *diſtans. Tertiò, ait eum mouere ſe poſſe inſtantaneè ad* vbi *indiſtans non tranſeundo medium. Quartò, hoc negat quoad* vbi *diſtans, de quo q. præced.*

HIc dicunt [a] quidam, quòd extrema poſſunt intelligi aut duo *vbi* diſtantia, inter quæ eſt aliquod medium, quod nihil eſt extremorum; aut duo immediata, inter quæ ſunt media, quorum tamen quodlibet eſt aliquid extremorum, loquendo de mediis ſecundo modo: & de motu continuo Angeli dico quòd non poteſt tranſire continuè ab vno extremo in extremum, niſi pertranſeundo per tale medium, quod eſt aliquid vtriuſque extremi, quia tale medium eſt ratio continuitatis inter extrema tranſita, ſicut apparet ex definitione medij, 10. *Metaph.*

2 *D. Thom. 1. par. q. 53. ar. 2. & quodl. 1. ar. 5.*

Quod eſt aliquid extremorũ continuat vel contiguat illa

b Similiter etiam videtur eſſe, loquendo de motu continuo, & de medio alio modo dicto: quia ſi mouetur continuè, non eſt totaliter in altero termino: ergo partim in vno, & partim in alio, vel in medio inter ambo: non enim poteſt dici, vt videtur, quòd ſit in parte vnius extremi, & in parte alterius, & tamen quòd omnino non ſit in tali medio inter talia extrema: quia tunc eſſet in duobus locis diſcontinuis, & nullo modo in loco medio: quod non videtur ſibi poſſe competere virtute naturali.

Tex. 22. & 5. Phy. tex. 22.

Si autem loquamur [c] de motu indiuiſibili; dico quòd in tali motu poteſt pertrãſire ab extremo in extremum immediatum, non tranſeundo per medium, quod eſt aliquid vtriuſque extremi: imò neceſſe eſt hoc, quia ſi tranſiret per tale medium continuè tranſiret, & non inſtantaneè. Sed de extremis diſtantibus habentibus medium diſtinctum ab extremis eſt dubitatio. Patet quidem ex quæſtione præcedente, quòd non poteſt ſe facere in extremo diſtante mutatione includente totam realitatem motus.

Angelus non mouetur continue, non tranſeundo medium.

3 e Sed nunquid poteſt facere ſe in extremo diſtante mutatione præcisè includente realitatem termini motus? ita quòd in aliquo toto tempore ſit in A *vbi*: & inſtanti illius temporis præcisè ſit in B. *vbi*, ita quòd B *vbi* ſit diſtans ab A *vbi* per aliquod medium, in quo medio nunquam fuerit, nec in tempore, nec in inſtanti?

Angelus ad vbi indiſtans poteſt moueri indiuiſibiliter non tranſeundo medium.

Videtur probabiliter quòd non: quia ordo præfixus à ſuperiori agente videtur eſſe neceſſarius cuicunque agenti inferiori, quando habet actionem præcisè circa talia ordinata. Exemplum, ordo formarum naturalium ſuccedentium ſibi in generatione naturali determinatus eſt ab inſtituente naturam. Et ideò reſpectu cuiuſcunque agentis naturalis eſt neceſſarius: ita quòd nullum agens naturale poteſt facere immediatè acetum ex vino: ergo cùm à Deo ſit præfixus ordo partium vniuerſi cuilibet agenti creato, & virtuti creatæ; videtur iſte ordo eſſe neceſſarius, quando debet agere circa iſta, quorum eſt talis ordo: igitur Angelus quando mouet ſe per corpora, quorum eſt talis ordo, nõ poteſt abſque omni ordine de quocunque *vbi* facere ſe in quodcunque *vbi* immediatè: tunc enim nulla diſtantia videtur impedire actionem eius.

Non poteſt ire ad vbi diſtans. non tranſeundo medium, & quare.

f Et ſi obiicias, quòd iſta ratio concludit contra illud membrum de mediis, quæ ſunt aliquid extremorum; dico quòd non quia pertranſeundo ab vno *vbi* immediatè ad illud *vbi* in inſtanti, habet omnia ita *vbi*, ordine quodam naturæ, inter quæ eſt ordo potentialis ex natura rei: ſed non oportet, quòd habeat ea ordine durationis. Si autem tranſiret à diſtanti in diſtans abſque ordine omnimodo, tunc nec ordine naturæ nec durationis haberet illa, quorum eſt ordo naturalis, circa quæ tamen operatur præſupponens neceſſariò ordinem eorum.

8. *Meta.*

g Ad primum argumentum dico, quòd malus Angelus poteſt inordinatè velle; nec oportet quòd poſſit illud, quòd ſic vult. Bonus tamen ordinatè vult ſtatim eſſe in aliquo *vbi*: non tamen vult, quòd potentia propria ſit ibi, quia hoc eſſet inordinatè velle, ſi talis potentia ſibi non conueniat: ſed vult quòd potentia Dei ſtatim ſit ibi, & veriſimile eſt, quòd Deus condeſcendat voluntati eius, ſi talis ſit, vt faciat eum in tali *vbi*: numquam autem potentia propria poteſt eſſe, niſi eo modo, quo conuenit ſuæ potentiæ.

Ad

Ad arg.

Ad ſecundum dico, quòd corpus Chriſti potentia infinita ſit præſens in alteri, de quo in 4. lib. iſta autem potentia quodcunque medium inter extrema poteſt habere pro non medio,& ordinem pro non ordine:quia eſt ſupra illum ordinem præfigens illum,& non habens illum pro præfixo:non ſic virtus Angeli limitata.

diſt.10. q.6.

q.9.n.34.

Ex iſto apparet [b] ad illud de Senſu,& Senſato,quod prætermiſſum fuit in quæſt. 1. de motu Angeli: non enim eſt inconueniens aliquam alterationem totam eſſe ſimul, quando ſcilicet agens reſpicit totũ paſſum tanquam terminum indiuiſibilem, & formam ſecundùm vltimum gradum ſecundùm quem ipſam totam inducit tanquam indiuiſibilem; tunc mutatione indiuiſibili inducitur forma perfectè in paſſo diuiſibili: ſed ſecundùm talem formam non eſt motus, ſed tantùm mutatio vna, vel fortè plures habitæ, aut ordine durationis,aut naturæ, ſicut ipſe dicit ibi, quòd ſi magnum fuerit habitum ab habito patitur. Quod poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quòd pars poſterior parte priori priùs naturaliter perfecta perficitur naturaliter poſterius,ita tamen quòd ſit tantùm ordo naturæ inter mutationem prioris partis, & poſterioris. Alio modo, quòd ſit ordo durationis, puta quòd pars poſterior mouetur ſucceſſiuè à parte priore: & tamen pars priormutata eſt præcisè ab ipſo agente extrinſeco. Iſte ſecũdus modus videtur improbab ilior niſi poneretur partem priorem tranſmutatam eſſe perfectiorem tranſmutante ipſam: & ita non poteſt ſubitò tranſmutare ſicut ipſa tranſmutantur ſubito ab argente extrinſeco. Dicit ergo ibi Philoſophus, quòd non eſt ita in multiplicatione ſoni ſicut in lumine: quia multiplicatio ſoni quæ fit cum motu locali, neceſſario eſt ſucceſſiua: non ſic illa multiplicatio luminis. & ita non repugnat ſimultas ratione alterationis, ſicut ratione loci mutationis: & hoc comparando ad virtutem naturalem.Sed tamen nunquam eſt in alterationibus, quæ ſunt motus prima mutatio, ſicut nec in loci mutationibus:quia vbi eſt mutatio inſtantanea ibi illa nõ eſt mutatio initians motum,nec etiã vniuerſaliter,vbi motus ſequitur,ſi eſt dare immutationem, quæ eſt terminus quietis præcedentis: vbi autem quietem ſequitur mutatio immediatè propter perfectionem virtutis ipſius agentis,ibi non eſt immutatio terminans quietem præcedentem.

Quando inducitur inſtãtaneè forma diuiſibilis in ſubiectum diuiſibile.

Repugnat ſimultas ratione lationis vbi ſtatratione alterationis.

Alias daruentur indiuiſibilia immediata vid. ſupr. q.9.n.31.

COMMENTARIVS.

Opinio D. Thomæ. prima concluſio.

a *Hic dicunt quidam.* Hîc Doctor recitat opinionem Thomæ *in prima par. q.53. art.2.& quolib.1. art. 5.* Et Gulielmi Var. *in 2. diſt.2.*Dicit enim Thomas quòd extrema poſſunt intelligi, aut duo *vbi* diſtantia, inter quæ eſt aliquod medium, quod nihil eſt extremorum; aut duo *vbi* immediata, inter quæ ſunt media,quorũ quodlibet eſt aliquid extremorum. Vult dicere, quòd ſunt aliqua duo *vbi*,inter quæ non eſt medium eiuſdem rationis, & dicuntur *vbi* diſcontinua:alia dicuntur duo *vbi* immediata, non quòd vnum ſit immediatum alteri, quia tunc inter illa non caderet medium, ſed ex hoc dicuntur immediata, quia medium cadens inter illa eſt eiuſdem rationis cum illis, & aliquid vtriuſque extremi,vt ſuprà patuit *diſ.præſenti.q.* 9.de illis *vbi* communicantibus adinuicem,quæ ſic ſe habent, quòd ſemper medium eſt pars vtriuſque extremi. Hoc poſito, quod à Doctore non improbatur, ſed magis, vt verum acceptatur, ponit Doctor aliquas concluſiones, quarum prima eſt ibi: *Dico quòd non poteſt tranſire continuè vno extremo in extremum.*Concluſio eſt talis,quòd loquendo de motu continuo Angeli, & de medio inter extrema,quod eſt aliquid vtriuſque extremi, non poteſt Angelus motu continuo tranſire ab extremo in extremum, niſi priùs tranſeat per medium. Exempli gratia, quòd Angelus tranſeat à prima regione aëris ad ſecundam motu continuo, & quòd fiat in extremo non tranſuendo loca intermedia, non videtur poſſibile;& ratio aſſignatur, quia tale medium eſt ratio continuitatis inter media tranſita, ſicut apparet ex definitione medij,10.*Met.t.c.22.* vbi ſic habetur. *Media.n.hæc dicimus in quæcunque permutari priùs eſt neceſſe quod permutatur,vt ab hypate in netẽ,niſi tranſit per minimam rationem priùs veniat ad medios ſonos. Et in coloribus ſi veniet ex albo in nigrum priùs veniet ad puniceum,& plumbeum, quàm ad nigrum*, hæc ille.ex quo patet, quòd in motu locali ſpatium:medium inter duo extrema eſt ratio cõtinuitatis ipſius motus.Si.n.motus eſſet ab extremo in extremum, non tranſeundo per medium,numquam talis motus eſſet continuus,cùm dicat Ariſtot. *6.phyſi. t.c.4.* eiuſdem rationis eſt motum,magnitudinem, & tempus componi &c. patet etiam ratione, quia motus continuus ſemper habet nouum prius, & nouum poſterius, quod prius & poſterius ſemper eſt in priori magnitudine,ſicut etiam dicimus, quòd in tempore continuo eſt prius & poſterius ſumpta ex priori & poſteriori in motu, vt patet per Phil. *4.phy. t. c. 99. & 109.*oportet Angelum tranſire medium, loquendo de medio, ſecundo modo,& dẽ motu continuo,ſi debeat peruenire ad illud extremum.

Secunda concluſio

b Secunda concluſio eſt ibi. *Similiter videtur etiam loquendum de motu continuo, & de medio alio modo dicto*, & hoc loquendo de motu locali Angeli continuo, & de medio inter extrema,quod nihil eſt extremorum impoſſibile eſt Angelũ tranſire ab vno extremo ad aliud extremum non tranſeundo per tale medium, patet, quia ſi mouetur continuè non eſt totaliter in altero termino,patet per Ariſ.*in 6.phy.t.c.* 87. vbi vult,quòd omne,quod mouetur partim eſt in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem* in ergo Angelus mouetur continuè, ergo erit, vel partim in termino *à quo*,& partim in termino *ad quem*

quem; vel in medio inter terminum *à quo*, & terminum *ad quem*, non primo modo, quòd ſit partim in vno extremo, & partim in alio, & quòd nullo modo ſit in medio inter alia extrema, quia tunc eſſet in duobus locis diſcontinuis. Patet, quia illa loca, inter quæ eſt medium, quod nihil eſt horum locorum, dicuntur diſcontinua, hoc autem non videtur ſibi poſſe competere, quod ſimul ſit in illis duobus locis diſcontinuis, & nullo modo in medio inter illa, ſic quòd moueatur ab vno loco ad alium, motu continuo: loquendo tamen de virtute naturali competente Angelo.

3. *Tertia concluſio.*

c Tertia concluſio eſt ibi: *Si autem loquamur de motu indiuiſibili.* Et eſt hæc, quòd loquendo de medio, quod eſt aliquid extremorum, & de motu indiuiſibili, ſiue de mutatione, Angelus virtute naturali poteſt mutari de vno extremo ad aliud, non tranſeundo per medium, puta ſi ſit in vno extremo ſpatij vnius miliaris in inſtanti, poteſt ſe facere in alio extremo eiuſdem ſpatij nullo modo tranſeundo per ſpatium intermedium. Et addit Doctor quòd hoc eſt neceſſe, quia ſi tranſiret per tale medium continuè tranſiret, & non inſtantaneè: patet, quia continuè tranſiret aliam, & aliam partem ſpatij, & ſic eſſet ſemper ſub alio & alio priori & poſteriori, & ſub alio & alio *mutato eſſe*, quæ *mutata eſſe* continuant motum; modò eſt impoſſibile eſſe ſub alio & alio *mutato eſſe*, quin ſit ſub motu cõtinuo, cùm inter quæcunque duo *mutata eſſe* ſemper cadat motus medius, ſicut inter duo inſtantia tẽporis medium.

Quarta concluſio.

d Quarta concluſio eſt iſta, quòd loquendo de extremis diſtantibus, & diſcontinuis, & de tota realitate motus, quæ eſt ab extremo in extremum includendo medium, quod nihil eſt extremorum, impoſſibile eſt Angelum virtute ſua naturali indiuiſibiliter moueri ab extremo in extremum, ſiue impoſſibile eſt ipſum in inſtanti tranſire ab vno extremo ad aliud extremum, & hæc concluſio eſt ibi: *Sed de extremis diſtantibus habentibus medium diſtinctum ab extremis eſt dubitatio*, &c.

4. *Quinta concluſio.*

e Quinta concluſio eſt ibi: *Sed nunquid poteſt facere ſe in extremo diſtante*, &c. & eſt iſta, videtur non eſſe poſſibile Angelum tranſire inſtantaneè ab vno extremo ad aliud extremum, loquendo de extremis diſcontinuis, non includendo realitatem motus, nati fieri ſuper medio, quod nihil eſt extremorum, & vult dicere: poſito quòd Angelus per horam quieuerit in vno loco in vltimo inſtanti illius horæ, an poſſit facere in alio loco diſcontinuo priori loco dicit, quòd videtur hoc non eſſe poſſibile, & rationem aſſignat ibi, quia ordo præfixus à ſuperiori agente videtur eſſe neceſſarius cuicunque agenti inferiori, quando habet actionem præcisè circa talia ordinata; cùm ergo à Deo ſit præfixus ordo partium principalium vniuerſi cuilibet agenti creato, & virtuti creatæ, videtur iſte ordo eſſe neceſſarius, quando debet agere circa iſta, quorum eſt talis ordo, quando ergo Angelus mouet ſe per corpora, quorum eſt talis ordo, non poteſt abſque omni ordine de quocunque *vbi* facere ſe in quodcunque *vbi* immediatè, tunc enim nulla diſtantia videretur impedire actionem eius.

5. *Scotus obijcit ſibiipſi.*

f *Et ſi obijcias.* Hîc Doctor dicit contra ſe, quia priùs dixit, quòd loquendo de motu indiuiſibili Angeli, & de medio, quod eſt aliquid extremorum, poteſt in inſtanti tranſire ab vno extremo ad aliud, non tranſeundo per mediũ; & hîc dicit, quòd loquendo de extremis diſcontinuis, nõ poteſt in inſtanti tranſire ab extremo in extremum. Dicit Doctor quòd primum concludit benè de mediis, quæ ſunt aliquid extremorum, quia pertranſeundo ab vno *vbi* immediatè ad aliud *vbi* in inſtanti, habet omnia iſta *vbi*, ſcilicet intermedia, ordine quodam naturæ, inter quæ eſt ordo potentialis ex natura rei, ſic quòd in aliquo priori naturæ acquirit vnum *vbi*, & in alio poſteriori naturæ acquirit aliud, & ſic ſucceſſiuè vſque ad vltimum *vbi*; & non oportet quòd habeat illa *vbi* ordine durationis, ſupple, quòd priùs tẽpore fiat in vno *vbi* intermedio, & poſterius tempore fiat in alio *vbi* intermedio. Et ex hoc concedit Doc. quòd loquendo de motu indiuiſibili Angeli, & de medio, quod eſt aliquid extremorum non poteſt in inſtanti moueri ab vno extremo ad aliud, niſi tranſeundo per mediũ, & tamen ſuprà dixit, quòd poteſt ſic tranſire non tranſeundo per medium. Dico quòd hîc non eſt contradictio, quia in primo intelligit, quòd non poteſt eſſe in inſtanti ab vno extremo ad aliud tranſeundo per medium ordine durationis, ſic quòd pertranſeat medium in tempore, vt ſuprà dixi in prima concluſione: hîc autem vult, quòd poſſit tranſire in inſtanti temporis ab extremo in extremum, tranſeundo tamen medium, quod eſt aliquid extremorum ordine tantùm naturæ, quia cùm inſtanti temporis ſtat ordo naturæ, vt ſuprà patuit *in iſto 2. diſt. 1. q. 1.* Sed cum inſtanti temporis non ſtat ordo durationis, quia tunc ſequeretur, quòd in eodem inſtanti temporis poſſet eſſe prius & poſterius duratione. Sed ſi Angelus tranſiret à diſtanti in diſtans, ſiue ab vno extremo diſcontinuo ad aliue, abſque omni ordine, videlicet naturæ & durationis, tunc nec ordine naturæ eſt, nec durationis haberet illa, quorum eſt ordo naturalis, circa quæ tamen operatur præſupponens neceſſariò ordinem eorum. Sed hîc occurrit difficultas, an Angelus, loquendo de extremis diſcontinuis poſſit tranſire ab vno extremo ad aliud in inſtanti, ſic quòd habeat omnes partes medij in eodem inſtanti, ſed ordine naturæ, licèt non ordine temporis. Dico quòd fortè nullũ eſſet inconueniens, niſi fortè diceretur, quòd partes illius medij non ſunt natæ acquiri auctoritate creata ſine ordine durationis temporis. Si enim natæ eſſent acquiri in inſtanti, ſed ordine naturæ, tunc nulla diſtantia videretur poſſe impedire actionem Angeli.

Occurrit difficultas.

g *Ad argumenta principalia.* 6.

Ad primum reſpondet Doctor, dicens, quòd malus Angelus poteſt inordinate velle, & tamen ex hoc non ſequitur, quòd poſſit illud, quod ſic inordinatè vult, ſed bonus Angelus ordinatè vult ſtatim eſſe in aliquo *vbi*, non tamen vult, quòd potentia propria ſit ibi, quia hoc eſſet inordinatè velle ſi talis potentia ſibi non conueniat: ſed vult quòd potentia Dei ſtatim ſit ibi, & verisimile eſt, quòd Deus condeſcendat voluntati eius, ſi talis ſit, vt faciat eum in tali *vbi*, nunquam autem potentia propria poteſt alicubi eſſe, niſi eo modo, quo conuenit ſuæ potentiæ.

h Ad ſecundum. *Ex iſto apparet ad illud de Senſu & Senſato.* Hic Doctor ſoluit vnam auctoritatem Philoſophi, poſitam priùs in *præſenti, diſt. quæſt. 9. in argumentis principalibus*, ibi expreſſiùs hoc dicit in ſecunda dubitatione de Senſu & Senſato, vbi vult quòd non oportet, ſimiliter ſit in alteratione, & latione. Contingit in-

Corpus Chriſti potentia infinita ſit præſens in altari.

quit Philoſophus, *aliquid ſimul totum alterari, & non dimidium prius, velut aquam ſimul totam coagulari, attamen ſi fuerit multum, quod caleſit, aut coagulatur habitum ab habito patitur, primum autem ab ipſo faciente tranſmutari, & ſimul alterari, & ſubitò eſt neceſſe.* Hæc ille. Hanc auctoritatem ſoluendam dimiſit ibi Doctor, licèt hîc ſoluatur. Et ſoluendo hanc auctoritatem dicit, quòd quando aliquod agens reſpicit totum paſſum tanquam terminum indiuiſibilem, puta ſic optimè diſpoſitum, ac ſi eſſet vnum indiuiſibile, ſimiliter formam ſecundùm vltimum gradum, &c. & pono caſum, quòd ſit lignum pedale optimè diſpoſitum, & ſit calefactio vt 8, ſi eſt aliquod agens tantæ virtutis, quòd habeat in virtute ſua poſſe ſimul producere totam ſimul caliditatem, & quòd non habeat neceſſe priùs duratione informare vnam partem ligni, quàm aliam, Dico tunc, quòd illud poteſt alterare ipſum totum, ſicut ſi eſſet aliquod indiuiſibile ſibi perfectè præſens, & vnus gradus caliditatis perfectus in virtute ſua, tunc in inſtanti poſſet alterare illud; ſic dico, quòd quando habet lignum pedale, & caliditatem vt 8, vt ſuprà dixi, tunc reſpicit vtrunque vt indiuiſibile, & ſic tantùm illud paſſum mutaretur mutatione indiuiſibili, & inſtantanea, ſcilicet ad talem formam: patet, quia tota illa caliditas introducitur in inſtanti.

7. Sequitur, *vel fortè plures habitæ*, &c. quia poſito, quòd detur aër, vel aqua bipedalis, tunc habitum ab habito poteſt intelligi dupliciter alterari, ita quòd agens introducens, ſiue calefaciens intensè vnam partem aquæ, & ſi ille calor in illa parte eſt tantæ virtutis, quantæ agens prius ad calefaciendum; tunc illa pars ſic calefacta ſtatim calefacit aliam, & ſi agens poteſt ſimul calefacere totum, ordine tamen quodam, ſic illa pars in inſtanti calefacit aliam: & ſi illa alia eſt tantæ virtutis, quantæ prima, in eodem inſtanti durationis calefacit aliam, & ſic de aliis partibus. Eſt tamen ibi ordo naturæ, ita quòd vna priùs natura calefacit, & alia poſteriùs; ſi autem prima pars calefacta eſt minoris virtutis, quàm agens calefaciens illam partem in inſtanti, tunc illa pars calefacit aliam non in inſtanti, ſed in tempore, & ſic de aliis.

Sequitur, *Dicit ergo ibi Philoſophus, quòd non eſt ita in multiplicatione ſoni, ſicut in lumine*: nam multiplicatio ſoni ex quo fit per motum localẽ, puta per aërem deferentem, vt patet 2. *de Ani.* de neceſſitate erit ſucceſſiua, & in tempore, cùm motus localis ſemper fiat in tempore, ſed non eſt ſic in multiplicatione luminis, quia totus aër, puta in hemiſphærio noſtro poteſt in inſtanti illuminari, cùm in aere nulla ſit diſpoſitio contraria, & ſic ſimiliter poteſt totus alterari, eſt tamen ibi ordo naturæ, quia pars propinquior Soli illuminatur.

Sequitur, *ſed tamen nunquam*, &c. id eſt, prima mutatio, vt puta quando lignum alteratur in tempore, & per motum, ita quòd ſucceſſiuè alteratur, non poteſt eſſe ibi prima mutatio: patet, quia ante omne *mutatum eſſe* eſt aliquod *moueri*, vt patet per Philoſ. 6. *Phy.t.c.*52. 8.

i Sequitur, *ſicut nec in loco*, vt puta quando aliquod corpus mouetur ſuper ſpatium bipedale, in tali motu locali non poteſt dari prima mutatio; & aſſignat rationem ibi, *quia vbi eſt mutatio*, &c. Nam duplex eſt mutatio inſtantanea; quædã nullo modo initians motum, & eſt illa, quâ tota forma ſimul acquiritur in inſtanti: mutatio autem initians motum eſt illa, quæ fit in motu ſucceſſiuo, & ſæpe eſt inter duas partes motus, ita quòd eſt finis vnius partis, & principium alterius: non enim eſt danda aliqua prima mutatio initians ſimpliciter motum, ita quòd ante illam non detur pars motus prior, vt ſuprà patuit 6. *Phyſ.* *Duplex eſt mutatio inſtantanea.*

Sequitur, *nec etiam vniuerſaliter.* Hîc dicit Doctor quòd nec etiam datur prima mutatio, vbi motus ſequitur, ſi eſt dare immutationem; quæ eſt terminus quietis præcedentis, id eſt, quòd etiã loquendo de motu ſequenti immutationẽ quietis præcedentis, non eſt dare primã mutationẽ illius motus, vt ſuprà patuit *in* 9. *q.* Exemplũ, ponendo quòd pedale quieſcat ſub calore per horam, & in vltimo inſtanti illius, & in tẽpore immediato incipiat moueri, puta motu remiſſionis reſpectu talis motus ſequentis vltimum inſtans illius quietis non datur prima mutatio. Sequitur ibi, *vbi autẽ quietem*, &c. dicit Doct. quòd quando agens poſt quietẽ mutatur aliquid, non datur vltimũ inſtans illius quietis. Exemplũ, ponendo quòd quantũ ſit ſub calore, vt per horã, & quòd agẽs in inſtanti mutet ipſũ quãtũ à calore illo in frigidũ, vt certũ eſt, quòd nõ datur vltimũ inſtãs quietis ſub calore.

DISTINCTIO III.

A

Diſt. 2. lit. f.

EX oſtenſum eſt vbi Angeli fuerint mox vt creati ſunt. Nunc conſequens eſt inueſtigare quales facti fuerint in ipſo primordio ſuæ conditionis: & quatuor quidem Angelis videntur eſſe attributa in initio ſubſiſtentiæ ſuæ, ſcilicet eſſentia ſimplex, id eſt, indiuiſibilis & immaterialis, & diſcretio perſonalis, & propter rationem naturaliter inſitam intelligentia, memoria & voluntas ſiue dilectio: liberum quoque arbitrium, id eſt, libera inclinandæ voluntatis, ſiue ad bonum, ſiue ad malum facultas. Poterant enim per liberum arbitrium ſine violentia, & coactione ad vtrumlibet propria voluntate deflecti.

An

An omnes Angeli fuerint æquales in tribus, ſcilicet in ſapientia, in eſſentia, in libertate arbitrij.

HIc conſiderandum eſt, vtrùm in ſua ſubſtantia ſpirituali, & ſapientia rationali, & libertate arbitrij, quæ omnibus inerant, omnes æquales fuerint: vt ſit prima conſideratio de ſubſtantia: ſecunda de forma: tertia de poteſtate. Perſona quippe ſubſtantia eſt, ſapientia forma, arbitrium poteſtas: & ad ſubſtantiam quidem pertinet naturæ ſubtilitas; ad formam verò intelligentiæ perſpicacitas; & ad poteſtatem rationalis voluntatis habilitas. Illæ ergo eſſentiæ rationales, quæ perſonæ erant, & ſpiritus erant, naturáque ſimplices, & vita immortales, differentem eſſentiæ tenuitatem, & differentem ſapientiæ perſpicacitatem, atque differentem arbitrij libertatem, & habilitatem rectè habuiſſe intelliguntur: ſicut in corporibus nonnulla differentia eſt ſecundùm eſſentiam, ac formam, & pondus: Quædam enim aliis meliorem ac digniorem eſſentiam, & formam habent: & alia aliis leuiora, atque agiliora ſunt. Ad hunc ergo modum credendum eſt illas ſpirituales naturas conuenientes ſuæ puritati, & excellentiæ: & in eſſentia, & in forma, & in facultate differentias accepiſſe in exordio ſuæ conditionis: quibus alij inferiores, alij ſuperiores Dei ſapientia conſtituerentur, aliis maiora, aliis minora dona præſtantis: vt qui tunc per naturalia bona alios excellebant, ipſi etiam poſt per munera gratiæ eiſdem præeſſent. Qui enim natura magis ſubtiles, & ſapientia ampliùs perſpicaces creati ſunt: hi etiam maioribus gratiæ muneribus præditi ſunt, & dignitate excellentiores aliis conſtituti. Qui verò natura minùs ſubtiles, & ſapientia minùs perſpicaces conditi ſunt, minora gratiæ dona habuerunt, inferioréſque conſtituti ſunt ſapientia Dei æquo moderamine cuncta ordinantis. In ipſa facultate arbitrij differentia animaduertenda eſt ſecundùm differentem naturæ virtutem, & differentem cognitionis, & intelligentiæ vim. Et ſicut differens vigor & ſubtilitas naturæ infirmitatem non adducit, minórque cognitio ſapientiæ ignorantiam non ingerit: ſic libertas inferior nullam arbitrio neceſſitatis voluntatem imponit.

B

Hic dicit quod differentes erant in illis.

Per ſimilitudinem corporum ita eſſe oſtendit.

Quæ communia & æqualia habuerunt Angeli.

ET ſicut in prædictis Angeli differebant, ita & quædam communia & æqualia habebant, quòd ſpiritus erant: quòd indiſſolubiles, & immortales erant, commune omnibus & æquale erat. In ſubtilitate verò eſſentiæ, & intelligentia ſapientiæ, & libertate voluntatis differentes erant. Has diſtinctiones intelligibiles inuiſibilium naturam ille ſolus comprehendere potuit, & ponderare, qui cuncta fecit in pondere, numero & menſura.

C

Sap. 11.

An boni vel mali, iuſti vel iniuſti creati ſint Angeli, & an aliqua mora fuerit inter creationem & lapſum.

ILlud quoque inueſtigatione dignum videtur, quòd etiam à pluribus quæri ſolet, vtrùm boni, vel mali, iuſti, vel iniuſti creati ſint Angeli, & an aliqua mora fuerit inter creationem & lapſum; vel ſine mora in ipſo creationis exordio ceciderint.

D

Opinio quorundam dicentium Angelos in malitia creatos, & ſine omni mora ruiſſe.

E PVtauerunt enim quidam Angelos, qui ceciderunt creatos eſſe malos, & non libero arbitrio in malitiam declinaſſe, ſed in malitia à Deo factos eſſe, nec aliquam fuiſſe moram inter creationem & lapſum, ſed ab initio apoſtataſſe: alios verò creatos fuiſſe plenè beatos. Qui opinionem ſuam muniunt auctoritate Auguſtini ſuper Geneſim ita dicentis. [Non fruſtrà putari poteſt ab initio temporis diabolum cecidiſſe, nec cum ſanctis Angelis pacatum aliquando vixiſſe, & beatum, ſed mox apoſtataſſe. Vnde Dominus ait: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, vt intelligamus, quia in veritate non ſtetit, ex quo creatus eſt, qui ſtaret, ſi ſtare voluiſſet.] Idem in eodem. [Non fruſtrà, inquit, putandum eſt ab ipſo initio temporis, vel conditionis ſuæ, diabolum cecidiſſe, & nunquam in veritate ſtetiſſe. Vnde quidam in hanc malitiam libero arbitrio non eſſe flexum, ſed in hac quamuis à Deo putant eſſe creatum: ſecundùm illud beati Iob; Hoc eſt, inquit, initium figmenti Dei, quod fecit Deus, vt illudatur ei ab Angelis eius. Et propheta ait: Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei. Tanquam primò factus ſit malus, inuidus, & diabolus, nec voluntate depraua-tus.] His aliiſque teſtimoniis vtuntur, qui dicunt Angelos, qui ceciderunt creatos fuiſſe malos, & ſine mora corruiſſe: eos verò qui perſtiterunt, perfectos & beatos fuiſſe creatos: aſtruunt auctoritate Auguſtini, qui ſuper Geneſ. dicit per cœlum ſignificari creaturam ſpiritualem, quæ ab exordio, quo facta eſt & perfecta, & beata eſt ſemper.

Aug. lib. 11. c. 16.
Ioan. 8. f.
Libr. eodē in fine 19. capitis & initio 20.
Iob 40.
Hic textus non habetur in lib. Iob iuxta vulgatam editionem, ſed ſecundùm 70. interpretes.
Pſal. 103
Lib. 1. c. 1.

Aliorum ſententia probabilis, qui dicunt omnes Angelos creatos eſſe bonos: & aliquam morulam fuiſſe inter creationem & lapſum.

F ALiis autem videtur omnes Angelos creatos eſſe bonos, & in ipſo creationis initio bonos extitiſſe, id eſt, ſine vitio, iuſtóſque fuiſſe, id eſt, innocentes, ſed non iuſtos, id eſt, virtutum exercitium habentes. Nondum enim prædiți erant virtutibus, quæ ſtantibus adpoſitæ fuerunt in confirmatione per gratiam, aliis verò per liberum arbitrium ſuperbientibus, & ideò cadentibus. Aliquam etiam fuiſſe morulam aiunt inter creationem & lapſum, ac confirmationem, & in illa breuitate temporis omnes boni erāt, non quidem per vſum liberi arbitrij, ſed per creationis beneficium: & tales erant qui ſtare poterant, id eſt, non cadere per bona creationis, & cadere per liberum arbitrium. Poterant enim peccare & non peccare: ſed non poterant proficere ad meritum vitæ, niſi gratia ſuperadderetur, quæ addita eſt quibuſdam in confirmatione. Et ad hoc confirmandum vtuntur teſtimonio Auguſtini, qui ſuper Geneſ. dicit Angelicam naturam primò informiter creatam, & cœlum dictam, poſtea formatam, & lucem appellatam, quando ad creatorem eſt conuerſa, perfecta dilectione ei inhærens: vndè priùs dictum eſt: In principio creauit Deus cœlum & terram: & poſtea ſubditum, Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux: quia primò agitur de creatione ſpiritualis naturæ informis, poſtea de formatione eiuſdem. Ratio quoque obuiat illis, qui dicunt Angelos creatos fuiſſe malos. Non enim potuit creator optimus auctor mali eſſe: & ideò totum bonum erat quod ex ipſo illis erat: & totum bonum erat; quoniam ex ipſo totum erat. Hoc modo probatur, quòd boni erant omnes Angeli, quando primò facti ſunt, ſed ea bonitate, quam natura incipiens acceperat.

Prou. 16. c. & 29. d.
Aug. lib. 1. ſ. 1. 3. 4. & 6.
Gen. 1. a.
Ratione idem qd. ſtruit.

Proba

Probationem Auguſtini contra illos inducit, qui dicunt Angelos factos malos. Verba etiam Iob determinat, quæ illi pro ſe inducebant.

G IDeóque Auguſtinus exterminans opinionem eorum, qui Angelos creatos fuiſſe malos putant, auctoritate & ratione probat omnes bonos fuiſſe creatos, & verba præmiſſa beati Iob, quæ illi pro ſe inducebant: quomodo ſint intelligenda aperit, ita dicens ſuper Geneſim. [Omnia, inquit, fecit Deus valde bona. Naturam ergo Angelorum bonam fecit. Et quia iniuſtũ eſt, vt nullo merito hoc in aliquo quod creauit Deus dãnet, non naturam, ſed voluntatem malam puniendam eſſe credendum eſt.] [nec eius naturam ſignificatam eſſe cùm dicitur, Hoc eſt initium figmenti Dei, &c. Sed corpus aëreum quod tali voluntati aptauit Deus: vel ipſam ordinationem Dei, in qua eum inuitum etiam fecit vtilem bonis: vel ipſius Angeli futuram: quia etſi præſciret Deus voluntate malum futurum, fecit tamen eum prouidens quanta de illo ſua bonitate eſſet facturus. Figmentum ergo Dei dicitur: quia cùm ſciret eum Deus voluntate malum futurum vt bonis noceret, creauit tamen illum, vt de illo bonis prodeſſet, hoc autem fecit vt illudatur ei. Illuditur enim ei, cum ſanctis proficit tentatio eius. Sicut & mali homines, quos Deus malos futuros præuidens creauit, tamen ad ſanctorum vtilitatem, illuduntur, cùm præſtatur ſanctis eorum tentatione profectus. Sed ipſe eſt initium, quia præcedit antiquitate & principatu malitiæ. Hæc autem illuſio fit Angelis malis, & hominibus malis, per Angelos ſanctos, quia ſubdit eis Angelos malos & homines malos, vt non quantum nituntur, ſed quantum ſinuntur poſſint nocere.] Ecce apertè oſtendit qualiter prædicta verba Iob intelligenda ſint: & Angelicam naturam bonam creatam eſſe aſſeruit.

Aug. lib. 11. de Gen. ad literã c. 21. *Gen. 1.* *Cap. 22. eiuſd. libri Iob 40. c.* *Apo. 12. b*

Quomodo intelligenda ſint verba præmiſſa Domini diſſerit, euidenter tradens Angelos eſſe creatos bonos: & poſt creationem cecidiſſe.

H DEinde qualiter verba Domini, quæ ſuprà poſuit accipienda ſint, Auguſtinus aperit: vbi etiam ſua quæ prædixit verba determinat, euidẽter docens Angelos bonos fuiſſe creatos, & poſt creationem interpoſita aliqua morula cecidiſſe, ita inquiens. [Quod putatur diabolus nunquam in veritate ſtetiſſe, nunquam beatam vitam duxiſſe, ſed ab initio cecidiſſe: non ſic accipiendum eſt, vt malus à bono Deo creatus eſſe putetur, alioquì non ab initio cecidiſſe diceretur. Non enim cecidit, ſi talis, ſcilicet malus, factus eſt, à quo enim caderet? Factus ergo priùs ſtatim à veritate ſe auertit propria poteſtate delectatus beatæque vitæ dulcedinem non guſtauit: quam non vtique acceptã faſtidiuit, ſed nolendo accipere amiſit. Sui ergo caſus præſcius eſſe non potuit: quia ſapientia fructus eſt pietatis. Continuò autem vt factus eſt, cecidit: non ab eo quod accepit, ſed ab eo quod acciperet, ſi Deo ſubdi voluiſſet.] Ecce hîc apertè declarat Angelos bonos creatos fuiſſe & poſt creationẽ cecidiſſe: & fuit ibi aliqua morula, licèt breuiſſima. Quod Origenes confirmat ſuper Ezech. dicens: Serpens hoſtis cõtrarius veritati, non tamen à principio, nec ſtatim ſupra pectus & ventrẽ ſuum ambulauit: ſicut Adam & Eua non ſtatim peccauerunt: ita & ſerpens aliquando fuit non ſerpens, cùm in Paradiſo delitiarum moraretur. Deus enim malitiam non fecit. Ecce apertè dicit poſt creationem interpoſita morula cecidiſſe.

Aug. ex a Ioan. 8. f. Litera c. Aug. li. 11. de gene. ad liter. c. 23. *Gen. 3. c.* *Orig. to. 2. homil. 1. circa illud Ezech. 1. vidi quaſi ſpeciem electri.* *Ioan. 8. f.*

Eſai.14.d. *Mat.13.d.* *Inimicus homo ſuperſeminauit, &c.* *Aug.hom. 42.ſuper Io.* *Sap.2.d.*

Ideóque illa verba ſic accipienda videntur. Homicida erat ab initio, vel mendax, id eſt, ſtatim poſt initium, quando ſibi æqualitatem Dei promiſit, & ſeipſum occidit, qui homo dicitur in Euangelio [iniquus homo hoc fecit.] Nec in veritate ſtetit: quia in ea non fuit, ſed ab initio temporis, id eſt, ſtatim poſt initium temporis apoſtatauit. Poteſt etiam & ſic accipi illud. [Ab initio homicida fuit, vel mendax, id eſt, ex quo homo fuit conditus, quem per inuidiam in mortem præcipitauit & fallaciter ſeduxit.] Ex prædictis ergo liquet Angelos bonos omnes eſſe creatos, & poſt creationem quoſdam cecidiſſe à bono, quod habuiſſent, ſi perſtitiſſent.

Quòd triplex fuit ſapientia in Angelis ante caſum, vel confirmationem.

HIc inquiri ſolet, quàm ſapientiam habuerunt ante caſum, vel confirmationem? Erat in eis triplex naturalis cognitio, qua ſciebant quod facti erant, à quo facti erant, & cum quo facti erant: & habebant aliquam boni & mali notiam, intelligentes quid appetendum vel reſpuendum illis foret.

An aliquam Dei habuerint dilectionem, vel ſui ad inuicem.

SOlet etiam quæri, vtrùm aliquam Dei, vel ſui dilectionem inuicem habuerint. Ad quod dici poteſt, quòd naturalem dilectionem habeant, vt memoriam, intellectum, & ingenium, qua Deum & ſe aliquatenus diligebant: per quam tamen non merebantur. K

QVÆSTIO I.

Vtrùm [a] materialis ſubſtantia ex ſe, ſiue ex natura ſua ſit indiuidua, vel ſingularis?

D. Thom. 1.p.q.40.art.2. & 1.contra Gen.c.42. Henr. quodl.5. q.8. Occh.1.d.2.q.4.5.6. Gabr. qu. 6.7. Sotus in log.q.2. vniuerſal. Soncin. 7. Met.qu.31. Fonſ. 5. Met. qu.3.ſ.2. Suar. 1. Met. d.5.ſ.2. Scot. quodl.2.& 7. Met.q.17. vbi Ant. Andr. q.17.

Mag. A. 1.

IRCA diſtinctionem tertiam, quæro primò de diſtinctione perſonali in Angelis: & ad videndum de iſta diſtinctione in eis, primò quærendum eſt de diſtinctione indiuiduali in ſubſtantiis materialibus, de qua ſicut diuerſi diuerſimodè dicunt: ita conſequenter dicunt de pluralitate indiuiduorum in eadem ſpecie Angelica, & etiam de impluralificabilitate: & vt videatur de diuerſis opinionibus diſtinctè, quæ quæruntur de diſtinctione, vel indiſtinctione ſubſtãtiæ materialis, quæro ſigillatim de diuerſis modis ponendi.

Tex. 45. Quæritur ergo primò, Vtrùm materialis ſubſtantia ex ſe, ſiue ex natura ſua, ſit indiuidua, vel ſingularis? Videtur quòd ſic. Philoſoph. 7. Metaph. contra Platonem, probat quòd ſubſtantia cuiuſcunque rei eſt propria illi, cuius eſt: & non ineſt alij: igitur ſubſtantia materialis ex natura, circumſcripto omni alio, eſt propria ei, cui ineſt, ita quòd ex natura ſua non poteſt ineſſe alij: ergo ex natura ſua eſt indiuidua.

Contrà, quidquid ineſt alicui ex natura ſua per ſe, ineſt ei in quocunque: igitur ſi natura lapidis de ſe eſt hæc, in quocunque eſt lapidis natura, iſta natura eſſet hic lapis: conſequens eſt inconueniens, loquendo de ſingularitate determinata, de qua eſt quæſtio.

Præterea, cui de ſe conuenit vnum oppoſitum, ei de ſe repugnat aliud oppoſitum: igitur ſi natura de ſe ſit vna numero, ex ſe repugnat ei multitudo numeralis.

Hìc

Hîc dicitur,b quòd ſicut natura ex ſe formaliter eſt natura:ita ex ſe eſt ſingularis, ita quòd non oportet quærere aliam cauſam ſingularitatis à cauſa naturæ, quaſi natura priùs tempore,vel natura,ſit natura,antequam ſit ſingularis,& tunc per aliquid adueniens contrahatur,vt fiat ſingularis:quod probatur per ſimile,quia ſicut natura habet ex ſe verum *eſſe* extra animam : non autem habet *eſſe* in anima, niſi ab alio, id eſt, ab ipſamet anima (& ratio eſt, quia *eſſe* verum conuenit ei ſimpliciter, *eſſe* autem in anima eſt *eſſe* eius ſecundùm *quid*)ita vniuerſalitas non conuenit rei,niſi ſecundùm quòd habet *eſſe* ſecundùm *quid*, ſcilicet in anima : ſingularitas autem conuenit rei ſecundùm verum *eſſe*:& ita ex ſe & ſimpliciter:eſt ergo quærenda cauſa,quare natura eſt vniuerſalis, & dandus eſt intellectus pro cauſa:non autem quærenda eſt aliqua cauſa,quare natura eſt ſingularis alia à natura rei,medians inter ipſam,& ſingularitatem eius : ſed quæ ſunt cauſæ vnitatis rei, ſunt & cauſæ ſingularitatis rei : igitur,&c.

F. Adam li.1.d.33. q.8.art.1. hanc viam ſequitur & Var. Ocham 1. d.2.p.1.& quodl.5.q. 12.& 13.

COMMENTARIVS.

1. a TItulus quæſtionis ſic debet intelligi, an ſubſtantia materialis,ſcilicet phyſicalis ſubſtantia, in quocunque inſtanti, etiam naturæ, de neceſſitate includat ſingularitatem, ita quòd ſit impoſſibile pro aliquo inſtanti intelligere talem ſubſtantiam non cointellecta eius ſingularitate, vel ſic; an talis ſubſtantia in aliquo priori naturæ præter omnem operationem intellectus collatiuam poſſit intelligi, ſiue concipi talis ſubſtantia, ſic quòd in tali conceptu non includatur ratio ſingularitatis, & ſic patet titulus quæſtionis.

b *Hîc dicitur.* Hîc Doctor recitat opinionem Fratris Adæ, quæ opinio dicit in ſententia, quòd ſubſtantia materialis præter operationem intellectus, ex natura rei ſic de neceſſitate eſt ſingularis, quòd non poteſt concipi in aliquo priori naturæ, non concepta eius ſingularitate:quam concluſionem probat per ſimile, quæ probatio patet in litera.

SCHOLIVM.

Sententiam Nominalium & aliorum aſſerentiam naturam eſſe de ſe, & ex ſe indiuiduam, latè impugnat, probans ſex, vel ſeptem viis, dari vnitatem realem,minorem numerali.

2. COntra c iſtud arguitur ſic: obiectum inquantùm obiectum eſt prius naturaliter ipſo actu : & in illo priori,per te, obiectum eſt de ſe ſingulare, quia hoc ſemper conuenit naturæ non acceptæ ſecundùm *quid*, ſiue ſecundùm *eſſe*, quod habet in anima : igitur intellectus intelligens illud obiectum ſub ratione vniuerſalis, intelligit ipſum ſub ratione oppoſita ſuæ rationi : nam vt præcedit actum, determinatur ex ſe ad oppoſitum illius rationis.

Preterea,d cuiuſcunque vnitas realis propria,& ſufficiens eſt minor vnitate numerali,illud non eſt de ſe vnum vnitate numerali,ſiue non eſt de ſe hoc.ſed naturæ lapidis exiſtentis in iſto lapide, vnitas propria realis ſiue ſufficiens, eſt minor vnitate numerali:ergo, &c. Maior de ſe patet : quia nihil eſt de ſe vnum vnitate maiori vnitate ſibi ſufficiente,nam ſi propria vnitas, quæ debetur alicui de ſe ſit minor vnitate numerali, vnitas numeralis non conuenit ſibi ex natura, & ſecundùm ſe,aliter præcisè ex natura ſua haberet maiorem & minorem vnitatem, quæ circa idem & ſecundùm idem ſunt oppoſita:quia cum vnitate minori,ſine contradictione ſtare poteſt multitudo oppoſita maiori vnitati:quæ multitudo non poteſt ſtare cum vnitate maiori, quia ſibi repugnat:igitur, &c.Probatio minoris, quia ſi nulla eſt vnitas realis naturæ minor ſingularitate,ſed omnis vnitas alia ab vnitate ſingularis,eſt vnitas rationis tantùm:igitur nulla erit vnitas realis minor vnitate numerali:conſequens eſt falſum:quod probo quinque,vel ſex viis:ergo,&c.

Qualibet natura creata habet vnitatẽ minorem numerali.

3. Prima via e eſt talis ſecundùm Philoſophum 10. Metaph. *in omni genere eſt vnum primum,quod eſt metrum & menſura omnium,quæ ſunt illius generis*, iſta vnitas eſt realis: quia Philoſophus probat,quòd *vni* conuenit prima ratio menſuræ, & declarat per ordinem,quomodo illud eſt vnum,cui conuenit ratio menſurandi in omni genere : iſta autem vnitas eſt alicuius inquantùm primum in genere;ergo eſt realis,quia menſurata ſunt realia,& realiter menſurata : ens autem reale non poteſt realiter menſurari ab ente rationis:igitur vnitas illius primi eſt realis. Iſta autem vnitas non eſt vnitas ſingularis,vel numeralis:quia nullum eſt ſingulare in genere,quod ſit menſura omnium illorum, quæ ſunt in illo genere:nam ſecundùm Philoſophum 3. Metaph. *in indiuiduis eiuſdem ſpeciei non eſt hoc prius, illud poſterius* : quod *prius*, licèt Commentator exponat

Text.7. Probatur vnitas minor vnitate numerica. Tex.11.

de priori conſtituente poſterius: tamen nihil ad *B*, quia Philoſophus intendit ibi aſſignare rationem quare Plato poſuit rationem ſpeciei ſeparatam & non generis: quia in ſpeciebus eſt ordo eſſentialis, propter quod poſterius poteſt reduci ad prius: & ideò ſecundùm eum non oportet ponere ideam generis, per cuius participationem ſpecies ſunt illud, quod ſunt: ſed ideã ſpeciei, ad quã omnes aliæ reducuntur: ſed in indiuiduis, ſecũdùm Platonẽ & ſecũdùm Philoſophũ recitantẽ, nõ eſt talis ordo: igitur, &c.

Nullum in diuiduum eſt menſura eorum eiuſdẽ ſpeciei. Tex. 29. & inde, Quare in genere non fiat comparatio, ſed in ſpecie.

Eſt ergo intentio Philoſophi ibi (in quo concordat cum Platone) quod in indiuiduis eiuſdem ſpeciei, non eſt ordo eſſentialis: nullum ergo indiuiduum eſt per ſe menſura eorum, quæ ſunt in ſpecie ſua: igitur nec vnitas indiuidualis, nec numeralis.

Præterea f ſecundò probo, quòd idem conſequens eſt falſum, quia ſecundùm Philoſophum 7 Phyſ. in ſpecie atoma fit comparatio; quia eſt vna natura: non autem in genere, quia genus non habet talem vnitatem; iſta verò vnitas non eſt vnitas rationis, quia conceptus generis eſt ita vnus apud intellectum, ſicut conceptus ſpeciei; alioquin nullus conceptus diceretur in *quid* de multis ſpeciebus, & ita nullus conceptus eſſet genus, ſi tot eſſent conceptus dicti de ſpeciebus, quot ſunt conceptus ſpecierum: quia tunc in ſingulis prædicationibus idem prædicaretur de ſe. Similiter vnitas conceptus, vel non conceptus, nihil ad intentionem Philoſophi, ſcilicet ad comparationem, vel non: ergo Philoſophus intendit naturam ſpecificam ibi eſſe vnam vnitate naturæ ſpecificæ; non autem intendit ipſam ſic eſſe vnam vnitate numerali: quia in vnitate numerali non fit comparatio: igitur, &c.

Tex. c. 20. Idem, ſimile, & æquale fundantur ſuper vnum.

g Item tertiò, ſecundùm Philoſophum 5. Metaph. cap. de *Ad aliquid*: idem, ſimile, & æquale fundantur ſuper *vnum*, ita quòd licèt ſimilitudo habeat pro fundamento rem de genere Qualitatis: relatio tamen non eſt realis, niſi habeat fundamentum reale, & rationem proximam fundandi realem: ergo vnitas, quæ requiritur in fundamento ſimilitudinis relationis eſt realis: non autem eſt numeralis, quia nihil vnum & idem eſt ſimile, & æquale ſibi ipſi. 4.

Ocham. quodl. 5. queſt. 17. Contraria ſunt vnum vnitate realı.

Præterea quartò, vnius h oppoſitionis realis ſunt duo extrema realia: contrarietas eſt oppoſitio realis, quod patet, quia realiter vnum deſtruit & corrumpit aliud, circumſcripto omni opere intellectus: & non niſi quia ſunt contraria: igitur vtrumque primum extremum iſtius oppoſitionis realis (vt eſt extremum) eſt vnum aliqua vnitate reali, non autem vnitate numerali: quia tunc præcisè hoc album eſſet primum contrarium huic nigro, vel præcisè aliud album, quod eſt inconueniens: quia tunc eſſent tot contrarietates primæ, quot indiuidua contraria: igitur, &c.

Obiectum ſenſus, vnũ realiter non numeraliter.

Præterea i vnius actionis ſenſus eſt vnum obiectum ſecundùm aliquam vnitatem realem; ſed non numeralem: ergo eſt aliqua alia vnitas realis, quàm vnitas numeralis. Probatio minoris, quia potentia cognoſcens obiectum ſic, inquantùm ſcilicet hac vnitate vnum, cognoſcit ipſum inquantùm diſtinctum à quolibet, quod non eſt hac vnitate vnum: ſed ſenſus non cognoſcit obiectum inquantùm eſt diſtinctum à quolibet, quod non eſt vnum iſta vnitate numerali: quod patet, quia nullus ſenſus diſtinguit hunc radium Solis differre numeraliter ab illo radio; cùm tamen ſint diuerſi per motum Solis. ſi circumſcribantur omnia ſenſibilia communia, puta diuerſitas loci, vel ſitus: & ſi ponerentur duo quanta ſimul omnino per potentiam diuinam, quæ eſſent omnino ſimilia & æqualia in albedine, & quantitate; viſus non diſtingueret ibi eſſe duo alba: ſi tamen cognoſceret alterum iſtorum, inquantùm eſt vnum vnitate numerali, cognoſceret ipſum inquantum diſtinctum numeraliter à quolibet alio.

Poſſet etiam k iuxta hoc argui de primo obiecto ſenſus, quod eſt vnum in ſe aliqua vnitate reali: quia ſicut obiectum huius potentiæ inquantùm obiectum, præcedit intellectum: ita etiam ſecundùm vnitatem ſuam realem præcedit omnem actum intellectus 5.

Sed iſta ratio non ita concludit ſicut præcedens: poſſet enim poni aliquod primum obiectum, vt eſt adæquatum potentiæ, eſſe aliquod commune abſtractum ab omnibus obiectis particularibus: & ita non habere vnitatem niſi communitatis ad iſta plura obiecta parcularia: ſed de vno obiecto vnius actus ſentiendi, non videtur verè poſſe negari, quin neceſſariò haberet vnitatem realem, & minorem vnitate numerali.

Si omnis vnitas realis eſt numerica, omnis diuerſitas realis numerica erit.

Item ſextò, l quia ſi omnis vnitas realis eſt numeralis: ergo omnis diuerſitas realis eſt numeralis: ſed conſequens eſt falſum: quia omnis diuerſitas numeralis inquantùm numeralis eſt æqualis, & ita omnia eſſent æquè diſtincta: & tunc ſequitur quòd non plus poteſt intellectus abſtrahere à Socrate & Platone aliquod commune, quàm

quàm à Socrate & linea: & eſſet quodlibet vniuerſale purum figmentum. Prima conſequentia probatur duplicitèr. Primò, quòd *vnum* & *multa idem* & *diuerſum* ſunt oppoſita 10. Metaphy. toties autem dicitur vnum oppoſitum quoties & reliquum, *ex primo Topic.* ergo cuilibet vnitati correſpondet ſua propria diuerſitas. *Tex. 9. & inde c. 12.*

6.

m Præterea ſecundò probatur idem, quia cuiuſlibet diuerſitatis vtrumque extremum eſt in ſe vnum: & eodem modo quo eſt vnum in ſe, eodem modo videtur diuerſum à reliquo extremo, ita quòd vnitas extremi vnius poteſt per ſe eſſe ratio diuerſitatis alterius extremi.

n Confirmatur aliter, quia ſi tantùm eſt in hac re vnitas realis numeralis, quæcunque entitas eſt in re, illa eſt ex ſe vna numero: ergo iſtud & illud ſecundùm omnem entitatem in eis, ſunt primò diuerſa, & in nullo aliquo modo conuenientia. Confirmatur etiam per hoc, quia diuerſitas numeralis eſt hoc ſingulare non eſſe illud ſingulare, ſuppoſita tamen entitate vtriuſque extremi: ſed talis vnitas eſt neceſſariò alterius extremi.

Item ſeptimò, nullo exiſtente intellectu ignis cauſaret ignem, & corrumperet aquam, & eſſet aliqua vnitas realis generantis ad genitum ſecundùm formam, propter quam generatio eſſet vniuoca: intellectus enim conſiderans non facit generationem eſſe vniuocam, ſed cognoſcit eam eſſe vniuocam.

COMMENTARIVS.

1. c *Contra iſtud arguitur ſic.* Hìc Doctor arguit contra opinionem Adæ. Et iſta ratione deducit ad hoc inconueniens, quòd tunc idem obiectum intelligeretur ſub ratione oppoſita ſuæ rationi, & vt clariùs intelligatur iſta ratio aliqua præmitto. Primò, quòd quando aliquis modus, puta modus ſingularitatis, vel vniuerſalitatis eſt compoſſibilis alicui naturæ, natura illa poteſt intelligi ſub tali modo; ſicut cùm intelligo naturam Franciſci ſub modo ſingularitatis, quia ſingularitas eſt modus compoſſibilis ſibi: ſi verò modus eſt incompoſſibilis, non poteſt verè intelligi ſub illo modo, tanquam ſibi conuenienti: vt intelligendo ſingulare ſub modo vniuerſali. Secundò præmitto, quòd *vniuerſalitas* ſecundæ intentionaliter ſumpta, & *ſingularitas*, ſunt modi inter ſe repugnantes, vt patet de ſe, & à Doctore in ſuis Vniuerſalibus, & *in* 1. *diſt.* 3. *q* 6. Tertiò præmitto, quòd ipſa *vniuerſalitas* eſt modus conueniens naturæ multiplicabili in plura, ſiue diuiſibili. Ex his ſequitur propoſitum, quòd ſi ſubſtantia materialis de ſe, & ex natura rei neceſſariò ſit hæc, ita quòd in ſuo conceptu reali pro quocunque inſtanti includat hæcceitatem, ſi tunc intelligeretur ſub modo ſibi repugnanti, quod eſt impoſſibile.

2. Si dicatur, quòd modus vniuerſalitatis non conuenit ſingulari, ſed tantùm alicui conceptui, qui dicatur vniuerſalis. Contra hoc, quia ille conceptus, vt ei attribuitur talis ſecunda intentio, aut eſt intellectio, quâ intelligitur ipſa natura ſingularis; aut eſt natura ſic concepta: aut eſt quoddam idolum fabricatum ab intellectu, vt quidam dicunt. Non primo modo, quia ſicut illa intellectio terminatur ad naturam ſic ſingularem, ita poſſit ſibi attribui intentio ſingularis ſicut & vniuerſalis. Et vltrà, quæro de illa intentione, aut eſt de ſe hæc, aut non. Si primò, tunc non poteſt ſibi attribui intentio vniuerſalis, quia tunc intelligeretur ſub modo repugnanti. Si ſecundò, habetur propoſitum, quòd aliqua entitas ex natura rei poteſt concipi non ſingularis. Non ſecundò, ſcilicet quòd talis conceptus, cui attribuitur intentio vniuerſalis, non ſit natura concepta: patet, quia res concepta eſt res ſingularis, & tunc ſingulare eſſet vniuerſale per intentionẽ vniuerſalis ſibi applicatam, quod eſt impoſſibile. Non tertio modò, tum, quia illud idolum non prædicatur in *quid* de inferioribus, vt patet; tum, quia ſicut idolum fabricatur commune Franciſco & Ioanni, vt dicatur ſpecies ſpecialiſſima, ita poſſit fabricari idolum, quod dicatur ſpecies ſpecialiſſima reſpectu Franciſci, & Brunelli. Si ergo aliquid intelligitur ſub modo vniuerſali præcisè, & adequatè, & aliquid ſub modo ſingulari præcisè, cùm iſti modi ſint omnino repugnantes, vt dixi, ſequitur, quòd cùm natura humana intelligitur ſub modo vniuerſali, & natura Franciſci, vt Franciſci ſub modo ſingulari, ipſa vt ſic in ſe conſiderata non includit ſingularitatem. Et quòd ſic poſſit intelligi ex natura rei oſtendit Doctor in hoc quod dicit, *obiectum inquantùm obiectum, eſt prius naturaliter ipſo actu*, ſupple intelligendi, & in illo priori præſcindit ab omni ſingularitate. *Obiectum eſt prius actu intelligendi.*

d *Præterea, cuiuſcunque vnitas realis.* Hæc eſt ſecunda ratio Doctoris, qua probat principale intentum contra opinionem illam: quæ vt clariùs intelligatur, ſunt aliqua notanda. Primò, quòd *vnum* accipitur multipliciter, ſcilicet vnum numero, ſpecie, genere, & proportione, vt patet 5. Metaphyſicor. cap. de *Vno*. Et vnitas ſequitur entitatem, & quantò entitas eſt perfectior, tantò vnitas conſequens erit perfectior, & quantò entitas eſt perfectior, alia tantò magis eſt vna; & quantò eſt minùs diuiſibilis in partes ſubiectiuas, tantò magis eſt actualior, accipiendo *actuale* pro minùs contrahibili: & ſic dicimus, quòd entis eſt minima, quia ens in ſe eſt ſummè contrahibile; vnitas ſubſtantiæ maior, quia minùs contrahibilis; vnitas hominis adhuc maior, ſed vnitas Franciſci, cùm nullo modo ſit contrahibilis, dicitur actualiſſima: & ſic vnitas realis minor vnitate numerali, de neceſſitate eſt vnitas alicuius naturæ, quæ ex ſe non eſt ſingularis, ſed contrahibilis ad plura ſingularia. Et hoc intendit probare Doctor, videlicet quòd ſubſtantia materialis ex ſe, vt præſcindit ab omni ſingularitate, dicit aliquam vnitatem realem minorem vnitate numerali. 3.

Secundò

Secundò notandum eſt, quòd *vnitas* aliquando accipitur pro vnitate, quæ conuertitur cum ente, & talis conuenit omni enti, & quantò ens eſt perfectius tantò perfectius vnum: & de iſta vnitate non loquitur Doctor in propoſito. Aliquando accipitur *vnitas* pro vnitate, quæ eſt principium numeri, & hoc dupliciter: vel pro vnitate, quæ eſt principium numeri eſſentialis, eo modo quo eſſentiæ numerantur, ſicut dicimus tres, vel decem eſſentiæ; vel pro vnitate, quæ eſt principium numeri cauſati per diuiſionem alicuius continui. Et de iſta non loquitur, ſed accipitur vnitas in propoſito pro vnitate, quæ concomitatur entitatem, ſecundùm quam vna entitas dicitur magis, vel minùs diuiſibilis in partes ſubjectiuas. Et ſic cùm dicit Doctor quòd ſubſtantia materialis eſt vna vnitate minori vnitate numerali hoc vltimo modo accipitur vnitas, & quòd talis vnitas minor detur probat ſex viis.

5. *An datur vnitas minor.*

e *Prima via eſt talis ſecundùm Philoſophum.* Pro clariori intelligentia huius rationis præmitto aliqua. Primò, quòd menſura & menſuratum ſunt vnigenea, vt patet à Philoſopho 10. Metaph. & ſic ſi menſuratum eſt reale, & menſura eſt realis. Secundò, duplex eſt menſura, ſcilicet quiditatiua quiditatiuè menſurans alias quiditates, ſicut dicimus, quòd quiditas hominis propter ſui perfectionem menſurat quiditates aliorum animalium, quia dictum eſt ſuprà *diſt.* 2. de menſura Angelorum, quòd menſura eſt certior ipſo menſurato: quantò ergo vnum animal appropinquat perfectioni quiditatiuæ hominis, tantò eius perfectio quiditatiua certificatur, & manifeſtatur; & ſic patet quomodo homo quiditatiuè menſurat omnia animalia: & hoc eſt, quod dicit Ariſt. 10. Metaph. tex. com. 7. quòd *in vnoquoque genere eſt vnum, quod eſt metrum; & menſura omnium illius generis*, non quòd vnitas aliqua ſit menſura, ſed eſt ibi aliqua natura, cui attribuitur vnitas, quæ eſt menſura: vnde Ariſtoteles vbi ſuprà: *manifeſtum eſt*, inquit, *quòd vnum in quolibet genere eſt natura, & non eſt hoc vnum natura alicuius eorum, ſed ſicut in coloribus quærere vnum colorem, eſt vnum ſimiliter, in ſubſtantia etiam quærere vnam ſubſtantiam eſt vnum.* Hæc ille. Et de iſta menſura vide quæ expoſui ſuper primo d. 8. q. 2. Alia eſt menſura non menſurans quiditatem quiditatiuè, ſed menſurans durationem alicuius exiſtentiæ, vt ſuprà patuit *diſt.* 2. de menſura Angelorum, & de iſta non loquitur hîc Doctor, ſed de menſura primo modo.

Homo menſurat omnia animalia.

6. His præmiſſis infertur propoſitum, videlicet, quòd detur aliqua natura ex natura rei habens vnitatem minorem vnitate numerali; patet, quia ſi animalia quiditatiuè menſurantur à natura hominis, talis natura non erit ſingularis, quia ſingulare non poteſt menſurare quiditatiuè; patet, quia inter menſuram, & menſuratum quiditatiuè eſt ordo eſſentialis, vt patet, quia menſura eſt perfectior quiditatiuè menſurato; ſed inter ſingularia eiuſdem ſpeciei non eſt ordo eſſentialis, vt patet 3. *Metaph. tex. com.* 11. & tamen oportet dicere propter tex. Ariſto. 10. Metaph. quòd *in vnoquoque genere eſt vnum*, &c. quòd vnum ſingulare eſſet menſura quiditatiuè omnium contentorum in tali genere, & ſic vnum ſingulare alicuius ſpeciei eſſet menſura omnium ſingularium eiuſdem ſpeciei, & ſic inter illa eſſet ordo eſſentialis, quod eſt contra Ariſt. 3. Metaph. ſic dicentem: *In indiuiduis verò non eſt hoc prius, & illud poſterius, amplius vbi hoc quidem melius, illud verò vilius ſemper quidem eſt melius prius.* Hæc ille. Et licèt Commentator ibi exponat de priori conſtituente poſterius, ſcilicet quòd non eſt talis ordo inter ſingularia eiuſdem ſpeciei, quòd vnum ſingulare conſtituat aliud, ſed dicit Doctor quòd hoc nihil eſt ad *B.* quia Ariſtot. intendit ibi aſſignare rationem, quare Plato poſuit rationem ſpeciei ſeparatam, & non rationem generis: Plato enim voluit, quòd non daretur idea generis ſeparata, ſed benè idea ſpeciei propter ordinem eſſentialem inter ſpecies, quia vna ſpecies magis appropinquat ad perfectionem quiditatiuam, puta hominis, quàm alia ſpecies; & ſic quodammodò participat magis vna ſpecies perfectionem quiditatiuam hominis, quàm alia reſpectu generis, puta animalis, id eſt, vt omnes iſtæ ſpecies comparantur ad rationem animalis, vna non eſt magis perfecta alia quiditatiuè, cùm æqualiter animal ſit omnibus; & ſi vna eſt perfectior alia quiditatiuè, non eſt ex ratione animalis, ſed ex ratione differentiæ, & ſic inter ſpecies alicuius generis poſuit ordinem eſſentialem; non ſic autem inter indiuidua eiuſdem ſpeciei, cùm vnum non ſit perfectius alio qniditatiuè.

7. *Anima Chriſti an ſit perfectior anima Iudæ.*

Si dicatur, nonne anima Chriſti eſt perfectior eſſentialiter anima Iudæ? Dico, quòd ſic, propter articulum Pariſienſem: ergo inter eas erit ordo eſſentialis. Reſpondeo quòd duplex eſt perfectio eſſentialis: quædam eſt ſecundùm gradum ſpecificum, & hoc modo vna non eſt perfectior alia: alia eſt ſecundùm gradum perfectionalem conſequentem naturam indiuidui: & hoc modo vna eſt perfectior, alia eſſentialiter. Exemplum: albedo vt octo, eſt perfectior albedine vt quatuor, id eſt, quòd plures gradus perfectionales ſunt in albedine vt octo, quàm in albedine vt quatuor. Si tamen loquamur de gradu ſpecifico, & quiditatiuo. Dico, quòd quanta perfectio quiditatiua eſt in albedine vt octo, tanta eſt in albedine vt quatuor. Si iterum dicatur, nonne Deus eſt menſura quiditatiua, omnium creaturarum, & tamen Deus eſt ſingulare? Dico, quòd verum eſt, ſed illa menſura eſt tantùm extrinſeca, hoc eſt, non contenta in aliquod genere creaturam. Dico ſecundò, quòd eſt ſimpliciter perfectior quiditatiuè omni creatura, & ſic menſura quiditatiua, non ſic eſt in genere animalium: non enim poteſt reperiri vnum animal numero, puta vnus homo, qui ſit perfectior omni alio animali quiditatiuè. Si dicatur, quòd omnia indiuidua ſpeciei humanæ dicuntur menſura, ideſt, quòd dato quocunque indiuiduo naturæ humanæ illud poteſt menſurare alia ab homine. Contrà, tum, quia quæro, à quo illius generis menſuratur illud indiuiduum naturæ humanæ? & non poteſt dari, cùm ſit æquè perfectum quiditatiuè: tum, quia hoc eſt contra textum Ariſtotelis quòd *in vnoquoque genere eſt vnum*, & ſic patet iſta ratio primæ viæ.

Duplex menſura intrinſeca, & extrinſeca.

8. f *Præterea ſecundò probo, quòd idem conſequens eſt falſum*, videlicet, quòd nulla ſit vnitas realis minor vnitate numerali, & ratio Doctoris fundatur ſuper dicto Ariſtotelis 7. *Phyſic. text. com.* 29. qui vult, quòd in ſpecie atoma. 1. ſpecialiſſima, ſit comparatio: vnde ſic ait: *Sic igitur non ſolùm oportet comparabilia non æquiuoca eſſe, ſed non habere differentiam, neque in quid, neque in quo eſt. Dico autem, ſicut color habet diuiſionē, non ergo comparabile eſt ſecundùm hoc, vt coloratum magis*

magis ſit album, quàm nigrum: hæc enim non comparantur ſecundùm aliquem colorem, ſcilicet inquantùm eſt color, ſed ſecundùm albedinem. Hæc ibi: & vide ibi expoſitionem Commentatoris. Ex iſto textu infertur propoſitum, videlicet quòd detur aliqua natura communis ex natura rei, quia duo indiuidua eiuſdem ſpeciei realiter non poſſunt comparari ad inuicem ſecundùm magis & minùs, niſi præſupponendo commune reale, in quo magis, vel minùs conueniant: nam hæc eſt vera, ſi Franciſcus eſt realiter albior Ioanne, ergo realiter erit comparatio in ſpecie albedinis; ergo vtrumque album realiter conueniunt in albedine in communi: patet, quia non poſſunt conuenire in albedine ſingulari, quia nihil eſt albius ſe, & hoc intendit Doctor. Expono tamen literam Doctoris, cùm dicit, *in ſpecie atoma ſit cõparatio*, &c. vult dicere quòd in ſola ſpecie ſpecialiſſima propter vnitatem naturæ fit comparatio: in genere autem ſub quo plures naturæ ſpecificæ continentur, non fit comparatio, vt patet per Philoſophum, & Commentatorem vbi ſuprà.

Duo indidua eiuſdem ſpeciei realiter non poſſunt compa rari ad inuicem.

Expoſitio litera.

Quare comparatio magis fit in ſpecie, quàm in genere.

9. Sequitur: *Iſta verò vnitas non eſt vnitas rationis.* Dicit quòd vnitas ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt vnitas ex natura rei præter omnem operationem intellectus. Sequitur, *quia conceptus generis eſt ita vnus apud intellectum, ſicut conceptus ſpeciei.* Per hoc probat, quòd vnitas ſpeciei ſit realis, quia ſi tantùm eſſet rationis, ſequeretur quòd ita perfectè poſſet fieri comparatio in genere, ſicut in ſpecie, quia ita genus dicit vnitatem rationis, ſicut & ſpecies ſpecialiſſima. Et probatur quòd genus dicat vnitatem rationis, ſiue vnum conceptũ communem pluribus: quia tunc non prædicaretur in *quid*, & vniuocè de homine & aſino: & vltrà, ſi ſecundùm quòd prædicatur de homine, diceret tantùm conceptũ hominis, tũc idem prædicaretur de ſeipſo. Et addit Doct. quòd *in conceptu non fit comparatio*; non enim dicimus, quòd Franciſcus ſit albior Ioanne, quia magis participat conceptum albedinis fabricatum per intellectum, ſed quia realiter magis participat ipſam albedinem.

10 g *Item tertiò*, Doctor probat falſitatem conſequentis, & ratio fundatur ſuper dicto Ariſtotelis *idem, ſimile, & æquale* fundãtur ſuper *vnum*: Et pró clariori intelligentia huius rationis, quæ eſt multùm euidens, eſt ſciendum, quòd fundamentum ſimilitudinis, vel æqualitatis, &c. eſt duplex, ſcilicet remotum, & proximum, vt patet à Doctore *in primo, d.* 19. 31. *& in quol. q.* 6. fundamentum enim ſimilitudinis remotum, eſt qualitas, & proximum eſt vnitas qualitatis, exemplum duo alba ſunt realiter ſimilia, fundamentum remotum ſimilitudinis eſt albedo in vtroque ſimili, proximum eſt vnitas albedinis, in qua conueniunt iſta duo alba: ſimilitudo ergo fundatur in vnitate albedinis ſpecifica, tanquam in fundamento proximo: & ex hoc patet, quòd datur vnitas albedinis in communi, in qua iſta duo alba ſunt ſimilia. Aduerte tamen, quòd quãdo dicimus, quòd ſimilitudo fundatur ſuper albedine in communi, non eſt intelligendum, vt aliqui exponunt, quòd albedo in communi vt præſcindit à ſingularitate, fundet realem ſimilitudinem, quia ſimilitudo realis verè exiſtit: albedo verò vt præſcindit à ſingularitate, nullam exiſtentiam includit, & ſic non poteſt fundare rem exiſtentem; debet ergo ſic intelligi, cum dico *A*, & *B* ſunt ſimilia: in *A* fundatur vna ſimilitudo, quæ terminatur ad *B*: & alia in *B*, quæ terminatur ad *A*, fundamenta remota vtriuſque ſimilitudinis ſunt ipſa duo alba abſolutè conſiderata; fundamenta proxima vtriuſque ſimilitudinis ſunt ipſa duo alba, pro quanto conueniunt in vnitate ſpeciei ſpecialiſſimæ, & niſi iſta duo alba realiter conuenirent in reali vnitate albedinis in communi, nunquam poſſent fundare realem ſimilitudinem ad inuicem; & ſic patet quomodo datur vnitas albedinis in cõmuni in qua duo alba sũt ſimilia; nõ enim ſimilitudo talis poteſt fundari ſuper vnũ numero, quia tũc idẽ eſſet ſibi ſimile.

Fundamentum æqualitatis eſt duplex.

11. h Si dicatur, nonne album *A* eſt fundamentum ſimilitudinis terminatæ ad album *B*, & album *B* eſt fundamentum alterius ſimilitudinis terminatæ ad album *A*, & ſic benè ſequitur, quòd album *A* non eſt ſimile ſibi, ſed eſt ſimile albo *B*, & ſic non oportet ponere albedinem in communi. Dico, quòd hoc nihil eſt, quia ſimilitudo capitur dupliciter. Vno modo formaliter: & ſic albũ *A*, eſt ſimile ſimilitudine formaliter albo *B*, & è cõtra. Alio modo fundamentaliter, quæ, ſcilicet eſt ratio proxima fundandi ſimilitudinem, ſupple, quæ eſt ratio proxima quare album *A* dicatur ſimile albo *B*, & patet quòd non poteſt dari alia ratio proxima, niſi vnitas ſpecifica albedinis, in qua iſta duo alba realiter conueniunt. Si dicatur, quòd album *A* ſeipſo eſt ſimile, & album *A* ſeipſo eſt ſimile. Contrà, quia tunc ſimilitudo non fundaretur ſuper *vno*, ſed ſuper duobus, quod eſt contra Philoſophum vbi ſuprà. Prætereà quæritur, quare magis album *A* eſt ſimile albo *B*, quàm rubeũ ipſi *B*. Si dicatur, quòd quia *A* eſt talis natũra, & ideò eſt ſic ſimile, hoc nihil eſt, quia tunc eſſet facilis reſponſio in omnibus, quia in omnibus poſſemus dicere, quòd quia talis natũra, &c. quod videtur inconueniens: tum etiam quia Ariſtoteles vult 7. Phyſic. *tex. com.* 29. quòd in ſpecie ſpecialiſſima fit comparatio, & tunc quæritur, quare vnũ albũ eſt magis ſimile alteri, quàm aliud? nulla hîc cauſa poteſt aſſignari, niſi quia vtrumque participat albedinem in communi, & vnum magis participat, quàm aliud. Si verò dicatur, quòd etiã fundamentũ tã remotũ, quàm proximũ ſimilitudinis poteſt eſſe ſingulare, vt patet per Doctorẽ, qui dicit *in primo, diſt.* 31. *& in quolib. q.* 6. quòd inter Patrem, & Filium eſt perfectiſſima ſimilitudo, & tamen fundamentum remotũ, quod eſt perfectio eſſentiæ diuinæ, & vnitas illius perfectionis, ſunt vna res ſingulariſſima, vt patet à Doctore vbi ſuprà.

Similitudo ſumitur dupliciter.

Quid ſit fundamentum ſi militudinis.

Reſpondeo concedẽdo dictũ Doctoris, ſed tam fundamentum remotum, quàm proximùm eſt cõmune tribus perſonis: & ideò iſtæ tres perſonæ perfectiſſimè conueniunt, tam in perfectione eſſentiæ diuinæ, quàm in vnitate eiuſdem. Et hoc idem dicerem in propoſito, ſi poſſet dari vna albedo ſingularis, quæ eſſet communis Franciſco, & Ioanni, in qua realiter conuenirent, tunc ſecundùm eãdem numero communicabilem, tamen eſſent verè ſimiles, ſed quia in creaturis non poteſt dari talis vnitas numeralis realiter cõmunis pluribus, ſequitur quòd ſi duo alba sũt realiter ſimilia, quòd realiter cõueniãt in vnitate albedinis ſpecifica, vt in proxima ratione fundãdi ſimilitudinẽ.

12. h *Prætereà quartò, vltima oppoſitionis realis*: & hæc ratio eſt ſatis clara, & ſtat in hoc; quòd ſicut in vno genere datur vna prima contrarietas realis, puta in genere coloris datur vna prima cõtrarietas inter albedinem, & nigredinem, ſic illa extrema contrarietatis primæ realis erunt realia, aliter non eſſent extrema prima alicuius realis contrarietatis

trarietatis primæ. Cùm ergo in genere coloris prima extrema, primitate adæquationis contrarietatis realis ſint albedo in communi,& nigredo in communi, ſequitur quòd talia extrema erunt extrema ex natura rei. Minor patet, quia albedo in communi adæquatè contrariatur nigredini in communi: non enim hæc albedo ſingularis adæquatè contrariatur nigredini,vt patet.

13 *Præterea, vnius actionis.* Hæc eſt quinta ratio Doctoris, qua probat naturam communem ex natura rei,ſingularis,niſi contra ipſam proteruiatur.Et vt clariùs intelligatur,expono aliqua dicta in hac litera.Primò enim dicit, quòd vnius actionis ſenſus,puta vnius viſionis,eſt vnum obiectum, ideſt,quòd vna viſio numero cauſatur ab vna potentia viſiua,& ab vno obiecto,ſcilicet ab illo,ad quod terminatur: & de hoc vide Doctorem *in quoli.quæſt.*15.Secundò dicit,quòd huiuſmodi viſio terminatur ad viſibile in communi: puta ad colorem,& ſic talis viſio eſt verè realis, & reſpectu obiecti realis, cùm non poſſit eſſe operatio potentiæ ſenſitiuæ,niſi circa ſenſibile proprium, vel commune,vt patet per Philoſophum ſecundo de Anima; ſecus verò de operatione intellectiua, quæ poteſt eſſe circa ens rationis: ſi ergo viſio terminatur ad viſibile in communi: ergo datur commune ex natura rei.Si dicatur, quòd terminatur ad hunc colorem in ſingulari.Contrà,quia tunc diſtingueret illum à quolibet alio, quia potentia quæcunque perfectè videt ſuum obiectum, non errat circa illud,niſi ſit impedita, vel niſi ſit impedimentum ex parte obiecti, vt patet ſecundo de Anima: & ſubtiliter deducit Doct. *in primo,diſt.*3.*q.*4.Si dicatur,ſi huiuſmodi viſio eſt alicuius obiecti realis in communi, videtur ſequi, quòd potentia viſiua poterit cognoſcere aliquod vniuerſale, quod eſt contra Ariſtotelem tertio de Anima,vbi vult,quòd ſenſus ſit ſingularis, & intellectus vniuerſalis.

*Tertio de anima,contex.*3 *Cognoſcere vniuerſale contingit dupliciter.*

Dico primò,quòd cognoſcere vniuerſale contingit dupliciter:primò,ſub modo vniuerſalitatis, & hoc modo ſenſus non cognoſcit vniuerſale.Secundò, vt vniuerſale, eſt quædam natura, vt eſt prior ſingularitate, & non includit ipſam in ſuo conceptu formali:& ſic ſenſus poteſt cognoſcere huiuſmodi vniuerſale, & ad dictum Ariſtotelis poteſt dici ſecundùm vnam opinionem, quòd ſenſus eſt ſingularium;non tamen præcisè, quia poteſt eſſe alicuius vniuerſalis ſecundo modo dicti,non autem primo modo dicti, ſicut etiam intellectus eſt vniuerſalium,non tamen præcisè, eſt etiam ſic vniuerſalium,quòd cognoſcit vniuerſale ſub modo vniuerſalitatis.

14. *Senſum eſſe ſingularium contingit dupliciter.*

Secundò dico, quòd ſenſum eſſe ſingularium, contingit dupliciter.Primò,quòd ſenſatio terminetur primò ad ſingulare, inquantùm ſingulare,& hoc modo non conceditur. Secundò, quòd terminetur ad naturam in ſe:& quia talis natura de neceſſitate eſt in aliquo ſingulari actu exiſtens, quia viſio non eſt,niſi reſpectu exiſtentis,ex conſequenti erit alicuius ſingularis. Si dicatur, ergo potentia diſtinguit illud à quolibet alio,&c.Dico quòd non ſequitur, quia talis viſio primò eſt naturæ exiſtentis,ſed quòdmodò exiſtat in tali, vel tali, ſingulari non diſtinctè cognoſcit. Et ex hîs patet reſponſio illorum,qui dicunt, quòd huiuſmodi viſio terminatur ad ſingulare vagum,quod non videtur rectè dictum. Nam ex quo eſt vna viſio, & vna operatio per ſe, & reſpectu illius oportet aſſignare vnum per ſe obiectum:ſingulare autem vagum non eſt huiuſmodi, tenendo tamen,vt dixi,dico,quòd reſpectu illius viſionis aſſignatur vnum obiectum per ſe, quod ſcilicet eſt ipſa natura, modo præexpoſito,& ſic patet litera Doctoris.

Quid ſit obiectum ſenſus.

k *Poſſet etiam iuxta hoc argui de primo obiecto ſenſus.* Dicit Doctor, quòd hæc ratio minùs concludit,quàm immediatè præcedens:quia adæquatum obiectum poni poteſt eſſe aliquod commune abſtractum ab omnibus obiectis particularibus, & ita non habere niſi vnitatem communitatis,licèt hoc requirat prolixiorem tractatum, & vide quæ expoſui ſuper primo Doctoris *diſt.*2. *parte prima,quæſt.*1.*& diſt.*3. *& diſt.*8. *quæſtio* 2. *& diſt.*25.Sed de vno obiecto vnius actus ſentiẽdi non videtur verè poſſe negari,quin neceſſe haberet vnitatem realem minorem vnitate numerali.

15. l *Item ſextò,quia ſi omnis vnitas realis eſt numeralis,*&c.Hæc ratio clara eſt in litera.Si tamen dicatur,cùm dicitur, ergo non plus conuenirent Franciſcus,& Ioannes,quàm Brunellus, & Ioannes,quòd Franciſcus, & Ioannes plus conueniunt in aliquo conceptu intellectus,quàm Ioannes, & Brunellus. Contrà, quia ſi iſta conuenientia eſt tantùm per intellectum, & nullo modo ex parte rei,ergo intellectus ita poſſet cauſare conceptum, in quo ita conuenirent Brunellus,& Ioannes,ſicut in quo conuenirent Ioannes, & Franciſcus: ergo ſi magis conueniunt in tali conceptu intellectus, hoc erit, quia intellectus mouetur ab aliquo reali,in quo realiter magis conueniunt. Si dicatur, quòd Franciſcus,& Ioannes magis conueniunt in nomine,hoc nihil eſt,tum,quia loquimur de conuenientia neceſſaria;nomina autem ſunt impoſita ad placitum:tum etiam,ſi tantùm conuenirent in nomine, ergo illud nomen tantùm prædicatur æquiuocè de Franciſco, & Ioanne, quod eſt falſiſſum.Si dicatur, quòd non, quia illi nomini correſpondet talis conceptus:& tunc quæro,quis conceptus correſpondet;aut realis,& habetur intentum;aut tantùm fabricatus per intellectum,& tunc idem quod priùs: quia ita poſſet eſſe reſpectu Ioannis, & Brunellitum etiam, quia tantùm eſſet fictitium, cùm ortum non habeat à re.Si dicatur, quòd ideò Franciſcus, & Ioannes magis conueniunt in nomine, quàm Franciſcus & Brunellus, quia illud nomen ſumitur à proprietate rerum. Contrà, quia tunc ſequitur per me, quòd Ioannes, & Franciſcus magis cõueniunt in aliqua proprietate reali,quàm Franciſcus, & Brunellus. Si dicatur, quòd verum eſt, quòd magis conueniunt in proprietate, ſed non in natura communi. Contrà, quia proprietas ſequitur entitatem naturæ: ſi ergo realiter magis conueniunt in proprietate: ergo realiter magis conueniunt in natura.

16. m *Præterea ſecundò,quia cuiuſlibet diuerſitatis vtrumque extremum eſt in ſe vnum*, &c. Vult dicere,quòd vnitas eſt ratio talis, vel talis diuerſitatis, puta ſi eſt vnum numero, eſt ratio diſtinguendi ab alio numeraliter,& ſic ſuum oppoſitum erit plura numero, & ſi eſt vnum ſpecie oppoſitum,erit diuerſum ſpecie,& illa,quæ ſunt diuerſa ſpecie,habent vnitatem, quia vnum diuerſum ſpecie, ſit vnum ſpecie in ſe, & hoc intendit Doctor.

n *Confirmat aliter.* Hîc Doctor deducit ad hoc inconueniens, quòd ſi quælibet vnitas eſſet tantùm numeralis in re,omnia eſſen primò diuerſa

diuerſa, : quia ſecundùm omnem entitatem in eis ſunt primò diuerſa, & in nullo aliquo modo conuenientia, & ſic propriè non differrent. Nam differentia ſunt aliquid idem entia, vt patet per Ariſtot. quinto Metaphyſicorum tex. non habente com. & 12. Metaph. tex. commen. 12.

o *Item nullo exiſtente intellectu*: hæc ratio eſt ſatis ſingularis, ſupponendo quòd generans vniuocè realiter conueniat cum genito in natura, vt patet de igne generãte ignem; & certum eſt, quòd generans, & genitum non conueniunt in aliquo vno numero : ergo conueniunt realiter in aliqua forma communi, quæ eſt ratio realis conuenientiæ in vtroque, & ſic patent rationes Doctoris.

Quomodo generans, & genitum non conueniant.

17. Has rationes multi nituntur ſoluere, quorum primus eſt Guliel. Ocham in primo, diſt. 2. quæſt. 6. ibi : Ad tertium dicendum, quòd aliquod obiectum eſt prius naturaliter ipſo actu, & aliquod non. Et ideò vniuerſale nunquam eſt prius naturaliter vniuerſaliter ipſo actu, nec eſt iſta propria ratio obiecti intellectus, ſcilicet vniuerſale in actu, quia ſicut patebit aliàs, primum obiectum intellectus primitate generationis, eſt ipſum ſingulare, & hoc ſub propria ratione, & non ſub ratione vniuerſali.

Gul. Ocham in primo, diſt. 2. q. 6.

Ad quartum dico, quòd nulla eſt vnitas naturæ exiſtentis in iſto lapide, quin æquè primò ſit iſtius lapidis. Tum diſtinguo de vnitate. Vno modo dicitur vnitas, ſecundùm quòd denominat præcisè aliquod vnum, & non plura, nec vnum in cõparatione ad aliud diſtinctum ab alio realiter : & iſto modo dico, quòd omnis vnitas realis eſt numeralis. Aliter dicitur vnitas, ſecundùm quòd denominat plura, vel vnum, in cõparatione ad aliud diſtinctum realiter : & iſto modo vnitas ſpecifica denominat ipſum Socratem, & Platonẽ, & vnitas generis denominat iſtum hominẽ & iſtum aſinum, ſi aliquod quocunque modo diſtinctum ab ipſis indiuiduis, ſed denominat immediatè ipſa : vnde ſicut verè dicitur, quòd Socrates, & Plato ſunt vnũ, vel idem ſpecie, & Socrates, eſt idem ſpecie cum Platone : & quòd ille homo eſt idẽ, vel vnus cum iſto, ſpecie : ita verè dicitur, quòd ille homo, & iſte aſinus ſunt verè vnũ genere, hoc eſt dictu, quòd iſta ſub eadem ſpecie, vel ſub eodem genere continent : quam expoſitionem expreſsè ponit Philoſophus primo Topicorum, *capit de Eodem.* ſicut dictum eſt in prima quæſt. iſtius materiæ : & iſto modo concedo, quòd non omnis vnitas, vel identitas realis eſt numeralis : ſed iſta vnitas conuenit naturæ quocunque modo diſtinctæ ab indiuiduis, ſed conuenit immediatè ipſis indiuiduis, vel vni in comparatione ad reliquum, quod idem eſt. Sed quia argumenta vadunt contra primum intellectum, reſpondeo ad alia.

Quot modis dicatur vnitas.

18. Ad primùm, quando dicitur, ſecundùm Philoſophum, quòd in omni genere eſt vnũ primum, quod eſt metrum, & menſura omnium aliorum illius generis.

Dico, quòd, ſicut patebit in primo libro, menſura aliquando eſt vera res extra animam, ſicut per vlnam menſuratur pannus. Aliquando menſura eſt tantùm quidam conceptus in mente. Prima menſura dicitur eſſe vna vnitate numerali : ſed hæc eſt falſa, quòd in omni genere eſt tantùm vnum, quod eſt menſura omnium aliorum : ſed ſi habeat veritatem, debet intelligi, quòd in omni genere eſt aliquid, quod eſt menſura omnium aliorum ſpecie diſtinctorum : non autem oportet quòd ſit menſura omnium aliorum, ſiue diſtinguantur ſpecie, ſiue non. Et iſto modo ſunt plura, quorum quodlibet eſt menſura omnium aliorum ſpecie diſtinctorum, & quodlibet illorum eſt vnum vnitate numerali. Et quando dicitur vnitas primi menſurantis eſt realis. Dico, quòd ſi ly *primi* teneatur poſitiuè, ſic hæc eſt falſa propter falſam implicationem, quia nihil eſt ſic primum menſurans. Si autem teneatur negatiuè, concedo eam, quia talia prima ſunt multa, ſcilicet quodlibet indiuiduum illius ſpeciei, maximè ſi quodlibet ſit æquè ſimplex. Et quando dicitur, quòd nullum ſingulare eſt menſura omnium illorum, quæ ſunt in illo genere, concedo quòd non indiuiduorum eiuſdem ſpeciei, ſed eſt menſura omnium ſpecie diſtinctorum, & hoc ſufficit ad propoſitum. Veruntamen ſciendum, quòd Philoſophus, vel principaliter, vel ſolùm loquitur de illis, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ſicut patet per exempla ſua ibidem : & de illis quæ habent indiuidua, quorum aliqua ſunt maiora, & aliqua minora; & vult quòd illud, quòd eſt minus aliis, ſit menſura aliorum, non tamen omnium indiuiduorum illius ſpeciei, ſed tantùm illorum, quæ non ſunt ita parua.

Quæ ſit menſura.

19. Ad ſecundùm dico, quòd in ſpecie atoma fit comparatio non propter vnitatem conceptus, nec præcisè propter vnitatem numeralem, nec præcisè propter vnitatem ſpecificam, ſiue ponatur, ſicut poſitum eſt in principio ſolutionis iſtius argumenti; ſiue ponatur ſecundùm modum aliorum falſum imaginandi, quia tunc in omni ſpecie atoma eſſet comparatio : ſed propter hoc eſt comparatio, quia plura indiuidua eiuſdem ſpeciei poſſunt facere vnum indiuiduum : & ideò vbi multa indiſtincta loco, & ſubiecto poſſunt facere vnum, ibi ponenda eſt talis comparatio, & non alibi. Et quia hoc eſt impoſſibile de indiuiduis eiuſdem ſpeciei, & non de indiuiduis diuerſarum ſpecierum, ideò in ſpecie atoma ponitur comparatio, & non in genere : verbi gratia, hoc album dicitur albius alio albo, quia habet plures partes albedinis in eodem ſubiecto primo, & ſi iſto modo plures partes albedinis, & nigredinis concurrunt ſimul ad faciendum per ſe vnum colorem, illud poſſet dici coloratius alio. Et quando dicitur, quòd iſta comparatio non fit ſecundùm vnitatem numeralem, verum eſt primo modo loquendo de vnitate numerali, & ideò fit ſecundùm vnitatem ſpecificam, quia fit ſecundùm duo, quorum vtrumque eſt vnum numero, nec requiritur aliquod tertium quocunque modo diſtinctum ab iſtis duobus.

Quomodo in ſpecie atoma fit cõparatio.

20. Ad tertium dico, quòd ponendo ſimilitudinem relationum diſtinctam realiter ab extremis, tunc dicendum, quòd hîc duæ ſimilitudines habentes duo fundamenta realia, quorum vtrumque eſt vnum numero, & ideò illud vnum non eſt ratio fundandi ſimilitudinem eiuſdem ad ſe, ſed eſt ratio ſimilitudinem fundandi ad aliud. Quòd autem intelligat Philoſophus de *vno* numero, patet, quia poſtquam dixit quomodo *ſimile, idem,* & *æquale* dicuntur ſecundùm vnum, poſtea ſubdit. *Vnum autem numero principium, & metrum* : ergo non intelligit de aliqua vnitate alicuius, quod non eſt vnum numero. Sed nunquid eſt concedendum, quòd iſta vnitas eſt ratio fundandi iſtã relationem? Dicendum, quòd ſecun-

dùm iſtos qui ponunt iſtas rationes realiter diſtingui, non eſt plus ponendum, quòd vnitas eſt proxima ratio fundandi ſimilitudinem, quàm relationes alterius modi: ſed differentia eſt in hoc, quòd ad iſtas relationes requiritur aliqua vnitas realis ſecundo modo dicta in principio ſolutionis iſtius argumẽti, qualis non requiritur ad alias relationes alterius modi, quia ad alias requiritur ſaltem vnitas ſpecifica: qualis non neceſſariò requiritur ad alias: quamuis aliquando ſit ibi talis vnitas.

21. *An extrema oppoſitionis ſint realia.*

Ad quartum dico, quòd aliqua eſſe prima extrema oppoſitionis realis contingit dupliciter, vel quia ſunt illa, de quibus primò poſitiuè prædicatur opponi realiter, non tamen prædicatur de eis per ſe; ſecundùm quòd habent ſuppoſitionem ſimplicem, ſed pro rebus ſingularibus, ſecundùm quòd habent ſuppoſitionem perſonalem, vel quia in re ſunt realiter contraria. Primo modo extrema oppoſitionis realis non ſunt realia, quia iſte terminus *oppoſitio realis* non prædicatur primò, & adæquatè de quibuſcunque rebus, ſed tantùm de conceptibus pro rebus, vel de vocibus, ſi prædicatio ſit in voce, & ſic de aliis. Nec tamen debet concedi de virtute ſermonis, quòd ſunt contraria, ſed dicendum eſt vniformiter, ſicut dictum eſt priùs de primo obiecto adæquatè potentiæ ſenſitiuæ, & de ſubiecto primo paſſionis realis. Secundo modo non ſunt tantùm duo extrema oppoſitionis realis, ſed ſunt multa, ſi ſint multæ oppoſitiones reales. Vnde hæc albedo, & hæc nigredo opponuntur realiter; ſimiliter illa albedo, & illa nigredo opponuntur realiter. Et de iſtis eſt præcisè verum, quòd vnum contrariorum corrumpit reliquum, & vtrumque illorum eſt vnum numero: Et quando dicitur, hoc album eſt primum contrarium nigro. Dico, quòd propriè album non contrariatur nigro, ſed albedo nigredini: & concedo, quòd hæc albedo primò contrariatur nigredini, ſecundùm quòd ly *primò* tenetur negatiuè, quia contrariatur nigredini, & nihil plus, ſecundùm autem quòd ly *primò* tenetur poſitiuè, ſic nihil primò contrariatur nigredini. Si dicatur, quòd vnum vni eſt contrarium; ergo multa non contrariantur nigredini. Similiter contraria poſſunt eſſe in eodem, non ſic autem duo indiuidua. Similiter contraria maximè diſtant, ſed duo indiuidua non maximè diſtant. Ad primum dico, quòd Philoſophus loquitur de *vno* ſecundùm ſpeciem, non de *vno* ſecundùm numerum, & quomodo vnitas ſpecifica eſt realis, & à parte rei dictum eſt, quia hoc nihil aliud eſt, quàm à parte rei eſſe aliqua plura, quæ ſub eadem ſpecie continentur ſecũdùm Philoſophum *primo Topicorum*. Ad ſecundum concedo, quòd contraria poſſunt eſſe in eodem ſaltem ſucceſſiuè. Et idem dico, quòd non eſt contradictio, quòd aqua ſit calida etiam in ſummo, ſicut nec eſt cõtradictio, quòd ſit ſummè frigida, ſi ſic ſtatus in talibus formis. Ad tertium dicitur, quòd contraria maximè diſtant diſtantia illa, quæ poteſt eſſe inter indiuidua diuerſarum ſpecierum, cuius tamen maxima diſtantia ſpecifica requiritur ad contrarietatem, & cuius non: aliàs dicetur.

An album contrariatur nigro.

Vnitas ſpecifica an ſit realis.

22. Ad quintum argumentum dico, quòd obiectũ vnius ſenſationis eſt vnum vnitate numerali. Et quando dicitur, quòd potentia cognoſcens obiectum ſuum: inquantùm ſcilicet hac vnitate vnum cognoſcit ipſum, inquantùm diſtinctum ab omni alio. Dico, quòd cognoſcit illud, quod eſt diſtinctũ ab omni alio, & cognoſcit ſub illa ratione, per quam diſtinguitur ab omni alio: quia illa ratio, quæ eſt ipſamet res, terminat immediatè actum cognoſcendi; non tamen oportet propter hoc, quòd poſſit diſcernere, vel diſtinguere ab omni alio, quia ad cognitionem diſcretiuam plus requiritur, quàm ad cognitionem apprehenſiuam, quia cognitio diſcretiua in actu nunquam eſt, niſi reſpectu diſtinctorum; nec ad hoc ſufficit, quòd diſtincta apprehendantur, niſi ipſa in ſe ſint diſſimilia, vel loco, & ſitu differentia. Et hoc eſt verum, quando ſubiecta talia apprehenſa nata ſunt facere vnum per ſe, ſicut de qualitatibus ſenſibilibus, & non de quibuſcunque intellectionibus, vel amoribus voluntatis, vel animabus, neq; de Intelligentiis, & ideò quantumcunque talia apprehendantur: non oportet quòd poſſint diſcerni propter maximam ſimilitudinem inter illa, tamen ſi ſit potentia intellectiua, poteſt cognoſcere ipſum eſſe diſtinctum ab omni alio: aliquo tamen certo demonſtrato: non oportet quòd poſſit cognoſcere ipſum eſſe diſtinctum ab omni alio, vel ad hoc, quia aliqua vniuerſalis poteſt ſciri, & tamen multæ ſingulares ignorari, & tamen ſenſus diſcernere hoc ab aliquibus, & ab aliquo non: & aliquando diſcernere hoc ab hoc, & aliquando non: propter aliquam variationem à parte rei. Et iſta reſponſio confirmatur, quia ſenſus diſcernit magis album à minùs albo. Tunc quæro, aut apprehendit iſta præcisè ſub ratione communi, aut ſub ratione ſingulari. Si primum, & in illa conueniunt, ergo per illam non diſcernit. Si ſecundum, habetur propoſitum, quòd apprehenditur ſub ratione ſingulari, non quòd iſta intentio ſingularis ſit ratio terminandi, ſed quòd illud, quod immediatè denominatur ab hac intentione ſit immediatè terminans. Et ad confirmationem concedo, quòd primum obiectũ intellectus primitate generationis eſt vnum vnitate numerali, & illud præcedit. Sed primum obiectum primitate adæquationis, (ſi tamen aliquod ſit tale) non eſt ita vnum vnitate numerali præcisè, quin ſit commune, nec præcedit, ſicut pòſt dicetur.

Quid ſit primum obiectum intellectus.

23. Ad ſextum concedo, quòd illo modo, quo omnis vnitas realis eſt numeralis, quòd illo modo, quo omnis diuerſitas realis eſt numeralis, etiam diuerſitas ſpecifica eſt numeralis: cùm ſecundùm Philoſophum quæcunque ſunt diuerſa genere, & quæcunque ſunt diuerſa ſpecie, ſunt diuerſa numero: vnde diuerſitas numeralis eſt in plus ad diuerſitatem ſpecificam, & genericam, quia ſequitur, ſunt diuerſa genere, vel ſpecie: ergo ſunt diuerſa numero, & non è conuerſo. Et quando dicitur, quòd omnis diuerſitas, inquantùm numeralis eſt æqualis. Dico quòd hæc eſt ſimpliciter falſa: quia tunc ſequeretur, quòd omnis diuerſitas eſſet æqualis, cùm *inquantum* non ſit determinatio diſtrahens. Si tamen ſic intelligatur conſequens, quòd omnia, quæ ſolùm differunt numeraliter, ſunt æqualiter diuerſa, poteſt concedi in his, quæ non ſuſcipiunt magis, & minùs. Et ſi dicatur, quòd omnis vnitas numeralis eſt æqualis; ergo omnis diuerſitas numeralis eſt æqualis. Dico, quòd nõ ſequitur ſub illo intellectu, quo antecedẽs eſt verũ, ſicut nõ ſequitur, quæcũq; ſunt æqualia ſunt æqualiter æqualia, quia æqualitas nõ ſuſcipit magis, & minùs: ergo quæcunque ſunt inæqualia, ſunt æqualiter inæqualia, ita eſt de talibus, quando vnum oppoſitum ſuſcipit magis; & minus,

& minùs,& nõ reliquum.Et ita eſt in propoſito.

24 Ad illud, quod innuitur in illo argumento, quòd ſi omnis diuerſitas eſſet numeralis, non plus poſſit intellectus abſtrahere à Socrate,& Platone aliquid commune,quàm à Socrate, & linea, & quodlibet vniuerſale eſſet purum figmentum intellectus. Dico ad primum, quòd ex hoc ipſo, quòd Socrates, & Plato ſeipſis differunt ſolo numero, & Socrates, per ſubſtantiam ſuam eſt ſimillimus Platoni omni alio circumſcripto,poteſt intellectus abſtrahere aliquid commune Socrati, & Platoni, quod non erit commune Socrati, & albedini: nec eſt alia cauſa quærenda, niſi quia Socrates eſt Socrates, & Plato eſt Plato,& vterque eſt homo. Si dicatur, quòd Socrates,& Plato plus conueniunt realiter, quàm Socrates, & aſinus: ergo Socrates,& Plato in aliquo reali cõueniunt, in quo non conueniunt realiter Socrates,& aſinus, ſed non in Socrate, nec in Platone: ergo in aliquo alio aliquo modo diſtincto. Et illud eſt commune vtrique.

Reſpondeo, quòd de virtute ſermonis non debet concedi, quòd Socrates, & Plato in aliquo conueniunt, nec in aliquibus, ſed quòd conueniunt aliquibus, quia ſeipſis, & quòd Socrates, conuenit cum Platone non in aliquo, ſed aliquo, quia ſeipſo. Si nunc dicatur, quòd Socrates, & Plato conueniunt in homine.Dico quòd ly *homine* poteſt ſupponere, vel ſimpliciter, vel perſonaliter. Primo modo poteſt concedi, quia hoc non eſt aliud dicere,quàm quòd homo eſt quoddam commune prædicabile de Socrate,& Platone. Si autem ly *homine* ſupponit perſonaliter pro alia re, ſic eſt ſimpliciter falſum,quia in nullo homine communi, nec in alia re conueniunt, ſed conueniunt rebus,quia hominibus, quia ſeipſis. Ad formam ergo dico, quòd Socrates,& Plato plus conueniunt ſeipſi, quàm Socrates, & aſinus,nõ tamẽ in aliquo reali. Ad aliud de figmẽto, patet quomodo eſt figmentũ, & quomodo non.

Socrates, & Plato in quo conueniant.

25. Ad primam confirmationem iſtius argumenti dico,quòd aliqua eſſe primò diuerſa,poteſt intelligi dupliciter; vel quia non eſt vnum,& idem in vtroque, ſed quidquid eſt in vno ſimpliciter,& abſolutè de ſe non eſt aliquid, quod eſt in alio. Et ſic concedo, quòd omnia indiuidua ſunt ſeipſis primò diuerſa, niſi fortè aliter ſit de indiuiduis, ex quorum vno generatur aliud propter identitatem numeralem materiæ in vtroque. Aliter autem dicuntur aliqua ſecundo modo eſſe primò diuerſa,quãdo vnum immediatè,& primò negatur ab alio: & ideò quando vnum non immediatè negatur ab alio, ita quòd negatiua compoſita ex eis non ſunt immediata, tunc ſunt differentia, & non diuerſa. Et iſto modo omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei ſunt primò diuerſa, quia ex eis componitur propoſitio immediata negatiua. Similiter omnes ſpecies contentæ immediatè ſub aliquo genere, ſunt primò diuerſæ, quia ex eis componitur propoſitio immediata, & ideò Socrates, & Plato ſunt primò diuerſa iſto modo:ſed Socrates,& iſte aſinus non ſunt primò diuerſa,quia hæc eſt immediata,Socrates,non eſt Plato, hæc autem non eſt immediata, Socrates, non eſt iſte aſinus; quia hæc eſt immediatior, nullus homo eſt iſte aſinus: ergo non eſt benè dictum, quod communiter dicitur, quòd primò diuerſa ſunt illa, quæ in nullo conueniunt, & differentia ſunt illa,quæ in aliquo conueniunt.

Aliqua eſſe primo diuerſa. poteſt intelligi dupliciter.

Sed primò diuerſa ſunt illa, quorum neutrum differt ab alio per aliquod communius,à quo alterum priùs negetur. Differentia autem ſunt illa,quorum vnum negatur ab aliquo,quia aliquid communius,eo priùs negatur ab eodem.Hoc eſt, primò diuerſa ſunt illa,quando nihil communius altero illorũ eſt medium concludendi negatiuam vnius de altero: differentia ſunt illa,quando aliquid communius altero eſt medium concludendi negatiuam, in qua vnum negatur ab altero, ſicut iſte homo,& iſte aſinus differunt: quia homo eſt medium tale, & ſimiliter aſinus. Nam iſte ſyllogiſmus eſt bonus,nullus homo eſt aſinus, iſte homo eſt homo: ergo iſte homo non eſt iſte aſinus. Quòd hæc ſit intentio Philoſophi, patet per Philoſophum *decimo Metaph.* vbi dicit. *Differentia verò, & diuerſitas aliunde. Diuerſum enim etiam, à quo eſt diuerſum, non neceſſe aliquo diuerſum eſſe.* Hoc eſt, non eſt neceſſe, quòd ſit aliquid communius illo,quod eſt diuerſum à quo priùs immediatè negetur illud, à quo eſt diuerſum, ſicut ad hoc, quòd Socrates ſit diuerſus,à Platone, non oportet quòd ſit aliquid communius Socrate,à quo immediatè negetur Plato, & à Socrate tantùm mediatè. Sed iſta eſt immediata, Socrates non eſt Plato. Et ponit Philoſophus rationem, omne autem, aut diuerſum, aut idem quodcunque eſt ens.Hoc eſt omne ens,ſiuè habeat communius à quo aliud negatur,ſiue nõ: hoc ens eſt idem, vel diuerſum ab alio ente quocunque differentiato: differens verò ab aliquo, aliquo differt. Hoc eſt omne differens ab aliquo, differt per aliquid prius, & communius, à quo aliud immediatè negatur: & ab iſto tantùm negatur mediatè: ergo iſte homo differt ab aſino per hominem, à quo aſinus immediatè negatur, & ab iſto homine tantùm mediatè.

26.

Quæ ſint primo diuerſa.

Sciendum,quòd quando dico iſtum hominem differre ab aſino per hominem, accipio *differre per aliquid*, ſicut expono in definitione differentiæ, quando expono, quòd aliquid differt ab alio per differentiam eſſentialem. Et ideò *differre per aliquid* æquiuocè accipitur in diuerſis differentibus: vnde aliquid eſſe quo differt,hoc non debet intelligi, quòd ſit aliquid idem, quo vtrumque differt ab altero, quia hoc eſt impoſſibile, quia tunc magis cõuenirent,quàm differrent iſta; ſed debet intelligi, quòd eſt aliquid idem, quo tanquam per medium oſtenditur: hoc differens differre ab illo, ſicut per ſubſtantiam, tanquam per mediũ oſtenditur, quòd homo non eſt quantitas, ſic dicendo; nulla ſubſtantia eſt quantitas: omnis homo eſt ſubſtantia:ergo nullus homo eſt quantitas: & ita illud medium communius eſt, quàm ſit homo differens, quia ſemper eſt genus illius, vel ſpecies: & hoc eſt quod dicit Philoſophus. *Hoc autem ipſum idem* quo ſupple differens differt ab aliquo, *aut genus, aut ſpecies*, ſupple eſt ad illud differens, *& non eſt differentia illius, omne namque differens differt genere vel ſpecie.* Et ita nihil eſt dictum,quòd illa quæ ſunt differentia,differunt ſuis differẽtiis, & cõueniunt in genere, ſi ſint in genere. Sed debet poni,quòd differũt ſuis generibus,vel ſuis ſpeciebus,nõ à parte rei,ſed in negatione vnius ab altero mediata, vel immediata. Et ponit Philoſophus exempla, dicẽs, *Genere autẽ* ſupple ſunt aliqua differentia, *quibus non eſt cõmunis materia, nec generatio ad inuicem, vt quorumcunque eſt alia figura categoricè.*

27.

Ecce, quòd illa quæ ſunt in diuerſis prædicamentis genere different, & per conſequens differunt. Specie verò, quorum idem eſt genus, & tamen ſpecies ſunt diuerſæ: vnde dico, quòd homo, & albedo differunt ſuis generibus: quia vtrumque habet genus ſuperius, per quod poteſt fieri negatio vnius de altero ſecundùm artem; quam tradit Philoſophus primo Poſteriorum: albedo autem, & ſubſtantia differunt genere, & quamuis albedo habeat genus, ſcilicet per quod poteſt oſtendi negatiua, in qua negatur albedo à ſubſtantia, vel econuerſo; tamen ſubſtantia non habet tale genus, ſed iſta communia ſubſtantia, & qualitas non differunt genere, nec ſpecie: & eodem modo proportionabiliter dicendum eſt de differentibus ſpecie. Et ita cùm Philoſophus dicat, quòd omnia *differentia*, ſecundùm quòd diſtinguuntur contra *diuerſa*, differunt genere, vel ſpecie, & Socrates, & Plato, nec differunt genere, nec ſpecie, manifeſtum eſt, quòd non differunt, ſed Socrates & iſte aſinus differunt: quia differunt ſpecie. Si dicatur, quòd hoc eſt contra intentionem Philoſophi, quia immediatè ſubdit: *Dicitur autem genus, quo ambo idem dicuntur ſecundùm ſubſtantiam*: differentia ergo videtur ſecundùm ipſum, quòd illa, quæ immediatè continentur ſub genere, ſunt differentia. Similiter Commentator ibidem *comm.* 12. *Illa quo differunt per differentias formales ſunt illa, quorum genus eſt vnum.* Item, quinto Metaph. *differentia dicuntur quæcunque diuerſa ſunt aliquid idem entia, & non ſolùm numero, ſed ſpecie, aut genere, aut proportione. Amplius quorum diuerſum genus commune, & quæcunque habent in ſubſtantia diuerſitatem.*

29. Ad primum iſtorum dicitur, quòd illud eſt genus, quod prædicatur de aliquibus ſecũdùm ſpeciem differentibus: quia omne genus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, non tamen omnia illa differunt, de quibus prædicatur, quia ex aliquibus, de quibus prædicatur, componitur propoſitio immediata, & ex aliquibus non.

Ad ſecundùm dico, quòd aliqua, quæ differunt per formales differentias, habent idem genus. Et vniuerſaliter omnes res extra animam, quæ realiter differunt per differentias formales habent aliquod idem genus, quia talia non ſunt niſi indiuidua diuerſarum ſpecierum: non tamen oportet quòd omnia quæ habent idem genus differant per differentias formales, ſicut patebit aliàs.

Ad tertium dico, quòd Philoſophus accipit *differentia* ibi, prout præcisè conueniunt rebus, & tunc omnes res quæcunque ſunt diuerſæ, & ſecundùm aliquid idem entia, non per identitatem, ſed per eſſentialem prædicationem, hoc eſt, aliquid idem verè, & in *quid* de eis prædicatur: & non ſolùm numero, hoc eſt, & iſtæ res non ſunt ſolùm diuerſæ ſecundùm numerum, ſicut ſunt indiuidua eiuſdem ſpeciei; ſed aut genere, aut proportione, ſiuple ſunt diuerſæ. Et talia inquantùm diuerſa, ſunt differentia, quia ens reale, & ens rationis ſunt diuerſa: non tamen ſunt differentia, quia nihil idem prædicatur de eis in *quid* ſecundùm opinionem, quæ ponit ens rationis tantùm habere *eſſe* obiectiuum. Secundùm aliam prædicatur aliquid de eis in *quid*. Si dicas, quòd ſi illa, quæ ſunt differentia plus conueniunt quàm quæ tantùm ſunt diuerſa: ergo plus conuenirent iſte homo, & iſte aſinus, quàm iſte homo, & ille homo: dico quòd accipiendo *differentia*, ſicut accipit Philoſophus *decimo Metaphyſic.* ſic nõ ſemper *differentia* plus conueniunt, quàm *primò diuerſa*: ſed ſufficit, quòd pluribus differant, hoc eſt, quòd à pluribus, quæ dicuntur verè de vno illorum alia verè negentur, ſicut à pluribus, quæ dicuntur de iſto homine, veriùs negatur iſte lapis, quàm iſte homo.

Ad aliam confirmationem per idem. Ad aliud 30.
dico, quòd nullo exiſtente intellectu eſſet aliqua vnitas realis ignis generantis ad ignem genitum, propter quam diceretur generatio vniuoca: ſed illa vnitas non diceretur de aliquo vno, ſed diceretur de pluribus realiter diſtinctis, ſicut dictum eſt: ideò, &c.

Ad auctoritatem Auicennæ dico, quòd *equinitas eſt tantùm equinitas*, non quòd equinitas *Quinto met taph. cap. 1.*
non ſit vna, nec plures, nec in intellectu, nec in effectu, quia realiter equinitas eſt in effectu, & realiter eſt ſingularis: ſicut enim equinitas realiter eſt cauſata à Deo, & equinitas eſt diſtincta realiter à Deo: ita equinitas eſt realiter, & veraciter ſingularis: ſed intelligit Auicenna, quòd iſta non conueniunt equinitati per ſe primo modo, nec aliquod iſtorum ponitur in eius definitione, ſicut ipſemet exprimit. *Quomodo equinitas ſit ſingularis.*

Si dicatur ſecundùm Auicennam, & ſecundùm alios Philoſophos, equinitas eſt de ſe indifferens, vt ſit ſingularis, & vt ſit vniuerſalis: quæro quomodo iſta eſt vera, aut ſecundùm quòd equinitas ſupponit ſimpliciter, aut perſonaliter. Si ſimpliciter, & iſte conceptus non eſt indifferens, quia nullo modo poteſt eſſe ſingularis: ergo non eſt ſuppoſitio ſimplex, quando terminus ſupponit pro conceptu, quod eſt contra prædicta. Si ſupponit perſonaliter, tunc eſt falſum, quia tunc ſupponit pro ſingularibus, ſed nihil ſingulare eſt ſic indifferens: ergo videtur, quòd præter ſuppoſitionem pro conceptu, & re ſingulari oportet ponere tertium, quando terminos ſupponit pro ipſa quidditate indifferenti ad vtrumque.

Reſpondeo vniformiter ad alia prædicta, quòd 31.
hæc non eſt vera, equinitas non eſt de ſe vniuerſalis, nec particularis, ſed indifferens ad *eſſe* vniuerſale, & ad *eſſe* ſingulare, niſi ſecundùm quòd per *eſſe* intelligitur vnus actus ſignatus, qui eſt iſte, quòd de equinitate poteſt indifferenter prædicari *eſſe* vniuerſale, & *eſſe* ſingulare; & in iſto actu ſignato equinitas habet ſuppoſitionem ſimplicem; ſed in duobus actibus exercitatis veris correſpondentibus, equinitas habet diuerſam ſuppoſitionem, quia in vno habebit ſuppoſitionem ſimplicem, ſcilicet in iſto, equinitas eſt vniuerſalis, & in alio perſonalem, ſcilicet in iſto, equinitas eſt ſingularis, verbi gratia, hæc eſt vera: *de homine prædicatur vox*. & *currere*, & in iſta ly *homo* habet ſuppoſitionem materialem, quia de iſta voce *homo* prædicatur vtrumque, & iſti actui ſignato correſpondent duo actus exercitati veri, ſcilicet *iſte homo eſt vox*, in quo ly *homo* ſupponit materialiter, & *iſte homo currit*, in quo homo ſupponit perſonaliter. *Quomodo equinitas nõ eſt vniuerſalis, nec particularis.*

Ad vltimum dico, quòd quando conuenientia 32.
& differentia compatiuntur ſe: non eſt inconueniens, quòd conueniant eidem per idem; & ideò quòd aliqua conueniant ſpecificè, & differant numeraliter non eſt inconueniens. Patet per exemplum proprium, quia certum eſt quòd natura contracta conuenit realiter cum differentia indiuiduali, quia eſt eadem res realiter cum differentia,

differentia, & tamen natura differt aliquo modo à contrahente, tunc quæro, aut eodem conuenit, & differt aut alio, & alio. Si eodem habeo propoſitum, quòd idem eodem indiſtincto conuenit realiter cum eodem, & diſtinguitur formaliter, & eadem facilitate dicam ego, quòd ſocrates eodem ſpecie conuenit cum Platone, & diſtinguitur numeraliter, & vniuerſaliter de omnibus talibus. Si alio, & alio conuenit, & diſtinguitur, quæro de illis, quia illa aliquo modo diſtinguuntur, & conueniunt, quia ſunt vna res; aut ergo eodem conueniunt, & diſtinguuntur; aut alio & alio, & ita vel erit proceſſus in infinitum; vel dabitur, quòd idem eodem ſic conuenit cum aliquo: & diſtinguitur ſic ab eodem: & eadem facilitate dicam, quòd idem eodem conuenit ſpecie cum aliquo, & diſtinguitur numeraliter ab eodem. Si dicatur omni intellectu circumſcripto maior eſt conuenientia ex natura rei inter Socratem & Platonem, quàm inter Socratem & aſinum: ergo ex natura rei Socrates, & Plato conueniunt in aliqua natura, in qua non conueniunt Socrates, & iſte aſinus. Similiter niſi maior eſſet conuenientia inter Socratem & Platonem, quàm inter Socratem, & iſtum aſinum nõ plus poſſet abſtrahi conceptus ſpecificus à Socrate & Platone, quàm à Socrate, & iſto aſino.

33 Ad primum iſtorum dico, quòd conſequentia facta non valet, ſicut non ſequitur, magis cõuenit natura intellectualis cũ Deo ex hoc, quòd eſt imago Dei, quàm natura inſenſibilis, quæ nõ eſt imago Dei: & tamen in nullo reali conueniunt, quod ſit aliquo modo diſtinctum ab iſtis etiam, ſecundùm eos, ſed ſeipſis plus conueniunt. Ita dico in propoſito, quòd Socrates, & Plato ſeipſis plus conueniunt, quàm Socrates & iſte aſinus: etiam omni alio circumſcripto. Similiter ens reale plus cõuenit cum Deo, quàm ens rationis, & tamen Deus non in aliquo conuenit cum vlla creatura, niſi fortè in conceptu.

Per hoc patet ad ſecundum, quòd eſt maior conuenientia inter Socratem, & Platonem, quàm inter Socratem & iſtum aſinum, non propter aliquid aliquo modo diſtinctum, ſed ſeipſis plus conueniunt. Confirmatur iſta reſponſio per dicta eorum, quia accipio duas differentias indiuiduales contrahentes naturam hominis. Iſtæ differentiæ plus conueniunt; quàm vna differentia indiuidualis contrahens naturam hominis, & alia differentia indiuidualis contrahens naturam albedinis: probo, quia differentia indiuidualis contrahens naturam hominis conuenit cum natura contracta, quæ eſt eadem res realiter cum illa: ſed illa natura contracta, puta natura Socratis plus conuenit cum natura Platonis, quàm cum natura albedinis: ergo plus conuenit cum differentia indiuiduali contrahente, & per conſequens à primo ad vltimum, differentia indiuidualis Socratis plus conuenit cum differentia indiuiduali Platonis, quàm cum differentia indiuiduali huius albedinis: & certum eſt quòd diſtinguitur realiter ab ipſa: aut ergo eodem plus conuenit cum vna, quàm cum alia, & diſtinguitur realiter ab illa, aut alio; ſi eodem conuenit cum vna, & diſtinguitur realitet ab illa, habetur propoſitum, quòd aliquid eodem poteſt conuenire cum aliquo, & diſtingui ab eodem. Si alio & alio, ergo differẽtia indiuidualis includit multa, & eſſet proceſſus in infinitũ, quorũ vtrumq; eſt incõueniẽs.

Differentia indiuiduales contrahunt naturam hominis.

Si dicatur, quòd iſta differentia indiuidualis, puta Socratis, non ex ſe, vel per ſe, ſed per naturam contractam plus conuenit cum natura Platonis, & cum differentia indiuiduali Platonis: quàm cum natura huius albedinis. Contrà, ſicut indiuidualis differentia Socratis conuenit cum natura Platonis, ita èconuerſo: natuta Platonis plus conuenit cum differentia indiuiduali Socratis, quàm cum differentia indiuiduali huius albedinis: ergo aut ex ſe plus conuenit, aut per differentiam indiuidualem contrahẽtem, aut per naturam Socratis. Si primum, & certum eſt quòd diſtinguitur ex ſe: ergo idem conuenit eodem, & diſtinguitur ab eodem. Secundum non poteſt dari, quia tunc illa differentia indiuidualis, plus conueniret cum vna differẽtia indiuiduali, quàm cum alia. Nec poteſt dari tertium, quia nunquam eſt aliquid idem realiter cum aliquo per aliquid ſibi extrinſecum, & realiter diſtinctum ab eo. Si dicatur, quòd quamuis conueniat ex ſe cum iſta differentia indiuiduali, non tamen diſtinguitur ab ea, niſi per differentiam indiuidualem. Contrà, natura ex ſe diſtinguitur ab omni differentia indiuiduali, quia ſecundùm eos non repugnat ſibi eſſe ſine quacunque differentia indiuiduali. 34

Prætereà, duæ differentiæ indiuiduales ex hoc ipſo, quòd vtraque eſt creatura, plus conueniunt, quàm iſta creatura, & Deus: & certum eſt quòd diſtinguuntur: ergo oportet quòd idem eodem modo diſtinguatur, & conueniat, vel oportet ponere proceſſum in infinitum.

Ad argumentum principale patet, quòd natura lapidis de ſe eſt hîc: & ideò natura lapidis non poteſt eſſe in alio, & tamẽ ſtat cum hoc, quòd natura lapidis non ſit de ſe hîc: ſed illa in alio, & in alio, quia ſunt duæ indefinitæ verificatæ pro diuerſis ſingularibus. Tamen ſciendum eſt, quòd de virtute ſermonis hæc eſt falſa, *natura lapidis eſt in lapide*, ſed debet concedi, quòd natura lapidis eſt lapis: tamen de Chriſto poteſt concedi, quòd natura humana eſt in Chriſto, communiter tamen conceditur. Sed ſi intelligatur, quòd natura lapidis verè ſit in lapide, tanquam in aliquo quocũque modo diſtincto, eſt ſimpliciter falſum. Si autem intelligitur, quòd illa natura lapidis eſt lapis, verum eſt.

An natura humana ſit in Chriſto.

Nunc reſtat oſtendere quomodo reſponſiones Ocham minimè euacuant rationes Doctoris, & ſpecialiter duas primas, quæ habentur in principio quæſtionis huius diſtinctionis, licèt non ita formaliter. Quarum prima eſt, quidquid ineſt alicui ex ſua per ſe ratione, ineſt ei in quocunque eſt; etgo ſi natura hominis de ſe eſſet hæc, in quocunque eſſet natura hominis, illud eſſet de ſe hic homo, & ſic ſequeretur, quòd non poſſet dari homo in communi. 33

Confutatio reſponſionum Gul. Ocham ad rationes Scoti.

Secunda. Cui de ſe conuenit vnum oppoſitum, eidem de ſe repugnat aliud oppoſitum: ergo ſi de ſe natura eſt vna numero, ex ſe ſibi repugnat multitudo numeralis.

Cùm dicit ad primam rationem, quòd ineſſe alicui contingit dupliciter, ſcilicet realiter, vel ſecundùm prædicationem, &c. Primò modo antecedens eſt verum, & non ſecundo modo. Dico, quòd hæc reſponſio videtur fuga. Pro cuius intelligẽtia eſt aduertendum, quòd ſi natura hominis præter omne opus intellectus collatiui ſit tantùm ſingularis, ita quòd ex natura rei ſit de ſe

ſingularis, & de ſua ratione formali ſequitur eſſe impoſſibile naturam humanam eſſe communicabilem pluribus. Cùm ſit ſimpliciter impoſſibile idem numero poſſe pluribus communicari. Nec valet dicere, quòd conceptus in mente fabricatus ab intellectu eſt communis pluribus, quia quæro, aut ille conceptus eſt actus intelligendi, aut eſt vna ſecunda intentio, aut eſt vnum idolum fabricatum per intellectum: Non primò, quia quæro, aut ille actus intelligendi eſt de ſe tantùm vnum numero; ergo non poteſt conuenire pluribus, aut de ſe non eſt vnum numero, & tunc erit entitas præter opus intellectus communis pluribus, quod ipſe negat.

36. Nota. Et præterea, poſito quòd talis conceptus ſit communis pluribus, tunc nulla prædicatio eſſet quiditatiua, vt cùm homo prædicatur de inferioribus, patet, quia talis conceptus eſt omnino extra conceptum Socratis: nec conuenit alicui communi, quòd ſit de conceptu Socratis. Tum etiam, quia cùm dico Socrates eſt homo, aut tantùm conceptus hominis prædicatur de conceptu Socratis, aut conceptus hominis prædicatur de Socrate in ſe: ſi primò, tunc vnus conceptus tantùm prædicatur de alio, & ſic vnus conceptus erit de quiditate alterius, & ſic nihil prædicabitur in *quid* de Socrate. Si ſecundo modo, patet quòd non eſt de quiditate Socratis, nec includitur in aliquo pertinente ad quiditatem Socratis. Nec valet illa diſtinctio, quam ipſe facit de natura humana, ſcilicet quòd poteſt ſupponere perſonaliter, id eſt, pro re extra animam: vel poteſt ſupponere ſimpliciter, ſcilicet pro conceptu communi: primo modo eſt tantùm de ſe ſingularis, & ſic non ſequitur, quòd vbicumque ſit natura humana, ſit ſingularis, quia ipſa ſumpta pro conceptu non eſt ſingularis. Hæc reſponſio magis videtur fuga, quia ponendo, quòd natura humana pro conceptu ſit communis omnibus hominibus, quæro vnde accipitur iſta communitas? aut accipitur à parte rei, ſic, quia intellectus mouetur ab aliqua re extrà habente vnitatem minorem vnitate numerali, quam in illo priori cognoſcit eſſe indifferentem ad omnia ſingularia, & de ſe non magis eſſe in vno, quàm in alio; & ex hoc dicere communitatem præter opus intellectus, hoc eſt indifferentiam ad omnia ſingularia; aut iſta communitas conceptus eſt ex ſola conſideratione intellectus, cui nihil ex parte rei correſpondet. Si primo modo, habetur intentum, quia ſic natura humana ex natura rei non eſt de ſe hæc. Si ſecundo modo, ſequuntur inconuenientia: primò, quia ſicut intellectus fabricat conceptum ſpeciei ſpecialiſſimæ communem omnibus hominibus, cui nihil ex parte rei correſpondet: ſic poteſt fabricare conceptum ſpeciei ſpecialiſſimæ communem ſingularibus cuiuſcumque alterius ſpeciei, & imponere ſibi hoc nomen *homo*, & ſic homo ita verè prædicabitur de Brunello ſicut de Socrate.

37 Secundò quæro de illo conceptu vt priùs, ſi de ſe eſt ſingularis, nec accipitur aliquo modo à natura communi, nec præſupponit illam: ergo talis conceptus nullo modo poteſt dici communis, & communitas eſſet quærenda aliundè. Et quamuis quando homo de pluribus actu prædicatur, dicat vnum conceptum habentem tantùm vnitatem numeralem; non poſſet tamen prædicari de pluribus, niſi acciperetur à natura humana, quæ ex natura rei ſit indifferens ad pluta ſingularia; aut ille conceptus de ſe, & ex natura rei eſſet communis; ergo datur communitas ex natura rei, quod eſt contra te. Et præterea, iſta diſtinctio de ſuppoſitione perſonali, aut ſimplici, licèt in ſe ſit bona, non eſt tamen ad propoſitum: quia quamuis in prædicatione ſignata communiter prædicatum eſſet ſimpliciter: vt cùm dico, *homo prædicatur de pluribus indiuiduis*, quia ly *homo* ſtat pro natura vt cognita, cui vt ſic tantùm conuenit iſta ſecunda intentio, quod eſt *prædicari*, vt patet à Doctore in ſuis Vniuerſalibus, tamen in prædicatione exercita, vt cùm dico, Franciſcus eſt homo, Ioannes eſt homo, ly *homo* tantùm ſupponit perſonaliter. Et tunc quæro, cùm dico, Franciſcus eſt homo, quid verificatur de ipſo Franciſco? aut natura humana ex natura rei? aut conceptus fabricatus per intellectum? aut Franciſcus tantùm de ſeipſo? *Quando homo ſupponat perſonaliter.*

Si primo modo, habetur intentum, quia natura humana verificatur de Fráciſco, & Ioanne ex natura rei, ſic intelligendo, quòd illa vt præſcindit à ſingularitate eſt indifferens ad Franciſcum & Ioannem, & nata eſt eſſe de quiditate vtriuſque, licèt vt facta propria Franciſco, quando ſcilicet eſt contracta ad Franciſcum per ſingularitatem, actu non conueniat Ioanni.

38. Si ſecundo modo, ſequitur quòd ille conceptus prædicabitur tantùm extrinſecè de Franciſco. Patet, quia ille conceptus ſubiectiuè erit in intellectu, & tunc in iſta propoſitione, Franciſcus eſt homo, prædicatum erit totaliter extra rationem hominis, & ipſe concedit, quòd quando prędicatur ſuperius de inferiori in *quid*, quòd tale ſuperius non erit de quiditate inferioris, vt cùm homo prædicatur de Socrate, & tunc ſequitur abſurdum, quòd nulla erit prædicatio quiditatiua, & in *quid*, niſi tantùm voluntaria: patet, quia ex quo conceptus hominis non dicit præcisè ipſum Socratẽ, cùm dicat ipſum eſſe commune Socrati, nec ſit de eſſentia Socratis, vt ipſe concedit: nec accipitur ab aliquo, quod eſt de eſſentia Socratis, quia quæro à quo accipitur? aut à materia, aut à forma, aut à conſtituto? non primò, quia ſi detur ſingulare indiuiſibile, in quo non ſit pars & pars, tunc non poteſt accipi ab aliqua parte, quæ ſit de quiditate, vt cùm dico, *hæc albedo eſt albedo*: & ſimiliter de illis partibus quærendum eſſet, aut ab illis vt tantùm ſingularibus accipitur conceptus dictus in *quid* communis ſingularibus hominis, ita videtur quòd ille idem poſſit accipi à partibus ſingularium alterius ſpeciei, & ſic idem conceptus ſpectficus poterit prædicari de ſingularibus alterius ſpeciei. Si verò accipitur ab ipſo ſingulari conſtituto ex partibus, aut tantùm eſt ſingularis, aut communis: ſi primò, tunc tantùm prædicabitur de illo ſingulari, ſi ſecundò non eſt maior ratio, quòd accipiatur à Socrate, quàm à Brunello. Et præterea, cùm dico, Franciſcus eſt homo, Ioannes eſt homo, ſi *homo* prædicatur in *quid* de Franciſco, & Ioanne prædicatione exercita, oportet quòd verè aliquid verificetur de homine, quod ſit de quiditate illius: quæro tunc quid verificatur, non conceptus, vt ipſe cõcedit: non Franciſcus, quia tunc eſſet prædicatio eiuſdem de ſeipſo: oportet ergo dicere, quòd ideò prædicatur in *quid*, quia talis conceptus accipitur à natura humana, quæ eſt ſimpliciter indifferens ad alia ſingularia naturæ humanæ, & nata eſſe de quiditate omnium, licèt vt facta propria actu ſit de quiditate ſingularis, cuius eſt. Et ſi nihil ſic

ita

ita reſpondet in re, quod ſit de quiditate ſingularis, nulla erit differentia prædicationis in *quid*, ſiue in *quale* eſſentiale, vel accidentale, niſi tantùm voluntaria. Patet, cùm enim dico, Franciſcus eſt albus, quæro quare album non prædicatur in *quid* de Franciſco, cùm res non prædicetur ſecundùm ipſos, ſed conceptus, vel dictio, vel vox, non curo pro nunc: & tunc quæro, quare ille conceptus non prædicatur in *quid*? Dices, quia albedo nullo modo poteſt eſſe de quiditate Socratis, & tunc habeo propoſitum, ſcilicet quòd ideò conceptus albi non prædicatur in *quid* de Socrate, quia albedo ex parte rei non eſt de quiditate ſocratis; ergo ex oppoſito, ſi conceptus hominis prædicatur in *quid* de Socrate, & Franciſco, & non de Brunello, hoc erit tantùm ex parte rei, quia ille conceptus dicitur verè prædicari in *quid* tantùm de ſingularibus hominis, quia accipitur ab aliqua re, quæ præcisè nata eſt eſſe de quiditate ſingularium.

Quare conceptus albi non prædicetur in quid.

Nota.

Ex his etiam patet, quòd ſi conceptus hominis communis accipiatur, vel pro ſecunda intentione, vel pro idolo fabricato, qui prædicatur in *quid* tantùm de ſingularibus hominis, niſi talis communitas, vel prædicatio in *quid* accipiatur ab aliquo ex natura rei, quod natum ſit eſſe indifferens præcisè ad talia ſingularia; & ſimiliter natum ſit eſſe præcisè de quiditate illorum, patet, quòd tales conceptus tantùm erunt voluntarij.

Ex his etiam patet, quòd non tantùm reſponſio principalis ad primam rationem Doctoris non ſoluit illam, ſed & ſequentia in illa reſponſione, vel ſunt tantùm voluntariè dicta, vel ſaltem impropria, nec oportet ſingillatim improbare omnia dicta in iſta reſponſione, cùm ex his, quæ dixi, manifeſtè appareat improbatio.

39. Ad reſponſionem ſecundi argumenti principalis, cùm dicit, concedendo, quòd cui conuenit de ſe vnum oppoſitorum ei de ſe repugnat aliud oppoſitum; & ideò quia natura de ſe eſt hæc ſecundùm quòd natura ſupponit perſonaliter, ideò concedo vniformiter, quòd naturæ repugnet multitudo numeralis, hoc eſt, naturæ repugnat eſſe in alio, & naturæ repugnat eſſe in multis, &c. Licèt hæc reſponſio eodem modo poſſet improbari, ſicut & prima reſponſio ad primam rationem eſt improbata; adhuc tamen huic reſponſioni obſto ſpecialibus rationibus. Doctor enim iſte duo dicit in iſta reſponſione. Primum, quòd natura humana præter omne opus intellectus de ſe eſt tantùm hæc, & eſt impoſſibile ſimpliciter eſſe indifferens ad plura ſingularia. Secundum, quòd natura humana, quæ de ſe non eſt hæc, ſed cõmunis pluribus, accipitur tantùm pro conceptu mentis, qui vt ſic ſupponit ſimpliciter, & nullo modo perſonaliter. Arguo ſpecialiter contra hoc, & probo quòd ſecundum ſimpliciter repugnat primo. Et quæro, aut natura humana accepta pro conceptu in mente eſt tantùm vna numero; aut eſt communis; aut eſt de facto plura numero, aliud non poteſt dari, ſi tantùm vna numero: ergo vnum numero tãtùm prædicabitur de pluribus differentibus numero. Si dicatur hoc non eſſe inconueniens in prædicatione ſignata, ſed benè in predicatione exercita, tunc arguo ſic: *Franciſcus eſt homo, Ioannes eſt homo*, iſtæ ſunt prædicationes exercitæ: quæro tunc, aut vnus, & idem conceptus numero exercitæ prædicatur de Franciſco, & Ioanne, tunc idem conceptus numero prædicatione exercita prædicatur de pluribus numero differentibus, quod eſt inconueniens.

Natura humana de ſe eſt tantùm hæc.

Quæ ſint prædicationes exercitæ.

Et prætereà, ille conceptus qui prædicatur exercitè de Franciſco, & Ioanne in *quid*, aut eſt formaliter in intellectu, aut formaliter in Franciſco, & Ioanne: non ſecundò, quia tunc idem accidens numero eſſet formaliter in pluribus ſubiectis, quod non eſt poſſibile: non primò, quia tunc quæro quid verificatur in *quid* de Franciſco, & Ioanne: non ille conceptus, vt patet: non natura communis Franciſco & Ioanni, cùm hoc ſimpliciter neges. Si dicatur, quòd cùm dico, Franciſcus eſt homo prædicatione exercita, ly *homo* tantùm ſupponit perſonaliter, puta pro Franciſco; ſequitur tunc, quòd cùm dico, Franciſcus eſt homo quiditatiuè, quòd hæc prædicatio exercita erit tantùm eiuſdem de ſeipſo, & ſic omnis prædicatio exercita in *quid* erit tantùm eiuſdem de ſeipſo, quod non eſt intelligibile. Si verò conceptus hominis vt prædicatur de Franciſco, & Ioanne prædicatione exercita ſit alius & alius, ita quòd vnus prædicetur de Franciſco, & alius de Ioanne. Contrà, quia tunc nullus conceptus communis poſſet prædicari exercitè de pluribus differentibus numero; & ſic omnis propoſitio quiditatiua eſſet ſingularis, tam ex parte ſubiecti, quã ex parte prædicati, loquendo de ſingularibus eiuſdẽ ſpeciei, vel alteriùs. Tum etiam, quia cũ dico, Frãciſcus eſt homo, aut ille cõceptus hominis eſt tantũ natus verificari de Frãciſco, aut etiã de Franciſco & Ioanne, & ècõtra. Si primò, tunc expreſsè patet, quòd conceptus, qui prædicatur de Franciſco, nullo modo erit indifferens ad Franciſcum, & Ioannem. Si ſecundò, tunc conceptus dictus de Franciſco in *quid*, ita de Ioanne verificabitur in *quid*, ſicut de Franciſco, quod videtur inconueniens, ponendo illum conceptum ſingularem: quia tunc ſequeretur, quòd vna propoſitio non differret ab alia, cùm habeant ſimpliciter idem prædicatum numero dictum in *quid*; & præcipuè hoc eſt impoſſibile in creaturis. Si verò conceptus hominis vt prædicatur in *quid* de Franciſco, & Ioanne ſit communis. Tunc quæro, à quo habet, quòd ſit communis: aut enim abſtrahitur immediatè à Franciſco, & Ioanne, & ſic de aliis, aut immediatè abſtrahitur à conceptu Franciſci, & à conceptu Ioannis, & ſic de aliis conceptibus. Si primò, tunc talis conceptus non eſt magis abſtrahibilis à Franciſco, & Ioanne, quàm à Franciſco, & Brunello, vt magis infrà patebit. Si ſecundò, tunc ſequitur, quòd ille conceptus non eſſet magis abſtrahibilis à conceptibus Franciſci, & Ioannis, quàm à conceptibus Franciſci, & Brunelli, quod eſt inconueniens. Et vltrà ſequitur proceſſus in infinitum, quia quæro de conceptu hominis, qui prædicatur de Franciſco, an aliquid poſſit prædicari in *quid* de ipſo: & ſimiliter de conceptu Ioannis, & tunc quæratur vt priùs, aut ille conceptus, qui prædicatur in *quid* de illis duobus conceptibus eſt tantùm vnus numero, aut alius, & alius numero; & arguitur vt prius; aut eſt communis, & tunc quæro de illo communi, à quibus conceptibus abſtrahitur, & ſic erit proceſſus in infinitum in conceptibus quiditatiuis, quod eſt contra Ariſtotelem ſecundo Poſteriorum, hoc tamen inconueniens non contingit, ponendo aliquid ex natura rei eſſe indifferens ad plura, & eſſe de quidditate illorum.

40.

Quando homo ſupponat perſonaliter.

Prætereà vnitas ſpecifica, & multitudo nume-

Vnitas ſpecifica, & multitudo numeralis non opponuntur.

ralis non opponuntur, quia cum vnitate ſpecifica ſtat pluralitas indiuiduorum. Et tunc quæro, cũ qua vnitate ſpecifica ſtat pluralitas indiuiduorum, quæ indiuidua habẽt *eſſe* præter omne opus intellectus, aut ſtat cum vnitate ſpecifica ex natura rei, & habetur propoſitum; aut tantùm cum vnitate ſpecifica, non ex natura rei, ſed ex fabricatione intellectus: & tunc multitudo numeralis indiuiduorum naturæ hominis ſpecificæ, ita poterit ſtare cum vnitate ſpecifica naturæ æqui, ſicut cum natura ſpecifica hominis, cùm hæc vnitas ſpecifica ſit ex ſola fabricatione intellectus, & voluntaria. Ex his ergo patet reſponſionem ad rationem Doctoris minimè illam euacuare. Et ad illa, quæ dicit in litera, reſpondendo ad illam rationem, reſpondendo ad hanc inſtantiam, naturæ non repugnat prædicari de multis: ergo naturæ non repugnat eſſe in multis. Antecedens eſt diſtinguendum, eo quòd ſubiectum poteſt ſupponere perſonaliter, & ſic eſt ſimpliciter falſum; quia quælibet ſingularis eſt falſa, ſcilicet iſti naturæ non repugnat, & illi naturæ non repugnat, &c. Vel poteſt ſubiectum ſupponere ſimpliciter, patet reſponſio ex ſuperiùs declaratis, nec circa hoc oportet aliter inſiſtere.

42 Ad tertiam reſponſionem. Cùm dicit, quòd obiectum intellectus non eſt vniuerſale, & illud, quod mouet primò intellectum eſt tantùm ſingulare, vt alibi iſte nititur probare, videlicet in *quodlibet. & diſt. 3. primi.* Contra hanc reſponſionem inſtatur multipliciter. Et primò, quia Ariſtoteles *ſecundo de Anima* facit differentiam inter intellectum, & ſenſum, & vult quòd ſenſus ſit ſingularium, intellectus verò ſit vniuerſalium; id eſt, quòd ſenſus nihil ſentit ſub ratione vniuerſali, intellectus verò poteſt intelligere multa ſub ratione vniuerſali: ergo aliquod obiectum intellectus erit vniuerſale remotum ex natura rei. Probatur iſta conſequentia: tu dicis, quòd tantùm primò intelligit ſingulare, ſit illud ſingulare Franciſcus; aut primò intelligit illud ſub ratione ſingularis, aut vniuerſalis. Si primò, quæro an poſſit intelligere ipſum ſub ratione vniuerſali. Si non, ergo nihil poteſt intelligere ſub ratione vniuerſali. Si ſic, ergo idem intelligitur ſub duabus rationibus oppoſitis, ſcilicet ſingularitatis & vniuerſalitatis, quod eſt impoſſibile, vt Doctor oſtendit *in primo, diſt. 3. qu. 6.* Tum etiam, quia cùm intelligit Franciſcus ſub ratione vniuerſali, ſiue ſub ratione communi, quæro quid ſit illud commune, ſub quo intelligit Franciſcus, aut eſt aliquid ex natura rei, & habetur propoſitum; aut eſt tantùm conceptus in anima; tunc ſic, ille conceptus in anima aut eſt aliquid ex natura rei, & eſt communis, & habetur intentum, quòd detur commune ex natura rei: aut eſt ſingularis ex natura rei, & tunc intelligere Franciſcum ſub illo conceptu eſt ipſum intelligere ſub ratione ſingularis: aut ille cõceptus eſt communis, & non natura rei; tunc quæro illa communitas aut accipitur ab aliquo ex natura rei, cui non repugnat eſſe in multis ex natura rei, & habetur intentum; aut ab aliquo ſingulari, vel ab aliquibus, & tunc talis conceptus ita poteſt abſtrahi à Franciſco, & à Brunello, aut eſt merè ex ſola fabricatione intellectus, & tunc intellectus poſſet facere conceptum communem ſpecificũ ſpeciei ſpecialiſſimæ, etiam reſpectu eorum quæ ſub diuerſis generibus continentur.

Quomodo ſenſus ſit ſingularium, & intellectus vniuerſalium.

Præterea, ſi Franciſcus intelligitur ſub ratione vniuerſali, quæro ad quid terminatur talis intellectio, aut ad Franciſcum præcisè ſub ratione propriæ ſingularitatis, aut ad naturam in Franciſco priorem ſingularitatem, aut ad conceptum præcisè. Si primò, ergo non poteſt intelligi ſub ratione vniuerſali. Si ſecundò, habetur propoſitum. Si tertiò, ergo nullo ſingulare hominis exiſtente, ſtante illo conceptu, poteſt Franciſcus intelligi ſub ratione vniuerſali: & tunc quæro à quo cauſatur talis cognitio non à tali conceptu, cùm ſit tantùm ens rationis, ſecundùm ipſum: non à ſpecie intelligibili, cùm illa non ſit repræſentatiua entis rationis in ratione obiecti, & ſic ſingulare non exiſtente, nihil ſub ratione vniuerſali poſſet intelligi, cuius oppoſitum patet ab Ariſtotele 7. *Metaph. tex. comment. 35.* vbi ſic habetur. *Horum autem non eſt definitio, ſed cum intelligentia, aut ſenſu cognoſcuntur.* hoc eſt, cùm actu videntur, & loquitur de ſingularibus. Sequitur. *Abeuntes verò ex actu non palam vtrũ quidem ſunt, aut non ſunt, ſed ſemper dicuntur, & cognoſcuntur vniuerſalis ratione,* hæc illæ. Mirum etiam videtur, quòd iſte velit, quòd ens reale, vt cognoſcitur ſub ratione vniuerſali, quòd merè cognoſcatur ſub aliquo, quod ſibi, & cuilibet ſibi intrinſeco formaliter repugnat, quia talis conceptus vniuerſalis repugnat ſingulari ſub ratione ſingularitatis, & cuilibet intrinſeco, ſi illud intrinſecum non ſit niſi tantùm ſingulare. 43

Singularium non eſt definitio.

Tertiò principaliter arguo, quia ſi non detur obiectum intellectus aliquid commune ex natura rei, tunc ſequitur quòd vniuerſalia non priùs ſunt nota nobis, quod eſt contra Philoſophum primò phyſic. tex. comment. 3. *Sunt,* inquit, *primùm nobis manifeſta, & certa confuſa magis: poſterius autem fiunt ex his nota elemẽta, vt principia nobis diuidentibus.* hæc ille. & tex. 4. *Vnde,* inquit, *ex vniuerſalibus in ſingularia oportet præcedere, totum enim ſecundum ſenſum notius eſt, vniuerſale autem totum quoddam eſt: multa enim comprehendit, vt partes vniuerſales.* hæc ille. & patet expresè ex litera Ariſtotelis quomodo de vniuerſali loquitur. Et expreſſiùs Commentator ibi: *Cauſa,* inquit, *propter quam fuit neceſſe, vt demonſtrationis huius ſcientiæ fuerint ſigna, & eſt ire de notioribus apud nos ad latentius: oportet etiam nos procedere in doctrina de rebus vniuerſalibus ad particulares, & intendit per vniuerſalia vniuerſaliſſima, quæ poſſunt inueniri in iſtis rebus rerum naturalium, quoniam quantò magis vniuerſale fuerit communius, tantò magis continebit. Et ex hoc ſermone declaratur, quòd intentio huius libri eſt loqui de rebus vniuerſalibus communibus omnibus, quæ conſtituuntur per naturam.* Et parùm infrà. *Oportet,* inquit, *procedere de illo, quod eſt magis commune ad illud, quod eſt magis proprium, quia illud, quod eſt magis commune eſt notius: quemadmodum via demonſtrationis in hac ſcientia per hanc cauſam neceſſe fuit ire de poſterioribus ad priora, incepit dare cauſam, propter quam fuit neceſſe, vt vniuerſale intelligibile vniuerſaliter ſit notius particulari, quod eſt ſub illo.* hæc ille. Patet enim ex iſta litera, qualiter expreſsè vult ipſum vniuerſale, id eſt, naturam communem priùs intelligi, niſi textus Ariſtotelis & ſui Commẽtatoris extorqueatur: nec oportet fugere, quod loquatur ibi de compoſito ex partibus tantùm, quod priùs cognoſcitur confuſè, quàm 44

Nota.

partes,

partes, cùm expreſsè loquatur de vniuerſali, imò facit ſpecialem differentiam inter vniuerſale, & ipſum indiuiduum compoſitum, vt ſuprà patet, commen. 4. *Res*, inquit, *vniuerſales ſunt notiores apud intellectum, quàm particulares, ſcilicet ſpecies, quia vniuerſale aſſimilatur indiuiduo compoſito, & compoſitum eſt notius apud ſenſum*, & parùm infrà: *Vniuerſalia ſunt notiora apud intellectum, quàm propria, vniuerſale enim eſt aliquod vniuerſum, cùm contineat multa*, & parùm infrà. *Et cùm declarauit*, inquit, *quòd vniuerſale aſſimilatur vniuerſo compoſito demonſtrato dedit modum ſimilitudinis, & dixit: vniuerſum enim continet multas ſicut partes: vniuerſale enim continet multas ſpecies, quæ ſunt ſub eo, & ſunt partes rerum compoſitarum indiuidualium*: patet ergo, quomodo intellectus intelligit vniuerſale, accipiendo ipſum vniuerſale non pro conceptu in mente, ſiuè pro quodam idolo voluntariè fabricato, ſed pro communi ex natura rei, primùm enim intellectus intelligit hominem in communi, & hæc eſt mens expreſsè Ariſtotel. *primo phyſicorum tex. commen. 5.* vbi comparat definitum, & definitionem ad compoſitum reſpectu partium componentium. *Suſtinent*, inquit, *idem quemadmodum hæc & nomina ad rationem, id eſt, definitum, ad definitionem: totum enim quodammodo, & indiſtinctè ſignificat, vt puta circulus deffinitio, aut ipſius diuidit in ſingularia*: hæc ille, & Commentator, cõmento 5. exponendo Ariſtotelem ſecundùm ſuam translationem: *Sunt*, inquit, *tres modi compoſitionis, ſcilicet compoſitio ſpeciei ex ſuis cauſis, & compoſitio generis ex ſpeciebus, & vtraque iſtarum compoſitionum eſt notior apud intellectum, quàm partes: tertia autem compoſitio eſt compoſitio indiuidui ex ſuis partibus, quæ ſunt ſecundùm ſui qualitatem: & iſta compoſitio eſt notior apud ſenſum, quàm partes.* hæc ille.

Tres modi cõpoſitionis.

45. Et ideò Ariſtoteles per exemplum oſtendit, quòd vniuerſale priùs cognoſcatur ab intellectu noſtro ſuprà tex. 5. *Pueri*, inquit, *primùm appellant omnes viros patres, & fœminas matres, poſteriùs autem determinant horum vnumquodque*, hæc ille: & ſecundùm aliam translationem, quæ eſt Commentator. *& puer exiſtimat in principio omnem virum; quem videt eſſe patrem eius, & omnem mulierem, quam videt matrem eius, deinde in poſtremo diſtinguit, & determinat vtrumque.* hæc ibi. Hic autem tex. non poteſt exponi niſi de communi, vnde Commentator ad literam ſic dicit; *& cùm declarauit*, ſupplè Ariſtot. *quòd cõmune eſt notius apud nos proprio, quemadmodum compoſitum eſt notius ſimplicibus ſuis, dedit teſtimonium ſuper hoc, & dixit, & puer exiſtimat, &c. id eſt, ſignum eius, quòd commune eſt notius apud nos naturaliter, quam proprium eſt, quia videmus comprehenſionem communem præcedere tempore in infantibus propriã comprehenſionem. Infans enim in principio comprehenſionis exiſtimat omnem virum eſſe patrem, & omnem mulierem eſſe matrem, & cùm vigoratur intellectus ſuus, cognoſcit patrem inter cæteros viros, & matrem inter cæteras mulieres.* Hæc ille. Ex his auctoritatibus, & multis aliis tam Philoſophi, quàm Commentatoris quæ poſſet adduci, patet expreſsè, quomodo apud intellectum vniuerſale ſit priùs notum, & quomodo loquantur de vniuerſali ex natura rei, cui nata eſt applicari ſecunda intentio vniuerſalis, & non loquuntur primò de ipſo conceptu, ſiuè idolo voluntariè fabricato; non enim pueri, cùm iudicant omnes viros patres, cognoſcunt tunc per intellectum ipſum ſingulare ſub ratione ſingularis, ſed quoddam commune, quod commune non ponitur conceptus communis, ſic ad libirum fabricatus, ſed cognoſcunt commune ex natura rei. Multæ aliæ rationes poſſent addi, quas ne prolixior videar, omitto.

Commune eſt notius proprio.

Quomodo vniuerſale ſit priùs notum.

Ad reſponſionem quarti argumenti, quod erat de vnitate minori vnitate numerali, cùm dicit, quòd nulla eſt vnitas naturæ exiſtentis in iſto lapide, quæ primò ſit iſtius lapidis, diſtinguendo tamen de vnitate, primò ſecundùm quòd denominat præcisè aliquod vnum, & non plura, nec vnum in comparatione ad aliud diſtinctum realiter, & ſic omnis vnitas realis eſt numeralis. Secundò, ſecundùm quod denominat plura, vel vnum in comparatione ad aliud diſtinctum realiter, & iſto modo vnitas ſpecifica denominat ipſum Socratem, & Platonem, & vnitas generis denominat iſtum hominem, & iſtum aſinum, non aliquod quocunque modo diſtinctum ab ipſis indiuiduis, ſed denominat immediatè ipſa indiuidua. Quamuis hæc reſponſio parùm, vel nihil variet à reſponſionibus, quas dedit ad primas tres rationes, ideò faciliter improbari poteſt ex his; quæ ſuprà dixi, videtur tamen valde abſurdum, quòd Franciſcus, & Brunellus ſint idem genere, ita quòd vnitas generica dicatur de illis, & non habeant aliquam conuenientiam ex natura rei, ſecundùm quam magis dicantur vnum genere, quàm Franciſcus: & hæc albedo, quæ ponuntur ſimpliciter diuerſa genere, niſi dicatur, quòd Franciſcus, & Brunellus magis conueniunt in conceptu fabricato, &c. Sed hoc patet expreſsè falſum, Tum, quia talis conuenientia eſſet tantùm per aliquod accidens commune eis, immò tantùm per accidens rationis. Tum, quia idem conceptus poſſet fabricari reſpectu Franciſci, & albedinis, & ſic Franciſcus, & albedo ita eſſent idem genere, ſicut Franciſcus, & Brunellus. Si dicatur, quòd intellectus non poteſt fabricare conceptum genericum reſpectu Franciſci, & albedinis, quia non ſunt nata conuenire in aliquo genere, & tunc quæro, quare Franciſcus, & Brunellus magis conueniunt in genere, oportet dicere, quòd quia realiter Franciſcus, & Brunellus conueniunt in aliquo ex natura rei, quod eſt commune eis, ſecundùm quòd dicuntur eſſe in genere, & quia Franciſcus, & albedo non habent aliquod commune ex natura rei, à quo accipi poſſit ratio generis, ideò non dicuntur conuenire in aliquo genere.

46. *Confutatio reſponſionis ad quartum argumentum Scoti.*

Nunc iſte Doctor quærit ſoluere rationes ſpeciales Doctoris, quas facit probando, quòd detur vnitas ex natura rei minor vnitate numerali: patet quòd humanitas ex natura rei dicit vnitatem minorem vnitate numerali, quæ vnitas minor neceſſe eſt quòd ſit vnitas alicuius communis. Cùm ergo dicitur ad primam rationem fundatam ſuper auctoritate Philoſophi. 10. *Metaph. tex. commen.* 7. quòd in omni genere eſt vnum primum, &c. dicit quòd auctoritas debet ſic intelligi, quòd in omni genere eſt aliquid, quod eſt menſura omnium aliorum ſpecie diſtinctorum, & iſto modo ſunt plura, quorum quodlibet eſt menſura omnium aliorum ſpecie diſtinctorum, & quodlibet illorum eſt vnum vnitate numerali, &c.

47. *Confutatio reſponſionũ Ocham ad illa, quibus Doct. probat falſitatẽ cõſequentis.*

Quomodo ſit intelligenda authoritas Ariſt.

&c. Iſta expoſitio videtur extorquere textum Ariſtotelis, qui expreſsè vult, quòd vnitas ſpecifica, ſiue natura vna vnitate ſpecifica ſit verè menſura perfectionalis omnium contentorum in illo genere, vt patet intuenti textum Ariſtotelis & cõmentum ſui Commentatoris. Et quòd vnum numero, puta in genere animalis, non dicatur menſura aliarum ſpecierum, niſi ſecundùm rationem communem ex natura rei, ſic deduco: & accipio Franciſcum; aut enim Franciſcus eſt præcisè menſura aliarum ſpecierum; aut quodlibet indiuiduum per ſe ſumptum: non primò, cùm non ſit maior ratio de vno, quàm de alio. Si ſecundò, tunc ſic, aut cuilibet competit eſſe menſura per ſe, aut per accidens: non per accidens; patet, quia tunc & menſurata eſſent per accidens. Si per ſe, tunc habeo intentum, quia quod conuenit pluribus indiuiduis, conuenit per rationem alicuius communis, vt patet primo Poſteriorum, vbi vult, quòd ſi aliqua paſſio conuenit pluribus, quòd conueniat eis per rationem alicuius communis, cui primò conuenit. Et tunc quæro de ratione illa communi, aut eſt realis, & tunc habetur intentum; aut eſt conceptus fabricatus tantùm per intellectum, & tunc in genere non erit menſura ex natura rei, quod eſt contra Philoſophum, vbi ſuprà. Et vltrà, menſura iſta poſita ab Ariſtotele ex natura rei eſt notior, & perfectior ipſo menſurato, ſed conceptus rationis nõ poteſt dici perfectior, & notior ex ſua ratione.

Mẽſura quomodo ſit perfectior menſurato.

48. Secundò arguo ſic: Si quodlibet indiuiduum hominis eſt realiter menſura aliarum ſpecierum animalis, quæro an ſit menſura inquantum actu exiſtens, & inquantùm præcisè vnum numero, aut inquantùm includit naturam aliquo modo priorem ſingularitate. Si primò, ergo menſura erit tantùm per accidens. cùm accidat ſibi exiſtere, & vltrà talis menſura erit continuè variabilis, ſecundùm quod aliud, & aliud indiuiduum hominis ſuccedit. Et ideò vltrà habebitur determinata menſura in genere animalis propter variationem indiuiduorum, & ſic nihil eſſentialiter, & per ſe, vt ly *per ſe* accipitur primo Poſteriorum, erit menſura in aliquo genere, quæ omnia videntur abſurda apud Ariſtotelem. Si ſecundò modo, quodlibet indiuiduum hominis ſupple menſurat ſecundum aliquam naturam priorem ſingularitatem, habetur intentum, quia illa ex natura rei habebit vnitatem minorem vnitate numerali.

Primo poſt. contex. 9.

Tertiò arguo ſic: Prædicamenta vt poſita ab Ariſtotele aut ſunt neceſſaria, perpetua, & incorruptibilia; aut ſunt tantùm contingentia: non ſecundo modo, quia illa, quæ per ſe ponuntur in genere non videntur continuè variari, cùm per ſe non ponantur in genere, inquantùm actu exiſtunt, ſed vt abſtrahunt ab exiſtentia. Si primo modo habetur intentum, quia tunc quæro, aut ponuntur tantùm per opus intellectus, & ſic nulla erit menſura ex natura rei, nec aliquid habens rationem menſuræ, vel menſurati, cùm vnum ens rationis non ſit perfectius alio: modò menſura, quæ ponitur hîc ab Ariſtotele eſt eſſentialiter perfectior menſurato. Aut ponuntur habere *eſſe* præter opus intellectus, & tunc ſi quodlibet indiuiduum hominis erit per ſe menſura aliarum ſpecierum, hoc erit per rationem alicuius communis ex natura rei incluſi in quolibet eorum.

Ens rationis non eſt perfectius alio.

Quartò principaliter, & efficaciùs arguo, præ-

49. ſupponendo aliqua. Primò, quòd menſuratum in propoſito eſſentialiter dependet à menſura, quia inter menſuratum perfectionaliter, & menſuram perfectionalem ex natura rei ſemper eſt ordo eſſentialis, ſcilicet imperfectioris eſſentialiter ad perfectius eſſentialiter. Hinc eſt, quòd Ariſtoteles vult *in tertio Metaph. tex. comm.* 11. quòd in indiuiduis vnius ſpeciei non ſit ordo eſſentialis, ſic quòd dicatur vnum eſſentialiter perfectius alio. *In indiuiduis*, inquit, *non eſt hoc prius, & illud poſterius, amplius vbi hoc quidem melius, illud verò vilius, ſemper quidem eſt melius prius*, hæc ille. Secundo ſuppono, quòd eſt ſimpliciter impoſſibile in quocunque genere aliquid idem ſimul dependere eſſentialiter ad plura, quorum quodlibet ſit totalis terminus dependentiæ: patet, quia idem effectus numero non poteſt dependere à duabus cauſis effectiuis totalibus, nec à duabus materiis totalibus, nec ordinari ad duos fines vltimos, vt euidenter deducit Doctor. *in primo diſt.* 2. *par.* 1. nec aliquod imperfectum poteſt dependere æquè primò à duobus æquè perfectis, quia poſito vno dependeret ab illo, vt menſuratum à menſura, & alio circumſcripto non dependeret in ratione menſurati, cum eius menſura eſſet circumſcripta, & ſic ſimul dependeret, & non dependeret. His præmiſſis, infero propoſitum, ſi quodlibet indiuiduum hominis per ſe ſumptum ſit realiter menſura perfectionalis perfectè aliarum ſpecierum, ſequitur, quòd idem numero per ſe, & primò poterit eſſe menſuratum perfectionaliter à centum menſuris æquè perfectis, & ſic eſſentialiter dependere à centum menſuris æquè perfectis, & ſic poſita vna menſura perfecta, ponitur & menſuratum, & alia circumſcripta non erit menſuratum, & ſic idem ſimul erit, & non erit. Multæ aliæ rationes poſſent adduci pro opinione Ariſtotelis; quòd ipſe intelligat in vnoquoque genere tantùm de menſura habente ex natura rei vnitatem minorem vnitate numerali, loquendo de mẽſura primò, & per ſe, ſed iſtę rationes pro nunc ſufficiant. Et quod addit iſte, exponendo propoſitionem Philoſophi, quòd Philoſophus principaliter loquitur de illis, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei; & de illis, quæ habent indiuidua, quorum aliqua ſunt maiora, & aliqua minora, & vult, quòd illud, quod eſt maius aliis ſit menſura aliorum, non tamen omnium indiuiduorum illius ſpeciei, ſed tantùm illorum, quæ non ſunt ita parua, &c. Sed iſta expoſitio eſt ita expreſsè contra intentionem Ariſtotelis & Commentatoris & verba ipſius, vt patet intuenti textum Ariſtotel. quòd non oportet eam aliter improbare.

Effectus non poſſunt depẽdere à duabus cauſis.

Ad ſecundam reſponſionem, quam dat ad ſecundam rationem Doctoris. Cùm dicit, quòd in ſpecie atoma non ſit comparatio, ſed propter hoc ſolum ſit comparatio, quia plura indiuidua eiuſdem ſpeciei poſſunt facere vnum indiuiduum, & ideò vbi multa indiſtincta loco, & ſubiecto poſſunt faeere vnum, ibi ponenda eſt talis comparatio, & non alibi, & ſic dicitur hoc album eſſe albius albo, quia habet plures partes albedinis in eodem ſubiecto primo.

50. Contra quam expoſitionem dico primò hoc eſſe contra textum Ariſt. vt patet 7. *Phyſicorum, tex. commen.* 29. *Dico*, inquit, *ſicut color habet diuiſionem, non ergo comparabile eſt ſecundum hoc, vt vitrum coloratum magis ſit album, quàm nigrum, hoc enim non comparatum ſecundum aliquem colorem, ſed inquãtum eſt color. ſed ſecundum albedinem,*

Confutatio reſponſionis Gul. Ocham ad rationem Doct.

albedinem, hæc ille. Et Comment. commen. 29. *Quoniam*, inquit, *color non coniungitur cum colore, ſecundùm quòd eſt color, quoniam color diuiditur per differentias attributas colori diuiſiuas, & iſtæ differentiæ ſunt diuerſæ ſecundùm formas, & ſubiectum, niſi comparatio cadat inter illa duo in eadem ſpecie coloris, quoniam in iſtis poteſt eſſe comparatio, & coniunctio, verbi gratia, in duobus albis, quoniam poſſibile eſt dicere alterum eſſe albius reliquo, aut ſimiliter*, hæc ille. Ex quo patet expreſsè, quòd iſta comparatio ſit inter aliqua duo, quæ conueniunt in aliqua natura ſpecifica, ſecundùm quam comparantur ad inuicem magis, vel minus participando.

Prætereà, ratione inſto contra hanc expoſitionem, quia non ſufficit dicere, hoc eſt albius illo, quia habet plures partes albedinis, niſi vtrũque conueniat in albedine, participando eam plus, & minùs. Si enim dicimus *A* eſt albius *B*. certum eſt quòd *A*. & *B*. conueniunt in albedine, licet *A*. plus, & *B*. minus, & tunc quæro in qua albedine conueniunt, non in albedine ſingulari, quia tunc duo ſingularia participarent vnum, & idem ſingulare ſecundùm magis, & minùs. Sequitur ergo, quòd ſi realiter comparantur in albedine, & non in albedine ſingulari, cùm ibi nulla ſit comparatio, quòd erit albedo ex natura rei, habens vnitatem ſpecificam, & minorem vnitate numerali.

In genere nõ ſit cõparatio.

51. Prætereà quæro, cur Ariſtoteles præmiſit vbi ſuprà, quòd quia in genere latent æquiuocationes, ideò in genere non fit comparatio, aut vult Ariſtotel. quòd in genere lateant æquiuocationes ex natura rei, aut tantùm per opus intellectus: non ſecundò, vt patet, quia in conceptu generico non ſunt huiuſmodi æquiuocationes, cùm æqualiter dicatur de omnibus ſpeciebus. Si primo modo, quæro quomodo ſunt æquiuocationes ex natura rei, aut hoc ideò eſt, quia vnum indiuiduum eſſentialiter eſt perfectius alio, aut quia in genere ſunt plures naturæ ſpecificæ, inter quas eſt ordo eſſentialis, ita quòd vna eſt eſſentialiter perfectior alia. Si primò, ergo ſequitur quòd in indiuiduo tantùm fiat comparatio, cùm Ariſtoteles velit, vbi ſuprà, quòd in genere non ſint comparationes propter rationem ſuperiùs dictã, ſed inter aliqua, inter quæ non eſt ordo eſſentialis, cuiuſmodi ſunt indiuidua eiuſdem ſpeciei, vt patet *tertio Metaph. tex. commen.* 11. modò vnum indiuiduum non poteſt eſſe ratio formalis, quare duo indiuidua ex natura rei comparentur ad inuicem ſecundùm magis, & minùs, vel ſecundùm ſimiliter ſe habere: oportet ergo dicere, quòd in natura, in qua cõueniunt indiuidua eiuſdem ſpeciei, fiat talis comparatio ex natura rei, aliter nec ad mentem Ariſtotelis, nec ſui Commentatoris concluderet propoſitum.

Prætereà, Si comparatio ex hoc ſolo dicitur fieri, puta in albedine, quia vnum indiuiduum albedinis habet plures partes, & ideò albius, ita ſequeretur quòd poſſet fieri comparatio in genere, quia ita benè vnũ coloratum poteſt habere plures partes coloris, & ſic vnum erit magis coloratum quàm aliud: oportet ergo aſſignare differentiam, quare primum conceditur, ſcilicet quòd habens plures partes albedinis ſit albius, & ſecũdum negatur, ſcilicet quòd habens plures partes coloris ſit coloratius, nulla ratio differentiæ aſſignari poteſt, niſi quia duo alba ex natura rei, nata ſunt conuenire in albedine habente vnitatem minorem vnitate numerali, in cuius indiuiduis non poteſt eſſe ordo eſſentialis, cùm albedo eſſentialiter ita perfectè ſit in vno, ſicut in alio, in qua tamen dantur gradus perfectionales, non ſpecifici, ſecundùm quos vnum magis dicitur album alio, & ſic patet quomodo reſponſio ad rationem Doctoris nihil concludit.

52. Ad reſponſionem tertiæ rationis, quæ erat de fundamento ſimilitudinis, & æqualitatis, &c. Cùm dicit, quòd ponendo *ſimilitudinem* relationem diſtinctam realiter ab extremis, quòd ſunt hîc duæ ſimilitudines habentes duo fundamenta realia, quorum vtrumque eſt vnum numero, & ideò illud vnum non eſt ratio ſimilitudinem fundandi eiuſdem ad ſe, ſed eſt ratio ſimilitudinem fundandi ad aliud. Dico quòd hæc reſponſio nullo modo ſtare poteſt, nec eſt ad mẽtem Ariſtotelis: & accipio duo alba, quæ naturaliter fundant duas ſimilitudines, & quæro tunc de ratione formali fundandi ſimilitudinem, videlicet quæro quid ſit illud in duobus albis, propter quod vnum realiter dicitur ſimile alteri. Si dicatur vt dicit, quòd album *A*. eſt ratio fundandi ſimilitudinem ad aliud, puta ad *B*. & album *B*. eſt ratio fundandi ſimilitudinem ad *A*. & tunc quæro, quare magis *A*. eſt ratio fundandi ſimilitudinem ad *B*. quàm ad alium colorem, puta ad rubeum, nulla videtur poſſe aſſignari ratio, niſi quia album *A*. realiter conuenit in aliquo, ſecundùm quòd dicitur ſimile albo *B*. & illud tale non poteſt eſſe, niſi vnitas ſpecifica albedinis, in qua *A*. & *B*. naturaliter conueniunt. Si enim Ariſtotel. vult, quòd ſimilitudo fundetur ſuper *vno*, quòd ſit ratio, quòd *A*. & *B*. realiter ſint ſimilia, illud vnũ nõ poteſt aſſignari pro vno numero, ſed pro vno habẽte vnitatẽ ſpecificã ex natura rei, aliter non dicerẽtur ſimiles ex natura rei,

Improbatio reſponſionis Ochã ad tertium argumentum Scoti.

Præterea, quod ex ſe eſt tale, quòd eſt ſimpliciter ratio diſtinguendi vnum ab altero, nullo modo eſt ratio fundandi ſimilitudinem: patet iſta, quia quod eſt ratio fundandi ſimilitudinem ad aliud, eſt ratio conuenientiæ illorum ad inuicem; ſed quodlibet ſingulare eſt ſimpliciter ratio diſtinguendi à quolibet alio ſingulari, vt patet: ergo nullum ſingulare, vt huiuſmodi, eſt ratio realis conuenientiæ inter ſe, & aliud ſingulare, nec etiã inter quæcunque alia ſingularia: ergo nullum ſingulare eſt ratio fundandi ſimilitudinem: dicere ergo quòd ſingulare *A*. eſt ratio fundandi ſimilitudinem ad ſingulare *B*. eſt dicere, quòd illud eſt præcisè ratio diſtinguendi vnum ab altero, & ſit ratio realis conuenientiæ illorum ad inuicem, quod non eſt intelligibile.

53. Prætereà, quodlibet ſingulare dicit indiuiſionem à ſe, & diuiſionem à quolibet alio, quod nõ eſt ipſum: tunc quæro, ſi *A*. eſt indiuiſum à ſe numeraliter, & diuiſum à quolibet alio, ita quòd ſit præcisè ratio ſingularitatis negatio diuiſionis à ſe, & negatio identitatis à quolibet alio, vt multi ponunt; aut ratio ſingularitatis ſit quædam entitas poſitiua, quæ eſt ſimpliciter ratio diſtinguẽdi numeraliter vnum ab altero? tunc quæro, cùm *A*. eſt ſimile *B*. quid ſit ratio fundandi ſimilitudinem in *A*. ad ipſum *B*? ſi dicis, quòd eſt ipſum ſingulare, puta *A*. quæro ſecundùm quam rationem? aut ſub illa ratione, quâ eſt indiuiſum à ſe, & diuiſum à quolibet alio: & tunc duplex negatio erit ratio fundandi ſimilitudinem, & vltrà, illud quòd nullo modo eſt ratio conueniendi, eſſet ratio fundandi ſimilitudinem, quæ

Quomodo ſingulare dicat inaiuiſionem.

ſunt

ſunt abſurda; aut *A* eſt ratio fundandi ſimilitudinem, inquantum eſt quid poſitiuum, quòd eſt ſimpliciter ratio conſtituendi aliquid in *eſſe* indiduali, & diſtinguendi illud à quolibet alio, quod non eſt ipſum: & tunc illud, quod eſt magis ratio fundandi diſſimilitudinem, erit ratio fandandi ſimilitudinem: nam vt eſt ratio ſimpliciter diſtinguendi vnum ab altero, videtur ratio fundãdi diſſimilitudinem, & diſconuenientiam, vt etiam patet per Ariſtotel. *quinto Metaphyſicorum, tex. commen.* 10. vbi vult, quòd *ſimile* fundetur ſuper *vnum*, ſupple, quod eſt ratio conueniendi plura ad inuicem, & *diſſimilitudo* fundetur ſuper *plura*, quæ ſunt ratio diſconueniendi ad inuicem; aut *A* eſt ratio fundandi ſimilidinem ad *B.* vt includit aliquid ex natura rei, quod eſt ſimpliciter ratio conueniendi *A* cum *B.* tunc habetur propoſitum, quia illud tale erit vnum ex natura rei, habens vnitatem minorem vnitate numerali. Et quòd dicit iſte, quòd illa eſt intentio Ariſtotelis, ſcilicet quòd ſimile fundetur ſuper vno numero, modo præexpoſito, quia poſtquam dixit, quomodo *ſimile*, *idem*, & *æquale* dicuntur ſecundùm *vnum*, poſtea ſubdit: *vnum, aut numero principium & metrum*: ergo non intelligit de aliqua vnitate alicuius, quod non eſt vnum numero. Sed hæc expoſitio, nec eſt ad mentem Ariſtotelis nec verba Ariſtotelis hoc dicunt, dicit enim ſic: *Et amplius æquale, & ſimile, & idem ſecundùm alium modum: ſecundùm enim vnum dicuntur omnia; eadem namque quorum vna eſt ſubſtantia; ſimilia verò ſunt, quorum qualitas eſt vna: æqualia, quorum quantitas eſt vna; vnum autem numeri principium eſt, & metrum, quare hæc omnia ad aliquid dicuntur ſecundùm numerum quidem, non tamen eodem modo.* Hæc illæ. Vbi expreſsè patet, quòd non accipit ibi *vnum* numero, ſed accipit ibi *vnum*, vt eſt metrum, & principium numeri; id eſt, vt *vnum* eſt menſura, & principium numeri, & ideò infert, *quare hæc omnia dicuntur ad aliquid ſecundùm numerum*, id eſt, ſecundùm aliquid pertinẽs ad genus numeri, ſed nõ eodem modo, quia primæ relationes erant ſecundùm numerum comparatum ad vnum, vel ad numerũ, iſtæ autem ſunt ſimpliciter ſecũdùm vnum. Nam in re ſunt eædem relationes, ſed vt altero loco ponuntur, comparantur ad vnum ſimpliciter, & vide textum, & Commentatorem ibid.

Simile vbi fundetur.

Ad quartam reſponſionem, quæ eſt ad quartam rationem Doctoris, quæ fundatur ſuper hoc, quòd vnius oppoſitionis realis ſunt duo extrema realia, cùm dicit, qaòd loquendo de oppoſitione reali in re, puta de oppoſitione contraria, quòd non ſunt tantùm duo extrema oppoſitionis realis, ſed ſi ſint multæ oppoſitiones reales: vnde hæc albedo, & hæc nigredo opponuntur realiter: ſimiliter illa albedo, & illa nigredo opponuntur realiter, & de iſtis eſt præcisè verum, quòd vnum contrariorum corrumpit reliquum, & vtrumque illorum eſt vnum numero.

§ 4.

Improbatio reſponſionis ad quartum argumentum Scoti.

Contra hanc reſponſionem inſto, præſupponendo aliqua.

Primò, oppoſitio contrariorum eſt oppoſitio verè realis, quia vnum oppoſitum realiter deſtruit aliud, quod non eſſet, niſi inter illa eſſet realis oppoſitio.

Secundò præſuppono, quòd inter extrema oppoſitionis realis eſt talis adæquatio, quòd vnum extremum ſic realiter adæquatur alteri, quòd ſicut vnum contentum ſub vno extremo natum eſt corrumpi ab alio contento alterius extremi, ita quodlibet contentum primi extremi, quod eſt eiuſdem rationis cum illo, quod eſt natum corrumpi, natum eſt corrumpi non tantùm ab vno contento ſub alio extremo, ſed à quolibet contento ſub illo extremo, quod eſt eiuſdem rationis, & intentionis: exempli gratia, ſint duo extrema contrarietatis, quæ dicantur *A* & *B.* ſub *A* contineantur mille caliditates intenſæ vt quatuor, & ſub *B.* mille frigiditates intenſæ in proportione dupla: & tunc dico, quòd ſicut vna caliditas numero contenta ſub *A.* nata eſt corrumpi ab vna frigiditate contenta ſub *B.* ita quælibet alia caliditas contenta ſub *A.* cùm ſit eiuſdem rationis, & intenſionis cum prima nata eſt corrumpi ab illa frigiditate. Et ſimiliter dico, quòd ſi vna frigiditas contenta ſub *B.* nata eſt ex ſe corrumpere omnem caliditatem contentam ſub *A.* ſucceſſiuè tamen: ita quælibet frigiditas contenta ſub *B.* cùm ſint ſimpliciter eiuſdem rationis, & intentionis, nata eſt corrumpere quamlibet caliditatem ſub *A.* & ſic patet quòd vna frigiditas præcisè non opponitur vni caliditati, immò opponitur omnibus eiuſdem rationis, & intenſionis cum prima, etiam ſi eſſent infinitæ. Oportet ergo, quòd extrema contrarietatis, ſiue vnius oppoſitionis realis, ſint cõmunia, ita quòd vnum extremum contrarietatis adæquatè præcisè opponatur alteri extremo, ſic quòd album præcisè opponitur nigro, & calidum præcisè opponitur contrariè frigido.

55.

§ 6.

Si ergo datur vna oppoſitio realis, quæ ſit præcisè inter duo contraria, quodlibet extremum talis contrarietatis erit vnum ex natura rei, vnitate minore vnitate numerali, aliter non poſſet aſſignari vna prima contrarietas. Si enim quæratur, quid contrariatur primæ caliditati? oportet dicere, quòd frigiditas ſibi primò contrariatur; & tunc quæro, aut eſt vna numero; aut plura numero. Si primò, ergo vnum numero erit præcisè extremum contrarietatis realis, & ſic caliditas nõ poſſet deſtrui, niſi ab vna frigiditate ſingulari, quod eſt falſum. Si ſecundò, ergo erunt plures contrarietates primæ, & ſic ſub vno genere non poterit aſſignari vna prima contrarietas. Sequitur ergo, quòd ſi ſub vno genere, puta ſub colore, ſit vna contrarietas prima ex natura rei, cuius extrema adæquatè, & præcisè opponuntur ſic, quòd vnum extremum tantùm vni opponatur, & è contra, oportet dicere, quòd quodlibet extremum contrarietatis primæ, ſit vnum ex natura rei vnitate minore vnitate numerali. Nec valet dicere, quòd vnitas illa minor eſt tantùm vnitas conceptus, vt cùm dico, albedo in communi adæquatè contrariatur nigredini, ſi *albedo* accipitur pro concepcu mentis, & *nigredo* pro alio concepcu, tunc in genere coloris non erit danda aliqua prima contrarietas ex natura rei: patet, quia conceptus albedinis, & conceptus nigredinis nullo modo opponuntur cùm ſint ſimul in eodem intellectu. Nec ſufficit dicere, quòd ab iſta albedine, & ab illa abſtrahitur conceptus communis, & ſimiliter ab illa nigredine, & ab illa abſtrahitur alius conceptus communis, qui dicuntur prima extrema contrarietatis primæ in genere coloris, hoc non videtur verum. Tum quia, vt dixi, illi conceptus non opponuntur ad inuicem. Tum, quia ſi extrema contrarietatis primæ ex natura rei,

Nota.

non

non ſunt ex natura rei,nec illa,contrarietas prima erit ex natura rei. Nec valet dicere, quòd omnes albedines ſingulares dicuntur vnum extremum primæ contrarietatis pro quanto conueniunt in albedine in communi, quia tunc quæro, aut illa albedo in communi accipitur pro albedine ex natura rei,& tunc habetur propoſitum, quia illa primò,& per ſe contrariatur nigredini,ſingulares verò albedines per ſe, & non primò contrariantur nigredini.Aut albedo,in qua conueniunt, accipitur tantùm pro conceptu mentis,& tunc contrà arguatur,vt priùs.

57. Præterea,omnes albedines realiter contrariantur nigredini,quæro tunc,quæ ſit ratio contrarietatis?aut eſt ſingularitas in albedine;aut eſt albedo,in qua ponitur talis ſingularitas. Si primò, tunc inter illa, quæ ſunt eiuſdem rationis, eſſet contrarietas,omnes enim ſingularitates,vt ſic,videntur ſimpliciter eſſe eiuſdem rationis.Si ſecundò,habetur propoſitum, quia ipſa natura albedinis, quæ includitur in omni albedine ſingulari, erit vna ex natura rei vnitate ſpecifica.

Præterea, omnes albedines ſingulares opponuntur contrariè nigredini: tunc quæro,aut hoc conuenit eis per ſe, aut per accidens? Non ſecundò, quia tunc nullum contrarium per ſe opponeretur alteri. Si primò, habetur propoſitum, quia quod conuenit pluribus ſingularibus per ſe ex natura rei, conuenit eis per rationem alicuius communis ex natura rei, primo Poſteriorum.

Quid ſit obiectum ſenſus. Ad quintam reſponſionem datam ad illam rationem de obiecto ſenſus, qua probat Doctor quòd obiectum ſenſus ſit aliquod vnum ex natura rei,minoris vnitatis, quàm vnitas numeralis. Cùm dicit iſte, quòd quando ſenſus, puta viſus, percipit aliquod ſenſibile, percipit illud vt eſt tantùm vnum numero:& dicit ex hoc non ſequi, quòd poſſit diſcernere illud à quolibet alio, ponens differentiam inter cognitionem apprehenſiuam,& diſcretiuam : quia plus requiritur ad diſcretiuam, quia cognitio diſcretiua in actu nunquam eſt,niſi reſpectu diſtinctorum.Sed hæc reſponſio magis videtur fugere argumentum, quàm ſoluere:certum eſt enim, quòd ſi cognoſco *A* diſtinctè, & ſub propria ratione, qua eſt *A*, quòd cognoſco ipſum, vt eſt actu diſtinctum à quolibet alio;hoc patet, quia ſicut *A* ſub ſua ratione formali acceptum diſtinguitur à quolibet alio, ita cognoſcens *A*,ſub tali ratione diſtincta,diſtinguit illud à quolibet : ſcit enim de facto, quòd non eſt realiter, nec eſſentialiter illud,imò videtur oppoſitio in adiecto,cognoſcere *A* diſtinctè, & ſub propria vnitate,& non cognoſcere illud vt diſtinctum à quolibet alio, quod non eſt ipſum. Nec valet dicere, quòd cognitio diſcretiua in actu eſt tantùm reſpectu diſtinctorum, quia & ſi hoc verum ſit, tamen nihil ad *B*, quia cognoſcens diſtinctè *A* & diſtinctè *B* ſtatim cognoſcit *A* non eſſe *B*;verum eſt enim,quòd prior eſt apprehenſio diſtincta terminorum, quàm ſit apprehenſio diſcretiua:prima enim terminatur ad terminum ſub ratione abſoluta:ſecunda terminatur ad terminum, comparando ad alium in ratione diſtincti:ſed ex hoc non ſequitur poſtea,quòd potentia cognoſcens diſtinctè *A* & *B*,quin etiam cognoſcat diſtinctè *A* non eſſe *B*. Et quod addit, quòd ad hoc, vt cognoſcatur *A*, diſtingui à *B*. non ſufficit, quòd diſtinctè apprehendatur *A* & *B* niſi *A* & *B* ſint diſſimilia loco,& ſitu, &c. Et hoc eſt verum, quando ſubiecta talia apprehenſa nata ſunt facere vnum per ſe, ſicut de qualitatibus ſenſibilibus.

Sed hîc multa dicit, quæ videntur repugnare, 58.
dicere enim, quòd cognoſcens *A* & *B* diſtinctè, & ſub rationibus diſtinctis,non diſtinguit *A* & *B*, niſi *A*,& *B* ſint diſſimilia loco,& ſitu,&c.quia ſequeretur,quòd cognitio diſtincta *A* non eſſet diſtincta,quia cognoſcẽs diſtincta *A* ſcit ipsũ diſtinctè cognoſcere à quolibet alio:pono modò casũ, quòd *A* & *B* verè differant numeraliter, ſint tamen ſimilia reſpectu loci, ſitus, figuræ, & huiuſmodi. Tunc quæro, aut apprehendit *A* in ſe, & abſolutè, aut apprehendit inquantùm eſt in tali loco,ſitu,& figura ? ſi primò, cùm talis cognitio ſit per ſe, cùm terminetur ad obiectum per ſe, tunc cognoſcit illud vt diſtinctum à quolibet alio,& ſic locus,ſitus, & figura nihil obſtant ; aut cognoſcit *A* vt ſub tali loco, vel figura,&c. adhuc diſtinguo ; aut talis cognitio præcisè terminatur ad figuram,& locum,& ſitum,aut terminatur ad *A* vt ſub tàli loco, & ſitu. Si primò,tunc quæro,quando *A* & *B* ſunt ſimilia in loco,& ſitu,aut ſunt præcisè in eodem ſitu,figura, & loco, &c.quod non videtur poſſibile naturaliter;aut *A* & *B* dicuntur eſſe in alio,& alio loco, ſitu, & figura,ſimilibus tamen.Si ponitur vnus,& idem locus,& ſitus numero,tunc tantùm apprehendit ſitum, & locum, & nullo modo apprehendit *A*, quod eſt manifeſtè falſum.Si apprehendit alium ſitum,& alium ſitum,licèt ſimiles,adhuc habetur intentum, quia ſi cognoſcit *A* ſub tali ſitu, cognoſcit ipſum diſtinctè, & ipſum diſtinguit à quolibet alio,& ſitu,& figura,&c.Si ſecundò,ſcilicet quòd apprehendit *A* ſub ſitu,&c.adhuc habetur intentum,quia cognoſcens *A* ſub aliquo,& diſtinctè,priùs cognoſcit illud in ſe,& vt ſic, diſtinguitur à quolibet alio:quamuis ergo non cognoſcat *A* vt diſtinctum à *B* in ratione ſitus, vel figuræ,nõ ſequitur,quin cognoſcat *A* in ſe abſolutè conſideratũ,vt diſtinctũ à *B*. Similiter quod dicit de qualitatibus ſenſibilibus,quòd faciãt vnũ per ſe cum ſubiectis eorũ, licèt hoc ſit manifeſtè falſum, quia tamen, ſiue ſit verum, ſiue falſum, nihil eſt ad propoſitum,ratio pro nũc omittatur.

Præterea,quod dicit,quòd *A* & *B* non poſſunt 59.
diſcerni propter maximam ſimilitudinem inter illa,hoc videtur omnino repugnare. Et arguo ſic, aut cognoſcit *A* diſtinctè ſub ſua vnitate numerali,quæ eſt vnum numero, & cognoſcit ſimiliter *B*,quamuis inter *A* & *B* ſit maxima ſimilitudo, aut cognoſcit *A* & *B* vt omnino indiſtincta propter eorũ maximã ſimilitudinẽ.Si primò,habetur intentum,quia cognoſcens *A* diſtinctè, vt ſimile *B*,& cognoſcens *B* diſtinctè, vt ſimile *A*,diſtinctè cognoſcit *A* non eſſe *B*.Si ſecundò, ergo ſequitur quòd non cognoſcit *A* diſtinctè, quod eſt contra poſitum.Et præterea,ſi indiſtincte cognoſcit *A* & *B* propter eorũ ſimilitudinẽ,aut cognoſcit *A* & *B* vt ſunt indiſtincta numero, & hoc non, quia tũc illa cognitio eſſet manifeſtè falſa, quia cognoſcit aliqua vt vnũ numero, quæ tamẽ in re ſunt diſtincta numero ; aut cognoſcit indiſtinctè vt plura numero,& adhuc habetur propoſitum, quia tunc cognoſceret vnum non eſſe aliud ; aut tertiò cognoſcit indiſtinctè vt vnum, vnitate minori vnitate numerali, & tunc habetur intentum, quia aliud tale erit aliquod commune ex natura rei,cùm terminet actum ſentiendi.

Quod etiam dicit,ſi tamen ſit potentia intelle-

Tiua,poteſt cognoſcere ipſum eſſe diſtinctum ab omni alio,aliquo tamen certo demonſtrato, non tamen oportet quòd poſſit cognoſcere ipſum eſſe diſtinctum ab omni alio,vel ab hoc, quia aliqua vniuerſalis poteſt ſciri, & tamen multæ ſingulares ignorari. Iſtud dictum videtur ſimpliciter includere repugnantiam; dicere enim quòd aliqua potentia poſſit cognoſcere *A* diſtinctè ab omni alio,& certo dato, non poſſit diſtinguere à quolibet alio,videtur omnimodè repugnantia:& accipio hoc certum,puta *A*,& quæro,an intellectus cognoſcat ipſum diſtinctè,& ſic ſub propria vnitate numerali tantùm ſibi competenti,ſi ſic,tunc aſſignato quocunque alio numeraliter diſtincto ab *A*,de facto ſciet *A*,non eſſe aliquod aſſignatorum, niſi fortè iſte velit inſiſtere tantùm de rigore vocis,vel ſermonis,quod pro nunc ego non curo,quia vbi res conſtat, parum curamus de nominibus. Nec valet dicere, quòd poteſt ſciri aliqua vniuerſalis, & multæ ſingulares ignorari, adhuc hoc eſt manifeſtè falſum, loquendo de cognitione diſtincta, cùm cognitio vniuerſalis ſimpliciter dependeat à cognitione ſingularium inferentium talem vniuerſalem: ſi enim diſtinctè cognoſco omnem albedinem, ſequitur etiam quòd diſtinctè cognoſcam hanc & hanc albedinem, quia cognitio talis vniuerſalis merè dependet à cognitione ſingularium: ergo cum cognitione diſtincta alicuius vniuerſalis non poteſt ſtare ignorantia alicuius particularis,loquendo ſemper de vniuerſali, cuius ſubiectum ſtat confusè mobiliter, vel prædicatum,ſi tale vniuerſale ſit à parte prædicati: vt cùm dico,cognoſco diſtinctè omnem albedinem:ergo cognoſco diſtinctè hãc, & hanc albedinem, quicquid dicant alij de actibus ratiocinatiuis. Et ſimiliter cùm dicit, quòd ſenſus propriè non poteſt cognoſcere ipſum eſſe diſtinctum à quocunque, quia hoc pertinet ad notitiam complexam, qua ſcitur hoc non eſſe hoc. Quicquid ſit de hoc, an ſenſus poſſit habere actum componendi, vel diuidendi pro nunc non curo,ſed quòd ſenſus poſſit comparare vnum ad aliud: in hoc ego non dubito, vt patet à Doctore *in primo, diſt.*45. & vltrà poſito quòd non poſſit comparare, adhuc ſi duo alba numero diſtincta diſtinctè cognoſcantur à tali ſenſu in re,& realiter,ſcit vnum non eſſe aliud, licèt non componat,nec diuidat,nec comparet, & de hoc principaliter loquimur.

Senſus poteſt comparare vnum ad aliud.

61. Et quod adducit quodammodo pro Achille dicens, quòd ſenſus diſcernit magis album à minùs albo, & tunc aut apprehendit aliquod iſtorum per ſe ſub ratione communi, aut ſub ratione ſingularis.Si primò, & in illa cõueniunt:ergo per illam non diſcernit. Si ſecundò habetur propoſitum, quòd apprehendit ſub ratione ſingularis, non quòd iſta intentio ſingularis ſit ratio terminandi, ſed quod illud, quod immediatè denominatur ab hac intentione, ſit immediatè terminans. Reſpondeo, quòd ſenſus, aut cognoſcit diſtinctè minùs album, & tunc concedo quod cognoſcit illud vt diſtinctum à magis albo. Ita quòd ſi cognoſcit illud diſtinctè ſub vnitate numerali ſibi propria, tunc conceditur, quòd apprehendit ſub ratione ſingularis. Si tamen non apprehendit diſtinctè, ſed tantùm confusè, ita quòd confusè ſciat *A* eſſe minùs album, quàm *B* dico, quòd talis apprehenſio terminatur ad album, quod eſt commune vtrique albo,in quo magis album, & minùs album conueniunt, & vt ſic,tale album eſt ratio cognoſcendi vtrumque confusè, non autem eſt ratio cognoſcendi diſtinctè vnum ab alio: cùm nullo modo nec album, nec minùs album, nec magis album diſtinctè ab aliquo ſenſu concipiantur: tamen cum hoc ſtat, quòd cognoſcatur minùs album confusè, vt diſtinctum à magis albo, etiam confusè cognito. Licet enim actus ſentiendi terminetur ad ſingulare,non ſub ratione ſingularitatis, quia ratio terminandi non eſt ſingularitas,ſed natura albedinis;quia tamen talis albedo concipitur in tali ſubiecto,confusè concipitur,vt minùs, vel magis album;nec enim pono albedinem in communi eſſe rationem diſtinguendi minùs album à magis albo;magis enim, & minùs ſecundùm intenſionem gradualem in eadem ſpecie, non ſequitur naturam communem, vt communis eſt, ſed tantùm naturam,vt in ſingulari:non enim album in communi dicitur magis, vel minùs primò, ſed benè hoc album, & tunc cùm cognoſco minùs album,cognoſco vnum ſingulare, confusè tamen, quæ cognitio priùs terminatur ad albedinem,vt albedo eſt, & poſtea terminatur ad albedinem,vt in ſingulari,confusè tamen; nec ſequitur quòd ex hoc cognoſcat vniuerſale, quamuis cognoſcat commune, cùm non cognoſcat illud ſub ratione vniuerſalitatis.

Quod dicit ad confirmationem illam de primo obiecto. Dico,quòd Doctor non habet illam confirmationem pro ratione concludente, prout ipſe dicit. & quod dicit,quòd primum obiectum intellectus primitate generationis eſt vnum primitate numerali.Patet hoc eſſe falſum,per improbationes ſuperiùs factas, adducendo contra eum Ariſtotelem & Commentatorem.

62. *Improbatio reſponſionis.*

Ad ſextam reſponſionem,quæ eſt ad illam rationem Doctoris de vnitate reali, & diuerſitate oppoſita. Cùm dicit iſte, concedendo quòd eo módo, quo omnis vnitas realis eſt numeralis, quòd illo modo omnis diuerſitas realis eſt numeralis,quia diuerſitas ſpecifica eſt numeralis, quia quæ differunt ſpecie,differunt numero, & è contra: quia ad hanc reſponſionem ſequitur quòd omnis diuerſitas numeralis, inquantum numeralis,eſt æqualis,hoc eſt,eiuſdem rationis. Dicit iſte hoc eſſe ſimpliciter impoſſibile, ſcilicet quòd omnis diuerſitas numeralis ſit æqualis.Contrà,& accipio vnum numero,& ſit *A*,aut *A* eſt præcisè entitas illa, qua ſpecie differt à *B*,& conuenit cum *C*,aut eſt præcisè aliquid aliud ab illa entitate, qua numeraliter differt ab omni alio ſingulari.Si primò,tunc habetur intentum, quòd in *A* eſt aliqua entitas, in qua *A* & C,realiter conueniunt,& per quam *A* ſpecie differt à *B*.Si ſecundò,tunc ſequitur, cùm illud ſit ſimpliciter ratio indiuidualis, quòd illa in quocunque ſit eiuſdem rationis;patet,quia nihil per quamcunque ſingularitatem dicitur magis eſſe in vno genere,quàm in alio,nec in vna ſpecie magis, quàm in alia, & per conſequens ſi omnis diuerſitas realis ſit tantùm numeralis, ſtatim ſequitur,quòd omnis talis diuerſitas, inquantùm numeralis ſit ſimpliciter æqualis, & ſic Socrates & Brunellus tantùm numero differunt,quod eſt falſum.Aut ipſum *A* dicit aliquid conſtitutum ex entitate,qua conuenit cum *C*,& differt à *B*.& ex entitate,qua differt à *C*; ergo non ſequitur quòd omnis vnitas realis ſit præcisè numeralis,quia illa dicitur præcisè numeralis,per quã vnũ tantùm differt ab alio numero.

Et cùm dicit ad illud Doctoris, quòd ſi omnis 63

diuerſitas

diuerſitas realis eſſet numeralis, non plus intellectus abſtraheret ſpeciem à Socrate & Franciſco quàm à Socrate & Brunello. Dicit iſte, quòd hoc non eſt verum, quia magis abſtrahit à Socrate & Franciſco, non quòd conueniant in aliqua natura, imò ſe totis ſunt primò diuerſa. Sed quia Socrates & Franciſcus ſunt talia entia, ideò ab ipſis poteſt abſtrahi vnitas conceptus ſpecifica: dico, quòd quia deficiunt reſponſiones, oportet aſſignare cauſam valdè communem omni enti. Et ſi hoc ſolùm euadere poſſit per hanc reſponſionem, ſcilicet quòd magis à Socrate & Franciſco, &c. Sed poſtea non poteſt ſoluere illam rationem de 7. Phyſic. quæ eſt de comparatione in ſpecie atoma, quæ omninò præſupponit naturam communem, nec illam de 5. Metaph. de ſimilitudine, quæ fundatur ſuper *vno*; nec illam de oppoſitione reali; nec illam de obiecto actus ſentiendi, nec ſimiliter illam de 10. Metaph. de menſura in eodem genere, & ſic de aliis, quæ omnes neceſſariò ſupponunt commune ex natura rei. Nec etiam iſtam ſoluere poteſt, niſi tantùm fugiendo, quia Socrates & Franciſcus tantùm numero differunt, ita quòd eſt ibi tantùm diſtinctio numeralis. Tunc ſequitur, cùm omnia talia ſint eiuſdem rationis, quòd non magis à Socrate & Franciſco poteſt abſtrahi vnitas ſpecifica, quàm à Socrate & Brunello: quæro enim, quare magis Socrates & Franciſcus realiter conueniunt, aut ſimpliciter ſe totis conueniunt, & tunc quæro quo differunt? certum eſt quòd eodem ſimpliciter non conueniunt, & differunt. Quæro enim quid ſit illud, quo conueniunt ex natura rei? aut eſt vnitas communis ex natura rei, & habetur intentum; aut eſt vnitas præcisè numeralis, & hoc eſt falſum, quia tunc conuenirent tantùm in vnum numero: patet, quia ſi ratio ſimpliciter conueniendi aliqua ad inuicem ſit numeralis, illa, quæ dicuntur conuenire, tantùm conueniunt in vnitate numerali. Et præterea vnitas numeralis eſt tantùm ratio diſtinguendi numeraliter; ergo nullo modo eſt ratio conueniendi ex natura rei. Præterea quæro de ratione ſingularitatis; aut dicit aliquid poſitiuum ex natura rei, de qua ſuprà; aut conceptum rationis. Si primò, aut præcisè dicit totam entitatem ſingularitatis, & tunc ſtat ratio, quòd ſi omnis vnitas realis ſit tantùm numeralis, quòd omnis diuerſitas realis erit tantùm numeralis, cùm ratio formalis ſingularitatis ſit eiuſdem rationis in omni creatura; aut non dicit præcisè totam entitatem, ſed aliquid additum priori entitati: & tunc quæro de illa priori; aut eſt ex ſe ſingularis, & tunc quæro, vt priùs; aut ſingularitas illa dicit præcisè totam entitatem priorem, & tunc omnis diuerſitas realis erit numeralis, vt dixi ſuprà; aut aliquid additum, & quæro de illo alio, & ſic vel oportebit ſtare ad aliquam entitatem priorem ſingularitate, quæ ex ſe nullo modo erit ſingularis, aut erit procedere in infinitum in ſingularitatibus, multæ aliæ rationes contra hanc reſponſionem poſſent adduci, ſed pro nunc iſta ſufficiant.

64. *Quæ nam ſint primò diuerſa.*

Ad illud, quòd dicit ad confirmationem illam de primò diuerſis, vbi Doctor probat quòd tunc omnia eſſent primò diuerſa; dicit iſte, quòd aliqua dicuntur primò diuerſa, ex quibus poteſt conſtitui propoſitio negatiua immediata, & ſic omnia in liuidua alicuius ſpeciei dicuntur primò diuerſa: hæc enim eſt vna negatiua immediata, *Franciſcus non eſt Ioannes*, & ſimiliter hæc, *Iſta albedo non eſt illa*, indiuidua verò vnius ſpeciei cõparata ad indiuidua alterius ſpeciei, non dicuntur primò diuerſa vt iſta, *Franciſcus nan eſt Brunellus*, cùm non ſit vna negatiua immediata, ſed tantùm mediata: prima enim immediata eſt iſta; *Nullus homo eſt Brunellus, Frãciſcus eſt homo: ergo Franciſcus nõ eſt Brunellus.* Addit etiã, quòd omnes ſpecies eiuſdem generis ſunt primò diuerſæ: nã hæc eſt vna negatiua immediata, *Homo non eſt aſinus*, ſpecies verò alterius, & alterius generis nõ sũt primò diuerſæ: hæc enim non eſt immediata, *Homo nõ eſt albedo*, ſed hæc, *Nulla ſubſtãtia eſt albedo, homo eſt ſubſtantia: ergo homo non eſt albedo.*

Contra hanc reſponſionẽ, in qua videtur multa implicare, primò quæro de primò diuerſis ex natura rei, circunſcripto omni opere intellectus, quare Socrates & Franciſcus dicuntur primò diuerſa, & Socrates & Brunellus non dicuntur primò diuerſa? Si enim illa dicuntur primò diuerſa ex natura rei, quæ minùs cõueniũt, ſequitur, quòd Socrates & Brunellus ſunt magis primò diuerſa, quia minùs conueniunt, patet perte, quia tu dicis, quòd à Socrate, & Franciſco eſt magis abſtrahibilis cõceptus ſpecificus, quàm à Socrate & Brunello, quia ex natura rei magis conueniunt. Nec valet fugere ad hoc, quòd Socrates & Franciſcus ſint primò diuerſa, quia nata facere propoſitionẽ negatiuã immediatã, vt ſuprà patuit: hæc autẽ nõ ſunt primò diuerſa Franciſcus & Brunellus. Et tũc quæro, quare hæc eſt immediata negatiua, *Nullus homo eſt Brunellus*, magis quàm iſta, *Franciſcus non eſt Brunellus*, nam ſi ly *homo* in ſubiecto ſupponit confuſè diſtributiuè mobiliter, ſequitur de facto, quòd ſi illa eſt immediata, ita & quælibet ſingularis ſumpta ſuberit immediata. Si homo eſt ratio negandi Brunellũ à Frãciſco, & Ioanne, aut accipitur *homo* in ſuppoſitione perſonali, aut in ſuppoſitione ſimplici. Si primò, ergo tantùm ſtat pro ſuppoſitis hominem eſſe medium negandi Brunellum à Franciſco, eſt dicere Franciſcum eſſe medium negandi Brunellum à Franciſco, vel aliquod aliud ſuppoſitum hominis, quod nihil eſt dictu. Si ſecundò, vt ſupponit ſimpliciter, aut ly *homo* accipitur pro natura communi ex natura rei, & tunc habetur propoſitũ, ſcilicet quòd detur natura ſpecifica ex natura rei, licèt tamen ex hoc non ſequatur poſtea, quòd ſit medium ſic negandi Brunellum à Socrate, vt ſint primò diuerſa; aut ly *homo* dicit tantùm conceptum mentis, & tunc hæc eſt falſa, *Nullus homo eſt Brunellus*, cùm ly *homo* ſupponat perſonaliter, quod repugnat termino ſupponenti ſimpliciter: iſta enim videntur voluntariè dicta, nec enim facimus vim in vocibus, vel nominibus, ſed in ipſis rebus, cùm ſermo ſecundùm Auguſtinum ſit ſubiectus rei, & non è contra. Cùm enim loquimur de diuerſitate aliquorum ab inuicem, puta Socratis Franciſci, & Brunelli, loquimur de diuerſitate ex natura rei. & ſimiliter cùm loquimur de conuenientia aliquorum, puta Socratis & Franciſci loquimur de conuenientia ex natura rei. Cùm enim dicimus hanc propoſitionem eſſe mediatam, ſcilicet *Homo eſt riſibilis*, ex hoc dicimus, quia reſpectu riſibilitatis inhærentis aſſignatur medium ex natura rei, & probata riſibilitate de homine in communi, eadem probatur de quolibet inferiori ad hominem; & hoc per rationem ipſius hominis, cui primò conuenit riſibilitas: & ſi homo in communi non diceret ex natura rei vnitatem minorem vnitate numerali, nullo modo riſibilitas demon-

65. *Nota.*

Quæ ſit propoſitio mediata.

ſtraretur de homine, nec de Socrate, & Ioanne.

66. Et quòd iſta expoſitio non ſit ad mentem Ariſtotelis, videlicet quòd illa non dicuntur primò diuerſa, quæ minùs conueniunt, vel quæ in nullo conueniunt, & differentia, quæ in aliquo conueniant: ſed primò diuerſa, quæ faciunt propoſitionem negatiuam immediatam, & differentia, quæ non faciunt propoſitionem negatiuam immediatam, probatur quòd non ſit mens Ariſtotelis per ea, quæ dicit in 5. *Metaph. t. non habente com.* qui textus immediatè ſequitur textum commen. 15. qui textus incipit: *Eadem verò dicuntur. Diuerſa*, inquit, *quorum, aut ſpecies plures, aut materia, aut ratio ſubſtantiæ, & oppoſita, omnino eidem dicitur diuerſum.* Cùm dicit, quòd *oppoſita omnino dicitur diuerſum*, ideſt, quòd omnino diuerſum opponitur eidem, quia tot modis poteſt accipi *diuerſum*, quot modis ipſum *idem*, quia quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis & reliquum correſpondenter. Ex iſto textu patet quomodo Ariſtoteles loquitur de diuerſis ex natura rei, ſicut dantur diuerſæ ſpecies ex natura rei, & diuerſæ materiæ, quæ etiam materia aliquando accipitur pro ſubiecto, aliquando pro genere: & ſimiliter illa dicuntur diuerſa ex natura rei, quorum ratio ſubſtantiæ, ideſt, definitio ſubſtantiæ eſt alia; & vult Ariſtoteles quòd illa dicũtur diuerſa ſpecie, quæ in nulla ſpecie conueniũt, & diuerſa definitione, quæ in nulla definitione ſubſtantiali conueniunt, & per oppoſitum eadem ſpecie, quæ in eadem ſpecie conueniunt. Sicut ergo vult Ariſtoteles quòd illa ſimpliciter dicantur diuerſa ſpecie, quæ in nulla ſpecie conueniunt, ita ſequitur, quòd illa dicuntur eadem ſpecie, quæ in aliqua ſpecie conueniunt: & loquitur ibi de conceptu tantùm mentis. Et ſimiliter illa dicuntur primò diuerſa in genere, quæ in nullo genere cõueniunt, vt patet parùm infrà. *Amplius*, inquit, *quorũ diuerſum genus*, hæc ille. Oſtendit etiã, quæ dicuntur differentia, vbi vult expreſsè, quòd illa propriè dicuntur differentia, quæ in aliquo conueniunt. & per aliquid differunt. *Differentia*, inquit, *dicuntur quæcunque diuerſa ſunt idem aliquid entia, & non ſolùm numero; ſed ſpecie, aut genere, aut proportione.* Hæc ille. Vult dicere, quòd ſola illa dicuntur differentia, quæ ad inuicem ſunt diuerſa, & in aliquo vno conuenientia, ſiue illud ſit vnum numero, vt Socrates puer differt à ſeipſo ſene, eſt ibi diuerſitas puritiæ, & ſenectutis, quæ tamen ſunt idẽ in Socrate; ſiue illud ſit idem in ſpecie, vt Socrates & Plato ſunt diuerſa numero, & conueniunt in ſpecie, puta in homine, ſiue illud ſit vnum genere: vt homo, & aſinus ſunt diuerſa ſpecie, & conueniunt in animali; ſiue illud ſit vnum proportione. ſicut tranquillitas maris, & ſerenitas aëris, quæ differunt, & communicant ſecundùm aliquam proportionem in hoc, quod eſt eſſe quietatum. Quòd etiam velit Ariſtoteles differentia propriè eſſe alicui idem entia, patet per textum immediatè ſequentem. *Et contraria*, inquit, *& quæcunque habent in ſubſtantia diuerſitatem*: hæc ille, ideſt, quòd contraria, & quæcunque habent in ſubſtantia diuerſitatem, ſunt ſupple propriè differentia, ſicut duæ ſpecies ſub genere, quæ duabus contrariis differentiis, & ſubſtantialibus differunt, & conueniunt in genere; & ſic patet expreſsè per Ariſtotelem quomodo illa dicũtur propriè differentia, quæ conueniunt in aliquo quiditatiuè, & inter ſe differunt: ergo ex oppoſito illa dicuntur primò diuerſa, quæ in nullo quiditatiuè conueniũt. Patet etiã quomodo ſpecies ſub eodem genere dicuntur propriè differentia, & nõ primò diuerſa, vt iſte dicit. Et ſimiliter ſingularia ſub eadem ſpecie ſunt propriè differentia, & non primò diuerſa: & quòd ſic intelligat, patet etiam vbi ſupra, circa finẽ huius textus. *Diuerſa*, inquit, *ſpecie dicuntur quæcunque eiuſdem generis exiſtẽtia nõ ſibi inuicẽ ſunt, & quæcũque in eodẽ genere exiſtẽtia differẽtiã habẽt, & quæcũque habent contrarietatem, & contraria diuerſa ſunt ſpecie ab inuicẽ, aut omnia, aut dicta primum*, ideſt quæ principaliter dicuntur, *& quorumcunque in finali generis ſpecie rationes diuerſæ*, ideſt, in ſpecialiſſima ſpecie generis, vt homo, & equus indiuidua genere, & eorum rationes diuerſæ: vocat enim ſpecies ſpecialiſſimas indiuidua, quatenus ſunt indiuiſibiles in vlteriores ſpecies, *& quæcunque in eadem ſubſtantia entia differentiam habent, eadem, verò ſpecie his oppoſita dicta.* Hæc ille.

Quæ ſint propriè differentia.

Quæ ſunt diuerſa ſpecie.

67. Et quod dicit iſte, quòd ſit hæc intentio Philoſophi, ſcilicet quòd illa dicuntur primò diuerſa quæ tantùm conſtituunt propoſitionẽ negatiuam immediatã, & non ex hoc, quòd in aliquo quiditatiuè non conueniunt: & differentia, quæ conſtituunt negatiuã mediatã modo præexpoſito, & nõ ex hoc, quòd in aliquo quiditatiuè conueniunt, & inter ſe differũt. Ad quod probandũ adducit Philoſophũ 10. Metaph. t. c. 12. Et patet quomodo iſte textus ſit magis ad oppoſitum, quàm ad propoſitũ ſuum, vnde expono textũ aliter, cùm dicit Ariſtoteles: *Differẽtia verò, & diuerſitas aliunde: diuerſum enim & à quo eſt diuerſũ non nèceſſe aliquo eſſe diuerſum.* Vult dicere, quòd differẽtia, & diuerſitas, ſiue quòd quæ differunt, & quæ ſunt diuerſa, ſunt aliud, & aliud: & probat, quia diuerſum nõ eſt neceſſe aliquo eſſe diuerſum, quia diuerſa propriè ſe totis diſtingui poſſunt. Et dicit *non neceſſe*, quia eriã non diuerſa poſſunt aliquo differre, & aliquo conuenire, quando *diuerſum* accipitur pro *differenti*, ſed non eſt neceſſe, quia omne indifferẽs eſt diuerſum, vt ſuprà patuit in quinto Metaphyſicor. ſed non conuertitur, quia aliqua diuerſa ſunt ſeipſis totis, & non aliquo ſui diſtinguuntur. Sequitur in textu: *Omne namque, aut diuerſum, aut idem quodcunque eſt ens, differens verò ab aliquo aliquo modo ſanè differt, quare neceſſe ipſum idem aliquid eſſe quo differunt, hoc autem idẽ ipſũ genus, aut ſpecies.* Ex quo textu expreſsè patet differentia inter *diuerſum*, & *differens*: nam *differens* propriè eſt aliquo ſui differens, & aliquo ſui conueniens. Cùm dicit *neceſſe eſt idem aliquid*, ideſt, vnum aliquid eſſe quo differunt, ſcilicet differentia, *hoc autem quod ipſum idem*, ideſt, illud quo non differunt, eſt aliquid idem in illis. Sequitur, oſtendendo, quomodo differentia in aliquo conueniunt, & diuerſa propriè in nullo: *Omne namque differens differt, aut genere, aut ſpecie, genere quidem, quorum non eſt communis materia, nec generatio ad inuicem, vt quorumcunque alia figura categoria*, &c. Hîc etiam *materia* accipitur pro genere; nam ſicut quæ non cõmunicant in materia phyſica non habent adinuicem generationẽ; nec ſimiliter, quæ non cõmunicant in Prædicamento aliquo habent ad inuicẽ generationẽ, nõ enim fit dulcedo ex ſuperficie, nec è conuerſo. Sequitur in textu: *Specie verò quorum idem eſt genus, dicitur autem genus ſecundùm quod ambo idem dicuntur ſecundum ſubſtantiam differẽtia*; ideſt, quòd differẽtia ſpecie dicuntur idẽ, ſupple in genere. Ex iſto ergo textu patet expreſsè intentio Ariſtotelis

Quæ dicuntur primò diuerſis.

Expoſitio textus.

Differentia inter diuerſum, & differens.

quamuis

quamuis iſta malè intelligendo magis videatur declinare ad ſenſum,& verba Philoſophi.

Iſta pro nunc ſufficiant, nam ex his,quæ diximus faciliter improbari poſſunt dicta ſequentia huius opinionis. Ex his etiam quæ dixi facillimè ſolui poſſunt omnes reſponſiones datæ ad rationes Doctoris à gregorio de Arimino, Ioanne Anglico,Baccone, & à multis aliis, ſcilicet euidenter oſtendi poteſt nullo modo euacuare rationes Doctoris.

SCHOLIVM.

Reſoluit naturam de ſe non eſſe vniuerſalem, nec ſingularem, ſed indifferentem ad vtrumque:& ſicut per intellectum fit vniuerſalis, ita per aliquid contrahens eam fit ſingularis, nec ei repugnat ſecundùm ſe, eſſe cum quacumque vnitate ſingulari, quatenus tamen habet hanc ſingularitatem, hoc ei repugnat.

7. AD quæſtionem igitur concedo concluſionem iſtarum rationum: & dico quòd ſubſtantia materialis ex natura ſua non eſt de ſe hæc:quia tunc ſicut deducit prima ratio, non poſſet intellectus intelligere ipſam ſub oppoſito,niſi intelligeret obiectum ſuum ſub ratione intelligendi repugnanti rationi talis obiecti:ſicut etiam deducit ſecunda ratio cum ſuis probationibus omnibus,aliqua eſt vnitas in re realis abſque omni operatione intellectus, minor vnitate numerali ſiue vnitate propria ſingularis, quæ vnitas eſt naturæ ſecundùm ſe:& ſecundùm iſtam unitatem propriam naturæ,vt natura eſt; natura eſt indifferens ad vnitatem ſingularem: non ergo de ſe eſt ſic vna vnitate illa,ſcilicet vnitate ſingularitatis. *Natura nõ eſt de ſe hæc.*

a Qualiter autem poteſt hoc intelligi, poteſt aliqualiter videri per dictum Auicennæ 5. Metaph vbi vult,quòd *equinitas ſit tantùm equinitas:nec ex ſe vna,nec plures,nec vniuerſalis,nec particularis.* Intellige, non eſt ex ſe vna vnitate numerali: nec plures, pluralitate oppoſita illi vnitati:nec vniuerſalis actu eo modo, quo aliquid eſt vniuerſale factum ab intellectu,non vt obiectum intellectus:nec eſt particularis de ſe: licèt enim nunquam ſit realiter ſine aliquo iſtorum:non tamen eſt de ſe aliquod iſtorum, ſed eſt prius naturaliter omnibus iſtis: & ſecundùm iſtam prioritatem naturalem eſt *quod quid eſt*,& per ſe obiectum intellectus, & per ſe vt ſic, conſideratur à Metaphyſico, & exprimitur per definitionem:& propoſitiones veræ primo modo ſunt veræ ratione quiditatis ſic acceptæ: quia nihil dicitur de quiditate per ſe primo modo, niſi quod includitur in ea eſſentialiter, inquantùm ipſa abſtrahitur ab omnibus iſtis, quæ ſunt poſteriora ipſa naturaliter. Non ſolùm autem ipſa natura eſt de ſe indifferens ad eſſe in intellectu, & in particulari, ac per hoc ad eſſe vniuerſale & ſingulare: ſed & ipſa habens *eſſe* in intellectu, non habet primò ex ſe vniuerſalitatem:licèt enim ipſa intelligatur ſub vniuerſalitate, vt ſub modo intelligendi ipſam:tamen vniuerſalitas non eſt pars conceptus eius primi:quia non conceptus Metaphyſici, ſed Logici.Logicus enim conſiderat ſecundas intentiones applicatas primis, ſecundùm ipſum Auicennam prima ergo *intellectio eſt naturæ, vt ei non cointelligitur aliquis modus, neque qui eſt eius in intellectu, neque qui eſt eius extra intellectum:licèt illius intellecti modus intelligendi ſit vniuerſalitas,ſed nõ modus intellectus:& ſicut ſecũdùm illud *eſſe*,nõ eſt natura de ſe vniuerſalis,ſed quaſi vniuerſalitas accidit illi naturæ ſecundùm primã rationẽ eius,ſecundùm quã eſt obiectũ:ita etiam in re extrà; vbi natura eſt cum ſingularitate, non eſt natura illa de ſe terminata ad ſingularitatem: ſed eſt prior naturaliter illa ratione contrahente ipſam ad ſingularitatem illam; & inquantùm eſt prior naturaliter ipſo contrahente, non repugnat ſibi eſſe ſine illo contrahente:& ſicut obiectum in intellectu ſecundùm illam entitatem eius, & vniuerſalitatem habet verè *eſſe* intelligibile: ita etiam in rerum natura ſecundùm illam entitatem habet verum *eſſe* extra animam reale:& ſecundùm illam entitatem habet vnitatem ſibi proportionabilem:quæ eſt indifferens ad ſingularitatem, ita quòd non repugnat illi vnitati de ſe,quòd cum quacumque vnitate ſingularitatis ponatur. *C. 1.* *1. de Anima c.8.* *al.intentio.* *An poſſit eſſe natura ſine ſingularitate.*

Hoc ergo modo intelligo naturam habere vnitatem realem minorem vnitate numerali:& licèt non habeat eam de ſe,ita quòd ſit intra rationem naturæ,quia *equintas eſt tantùm equintas*,ſecundùm Auicennam 5. Metaph. tamen illa vnitas eſt paſſio propria naturæ ſecundùm ſuam entitatem primam: & per conſequens nec eſt ex ſe hæc intraneè, nec ſecundùm entitatem propriam neceſſariò incluſam in ipſa natura ſecundùm primam entitatem ſuam. *Vnitas naturæ negatiuè communis.*

COMMENTARIVS.

1. Notabilis diſtinctio naturæ.

a *QValiter autem poteſt hoc intelligi*, &c. Hic nota pro maiori intelligentia, quòd natura, puta hominis, poteſt dupliciter conſiderari. Primò, vt producitur actu intellectus diuini in *eſſe* obiectali, ita quòd ante operationem intellectus diuini nullum penitus *eſſe* habet, nec *eſſe* cognitum, nec *eſſe* obiectale, nec *eſſe* potetiale, vt patet à Doctore *in primo, diſt.3.q.4.& diſt.36.& 43. & in 2.diſt.1.quæſt.1.* Secundò, conſideratur inquantùm producitur in *eſſe* obiectali, ſiue in *eſſe* intelligibili, & vt in tali *eſſe* fundatur poſtea *eſſe* poſſibile, puta homo ab æterno productus fuit ab intellectu diuino in *eſſe* intelligibili, & in *eſſe* poſſibili, & in tali *eſſe* dicitur ens per ſe quiditatiuè, & eſt illud idem *eſſe*, quod *eſſe* eſſentiæ reale, ſed in hoc tantùm differunt, quòd illud *eſſe* obiectiuum, ſiue poſſibile eſt *eſſe* abſolutum hominis ſecundùm *quid* tantùm, quia vt ſic, nullum *eſſe* reale habet, ſed tantùm ſibi non repugnat *eſſe* realis exiſtentiæ, ita quòd non eſt ſimpliciter nihil, ſicut chimæra, cui repugnat ſimpliciter eſſe, & hæc patent à Doctore *in 1.diſt.36.* Tertiò conſideratur, vt actu habet *eſſe* cognitum ab æterno, & vt ſic, fundat relationem rationis terminatam ad Deum intelligentem, vt patet à Doctore vbi ſuprà. Quartò conſideratur, vt habet *eſſe* actualis exiſtentiæ in ſuis ſingularibus. Si teneatur, quòd ipſa natura humana ſecundo modo accepta, ſcilicet in *eſſe* obiectali, & poſſibili verè habeat *eſſe* quiditatiuum, & de ipſa verificantur omnia prædicata eſſentialia, & paſſiones demonſtrabiles, eſt facilis modus tenendi; nam vt ſic, habet *eſſe* per ſe, & ſic ponitur in Prædicamento. Si verò teneatur tertio modo, ſcilicet quòd habeat *eſſe* cognitum, non eſt ita facilis modus ſuſtinendi quomodo per ſe habeat *eſſe* quiditatiuum, & per ſe reponatur in Prædicamento, quia homo, vt cognitus ab intellectu diuino non videtur dicere vnum conceptum per ſe, cùm ſit quoddam per accidens, conſtitutum ex natura, & relatione ad Deum cognoſcentem, & vt ſic, non videtur per ſe reponi in Prædicamento: melius eſt ergo accipere omnes quiditates, prout habent *eſſe* obiectale productum ab actu intellectus diuini.

2. Quod dicit ergo Doctor quòd humanitas eſt tantùm humanitas, debet accipi humanitas, vt habet *eſſe* obiectiuum: & addit, *nec eſt particularis de ſe*: licèt enim nunquam ſit realiter ſine aliquo iſtorum, non tamen eſt de ſe aliquod iſtorum, ſed eſt prius naturaliter omnibus iſtis. Et ſecundùm iſtam prioritatem naturalem eſt, *quodquid eſt*, & per ſe obiectum intellectus, & per ſe, vt ſic conſideratur à Metaphyſico, & exprimitur per definitionem: & propoſitiones veræ primo modo ſunt veræ, ratione quiditatis ſic acceptæ: quia nihil dicitur de quiditate primo modo accepta, niſi quod in ea eſſentialiter includitur, inquantùm ipſa abſtrahitur ab omnibus iſtis, quæ ſunt poſteriora naturaliter, ſcilicet ab vnitate, vniuerſalitate, particularitate, &c.

Sed dubitatur, quomodo iſta natura ex natura rei dicitur cõmunis, ideſt, præter operationẽ intellectus collatiui, & prius natura ipſa indiuiduatione, vt infrà patebit *præſentia q.* ac per conſequens prius natura ipſa exiſtentia, cùm exiſtentia primò inſit indiuiduis, ergo vt ſic, non repugnat ſibi patari ab exiſtentia, & ab omni indiuiduo, quia priori natura, vt ſic, non repugnat poſſe eſſe prius duratione poſteriori natura, vt patet à Doctore *diſt.1.q.2.huius.* Et ex alia parte dicit Doctor quòd exiſtentia, & ipſa natura ſunt eadem res, vt ſuprà patuit *diſt.1.quæſt.2.huius, & alibi ſæpè.*

Exiſtentia hominis poteſt annihilari.

Reſpondeo, & dico quòd ſi accipiatur natura, vt tantùm habet *eſſe* obiectale, ſiue poſſibile, patet quòd actu ſeparatur ab exiſtentia actuali, quia, vt ſic, fuit ab æterno, & exiſtentia non. Et vltrà exiſtentia hominis poteſt annihilari, & tamen adhuc natura hominis in *eſſe* obiectali remanet incorruptibilis. Nec ſimiliter natura accepta, vt habet *eſſe* cognitum eſt eadem cum exiſtentia, cùm tale *eſſe* cognitum fuerit ab æterno.

3. *Exiſtentia & eſſentia poſſunt conſiderari multipliciter.*

Dico etiam, quòd tam eſſentia, quàm exiſtentia poſſunt multipliciter conſiderari, nam primò conſideratur eſſentia, puta hominis, vt præcisè habet *eſſe* obiectale. Secundò, vt habet *eſſe* poſſibile tantùm. Tertiò, vt habet *eſſe* cognitum. Primo, & ſecundo modo præcisè conſideratur ſecundùm totum *eſſe* hominis eſſentiale abſolutè, licèt illud *eſſe* abſolutum dicatur ſecundùm *quid*, quia nihil reale actu dicit, vt pãtet à Doctore *in 1, diſt.36.* Tertio modo conſideratur illud idem *eſſe* non abſolutè, ſed vt includit relationem rationis ad Deum cognoſcentem. Pariformiter dico de exiſtentia hominis, quæ poteſt conſiderari, primò, vt tantùm habet *eſſe* obiectale: ſecundò in *eſſe* poſſibili; tertiò in *eſſe* cognito. Primis duobus modis accipitur exiſtentia hominis abſolutè, & eſt ſimpliciter eadem cum illa, quæ actu, & tamen differt ab illa, quia illa eſt in actu, hæc autem in potentia. Tertio modo accipitur, vt includit relationem ad Deum cognoſcentem. Secundò principaliter præmitto, quòd exiſtentia eſt gradus intrinſecus eſſentiæ, ſiue illius cuius eſt, & eſt ſimpliciter impoſſibile eſſe aliquam eſſentiam ſine ſuo modo intrinſeco, cùm modus intrinſecus nullo modo diſtinguatur realiter, nec formaliter poſitiuè ab eo cuius eſt, vt patet *in 1.diſt.8.q.2.in reſponſione ad primum argumentum principale.* Tertiò præmitto, quòd in quocunque *eſſe* ponitur aliqua res, ſiue in *eſſe* obiectali, ſiue poſſibili, ſiue in *eſſe* cognito in eodem *eſſe* ſemper ponitur modus intrinſecus illi, puta *eſſe* finitum eſt gradus intrinſecus hominis, ſi homo habet *eſſe* tantùm obiectiuum, tunc finitas, quæ eſt gradus intrinſecus, habebit tantùm *eſſe* obiectiuum, ſi poſſibile, poſſibile; ſi actu, actu. Similiter perfectio limitata intrinſeca, eo præcisè modo conuenit rei, quo res habet *eſſe*; ſi enim res habet *eſſe* obiectiuum, perfectio limitata conuenit ſibi tantùm in *eſſe* obiectiuo, & vt ſic eſt inſeparabilis ab illa.

An exiſtẽtia ſit gradus intrinſecus.

4. *Homo ab æterno habet eſſe obiectiuum.*

His præmiſſis pono aliquas concluſiones. Prima: Sicut homo ab æterno habet *eſſe* obiectiuum, ſic exiſtentia hominis in *eſſe* obiectiuo præcisè conuenit homini, vt gradus intrinſecus illius, & vt ſic *eſſe* eſſentiæ hominis in tali *eſſe* eſt ſimpliciter idem cum *eſſe* exiſtentiæ illius in tali *eſſe*.

Secunda: Sicut eſſentia hominis ab æterno habet *eſſe* poſſibile præcisè, ita exiſtentia in *eſſe* poſſibili præcisè conuenit eſſentiæ hominis, vt gradus intrinſecus, & ſic ſimpliciter eſt impoſſibile eſſentiam hominis in *eſſe* poſſibili conſideratam poſſe *eſſe* ſine exiſtentia in *eſſe* poſſibili conſideratam, cùm ſit gradus intrinſecus eius.

Tertia

Tertia concluſio, eſſentia hominis poteſt conſiderari in *eſſe* reali, & actuali, vt ſic, ponitur iſta concluſio. Sicut eſſentia hominis in *eſſe* reali, & actuali ponitur in tempore, ita exiſtentia eius in *eſſe* reali, & actuali conuenit eſſentiæ hominis præcisè in tali *eſſe* reali, & actuali, & ſic eſt ſimpliciter impoſſibile, eſſentiam hominis in *eſſe* reali, & actuali realiter diſtingui ab eius exiſtentia in *eſſe* reali, & actuali præcisè conſiderata per propoſitionem Doctoris *in 2. diſ. 1. qu. 5. & diſ. 2. q. 2.* Si B vt poſterius ineſt A, vt priori, & hoc per rationem intrinſecam ipſius A, & impoſſibile eſt A eſſe ſine B, A identificat ſibi realiter B. Sed eſſentia hominis in *eſſe* reali, & actuali eſt prior ſua exiſtentia actuali; patet, quia res eſt prior natura ſuo modo intrinſeco, & talis exiſtentia ineſt eſſentiæ per rationem intrinſecam ipſius eſſentiæ: nam per definitionem alicuius demonſtratur exiſtentia de illo, vt ſuprà patuit *in iſto 2. diſ. 1. q. 3.* In quocunque ergo *eſſe* ponitur eſſentia, ſemper ponitur prior exiſtentia, & vt cauſa intrinſeca illius, puta ſi eſſentia hominis ſit tantùm in *eſſe* obiectiuo, vt ſic, eſt prior ſua exiſtentia in *eſſe* obiectiuo conſiderata, & vt ſic, eſt ratio intrinſeca reſpectu talis exiſtentiæ.

Quomodo eſſentia hominis ſit prior ſua exiſtentia.

5. Ex his omnibus ergo concluſionibus infero veritatem propoſitionis Doctoris, videlicet quòd eſſentia eſt ſimpliciter eadem realiter cum exiſtentia, ſemper reddendo ſingula ſingulis, ita quòd eſſentia in *eſſe* actuali reali includit per realem identitatem exiſtentiam in *eſſe* reali, & actuali, & ſimiliter eſſentia in *eſſe* obiectali, vel poſſibili conſiderata, includit per realem identitatem exiſtentiam, vt præcisè in *eſſe* obiectali, & poſſibili conſideratam. Et ſic patet euidens propoſitio Doctoris ab aliquibus tamen malè intellecta, qui imaginantur quòd eſſentia rei, quæ fuit ab æterno, dicatur eadem realiter cum actuali exiſtentia, quæ eſt ex tempore, quia diſtinctio realis eſt tantùm inter rem, & rem actu exiſtentem: cùm ergo exiſtentia non fuerit exiſtens actu ab æterno, ergo non diſtinguitur realiter ab actuali exiſtentia, quæ expoſitio nullo modo eſt ad mentem Doctoris: Vult enim expreſsè, quòd ſit ſimpliciter impoſſibile, eſſe eſſentiam ſine exiſtentia; modò eſſentia hominis ab æterno in *eſſe* obiectiuo fuit, & pro tunc non fuit exiſtentia actualis: dicendum eſt ergo, quòd propoſitio Doctoris eſt ſimpliciter vera, intelligendo eam, vt expoſui. Non enim intelligit Doctor quòd eſſentia in *eſſe* obiectiuo non poſſit eſſe ſine exiſtentia actuali, ſed præcisè intelligit, quòd eſt ſimpliciter impoſſibile eſſe eſſentiam aliquam in *eſſe* poſſibili, ſine exiſtentia in *eſſe* poſſibili, vel in *eſſe* actuali, ſine exiſtentia in *eſſe* actuali, quam expoſitionem benè nota.

Quomodo eſſentia ſit eadem cum exiſtentia.

6. Sed ſi quæratur, ſi eſſentia non diſtinguitur realiter ab exiſtentia, cùm vtrunque ſit præter opus intellectus, & eſſentia non ſit præcisè ipſa exiſtentia, cùm modus intrinſecus non ſit præcisè res, cuius eſt modus, quomodo ergo eſſentia diſtinguitur ab exiſtentia. Dico breuiter, quòd eo modo præcisè diſtinguitur, ſicut diſtinguitur à ſuo modo intrinſeco, qui non diſtinguitur realiter, vt patet, nec formaliter poſitiuè, cùm gradus intrinſecus non dicat aliquam formalitatem diſtinctam à formalitate rei, cuius eſt, vt patet à Doctore *in 1. vbi ſuprà*. Diſtinguitur ergo præcisè ex natura rei, accipiendo diſtinctionem ex natura rei, pro minima diſtinctione, quæ haberi poteſt præter opus intellectus, videlicet quãdo præter opus intellectus aliquid ex natura rei conuenit vni, quod non conuenit alteri; & ſic exiſtentiæ conuenit ex natura rei eſſe modum intrinſecum, qui modus ſimpliciter repugnat rei, cuius eſt talis modus. Si etiam quæratur quomodo eſſentia in *eſſe* obiectiuo, vel poſſibili diſtinguitur ab exiſtentia in tali *eſſe*, cùm vt ſic, neutrum dicat aliquod *eſſe* actuale: dico quòd præcisè diſtinguitur præter opus intellectus ex natura rei ſecundùm *quid*.

Eſſe eſſentiæ realiter exiſtens non differt ab exiſtentia, ſed eſſe eſſentiæ quo ad eſſe cognitum, differt ab exiſtentia.

Tamen quia vtrunque in tali *eſſe* habet tantùm *eſſe* ſecundùm *quid*, adhuc eſt ſciendum, quòd quando dicit Doctor quòd æquinitas, vt æquinitas eſt prior, &c. & vt ſic eſt obiectum intellectus, & huiuſmodi. Primò quæritur quomodo ponatur obiectum intellectus. Si enim eſſentia, vt habet *eſſe* reale in actu, etiam vt præintelligitur in *eſſe* actuali ponitur obiectum intellectus per ſe, quæro tunc, aut ponitur in ratione terminandi, aut in ratione mouendi. Si primò, eſt facilis ſolutio. De ſecundo habet clariùs videri *in primo, diſ. 3. q. 3. & in iſto 2. diſ. præſenti. q. vlt.* vbi plura dicturus ſum. Secundò dicit, quòd natura, vt ſic, per ſe conſideratur à Metaphyſico, quod debet intelligi propriè de natura vt in *eſſe* obiectali, non autem præcisè, vt in *eſſe* reali, vt aliàs patebit. Tertiò, omnes propoſitiones primi modi ſunt veræ ratione quiditatis ſic acceptæ, puta iſta, *Homo eſt animal* eſt vera, prout tam *homo*, quàm *animal* præcisè accipiuntur in *eſſe* obiectali, & vt in tali *eſſe* ſunt prius natura exiſtentia in *eſſe* obiectali conſiderata. Sequitur in litera ibi: *Non ſolùm autem ipſa natura eſt indifferens*, &c. id eſt, quòd ipſa natura eſt indifferens ad ſecundam intentionem cauſatam in intellectu, ſecundùm quam dicatur vniuerſalis, & indifferens ad ſingulare, id eſt, ad omnem indiuiduationem, cùm ſit prior omni ſingularitate, quæ omnia intelliguntur de natura, vt in *eſſe* obiectali conſiderata. Sequitur: *Sed ipſa habens eſſe in intellectu*, &c. id eſt, quòd ipſa habens *eſſe* in actuali intellectione, quia primò intelligitur, & quà dicitur prima intentio, non habet primò ex ſe vniuerſalitatem, id eſt, quòd vt ſic cognita non eſt ex ſe vniuerſalis, id eſt, quòd non eſt ex ſe ſub actuali intellectione ſecunda, quà dicatur actu vniuerſalis. Sequitur. *Licèt enim ipſa intelligatur ſub vniuerſalitate*, &c. Vult dicere, quod licèt ipſa natura, vt eſt ſub actuali intellectione ſecunda, intelligatur tunc ſub vniuerſalitate, quæ vniuerſalitas eſt quidam modus intelligendi ipſam, vt patet etiam à Doctore in Vniuerſalibus, tamen ipſa vniuerſalitas non eſt pars conceptus eius primi, id eſt, quòd non pertinet ad conceptum, quo primo concipitur ipſa natura, quia ad conceptum eius primum tantùm pertinent illa, quæ ſunt de quiditate ipſius naturæ. Nec ſimiliter ipſa vniuerſalitas eſt pars conceptus Metaphyſici, quia non pertinet ad conceptum Metaphyſicum, eſt tamen pars conceptus Logici, cùm pertineat ad conceptum Logici, qui primò, & per ſe conſiderat ſecundas intentiones applicatas primis ſecundùm Auicennam. Sequitur:

7.

Expoſitio notabilis huius litera.

Quomodo propoſitiones primi modi ſint veræ.

Prima ergo intellectio eſt naturæ, &c. id eſt, quòd ipſa natura in ſe primò intelligitur, & in tali priori non cointelligitur aliquis modus, *neque qui eſt eius in intellectu*, id eſt, modus, qui eſt aliqua ſecunda intentio, vt vniuerſalitas, neque qui eſt eius extra intellectum, puta indiuiduatio.

8.

Sequitur : *Licèt illius intellecti modus intelligendi ſit vniuerſalitas*, id eſt, licèt talis natura poſſit intelligi ſub tali modo, ſcilicet vniuerſalitatis, non tamen ipſa vniuerſalitas eſt modus intellectus, cùm non ſit pars conceptus primi intellecti, vt dixi ſuprà. Sequitur : *Et ſicut ſecundum illud eſſe non eſt natura de ſe vniuerſalis*, ſupple actu, *ſed quaſi vniuerſalitas accidit illi naturæ ſecundùm primam rationem eius, ſecundùm quam eſt obiectum*, id eſt, quòd natura in illo priori non includit vniuerſalitatem, & per conſequens, vt eſt ſub illa, dicitur tunc ſibi accidere. Sequitur ; *ita etiam in re extrà, vbi natura eſt cum ſingularitate*, &c. id eſt, quòd natura, vt præcisè conſideratur in *eſſe* obiectali, adhuc eſt prior ſingularitate contrahente, & indifferens ad omnes ſingularitates contrahentes. Et ſimiliter, vt ipſa natura conſideratur in *eſſe* reali, & actuali, adhuc eſt indifferens ad omnem ſingularitatem in *eſſe* reali, & actuali, cùm ſit prior illa. Et ſic in illo priori non repugnat ſibi eſſe ſine illo contrahente. Sequitur.

Nota.

9. *Et ſicut obiectum in intellectu, ſecundùm illam entitatem eius, & vniuerſalitatem habet verè* eſſe *intelligibile* (vt ſuprà patuit) *ita etiam in rerum natura ſecundùm illam entitatem habet verum* eſſe *extra animam realem*, ſiue talis natura accipiatur in *eſſe* obiectiuo, ſiue in *eſſe* reali actuali. Primo modo dicitur reale ſecundùm *quid*, quia potentiale. Secundo modo dicitur reale actuale, *& ſecundùm illud eſſe habet vnitatem ſibi proportionalem, quæ eſt indifferens ad ſingularitatem*, id eſt, habet vnitatem ex natura rei minorem vnitate numerali, ita quòd non repugnat illi vnitati de ſe, quòd cum quacunque vnitate ſingularitatis ponatur, quia ſi eſt indifferens ad omnem ſingularitatem, ergo ex ſe poteſt eſſe in omni ſingularitate; non tamen ſimul, nec ſucceſſiuè, ſed ſic intelligendo, quòd in illo priori, ſicut poteſt eſſe in vna, ita & in alia, ſed dum eſt in vna, vt ſic, non poteſt eſſe in alia. Aſſignata enim quacunque natura humana in quocunque indiuiduo, ipſa actu exiſtens in indiuiduo poteſt conſiderari vt prior ſingularitate, & vt ſic, adhuc eſt indifferens ad omnem ſingularitatem. Et hoc magis patebit reſpondendo ad aliquas rationes, quas facit Occham contra Doctorem.

SCHOLIVM.

Soluendo duas obiectiones contra doctrinam datam, explicat quid ſit vniuerſale, & docet expreſsiſsimè, non dari à parte rei, ſed per intellectum, quia (inquit) nulla datur natura creata realiter dicibilis de pluribus (hoc enim proprium eſt naturæ diuinæ) licèt naturæ, ſecundùm ſe, ſecluſa ſingularitate, quam habet, non repugnet eſſe cum alia ſingularitate : toto ergo cælo errant, qui putant Scotum poſuiſſe vniuerſale poſitiuè commune à parte rei : de hac quæſtione latè agunt Leuchet. & Tartaret. hîc.

SEd contra, iſtud, videntur eſſe duæ obiectiones, vna, quia videtur ponere vniuerſale eſſe aliquid reale in re, quod eſt contra Commentatorem 1. de Anima commento 8. qui dicit, quòd *intellectus facit vniuerſalitatem in rebus*, ita quòd non exiſtit niſi per ipſum : & ſic eſt ens tantùm rationis. Probatio conſequentiæ, nam iſta natura, ſecundùm quòd eſt ens in iſto lapide, prior tamen naturaliter ſingularitate lapidis, eſt ex dictis indifferens ad hoc ſingulare & ad illud. 8.

Præterea, Damaſ. cap. 8. *Oportet*, inquit, *ſcire quòd aliud eſt re conſiderare, & aliud ratione & cogitatione : igitur in omnibus creaturis hypoſtaſum quidem diuiſio re conſideratur : communitas autem & copulatio intellectu conſideratur. Intelligimus enim intellectu, quoniam Petrus & Paulus vnius ſunt naturæ, & commuuem habent naturam : neque enim hæ hypoſtaſes in ſe inuicem ſunt : ſeorſum enim vnaquæque & ſecundùm partem, id eſt, ſecundùm ſe ipſam ſeparata* : & poſt. *In increata vero, & ſuper ſubſtantiali, & incomprehenſibili Trinitate eſt èconuerſo : illic enim commune quidem & vnum re conſideratur, cognitione verò eſt diuiſum.*

Definit. vniuerſale. T.c. 25. Idem 2. Poſter. ad fin. Negat vniuerſale à parte rei.

Ad primum b dico, quòd vniuerſale in actu eſt illud quod habet vnitatem indifferentem, ſecundùm quam ipſum idem eſt in potentia proxima, vt dicatur de quolibet ſuppoſito, quia primo Poſteriorum, *vniuerſale eſt, quod eſt vnum in multis, & de multis*, nihil enim ſecundùm quamlibet vnitatem in re eſt tale, quod ſecundùm ipſam vnitatem præciſam ſit in potentia proxima ad quodlibet ſuppoſitum, vt dicatur de quolibet ſuppoſito prædicatione dicente, *hoc eſt hoc*, quia licèt alicui exiſtenti in re non repugnet eſſe in alia ſingularitate ab illa, in qua eſt : non tamen illud verè dici poteſt de quolibet inferiori, quod quodlibet eſt ipſum : hoc eſt enim ſolùm poſſibile de obiecto eodem indifferenti actu conſiderato ab intellectu : quod quidem vt intellectum habet vnitatem etiam numeralem obiecti, ſecundùm quam ipſum idem eſt prædicabile de omni ſingulari dicendo, quòd hoc eſt hoc.

Ex hoc apparet c improbatio illius dicti, quòd intellectus agens facit vniuerſalitatem in rebus, per hoc, quòd denudat ipſum *quod quia eſt* in phantaſmate exiſtens nam vbicunque eſt, antequam in intellectu poſſibili habeat *eſſe* obiectiuè, ſiue in re ſiue in phantaſmate, ſiue habeat *eſſe* certum, ſiue deductum per rationem, & ſi ſit non

per

9. per aliquod lumen, ſed ſemper ſit talis natura ex ſe, cui non repugnet eſſe in alio: non tamen eſt tale, cui potentia proxima conuenit dici de quolibet, ſed tantùm eſt in potentia proxima vt eſt in intellectu poſſibili: eſt ergo in re commune, quod non eſt de ſe hoc, & per conſequens ei de ſe non repugnat eſſe non hoc: ſed tale commune non eſt vniuerſale in actu, quia deficit ei illa differentia, ſecundùm quam completiuè vniuerſale eſt vniuerſale, ſecundùm quam, ſcilicet ipſum idem aliqua identitate eſt prædicabile de quolibet indiuiduo, ita quòd quodlibet ſit ipſum. *Hìc manifeſtè dicit Scot. vniuerſale non eſſe à parte rei.*

Ad ſecundam [d] inſtantiam de Damaſceno, dico quòd eo modo, quo in diuinis commune eſt vnum reale, eodem modo commune in creaturis non eſt vnum reale: ibi enim commune eſt ſingulare, & indiuiduum: quia ipſa natura diuina de ſe eſt hæc: eodem modo manifeſtum eſt, quòd nullum vniuerſale in creaturis eſt realiter vnum: hoc enim ponendo eſſet ponere, quòd aliqua natura creata non diuiſa prædicaretur de multis indiuiduis prædicatione dicente *hoc eſt hoc*: ſicut dicitur Pater eſt Deus, & Filius eſt idem Deus. Tamen in creaturis eſt aliquod commune vnum vnitate reali minori vnitate numerali: & illud quidem commune non eſt ita commune, quòd ſit prædicabile de multis, licèt ſit ita commune, quòd non repugnet ſibi eſſe in alio, quam in eo, in quo eſt. *Diſtinguit commune & vniuerſale.*

Dupliciter igitur, patet quomodo auctoritas non eſt contra me, primò, quia loquitur de vnitate ſingularitatis in diuinis: & hoc modo non ſolùm vniuerſale creatum non eſt vnum, ſed nec commune in creaturis: ſecundò, quia loquitur de communi prædicabili, non præcisè de communi, quod determinatum eſt de facto, licèt non repugnet ſibi eſſe in alio: quale commune præcisè poteſt poni in creatura realiter. *Commune quod determinatum nequit eſſe in alio, ei tamen ſecundùm ſe non repugnat, quia ſcilicet non plus petit naturavnã ſingularitatem quã aliam.*

10. Et per hoc [e] patet ad argumentum principale, quia Philoſophus improbat illam fictionem, quam imponit Platoni, quod ſcilicet non poſſit hic homo per ſe exiſtens, qui ponitur idea, per ſe eſſe vniuerſale omni homini: quia omnis ſubſtantia per ſe exiſtens eſt propria ei, cuius eſt, hoc eſt vel ex ſeipſa, vel eſt propria per aliquod contrahens facta propria, quo contrahente poſito non poteſt ineſſe alteri, licèt non repugnet ei ex ſe ineſſe alij.

Iſta etiam gloſſa vera eſt, loquendo de ſubſtantia ſecundùm quòd ſumitur pro natura; & tunc ſequitur, quòd idea non erit ſubſtantia Socratis: quia nec natura Socratis, quia nec ex ſe propria, nec appropriata Socrati, vt ſit tantùm in eo, ſed etiam in alio ſecundùm ipſum. Si autem accipiatur ſubſtantia pro ſubſtantia prima; tunc verum eſt, quòd quælibet ſubſtantia eſt ex ſe propria illi, cuius eſt: & tunc multò magis ſequitur, quòd illa idea, quæ ponitur ſubſtantia per ſe exiſtens iſto modo, non poſſit eſſe ſubſtantia Socratis, vel Platonis: ſed primum membrum ad propoſitum ſufficit.

Ad confirmationem opinionis patet, quia non ita ſe habet communitas, & ſingularitas ad naturam, ſicut *eſſe* in intellectu, & *eſſe* verum extra animam: quia communitas conuenit naturæ extra intellectum, & ſimiliter ſingularitas: & communitas conuenit ex ſe naturæ, ſingularitas autem conuenit naturæ per aliquid in re contrahens ipſam: ſed vniuerſalitas non conuenit rei ex ſe: & ideò concedo, quòd quærenda eſt cauſa vniuerſalitatis: non tamen quærenda eſt cauſa communitatis alia ab ipſa natura: & poſita communitate in ipſa natura ſecundùm propriam entitatem, & vnitatem, neceſſariò oportet quærere cauſam ſingularitatis, quæ ſuperaddit aliquid illi naturæ, cuius eſt. *Communitas ſcilicet negatiua non poſitiua, quia hanc reiecit ſupr*

COMMENTARIVS.

1. a *Sed contra iſtud videntur eſſe duæ obiectiones.* Hìc Doctor adducit duas auctoritates contra ſe, quæ videntur dicere, quòd nihil ſit commune pluribus in re, ſed tantùm per conſiderationem intellectus: quarum prima eſt Commentatoris *primo de Ani. com.* 8. dicentis, quòd intellectus facit vniuerſalitatem in rebus, ita quòd non exiſtit, niſi per ipſum.

Item per auctoritatem Damaſceni *c.* 8. ponentis differentiam inter Deum, & creaturam, quia in creatura nihil eſt commune, niſi tantùm per conſiderationem, in Deo verò eſt Deitas ex natura rei communis rationibus ſuppoſitis.

b *Ad primum dico, quòd vniuerſale in actu,* &c. Pro clariori intelligentia huius literæ, nota quòd iſta indifferentia pro nunc poteſt accipi dupliciter. Vno modo priuatiuè, ſiue negatiuè; & ſic nihil aliud eſt, niſi aliqua natura, quæ de ſe eſt indifferens ad inferiora, & indeterminata, id eſt, quòd ipſa eſt apta nata ad indifferentiam, ſiue indeterminationem. Alio modo dicitur indifferentia, ſiue indeterminatio poſitiuè, & contrariè, & tunc contrariatur poſitiuè determinationi *Quid ſit vniuerſale in actu. Indifferentia duplex, & quid ſit.*

tioni actuali, & ſic dicimus, quòd vniuerſale iſto modo includit ipſam naturam cum tali indifferentia actuali, quæ nihil aliud eſt, niſi quædam relatio actualis terminata ad intellectum, qua actu eſt indifferens ad omnia ſua inferiora. Et ſic talis natura ſub tali indeterminatione dicitur vniuerſale completum, & in potentia proxima ad prædicari de omnibus inferioribus. Et iſto ſecundo modo accipitur *vniuerſale* in litera, & tale vniuerſale, ſiue accipiatur primo modo, ſiue ſecundo modo, eſt vnum intelligibile ſingulare, ſiue vnum numero. Nam accipiendo primo modo eſt vnum obiectum per ſe intelligibile, puta ipſa natura hominis, ſic intelligendo, quòd ex quo ens inquantum ens, vt eſt obiectum adæquatum intellectus, eſt ſimpliciter quoddam integratum ex omnibus entibus, vt ſuprà patuit *q. 1. prologi*, & ſic ens ſumptum in ſua communitate eſt vnum ens, ſiue vnum obiectum intelligibile numero, id eſt, quòd ipſum ſumptum in ſua communitate eſt aliqua pars obiecti adæquati, non quòd ſit in ſe vnum numero, ſiue ſingulare; ſed ex hoc dicitur vnum numero, prout eſt vnum de numero intelligibilium, cùm numeretur inter intelligibilia contenta ſub obiecto adæquato, licèt in ſe ſit commune pluribus: licèt ergo homo in communi dicatur vnum obiectum numero eſſe intelligibile, quia eſt vnum obiectum tantùm per ſe intelligibile; non tamen ſequitur ex hoc, quòd illa vnitas non ſit minor vnitate numerali propriè dicta.

Ens in ſua communitate ſumptum eſt vnum obiectum intelligibile numero.

2. Et ſi dicatur. Ex quo enim intelligibilitas ſequitur entitatem rei, cùm ſit paſſio ipſius, quomodo illa entitas in ſe erit vna vnitate minori vnitate numerali. Et tamen vnum numero per ſe intelligibile.

Homo eſt vnum obiectum intelligibile.

Dico, quòd ex hoc dicitur vnum numero, vt diſtinguitur contra plura; id eſt, quòd homo eſt vnum obiectum per ſe intelligibile, & aſinus eſt vnum obiectum per ſe intelligibile, & ſimiliter animal, & corpus, & ens, & vna intellectione natum intelligi, & data quacunque quiditate, illa poteſt dici vnum obiectum per ſe intelligibile. Et hoc modo omnia obiecta partialia, vt integrant vnum obiectum adæquatum intellectus, poſſunt dici obiecta diſtincta numero, quia diſtinctis intellectionibus numero, nata ſunt intelligi, & tamen vt comparantur ad inuicem ſecundùm entitatem propriam, illa obiecta diſtinguntur ſpecie, & aliquando genere: & tale vniuerſale primo modo, quod dicitur vniuerſale in potentia remota, vt natura humana indeterminata priuatiuè, licèt ſit communis pluribus, tamen vt eſt obiectum intelligibile dicitur vnum numero, modo præexpoſito.

Si dicatur: Nonne ſcientia eſt vniuerſalium, & per conſequens tale intelligibile erit vniuerſale, & commune?

Dico, quòd benè ſcientia terminatur ad entitatem indifferentem ad plura inferiora, & tamen illa entitas eſt vnum obiectum numero intelligibile, id eſt, quòd eſt vnum obiectum de numero omnium intelligibilium; & ſic patet, quòd non accipitur *vnum numero* propriè, vt includit hæceitatem. Si verò accipiatur vniuerſale, vt eſt indeterminatum contrariè:

Vniuerſale completum eſt tantum vnum numero.

Dico, quòd eſt vnum numero, quia talis indifferentia actualis, ſiue relatio actualis, qua actu eſt indeterminatum ad plura ſuppoſita, eſt tantùm vnum numero: & ſic vniuerſale completum eſt tantùm vnum numero, accipiendo *vnum numero* propriè. Si dicatur, ſi tantùm eſt vnum numero, ergo non includit vnitatem minorem vnitate numerali.

Dico, quòd ratione naturæ incluſæ dicit vnitatem illam minorem; ratione verò indeterminationis actualis additæ naturæ denominatione intrinſeca, eſt tantùm vnum numero, cùm talis indeterminatio ſit de ſe hæc; denominatione verò extrinſeca dicuntur plura numero; quia tale vniuerſale, vt ſic, potentia proxima prædicatur de omnibus inferioribus.

3. *Pulchra inſtantia.*

Si dicatur, Quomodo vnum numero poteſt actu prædicari de pluribus ſuppoſitis verè realiter, ita quòd quodlibet ſit ipſum?

Dico, quòd ſi tale vniuerſale tantùm includeret vnitatem numeralem, nunquam poſſet verè prædicari de pluribus ſuppoſitis, tamen quia vltra illam indeterminationem ſingularem includit naturam ex parte ſui, ex natura rei indifferentem ad plura ſuppoſita in ratione naturæ poteſt prædicari.

Si iterum dicatur, quòd vniuerſale completum, puta natura accepta ſub ſecunda intentione, vt homo ſumptus ſub intentione ſpeciei, habet tantùm ſuppoſitionem ſimplicem, & nullo modo perſonalem, vt patet à Doctore in ſuis Vniuerſalibus, & per conſequens non prædicatur de pluribus prædicatione exercita, dicendo, *hoc eſt hoc.*

Reſponſio.

Dico, quòd non accipio vniuerſale completum inquantùm ei applicatur ſecunda intentio, ſed inquantùm eſt actu indeterminatum contrariè, & vt ſic prædicatur de ſuis inferioribus exercitè, dicendo, *hoc eſt hoc*, puta Ioannes eſt homo.

Si iterum dicatur, Nonne vniuerſale completum, ſumptum in primis intentionibus, prædicatur in *quid* de ſuis inferioribus? ſed talis indifferentia contrariè ſumpta, non eſt de quiditate, cùm ſit tantùm relatio quædam.

Vniuerſale completum quomodo prædicetur in quid.

Dico, quòd vniuerſale completum in primis intentionibus verè prædicatur in *quid*, & verè eſt de quiditate inferioris, non tamen ratione indifferentiæ additæ, ſed ratione naturæ incluſæ, cui additur talis indifferentia.

9. Si etiam dicatur, ergo tale vniuerſale completum cùm includat illam indifferentiam, & per conſequens ſit vnum per accidens non poterit prædicari in *quid* de aliquo, vt patet à Doctore *in primo, dif. 2. & in tertio.*

Dico, quòd ſola natura illa eſt de quiditate inferiori, & ſecundùm illam verè prædicatur in *quid*, ſed quia non eſt in potentia proxima, vt actu dicatur in *quid* de illis, niſi per huiuſmodi indeterminationem actualem, illa indeterminatio pertinet ad completum vniuerſale, id eſt, facit, quòd illa natura, quæ potentia remota nata erat prædicari in *quid* de inferioribus, quòd potentia proxima prædicetur in *quid* de illis.

Si dicatur: Nonne tale vniuerſale prædicatur per ſe de inferioribus?

Dico, quòd ſic, ſed quomodo cùm illud ſit vnum ens per accidens, quia includit naturam, & relationem, & quod eſt in ſe per accidens de nullo per ſe prædicatur, vt patet à Doctore *in 1. diſt. 2.*

Dico, quòd prædicatur per ſe tantùm per rationem naturæ, quæ eſt vnum ens per ſe, ſed illa natura non poteſt prædicari per ſe actu, niſi actu

ſit

ſit ſub tali relatione, ſeu indeterminatione. Et hoc eſt, quòd intendit Doctor in iſta litera, quam recito exponendo aliqua.

5. *Explanatio litera Doct.* Cùm dicit, *vniuerſale in actu eſt illud, quod habet vnitatem indifferentem, ſecundùm quam ipſum idem eſt in potentia proxima, vt dicatur de quolibet ſuppoſito*, ſupple actu, quia natura, vt actu comparatur ad omnia inferiora eſt in potentia proxima, vt prædicetur de illis, quia vt ſic, eſt actu indifferens ad omnia inferiora. Sequitur: *Nihil enim ſecundùm quamlibet vnitatem in re eſt tale, quòd ſecundùm ipſam vnitatem præciſam ſit in potentia proxima ad quodlibet ſuppoſitum, vt dicatur de quolibet ſuppoſito prædicatione dicente, hoc eſt hoc:* patet, quia quod eſt actu in re, eſt tamen ſingulare primò, & ideò ſi actu prædicatur de pluribus, oportet conſiderare illam naturam, quæ in potentia remota eſt indifferens ad omnia ſingularia. Sic actu comparetur ad illa, vt ſit in potentia proxima ad prædicari de illis, quod tunc fit per actualem indifferentiam. Sequitur, *quia licèt alicui exiſtenti in re, non repugnat eſſe in aliqua ſingularitate ab illa in qua eſt*; patet, quia naturæ humanæ actu exiſtenti in Franciſco, non repugnat eſſe in alia ſingularitate, in quantùm ſupple conſideratur, vt prior ſingularitate Franciſci, non tamen illud verè dici poteſt de quolibet inferiori, quòd quodlibet eſt ipſum. Hoc eſt enim ſolum poſſibile de obiecto eodem indifferenti actu conſiderato ab intellectu, quod quidem vt intellectum habet vnitatem, & indifferentiam, ſecundùm quam ipſum eſt idem prædicabile de omni ſingulari dicendo, quòd hoc eſt hoc, quod dictum intellige modo præexpoſito.

6. *Optima declamatio ad mentẽ Ariſt.* c *Ex hoc apparet improbatio illius dicti*, &c. Vult dicere Doctor quòd loquendo de vniuerſali in potentia remota, tale non fit ab intellectu agente, quia *vbicunque eſt, antequam in intellectu poſſibili habeat eſſe obiectiuè, ſiue in re*, ſcilicet in propria exiſtentia, *ſiue in phantaſmate*, ſupple, vt in aliquo repræſentatiuo, *ſiue habeat eſſe certum, ſiue deductum per rationem, & ſi ſic non per aliquod lumen*, ſupple intellectus agentis, *ſed ſemper ſit talis natura ex ſe, cui non repugnet eſſe in alio*, vt ſuprà expoſui. Sequitur: *Non tamen eſt tale cui potentia proxima conuenit dici de quolibet, ſed tantùm eſt in potentia proxima, vt eſt in intellectum poſſibili*, id eſt, quòd ipſa natura priùs eſt præſens intellectui poſſibili, puta per aliquam ſpeciem intelligibilem, & ſic ibi habent *eſſe* obiectiuè primò. Secundò actu intelligitur ab intellectu poſſibili. Tertiò, vt ibi cauſatur indifferentia actualis, qua actu ipſa natura eſt indeterminata, ſiue indifferens ad quodlibet ſuppoſitum, & vt ſic, dicitur in potentia proxima.

d *Ad ſecundam inſtantiam de Damaſceno.* Hic Doctor ſoluit auctoritatem Damaſceni dicens, quòd loquitur de vnitate ſingularitatis in diuinis, & tale non reperitur in creaturis. Secundò loquitur de communi prædicabili, non præcisè de communi, quod determinatum eſt de facto, ſupple, quod actu eſt in aliquo ſingulari, licèt non repugnet ſibi eſſe in alio, vt ſuprà expoſui, quale commune præcisè poteſt poni in creaturis realiter.

7. e *Et per hoc patet ad illud argumentum principale*, &c. Nam Plato poſuit ideam eſſe aliquam ſubſtantiam ſeparatam à motu, & ab accidentibus per accidens, nihil habens in ſe, niſi naturam ſpecificam perfectam, & incorruptibilem, puta naturam humanam ſeparatam, & eiuſdem rationis cum corruptibilibus; & vltrà ſibi imponitur quòd dicta idea eſt formaliter vniuerſale, ita quòd per identitatem prædicatur de iſto corruptibili dicendo, *hoc eſt hoc*, &c. Videtur enim fictio, quòd actu ſit ſeparata, & ſit perfecta in actuali exiſtentia, & quòd prædicetur de pluribus, quia vt eſt actu exiſtens eſt tantùm ſingularis, vt verò eſt communis pluribus, eſt actu vniuerſalis, & ſic arguit Ariſtoteles contra ipſum, quia tunc talis idea nihil eſſet, niſi quædam fictio. Et hîc Doctor benè concedit, quòd ſubſtantia materialis per ſe exiſtens ſit ſingularis, tamen vt præſcindit, & vt prior ipſa exiſtentia actuali, & indiuiduatione, eſt aliqua natura communis. Et ſic patet ſolutio huius quæſtionis.

Contra hanc opinionem nonnulli inſtant prolixis rationibus, quorum primus eſt Occham *in primo, diſt. 2. q. 6.* qui primò nititur probare, quòd ſit impoſſibile dare naturam ex natura rei habentem vnitatem minorem vnitate numerali, ſic quòd talis natura ex natura rei non ſit de ſe hæc, ſed diſtinguatur ex natura rei ab hæcceitate. Et primò arguit ſic: Impoſſibile eſt in creatis aliqua differre formaliter, niſi differant realiter; ergo ſi natura diſtinguitur aliquo modo ab illa differentia contrahente, oportet quòd diſtinguantur ſicut res, & res; vel ſicut ens rationis, & ens rationis; vel ſicut ens reale, & rationis: ſed primum negatur ab iſto, & ſimiliter ſecundum; ergo oportet dari tertium; ergo natura quocunque modo diſtinguitur ab indiuiduo, non eſt niſi ens rationis. Antecedens patet, quia ſi natura, & illa differentia contrahens non ſunt idem omnibus modis, ergo aliquid poteſt verè affirmari de vno, & negari de reliquo; ſed de eadem re in creatis non poteſt verè affirmari, & negari; ergo non ſunt vna res. *Occham in 1. diſt. 2.*

8. *Solutio rationis Occhã.* Reſpondeo ad hanc rationem. Et pro clariori intelligentia præmitto aliqua, accipiendo naturam humanam, & hæcceitatem. Primò ſi natura humana conſideretur, vt habet tantùm *eſſe* obiectale, & potentiale, quod habet ab æterno, & ſimiliter hæcceitas, vt ſic diſtinguatur ab hæcceitate formaliter ſecundùm *quid*, tamen quia, vt ſic, tam natura, quàm hæcceitas, licèt dicant entitatem abſolutè, quam habent, vt actu ſunt, tamen dicunt illam ſecundùm *quid*, vt patet à Doctore *in 1. diſt. 36.* Et per conſequens eo modo, quo habent entitatem, formaliter diſtinguuntur, ſi vt quid, vt quid; ſi ſimpliciter, ſimpliciter. Secundò, poteſt conſiderari natura humana in *eſſe* reali, & actuali, & ſimiliter hæcceitas in *eſſe* actuali, & reali, & ſic ſimpliciter diſtinguuntur formaliter, cùm dicant diſtinctas formalitates, non enim hæcceitas includit quiditatiuè iſtam naturam, cùm dicat entitatem poſitiuam additam ipſi naturæ, vt notat Doctor *in iſto 2. diſt. præſenti, & in 1. diſt. 5. q. 2. & diſt. 26.* Nam ſi contrahens natura nullo modo includit, nec è contra, indiuiduum tamen conſtitutum ex natura, & hæcceitate includit naturam quiditatiuè. Tertiò poteſt conſiderari natura non tantùm in *eſſe* reali actuali, ſed etiam in *eſſe* exiſtentiæ, & ſimiliter hæcceitas; & tunc dico, quòd licèt exiſtentia actualis primò conueniat indiuiduis, & poſteriùs ipſi naturæ. Exiſtentia tamen aptitudinalis primò conuenit naturæ, & deinde

indiui

indiuiduis, ſicut *riſibile* primò conuenit homini, & pòſt indiuiduis, ſic *actu ridere* primò conuenit indiuiduis, & pòſt homini, vt ergo hæcceitas, & natura conſiderantur in naturali exiſtentia, fortè vt ſic non dicunt aliam & aliam exiſtentiam. Et ſi etiam concedatur, quòd ibi ſit alia & alia exiſtentia, quod fortè oportet concedere, cùm exiſtentia dicat gradum intrinſecum rei cuius eſt, & naturæ in *eſſe* reali actuali, ſic neceſſariò conueniat exiſtentia in *eſſe* reali, & actuali, quod eſt impoſſibile eſſe vnum ſine altero, vt ſuprà dixi, tunc diceretur, quòd adhuc natura, & hæcceitas, vt ſic diſtinguerentur formaliter tantùm. Nec ex hoc valet inferri, ergo realiter; quia inter aliam & aliam rem actu exiſtentem, quia diſtinctio realis eſt propriè inter illa, quæ ſic ſe habent, quòd non implicat vnum exiſtere ſine altero. Sed quomodo cum alia & alia exiſtentia ſtet realis identitas, ſuprà expoſitum eſt *in* 1. *diſt.* 1. *q.* 2. *& diſt.* 2. *par.* 2. *q.* 1. *reſpondendo ad primum arg. principale.*

9. *Natura prior eſt ſingularitate.*

Dico vltrà, quòd non habeo pro inconuenienti, quòd natura in *eſſe* reali, & actuali conſiderata, vt etiam prior natura ſingularitate, habeat primò exiſtentiam actualem, & ſic natura, vt actu exiſtens erit prior ſingularitate. Si enim ſingularitas perficit naturam, vt actu exiſtens, non videtur ipſam poſſe perficere, niſi vt actu exiſtentem; ſicut nec forma actu perficit materiam, niſi actu exiſtentem; non enim hæcceitas dat exiſtentiam propriam ipſi naturæ, cùm ipſa exiſtentia ſit gradus intrinſecus rei cuius eſt. Si enim natura tantùm exiſteret propter exiſtentiam hæcceitatis ſibi aduenientis, tunc formaliter diſtingueretur ab ipſa; patet, quia ſi A diſtinguitur formaliter à B, multò fortiùs diſtinguitur realiter à C, quod eſt poſterius B; cùm ergo natura formaliter diſtinguatur ab hæcceitate, ergo à fortiori formaliter diſtinguitur ab exiſtentia hæcceitatis, cùm ſit poſterior ipſa hæcceitate; nec eſt ſimile de riſibilitate, & actu ridendi, quia riſibilitas dicit tantùm aptitudinem ad actum ridendi, quia actus ridendi, cùm ſit operatio primò ineſt ſingularibus, exiſtentia verò dicit præcisè gradum intrinſecum naturæ cuius eſt. Et ſi dicatur, quòd Doctor *in præſenti q. & alibi*, vult, quòd natura non habeat *eſſe* realiter, niſi in indiuiduis. Dico quòd non intelligit quòd entitas realis, & actualis præcisè conueniat naturæ per indiuidua, quia tunc non poſſet dari eſſentia in *eſſe* reali, & actuali, quod eſt contra Doctorē. Sed ſic intelligit quòd nunquam natura aliqua habet *eſſe* reale, & actuale, quin neceſſariò ſit in aliquo indiuiduo. Et licèt natura humana tam in *eſſe* reali actuali eſſentiali, quàm in actuali exiſtentia ſit prior natura hæcceitate in *eſſe* reali actuali, eſt tamen impoſſibile ipſam naturam eſſe, quin ſit in aliquo indiuiduo, & hoc intendit Doctor.

Quomodo intelligitur quòd natura nō habet eſſe realiter niſi in indiuiduo.

10. *Inſtantia prima.*

Si dicatur, ſi natura in tali *eſſe* eſt prior natura ſingularitate: ergo ſibi non repugnat poſſe exiſtere ſine aliqua ſingularitate, quia priori natura non repugnat eſſe ſine poſteriori, vt patet à Doctore *in primo, & in ſecundo, diſtinctio* 1. *qu.* 2. *& alibi ſæpè.*

Reſponſio ad primam.

Dico, quòd ſi ſic non repugnat; repugnat tamen ex aliquo concomitante, quia ipſa natura, vt ſic, vt cauſa intrinſeca de neceſſitate naturæ quaſi originat illam hæcceitatem, quam actu habet, & ex hoc eſt impoſſibile ipſam eſſe ſine tali hæcceitate. Sicut dicimus, quòd homini conſiderato in *eſſe* quiditatiuo præcisè, non repugnat eſſe ſine riſibilitate; repugnat tamen ex aliquo concomitante, quia producit ipſam de neceſſitate naturæ in ſe. Sic dico in propoſito. Si iterum inferatur, quòd natura in *eſſe* reali, & actuali, &c. eſt prior omni ſingularitate, & vt ſic non repugnat ſibi eſſe ſine quacunque ſingularitate; ergo vt ſic, non neceſſariò determinat ſibi aliquam ſingularitatem. Probatur conſequentia per ſimile argumentum Doctoris factum *in diſt.* 12. *huius q.* 2. vbi ſic dicit: Quicquid contingenter ſe habet ad quodlibet cuiuslibet generis abſoluti, habet ſe contingenter ad illud genus abſolutum: ſed materia prima contingenter ſe habet ad quālibet formam; ergo materia prima poteſt eſſe ſine omni forma. Sic arguo in propoſito, natura eſt indifferens ad omnem ſingularitatem, ſicut materia prima ad omnem formam; ergo ſicut materia prima poteſt eſſe ſine omni forma; ergo & natura in *eſſe* reali actuali poterit eſſe ſine omni ſingularitate.

Inſtantia ſecunda.

Reſponſio ad ſecundam.

Dico, quòd non eſt ſimile, quia ibi comparatur materia ad formas realiter diſtinctas, & ſic ibi argumentum Doctoris militat. Hîc autem natura, vt comparatur ad hæcceitates non comparatur, vt ad illas realiter diſtinctas, & ideò argumentum non militat hîc.

11. *Inſtantia tertia.*

Si iterum dicatur, natura, vt actu exiſtens in Socrate, realiter diſtinguitur à qualibet alia hæcceitate, vt patet; ergo realiter diſtinguitur ab hæcceitate, quam actu habet. Probatur conſequentia, quia quod diſtinguitur à pluribus eiuſdem rationis diſtinguitur à quolibet alio, quod eſt eiuſdem rationis, cùm non ſit maior ratio de vno, quàm de alio.

Reſponſio ad tertiam.

Dico quòd natura, vt prior ſingularitate, non diſtinguitur realiter ab aliqua ſingularitate, ſed tantùm formaliter, quia nata eſt eſſe ita ſub vna, ſicut ſub alia; ſed vt actu eſt ſub vna ſingularitate, ratione illius realiter diſtinguitur à quolibet alio, & ſic natura, vt actu eſt in Socrate realiter diſtinguitur à qualibet alia ſingularitate, ſed hoc non eſt præcisè ex ratione naturæ, ſed ratione ſingularitatis, quam actu habet, quam realiter ſibi identificat, cùm illa de neceſſitate naturæ oriatur à principiis illius naturæ.

Inſtantia quarta.

Si dicatur, ergo & quamlibet aliam ſibi realiter identificat, quia ex quo omnes ſunt eiuſdem rationis, ita vna nata eſt oriri à principiis naturæ, ſicut & alia.

Reſponſio ad quartam.

Dico quòd, quantùm eſt ex parte ſua, omnes ſibi realiter identificat, & ſi realiter non identificat, hoc non eſt ratione naturæ, ſed quia, vt actu eſt ſub vna ſingularitate, repugnat ſibi eſſe ſub alia. Et concedo quòd omnes natæ ſunt oriri à principiis illius naturæ, ſed dum vna oritur, alia non poteſt oriri, ſtante illa prima; quia dum natura actu habet vnam ſingularitatem, repugnat ſibi poſſe habere aliam. Sicut ſi ponatur, quòd omnes dependentiæ creaturæ ad Deum ſint eiuſdem rationis, quia præcisè ad eundem terminum. Sequitur quòd ſi lapis realiter diſtinguitur à dependentia hominis, quòd etiam realiter diſtinguatur à dependentia, quam habet, cùm non ſit maior ratio de vno, quàm de alio.

Diceretur, quòd naturæ lapidis, vt ſic, non repugnat poſſe eſſe ſine dependentia, quam habet, repugnat tamen concomitanter, quia illa dependentia lapidis oritur de neceſſitate naturæ à natura

tura intrinſeca lapidis. Et ſi lapis actu eſſet ſub dependentia, quam habet homo, illa ſimpliciter eodem modo oriretur à natura lapidis, nec repugnaret lapidi poſſe eſſe ſub dependentia hominis, tenendo quòd tales dependentiæ ſint eiuſdem rationis. Sic dico in propoſito, quòd poſita natura in *eſſe* reali actuali ab ipſa de neceſſitate naturæ, & in ipſa pullulat tantùm vna hæcceitas, quæ ſibi realiter identificatur, & ſi illa non pullularet in qua eſſet, non identificaretur ſibi realiter, & ſic dicendum de omnibus aliis.

12. *Inſtantia quinta.* Si iterum dicatur, pono quòd ſint decem indiuidua, certum eſt, quòd in illis ſunt decem naturæ in *eſſe* reali, & actuali priores natura ſingularitate, illæ naturæ in tali priori. Quæro quomodo differunt, non numero, quia ponuntur priores omni ſingularitate; non ſpecie, quia tunc decem naturæ humanæ eſſent decem naturæ ſpecie diſtinctæ.

Reſponſio ad quintam. Dico, quòd ipſæ naturæ, vt ſic priores, nec numero, nec ſpecie præcisè diſtinguuntur, nec ſequitur à ſufficienti diuiſione, diſtinguuntur aut numero, aut ſpecie, aut genere. Dico, quòd nec ſic, nec ſic; & patet inſtantia in multis aliis.

Hæcceitas, & natura quomodo diſtinguuntur. Nam hæcceitas, & natura, cuius eſt, diſtinguuntur formaliter, & tamen nec numero, nec ſpecie, nec genere. Similiter rationale, & animal diſtinguuntur formaliter, & tamen nec numero. Et ſimiliter natura, & gradus intrinſecus diſtinguuntur ex natura rei, & tamen nec numero, nec ſpecie. Et ſimiliter partes compoſiti eſſentiales in communi, vt præcedunt ſingularitatem diſtinguuntur realiter, & tamen nec numero, nec ſpecie, & ſic de multis aliis. Sic dico, quòd illæ decem naturæ diſtinguuntur realiter, quia vna poteſt eſſe ſine altera, & tamen nec numero, nec ſpecie. Nec ſequitur, vt ſic non differunt, nec numero, nec ſpecie; ergo ſunt idem numero, vel ſpecie. Et patet inſtantia de animali, & rationali,

Animal, & rationale, nec differunt ſpecie, nec ſunt idem ſpecie. quæ nec differunt ſpecie, nec ſunt idem ſpecie, illa enim, quæ differunt ſpecie in aliquo genere ſunt in recta linea prædicamentali: & ſimiliter, quæ differunt numero, & ſimiliter eadem ſpecie, & eadem numero; differunt ergo ſicut duæ naturæ abſolutæ. Et quælibet in tali priori dicit naturam ſpecificam, & ſpecificè diſtinguitur ab aſino, leone, & aliis; ſed non diſtinguitur ſpecificè ab alia natura humana, ſunt enim eiuſdem rationis, ſed non eiuſdem ſpeciei.

13. *Inſtantia ſexta.* Si iterùm dicatur, iſtæ decem naturæ, vt priores ſingularitate natæ ſunt fundare ſecundam intentionem ſpeciei ſpecialiſſimæ: patet, quia intellectus comparando vnam ad omnia ſingularia, ad quæ eſt indifferens, cauſat in illo vnam ſecundam intentionem ſpeciei ſpecialiſſimæ. Et ſimiliter cauſat comparando aliam ad eadem ſingularia, ergo iſtæ decem naturæ, vt ſic poſſunt fundare decem intentiones ſecundas, quæ differunt ſpecie.

Reſponſio ad ſextam. Dico, quòd illæ intentiones ſecundæ, vt fundantur in illis naturis præcisè, non dicuntur differre ſpecie, quia nec fundamenta, nec termini, quælibet tamen ſecunda intentio fundata in illis naturis differt ſpecie ab alia ſecunda intentione fundata in natura ſpecie diſtincta, quod benè nota.

Inſtatur ſeptimò. Si iterum quæratur. Si dentur tales decem naturæ, & dicantur A. B. C. D, &c. tunc quæro an A, poſſit eſſe ſub qualibet ſingularitate, non coniunctim, ſed diuiſim, putà an poſſit eſſe ſub ſingularitate, quæ dicatur, F. & tunc quæro an B poſſit eſſe ſub eadem ſingularitate. Dico abſolutè, quòd B. poteſt eſſe ſub omni ſingularitate diuiſim, niſi illa ſit facta propria alicui, & ſic quamuis poſſit abſolutè eſſe ſub ſingularitate, F. Sed tamen vt ſingularitas F. facta eſt propria naturæ A. tunc non poteſt eſſe ſub illa, & A. ideò B. abſolutè licèt poſſit ſibi identificare F. quia abſolutè poteſt eſſe ſub illo, ſed non vt eſt proprium A.

14. *Reſponſio ad Ocham.* His præmiſſis reſpondeo ad rationem Ocham, cùm dicit, natura, & hæcceitas, aut diſtinguuntur ſicut res & res. Dico breuiter, quòd res & res aliquando accipitur pro re & re, quarum vna poteſt eſſe ſine altera, aliquando accipitur pro realitate, & realitate, aliquando accipitur pro formalitate, & formalitate, accipiendo rem ſecundo, & tertio modo. Dico, quòd diſtinguuntur ſicut res, & res. Et cùm infertur ſi ſunt eadem res realiter de eadem re, nihil poteſt verificari de vno, quin & de alio. Dico, quòd aliquid verificari de A. quòd non verificatur de B. poteſt dupliciter intelligi, vt etiam expoſitum eſt ſuprà *in prima diſtinctione quæſtione quinta huius ſecundi*, primò quòd aliquid verificetur ſimpliciter de A. quod realiter repugnet B. ſicut exiſtentia verificatur de Franciſco, quæ realiter repugnet Ioanni, & ſic Franciſcus & Ioannes non ſunt eadem res realiter. Secundò, quòd aliquid verificatur de A, ex natura rei, vel formaliter accipiendo formaliter, prout dicit aliquam formalitatem, licèt non ſit de formalitate illius cuius eſt, quod tamen non verificatur de B. & ſic de A, & B, vt ſunt eadem res realiter aliquid verificatur de vno, quod non de altero, patet de ſubiecto, & propria paſſione, & de eſſentia diuina, & relatione, de quibus ſatis dictum *in primo, diſt. 2. p. 2. q. 1.* Sic dico in propoſito, quia de natura verificatur ex natura rei, quòd eſt eſſe communicabile, vt *quod*, quod nullo modo verificatur de hæcceitate, vt patet à Doctore *in primo, vbi ſuprà*. Et ſimiliter de hæcceitate ex natura rei verificatur, quòd eſt incommunicabilis, vt *quod*, & ſimiliter quòd ex natura rei contrahit naturam ad *eſſe* indiuiduale, quæ ex natura rei repugnant naturæ, vt natura eſt.

15. Cùm etiam infertur, quòd ſi natura, & hæcceitas diſtinguuntur ſicut res, & res, quòd tunc ſequitur, quòd natura non eſt hæcceitas, nec è contra. Conceditur quòd non eſt hæcceitas formaliter, eſt tamen hæcceitas realiter, ideò concedo hunc ſyllogiſmum ſine determinatione: *Omnis differentia indiuidualis eſt propria alicui indiuiduo; ſed natura non eſt propria; ergo natura non eſt differentia indiuidualis realiter.* Sed ſi ſumatur ſine determinatione, tunc minor eſt falſa, non autem tenet vniuerſaliter, ſi præmiſſæ accipiantur ſub aliqua determinatione certa ſyncategorematica cuiuſmodi eſt de *per ſe*. Et cùm dicit Ocham, quòd hoc non valet, quia ſicut eſt forma ſyllogiſtica vniformis tam in illis de ineſſe, quàm in illis de modo. Et ſimiliter eſt forma ſyllogiſtica tam vniformis, quàm miſta in illis propoſitionibus ſumptis cum aliis determinationibus, ſicut ſunt per ſe inquantum & huiuſmodi. Et per conſequens ita eſt forma ſyllogiſtica hæc; *omnis homo per ſe eſt animal; nullus lapis per ſe eſt animal; ergo nullus lapis per ſe eſt homo*; & per conſequens vltrà, nullus lapis eſt homo: ſicut eſt

Cur natura non poſſit eſſe differentia indiuidualis.

hîc *omne animal de neceſſitate eſt ſubſtantia; nullum accidens de neceſſitate eſt ſubſtantia; ergo nullum accidens de neceſſitate eſt animal.* Dico quòd etſi aliquando talis forma teneat de materia, non tamen tenet de forma, quia non in omnibus; patet arguendo ſic in ſecunda figura; *Nullum rationale per ſe eſt animal; omnis homo per ſe eſt animal, ergo nullus homo per ſe eſt rationalis*, concluſio falſa. Similiter in tertia figura non ſequitur: *Omnis homo per ſe eſt animal; omnis homo per ſe eſt rationalis; ergo rationale per ſe eſt animal*; Non ſequitur, quia genus non prædicatur per ſe de differentia, vitando etiam has prolixitates ſyllogiſmorum poteſt concedi iſta conſequentia; *ergo natura non eſt differentia indiuidualis realiter*, accipiendo *realiter* ex natura rei, quia ex natura rei aliquid competit naturæ, quod ex natura rei repugnat differentiæ indiuiduali.

Genus non prædicatur per ſe de differentia.

16. *Secuda ratio principalis Ocham contra Scotum.*

Secundò principaliter arguit Ochã ſic: Quandocunque conuenit alicui realiter vnum oppoſitorum, ita quòd verè & realiter denominatur ab illo, reliquum oppoſitorum ſibi non competit realiter, immo ſimpliciter ab eo negabitur: ſed per te omnis res extra animam eſt realiter ſingularis vna numero, quamuis aliqua de ſe ſit ſingularis, & aliqua tantùm per aliquid additum; ergo nulla res extra animam eſt realiter communis; nec vna vnitate oppoſita vnitati ſingularitatis; ergo realiter non eſt aliqua vnitas, niſi vnitas ſingularis. Si dicatur, quòd iſtæ duæ vnitates non ſunt oppoſitæ realiter. Contrà, ſi non opponuntur realiter, ergo ex nulla oppoſitione poteſt concludi quin à parte rei poſſint eidem primo conuenire; ergo non poteſt ſufficienter concludi quin idem, & per idem omnibus modis ſit vnum iſta vnitate, & illa, & quin idem & per idem omnibus modis ſit commune, & ſingulare.

Reſponſio ad ſecundam rationem Ocham contra Scot.

Reſpondeo, quòd eo modo, quo vnum oppoſitum conuenit alicui, eo modo aliud oppoſitum repugnat ſibi, tam per ſe, quàm per accidens. Et cùm dicitur, quòd omnis res extra animam eſt realiter ſingularis vna numero; ergo nulla res extra animam eſt communis; dictum eſt ſuprà, quòd ſtat naturam communem habere *eſſe* reale extra animam, & tamen eſſe priorem ex natura rei ipſa ſingularitate, ita quòd de ſe non eſt hæc: & licèt omnis talis natura, vt ſic, ſemper ſit in aliquo ſingulari, tamen vt ſic ſemper præintelligitur eſſe priorem ex natura rei omni ſingularitate. Dico ergo, quòd naturæ humanæ in illo priori conuenit ſibi vnitas communis ex natura rei. Et in illo priori oppoſitum repugnat ſibi, videlicet vnitas realis numeralis, licèt vt eſt facta propria alicui, conuenit ſibi talis vnitas realis numeralis, vt additum naturæ. Poteſt etiam dici, quòd vnitas realis numeralis accipiendo *rem* abſolutè, non pro realitate, vel formalitate, eſt ſimpliciter idem realiter quod natura, id eſt, quòd ipſa natura, & differentia ſingularitatis ſunt ſimpliciter vna res, vt tamen natura dicit aliam formalitatem ab hæcceitate. Dico, quòd naturæ formaliter conuenit vnitas communis, & ſic vnitas numeralis repugnat ſibi, tam per ſe, quàm per accidens, talis eſt vnitas cõmunis quæ cõuenit naturæ ex natura rei, accipiendo *rem* pro aliqua realitate, & vt ſic, vnitas realis numeralis repugnat ſibi, tam per ſe, quàm per accidens.

17. Tertiò arguit ſic, probando quòd cum vnitate minori non poſſit ſtare multitudo oppoſita, & arguit ex dictis Doctoris, quia dicit quòd natura & differentia indiuidualis non differunt realiter. Ex hoc arguit ſic; Quando aliqua duo ſunt idem realiter, quicquid poteſt per diuinam potentiam eſſe vnum eorum realiter poteſt eſſe reliquum: ſed iſta differentia indiuidualis non poteſt eſſe plura numero realiter diſtincta; ergo nec natura, quæ eſt eadem realiter cum ipſa differentia contrahente poteſt eſſe plura realiter, nec per conſequens poteſt eſſe aliqua alia res ab iſta differentia contrahente, & ita natura ſine contradictione non compatitur ſecum multitudinem numeralem, &c.

Tertia ratio Ocham contra Sco.

Reſponſio ad hoc argumentum ex ſupradictis patet. Et concedo illam propoſitionem, videlicet, quòd Quando aliqua duo ſunt idem realiter, quòd poteſt eſſe vnum realiter, & reliquum, accipiendo *rem* propriè; & negatur iſta, quòd differentia indiuidualis non poſſit eſſe plura numero diſtinctè. Nam vt ſunt in diſtinctis naturis realiter diſtinguuntur, ſicut & naturæ illæ, vt ſuprà expoſui de decẽ naturis. Et cõcedo quòd tunc tot ſũt ſingularitates realiter diſtinctæ, quot ſunt naturæ cõtractæ, quæ realiter diſtinguũtur. Et cõcedo etiam hanc poſitionem, quòd quacunque natura data, vt præſcindit ab omni ſingularitate quantùm eſt ex ſe realiter identificat omnem ſingularitatem, non ſimul, ſed ſic intelligendo, quòd eſt indifferens ad omnem ſingularitatem, & ſub quacunque fiat actu identificat eam ſibi realiter.

Reſponſio ad tertium.

18. *Arguit quarto Ocham contra Sco.*

Quartò arguit ſic, quia ſi natura eſſet iſto modo communis, ſequeretur quòd tot eſſent ſpecies, & genera, quot ſunt indiuidua, quia natura Socratis eſt ſpecies, & eadem ratione natura Platonis, tunc arguo: Quandocunque ſunt aliqua realiter diſtincta, quorum vtrumque poteſt dici ſpecies, tunc ſunt plures ſpecies; ſed ſic eſt in propoſito. Confirmatur, quia ad multitudinem ſubiecti proximi, ſequitur multitudo paſſionis: Sed, ſecundùm Scotum, iſta vnitas minor eſt paſſio naturæ; ergo ſicut natura realiter multiplicatur, ita paſſio cùm ſit realis realiter multiplicatur, & per conſequens ſicut realiter ſunt duæ naturæ in Socrate, & Platone, ita erunt duæ realiter vnitates minores, ſed iſta vnitas minor, vel eſt communitas inſeparabilis à communitate, & per conſequens inſeparabilis à communi; ergo ſunt duo communia in Socrate, & Platone.

Reſponſio ad quintum.

Reſponſio ad hoc argumentum, & ad confirmationem, licèt ex ſupradictis patere poſſit, dico tamen, quòd iſta inconuenientia non ſequuntur, & concedo abſolutè, quòd tot ſunt naturæ communes, quot ſunt indiuidua, quia vt præſcindunt à ſingularitate dicunt vnitatem minorem vnitate numerali. Et dico, quòd quælibet nata eſt prædicari de omnibus ſingularibus naturæ humanæ, & quòd quælibet vt prior ſingularitate eſt indifferens ad omnem ſingularitatem. Et cùm infertur, quòd tunc erunt plures ſpecies. Dico quòd ad hoc, vt aliquid dicatur ſpecies, requiritur vt præcisè conueniat indiuiduis eiuſdem naturæ; cùm ergo quælibet natura, vt eſt prior ſingularitate ſit apta conuenire omnibus indiuiduis, poteſt dici ſpecies reſpectu illorum, nunquam tamen vna ſpecies poteſt conuenire indiuiduis alterius ſpeciei: & ſic ſi decem naturæ humanæ eſſent realiter contractæ ad decem indiuidua,

indiuid ua, vt priores ſuis ſingularitatibus,quælibet nata eſſet conuenire , & prædicari de indiuiduis cùm ſit indifferens ad illa ; & ſic quælibet nata eſt fundare intentionem ſpecificam reſpectu illorum indiuiduorum,non tamen ex hoc ſequeretur,quòd natura in Franciſco, vt prior ſingularitate,& etiam natura in Ioanne , vt prior ſingularitate,ſint ſpecies ad inuicem diſtinctæ , quamuis poſſint fundare intentionem ſpecificam, quia tunc natura in Franciſco non poſſet conuenire Ioanni,ſi ſpecie diſtingueretur à natura Ioannis, quælibet tamen ſpecie diſtinguitur à natura equi, aſini,& huiuſmodi.

19. Ad confirmationem concedo,quòd vnitas minor vnitate numerali eſt paſſio naturæ,& concedo , quòd tot ſunt tales vnitates quot naturæ in diuerſis indiuiduis. Et concedo quòd quælibet natura , vt prior ſingularitate ex natura rei eſt communis , ita quòd quælibet nata eſt eſſe communis ad omnia indiuidua naturæ humanæ, non tamen ex hoc ſequitur, quòd ſint diſtinctæ naturæ ſpecificæ ad inuicem , cùm quibuſcunque indiuiduis conueniat vna,& altera ſimiliter conuenit , quod ſimpliciter repugnat diſtinctis ſpeciebus. Poſſet tamen breuiùs dici , quòd natura vt præſcindit à ſingularitate, eſt tantùm vna vnitate minori vnitate ſingularitatis. Et propter aliam & aliam ſingularitatem fit alia & alia natura ſingularis. Iſta tamen reſponſio non ita ſoluit difficultates incidentes , ſicut prima , quia ſi eſſent mille indiuidua actu , eſſent mille naturæ ſemper priores ſuis ſingularitatibus , & vt ſic,ex natura rei eſſent communes,& ideò prima reſponſio eſt melior.

Difficultas. Hîc tamen poteſt incidere vna bona difficultas, quia tunc videtur ſequi , quòd de eodem indiuiduo poſſent prædicari in *quid* mille naturæ, quod videtur impoſſibile. Aſſumptum probatur. Et pono caſum , quòd actu ſint mille naturæ etiam indiuiduatæ, & ſit Franciſcus indiuiduum ; illæ naturæ ex ſupradictis , vt intelliguuntur priùs natura hæcceitatibus , ſunt communes;ergo omnes natæ ſunt prædicari de omnibus indiuiduis naturæ humanæ in *quid*,ac per conſequens omnes natæ ſunt ſimul prædicari de Franciſco, cùm non ſit maior ratio de vna, quàm de alia ; & ſi ſic , tunc omnes erunt de quiditate Franciſci , quia quod prædicatur in *quid* de aliquo , eſt de quiditate illius , de quo prædicatur ; & ſic Franciſcus eſſet realiter , & quiditatiuè, & ſimul mille naturæ humanæ,quod videtur manifeſtè falſum. Nec valet dicere , quòd illæ naturæ , vt ſic , natæ ſunt tantùm prædicari in *quid* de Franciſco potentia remota, ſed non poſſunt prædicari in *quid* potentia propinqua , niſi pro quanto comparentur actu ab intellectu ad indiuidua, de quibus prædicantur , & hoc modo plures naturæ non prædicantur in *quid* de vno indiuiduo. Dico quòd hoc non concludit, quia vt intelliguntur priùs natura ſuis hæcceitatibus, ſicut intellectus poteſt comparare vnam ad omnia indiuidua naturæ humanæ , ita & aliam & aliam, cùm non ſit maior ratio de vna, quàm de alia , & ſic ſequitur , quòd omnes actu erunt in potentia propinqua ad prædicari de omnibus indiuiduis. Et præterea hoc , quod dico *prædicari de pluribus indiuiduis in quid* , tantùm fundatur in natura communi ex natura rei ad omnia illa indiuidua ; cùm ergo ſint mille eiuſdem rationis cum prima , ita hoc , quod dico *prædicari de pluribus* per actum intellectus poteſt fundari in mille,ſicut & in vna illarum , cùm non appareat maior ratio de vna , quàm de alia.

20. *Reſponſio ad difficultatē.* Reſpondeo , præmittendo aliqua. Primum, quòd aliud eſt loqui de hæcceitate actu contrahente naturam , & de hæcceitate actu non contrahente naturam. Primo modo ipſa hæcceitas actu facit vnum indiuiduum actu cum natura contracta, & ſic natura, vt contracta, eſt ita propria illi indiuiduo , quòd eſt impoſſibile ipſam poſſe applicari alteri indiuiduo , & vt ſic contracta,& ſub illa ratione conſiderata , non intelligitur prior natura ipſa hæcceitate, quia tunc eſſet contracta , & non contracta. Secundo modo hæcceitas actu non facit vnum cum natura contrahibili , ſed eſt apta nata facere vnum indiuiduum,quia nata contrahere.

Secundum præmittendum eſt , quòd quando dicimus naturam prædicari in *quid* de indiuiduo, non intelligimus ipſum prædicari in *quid* de hæcceitate contrahente , cùm hæcceitas nullo modo pertineat ad quiditatem , vt expoſui *in primo diſt.* 25. Et ſi prædicatur de hæcceitate tantùm prædicatur denominatiuè de eo , quod eſt extra naturam formalem ſubiecti ; prædicatio ergo in *quid* ſpeciei de inferioribus , eſt naturam ſpecificam in concreto ſumptam prædicari in *quid* de indiuiduis conſtitutis ex natura , & hæcceitate. *Quid ſi prædicatio ſpeciei de ſuis inferioribus.*

Tertium præmittendum eſt , quòd natura vt actu contracta pro hæcceitate de nullo prædicatur in *quid*,niſi tantùm de ſeipſa,cùm vt ſic contracta,ſit tantùm ſingularis.

Quartum præmittendum eſt , quòd quando indiuiduum recipit prædicationem in *quid* naturæ in communi , recipit tantùm ratione naturæ contractæ , & ſic dicimus , quòd Franciſcus & Ioannes conueniunt quiditatiuè in natura humana , quia Franciſcus actu habet naturam eiuſdem rationis cum natura contracta in Ioanne.

21. Quintum præmittendum,quòd ſi per poſſibile tantùm eſſent mille indiuidua actu exiſtentia, ſiue in actualitate reali , tantùm eſſent mille naturæ actu contractæ in reali actualitate , ita quòd vltra illas nulla eſſet in reali actualitate, cùm natura habens *eſſe* reale actuale , realiter ſit in indiuiduo,vt ſupra patuit,tunc ſtante iſto. Cùm dicimus,quòd omnia iſta indiuidua conueniunt quiditatiuè in natura humana in communi , & quod natura humana in communi prædicatur de omnibus iſtis in *quid* non debemus intelligere vnam naturam humanam in communi , aliam ab illis mille naturis humanis ; ſed ſic debemus intelligere , quòd vnaquæque illarum , vt intelligatur prior hæcceitate contrahente eſt communis ad omnia illa mille indiuidua , quia vt ſic intellecta , eſt indifferens ad omnes hæcceitates illorum iiidiuiduorum , vt puta contrahi à qualibet hæcceitate, & nata contrahi ab vna ſicut ab alia ; & vt ſic vnaquæque nata eſt prædicari in *quid* de omnibus illis indiuiduis;quia vnaquæque cum hæcceitate contrahente nata eſt conſtituere vnum per ſe indiuiduum includens naturam quiditatiuè. Ex hoc ergo, quòd nata eſt quiditatiuè conſtituere indiuiduum ſub ſpecie humana , dicimus ipſam prædicari in *quid* , tota enim quiditas Franciſci eſt natura contracta in Franciſco. Et quia eadem natura intellecta,vt prior hæc-

ceitate Franciſci, nata eſt contrahi ab hæcceitate Ioannis, & ſic nata facere vnum per ſe cum illa hæcceitate,& ſi actu eſſet contracta ab illa, actu diceret totum *eſſe* quiditatiuum Ioannis,& ſimiliter,quia eadem natura, vt intelligitur prior natura hæcceitate Ioannis, nata eſt contrahi ab hæcceitate Petri id eſt, ab hæcceitate, non quæ actu eſt alicuius indiuidui, ſed quæ nata eſſet vltimatè conſtituere indiuiduum contrahendo naturam, &c. quia talis natura,vt ſic contrahibilis nata eſt per ſe facere vnum indiuiduum cum illa hæcceitate,& vt actu contracta,actu dicit totum eſſe quiditatiuum Petri, & pariformiter dico de omnibus aliis indiuiduis. Non oportet ergo imaginari quando dicimus, quòd natura prædicatur in *quid* de Franciſco, quòd detur vna alia natura à natura actu contracta in Franciſco,quæ prædicetur in *quid* de illo; ſed quia eadem natura contracta conſtituit per ſe vnum per ſe indiuiduum,& dicit totum *eſſe* quiditatiuum illius, ideò vt illa eadem natura conſideratur, vt prior hæcceitate Franciſci eſt contrahibilis, & nata dicere totam quiditatem Franciſci, ideò prædicatur in *quid* de Franciſco, ex hoc ſolo,quòd eſt nata dicere totam quiditatem illius, quam actu dicit, vt actu eſt contracta, & quia eadem, vt prior, &c. eſt contrahibilis ab aliis hæcceitatibus, & nata dicere totam quiditatem indiuiduorum, ideò prædicatur in *quid* de illis, & totam quiditatem actu dicit,quando actu eſt contracta, & actu per ſe conſtituit vnum indiuiduum vnà cum hæcceitate eſt actu dicens totum *eſſe* quiditatiuum illius.

22. *Reſolutio ad difficultatē.* Dico ergo, quòd cùm dicimus, Franciſcus eſt homo quiditatiuè,non intelligo naturam humanam diſtinctam ab illa, quæ eſt in Framciſco; ſed intelligo præcisè eandem naturam, quæ ideò prædicatur in *quid* de Franciſco,pro quanto nata eſt conſtituere illud indiuiduum,dans ei totum *eſſe* quiditatiuum, & vt contracta in Franciſco actu non eſt apta nata prædicari de alio in *quid* ſed vt contrahibilis ab omni alia hæcceitate, & nata eſt facere per ſe aliud indiuiduum cum alia & alia hæcceitate, dicitur prædicari in *quid* de illis,& cùm actu eſt in vno, non poteſt actu eſſe in alio. Ex his patet quid dicendum eſt ad dubium,cùm dicitur, quòd tunc mille naturæ poſſent prædicari in *quid* de Franciſco. Dico quòd tantùm illa natura,quæ actu eſt in Franciſco, dicit quiditatem illius, & nulla alia, ſed vt contrahibilis, & nata per ſe facere vnum cum hæcceitate Franciſci dicitur prædicari in *quid*:& concedo, quòd quælibet natura, vt contrahibilis nata eſt per ſe facere vnum cum hæcceitate Franciſci, & ſic concedo,quòd quælibet, vt ſic nata eſt per ſe facere indiuiduum Franciſci,& quælibet,vt ſic, prædicatur in *quid* de Franciſco,ſed vt contracta eſt in Franciſco,& dicit totam quiditatem illius, tunc de illo conſtituto nulla alia natura prædicatur in *quid*,cùm prædicari in *quid* nihil aliud ſit, niſi naturam natam facere cum hæcceitate contrahente illud indiuiduum, de quo prædicatur: non ergo de eodem indiuiduo conſtituto ex natura & hæcceitate,alia & alia natura prædicatur, imò,vt ſic,nulla natura prædicatur de illo,niſi vt conſiderata in *eſſe* contrahibili, & vt nata facere vnum per ſe cum hæcceitate.Et ſic patet reſponſio ad difficultatem;quam benè pondera,quia ad multa valet.

Quid ſit prædicari in quid.

23. Quintò arguitur ſic:Humanitas in Socrate,& humanitas in Platone realiter diſtinguntur;ergo vtraque illarum eſt realiter vna numero, & per conſequens neutra eſt communis. Si dicatur, quòd iſtæ naturæ non ſunt diſtinctæ,niſi per iſtas differentias additas, ſicut nec aliqua earum eſt vna numero, niſi per differentiam additam, & ideò neutra eſt de ſe ſingularis,ſed eſt de ſe communis. Contrà,omnis res ipſa, vel per aliquid ſibi intrinſecum diſtinguitur eſſentialiter ab omni alia re,à qua eſſentialiter diſtinguitur, ſed humanitas, quæ eſt in Socrate eſſentialiter diſtinguitur ab humanitate, quæ eſt in Platone; ergo ſeipſa, vel per aliquid intrinſecum ſibi ab eo diſtinguitur: non ergo per aliquid extrinſecum additum illi.

Argumētum quintum contra Scotum.

Reſpondeo & concedo,quòd iſtæ duæ naturæ realiter diſtinguuntur, etiam vt intelliguntur priores natura ſuis hæcceitatibus, & non diſtinguuntur præcisè per illas hæcceitates, ſed cùm infertur,aut diſtinguuntur ſeipſis,aut per aliquod intrinſecum. Dico, quòd fortè poteſt dari vtrunque,quòd primò diſtinguuntur ſeipſis,ſaltem ſic, quòd non ſunt natæ conuenire in *quid* in aliqua ſpecie ſpecialiſſima, quia ſola indiuidua conueniunt in *quid* in illa: nec tamen ſequitur, quòd differant ſpecie, vt ſuprà oſtenſum eſt; ſed benè quælibet nata eſt fundare intentionem ſpeciei; non aliam & aliam intentionem,vt comparantur ad indiuidua talis naturæ;ſed vt comparantur ad alias naturas ſpecie diſtinctas,vt ſuprà dixi. Dico ſecundò,quòd poſſunt dici diſtingui ſeipſis ſic intelligendo, quòd quicquid pertinet ad rationem quiditatiuam vnius, pertinet etiam ad rationem quiditatiuam alterius;ſic intelligendo,quòd ſicut vna dicit præcisè quiditatem conſtitutam ex animali rationali,ſubſtantia,ente, &c. ita & alia dicitur conſtitui ex animali, &c. non ponendo nec animal, nec aliquod ſuperius commune eis, ſed ſic intelligendo, quòd ſicut natura humana in Socrate eſt realiter diſtincta à natura humana in Platone,ita animal in Socrate, & rationale,& ſubſtantia,& ens realiter diſtinguitur ab animali, & rationali, & ſubſtantia, & ente, & Platone, & hoc modo præcisè ſeipſis diſtinguntur, ita quòd nihil vnius eſt idē alicui alterius,quod benè nota. Nec ex hoc valet dicere,quòd ita homo,& aſinus diſtinguuntur ſeipſis, quia animal in homine,& animal in aſino differunt, &c. Dico,quòd homo, & aſinus conueniunt in animalitate in communi, ſic intelligendo,quòd animal,vt contrahibile per rationale natum eſt per ſe facere vnum cum rationali, & vt actu contractum conſtituitur actu vnum in *eſſe* ſpecifico,& ſimiliter animal,vt prius differentiis natum eſt contrahi per irrationale, ſic,quòd natum eſt facere vnum cum illo: & ex hoc dicimus, quòd homo, & aſinus non ſeipſis diſtinguuntur,quia conueniūt quiditatiuè in animali,& per differentias diſtinguūtur. Sed non eſt ſic de duabus naturis eiuſdem rationis, vt ſunt priores ſuis ſingularitatibus, quia non dicimus, quòd ſint natæ conuenire in *quid* in aliquo communi,& differre per aliquid, ſed in nullo quiditatiuè conueniunt. Si tamen iſta poſitio non placet, quia fortè eſſet difficile aſſignare rationem quare non cōueniat in aliquo cōmuni quiditatiuè poſſet dari aliud membrum, quod non præcisè diſtinguuntur ſeipſis,ſed aliquo quiditatiuè conueniunt,& aliquo differunt. Si dicatur,quòd tūc eſſent duæ ſpecies, quia præter rationem indiuidualem haberent quo conuenirent quiditatiuè,

No.hanc reſponſionem contra Ochā.

& quo

& quo differrent. Dico, quòd ſi illud quo differunt, eſſet aliqua differentia diuiſiua generis, & conſtitutiua ſpeciei, non poſſit euadi, quin eſſent duæ ſpecies ſpecialiſſimæ; ſed diceretur,quòd illa, quibus differunt,ſunt aliquæ aliæ differentiæ ignotæ nobis, de quibus ens non prædicatur in *quid*, & tales non poſſunt dici differentiæ ſpecificæ,vt patet à Doctore *in* 1 *diſt.*3.*q.*3.

24. *Arguit ſexto Ocham contra Scotum.* Sextò arguit Ocham ſic:Quicquid à parte rei diſtinguitur ab alio, quod non eſt de intellectu ſuo formali, poteſt intuitiuè videri ſine illo alio, ſecundùm Scotum,qui etiam ponit, quòd eſſentia diuina poteſt intuitiuè videri ſine perſonis; ergo humanitas, quæ eſt in Socrate,poteſt intuitiuè videri ſine aliqua differentia contrahente, & per conſequens cum iſtæ humanitates diſtinguũtur loco, & ſubiecto, poteſt talis intellectus diſtinguere vnam ab alia ſine omni differentia contrahente,quod non eſſet poſſibile, ſi præcisè diſtinguerentur per ſuas differentias contrahentes,ergo ſeipſis diſtinguuntur numeraliter.

Reſpondeo,quòd non poſſet cognoſci intuitiuè, quia cognitio intuitiua terminatur ad per ſe exiſtens in propria exiſtentia, vt patet à Doctore *in* 1.*diſt.*1.*q.*2.*&* 8. *q.pen. & alibi ſæpè.* Modò eſt impoſſibile talem natura habere *eſſe* exiſtentiæ, niſi in indiuiduis, cùm vt ſic,ſit ſimpliciter idem realiter cum ſua ſingularitate. Si tamen diceretur, quòd exiſtentia naturæ, vt naturæ, eſt prior natura exiſtentia hæcceitatis,vt ſuprà dictum eſt; ergo poteſt intuitiuè videre naturam,non videndo hæcceitatem. Dico primò, quòd nullus intellectus creatus poſſet intuitiuè videre naturam,vt ſic, quia exiſtentia illius eſt ſimpliciter eadem realiter cum exiſtentia hæcceitatis, ideò intellectus creatus non poſſet moueri ab vno ſine altero,ſecus eſt de obiecto voluntario, cuiuſmodi eſt eſſentia diuina, quæ poteſt ſeipſam oſtendere, non oſtendendo perſonas. Dico ſecundò, quòd cognitio intuitiua non terminatur propriè ad rem exiſtentem abſolutè, niſi talis res actu ſit ſingularis,quia talis notitia intuitiua non videtur poſſe eſſe alicuius communis in ſe.

25. Dico tertiò,quòd oporteret eum probare,quòd ab aliquo intellectu,ſaltem diuino non poſſit intuitiuè videri in aliquo priori, non videndo ſingularitatem, & quòd etiam intellectus ſeparatus hoc non poſſit videre. Licèt enim intellectus noſter pro ſtatu iſto non poſſit diſtinguere vnam humanitatem ab alia, vt diſtinctam ab hæcceitate, quia pro ſtatu iſto nihil diſtinctè cognoſcit ſub propria ratione, vt patet à Doctore *in primo*; intellectus tamen ſeparatus,qui ex natura ſua omne ens creatum poteſt diſtinctiſſimè cognoſcere, poſſet etiam in aliquo priori natura intuitiuè videre naturam humanam in Socrate,non videndo hæcceitatem illam præcipuè cùm ipſa natura, vt ſic,non tantùm eſſet ratio formalis mouendi partialiter intellectum ſeparatum ad cognitionem ſui intuitiuam,ſed etiam vt ſic,eſſet præciſa ratio formalis terminandi talem notitiam intuitiuam, & per conſequens poſſet ipſam videre, non videndo hæcceitatem. Multa alia dicit circa hanc materiam de natura communi, quæ omnia ex his,quæ ſuprà dixi,facillimè ſolui poſſunt,& quia videntur quaſi incidere cum aliquibus rationibus priùs poſitis, ideò relinquo illas ſoluendas curioſo legenti.

Et cùm nititur probare, quòd etiam hæcceitas dicat entitatem quiditatiuam ex hoc,quòd eſt de eſſentia alicuius per ſe in genere. Dico,quòd aliquid eſſe per ſe de eſſentia alicuius, poteſt dupliciter intelligi. Vno modo, quòd conſtituat aliquid,ſiue totaliter,ſiue partialiter in *eſſe* eſſentiali,& quiditatiuo. Alio modo quòd ſit tantùm determinatiuum, & contractiuum alicuius dicentis quiditatem, & eſſentiam. Primo modo concedo, quòd eſt de eſſentia conſtituti, ſed negatur quòd aliqua hæcceitas ſic conſtituat aliquid in genere. Secundo modo dico, quòd nihil tale pertinet ad quiditatem, ſiue eſſentiam conſtituti, & ſic hæcceitas præcisè iſto ſecundo modo conſtituit indiuiduum in ſpecie.

Licèt multi alij, vt Gregorius de Arimino Ioan. Anglicus Baccho. & breuiter omnes Nominales, variis rationibus inſtent contra hanc Doctoris poſitionem,& ſingularem, tamen quia ex his,quæ dixi facillimè ſolui poſſunt, ne legentibus tædio ſim,omitto.

Ocham *diſ.*2 *primi.q.*7. quærit deſtruere poſitionem Doctoris, quæ vult vniuerſale eſſe reale; & adducit aliqua argumenta contra,& quia coincidunt cum argumentis factis ab ipſo, *diſ.*2. *q.*6. ideò omitto illa;quia tamen reſpondet ad plures rationes, quæ ſunt pro opinione Doctoris, ideò primò adduco illas rationes & ſecũdò reſponſionem Ocham ad illas, & tertiò oſtendam illas reſponſiones minimè euacuare rationes pro opinione Scoti. 26. *An vniuerſale ſit reale.*

Circa primum arguitur multipliciter pro poſitione Scoti. primò ſic:Illud quod realiter diuiditur in veras res,eſt vera res:ſed forma generis,& ſimiliter forma ſpeciei diuiduntur in veras res, tanquam in partes ſubiectiuas, & eodem modo vniuerſale omne diuiditur in partes ſuas ſubiectiuas;ergo omne tale eſt vera res extra animam.

Secundò ſic: Omne quod eſt de eſſentia alicuius rei, & includitur eſſentialiter in intellectu quiditatiuo alicuius rei extra animam, eſt vera res extra animam;ſed omne genus,omnis ſpecies, & vniuerſaliter,omne vniuerſale prædicamentale in *quid* de vera re extra animam, eſt de eſſentia inferioris, & includitur in intellectu quiditatiuo cuilibet per ſe inferioris;ergo.

Confirmatur, quia omnis res extra animã poteſt verè,& perfectè,& diſtinctè intelligi ſine illo, quod non eſt aliquo modo vera res,nec intrinſeca ſibi:ſed nullum indiuiduum poteſt verè intelligi,nec diſtinctè,non intellecto per ſe ſuperiori, ſicut Socrates non poteſt intelligi,non intellecto animali, vel homine, vel quocunque ſuperiori; ergo quodcunque ſuperius Socratis eſt de eſſentia Socratis,& per conſequens vera res extra animam,quia nullum ens rationis eſt de eſſentia rei exiſtentis extra animam.

Tertiò ſic: In rerum natura eſt aliquid per identitatem communicabile pluribus; ſed tale non eſt niſi vniuerſale; ergo vniuerſale eſt aliquid realiter exiſtens in rerum natura.

Quartò,quia omnia, quæ ſunt in linea prædicamentali ſunt veræ res,& non tantũ entia rationis;ſed in linea prædicamentali ponuntur tã genera, quàm ſpecies;ergo ſunt veræ res extra animam.Maior patet,tum,quia genus prædicatur in *quid*,& vniuocè de omnibus per ſe contentis ſub illo;ſed nihil prædicatur vniuocè de ente reali, & de ente rationis;ergo omnia,quæ sũt per.ſe in genere prædicamẽtali,vel ſunt entia realia,vel entia rationis.Et certũ eſt quòd nõ omnia ſunt entia rationis;ergo omnia ſunt entia realia. Tũ, quia vel 27.

contentum ſub aliquo immediatè diuidentium aliquid commune per ſe, continetur ſub aliquo contento ſub aliquo diuidentium, ſicut ſi ſubſtantia diuidatur per ſubſtantiam corpoream, & incorpoream, & nihil contentum per ſe ſub ſubſtantia corporea, continetur per ſe ſub aliquo contento per ſe ſubſtantia incorporea, ſed ex prima diuiſione diuiditur ens extra animam, & in ens rationis: & ens reale extra animam diuiditur in 10. Prædicamenta; ergo cùm genera, & ſpecies contineantur ſub ſubſtantia, quæ eſt vnum Prædicamentum, non poterunt contineri ſub ente rationis, & per conſequens non ſunt entia rationis, ſed entia realia. Tum, quia ſi genera, & ſpecies eſſent entia rationis; ergo cùm entia rationis varientur ad variationem intellectuum, ſequitur quòd tot ſunt intellectus, quot erunt generaliſſima ſubſtantiæ.

Prætereà, aliqua diſtinctio eſt inter ſuppoſitum, & naturam, alioquin ita eſſet hæc vera, *homo eſt humanitas*, ſicut hæc, *homo eſt homo*, ſed ſuppoſitum eſt à parte rei, & ſimiliter natura, quia aliter nulla eſſet diſtinctio verè; ergo vniuerſale eſt aliquo modo à parte rei.

Cap. de ſpecie. Prætereà, per auctoritatem: Boëtius enim dicit, quòd ſpecies eſt totum *eſſe* indiuiduorum; ergo ſpecies eſt eadem res cum indiuiduis; ergo eſt à parte rei.

Prætereà auctor. 6. Principiorum quærit. Vtrùm vniuerſalia fiunt à natura, vel ab arte? Reſpondet quòd fiunt à natura; ſed natura operatur occultè in vniuerſalibus, nam producendo ſingularia producit vniuerſalia, omnis communitas (vt dicit) à ſingularitate procedit. Ex hoc arguit ſic; illud quod fit à natura habet *eſſe* extra animam, ſed vniuerſale fit, &c.

Primo poſt. contex. 11. Item 4. Topic. interempto genere interimitur ſpecies, & indiuiduum: ſed nunquam ad interemptionem entis in anima, ſequitur interemptio entis extra animam: ergo genus eſt extra animam.

Item, Philoſophus *primo Poſter.* Demonſtrationes ſunt de perpetuis, & incorruptibilibus. & Lincolienſis dicit ibidem, quòd manifeſtum eſt, quòd demonſtratio ſit de vniuerſalibus repertis in ſingularibus; ergo vniuerſalia ſunt verè extra animam.

28. *Gul. Occham ad rationes Scoti reſpondet.* Ad primum alterius opinionis. Dico quòd illud, quòd diuiditur in veras res, ſicut vere compoſitum in ſuas partes eſſentiales incluſas in illo, eſt vera res, illo modo corpus diuiditur in ſuas partes eſſentiales, & totum in ſuas partes integrales, & fit talis diuiſio realiter extra animam. Sed quando aliquid diuiditur in veras res tanquam ſignum in ſua ſignata, nō oportet non pluſquam quod illud, quod diuiditur in ſubſtantiam ſit ſubſtantia, quomodo aliqua vox diuiditur in ſubſtantias, tanquam ſignum in ſua ſignata; iſto ſecundo modo diuiditur ſpecies, & ſimiliter genus, quia in nullo variatur ſpecies, vel genus, vel quodcunque vniuerſale propter talem diuiſionem; nec illa in quibus diuiditur plus ſunt partes realiter, quàm plura ſignificata ſunt partes vocis ſignificantis.

Ad ſecundum dico, quòd vniuerſaliter nunquam ſuperius eſt de eſſentia inferioris, nec includitur eſſentialiter in inferiori, nec in intellectu eius quiditatiuo; prædicatur tamen eſſentialiter de inferiori, quia declarat eſſentiam inferioris; vel declarat ipſummet inferius, vel rem importatam per inferius, & hoc eſt prædicari in *quid*, vel per ſe primo modo, & eſſentialiter. Vnde ſicut, ſecundùm aliquos, ens dicit vnum conceptum, qui non eſt de eſſentia Dei, vt pars ſua eſſentialis, quia tunc aliquid reale eſſet vniuocum Deo, & creaturæ, quod negant, & tamen prædicatur in quid, & per ſe primo modo de Deo, & creatura, ita dico in propoſito, quòd nihil à parte rei eſt vniuocum, quibuſcunque indiuiduis, & tamen eſt aliquid prædicabile in *quid* de indiuiduis. Similiter ſicut ipſi dicunt, quòd vniuerſale, quod eſt vnum obiectum numero, prædicabile de quolibet ſuppoſito prædicatione dicente *hoc eſt hoc*, non eſt in re, quia nihil in rę eſt ſic prædicabile, & tamen ipſa prædicatio vocatur eſſentialis, & in *quid*, & per ſe. Ita dico, quòd vniuerſaliter prædicatio ſuperioris de inferiore, non eſt prædicatio alicuius, quod quocunque modo ſit in re extra animam, & per conſequens illud, quod prædicatur non eſt pars rei, nec eſt de eſſentia rei, & tamen prædicatur in *quid* de rebus, & cauſa eſt, quia non ſupponit pro ſe, ſed pro rebus ipſis de quibus prædicatur.

Ens dicit vnum conceptum.

Et ſi dicatur, quòd tunc eſſet idem dicere *Socrates eſt homo*, & *Socrates eſt Socrates* Reſpondeo, quòd non ſequitur, quia quamuis homo in prima ſupponat pro Socrate, nec poſſit verificari, niſi pro Socrate; aliud tamen eſt illud, quod prædicatur, & ideò quamuis aliquid idem ſit pro quo fit prædicatio, in vtraque tamen aliud eſt, quod prædicatur, ideò non eſt eadem propoſitio. Similiter quamuis in iſta, *Socrates eſt homo*, ly *homo* ſupponat pro Socrate, non tamen præcisè pro Socrate, quia potentialiter ſecundùm modum loquendi Logicorum, ſupponit pro quolibet homine, quia infertur ex quolibet, & terminus ſemper in talibus ſupponit pro eiſdem, quia pro omnibus, de quibus verificatur, non tamen verificatur iſta, *Socrates eſt Socrates*, niſi pro Socrate, & ideò non eſt idem dicere, *Socrates eſt homo*, & *Socrates eſt Socrates*.

Inſtantia.

29. Ad confirmationem dico, & concedo quòd res poteſt intelligi, non tantùm confuſè, ſed etiam perfectè, & diſtinctè, nullo ſuperiori intellecto. & quando dicitur quòd Socrates non poteſt intelligi, niſi intellecto animali; dico, quòd iſta poteſt diſtingui, ſiue de veritate ſermonis, ſiue non, non curo; quia ly *animal* poteſt ſupponere ſimpliciter, & tunc eſt falſa, quia tunc denotatur quòd Socrates non poteſt intelligi, niſi intellecto hoc communi animali; & hoc eſt ſimpliciter falſum. Vel poteſt ſupponere pro re, & perſonaliter, & ſic cōcedo; iſto enim modo Socrates nō poteſt currere, niſi animali currente, quia neceſſariò ſequitur, Socrates currit, igitur animal currit: nō tamen oportet quòd illud cōmune currat iſto modo, homo non poteſt intelligi ente nō intellecto, & tamen homo poteſt intelligi iſto communi ente non intellecto, ſecundùm eos maximè, ſi illud commune non ſit aliquid reale, ſicut ipſi dicunt.

Ad tertium dico, quòd nihil eſt communicabile rebus per identitatem, niſi ſola eſſentia diuina tribus ſuppoſitis, quibus eſt eadem realiter; & ideò non debet propriè concedi, quòd natura communicatur ſuppoſito, niſi fortè dicatur, quòd natura humana communicatur Verbo, & tūc non communicatur ſibi per idētitatem, ſed debet magis propriè dici, quòd naturaliter eſt ſuppoſitum, ſicut pòſt oſtendetur. Vnde ſicut ipſi habent dicere,

dicere, quòd ens, quod eſt commune Deo, & creaturæ, non eſt communicabile cuilibet per identitatem, quia tunc aliquid reale eſſet vniuocum Deo,& creaturæ,ſicut ſecundùm eos aliquid reale eſt vniuocum Socrati & Platoni, ſic dico vniuerſaliter, quòd nullum vniuocum eſt communicabile vniuocatis per identitatem.

Ad quartum dico,quòd non omnia, quæ ſunt in linea prædicamentali per ſe ordinata ſecundùm ſuperius, & inferius, ſunt verè res extra animam, ſed aliqua talia entia ſunt tantùm in anima.

30. *Non omnia quæ ſunt in linea prædicamentali ſunt res.*

Ad primam probationem, concedo quòd genus prædicatur in *quid* vniuocè,& per ſe primò, non de ente reali, ſiue de pronomine demonſtrante ens reale, ſed de ente rationis; non tantùm pro ente rationis, ſed pro re, quia illud ens rationis non habebit ſuppoſitionem ſimplicem, ſed perſonalem; & ideò genus prædicatur de ſpecie,non pro ſpecie, ſed pro re; & ideò debet ſic exerceri iſte actus ſignatus, *homo eſt animal*, ita quòd vterque terminus ſtet pro re, & perſonaliter.ita habent alij dicere, quòd de ſapientia in communi prædicatur per ſe primo modo ens; & ſimiliter de ente reali;& tamen ſapientia in communi non eſt aliquid reale extra animam, quia tunc eſſet aliquid reale vniuocum Deo,& creaturæ;ergo ens, quod eſt vniuocum præcisè entibus realibus, vniuocè prædicatur de ente reali, & de ente rationis:ſed tunc illud ens rationis non ſupponit pro ſe,ſed pro re. Vnde quando dicitur ſic, *omnis ſapientia eſt ens reale*, hoc eſt prædicando in quid,& ad hoc non requiritur, niſi quòd hæc ſapientia,quæ Deus eſt,ſit ens reale:& non requiritur,quòd illud commune vniuocum ſit ens reale:ita dico,quod ad veritatem iſtius, *omnis homo eſt animal*, ſufficit quòd iſte homo ſit animal, & quòd illle homo ſit animal, & ſic de aliis rebus ſingularibus.Et non requiritur, quòd illud commune vniuocum iſtis hominibus ſit animal,& ſic de omnibus iſtis *omne animal eſt ſubſtantia, omne corpus eſt ſubſtantia,omnis color eſt qualitas, omnis intentio eſt qualitas*,& huiuſmodi.

31. Ad ſecundam probationem per idem, quòd procedit de diuidentibus, de quorum vtroque ſupponente pro re, verificatur diuiſum;ſed quando illud diuiſum non ſtat pro ſe, ſed pro aliquo alio,non oportet.Vnde ſi genera,& ſpecies eſſent ſubſtantiæ, nullo modo poſſent eſſe entia rationis;ſed in rei veritate non ſunt ſubſtantiæ. Dico ergo, quòd aliquid eſſe, vel contineri ſub aliquo genere, poteſt intelligi dupliciter,vel quia eſt illud.de quo pro ſeipſo,vel de pronomine demonſtrante ipſum genus verificatur;& iſto modo tantùm ſingularia continentur in genere, quia ſola ſingularia ſunt ſubſtantiæ, & ſola ſingularia ſunt qualitates:& nec ſpecies nec genera continentur, iſto modo ſub genere Subſtantiæ. Alio modo eſt aliquid in genere, quia eſt illud de quo non pro ſe,ſed pro re,verè ipſum genus prædicatur;& iſto modo genera, & ſpecies ſunt in genere. De contentis primo modo eſt propoſitio accepta vera, non de ſecundo modo contentis:

Aliquid contineri ſub alio quo contingit duobus modis.

Ad tertiam probationem patebit in ſequenti quæſtione.

32. Ad quintum dico,quòd inter naturam,& ſuppoſitum aliquando eſt diſtinctio realis,ſicut inter ſuppoſitum aliquando eſt diſtinctio realis, ſicut inter ſuppoſitum Verbi, & naturam aſſumptam. Aliquando autem penitus nulla eſt diſtinctio ex parte rei,tamen iſti conceptus *ſuppoſitum*, & *natura* diſtinguuntur, & ideò de aliquo poteſt verificari, quòd ſit natura, non tamen ſuppoſitum, quod tamen priùs fuit ſuppoſitum.Sed hoc nunquam eſt poſſibile,niſi per corruptionem,vel per realem aſſumptionem. Et quando dicitur, quòd tunc eſſet vera,*homo eſt humanitas*.Dico,quòd niſi aliquis modus ſyncategorematicus importatus, ſecundùm vſum loquentium in hoc nomine *humanitas* impediat, quòd hæc eſt concedenda de virtute ſermonis. Hæc tamen eſt contingens, *homo eſt humanitas*,etiam ſine corruptione humanitatis.

Ad ſextum dico,quòd non eſt intentio Boëtij, quòd ſpecies ſit totum *eſſe* indiuiduorum: ſed quòd ſignificat totum *eſſe* indiuiduorum, ſicut quodam modo ſignum,quod non eſt ſignatum,& hoc eſt vniuerſaliter verum de ſpecie ſpecialiſſima, non autem vniuerſaliter verum de Genere. Qualiter autem hoc ſit intelligendum, *diſtin.*8. patebit. *Optima expoſitio.*

Ad ſeptimum dico, quòd natura occultè operatur in vniuerſalibus, non quòd producat ipſa vniuerſalia extra animam tanquam aliqua realia; ſed quia producendo cognitionem ſuam in anima quaſi occultè, ſaltem immediatè, vel mediatè producit illo modo, quo nata ſunt produci; & ideò omnis communitas iſto modo eſt naturalis,& à ſingularitate procedit;nec oportet illud, quod iſto modo ſit natura,eſſe extra animam,ſed poteſt eſſe in anima.

Ad octauum dico, quòd interempto genere, &c. Hoc eſt ſic intelligendum, quòd à quocunque verè negatur genus, ab eodem verè negatur ſpecies, & indiuiduum, puta ſi lapis non eſt animal, nec eſt homo, nec aſinus, non tamen oportet, quòd ſi per poſſibile, vel impoſſibile, Genus non eſſet, quòd Indiuiduum non eſſet.

Ad nonum dico, quòd Philoſophus intelligit, quòd demonſtratio eſt de perpetuis, & incorruptibilibus,hoc eſt de propoſitionibus neceſſariis.

Quomodo vniuerſalia ſint in ſingularib.

Ad Linconioſem, qui vult ſeruare eum, poteſt dicere,quòd intelligit, quòd demonſtratio eſt de vniuerſalibus repertis in ſingularibus, quia ipſa vniuerſalia ſunt in ſingularibus per prædicationem, quia verè ſunt prædicabilia de ſingularibus.

33. *Reſponſiones Ocham datæ rationibus Scoti, oſtenduntur inſufficere.*

Cùm dicit reſpondendo ad primum argumentum,quòd diuiſio realis in plura realiter diſtincta, eſt vera de compoſito reali, ſed non eſt vera de natura generica, vel ſpecifica. Hoc patet eſſe falſum ex ſupradictis exponendo rationes Doctoris de natura communi. Et reſpondendo ad rationes Ocham:& quod dicit hîc,quòd diuiſio generis in ſpecies, eſt diuiſio ſigni in ſignificata, hoc patet eſſe falſum, quia ſi non daretur conceptus communis ex parte rei, nulla eſſet prædicatio vniuoca,vt aliàs probaui.

Ad illa,quæ dicit reſpondeo ad ſecundam rationem. Dico, quòd non poſſunt ſuſtineri; quod enim primò dicit,quòd ſuperius non eſt de eſſen- inferioris, nec includitur in inferiori, nec in intellectu eius quiditatiuo, prædicatur tamen eſſentialiter de inferiori.Quæro enim cùm dico, *homo eſt animal quiditatiuè*, quid prædicatur de ipſo homine?aut prædicatur ſignificatum *animalis*, & tunc habetur intentum, quia anima, quod eſt commune omnibus ſpeciebus animalis, prædicatur in *quid* de homine: aut accipitur *animal* pro

actu intelligendi, quo intelligitur, & talis actus, cùm ſit merè qualitas, non prædicatur in *quid* de homine;aut accipitur anima,vt eſt ſuperius ad hominem prò quodam idolo fabricato ab intellectu, vt ipſe videtur tenere in præſenti diſtinctione,& tunc ſequitur, quòd erit tantùm quoddam fictitium;vel ſaltem erit tantùm ſuperius, non ex natura rei,ſed ad libitum.

34. *Quid ſit prædicari in quid.*

Et præterea cùm dicit animal prædicari in quid de homine, & non eſſe de quiditate hominis. Quæro quid ſit prædicari in *quid*?non videtur poſſe aſſignari ratio aliqua, niſi quia hoc, quod eſt prædicari in *quid*, eſt quædam ſecunda intentio applicabilis alicui,quod eſt natum eſſe de quiditate alterius. Et præterea cùm dico, animal prædicatur in *quid* de homine, aut animal dicit aliquid aliud ab homine; aut præcisè ipſum hominem. Si primò,non videtur poſſe aſſignari, niſi entitas animalis, quæ licèt ſit pars hominis,tamen prædicatur per modum totius,vt patet à Doctore in ſuis Vniuerſalibus.Si ſecundò, tunc prædicari in *quid* erit tantùm eiuſdem de ſeipſo. Et ſimiliter quod dicit, quòd ſuperius ex hoc dicitur prædicari in *quid*,quia declarat eſſentiam inferioris, vel declarat ipſummet inferius, vel rem importatam per inferius. Quæro cùm animal quod eſt ſuperius ad hominem declarat eſſentiam hominis, aut præcisè notificat ipſum hominem confusè,aut diſtinctè:non primò, quia ſuperius non pertinet ad talem notitiam inferioris.Si ſecundò, habetur intentum, quia declarare aliquid diſtinctè, eſt ipſum manifeſtare ſecundùm ſe,& ſecundùm omnes partes eſſentiales, & ſic ſequitur, quòd animal declarare diſtinctè hominem, eſt cognoſcere animal eſſe de quiditate hominis.Definitio enim eſt cognitio diſtincta ſecundùm omnes partes definiti, vt notat Doctor *in* 1.*diſt.*36. cognoſcere ergo hominem diſtinctè eſt ipſum cognoſcere ſecundùm omnes partes ſuas eſſentiales.Et tunc quæro de definitione hominis,cui primò competat: an ſingulari præcisè? an homini in communi? Non primò, tum, quia communiter aſſignatur definitio hominis, *animal rationale*, ita quòd in tali definitione nullo modo includitur hæcceitas;non eſſet ergo definitio completa hominis ſi præcisè intelligeretur verificari de ſingulari, niſi in tali definitione poneretur ratio indiuidui formalis, ſcilicet ipſa hæcceitas, quæ ſecundùm ipſum *in primo,diſt.*2.*q.*6. hæcceitas pertinet ad quiditatem. Nec valet inſtantia quam adducit, ſcilicet quòd ens dicit vnum conceptum, qui non eſt de eſſentia Dei, vt pars ſua eſſentialis, quia tunc aliquid reale eſſet vniuocum Deo, & creaturæ, quod ipſi negant.

Animal quamuis ſit pars hominis, prædicatur tamen de homine per modum totius.

Quæ ſit definitio.

35. Dico, quòd hæc inſtantia non eſt multùm ad propoſitum ſuum, quia conceptus entis ex natura rei nullo modo natus eſt eſſe prior ipſo Deo, vt expoſui *in primo*, *diſtin.*2. *quæſt.*1. Dicitur tamen prædicari in *quid*, quia accipitur præcisè à quiditate,ſed non eſt ſic de natura generica, vel ſpecifica,quia illa,vt ſuprà probauimus,ex natura rei nata eſt eſſe prior. Dico ſecundò,quòd Deus ex ſua ratione formali eſt ſingularis, ita quòd ex natura rei de neceſſitate eſt in vltima actualitate, & vt ſic, non poteſt dari quiditas prior ex natura rei ſingularitate, & per conſequens nihil de ipſo poteſt prædicari in *quid*, vt prius eo, vt expoſui in primo, vbi ſuprà, ſed non ſic eſt in creaturis, quia non omnia, quæ pertinent ad eſſentiam alicuius,ſunt in vltima actualitate; & ſic multa potentialia præcedunt pertinentia ad quiditatem. Nec ſimiliter valet illa inſtantia, quam adducit, dicens,quòd vniuerſale,quod eſt vnum obiectum numero prædicamentale de quolibet ſuppoſito prædicatione dicente,*hoc eſt hoc*, non eſt in re ſecundùm opinionem Scoti, & tamen dicitur prædicari in *quid* eſſentialiter,& per ſe ſecundū Scotum.Dico, quòd ideò illud tale dicitur prædicari in *quid* de pluribus,ex hoc ſolo, quòd applicatur naturæ communi ex natura rei, quæ eſt nata eſſe de quiditate inferiorum, vt ſuprà expoſui; & ſi non daretur talis natura, tunc prædicari in *quid* de inferiori, vel eſſet tantùm fictitium, vel tantùm diceretur prædicari in *quid* ex ſola inſtitutione voluntaria, imò ex parte rei eſſet ſimpliciter idem dicere,Socrates eſt homo quiditatiuè,& Socrates eſt Socrates.

Quomodo Deus ſingularis.

36. Nec valeret dicere, vt ipſe dicit, quòd cùm dico, Socrates eſt homo, quòd ly *homo* non ſupponit præcisè pro Socrate, quia potentialiter ſecundùm modum loquendi Logicorum ſupponit pro quolibet homine,quia infertur ex quolibet,& terminus ſemper in talibus ſupponit pro eiſdem,quia pro omnibus, de quibus verificatur iſta, non tamen verificatur iſta *Socrates eſt homo*,niſi pro Socrate; & non eſt idem dicere Socrates eſt homo, & Socrates eſt Socrates. Dico,quòd iſta reſponſio videtur voluntaria,& multa videntur ſequi inconuenientia. Primò, quia cùm dico Socrates eſt homo,quæro pro quo ſupponit, aut præcisè pro Socrate, & tunc idem eſt dicere Socrates eſt homo, & Socrates eſt Socrates;aut ſupponit pro àlio à Socrate,aſſignetur ille alius, ſit Franciſcus. Et tunc quæro vt priùs; aut ſupponit præcisè pro Franciſco; aut ſimul pro Franciſco,& pro Socrate. Si ſecundò, tunc verificatur iſte terminus *homo* ſimul pro Socrate, & Franciſco,& ſic de aliis;& ſic non poterit præcisè verificari pro Socrate, quod eſt inconueniens. Et licèt poſſet reſpondere, quòd non idem eſt terminum ſupponere, & verificari, quia ly *homo* poteſt ſupponere pro omni homine, & tamen non verificatur de omni homine, quicquid ſit, de hoc parum curo,quia dum res conſtat, non eſt vis facienda de nomine.Quæro enim cùm dico,Socrates eſt homo, quid verificatur de Socrate in re? aut præcisè res, quæ eſt Socrates? aut aliqua alia res, quæ non eſt præcisè Socrates.Si primò,patet idem eſſe,Socratem eſſe hominem, & Socratem eſſe Socratem. Si ſecundò, habetur intentum, quòd homo dicat aliquid ex parte rei, quod non eſt præcisè Socrates,& eſt de quiditate eius: & ſi dicatur,quòd ly *homo* dicit præcisè alium terminum à Socrate, qui inſtituitur ad prædicandum de Socrate, & aliis hominibus; & tunc oportet quærere cauſam, quare magis iſte terminus *homo* prædicatur in *quid* de Socrate, quàm iſte terminus *aſinus*. Si non aſsignetur aliqua cauſa ex parte rei, vt ſuprà dixi talis inſtitutio erit merè voluntaria.

Et quod dicit ad illam confirmationem, quòd res poteſt diſtinctè intelligi nullo ſuperiore intellecto, patet ex ſupradictis ad hanc reſponſionem nullo modo euacuare rationem.

Ad aliam reſponſionem de communicabili per identitatem,cùm dicit, quòd ſola eſſentia diuina eſt communicabilis per identitatem, hoc eſt præcisè verum quòd ipſa ſola, vt ſingulariſsima communicatur tribus per identitatem, & ſic nulla

Ex ſe ſola eſſentia diuina eſt communicabilis.

nulla creatura hoc modo poteſt commnnicari. Dico etiam, quòd nulla creatura ex parte rei realiter poteſt actu pluribus communicari, non enim natura humana, vt dicit entitatem realem actualem, poteſt eadem eſſe actu in pluribus ſuppoſitis, vt patet ex ſupradictis, quia dū contrahitur per ſingularitatem aliquam, ſic fit propria illi indiuiduo, quod eſt impoſsibile ipſam eſſe actu in alio indiuiduo. Dicitur tamen communicari per identitatem pluribus indiuiduis, ex hoc ſolo, quòd eſt indifferens ad illa, & ex ſe ita poteſt eſſe in vno: ſicut in alio, nec ex ſe eſt magis determinata ad vnum, quàm ad aliud; ſed dum eſt in vno realiter, identificat ſibi hæcceitatem contrahentem, & poteſt prædicari de omnibus per identitatem, dicendo, *hoc eſt hoc*, puta Franciſcus eſt homo, Ioannes eſt homo, & ſic de aliis, quia quantùm eſt ex parte ſua natum eſt per ſe facere cum vna hæcceitate vnum per ſe indiuiduum, reſpectu cuius dicit totum *eſſe* quiditatiuum; & ſimiliter ex parte ſua cum alia hæcceitate, vt intelligitur prior omni hæcceitate, nata eſſet facere cum alia hæcceitate, aliud per ſe indiuiduum, cuius totum *eſſe* quiditatiuum diceret, vt ſuprà prolixè expoſui. Et ſic patet quomodo in creaturis intelligitur aliquid communicari per identitatem.

Quomodo aliquid in creaturis dicatur communicari pro identitatem.

Ad illa, quæ dicit reſpondendo ad quartum, quòd non omnia, quæ ſunt in linea prædicamentali per ſe ordinata ſecundùm ſuperius, & inferius, ſunt veræ res extra animam. Sed hoc patet eſſe contra Ariſtotelem, qui ponit prædicamenta eſſe entia realia, vt patet *quinto Metaphyſicor.* vbi diuidit ens in decem Prædicamenta. Ad illa alia, quæ dicit de prædicari vniuocè, & quiditatiuè, non oportet aliter improbare, cùm ex omnibus, quæ ſuprà dixi appareat eorum manifeſta improbatio. Ad illas expoſitiones datas auctoritate Philoſophi, expreſsè patet non eſſe ad mentem Philoſophi; nec credo eſſe neceſſarium pro nunc aliter adducere originalia Philoſophi, ſufficiunt enim illa, quæ adduxi ſuprà.

QVÆSTIO II.

Vtrùm ſubſtantia materialis per aliquid poſitiuum intrinſecum ſit de ſe indiuidua?

D D. citati *quæſt. præced.* & Henr. *quodl. 5. quæſt. 8. & 15.*

1. QVòd non, quia *vnum* non dicit, niſi priuationem diuiſionis in ſe, & priuationem identitatis ad aliud: igitur cùm ſingularitas, vel indiuiduatio non dicat niſi duplicem negationem; non oportet eius cauſam poſitiuam quærere, ſed ſufficit negatio. Prima propoſitio probatur, quia ſi *vnum* diceret rationem poſitiuam, non diceret niſi eandem, quam dicit ens: tunc enim eſſet nugatio dicendo, *ens vnum*: nec aliam rationem dicit, quia tunc in quocunque ente eſſet entitas addita entitati, quod eſt inconueniens.

Contrà, prima ſubſtantia per ſe generatur 7. *Metaph.* & per ſe operatur: *primo Metaph.* & ex hoc diſtinguitur à ſecunda, cui neutrum conuenit per ſe primò: ergo iſta conueniunt primæ ſubſtantiæ per illud, quod addit ſupra ſecundam ſubſtantiam: non autem conueniunt iſta alicui formaliter per negationem: ergo prima ſubſtantia non addit tantùm negationem ſupra ſecundam. *T.c. 34. & 35. in proœm.*

Hîc dicitur, quòd non indiuiduatur per aliquod poſitiuum, quia illud eſſet materia, vel forma, vel aliquid conſequens materiam vel formam: & hoc vel eſt abſolutum, vel reſpectiuum, non per materiam vt pòſt oſtendetur: nec per formam, quia quæram de forma, per quid indiuiduatur: quia nec ex ſe ipſa, ſicut nec natura, de qua dictum eſt ſuprà. Quæram ergo per quid, & vlteriùs de illo alio, & ſic in infinitum: nec poteſt dari aliquid conſequens abſolutum, quia quæram de illo eodem modo; nec per reſpectiuum, quia reſpectus præſupponit fundamentum, & ſic non indiuiduat ipſum: ergo negatio eſt ratio. Vnde ponit Henricus duplicem negationem eſſe: vide in quodlibeto 5. quæſt. 8. *Opin. Hē. quodl. 5. quæſt. 8. & 15.*

COMMEN

COMMENTARIVS.

HIc dicitur, quòd non indiuiduatur per aliquod poſitiuum. Hîc Doctor in præſenti quæſtione primò recitat opinionem Henrici *quodl. 5. quæſt. 8. & 15.* Secundò improbat illam opinionem pluribus rationibus. Et tertiò affirmatiuè reſpondet ad quæſitum principale.

Quantum ad primum. Dicit Henricus, quòd ſubſtantia materialis eſt indiuidua, non per aliquod poſitiuum, ſed per duplicem negationem, quia vnum numero eſt indiuiſum à ſe, & diuiſũ à quolibet alio, eſſe enim indiuiſũ à ſe numeraliter, dicit negationem ſui in plura numero, & eſſe diuiſum ab alio dicit negationẽ idẽtitatis cũ alio; iſta ergo duplex negatio conſtituit ſubſtantiã materialem in eſſe indiuiduali, & hanc ſuã poſitionem probat vnica ratione, quæ poſtea ſoluetur.

SCHOLIVM.

Poſita ſententia Henrici aſſerentis naturam indiuiduari per negationem, explicat optimè ſenſum quæſt. & probat efficaciſsime, naturam non fieri indiuiduam per negationem: probationes ſunt ſatis claræ.

Declaratio tituli quæſtionis.

CONtra iſta, [a] primò expono intellectum quæſtionum motarum de iſta materia: non enim quæro, quo natura eſt ſingularis, vel indiuidua: ſi iſta ſignificent intentionem ſecundam: quia tunc intentione ſecunda formaliter eſſet natura ſingularis, & effectiuè ab intellectu cauſante illam intentionem ſecundam conferentem, ſcilicet hanc naturam, ſicut ſibiicibile ad prædicabile. Nec etiam quæritur de vnitate numerali reali, qua formaliter natura eſt ſic vna: nam vnitate numerali reali eſt res formaliter vna, ſiue illa vnitas conuertatur cum ente, ſiue ſit de genere Quantitatis, ſiue dicat priuationem, ſiue poſitionem. Sed quia in entibus eſt aliquid indiuiſibile in partes ſubiectiuas, hoc eſt, cui formaliter repugnat diuidi in plura, quorum quodlibet ſit ipſum: quæritur non quo formaliter illud ſibi repugnat, quia ſic repugnantia formaliter ſibi repugnat, ſed quo vt fundamento proximo, & intrinſeco iſta repugnantia inſit iſti. 2.

Eſt ergo intellectus [b] quæſtionis de hac materia, quid ſit in hoc lapide, per quod, ſicut per fundamentum proximum, ſimpliciter repugnat ſibi diuidi in plura, quorum quodlibet ſit ipſum, qualis diuiſio eſt propria toti vniuerſali in ſuas partes ſubiectiuas.

Nihil repugnat alicui per ſolam priuationẽ.

Hoc modo intelligendo, probo quòd non ſit aliquod indiuiduum formaliter per negationem vel priuationem, ſicut videtur iſta poſitio ponere. Primò, quia nihil ſimpliciter repugnat alicui enti per ſolam priuationem in eo, ſed per aliquid poſitiuum in eo: igitur diuidi in partes ſubiectiuas non repugnat huic lapidi in eo, quod eſt quoddam ens, per aliquas negationes. Probatio antecedentis, quia quantũcunque negatio tollat potentiã proximam ad agere, & pati, vt per hoc idẽ ens, in quo eſt negatio, careat potentia proxima ad ad aliquid: non tamen ponit formalem repugnantiam illius entis ad aliquid; quia per poſſibile, vel impoſſibile, circumſcriptis illis negationibus, cùm non ſint, ſtaret tale ens cum oppoſito illarum negationum: & ita cum illo, cui dicitur repugnare per ſe, quod eſt impoſſibile. Exemplum huius, ſi ſubſtantia intelligatur non quanta, non eſt diuiſibilis, hoc eſt non poſſibilis diuidi potentia propinqua: non tamen repugnat ſibi diuidi, quia tunc repugnaret ſibi recipere quantitatem, per quam formaliter poſſet diuidi. Stante igitur natura ſubſtantiæ corporeæ, non repugnat ſibi, quòd ſit diuiſibilis.

Similiter ſi non habere viſum, tollat potentiam proximam ad videndum, non tamen facit repugnantiam ſimpliciter ad videre, quia poteſt ſtare eadem natura poſitiua, in qua fuit hæc negatio, & poteſt ſibi ineſſe oppoſitum illius negationis, ſine repugnantia ex parte naturæ. Ita poteſt argui in propoſito, cùm iſte ponat naturã ex ſe non eſſe vnam & indiuiduam, nunquam tamen per aliquam negationem poſitam in natura, repugnabit ſibi formaliter diuidi: & ita nunquam erit aliquod ens poſitiuum in rebus, quod erit completè indiuiduum.

Nulla imperfectio repugnat alicui niſi propter perfectionem.

Et ſi aliquo modo [c] inſtetur primæ propoſitioni huius rationis, ſaltem aſſumo iſtam propoſitionem: Nulla imperfectio repugnat alicui, niſi propter aliquid poſitiuum in eo: ita quòd nulla imperfectio repugnat alicui, niſi propter aliquam perfectionem, quæ eſt aliquid poſitiuum, & entitas poſitiua: ſed diuidi eſt quædam imperfectio, & ideò non poteſt competere naturæ diuinæ: ergo, &c.

Item,

Item,negatione [d] non conſtituitur aliquid formaliter in entitate perfectiori, quàm ſit illa entitas præſuppoſita negationi:alioquin negatio eſſet formaliter entitas poſitiua:ſed prima ſubſtantia per Philoſophum in Prædicamentis,eſt maximè ſubſtantia,& etiam magis ſubſtantia quàm ſecunda : ergo non formaliter conſtituitur in entitate primæ ſubſtantiæ per negationem in quantùm diſtinguitur à ſecunda. *c. de ſubſtantia.*

Item,de ſingulari [e] per ſe primò prædicatur illud,cuius eſt ſingulare : ſed de aliquo ente accepto ſub negatione non prædicatur per ſe aliqua entitas ratione totius ſubiecti,quia totum non eſt per ſe vnum : ſi ratione partis tunc non eſt prædicatio ſuperioris de inferiori,ſed eiuſdem de ſe.

4. Præterea, [f] licet iſta poſitio videatur eſſe falſa in ſe, propter argumenta iam facta, ſi intelligat indiuiduum conſtitui in entitate, & vnitate ſingularitatis per negationem : tamen videtur omnino ſuperflua, & non reſpondere ad quæſtionem, quia ipſa poſita adhuc remanet eadem quæſtio. Nam de duplici negatione, quam ponit,quæro quare negatio iſta conuenit illi : ſi iſtam duplicem negationem dicit eſſe per ſe ſicut per cauſam ; dat cauſam ſuiipſius:ſi non dat cauſam huius,non reſpondetur ad quæſtionem, quæritur enim illud,per quod repugnat oppoſitum iſtarum negationum : & per conſequens per quid inſunt iſtæ negationes. Similiter quæro vnde negatio ſit hæc,cùm ſit eiuſdem rationis in iſto,& in illo. nam ſicut in Socrate eſt duplex negatio oppoſita illi,quæ eſt in Platone : ita in Platone eſt negatio duplicis rationis : vnde ergo Socrates eſt ſingularis hac ſingularitate propria,& determinata, & non ſingularitate Platonis? Non poteſt dici niſi dicatur vnde negatio ſit hæc negatio:& hoc non poteſt eſſe niſi per aliquid poſitiuum.

Concedo igitur concluſionem iſtarum rationum, quòd neceſſè eſt per aliquod poſitiuum intrinſecum huic lapidi, tanquam per rationem propriam repugnare ſibi diuidi in partes ſubiectiuas : & illud poſitiuum erit quod dicitur eſſe per ſe cauſa indiuiduationis : & per indiuiduationem intelligo iſtam indiuiſibilitatem, ſiue repugnantiam ad diuiſibilitatem.

Ad argumentum ad oppoſitum, licèt aſſumptum ſit falſum, de quo fortè aliàs: tamen ſi verum eſſet quod vnum ſignificaret formaliter illam duplicem negationem: non ſequitur, quod non habeat aliquam cauſam poſitiuam, per quam inſit ei illa duplex negatio, nam & vnitas ſpecifica pari ratione ſignificaret duplicem negationem : & tamen nullus negat entitatem poſitiuam eſſe rationem vnitatis ſpecificæ, à qua entitate poſitiua ſumitur ratio differentiæ ſpecificæ. & iſtud eſt bonum argumentum pro ſolutione quæſtionis & pro opinione, quia cùm in qualibet vnitate minore vnitate numerali, ſit dare entitatem poſitiuam, quæ ſit ratio per ſe illius vnitatis, & illius repugnantiæ ad multitudinem oppoſitam : maximè vel æqualiter erit hoc dare in vnitate perfectiſſima,quæ eſt vnitas numeralis. *Super 4. c. §. Meta.*

COMMENTARIVS.

1. [a] *Contrà iſta,* Hic Doctor primò exponit intellectũ quæſtionis, & ſecundò improbat opinionem Henrici. De primo dicit quòd quæſtio non quærit,quo ſubſtantia materialis eſt ſingularis, *ſi iſta ſignificent intentionem ſecundam,* & tunc intentione ſecunda formaliter eſſet natura ſingularis, & effectiuè ab intellectu cauſante illam,conferente hanc naturam ad naturam,ſicut ſubiicibile ad prædicabile ; non intelligitur ergo quæſtio, nec quærit an aliqua ſecunda intentio, quæ dicatur ſingularitas conſtituat naturam in *eſſe* ſingulari,quia certum eſt, quòd talis ſingularitas poteſt ab intellectu cauſari conferendo, &c. Sequitur, *nec etiam quæritur de vnitate numerali reali, qua formaliter natura eſt ſic vna*, & quòd non loquitur de illa vnitate numerali,quia ſecundùm aliquos exponentes Doctorẽ ſubſtantia materalis dicit indiuiſionem in partes ſubiectiuas,vel fortè melius, non loquitur de vnitate numerali reali, qua natura ponitur de numero entium. Sequitur : *Sed quia in entibus eſt aliquid indiuiſibile in partes ſubiectiuas, hoc eſt, cui formaliter repugnat diuidi in plura, quorum quodlibet ſit ipſum* ; hoc patet, nam Socrati formaliter repugnat diuidi in plura,quorum quodlibet ſit ipſum quiditatiuè,naturæ verò humanæ,vt præſcindit à ſingularitate non repugnat ; ipſa enim poteſt diuidi in plura indiuidua, quorum quodlibet quiditatiuè ſit ipſum diuiſum,ſic intelligendo, quòd ipſa natura, quantùm eſt ex ſe, eſt indifferens ad omne indiuiduum, & ex ſe ita poteſt eſſe in vno, ſicut in alio, licèt vt facta propria vni, actu non poſſit eſſe in alio, ſicut prolixè expoſitum eſt in quæſtione immediatè præcedenti. Sequitur, *quæritur non quo formaliter illud repugnat, quia ſic repugnantia formaliter repugnat, ſed quo, vt fundamento proximo, & intrinſeco iſta repugnantia inſit iſti*, ſupple Socrati : & eſt ſimile, ſicut ſi dicatur, Socrates eſt ſimilis Platoni ſimilitudine formaliter, & albedine fundamentaliter, quæ eſt immediatè ratio fundandi ſimilitudinem ; ſic repugnat Socrati diuidi in plura indiuidua repugnantia formaliter, & fundamentaliter repugnat ſibi per aliquid intrinſecum, quod eſt immediatum fundamentum talis repugnantiæ. *Quomodo natura ſit indifferens ad omnem indiuiduum.*

2. b *Eſt ergo intellectus quæſtionis*, &c. Et ſic intelligendo titulum quæſtionis Doctor arguit probando contra Henricum quòd nulla negatio poteſt poni fundamentum proximum talis repugnantiæ, ſiuè non poteſt poni ratio fundamentalis, propter quam repugnat naturæ diuidi in plures partes ſubiectiuas. Et primò arguit ſic, *nihil ſimpliciter repugnat alicui enti*, &c. Vult dicere Doctor quòd licet cæcitas tollat potentiam proximam videndi, quæ viſio eſt quædam actio immanens, & ſimiliter negatio quantitatis in aliqua ſubſtantia materiali tollat potentiam proximam ad pati, ſupple ad diuidi in partes quantitatiuas eiuſdem rationis, quia illa diuiſio in partes quantitatiuas eiuſdem rationis, tantùm fit per quantitatem: Et ſimiliter negatio alicuius qualitatis in aliquo ſubiecto tollat affirmationem eiuſdem: patet, quia homo non poteſt eſſe ſimul ſub negatione albedinis, & ſub albedine; non tamen dicimus, quòd tali ſubiecto repugnet abſolutè albedo, licèt ſibi repugnet ſtanti ſub tali negatione. Sic viſio abſolutè non repugnat potentiæ viſiuæ, quia ſi abſolutè repugnaret, nunquam viſio poſſet ineſſe tali potentiæ; ſed repugnat ſibi ex ſuppoſitione, vt eſt, ſupple ſub diſpoſitionibus repugnantibus ad viſionem, non tamen abſolutè; quia diſpoſitiones illæ repugnantes viſioni, & facientes pro cæcitate, poſſent corrumpi, & introduci poſſent diſpoſitiones facientes pro diuiſione. Doctor ergo in propoſito tantùm loquitur de repugnantia abſoluta ad diuidi in partes ſubiectiuas, & de fundamento talis repugnantiæ, propter quòd abſolutè, inſit talis repugnantia, & ſic intendit probare, quòd nulla negatio poteſt eſſe ratio formalis huius repugnantiæ abſolutè. Cùm ergo abſolutè repugnat huic lapidi diuidi in plures partes ſubiectiuas, talis repugnantia inerit ſibi propter aliquod poſitiuum intrinſecum lapidi, cui ſimpliciter repugnet ſic poſſe diuidi.

Quæ ſit viſio.

c *Et ſi aliquo modo inſtetur primæ propoſitioni rationis*, prima propoſitio eſt iſta, non ſimpliciter repugnat alicui enti aliquid per ſolam negationem, vel priuationem in eo, ſed per aliquid poſitiuum in eo. Tunc aſſumo iſtam propoſitionem; Nulla imperfectio repugnat alicui, niſi propter aliquid poſitiuum in eo, ita quòd nulla imperfectio repugnat alicui, niſi propter aliquam perfectionem, quæ eſt aliquid poſitiuum, & entitas poſitiua: ſed diuidi eſt quædam imperfectio, & ideò non poteſt competere naturæ diuinæ.

3. *Diuidi eſt quædam imperfectio.* *Dubia circa ſcotiationes.* In iſtis tamen reſponſionibus occurrunt aliquæ difficultates ex dictis Doctoris. Nam cùm primò dicit, quòd nihil repugnat abſolutè alicui per aliquam negationem, videtur ſibi contradicere, quia vult, quòd ſuppoſito creato repugnet ſimpliciter dependere ad aliud ſuppoſitum, & tamen talis repugnantia ineſt ex ſola negatione. Nam ipſe dicit *in tertio diſt. prima, quæſt. prima*, quòd ſuppoſitum præcisè dicit negationem duplicis dependẽtiæ, ſcilicet actualis, & aptitudinalis, per quã negatione repugnat ſibi eſſe in alio. Patet etiam, quia poſſe communicari alicui, vt *quo*, & vt *quod* abſolutè repugnat cuicunque ſuppoſito, nec tamen per aliquod poſitiuum in ſuppoſito, ſed tantùm per negationem, dicit enim ipſe *in primo diſt. 2. quæſt. prima, part. ſecunda*, quòd ſuppoſitum dicit præcisè negationem duplicis communicabilitatis, vt *quo*, & vt *quod*, hoc idem videtur tenere *in quolib. quæſt. 9. & 19.* Et ideò diceretur, quòd ratio prima Doctoris nihil concludit contra Henricum quia ſicut ipſe dicit, ſuppoſito repugnat communicari, vt *quo*, & vt *quod* non per aliquod poſitiuum in ſuppoſito, ſed per ſolam negationem; ita diceret Henricus quòd huic lapidi repugnaret diuidi in partes ſubiectiuas propter illam duplicem negationem, de qua ſuprà.

Suppoſitum dicit negationem.

Secundò principaliter dubitatur in hoc, quod dicit, quòd nulla imperfectio repugnat alicui, niſi ratione alicuius poſitiui. Nam ſuppoſito creato, vt ſuppoſitum eſt, repugnat dependentia actualis, & aptitudinalis ad aliud ſuppoſitum, quæ dependentia eſt formaliter imperfectio, vt aliàs expoſui, & tamen talis imperfectio non repugnat ſuppoſito, propter aliquod poſitiuum in eo, ſed tantùm propter negationem duplicis dependentiæ. Similiter communicari ſuppoſito alterius naturæ in ratione ſuppoſiti, dicit formaliter imperfectionem; patet, quia quod ſic communicatur dicit actualem dependentiam ad illud ſuppoſitum, & vltrà in tali ſuppoſito ſuſtentatur, quæ omnia patent à Doctore *in tertio, diſt. prima, quæſt. prima*, & tamen talis imperfectio ſimpliciter repugnat in ſuppoſito, non ratione alicuius poſitiui, ſed ratione negationis duplicis communicabilitatis, & vt *quo*, & vt *quod*.

Dependentia eſt formaliter imperfectio.

Tertiò dubitatur in hoc, quod dicit, quòd nunquam imperfectio aliqua repugnat alicui ſimpliciter, niſi ratione alicuius perfectionis exiſtentis in eo, nam relationibus diuinis perſonas conſtituentibus, ſimpliciter, & abſolutè repugnat omnis imperfectio, & tamen ipſæ formaliter nullam dicunt perfectionem, cùm ſint entia non quanta, ideſt, nullam perfectionem, nec imperfectionem dicentia, vt dicit Doctor *in quodlib. quæſt. 3.* loquendo, etiam de relationibus communibus in diuinis puta de ſimilitudine, æqualitate, & identitate eis ſimpliciter repugnat omnis imperfectio, & tamen formaliter nullam dicunt perfectionem: patet, quia tunc in vna perſona eſſet aliqua perfectio, quæ non eſſet in alia, & è contra, nam æqualitas, quâ Pater eſt æqualis Filio eſt alia ab æqualitate, quâ Filius eſt æqualis Patri; hoc idem dico de ſimilitudine, & identitate, vt patet à Doctore *in primo, diſtin. 31.* non ergo repugnat eis ſimpliciter imperfectio ratione alicuius perfectionis formaliter inexiſtentis. Similiter ſi teneatur, quòd perſonæ diuinæ conſtituantur in eſſe perſonali per aliquod abſolutum, tali abſoluto ſimpliciter repugnat omnis imperfectio, & tamen nullam perfectionem dicit formaliter; patet, quia tunc eſſet aliqua perfectio in vna perſona, quæ non erit in alia: videtur ergo, quòd iſta propoſitio abſolutè ſumpta ſit falſa, ſcilicet quòd imperfectio non repugnat alicui ſimpliciter, niſi ratione alicuius perfectionis exiſtentis in eo.

Relationes dicunt perfectionem negatiuè, ideſt, excludũt omnem imperfectionem.

Prætereà, ſicut aliqua negatio pertinet ad dignitatem, ita non videtur inconueniens imperfectionem aliquam poſſe ſimpliciter repugnare alicui ratione alicuius negationis pertinentis ad dignitatem, nam ingenitum ſimpliciter conuenit patri ratione alicuius negationis, & de hoc vide Doctorem *in primo, diſtin. 28. quæſt. 2.* Ex his ergo difficultatibus adductis

ductis non videtur, quòd prima, & ſecunda ratio Doctoris concludat propoſitum contra opinionem Henrici.

4. *Reſponſio ad difficultates.*

Reſpondeo ad has difficultates, & pro clariori intelligentia primæ difficultatis ſoluendæ præmitto aliqua. Primò, quòd aliquid repugnare alicui, poteſt dupliciter intelligi. Primò quòd ſimpliciter repugnet diuidi in plura, quorum quodlibet ſit ipſum diuiſum per identitatem, ſiue quòd repugnet communicari, vt *quod*. Secundò quòd licèt repugnet ſibi ſic diuidi in plura quorum quodlibet &c. vltrà tamen repugnat ei poſſe quouis modo communicari alteri tam in ratione formæ informantis, quàm in ratione ſuppoſiti. Primo modo talis repugnantia ſimpliciter ineſt per aliquid poſitiuum, & hoc patet in omnibus, quæ non poſſunt ſic diuidi: dicimus enim, quòd animali repugnat ſimpliciter diuidi in plura genera; & patet, quod talis repugnantia ineſt animali per aliquid poſitiuum, puta per ſenſibilitatem; patet, quia ſubſtantia corporea, & viuens eſt diuiſibilis in plura genera, animali verò repugnat propter hanc differentiam, quæ eſt ſenſibile: ſimiliter patet, quia ſpeciei ſpecialiſſimæ ſimpliciter repugnat diuidi in plures ſpecies per aliquid poſitiuum, repugnat enim homini non inquantum animal, diuidi in plura ſpecie, ſed inquantùm rationalis, quod eſt differentia poſitiua; ergo ſimiliter ſimpliciter repugnat ſingulari diuidi in plura ſingularia, quorum quodlibet ſit ipſum, per aliquid poſitiuum, videlicet per differentiam indiuidualem. Secundo modo aliquid poteſt repugnare alteri precisè per aliquam negationem, & non per poſitiuum, ſed ſi vltrà quæratur, quare talis negatio ineſt, oportet aſſignare aliquod poſitiuum, propter quod negatio poſſit ineſſe; & ſic ſuppoſito creato repugnat communicari alicui tam in ratione formæ informantis, quàm in ratione ſuppoſiti; ſiue etiam quàm in ratione partis: & ſic dicimus, quòd ſuppoſitum actu, loquendo de ſuppoſito creato formaliter, dicit negationẽ duplicis dependentiæ ad aliud ſuppoſitum ſcilicet actualis, & aptitudinalis, ſiue negationem duplicis communicabilitatis, vt *quo*, & vt *quod*, ſed talis duplex negatio non ineſt, niſi per aliquod poſitiuum, puta, quia eſt ſingulare talis naturæ. Nã cuilibet ſingulari prædicamenti Subſtãtię conuenit hæc duplex negatio præcisè per differentiam indiuidualem, ſicut etiam ſingularibus alterius prædicamenti à ſubſtantia conuenit iſta negatio qua dicitur incommunicabile, vt *quod* præcisè per differentiam poſitiuam indiuidualem, non autem conuenit ſibi alia negatio qua dicatur incõmunicabile, vt *quo*, quia tantùm illa conuenit ſingulari, quod natum eſt per ſe ſtare, cuiuſmodi eſt ſolum ſingulare prędicamenti Subſtantiæ, de quibus prolixè expoſui *in tertio, diſt.* 1 *q.* 1.

Animali repugnat diuidi in plura genera.

5. *Suppoſito repugnat communicari.*

Secundò prçmitto q; aliud eſt aliquã affirmationem repugnare alicui, & aliud eſt negationẽ illius affirmationis cõuenire alicui. Primo modo aliquid repugnat alicui per ſolã negationẽ; patet quia ſuppoſito, vt huiuſmodi repugnat communicari &c. quia vt ſuppoſitũ eſt formaliter, dicit negationem duplicis communicabilitatis. Secundo modo, non videtur poſſibile, quòd negatio propter quã affirmatio oppoſita præcisè repugnat poſſit ineſſe, niſi per aliquid poſitiuum, vt patet diſcurrendo in omnibus his præſuppoſitis. Dico ergo, quòd ratio Doctoris ſimpliciter concludit de ſingulari naturæ; & ſimpliciter concludit de negatione, propter quam repugnat affirmatio; quia talis negatio, puta ad diuidi in plura numero, merè conuenit ſingulari propter aliquod poſitiuum, & per conſequens affirmatio oppoſita, licèt primò repugnet negationi oppoſitæ, tamen ex conſequenti repugnat ſingulari, propter aliquod poſitiuum exiſtens in eo, licèt non ſit ſimile de ſuppoſito; quia hæc affirmatio, quâ dicimus ſuppoſitum poſſe communicari vt quo formaliter repugnat negationi oppoſitæ, qua dicimus non poſſe ſic communicari, & licèt talis negatio non inſit alicui, propter aliquod poſitiuum, tamen affirmatio oppoſita non repugnat propter aliquod poſitiuum; patet, quia omne poſitiuum in ſingulari eſt ſaltem communicabile vt *quo*, vt probat Doctor *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. Ratio ergo Doctoris prima ſi fiat de ſingulari, benè concludit, quòd negatio ad diuidi in plura numero ineſt propter aliquod poſitiuũ, & affirmatio oppoſita, quæ eſt ad diuidi in plura numero, etſi formaliter repugnat negationi oppoſitæ, non propter aliquod poſitiuum, ex conſequẽti tamen repugnat ſingulari propter aliquod poſitiuum, cui conuenit negatio oppoſita, & ſic patet ſolutio primæ difficultatis, quàm benè nota.

6. *Reſponſio ad ſecũdum dubium.*

Ad ſecundã dubitationẽ reſpondeo, præmittẽdo aliqua, Primum, quòd cõmunicari alicui in ratione ſuppoſiti, vel perſonæ nullã dicit imperfectionem, quia & eſſentia diuina tribus ſuppoſitis cõmunicatur. Secundum, communicari alicui in ratione formæ informantis, ſiue in ratione actus perficientis, licèt vt perficit non dicat imperfectionẽ, ex cõſequenti tamẽ includit imperfectionẽ quia inhærentiam, & dependentiam ad perfectibile. Tertium, eſſe ens, cui ex ſua ratione formali conuenit, poſſe exiſtere per ſe, non tantùm non dicit inperfectionem, ſed formaliter dicit perfectionem: hoc enim perfectiſſimè conuenit eſſentiæ diuinæ, ſicut arguit Auguſtinus. Si res ad ſe ſubſiſtunt, quantò magis Deus? ſed eſſe ſimpliciter incommunicabile, nullam perfectionem dicit: patet, quia perſonæ in diuinis ſunt ſimpliciter incommunicabiles.

Eſſentia quomodo communicatur tribus ſuppoſitis.

Quomodo perſonæ diuinæ ſint incommunicabiles.

Nota.

Quartum naturam natam per ſe exiſtere communicari ſuppoſito alterius naturæ nulla appareret imperfectio in ipſa natura. Tum, quia communicatur ſuppoſito diuino, & hoc eſt magis perfectionis denominatione extrinſeca. Tum, quia actu nõ cõmunicari dicit prçcisè negationẽ ipſius ad ſuppoſitũ alterius naturæ, quæ negatio nullam imperfectionẽ dicit in tali natura, nec perfectionẽ; ergo actu cõmunicari nullã imperfectionẽ dicit, quia vt actu communicatur tãtùm remouetur illa negatio actualis. Et licèt fortè aptitudo ad communicari ſuppoſito alterius naturæ, loquendo de ſuppoſito creato dicat imperfectionem, aptitudo verò ad communicari ſuppoſito diuino nullam dicit imperfectionem, cùm ſit in perfecta potentia obedientiali ad Deum, ideò dicit aptitudinem ad ſuppoſitum diuinum, nullam autem ad ſuppoſitum creatum, vt patet à Doctore *in tertio* diſtinctione prima, quæſt. 1. & *in quodlibet. quæſt.* 19.

7.

Quintum eſt, naturam diuidi in plures naturas eſt ſimpliciter imperfectionis; patet per oppoſitum, quia eandem naturam numero

poſſe pluribus ſuppoſitis communicari, eſt perfectionis formaliter infinitæ, vt declarat Doctor *in primo diſt.* 28. ergo naturam eſſe diuiſam in alio, & alio ſuppoſito, eſt ſimpliciter imperfectionis, & ſic dicimus naturam communem ex natura rei includere formaliter imperfectionem ex hoc, quod eſt in plura ſingularia realiter diuiſibilis, eo ſcilicet modo, quo expoſui *in quæſt. immediatè præcedenti*, & talis imperfectio repugnat ſimpliciter alicui ratione alicuius perfectionis, ſiue ratione alicuius poſitiui exiſtentis in eo: & patet diſcurrendo in omnibus imperfectionibus, quæ non conueniunt alicui, niſi propter poſitiuum in eo, & de hoc vide Doctorem *in primo, diſtin.* 3. *quæſt.* 1. improbando opinionem Thomæ, patet etiam, quia negatio affirmationis dicentis imperfectionem non ineſt alicui, niſi propter aliquod poſitiuum exiſtens in eo, vt ſuprà dixi. Cùm ergo negatio diuiſionis naturæ conueniat ſingulari, conueniet præcisè ratione alicuius poſitiui exiſtentis in eo, & per conſequens affirmatio oppoſita, quæ dicit huiuſmodi imperfectionem, repugnabit ſingulari ratione alicuius poſitiui. Non eſt ergo ſimile de ſingulari, & de ſuppoſito.

Natura communis dicit imperfectionem.

8. *Reſponſio ad tertium dubium.*

Ad tertium, cùm dicitur, quòd non videtur, quòd imperfectio repugnet alicui propter aliquã perfectionem:

Dico primò, quòd eſt aliqua imperfectio, cuius oppoſitũ dicit perfectionem, & ſic cui repugnat talis imperfectio, ſequitur quòd ei oppoſitũ cõueniat, & per conſequens talis imperfectio non repugnat, niſi propter perfectionem exiſtentẽ in eo, cui repugnat: cùm ergo naturã diuidi in plura realiter dicat formaliter imperfectionem, ſequitur quòd naturam non poſſe in plura realiter diuidi, dicat perfectionem. Si ergo ſic diuidi repugnat ſingulari, ſequitur quòd repugnabit ſibi propter perfectionem exiſtentem in eo.

Dico ſecundò, quòd eſt aliqua imperfectio, cuius oppoſitum nullã includit perfectionẽ formaliter. Nam proprietas hypoſtatica in creatis, tenẽdo quòd dicit entitatem poſitiuam, dicit imperfectionem, quia limitata, proprietas tamen hypoſtatica in diuinis, quæ eſt ſimpliciter illimitata, nullam perfectionem dicit quia tunc eſſet aliqua perfectio in vna perſona, quæ non eſſet in alia, & ſic limitatio proprietatis ſimpliciter repugnat proprietati hypoſtaticæ in diuinis ſimpliciter illimitatæ, & tamen ſibi non repugnat ratione alicuius perfectionis formaliter exiſtentis in ea.

Quomodo proprietas hypoſtatica dicit imperfectionem.

Dico tertiò, quòd omnis imperfectio repugnat proprietati perſonali in diuinis, non ratione alicuius perfectionis formaliter in ea; ſed ratione perfectionis ſimpliciter, cui per realem identitatẽ identificatur, & ſic repugnat ſibi ratione eſſentiæ diuinæ, cui nulla imperfectio identificari poteſt. Ex his ergo patet ſolutio ad omnes difficultates.

12. d *Item negatione non conſtituitur aliquid formaliter.* Hîc Doctor tertiò arguit, probãdo quòd differentia indiuidualis non dicit præcisè negationem, & ratio clara eſt, quia quod cõſtituitur in maiori perfectione, quàm priùs fuerit tale conſtituens, non dicit ſolam negationem; patet, quia negatio vt negatio nullã perfectionem dicit, ſed prima ſubſtantia, cùm ſit maxima ſubſtantia, per Philoſophum in Prædicamentis, & magis ſubſtãtia quàm ſecunda, eſt perfectior ſubſtantia, quàm ſecunda: ergo conſtituens aliquid in *eſſe* primæ ſubſtantiæ non erit aliqua negatio: ſed differentia indiuidualis vltimatè conſtituit primam ſubſtantiam: ergo talis differentia non dicit præcisè negationem.

Differentia indiuidualis non dicit negationem.

e *Item de ſingulari per ſe primo.* Quartò principaliter arguit Doctor ſupponendo vnum, quod declarauit *in primo, diſtinct. 2. quæſt. 2.* quòd nihil poteſt prædicari per ſe de illo, quod non eſt per ſe vnum: cùm ergo natura per ſe primo modo prædicetur de ſingulari, ſequitur quòd ſingularitate erit aliquod ens per ſe: ſed nulla negatio conſtituit aliquod ens per ſe, cum eo cui aduenit: ergo ſi ſingulare præcisè diceret negationẽ additam naturæ, de tali ſingulari nihil per ſe prædicaretur. Nec valet dicere, quòd recipit prædicationem naturæ, per ſe, non ratione negationis, ſed ratione naturæ incluſæ, quia tunc eſſet tantùm prædicatio eiuſdem de ſeipſo.

13. *Quomodo cõſtituatur indiuiduum.*

f *Præterea, licèt iſta poſitio videatur eſſe falſa.* &c.

Nam iſta poſitio ponit duplicem negationem eſſe rationem, propter quam tali ſubſtantiæ repugnat diuidi in plures partes ſubiectiuas. Si quæritur, quare oppoſitum iſtius duplicis negationis, quod eſt diuidi in plures partes ſubiectiuas, repugnat tali ſubſtantiæ? Si dicis, quòd repugnat propter illam duplicem negationem, aſſignas cauſam ſuiipſius, quia quæro de iſta duplici negatione, propter quid conueniat tali ſubſtantiæ? ſi dicis, quòd propter aliquid poſitiuum, habetur propoſitum: ſi propter illam duplicem negationem, tunc ſenſus eſt, quòd illa duplex negatio ineſt, vel ſic. Si dicis, quòd ſic diuidi repugnat propter duplicem negationem, aſſignas cauſam ſuiipſius, & ſenſus eſt, non poteſt diuidi, quia ineſt ſibi iſta duplex negatio; & ſic ſequitur, non poteſt diuidi, quia non poteſt diuidi. Si non dat iſtam duplicem negationem vt cauſam huius, quod eſt *repugnare ad diuidi*, tunc non reſpondetur ad quæſtionem, quia quæritur quid eſt illud, propter quod abſolutè repugnat ſubſtantiæ materiali diuidi in partes ſubiectiuas, ſicut ſi dicerem, quæro à te, propter quid repugnat homini affirmatio aſini? ſi dicatur, quòd repugnat propter negationem, tunc ſequitur quòd homo non eſt aſinus, quia non eſt aſinus: quæritur enim hîc quid ſit illud, propter quod inſit talis negatio, & repugnat talis affirmatio, ſic in propoſito: quæritur enim quid eſt illud, propter quod negatio diuiſionis in partes ſubiectiuas inſit ſubſtantiæ materiali, & per conſequens propter quid repugnantia ad huiuſmodi diuiſionem inſit ſibi, & ſic tandem oportet ponere aliquid poſitiuum in ſubſtantia materiali, propter quod inſit huiuſmodi negatio ſubſtãtiæ materiali, & propter quod affirmatio oppoſita negationi repugnat.

QVÆSTIO III.

Vtrùm ſubſtantia materialis per actualem exiſtentiam ſit indiuidua, vel ratio indiuiduandi aliquid aliud.

Henr.*quodl.*2.*q.*8. Fonſeca 5.*Met.q.*2.*ſec.*2. Soncin.7.*Met.q.*32. Goffred.Bonet.& Bachon.*citati à margineſtis hìc.* Suar. *Met.d.*5.*ſe.*5.

1 TErtiò quæro ſine argumentis, an ſubſtantia materialis per actualem exiſtentiam ſit indiuidua, vel ratio indiuiduandi aliquid aliud? Dicitur, quòd ſic, quia ex 7.Metaph.actus determinat, & diſtinguit: ergo vltima diſtinctio eſt per vltimum actum: vltimus autem actus indiuiduorum eſt ſecundùm *eſſe* exiſtentiæ: quia quodlibet aliud ab ipſo intelligitur in potentia ad ipſum. *Nic. Bon. in 8. Met. ſuæ ſequitur hanc viã, quære Gotfr.Rog. Bacheneſ. Text.*49.

COMMENTARIVS.

1. TErtio principaliter quærit Doctor ſine argumentis, an ſubſtantia materialis per actualem exiſtentiam ſit indiuidua, vel ratio indiuiduandi aliquid aliud, id eſt an actualis exiſtentia naturæ humanæ ſit ratio formalis contrahendi naturam ad eſſe indiuiduale.

Opinio Nicolai Boneti. Opinio Nicolai Boneti in octauo Metaph.ſuæ, iſta eſt, quòd ſubſtantia materialis contrahatur ad *eſſe* Indiuiduale per actualem exiſtentiam ipſius ſubſtantiæ, quod probat per dictum Philoſophi ſeptimo metaphyſicorum, *tex.com.*49. vbi habetur, quòd actus determinat, & diſtinguit; nam ſecundùm noſtram tranſlationem ſic habetur ab Ariſtotel. *Nam*, inquit, *actus ſeparat*, & ſecundum tranſlationem Commentatoris: *Actus*, inquit, *diuidit ſubſtantiam*, ex hoc arguit, ſi actus diſtinguit, ergo vltima diſtinctio eſt per vltimum actum, *vltimus autem actus eſt indiuiduorum*, &c.

SCHOLIVM.

Reiicit aſſerentes exiſtentiam eſſe id, quo natura ſit indiuidua: primò, exiſtentia non eſt ex ſe indiuidua: ſecundò, ſupponit diſtinctionem eſſentiæ.

Contra iſtud,[a] primò, quia quod non eſt ex ſe diſtinctum, nec determinatum, non poteſt eſſe primum diſtinguens, vel determinans aliud: ſed eſſe exiſtentiæ eo modo, quo diſtinguitur ab *eſſe* eſſentiæ, non eſt ex ſe diſtinctum, nec determinatum: non enim *eſſe* exiſtentiæ habet proprias differentias, alias à differentiis *eſſe* eſſentiæ, quia tunc oporteret ponere propriam coordinationem exiſtentiarum, aliam à coordinatione eſſentiarum, ſed præcisè determinatur ex determinatione alterius: igitur non determinat aliquid aliud.

Ex hoc poteſt argui aliter, quia illud, quod præſupponit coordinationem, & diſtinctionem alterius, non eſt prima ratio diſtinguendi ipſum, vel determinandi ipſum: ſed exiſtentia, vt determinata, & diſtincta præſupponit ordinem, & diſtinctionem eſſentiarum: igitur, &c. Et ſi dicatur,[b] quod præſupponit diſtinctionem, & determinationem omnem aliam ab illa, quæ eſt ad indiuidua: ſed iſtam, quæ eſt quaſi per indiuiduum, cauſat, igitur, &c. *Diſtinctio exiſtentiæ ſupponit diſtinctionem eſſentiæ.*

2. Contrà, in coordinatione[c] prædicamentali ſunt omnia, quæ per ſe pertinent ad illam coordinationem, circumſcripto quocumque, quod nihil eſt illius coordinationis: quia ſecundùm Philoſophum *primo Poſteriorum*, ſtatus eſt in quolibet Prædicamento, & in ſurſum, & in deorſum: igitur ſicut inuenitur ſupremum in genere præcisè conſiderando illud ſub ratione eſſentiæ, & inueniuntur genera intermedia, & ſpecies, & differentiæ: ita inuenitur etiam infimum, id eſt, ſingulare abſque omni exiſtentia actuali: quod patet euidenter, quia hic homo non plus includit formaliter exiſtentiam actualem quàm homo. *Text. com. 33.& inde.*

Præterea, eadem quæſtio eſt de exiſtentia, quo & vnde contrahitur vt ſit hæc, quæ eſt, & de natura. Nam[d] ſi natura ſpecifica eadem ſit in pluribus indiuiduis, habet exiſtentiam eiuſdem rationis in eis: ſicut ergo probatur in ſolutione primæ quæſt. quod iſta natura non ſit de ſe hæc: ita poteſt quæri per quid exiſtentia ſit hæc, quia non eſt dare, quod ſit de ſe hæc: & ita non ſufficit dare primam exiſtentiam, qua natura ſit hæc.

Exiſtentia quomodo vltimus actus.

Per hoc e patet ad argumentum, pro opinione dico, quòd actus diſtinguit eo modo, quo eſt actus: ſed actus accidentalis diſtinguit accidentaliter, ſicut actus eſſentialis diſtinguit eſſentialiter: ita dico, quòd vltima diſtinctio in coordinatione prædicamentali eſt diſtinctio indiuidualis: & illa eſt per vltimum actum per ſe pertinentem ad coordinationem prædicamentalem, ſed ad hanc coordinationem prædicamentalem non per ſe pertinet exiſtentia actualis: actualis autem exiſtentia eſt vltimus actus: ſed poſterior tota coordinatione prædicamentali: & ideò concedo, quòd exiſtentia diſtinguit vltimatè, ſed diſtinctione, quæ eſt extra totam per ſe coordinationem prædicamentalem, quæ diſtinctio eſt aliquo modo accidentalis, licèt non ſit vere accidentalis, tamen ſequitur totam diſtinctionem ſecundùm *eſſe* quiditatiuum: eo ergo modo quo eſt actus, diſtinguit, & in quo eſt vltimus actus, vltimatè diſtinguit. 3.

COMMENTARIVS.

1. a *Contra iſtud.* Hîc Doctor improbat hanc poſitionem.

Eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ ſunt idem realiter.

Primò, quia quod non eſt ex ſe diſtinctum, &c. Et vult dicere Doctor quòd ſicut datur natura in communi, quæ ſit hæc per aliquid diſtinctum à natura, ita datur exiſtentia in communi quæ ſit hæc per aliquid poſitiuum aliud ab illa.

In iſta littera ſunt aliqua ſatis notanda.

Hîc Doctor in iſta litera dicit aliqua ſatis notanda. Primum, quòd eo modo, quo datur *eſſe* eſſentiæ, etiam datur *eſſe* exiſtentiæ conueniens tali eſſe eſſentiæ. Nam ſi *eſſe* eſſentiæ naturæ humanæ ſit tantùm in potentia, *eſſe* exiſtentiæ ipſius erit tantùm in potentia; & ſi *eſſe* eſſentiæ ſit in *eſſe* reali actuali, tunc *eſſe* exiſtentiæ ipſius erit in eſſe reali, & actuali, cùm ſit gradus intrinſecus eius, vt ſuprà expoſui in quæſt. 1. præſentis diſt.

Secundum eſt, quòd eo modo quo *eſſe* eſſentiæ eſt prius, vel communius alio, ſic *eſſe* exiſtẽtiæ eius erit prius, & communius: & ex hoc infertur, quòd ſi Subſtantia, quæ ponitur genus generaliſſimum, ponitur prior ex natura rei omnibus inferioribus in *eſſe* tantùm poſſibili, ita *eſſe* exiſtentiæ eius in tali *eſſe* poſſibili, ponitur prior omni *eſſe* exiſtentiæ nato competere inferioribus. Et ſimiliter ſi prior in *eſſe* reali, & actu ab omnibus inferioribus in *eſſe* reali, & actuali conſideratis, quod videtur ponendum, ita *eſſe* exiſtentiæ reale, & actuale ipſius ſubſtantiæ genericæ in tali *eſſe* erit prius omni exiſtentia reali, & actuali nata competere inferioribus.

2. Tertium, quod ſequitur ex iſta litera Doctoris eſt, quòd natura communis non præcisè exiſtit per exiſtentiam ſingularis, vt aliqui exponunt Doctorem, quia ſicut natura eſt prior ſingulari, ita eius exiſtentia, benè verum eſt, quòd nunquam natura communis habet *eſſe* reale actuale, & exiſtens ſine *eſſe* reali, & actuali, & exiſtentiæ indiuiduorum, tamen cum hoc ſtat, quòd tale *eſſe* reale, & exiſtens ipſius naturæ ſit prius natura *eſſe* reali, & exiſtentiæ indiuiduorum.

Quartum eſt, quòd reſpectu exiſtentiæ naturæ humanæ non datur alia differentia, nec aliud genus: eaſdem enim præcisè differentias habet, quas & natura, quia ipſa exiſtentia ponitur præcisè gradus intrinſecus naturæ.

Nota. Si dicatur, quòd ex hoc videtur ſequi, quòd ita animal prædicatur in *quid* de exiſtentia hominis, ſicut de ipſo homine, & ſimiliter rationale videretur ita prædicari eſſentialiter de exiſtentia hominis, ſicut de ipſo homine.

Dico, quòd includere eandem differentiam poteſt intelligi vno modo formaliter, & quiditatiuè: alio modo realiter, & identicè: primo modo, homo, vt præſcindit ab omni exiſtẽtia tam actuali, quàm aptitudinali, recipit prædicationẽ eſſentialem, & omnia, quæ prædicantur eſſentialiter de homine, præſcindunt ab omni exiſtentia tam actuali, quàm aptitudinali, quia prædicata eſſentialia præcisè accipiuntur penes quiditatem, & quando animal, vt includit eſſe exiſtentiæ, prædicatur de homine, non prædicatur in *quid*, quia quod non dicit vnum conceptum per ſe in *quid*, nunquam prædicatur in *quid*; patet à Doctore *in primo, diſt. 2. par. 1. q. 2. & ſimiliter in tertio*, vbi quærit Doctor an iſta ſit per ſe, *Chriſtus eſt homo*, modò animal cum ſua exiſtentia, ſiue actuali, ſiue aptitudinali non dicit vnum conceptum per ſe quiditatiuum, vt patet. Si ſecundo modo, dico quòd talis exiſtentia eſt per realem identitatem eãdem naturæ humanæ, ſic intelligendo quòd rationale, quod conſtituit hominem in *eſſe* ſpecifico habet exiſtentiam, vt gradum intrinſecum, & ſimiliter animal habet exiſtentiam propriam, vt gradum intrinſecum, Et licèt animal, vt priùs natura ſua exiſtentia concurrat ad *eſſe* quiditatiuum hominis, nunquam tamen animal intelligitur *eſſe* in homine, quin concomitanter intelligatur & eius exiſtentia in homine: & ſic patet quomodo exiſtentia hominis non includit alias differentias ab illis, quas includit homo, quod etiam probatur per argumentum à fortiori, quia propria paſſio non includit aliam differentiam à differentia ſpeciei; quia ſi ſic, tunc oporteret ponere vnam coordinationem paſſionum, quod eſt falſum, à fortiori exiſtentia non includit aliam differentiam à differentia ſpeciei cuius eſt. Patet conſequentia, quia exiſtentia, cùm ſit gradus intrinſecus rei, cuius eſt, eſt valde intimior, quàm quæcumque paſſio, vt patet à Doctore, *in primo, diſt. 3. q. 1. & in quolib. q. 1. & 5.*

Exiſtentia hominis non includit alias differentias.

Quintum eſt, quòd tota coordinatio Prædicamentalis præcisè attenditur ſecundùm entitatem ſuperiorum, & inferiorum, vt priorem natura omni exiſtentia, ſic quòd datur tota coordinatio, puta generum, ſpecierum, & indiuiduorum, vt natura prior exiſtentiis datis conuenire generibus, ſpeciebus, & indiuiduis: ſicut ergo ſpecies, vt ſpecies eſt prior exiſtentia nata ſibi competere: ita indiuiduum, vt huiuſmodi erit prius exiſtentia nata ſibi conuenire: ergo in illo priori oporteret aſſignare rationem indiuidualem contrahentem naturam ad *eſſe* indiuiduale: & ſic ſequitur, quòd per exiſtentiam aliquam nulla natura ſit primò indiuidua, ſed per aliquod poſitiuum prius natura omni exiſtentia. 3.

Sed

Dubium occurrens circa hanc litterã.

Sed tunc occurrit dubium, quia ſi in illo priori non includitur exiſtentia, quæritur per quid exiſtentia hominis contrahitur ad *eſſe* indiuiduale? aut contrahitur per eandem rationem indiuidualem, per quam contrahitur natura; aut per aliam: non primò, quia illa ratio indiuidualis præintelligitur exiſtentia hominis: non ſecundò, quia eodem modo quæro per quid exiſtentia animalis contrahitur ad *eſſe* ſpecificum hominis? non per differentiam hominis, quia intelligitur prior tali exiſtentia. Si per aliquid aliud, oportebit aſſignare illud, & non videtur poſſe aſſignari aliud, niſi alia differentia à differentia hominis. Et tunc ſequitur, quòd exiſtentia hominis habebit aliam differentiam, à differentia hominis, & ſic exiſtentiarum erit alia coordinatio.

4. *Reſponſio.*

Reſpondeo, quòd non intelligo, vt aliqui volunt exponere Doctorem quòd detur vna differentia indiuidualis reſpectu naturæ hominis, & alia reſpectu exiſtentię, quia oporteret dari aliam, & aliam reſpectu alterius, & alterius paſſionis ipſius hominis, cum paſſio ſit magis diſtincta quàm exiſtentia. Dico ergo, quòd natura humana reſpectu vnius indiuidui præcisè contrahitur ad *eſſe* indiuiduale per vnam differentiam indiuidualem, & per eandem concomitanter contrahitur quicquid ad hominem pertinet, ſiue vt *eſſe* eſſentiale; ſiue vt paſſio; ſiue vt gradus intrinſecus: nunquam enim natura in quocunque ſit, poteſt ſeparari à ſuo gradu intrinſeco, nec à ſuis paſſionibus, ideò eadem differentia, quæ primò, & immediatè contrahit naturam ad *eſſe* indiuidui, ex conſequenti, & concomitanter contrahit omne, quòd per realem identitatem includitur in ipſa natura, contrahit dico ad *eſſe* indiuiduale, quòd bene nota.

b Et ſi dicatur, quòd præſupponit diſtinctionem, id eſt, ſi dicatur, quòd *eſſe* exiſtentiæ benè præſupponit diſtinctionem eſſentiarum ad inuicem, puta ſpecificæ naturæ, genericæ, ſubalternæ, & generaliſſimæ, non tamen præſupponit diſtinctionem naturarum ſingularium, ſed ipſum *eſſe* exiſtentiæ præcisè contrahit naturam ad *eſſe* indiuidui.

5. c *Contrà*, hîc Doctor improbat hãc reſponſionem: & ratio ſtat in hoc: quia *in coordinatione prædicamentali ſunt omnia*, &c.

d *Nam ſi natura ſpecifica eadem ſit in pluribus indiuiduis habet etiam exiſtentiam eiuſdem rationis in eis*: patet, quia natura in quòlibet indiuiduo eſt eiuſdem rationis: ergo & exiſtentia, quæ eſt modus intrinſecus erit eiuſdem rationis in omni indiuiduo; & ſic poteſt quæri per quid exiſtentia ſit hæc? quia non eſt dare, quòd ſit de ſe hæc & ita non ſufficit dare primam exiſtentiam, qua natura ſit hæc, quia natura vt hæc, præcedit primam exiſtentiam. Ex iſta litera aliqui voluerunt exponere Doctorem quòd exiſtentia hominis contrahatur ad *eſſe* indiuiduale per aliquam hæcceitatem aliam ab hæcceitate contrahente naturam, ſed hoc non videtur, vt dixi ſuprà, quia ſufficit hæcceitas contrahens naturam; ad quam naturam contractam concomitanter dicitur contrahi, quicquid eſt in tali natura. Si tamen intelligunt aliam hæcceitatem reſpectu exiſtentiæ, & naturæ; tunc ſoluant rationem factam, quam, vt credo, ſoluere non poſſent. Nec enim Doctor dicit, quòd contrahatur per aliam hæcceitatem, ſed tantùm dicit, quòd ſicut natura, puta hominis non eſt de ſe hæc, ita, & exiſtentia, quæ eſt gradus intrinſecus naturæ non eſt de ſe hæc: ergo oportet dare per quid talis exiſtentia fiat hæc. Non per aliam exiſtentiam, cùm illa ſit ſimpliciter eiuſdem rationis; contrahens autem ad *eſſe* indiuiduale non eſt ſimpliciter eiuſdem rationis cum natura contracta: oportet ergo dare aliquid aliud contrahens naturam ad *eſſe* indiuiduale, & per illud idem concomitanter contrahitur exiſtentia naturæ humanæ ad *eſſe* indiuiduale.

6. *Scotus ſoluit rationem Boneti.*

e *Per hoc patet ad argumentum pro opinione.* Hîc Doctor ſoluit rationem factam pro opinione Boneti, & dicit, quòd *actus eo modo diſtinguit, quo eſt actus*, &c. *& illa eſt per vltimum actum per ſe pertinentem ad coordinationem prædicamentalem*: illa enim ſola pertinent ad coordinationem prædicamentalem, quæ per ſe ponuntur in recta linea prædicamentali, & illa propriè, & per ſe ſunt in prædicamento, & quiditatiuè, quæ recipiunt prædicationem talis Prædicamenti, & ſimiliter omnia per ſe pertinẽt ad talẽ coordinationem, quæ per ſe conſtituunt aliquid quod eſt in recta linea prædicamentali, & hoc modo differentiæ conſtituentes ſpecies, vel ſpecialiſſimas, vel ſubalternas, & ſimiliter hęcceitates, per ſe pertinent ad talem coordinationem; non quòd recipiant prædicationem per ſe talis Prædicamenti, quia genus per ſe non prædicatur de differentiis, ſed per ſe dicuntur pertinere, quia conſtituunt per ſe vltimatè aliquid, quod per ſe eſt in recta linea prædicamentali, & per ſe recipit prædicationem talis prædicamenti. Sed in propoſito: Actualis exiſtentia non per ſe pertinet ad coordinationem prædicamẽtalem, cùm per ſe ſit actus poſterior tota coordinatione prædicamentali: & ideò dicit Doctor, quòd exiſtentia diſtinguit vltimatè ſed diſtinctione, quæ eſt extra totam per ſe coordinationem prædicamẽtalem, quæ diſtinctio eſt aliquo modo accidentalis, licèt non ſit verè accidentalis: dicitur enim quaſi accidentalis, quia non per ſe pertinet ad aliquid eiuſdem Prædicamenti, ſed concomitatur illud, quod per ſe eſt in Prædicamento non tamen eſt proprie accidentalis, cùm ſit gradus intrinſecus rei cuius eſt, ſed extra rationem formalem illius: ſequitur enim totam diſtinctionem ſecundùm *eſſe* quiditatiuum, ſcilicet eiuſdem coordinationis prædicamentalis: eo ergo modo, quo eſt actus, diſtinguit, & in quo eſt vltimus actus, vltimatè diſtinguit, &c.

Exiſtentia diſtinguit vltimatè.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm ſubſtantia materialis ſit per quantitatem indiuidua, vel ſingularis?

D. Thom. 1. *p. qu.* 3. *art.* 3. *&* q. 50. *art.* 4. *&* 3. *p. qu.* 77. *art.* 2. Ægid. *quodl.* 1. *qu.* 5. Goff. *quodl* 6. *qu.* 16. Soncinas 7. *Met. qu.* 33. 34. Ferr. 1. *contra Gent. cap.* 21. Caiet. *opuſc. de ente & eſſen.* Suar. *Met. d.* 5. *ſec.* 3.

VÒD ſic Boëtius de Trinit. *In numero differentiam variabilitas accidentium facit: nã tres homines nec ſpecie, nec genere differũt, ſed ſuis accidentibus. Nam ſi animo cuncta his accidentia ſeparemus, locus tamen cunctis diuerſus eſt, quem vnum fingere duobus minimè poſſumus. Duo enim corpora vnum locum non obtinebunt, qui eſt accidens, & ideò ſunt plures numero, quantò accidentia plura ſunt.* Inter omnia autem accidentia primum eſt quantitas, quam videtur ſpecialiter exprimere in loco dicendo, quod eundem locum fingere duobus non poſſumus, qui competit eis inquantùm quanta. 1.

Arg. 1. *lib.* 2. *cap.* 1.

Præterea, Damaſcenus in Elementario. cap. 5. non computando prooemium, *Omnis res in qua differt hypoſtaſis ab eiuſdem ſpeciei hypoſtaſi, dicitur aduentitia differentia, & caracteriſtica proprietas, & qualitas hypoſtatica.* Hoc autem accidens eſt velut homo differt ab altero homine, quoniam hic quidem longus, hic autem breuis.

Arg. 2.

Præterea, quinto Metaphyſ. Auicennæ: *Naturæ, quæ eget materia ad eius eſſe, aduenium accidentia, & diſpoſitiones extrinſecæ, per quas indiuiduatur.*

Arg. 3. *c.* 3.

Contrà, ſicut arguitur ad ſecundam quæſtionem prima ſubſtantia per ſe generatur, & per ſe operatur: & hoc inquantùm diſtinguitur à ſecunda, cui iſta non conueniunt per ſe: ſed iſta non conueniunt enti per accidens: de *generari* patet 6. Metaphy. de *operari* patet, quia vnum per ſe agens eſt vnum per ſe ens, & hoc in vno ordine cauſæ.

Ratio ad opp. *Text. com.* 4. *Idem* 7. *text. cõ.* 27.

SCHOLIVM.

Sententia Goffredi, quæ videtur D. Thom. & ſuorum, ſubſtantiam materialem indiuiduari per quantitatem, ſuadetur tribus rationibus.

Hîc dicitur, quòd ſubſtantia materialis eſt ſingularis, & indiuidua per quantitatem, & ponitur talis ratio, quia quod primò conuenit alicui, & per ſe, conuenit cuilibet alteri per rationem eius: ſed ſubſtantia, & quantitas non faciunt vnum per ſe, ſed tantùm vnum per accidens: & per conſequens nulla proprietas conuenit per ſe vna eis ſimul, & æquè primò, ſed vni per aliud: diuidi autem in partes eiuſdem rationis, eſt proprietas vna, quæ per ſe conuenit quantitati, ex 5. Metaph. ergo conuenit alij, ſcilicet ſubſtantiæ per rationem eius: talis eſt diuiſio ſpeciei in eius indiuidua, quia iſta diuidentia non ſunt formaliter ita alterius rationis, ſicut ſunt ſpecies diuidentes genus: & ex hoc vltrà, eſſe diuiſibile in partes eiuſdem rationis, conuenit alicui ratione quantitatis, ex 5 Metaph. & idem eſt principium diuiſionis in aliqua natura, & diſtinctionis diuiſorum: igitur per quantitatem diſtinguuntur indiuidua indiuidualiter ab inuicem: & ex hoc concluditur, quód per quantitatem conuenit rei diuiſio in indiuidua, cui primò conuenit talis diſtinctio: ergo per quantitatem indiuiduum fit indiuiduum. 2.

Goffr. quodl. 6. *q.* 16. *&* *quodl.* 7. *q.* 5. *Text. com.* 28.

Præterea, hic ignis non differt ab illo igne, niſi quia forma differt à forma: nec forma differt à forma, niſi quia recipitur in alia, & alia parte materiæ: nec pars materiæ ab alia parte, niſi quia eſt ſub alia, & alia parte quantitatis: ergo tota diſtinctio huius ignis ab illo igne reducetur ad quantitatem, ſicut ad primum diſtinctiuum.

Confirmatur ratio, quia generans generat aliud propter diſtinctionem materiæ, materia iſta geniti neceſſariò præſupponitur quanta, & ſub quantitate diſtincta. Quòd quanta, patet, quia agens naturale non poteſt agere in non quantum. Patet etiam

etiam quòd quanta alia quantitate, quia non poteſt eſſe quanta quantitate generantis: ſed iſta quantitas præcedit naturaliter *eſſe* ipſius geniti: igitur & diſtinctionem ipſius generantis, & geniti: non autem præcederet naturaliter, ſi non eſſet naturaliter requiſitum, & per ſe vt diſtinctiuum ipſius. 7. *Met.* t. c. 18.

SCHOLIVM.

Reiicit prædictam ſententiam, probans primò nullum accidens indiuiduare ſubſtantiam, & hoc tribus viis. Prima, quia idem indiuiduum ſubſtantiæ manet, non obſtante quacunque accidentium mutatione. Secunda, quia ſubſtantia ſecundùm totam coordinationem prædicamentalem, prior eſt omni accidente. Tertia, quia coordinationes prædicamentales ſunt primò diuerſæ, & ideò indiuidua ſubſtantiæ, cùm fiunt per accidentia. Has tres latè tractat, & clarè.

3. a Contra iſtam concluſionem arguo quatnor viis. Primò ex identitate rationis numeralis, ſiue indiuiduationis, vel ſingularitatis: Secundò ex ordine ſubſtantiæ ad accidentia. Tertiò, ex ratione coordinationis prædicamentalis: & iſtæ tres viæ probabunt communiter, quòd nullum accidens poteſt eſſe per ſe ratio, per quam ſubſtantia materialis indiuiduatur. Quarta via erit ſpecialiter contra quantitatem, quantùm ad concluſionem opinionis. Et quintò arguetur ſpecialiter contra illas rationes opinionis.

Quantùm ad primam viam, primò expono, quid intelligo per indiuiduationem, ſiue vnitatem numeralem, ſiue per ſingularitatem, non quidem vnitatem indeterminatam, ſecundùm quam quodlibet in ſpecie dicitur vnum numero: ſed vnitatem ſignatam vt hanc: ita quòd ſicut priùs dictum eſt, quòd indiuiduum impoſſibile eſt diuidi in partes ſubiectiuas, & quæritur ratio impoſſibilitatis; ita dicò, quòd indiuiduum eſt incompoſſibile, non eſſe hoc ſignatum hac ſingularitate, & quæritur cauſa non ſingularitatis in communi, ſed huius ſingularitatis in ſpeciali ſignatæ, ſcilicet vt eſt hæc determinatè. Hoc modo intelligendo ſingularitatem ex prima via arguitur dupliciter. *Explicat rationem indiuidui.*

Primò ſic, ſubſtantia [b] actu exiſtens, non mutata aliqua trãſmutatione ſubſtantiali, non poteſt fieri de hac non hæc: quia iſta ſingularitas (ſicut modò dictum eſt) non poteſt ineſſe alia, & alia eidem ſubſtantiæ manenti eadem, non ſubſtantialiter mutatæ: ſed ſubſtantia actu exiſtens nulla ſubſtantiali mutatione facta in ipſa vel mutata, poteſt ſine contradictione eſſe ſub alia, & alia quantitate, & quocunque accidente abſoluto: ergo nullo modo tali eſt formaliter hæc ſubſtantia hac ſingularitate ſignata. Minor patet, quia non eſt contradictio quòd Deus ſubſtantiam quantam iſta quantitate eandem conſeruet, & informet eam alia quantitate, nec propter hoc ſubſtantia illa actu exiſtens mutabitur mutatione ſubſtantiali: quia non erit mutatio niſi à quantitate in quantitatem. Similiter ſi mutetur à quocunque accidente ſine mutatione ſubſtantiali, ſiue hoc ſit poſſibile, ſiue impoſſibile, non propter hoc erit formaliter non hæc. *Res nõ poteſt de hac fieri non hæc, ſine mutatione ſubſtãtiali.*

4. Si dicas, quòd iſtud eſt miraculum, & ideò non concludit contra rationem naturalem. Contrà, miraculum non eſt reſpectu contradictoriorum, ad quæ nulla eſt potentia: ſed contradictio eſt eandem ſubſtantiam manentem eſſe duas ſubſtantias, ſine mutatione ſubſtantiali, & hoc tam ſucceſsiuè, quàm ſimul, quod tamen ſequitur, ſi per aliquod accidens eſſet formaliter hæc ſubſtantia: tunc enim accidente ſuccedente accidenti, eadem ſubſtantia non mutata, eſſet ſucceſsiuè duæ ſubſtantiæ. *Ad cõtradicloria nulla potentia.*

Confirmatur etiam illud per ſimile de vnitate ſpecifica, quia impoſsibile eſt vnam ſubſtantiam manentem non mutatam ſpecificè, eſſe ſimul, vel ſucceſsiuè hanc ſpeciem, & non hanc ſpeciem: ergo à ſimili in propoſito. *Einſdẽ effectus non dãtur duæ cauſæ totales.*

c Secundò ſic: duarum productionum completarum in *eſſe* ſubſtantiali, non poteſt eſſe eadem ſubſtantia primus terminus. Probo, quia tunc vtraque acciperet perfectum *eſſe* ſubſtantiale, ex quo vtraque eſt completa: & ita idem bis, produceretur completè, & tunc ſi iſtæ duæ productiones non eſſent ſimul, eadem ſubſtantia per ſe, & actu exiſtens, produceretur, cùm iam actu exiſtit: ſaltem igitur duarum productionum ſucceſsiuarum extremum & terminus idem eſſe non poteſt: ſed generationis panis erat hic panis terminus primus: panis autem ille tranſubſtantiatus eſt, manente eadem quantitate: creetur igitur alius panis, & afficiatur iſta quantitate *Sco. 1. d. 2. q. 1. n. 19. & d. 3. q. 6 & 4. d. 10. q. 2. latè 3. d. 1. q. 2. ad 2.*

manente; ſequitur quòd terminus creationis erit panis, idem cum illo pane, qui erat terminus generationis : quia eadem ſingularitate numero erit hic panis formaliter hic, qua fuit alius panis hic: & ſequitur vltrà, quòd idem panis erit tranſubſtantiatus, & non tranſubſtantiatus; imò ſequitur quòd nullus panis ſit tranſubſtantiatus : quia nõ panis vniuerſalis, nec panis hic ſingularis, quia iſte panis manet nõ mutata quantitate, qua erat formaliter hic panis ex dato : igitur nihil omnino eſt tranſubſtantiatum in corpus Chriſti, quod eſt hæreticum dicere.

Text. 4. d Ex ſecunda via arguitur ſic; ſubſtantia eſt prior naturaliter omni accidente, ſecundùm Philoſophum *ſeptimo Metaph.* & eſt intentio ſua de ſubſtantia ſecundùm quòd eſt vnum iſtorum quæ diuidunt ens: ita quòd exponere ibi *ſubſtantiam* pro Deo vel pro prima cauſa nihil eſt ad intentionẽ eius: Ita enim probat ſubſtantiam eſſe primam, quomodo probat ſubſtantiam eſſe de numero diuidentium ens, quod eſt prior omni accidente: ita ſcilicet ad determinandum de omnibus, quæ diuidunt ens, ſufficit determinare de ſubſtantia tanquam de primo, pro eo quod cognitio accidentiũ habetur, ex eo quod attribuuntur ſubſtantiæ: iſtud autem non poteſt eſſe niſi de ſubſtantia ſecũdùm totalem coordinationem ſuam : igitur nihil poſterius iſta coordinatione poteſt eſſe ratio formalis qua aliqui eſt in iſta coordinatione : Ex ratione igitur prioritatis ſubſtantiæ, ſecundùm quod communis eſt, ſufficit determinatio ſubſtantiæ primæ, cui conuenit iſta prioritas naturalis ad omne accidens: ergo conuenit ſubſtantiæ primæ ex ratione ſua quòd ſit hæc priùs naturaliter, quàm determinetur aliquo accidente. 5.

Tota coordinatio ſubſtãtiæ prior eſt accidente.

2. & 3. Topic. Et poteſt confirmari conſequentia quia ſi aliquid ſit prius ad aliud, maximè primum illius, eſt primum ad illud: ſed maximè primum ſubſtantiæ in communi, eſt ſubſtantia prima : igitur ſubſtantia prima eſt prior ſimpliciter omni accidente : & ita eſt priùs hæcquàm aliquo modo determinetur per aliquid aliud.

e Hìc dicitur, quòd licèt prima ſubſtantia ſit prior quantitate in eſſendo non tamen in diuidendo & in indiuiduando: ſicut etiam ſubſtantia eſt prior in entitate, non tamen in diuiſibilitate. Contrà, iſta reſponſio ſeipſam deſtruit, quia ſi prima ſubſtantia eſt prior naturaliter in eſſendo ipſa quantitate, & non poteſt intelligi prima ſubſtantia in ſuo *eſſe*, niſi inquantùm hæc, ergo non erit hæc per quantitatem.

Text. 7. Quodlibet ens ſequitur propria vnitas. f Prætereà, forma eſt ſimpliciter prior compoſito, ſecundum probationem Ariſt. ſeptimo Metaph. cap. 2. ergo ſi quantitas ſit forma primæ ſubſtantiæ, ipſa erit prior prima ſubſtantia in eſſendo, quod ſi non ſit forma in eſſendo : igitur nec in vnitate competente primæ ſubſtantiæ, inquantum tale ens, quamlibet enim entitatem conſequitur propria vnitas, non habens aliam cauſam propriam ſui, quàm cauſam entitatis. 6.

7. Met. t. 4 Prætereà, g eodem modo ſubſtantia eſt prior naturaliter omni accidente, quo eſt ſubiectum omniũ accidentium: inquantùm enim ſubiectum probatur eſſe prius definitione omni accidente : quia ſic ponitur in ordine cuiuſlibet definitionis per additamentum : ſed vt eſt ſubiectum eſt hæc ſubſtantia, quia ſecundum Philoſophum *Text. 27. & 2. Phyſ. tex. c. 38.* 12. *Metap.* ſingularium effectuum ſunt cauſæ ſingulares in quocunque genere cauſæ: igitur ſingularis accidentis ſingulare ſubiectum eſt cauſa. Et confirmatur maximè de accidente per accidens, quia illud primò ineſt ſingulari ſecundùm Philoſophum 5. *Metaph. cap.* de *Eodem.*

Tex. 15. Prætereà, Omne, quod eſt prius alio natura, eſt prius duratione hoc modo, ſcilicet quòd quantùm eſt de ſe, non repugnat ſibi contradictoriè poſſe eſſe prius duratione ſuo poſteriori. Vniuerſaliter h enim prioritas naturæ includit in priori, poſſe eſſe ſine poſteriori ſine contradictione, *ex quinto Metaph. cap. de Priori*: igitur ſine contradictione poſſet quæcunque ſubſtantia, quantùm eſt ex ſe, eſſe prius duratione omni accidente, & ita quantitate.

Text. 16.

Nihil vnius prædicamenti conſtituitur per aliquid alterius.

Ex tertia via arguitur ſic; in quacunque coordinatione prædicamentali ſunt omnia pertinentia ad illam coordinationem, circumſcripto quocũque alio quod non eſt aliquid illius coordinationis eſſentialiter: Hoc probatur, quia duæ coordinationes ſunt primò diuerſæ, & ita nihil vnius eſt tale per aliquid coordinationis alterius, ſed ad coordinationem iſtam in quantùm finita eſt, & in ſurſum, & deorſum ſecundùm Philoſophum primo Poſteriorum, ſicut pertinet aliquid primum prædicatum de quo nihil prædicatur: ita pertinet infimum ſubiectum cui nihil ſubiicitur: ergo ſingulare, vel indiuiduũ, eſt in qualibet coordinatione per nihil alterius coordinationis. 7.

Tex. 34.

Prætereà

Prætereà ſecundò, in qualibet coordinatione, circumſcripto quocunque alterius coordinationis, eſt ratio ſpeciei : nam ſpeciem nulla opinio fingit in aliquo genere eſſet per rationem alterius generis, loquendo de abſolutis : ſed de ratione ſpeciei eſt, quòd ſit de pluribus differentibus numero prædicabilis : ergo in qualibet coordinatione poteſt inueniri aliquid intrinſecè indiuiduum, & ſingulare, de quo ſpecies prædicatur : aut ſaltem poteſt inueniri aliquid non de multis prædicabile ; alioquin non erit in iſta coordinatione aliquid ſpecies ſpecialiſſima, de cuius ratione eſt eſſe prædicabile, ſi nihil huius ſit ſubiicibile.

Vt inquit Philoſ. in Antepræ-dicamẽtis.

Prætereà tertiò, infimum ſubiicibile, & ſubiectum recipit per ſe prædicationem cuiuſlibet prædicabilis : ſicut primum prædicatum prædicatur per ſe de quolibet illius coordinationis : ſed ens per accidens inquantùm ens per accidens, nullius recipit prædicationem per ſe : igitur infimum ſubiicibile non poteſt eſſe ens per accidens : aggregans autem res diuerſorum generum eſt ens per accidens, ſecundùm Philoſ. 5. *Metaph. c. de Vno.*

Ens præter accidẽs nõ recipit vllius prædicabilis prædicationẽ. T. c. 7. & 13.

8. Prætereà, quando aliquid conuenit, ſeu natum eſt conuenire, alicui præcisè ſecundùm aliquam rationem : cuicunque conuenit eſſentialiter ſecundùm illam rationem, conuenit ei ſimpliciter, & eſſentialiter : ſed eſſe ſingulare vel vniuerſale in coordinatione generis ſubſtantiæ conuenit alicui præcisè inquantum eſt illius coordinationis, circumſcripto omni quod eſt alterius generis : igitur cui eſſentialiter conuenit communitas, inquantùm eſt iſtius coordinationis, conuenit ei ſimpliciter, & eſſentialiter, ſed quantumcunque contrahatur per aliud alterius generis, nihil tamen tollitur circa ipſum, pertinens ad ſuam coordinationem (quantumcunque enim Socrates determinetur per album, vel nigrum, ad quæ fuit in potentia, non eſt Socrates magis determinatè in genere Subſtantiæ quàm erat priùs, quia prius erat hic) igitur quantumcunque ponatur natura in genere ſubſtantiæ cõtrahi ad indiuidua per aliquod alterius generis, remanebit illa natura communis formaliter contracta, ſicut non contracta : & ideo ponere commune fieri indiuiduum per aliquid alterius generis, eſt ponere illud eſſe commune, ſimul & indiuiduum & ſingulare.

COMMENTARIVS.

1. a *Contra iſtam concluſionem.* Hic Doctor intendit improbare hanc poſitionem, & intendit duo principaliter. Primò improbare concluſionem in ſe. Secundò ſpecialiter arguere contra rationes opinionis.

Quantùm ad primum arguit ex quatuor viis. *Quantùm ad primam*, &c. id eſt, quòd quando loquitur de indiuiduatione, ſiue de vnitate numerali, non loquitur de vno numero in confuſo, ſicut dicimus, quòd quilibet homo in ſpecie humana eſt vnum numero in confuſo, & indeterminatè; ſed præcisè loquitur de vnitate numerali ſignata, *ita quòd ſicut priùs dictum eſt, quòd impoſſibile eſt indiuiduum diuidi in partes ſubiectiuas*, &c.

Quid intelligatur per indiuiduationem.

Hoc modo intelligendo, ex prima vis arguitur dupliciter.

Prima ratio ſtat in hoc ; ſupponendo vnum, ſcilicet quòd eſt ſimpliciter impoſſibile vnam, & eandem ſubſtantiam numero, nulla facta mutatione, ſiue trãſmutatione circa ipſam, quòd ſit hæc ſubſtantia, & non ſit hæc ſubſtantia, ſicut eſt ſimpliciter impoſſibile, quòd eadem natura ſpecifica, nulla facta mutatione circa ipſam, ſit aliquando talis natura, & aliquando non talis natura, ſupponit etiam, quòd quæcunque res dicitur ſimpliciter habere tale *eſſe* per ſuum vltimatum conſtitutiuum, ſicut natura ſpecifica dicitur habere *eſſe* tale ſimpliciter, per vltimam differentiam conſtituentem, quâ differentiâ vltimatâ remotâ non eſt ampliùs talis natura, ſimiliter prima ſubſtantia ſimpliciter dicitur talis per ſuam rationem indiuidualem, quæ remota non eſt ampliùs prima ſubſtantia.

Tertiò præſupponit, quòd ſubſtantia materialis, ſic ſe habet ad hæcceitatem, quòd ipſa hæcceitate deſinente eſſe, per quam tale indiuiduum conſtituitur in *eſſe*, tale indiuiduum ſimpliciter deſinit eſſe quo ad ſuam realem identitatem, ita quòd cùm dico primam ſubſtantiam eſſe indiuiduam per *A.* remoto ipſo *A.* ſimpliciter ſubſtantia, quo ad *eſſe* reale deſinit eſſe ; ita quòd ampliùs non eſt, niſi tantùm in *eſſe* poſſibili.

b His præſuppoſitis arguit Doctor ſic : Si ſubſtantia ſingularis eſt ſingularis per quantitatem : ergo eadem ſubſtantia realiter, & vt actu exiſtens erit actu exiſtens, & non erit actu exiſtens : patet, quia Deus poteſt ſeparare omnem quantitatem ab illa, ipſa remanente in ſuo eſſe realis exiſtentiæ, & vt ſeparata non erit in tali *eſſe* ; patet, quia eſt ſimpliciter impoſſibile ſubſtantiam aliquam actu exiſtere, & non eſſe ſingularem ; modo ſeparata quantitate erit actu exiſtens, hoc patet, quia omnis ſubſtantia actu exiſtens eſt ſingularis, & non erit actu exiſtens hæc, quia ſua hæcceitas eſt ſeparata, imò plus ſequitur, quòd eadem ſubſtãtia numero nulla facta tranſmutatione circa ſubſtantiam, erit ſimpliciter alia, & alia ſubſtantia numero ; patet, quia illud eſt aliud, & aliud numero, quod habet aliam, & aliam hæcceitatem ; ſed eadem ſubſtantia actu exiſtens poteſt ſucceſſiuè eſſe ſub alia, & alia quantitate ; ergo ſi quantitas eſt ratio indiuidualis, erit aliquando eadem numero, & aliquando non eadem numero, cùm varietur ratio eius indiuidualis : immò ex iſta ratione ſequitur plus, quòd erit eadem numero de neceſſitate duplici differentia indiuiduali, quòd eſt impoſsibile, ſicut quòd eadem natura

Obiectio Scoti.

Quomodo quantitas nõ ſit ratio indiuidualis.

natura ſpecifica dicatur ſpecificè duplici differentia ſpecifica. Probatur aſſumptum,quia ſubſtantia actu ſeparata à quantitate, & actu exiſtens neceſſariò eſt vnum numero ; patet, quia nulla ſubſtantia realiter actu exiſtens,poteſt communicari pluribus,niſi ſola ſubſtantia diuina, quæ actu eſt in tribus ſuppoſitis : ſi ergo eſt ſingularis per quantitatem, cùm quantitas non inſit ſubſtantiæ materiali, niſi actu exiſtenti, ſequitur, quòd eadem ſubſtantia materialis duplici differentia numerali erit vna numero, ita quòd adæquatè per vtramque erit vna numero,& ſic ſequitur, quòd erit vna numero, & non erit vna numero, quia circumſcripta vna ratione formali puta quantitate,non erit vna numero,& erit vna numero poſita alia differentia indiuiduali.

Similiter ſi mutetur à quocumque accidente. Vult dicere,ſi tu dicis,quòd eſt indiuidua per aliquod accidens ; contrà, quia facta quacumque mutatione accidentali,nulla facta mutatione circa ſubſtantiam materialem,ſi ſit actu exiſtens adhuc erit hæc : ergo non erit hæc per aliquod accidens:aliàs ſi eſſet hæc tantùm per aliquod accidens facta mutatione illius accidentis, de hoc poſſet facere non hoc,ipſa ſubſtantia manente in ſuo *eſſe* actuali reali,quod eſt impoſſibile,& cùm dicit,*ſiue hoc ſit poſſibile,ſiue ſit impoſſibile*, Vult dicere, quòd ſi poſſet fieri mutatio accidentalis, puta quantitatis,ſine mutatione ſubſtantiali, ſiue impoſſibile ſit fieri mutatio in quantitate, vel in aliquo alio accidente, ſine mutatione ſubſtantiali, non tamen propter hoc erit formaliter hæc, vel non hæc ; quia ſemper etiam vt actu exiſtens præintelligitur omni accidente, ſicut ſubiectum eſt prius ſuo accidente.

c *Seeundò ſic, duarum productionum*,&c.Hæc eſt ſecunda ratio principalis ex prima via, & ſtat in hoc : Nam impoſſibile eſt,quòd vna,& eadem ſubſtantia numero ſit per ſe terminus duarum productionum completarum, vt ſuprà probatum eſt *in primo,diſtinct.2.parte 1.quæſt.1.*modo ſuppono quod terminus totalis alicuius productionis completæ eſt aliqua ſubſtantia includens naturam cum ſua hæcceitate, vt puta,hic panis generatur : generatiò enim terminatur ad ſingulare primò, vt patet in procemio Metaphyſ. ſi ergo dicis, quòd hic panis eſt hic per quantitatem,manente ergo eadem quantitate,ſemper erit hic panis,& ex alia parte pono,quòd ille panis tranſubſtantietur in corpus Chriſti, & in tali tranſubſtantiatione nihil ſubſtantiæ panis manet, vt declarat Doctor *in 4. diſtin.* 11. & tamen remanet quantitas illius panis ſecundùm fidem, quæ per te,eſt hæcceitas illius panis. Deinde pono, quòd Deus creet aliam ſubſtantiam panis ſub illa quantitate : ergo ille panis creatus erit ſimpliciter idē, quòd ille panis annihilàtus cùm eadem ratio indiuidualis ſit vtriuſque : ergo idem panis erit terminus totalis generationis completæ, & ſimiliter erit terminus totalis creationis, quod eſt impoſſibile.

Generatio quomodo terminetur ad ſingulare.

4. Si dicatur,quòd non eſt poſſibile idem ſucceſſiuè eſſe totalem terminum generationis,& creationis,quia genitum annihilatum poteſt ſimpliciter idem reparari à Deo, & ſic ſimpliciter idem poterit creari,vt patet à Doctore,*ſuprà diſtinct.2. qu.*1. & in 4. *diſt.*43.ſic diceretur forte in propoſito, quòd idem panis poſt annihilatus erit idem creatus. Dico, quòd hæc inſtantia non eſt contra rationem Doctoris,non enim negaret quòd idem annihilatum non poſſet reparari, negaret tamen, quòd idem manens idem completè productum ab aliquo, ab alio etiam poſſit completè produduci : cùm ergo hic panis dicatur præcisè hiç panis per differentiam indiuidualem, qui vt ſic, eſt terminus totalis generationis completę : ergo annihilatâ ſubſtãtiâ panis,manente eius differentia indiuiduali, ſcilicet quantitate, ſi creetur alia ſubſtantia panis ſub illa quantitate, erit idem panis, qui priùs, & ſic idem, vt idem erit terminus duarum productionum completarum.

Annihilatū poteſt reparari.

Si dicatur, quòd terminus creationis erit ſubſtantia panis,vt prior tali quantitate. Contrà,quia creatio nõ erit ſubſtantiæ panis niſi vt actu exiſtẽtis,quia creatio tantùm terminatur ad rem exiſtẽtẽ,vt exiſtens eſt, vt patet à Doctore *in primo, diſtinct.*36.Et tunc quæro,aut ille panis,vt prior eſt ſingularis,aut non;ſi ſic,habetur propoſitum,quia non erit ſingularis per quantitatem : ſi non, ergo creatio terminatur ad rem exiſtẽtem, quæ nõ erit ſingularis,quod eſt impoſſibile;ſi ergo terminatur ad panẽ vt ſingularẽ,vt ſit ſingularis per quãtitatẽ, quæ erat panis geniti:ergo idem ſingulare, quod priùs fuit terminus generationis manẽs idem, adhuc erit terminus generationis quod non eſt imaginabile. Ex iſta etiam ratione Doctoris videtur ſequi, quòd panis nullo modo erit tranſubſtãtiatus:patet, quia quandiu remanet differentia indiuidualis alicuius, tamdiu manet illud, quandiu enim manet rationale, tamdiu manet homo. Si ergo quantitas eſt ratio indiuiduandi ſubſtantiam panis:ergo manente eadem quantitate manet eadem ſubſtantia panis numero. Præterea cùm talis tranſubſtantiatio panis in corpus Chriſti ſit verè realis,ergo panis realiter tranſubſtantiatur in corpus Chriſti : ſed non habet *eſſe* reale, niſi vt actu ſingularis:ergo ſi realiter tranſubſtantiatur, ſequitur; quòd in tali trãſubſtantiatione deſinet quantitas panis, cuius oppoſitum tenet fides Catholica.

d *Ex ſecunda via*,quæ eſt ordine ſubſtantiæ ad accidentia arguitur multipliciter. Et prima ratio ſtat in hoc, quia ſubſtantia ſecundùm totam ſuam coordinationem eſt prior accidente: ergo in tali priori erit ſubſtantia materialis hæc: patet conſequentia, quia in prædicamento Subſtantiæ non tantùm per ſe ponuntur genera, & ſpecies, ſed etiam indiuidua. Antecedens patet per Philoſophum *ſeptimo Metaphyſicorum, tex. comm.*8. qui vult, quòd ſubſtantia ſit prior omni accidente naturaliter. *Quare*, inquit, *primum ens, & non aliquid ens, ſed ens ſimpliciter ſubſtantia vtique erit multipliciter : quidem igitur dicitur primum, ſed ſubſtantia omnium primum ratione,& notitia, & tempore, & natura.* Hæc ille.

1.

Subſtantia eſt prior accidente.

Nec oportet fugere, dicendo, quòd intentio Ariſtotelis eſt loqui ibi de ſubſtantia, quæ eſt Deus, vel quæ eſt prima cauſa : quia expreſsè loquitur ibi de ſubſtantia;ſecundùm quòd eſt vnum iſtorum, quæ diuidunt ens:ita enim probat ſubſtantiam eſſe primam, quomodo probat ſubſtantiam eſſe de numero diuidentium ens, quòd eſt prior omni accidente, ita ſcilicet quòd ad determinandum de omnibus, quæ diuidunt ens, ſufficit determinare de ſubſtantia tanquam de primo, pro eo quòd cognitio accidentium habetur ex eo, quòd attribuuntur ſubſtantiæ : iſtud

autem

autem non poteſt eſſe, niſi de ſubſtantia ſecundùm totalem coordinationem ſuam, & quòd Ariſtoteles ſic intendat loqui de ſubſtantia prædicamentali. Nam in principio 7. *ens*, inquit, *multipliciter dicitur, ſicut diuiſimus in his, quæ de quoties*, videlicet in quinto Metaph. text. comment.14. vbi ſic habetur. *Secundùm*, id eſt, entia per ſe, *dicuntur eſſe quæcumque ſignificant figuras prædicationis, quoties enim dicitur, toties eſſe ſignificat.* Hæc ibi, patet ergo, quomodo in iſto ſeptimo intendat loqui de ſubſtantia prædicamentali, & ideò in eodem ſeptimo tex.comment.2. ſecundùm aliam tranſlationem, vbi ſic habetur; *& cùm ens dicitur multis modis, manifeſtum eſt, quòd primum ens iſtorum eſt illud, quod ſignificat quid, & hoc eſt illud, quod ſignificat ſubſtantiam.* Hæc ibi, & ibi Commentator: *Cùm declarauit*, inquit, *quòd hoc nomen* ens *ſignificat ſubſtantiã, & accidentia ſubſtantiæ, quæ ſunt nouem prædicamenta, intendit declarare, quòd hoc nomen* ens *principaliter, & ſimpliciter ſignificat prædicamentum Subſtantiæ ſecundario, & determinatè, ſcilicet relatiuè ad ſubſtantiam, alia prædicamenta accidentium, quæ non dicuntur eſſe, niſi quia accidunt enti, quod eſt ens per ſe, ſcilicet ſubſtantiæ.* Hæc ille: Cum ergo in textu quarto dicit ſubſtantiam eſſe prius natura omni accidente, patet quòd ibi accipit ſubſtantiam prædicamentalem, hoc etiam expreſsè patet per Commentatorem commento 4. Si ergo ſubſtantia prædicamentalis ſecundùm totam ſuam coordinationem eſt prior tempore, & natura omni accidente, ſequitur, quòd indiuidua ſubſtantiæ non erunt hæc per aliquod accidens. Et confirmatio ſequens eſt clara in litera. Si enim aliquid ſit prius ad aliud, maximè primum illius, eſt primum ad illud, ſed maximè primum ſubſtantiæ in communi eſt ſubſtantia prima, quod debet intelligi ſic; quia ſi ſubſtantia eſt prior accidente, illud, quod erunt maximè ſubſtantia, erit magis primum: igitur ſubſtãtia primaeſt ſimpliciter prior omni accidẽte.

Nota diligenter.

6. e *Hic dicitur, quòd licèt prima ſubſtantia*, &c. Patet, quia diuiſibilitas competit quantitati primò, & per ſe, & ſic ſubſtantia materialis, quamuis ſit prior ipſa in ſuo *eſſe*, non tamen poteſt diuidi, niſi per quantitatem.

Quomodo ſubſtantia ſit prior quantitate.

Contrà, *iſta reſponſio ſeipſam deſtruit*, &c. *niſi inquantum hæc*; patet, quia non eſt prima ſubſtantia, niſi vt ſingularis, & indiuidua: ergo non erit hæc per quantitatem.

f *Præterea forma eſt ſimpliciter prior compoſito*, vt patet ſeptimo Metaphyſ. tex.comment.7. vbi ſic habetur: *Quare ſi ſpecies*, ſcilicet forma *materia eſt prior, & magis ens, & ipſo, quod ex vtriſque prior erit, propter eandem rationem.* Hæc ille: Et ibi Commẽtator, *ſi igitur fuerit prior in eſſe, quàm materia, & magis ens, propter hoc, quòd materia eſt in potentia, & forma eſt in actu, etiam erit prior compoſito ex ambobus, compoſitum etiam non eſt in actu, niſi propter formam, & hoc intendebat, cùm dixit, propter eandem rationem*; id eſt, *quòd modus, ſecundùm quem forma eſt prior materia, eſt idem cum eo, ſecundùm quem eſt prior compoſito, & intendebat, quòd cum forma eſt prior compoſito ex materia, & forma, & compoſitum eſt ſubſtantia, ſequitur quòd forma ſit magis ſubſtantia, quàm compoſitum.* Ex quo ſequitur, quòd ſi quantitas ſit vltimum conſtitutiuum primæ ſubſtantiæ, quòd ipſa ſit prior ipſa prima ſubſtantia in eſſendo; ſed hoc eſt impoſſibile, quia omnis ſubſtantia in eſſendo eſt prior omni accidente, per Philoſophum *ſeptimo Metaphyſicorum*, text. comment.quarto: ergo ſi quantitas non eſt prior in eſſendo primâ ſubſtantiâ, ſequitur quòd nec erit prior in vnitate competente primæ ſubſtantiæ, inquantùm tale ens. Si enim prima ſubſtantia eſt vna vnitate numerali, & indiuiſibili in plura numero, & vt ſic eſt prior quantitate: ergo talem vnitatem non habet à quantitate. Sequitur, *quamlibet enim entitatem conſequitur propria vnitas, non habens aliam cauſam propriam ſui, quam cauſam entitatis*: patet, quia vnitas propria, & intrinſeca alicuius eſt ratione entitatis pertinentis ad rationem illius: homo enim habet vnitatem ſpecificam propriam, & intrinſecam per entitatem differentiæ vltimæ conſtituentem ipſam in tali *eſſe*, & vnitate, quæ entitas eſt prior homine conſtituto, ſic & prima ſubſtãtia eſt vna vnitate numerali propria, & intrinſeca per entitatem conſtituentem ipſam in tali *eſſe*, & vnitate: & per conſequens prior illa, & tale eſt differentia indiuidualis, quæ eſt prior prima ſubſtantia: ergo talis vnitas numeralis non competit primæ ſubſtantiæ per quãtitatem, cùm illa ſit ſimpliciter poſterior.

Subſtantia eſt vna vnitate numerali.

g *Præterea, eodem modo ſubſtantia eſt prior naturaliter omni aceidente, quo eſt ſubiectum omnium accidentium: inquantum enim ſubiectum probatur eſſe prius definitione omni accidente*, & hoc per additamentum, vt patet 7. Metaphyſicorum, text.comment. 4. ſecundùm aliam tranſlationem,: *Subſtantia*, inquit, *eſt prima omnium rerum definitione, & cognitione, & tempore: nullum enim aliorum prædicabilium eſt ſeparabile, & iſtud ſolum eſt ſeparabile. Et eſt prima ſecundum definitionem, neceſſarium eſt enim, vt definitio ſubſtantiæ accipiatur in definitione cuiuslibet rei*: Hæc ille. 7.

Ex quo ſequitur, quòd vt ſic prima ſubſtantia erit prior omni accidente, quia ſingulare accidens eſt primò in prima ſubſtantia, tanquam in ſubiecto, vt patet per Philoſophum 12.metaphyſicorum, text. comment. trigeſimoſeptimo, qui textus incipit ſecundùm aliam translationem: *Et etiam conſiderandum eſt, quòd quædam ſunt, quæ poſſumus dicere vniuerſaliter, & quædam quæ poſſumus dicere particulariter, & prima principia habent materiam, quæ in actu, hoc eſt prius, & aliud in potentia, id eſt*, ſecundum Commentatorem: *& principia principalia ſunt ea, quorum ſubſtantia eſt aliquod ens in actu extra animam.* Sequitur in textu: *Hoc eſt prius, & aliud in potentia*, id eſt, alia ſunt ea, quæ ſunt in potentia particularia, & primum præcedit hoc: Sequitur, *& illa vniuerſalia non ſunt, quoniam quod eſt, indiuidui eſt*: & parum infrà, *Quodlibet ſingularium eſt aliud, & materia, & forma.* vide Commentatorem ibi.

Et confirmatur maximè de accidente per accidens, quia illud primò ineſt ſingulari, quinto Metaphyſicorum, capit. de Eodem: qui textus non habet commentum, quia non habet textum correſpondentem in Arabica translatione, & ponitur immediatè poſt textum decimumquintum, vbi ſic habetur: *Nam vniuerſalia ſecundùm ſe exiſtunt, accidentia verò non ſecundùm ſe; ſed in ſingularibus ſimpliciter dicuntur.* Hæc ille: & per accidens erit prima ſubſtãtia hæc, cùm ſit ſubiectum accidentium per aliquid aliud, quàm per accidens. 8.

Vniuerſalia ſecundùm ſe exiſtunt.

Vniuer

h *Vniuerſaliter enim prioritas naturæ includit in priori poſſe eſſe ſine poſteriori ſine contradictione*, ex quinto Metaph. text. comment. 16. vbi ſic habetur circa finem illius textus: *Alia*, inquit, *verò ſecundùm ſubſtantiam, & naturam* ſupple ſunt priora, *quæcumque contingit eſſe ſine aliis, & illa non ſine illis.* Hæc ille: igitur ſine contradictione poſſet quæcumque ſubſtantia, quantùm eſſe ex ſe eſſe prius duratione omni accidente, & ſic nullum accidens erit differentia indiuidualis alicuius ſubſtantiæ.

Ex tertia via arguitur ſic primò: & ratio ſtat in hoc; tota coordinatio prædicamenti Subſtantiæ eſt prior omni accidente, vt patet ſeptimo Metaphyſicorum, *text. comment.* 2. Et in tali coordinatione prædicamentali ponuntur indiuidua, & nihil vnius coordinationis eſt tale propter aliquid coordinationis alterius: modò in coordinatione prædicamenti Subſtantiæ, cum ſit finita, ſicut eſt aliquod primum prædicatum, de quo nihil prædicatur, ita aliquod ſubiectum, cui nihil ſubiicitur, vt patet primo poſteriorum, text. comm. 34.

Præterea tertiò, Ratio ſtat in hoc: ſingulare ſubſtantiæ recipit prædicationem in *quid* cuiuſcumque ſuperioris; ſed ens per accidens non recipit prædicationem in *quid*, & ſic, ſi prima ſubſtantia eſſet hæc per quantitatem, eſſet vnum per accidens, quia aggregatum ex rebus diuerſorum generum, vt patet 5. Metaph. c. de Vno text. comm. 7. & 15. 9.

Præterea quando aliquid conuenit, Iſta ratio ſtat in hoc, quòd ſicut communitas conuenit eſſentialiter, puta naturæ humanæ, inquantùm eſt pertinens ad coordinationem prædicamenti ſubſtantiæ, ſic ei ſimpliciter conuenit, quòd quamuis per aliquid poſterius alterius generis contrahatur, adhuc ſimpliciter erit tale. Exemplum: Ex quo enim natura humana, vt pertinet ad coordinationem prædicamenti Subſtantiæ, eſt eſſentialiter communis ad omnia indiuidua: ſi ponatur ſub albedine, per poſſibile, vel impoſſibile, adhuc ſimpliciter erit talis natura ſic communis quiditatiuè ad ſua inferiora, eodem modo dico de prima ſubſtantia, quæ vt pertinet ad coordinationem prædicamentalem competit ſibi hoc, quòd non poſſit diuidi in plures partes ſubiectiuas: poſito ergo, quòd contrahatur per quantitatem, vel per aliud accidens ſemper erit ſimpliciter talis, vt eſt aliquid prædicamenti Subſtantiæ, & ſic ſimpliciter erit hæc, & non per aliquid pertinens ad aliam coordinationem. *Exemplum.*

SCHOLIVM.

Reijcit efficaciter Ægidium aſſerentem, ſignationem materiæ eſſe rationem indiuidui, & rationes ſunt ſatis claræ.

Ægidius quodl. 1. q. 5. art. 1.

PRopter argumenta [a] fortè iſtarum duarum viarum fugienda tenetur poſitio de quantitate alio modo, hoc modo, ſcilicet quòd ſicut extenſio materiæ eſt alia natura à natura quantitatis ipſius materiæ: & nihil addit ſuper eſſentiam materiæ ſic ſignatam, ſic ſignatio materiæ, quam habet cauſaliter per quantitatem, eſt alia à ſignatione quantitatis ſuæ, & prior naturaliter ſignatione, quam habet per quantitatem: quia ſubſtantia vt ſubſtantia, naturaliter eſt prior quantitate ſine quocumque accidente: & iſta ſignatio materiæ eſt alia ab illa, quæ eſt quantitas: ſed non eſt alia à ſubſtantia, ita quòd ſicut materia non eſt habens partes per naturam quantitatis, quia pars materiæ eſt materia: ſic ſubſtantia ſignata non eſt niſi ſubſtantia: ſignatio enim ſolùm dicit modum ſe habendi. 9.

Prius naturaliter poteſt eſſe ſine poſteriori.

Contrà, iſta poſitio [b] videtur includere contradictoria dupliciter. Primò, quia impoſſibile eſt aliquid dependens à poſteriori naturaliter, eſſe idem priori naturaliter: quia tunc eſſet prius & non prius; ſed ſubſtantia eſt prior naturaliter quantitate per eos: igitur nihil cauſatum per quantitatem, ſiue qualitercumque præexigens naturam quantitatis, poteſt eſſe idem ſubſtantiæ: non igitur iſta ſignatio eſt idem ſubſtantiæ, & tamen cauſata à quantitate. Probatio maioris, vbi eſt vera & realis identitas, licèt non ſit formalis, ibi impoſſibile eſt hoc eſſe & illud non eſſe, quia tunc idem realiter eſſet & non eſſet: ſed poſſibile eſt prius naturaliter eſſe ſine poſteriori naturaliter: ergo per conſequens multò magis abſque eo quod derelictum eſt, vel cauſatum à poſteriori naturaliter.

Conditio cauſæ in cauſando non poteſt eſſe ab eius effectu. 5. Metaph.

Præterea, [c] illud quod eſt neceſſaria conditio cauſæ in cauſando, non poteſt habere *eſſe* à cauſato; quia tunc cauſa inquantùm ſufficiens ad cauſandum, eſſet cauſat à cauſato, & eſſet illud cauſatum ſuiipſius cauſa, & pro tãto pòſſet dare cauſæ cauſata tionem ſuiipſius: ſed ſingularitas ſubſtantiæ, ſiue ſignatio, eſt neceſſaria conditio in ſubſtantia ad cauſandum quantitatem: quia ſicut argutum eſt cauſatum ſingulare requirit cauſam ſingularem: ergo impoſſibile eſt iſtam ſignationem eſſe à cauſato à ſubſtantia, inquantùm ſingularis.

4. Phyſi. c. 84.

Præterea, quæro quid eſt quantitatem derelinquere, vel cauſare modum talem in ſubſtantia? Si nihil eſt, niſi quod præfuit quantitati, tunc nullo modo eſt ſignatio per quãtitatẽ: quia tunc ſimpliciter ſignatio ſubſtãtiæ præcederet naturaliter quantitatẽ: ſi autẽ aliquid aliud, quæro quomodo cauſetur à quãtitate & quo genere cauſę? Non videtur poſſe aſſignari ibi niſi genus cauſæ efficiẽtis: ſed quantitas nõ eſt forma actiua.

Præterea, quare magis derelinquit quantitas talem modum in ſubſtantia eundem realiter

realiter ſubſtantiæ, quàm qualitas quantitati: vt albedo: non videtur ratio, quia ſicut albedo ſeipſa eſt forma ſuperficiei, & non mediante aliqua alia forma derelicta, ita videtur quantitas eſſe forma ſubſtantiæ, qua ſubſtantia eſt quanta, & non derelinquere formam.

COMMENTARIVS.

1. *Reſponſio Ægi. de Roma.*

P*Ropter argumenta fortè*, &c. Hîc Doctor ponit poſitionem Ægidij, qui dicit, quòd prima ſubſtantia eſt hæc, non per quantitatem, ſed propter aliquid cauſatum à quantitate, quod cauſatum eſt realiter idem cum tali ſubſtantia.

Nota in hac littera, quòd duplex eſt extenſio: quædam per ſe, vt quantitas; quædam verò per accidens vt ſubſtantia, pro quanto ſubiicitur quantitati, per quantitatem enim eſt diuiſibilis: & hoc eſt quod dicit hîc, quòd *ſicut extenſio materiæ*, ſupple per accidens, *eſt alia natura à natura quantitatis ipſius materiæ*, quia ipſa quantitas eſt extenſa per ſe. Sequitur, *& nihil addit ſuper eſſentiam materiæ*, ſupple illa extenſio per accidens, ſequitur, *ſic ſignatio materiæ quam habet cauſaliter per quantitatem, eſt alia à ſignatione quantitatis, & prior naturaliter ſignatione, quam habet per quantitatem*, ideſt, quòd indiuiduatio materiæ, ſiue ſignatio cauſata à quantitate in ipſa materia eſt alia ab indiuiduatione quantitatis, & etiam eſt prior naturaliter indiuiduatione, quam habet, ſupple formaliter per quantitatem. Vult dicere, quòd prima materia habet indiuiduationem cauſatam à quantitate, & hæc indiuiduatio, propter quam propriè materia eſt hæc, eſt ab alia ab illa quantitate. Secundò, quia quantitas informat materiam: dicit, quòd ſicut talis materia eſt quanta per quantitatem, ita eſt indiuidua accidentaliter per indiuiduationem, qua ipſa quantitas eſt indiuidua; & addit, quòd indiuiduatio, ſiue ſignatio cauſata à quantitate, per quam ipſa materia eſt hæc, eſt eadem realiter cum ipſa materia.

2. b *Contra, iſta poſitio.* Hîc Doctor intendit improbare Ægidium quantùm ad hoc principaliter, quòd ſcilicet indiuiduatio materiæ cauſata à quantitate ſit idem realiter cum ipſa materia, quia eſt ſimpliciter impoſſibile, quòd aliquid cauſatum à quantitate diſtincta realiter à materia, & poſteriore realiter ipſa: ſit idem realiter cum materia: patet, quia ſi prius non eſt idem realiter cum *A.* multò minùs, nec poſterius erit idem realiter.

Scotus intendit improbare Egidium.

c *Præterea illud*, &c. Vult dicere Doctor, quòd conditio neceſſaria cauſæ, vt ſit ſufficiens ad cauſandum eſt ſingularitas, vt ſuprà patuit *in primo, diſt 3. quæſt. 6. & 8.* & talis conditio, quæ eſt ſingularitas, eſt prior cauſato. Cùm ergo hæc ſubſtantia, inquantùm hæc, cauſet quantitatem hanc, & per conſequens ipſa quantitas erit poſterior ipſa ſubſtantia ſignata, ſequitur quòd ſi ſignatio ſubſtantiæ, ſiue ſingularitas ſit te per cauſata à quantitate, quòd hæc ſubſtantia ſufficiens ad cauſandum quantitatem, ſit cauſata à quantitate, & ſic prius erit cauſatum à ſuo poſteriori, quod eſt impoſſibile.

SCHOLIVM.

Probatur ſpecialiter ſubſtantiam, non indiuiduari per quantitatem. Primò, quia aliàs idem eſſet genitum & corruptum. Secundò, ipſa non eſt de ſe hæc. Tertiò, omnes rationes adductæ quæſt. 1. ſuadentes quòd ſubſtantia non eſt de ſe hæc, idem probant de quantitate, atque adeò, non faciet ſubſtantiam de ſe, hanc.

10. EX quarta via arguo ſic [d], quantitas iſta qua ſubſtantia eſt hæc ſignata, aut eſt quantitas terminata, aut interminata: non terminata, quia illa ſequitur *eſſe* formæ in materia, & per conſequens ſingularitatem ſubſtantiæ: quia ſicut ſubſtantia eſt cauſa eius, vt eſt terminata, ita hæc ſubſtantia eſt cauſa eius, vt eſt hæc terminata. Si autem quantitas interminata ſit cauſa, quare ſubſtantia eſt hæc. Contrà, illa quantitas interminata manet eadem in generato & corrupto: ergo non eſt cauſa alicuius ſignationis terminatæ. Si dicatur, quòd non ſequitur, [e] quia quantitas non ponitur cauſa ſingularitatis, niſi præſuppoſita vnitate ſpecifica: ſed generatum & corruptum non ſunt eiuſdem ſpeciei.

Auer. 1. Phy. c. 63. & 4. Phyſic. 15. & de ſubſtantia orb. c. 1. & alibi.

Quantitas interminata, eſt aptitudinalis extenſio: terminata actualis.

Contrà, pono quòd ex aqua primò generetur ignis. Secundo ex igne generetur aqua: in prima aqua corrupta, & in ſecunda generata, eſt eadem quantitas: & non ſolùm quantitas interminata, ſed etiam terminata, quia poteſt habere eundem terminum à forma, vel ſaltem ſufficit eadem interminata; & illa, per te, eſt cauſa ſingularitatis præſuppoſita vnitate ſpecifica: ergo prima aqua & ſecunda aqua ſunt hæc aqua eadem numero, quod videtur impoſſibile, quia idem indiuiduum numero non redit naturali actione *ex ſecundo de Generatione, & 5. Phyſic.*

Eadem quantitas in genito & corrupto. Text. vlti.

Præterea, ſi quãtitas ſit primò [f] indiuiduãs ſubſtãtiã, oportet quòd ipſa in ſe primò ſit hæc & de ſe diſtincta numeraliter ab alia: ſed tũc tua propoſitio non eſt vera, ſcilicet quòd omnis differẽtia formalis eſt ſpecifica: quãtitas enim hæc & illa, ſũt formæ, ergo differũt ſpecificè. Et ſi quãtitatẽ excipias ab iſta propoſitione fũdamẽtali ædificij ruinoſi; vnde probatur, q differẽtia formalis ſit ſpecifica: quæcũq; enim ratio fuit adducta ex forma, æquè habebit locũ in propoſito, cùm quantitas ſit forma, ſicut alia prædicata.

Text. 36.

Et ſi dicas, imò quantitas [g] habet ex ſe ſitum determinatum, & per hoc diſtinguitur ex ſe ab alia quantitate. Contrà quæro [h] de quo ſitu loqueris? aut de ſitu, qui eſt Prædicamentum, & iſte eſt naturaliter poſterior quantitate: aut de ſitu, qui eſt differentia quantitatis, prout quantitas dicitur conſtare ex partibus habentibus poſitionem: & tunc eſt eadem quæſtio quæ prius, qualiter ſcilicet ſitus iſtius quantitatis, differt ab illo ſitu illius quantitatis? Quæ quæſtio realiter eſt: quomodo numeraliter quantitas hæc, differt ab illa? & ita, vt videtur, aſſignas rationem ſuiipſius. Non enim notius eſt partes permanentes & continuatas in iſto toto, ſeipſis diſtingui à partibus permanentibus & continuatis in illo toto, quæ duo, ſcilicet continuationem & permanentiam, includit poſitio, vt eſt differentia quantitatis, quàm quod hæc quantitas differat ſeipſa ab illa. 11.

Præterea, omnia argumenta quæ facta ſunt contra opinionem in 1 quæſt. ad probandum, quòd caro non ſit de ſe hæc, poſſunt eadem fieri ad probandum, quòd quantitas non ſit de ſe hæc. Nam manifeſtum eſt, quòd ratio lineæ de ſe communis eſt huic lineæ, & illi; nec maior eſt contradictio intelligere lineam ſub ratione vniuerſalis, quàm carnem. Habet etiam linea aliquam vnitatem realem minorem vnitate numerali, ſicut & caro habet, propter eaſdem rationes, quæ poſitæ ſunt in ſecunda ratione contra opinionem in 1. quæſt. patet etiam quòd linea & ſuperficies ſunt eiuſdem rationis, in hac aqua & in illa; quare ergo hæc aqua eſt hæc aqua & ſingularis? & non loquor de ſingularitate vaga & indeterminata, ſed ſignata & determinata.

COMMENTARIVS.

1. *Quantitas terminata, & interminata quid dicant.*

EX *quarta via arguo ſic, quantitas iſta*, &c. Hìc nota, quòd quantitas terminata, ſiue extenſio, nihil dicit in re materiali, ſiue extenſibili, niſi tantùm aptitudinem ad extenſionem actualem, ſiue terminatam; quantitas verò terminata, ſiue extenſio eſt ipſa extenſio actualis, puta pedalis, vel bipedalis, & ſic quando quantitas eſt in materia, dicimus materiam eſſe tantam quantitatiuè, ſiue extenſiuè, quanta quantitas eſt ibi extenſa: Dicit ergo Doctor, quòd ſubſtantia materialis non eſt hæc per quantitatem terminatam, quia illa eſt ſimpliciter poſterior, nec certè hæc per quantitatem interminatam, quia eadem manet in generato, & corrupto, cùm ſit inſeparabilis à materia.

Nam eadem materia, quæ eſt ſub forma aquæ, fit ſub forma ignis, ita quòd corrumpitur forma aquæ, generatur ibi forma ignis; & tunc vltrà, cùm quantitas interminata, per te, ſit ſignatio ſubſtantiæ materialis, manente eadem, manet eadem ſubſtantia materialis. Cùm ergo ſit ſimpliciter eadem tam ignis geniti, quàm aquæ corruptæ, ſequitur, quòd iſta duo ſint vnum numero, quod eſt impoſſibile.

2. [e] *Si dicatur, quòd non ſequitur*, &c. Hìc intendit probare, quòd etiam genitum, & corruptum ſint eiuſdem ſpeciei, & per conſequens poſſint eſſe idem numero, vt deductum eſt ſuprà. Et quòd poſſint eſſe eiuſdem ſpeciei, ponendo quòd ex aqua primò generetur ignis, ſecundò ex igne generetur aqua, eſt ibi ſimpliciter eadem materia numero: patet, quia cùm ignis generatur ex aqua, à materia aquæ expellitur forma aquæ, & ibi inducitur forma ignis, & cùm ex illo igne poſſit generari aqua, ſequitur quòd eadem materia erit reſpectu aquæ priùs corruptæ, & aquæ poſteriùs generatæ, & per conſequens erit ibi eadem quantitas non ſolùm interminata ſed etiam terminata, vel ſaltem interminata, & illa, per te, eſt cauſa ſingularitatis: ergo aqua corrupta, & genita erunt eadem numero, quod videtur impoſſibile, quia idem indiuiduum numero non redit naturali actione, vt patet ſecundo de Generat. *text. commen.* 70. *Homines*, inquit *& animalia non reiterantur in ſeipſos, vt rurſus generetur idem.* Et circa finem illius text. *Ideo aqua ex aëre, & aër ex aqua ſpecie idem, non autem numero*, & Commentator ibi: *Corruptibilia autem impoſſibile eſt, vt reuertantur, niſi ſecundum ſpeciem, verbi gratia, aër generabitur ab aqua, & aqua ab aëre, non quod indiuiduum illius aquæ corruptæ reuertatur per ſe, quamuis materia eſſet eadem, & agens idem, quoniam ſi idem agens ex eadem materia faceret lateres, & poſtea corrumperentur, vt faceret alios poſterius, manifeſtum eſt, quòd differt poſterius à præcedentibus*: hæc ille. Hoc idem habetur quinto Phyſicorum text. commen. 36 ſecundùm aliam tranſlationem. *Sed ſi poſſibile eſt, vt illud, quòd iam corruptum eſt, reuertatur, & fiat vnum numero, tunc motus poſſibile eſt, vt ſit etiam vnus, ſupplè numero, & ſi illud fuerit impoſſibile, motus erit ille idem, ſed non vnus.* Hæc ille. *Nota hæc omnia diligẽter.*

f *Præterea ſi quantitas ſit primò indiuiduans ſubſtantiam.* Vult dicere Doctor hìc, quòd ſi Socrates eſt ſingulare, & Plato ſimiliter per aliam, & aliam quantitatem, oportet quòd illa, & illa quantitas differant, cùm ſint veræ formæ, & ſic perit fundamentum eorum, qui dicunt, quòd omnis differentia formalis eſt differentia ſpecifica, & ſi ſic, tunc hæc quantitas, & hæc quantitas, cùm ſint duæ formæ, differrent ſpecie: quod eſt contra eos, & contra veritatem.

3. g *Et ſi dicas, imò quantitas habet ex ſe ſitum determinatum*, & per conſequens hæc diſtinguitur

diſtinguitur ex ſe ab alia quantitate, ideſt, fortè iſti dicerent, quòd iſtæ duæ quantitates non differunt, vt duæ formæ, ſed præcisè differunt propter alium, & alium ſitum, quia quantitas Franciſci habet alium, & alium ſitum à quantitate Ioannis.

Duplex ſitus.

h *Contrà, quæro de quo ſitu loqueris.* Nota in iſta ratione, quòd duplex eſt ſitus, ſcilicet ſitus, quod eſt prædicamentũ, & talis ſitus non tantùm dicit ordinem partium in aliquo toto, ſed vltrà dicit ordinem totius ad locum circumſcribentem, & ordinem partiũ ad partes loci, vt declarat Doctor *in quarto, diſt.* 10. Secundò accipitur, vt eſt differentia prædicamẽti quantitatis, & dicitur poſitio, quæ dicit tantum ordinem partium quantitatiuarum in aliquo toto.

4. Ad propoſitum applicando dicit Doctor, quòd ſitus primo modo eſt poſterius quantitate; patet, quia talis ordo totius ad locum, & partium ad partes loci, eſt reſpectus fundatus in ipſa quantitate, & per conſequens vna quantitas non differt ab alia per talem. Si ſecundo modo eadem eſt quæſtio de ſitu, ſicut & de quantitate: *non enim eſt notius partes permanentes*, &c. Vult dicere, quòd cùm iſte ſitus non ſit notior iſta quantitate, quomodo dicimus, quod vna diſtinguitur ab alia per ſitum.

Situs eſt poſterius quantitate.

Præterea omnia argumenta, quæ facta, ſunt &c. Hîc dicit Doctor quòd ſicut in quæſtione prima huius diſtinctionis probauimus, quòd datur natura communis, quæ ex natura rei non eſt de ſe hæc, ita per eaſdem rationes, poteſt probari, quòd detur quantitas in communi, quæ ex natura rei non ſit de ſe hæc, & ſic oportebit quærere propter quid quantitas ſit de ſe hæc.

Natura communis quomodo non ſit de ſe hæc.

SCHOLIVM.

Refutat rationes oppoſitæ ſententiæ, poſitas num. 2. & ſigillatim reſpondet ad ipſas, in ad ſecundum, docet accidentia ſubiectari in compoſito, & ſic omnia accidentia geniti eſſe poſteriora ipſo, de quo 4. diſtin. 11. quæſt. 2. art. 1. & d. 12. quæſt. 3. explicat etiam, num. 17. quomodo agens naturale producat de non corpore corpus, ideſt, ex vel de materia corrupti genitum.

12. COntra a rationes opinionis, arguo primò contra primam, quòd quantitas non ſit ratio diuiſibilitatis in indiuidua: quia quicquid eſt ratio diuiſibilitatis, ineſt formaliter illi, quod eſt diuiſibile iſta diuiſione: ſed quantitas non ineſt formaliter ſpeciei, ſeu toti vniuerſali, inquantùm eſt diuiſibilis in partes ſubiectiuas: igitur ipſa non eſt ratio diuiſibilitatis talis totius in partes tales.

Quãtitas non eſt ratio diuiſibilitatis in indiuidua.

Confirmatur ratio b, quia totum vniuerſale quod diuiditur in indiuidua, & in partes ſubiectiuas, prædicatur de qualibet illarum partium ſubiectiuarum, ita quòd quælibet pars ſubiectiua eſt ipſum: partes autem quantitatiuæ in quas fit diuiſio totius continui, nunquam recipiunt prædicationem totius diuiſi in ipſas: & licèt concurrant diuiſio totius homogenei in partes quantitatiuas, & diuiſio ſpeciei, ſiue diuiſio totius vniuerſalis in partes ſubiectiuas, quæ partes ſunt induidua: non tamen ſunt vnius totius diuiſi: quia totum quantum diuiditur diuiſione quantitatiua, & non prædicatur de aliqua parte diuidente, ſicut nec quantum heterogeneum de ſuo diuidente: vniuerſaliter enim nulla pars quantitatiua eſt totum illud cuius eſt pars: ſed cum hoc concomitatur, quòd ſunt plura indiuidua habentia idem commune: quod commune diuiditur in ipſa, alia diuiſione, & illud commune non erat illud quantum, quod diuidebatur diuiſione quantitatiua. Eſt igitur aliud totum diuiſum hac diuiſione, & illa, & tamen in eaſdem partes per accidens: ſed formaliter partes alterius rationis reſpectu huius totius, & illius: quia reſpectu huius integrales, & reſpectu illius ſubiectiuas. Et propter iſtum concurſum duarum diuiſionum duorum totorum in partes, in quibus concurrit diuerſa ratio partis, putauerunt aliqui, quòd iſta duo tota diuiderentur in partes eiuſdem rationis.

De parte ſubiectiua prædicatur totum: ſed de parte quantitatiua non.

13. Et quod accipitur c à Philoſopho, dicendum quòd Philoſophus non dicit quantum diuidi in partes eiuſdem rationis, ſed, quòd *eſt diuiſibile in ea quæ inſunt, quorum vtrumque vel ſingulum eſt natum eſſe aliquid, & hoc aliquid*: in ea, quæ inſunt, inquit, tanquam componentia totum cui inſunt: igitur non ſicut in partes ſubiectiuas, quæ non ſic inſunt, quorum vtrumque, ſi diuiſio fiat in duo, aut ſingula, ſi in plura: natum eſt eſſe aliquid per ſe ſcilicet exiſtens, eo modo, quo totum: quia inquãtum d aliquid eſt pars quantitatiua diuidens, ita per ſe poteſt eſſe, ſicut totum diuiſum: & hoc contra diuiſionem compoſiti in materiam, & formam, & hoc aliquid: & hoc contra diuiſionem generis in ſpecies: & ſi numerus componeretur ex diuerſis numeris, non obſtaret

Quantum non petit diuidi in partes eiuſdem, vel alterius rationis explicatur.

obſtaret rationi numeri inquantum quantus, quod diuideretur in numeros alterius rationis: & eodem modo, non obſtaret vniuerſali, puta quanto, quod diuideretur in partes alterius rationis, ſi componeretur ex bicubito, & tricubito, quæ differunt ſpecie: ita etiam quantitati non obſtaret diuiſio ſuiipſius in partes eiuſdem rationis.

Concedo ergo vniuerſaliter de facto, quòd licèt totum non requirat quòd diuidatur in partes alterius rationis; tamen non requirit eas eſſe diſtinctæ rationis: quia inquantùm ſunt partes quanti non ſunt alterius rationis: licèt enim caput, cor, & manus ſint partes quantitatiuæ, & alterius rationis: non tamen ſunt alterius rationis inquantùm ſunt præcisè partes quanti: eo ergo modo quo verum eſt (licèt à Philoſopho non poſſet accipi) quòd quantum diuidatur in partes eiuſdem rationis, omnino non eſt ad propoſitum: quia non diuiditur in partes, in quibus includatur ratio diuiſi, ſed in partes, quæ infuerunt diuiſo: & habent rationem vnam non illius, ſed alicuius communis illi toti, & ipſis: ſpecies autem diuiditur in partes eiuſdem rationis, quarum quælibet includit rationem diuiſi, & non aliquid aliud alterius rationis commune diuiſo, & diuidentibus. 14.

Generans ſeclu ſo omni accidente, diſtinguitur à genito. 7. Meta. t. c. 31.

e Præterea arguo contra ſecundam rationem. Generans inquantùm generans, circumſcripto omni alio, diſtinguitur à genito: quia non eſt intelligibile, quod idem generet ſe, etiam in diuinis, perſona non generat ſe: ſed generans inquantùm generans, non includit quantitatem, ſicut proprium principium generatiuum: nec genitum vt genitum, includit quantitatem vt per ſe formalem terminum generationis: ergo circumſcripta vtraque quantitate, ſcilicet gignentis, & geniti, hæc ſubſtantia diſtingueretur ab illa numeraliter.

Concedo ergo concluſionem omnium iſtarum rationum, quod impoſsibile eſt per aliquod accidens ſubſtantiam eſſe indiuiduam: hoc eſt, quod per aliquod accidens ſibi, diuidatur in partes ſubiectiuas, & quod per illud repugnet ſibi eſſe non hanc.

Ad rationes poſitas num. 2. Articulus ille habetur num. 12.

Ad primam rationem f pro opinione patet ex 5. art. ad quæſtionem, quomodo malè accipit minorem, & quæ non poteſt haberi à Philoſopho: & eo modo, quo haberi poteſt vera illa minor, non eſt ad propoſitum de diuiſione totius in partes quantitatiuas. 15.

Quando etiam vlteriùs accipit, quòd eodem eſt aliquid diuiſibile, per quod partes diuidentes diſtinguuntur; hoc falſum eſt: nam natura communis diuiſibilis eſt ex ſe * in diuidentia: non autem diuidentia diſtinguuntur ex ratione naturæ communis, ſed ex propriis diſtinctiuis: ita enim apparet in genere, quia * genus eſt diuiſibile ſecundùm ſe in plura genera, & in plures ſpecies: & tamen genus non eſt ratio diſtinctionis ſpecierum: ſed differentiæ conſtituentes plures ſpecies.

al. in indiuidua. Scil. generaliſſimum,

1. de Anima cap 53.

g Ad ſecundam rationem patet, quomodo ex illa poteſt concludi per idem, quòd idem generaret ſeipſum Sed ad formam argumenti dico, quòd ambæ præmiſſæ ſunt falſæ. Licèt enim alia forma ſit in alia materia; non tamen propter alietatem materiæ eſt alia forma: ſed ſicut entitas formæ eſt prior illa, ita & ſua alietas. Similiter alia præmiſſa, ſcilicet quod eſt alia pars materiæ propter aliam partem quantitatis; falſa eſt, quia ſiue ſit diſtinctio partium materiæ in ſe præter quantitatem, ſiue non, prior eſt diſtinctio partium materiæ quàm quantitatis; quia huius accidentis ſubiectum eſt hoc aliquid. Ad confirmationem h cùm dicitur quòd generans non generat niſi de materia quanta alia quantitate; ſiue ita ſit, ſiue non (de quo aliàs) ſaltem in partibus materiæ diſtinctis ſecundùm formam quantitatis; dico quòd vnitas materiæ eſt paſſio immediata, ita quòd vnitas eius naturaliter præcedit rationem quamcunque generationis: ratio enim generantis præcedit generans tale, ſcilicet naturale, quod ſcilicet requirit extra materiam ſuam aliam, de qua generat. & requirit iſtam quantitatẽ, ſicut concomitantem diſtinctionem materiæ à materia: & deberet probari, quòd quãtitas eſſet propria ratio vnitatis talis, ſcilicet ſingularitatis in ſubſtantia; & probari, quòd eſt ratio, ſine qua non, reſpectu vltimi. Vnde locus illius conſequẽtiæ nullus eſt.

q. ſeq. ad finem: & in 4. diſt. 11. q. 3. 43. & 44. & 7. & 8. Metaph.

Si obiicitur, i quòd ſaltem ex confirmatione habebitur, quòd quantitas præcedit naturaliter indiuiduationem ſubſtantiæ generandæ; quod eſt contra concluſionem ſecundæ viæ improbantis opinionem; nam ſi generans priùs requirat materiam quantam antequam generet: ergo naturaliter præſupponitur quantitas materiæ indiuiduationi ipſius geniti. 16.

Reſpondeo,

Reſpondeo,quòd indiuiduationi geniti præſupponitur quantitas corrupti, & omnia accidentia corrupti ordine durationis, quia corruptum præexiſtit cum omnibus partibus ſuis: ſed ex hoc nihil ſequitur ad B. quòd ſcilicet ſit prioritas naturaliter quantitatis ad eius indiuiduationem, vel indiuiduationem ſubſtantiæ illius in qua eſt quantitas:nam iſta accidentia corrupti,quæ præcedunt tempore genitum, ſequuntur ſubſtantiam illam,in qua ſunt,& etiam illam,vt ſingularem:& eodem modo accidentia geniti,ſequuntur ſubſtantiam genitam. *Quantitas corrupti præſupponitur indiuiduationi geniti.*

Sed adhuc vlteriùs deducitur argumentum,quia quantitas non tantùm præcedit, vt in corrupto genitum:ſed præcedit naturaliter in genito formam geniti: probatio, alioquin in inſtanti,in quo generãs inducit formam,induceret in non quantum;quod videtur eſſe contra illam propoſitionem, quòd agens particulare non attingit ad ſubſtantiam materiæ,ſed præcisè attingit eam inquantùm quantam. *Ægidius quodl.2. q.5.*

Similiter hoc videtur eſſe contra Auerroem in de ſubſtantia orbis:vbi videtur velle,quòd maneat eadem quantitas in generato,& corrupto;alioquin generans generaret de non corpore corpus. *Cap.1.*

k Contra illud primò arguitur, quòd hæc ratio non valet, nec debet adduci pro iſta poſitione:quia fundator huius poſitionis videtur tenere contra hoc adductum. Tenet enim quòd quantitas non ſit primus actus materiæ, neque quòd aliqua forma corporeitatis manet eadem in generato, & corrupto,loquendo de corporeitate in genere ſubſtantiæ, dicit nullam quantitatem manere eandem numero in iſto, & in illo:& etiam cum ponat eam perficere ſubſtantiam compoſitam,& non materiam immediatè vt ſubiectum, debet ponere illam aliam quantitatem geniti poſteriorem naturaliter ipſo genito;ſicut illam corrupti poſteriorem naturaliter ipſo corrupto: & ita iſta deductio de prioritate quantitatis ad ſubſtantiam vel formam geniti(quidquid ſit de Auerroë)non eſt de opinione ponentis eam:hoc quo ad hominem. *Vt Ægid. & D. Tho. quia contradicunt Auer. de quantitatibus interminatis materiæ coæternis,*

17. Sed ad concluſionem l in ſe dico cum iſto quo ad iſtud,quòd ſi nulla forma corporeitatis maneat formaliter in igne, & in aqua, nullum omnino accidens quod requirit pro ſubiecto ſubſtantiam compoſitam, poteſt manere idem numero: ſed quodlibet vel erit in corrupto vt in ſubiecto, vel in genito vt in ſubiecto:& ita quantitas & quodcunque aliud accidens, erit poſterius naturaliter ſubſtantia:& ita quantitas corrupti & quodcunque accidens eius fuit naturaliter poſterius ſubſtantia corrupta: & tunc de illa propoſitione non multùm curo, quia videtur impoſſibilis. Nihil enim aliud videtur eſſe, agens attingere paſſum in ratione paſsi, quam inducere in ipſum actum, quo perficiatur: agens autem particulare inducit formam ſubſtantialem, qua materia perficitur inquantùm materia, & non inquantùm quanta; ita quòd quantitas ſit ratio media inter agens & paſſum: ergo agens naturale illam attingit ſecundùm ſubſtantiam nudam, vt paſſum ab eo immediatè tranſmutatum. *Accidentia ſubiectari in compoſito.*

Ad Auerroëm dico m,quòd de eo, quod aliquando eſſet non corpus, poſſet generari corpus: ſed fortè non poſſet naturale agens generare de non corpore, corpus, ſicut de corrupto, quia materia non corrumpitur ſed totum: ſed de eo, quod fuit corpus vſque ad inſtans generationis, & hoc quantitate inhærente ſibi, poteſt agens naturale aliud quantum alia quantitate generare in illo inſtanti: quia ſicut poteſt producere ſubſtantiam, quæ non præfuit, ita poteſt producere omnia accidentia conſequentia eam.

Et ſi dicas n,quòd ſi non producat corpus de non corpore, vt corrupto, producet tamen de materia non vt quanta,aliquod corpus quantum:

Dico, quòd neceſſe eſt de non compoſito vt parte fieri, vel produci compoſitum: vel ibitur in infinitum: & ita de materia ſecundùm ſuam ſubſtantiam abſolutè vt de parte, poteſt produci corpus aliquod, quod eſt ſubſtantia compoſita, & concomitatur ſubſtantia quanta: quia quantitas eſt paſſio iſtius ſubſtantiæ compoſitæ.

Iſta reſponſio negat dimenſionem interminatam manere eandem numero, in generato compoſito,& corrupto, de qua aliàs diffuſiùs, ſi occurrat:ſed nunc tactum eſt propter argumenta. *Vide 4. d. 11. q.2. & d.12.q.3.*

18. Ad auctoritates o, quæ adducuntur. Ad Boëtiũ concedo,quòd variabilitas accidẽtiũ facit in ſubſtantia differentiam numeralẽ, eo modo quo forma dicitur facere differentiam; quia omnes diſtinctæ formæ faciunt aliquam differentiam in eis, in quibus ſunt: accidentia autem non poſſunt facere differentiam ſpecificam in ſub-

Tex.15. Quam differentiã faciunt accidentia in ſubſtantia.

ſtantia, in qua ſunt, *ex 10. Metaph. cap. penult.* ſed faciunt in ſubſtantiis differentiam & hoc numeralem: ſed non faciunt primam differentiam: ſed alia eſt prior differentia numerali: nec illa ſola faciunt differentiam numeralem. Et nullum iſtorum dicit auctoritas illa. Et niſi alterum iſtorum duorum haberetur, non haberetur propoſitum, quod intenditur.

p Sed quid ad intentionem Boëtij? Dico, quòd Boëtius intendit probare, quòd non eſt differentia numeralis diuinarum perſonarum. Et licèt ſparſim in principio illius libelli de Trinitate poſſunt haberi tales propoſitiones, videtur tamen, quòd velit ſic arguere: in numero varietas accidentium differentiam facit: ſed in perſonis diuinis nulla eſt talis varietas accidentium, quia forma ſimplex ſubiectum eſſe non poteſt: igitur ibi non eſt differentia numeralis. Videtur argumentum non valere, niſi ipſe intenderet, quòd ſola accidentia poſſent diſtinguere numeraliter: ſi enim diſtinctio numeralis poteſt eſſe per aliqua alia: ergo ex negatione accidentis, non ſequitur negatio diſtinctionis numeralis.

Explicat Boëtium.

Dico, q quòd omnem diſtinctionem numeralem concomitatur diſtinctio accidentium; & propterea vbi nulla poteſt eſſe accidentium varietas, ibi nulla poteſt eſſe diſtinctio numeralis: & ex hoc patet argumentum Boëtij tenere quòd cùm non poſſit in diuinis eſſe accidens aliquod, nec accidentium varietas; ibi non poteſt eſſe diſtinctio numeralis vel differentia numeralis: non ſicut à cauſa præciſa negata, ad negationem illius cuius eſt cauſa: ſed tanquam à neceſſario concomitante negato, ad negationem illius, quod neceſſariò concomitatur.

Accidentia faciunt differentiã numeralem non primã.

Sed quomodo ad iſtam intentionem eſt verum, quòd varietas accidentium facit differentiam numeralem? Dico, quòd facit aliquam differentiam, ſed non primam: & neceſſariò concomitatur omnem primam: & ita habet intelligi, quod facit differentiam numeralem. Nec videtur iſta gloſſa extorta à litera, ſed litera ipſa facit, vt ſic intelligatur, cùm oporteat eos neceſſariò exponere, quod ipſe ſubdit ibi de loco. Non eſt locus principium diſtinguens duo indiuidua ad inuicem, nec loquendo de loco, qui eſt paſſio locantis, nec de loco, qui eſt paſſio locati, ſcilicet de *vbi* derelicto in locato. Cùm ergo oporteat eos exponere locum pro quantitate ſecundùm opinionem ſuam, quid mali eſt exponere, *facit differentiam*, pro facere non primam, ſed facere aliquam & concomitantem primam? 19.

Vt inquit Por. 1. c. de differentia. Hæceitas quomodo accidens natura. al. 2.

Ad Damaſcenum r patet per ipſum in fine cap. illius, vbi exponit, quomodo intelligit ibi accidens, dicens, *quæcunque in aliquibus earum, quæ vnius ſpeciei hypoſtaſes ſunt, in aliquibus autem non ſunt: accidentia & aduentitia ſunt.* Concedo igitur, quòd quicquid eſt extra rationem per ſe ipſius naturæ ſpecificæ, & non eſt per ſe conſequens naturam illam, eſt tali naturæ accidens: & hoc modo quicquid ponitur indiuiduans eſt accidens: non tamen eſt propriè accidens, ſicut alij intelligunt: & quòd ipſe non intelligat propriè de accidente, patet per ipſum 1. Sententiarum cap. 8. *Intelligimus enim intellectu, quoniam Petrus & Paulus ſunt eiuſdem naturæ, & communem vnam habent naturam,* & paulo pòſt, *neque enim hæ hypoſtaſes in ſe inuicem ſunt, Seorſum autem vnaquæque & ſecundùm partem, id eſt ſecundùm ſeipſam ſeparata eſt, plurima ſeparatia eam ab altera habens. Etenim loco diſtant, & tempore differunt, & mente diuiduntur, & virtute, & forma, id eſt figura, & habitu, & complexione, & dignitate, & adinuentionibus & omnibus diſtinctis characteriſticis proprietatibus,* & ſubdit notabile, *Plus autem omnibus, eo quòd non ſunt in ſe inuicem, ſed ſeparatim ſunt: vnde & duo & tres homines dicuntur, & multi. Hoc autem & in omni videre eſt creatura.*

Nota valde, quod dicit, quòd plus quàm characteriſticis proprietatibus differunt hypoſtaſes creatæ per non in ſe inuicem eſſe, ſed ſeparatim: & per oppoſitum ibidem ſtatim dicit: Hypoſtaſes Trinitatis in ſe inuicem eſſe cauſa, cuius eſt vnitas naturæ, præſuppoſita diſtinctioni perſonali, *ex diſt. 2. 1.* Eſt ergo diuiſio naturæ in ſuppoſitis creatis prima & maxima ratio diſtinctionis. 20.

Accident quandoque ſumitur pro omni eo quod non inuoluitur in conceptu quiditatiuo.

ſ Ad Auicennam dico quod præciſiſſimè conſiderat quiditatem inquantùm nihil includit, quod non pertinet ad per ſe rationem quiditatis eius: & hoc modo equinitas tantùm eſt equinitas, & nec vna nec plures, quantumcunque vnitas eius non ſit alia res addita, ſed neceſſariò conſequatur iſtam entitatem: ſicut & omne ens ſecundùm quamcunque entitatem conſequitur propria vnitas: non tamen iſta vnitas eſt intra formalem rationem quiditatis, vt quiditas eſt, ſed eſt quaſi paſſio conſequens quiditatem: & omne tale apud eum vocatur accidens. Et hoc modo Philoſophus quandoque accipit accidens, à quo dicitur fallacia Accidentis, pro omni

eo,

eo, quod eſt extra rationem formalem alterius: omne autem tale eſt extraneum illi alteri, ex comparatione ad aliud: & hoc modo Differentia accidit Generi, & quidquid eſt indiuiduans, accidit naturæ ſpecificæ: ſed non ſicut ipſi intelligunt de accidente: & ideo ibi eſt æquiuocatio de *accidente*.

COMMENTARIVS.

1. a *Contra rationes opinionis.* Hîc Doctor ſpecialiter arguit contra rationes factas à Gotfredo in principio quæſtionis. Cùm dicit, quòd diuidi in partes eiuſdem rationis eſt proprietas, quæ per ſe conuenit Quantitati, & per Quantitatem conuenit Subſtantiæ diuidi in partes eiuſdem rationis; & Doctor hîc probat, quòd etſi quantitas ſit ratio diuidendi in partes integrales, & quantitatiuas eiuſdem rationis, non eſt tamen ratio diuidendi in partes ſubiectiuas, de quibus eſt quæſtio iſta, quia tunc ineſſet formaliter ipſi ſubſtantiæ, quod eſt falſum: non enim quantitas ineſt naturæ humanæ, inquantùm ipſa eſt diuiſibilis in partes ſubiectiuas.

b *Confirmatur ratio*, &c. Iſta confirmatio eſt ſatis euidens, qua probatur, quòd quantitas non ſit ratio formalis diuidendi in partes ſubiectiuas: eſt enim manifeſta differentia inter partes ſubiectiuas, & partes quantitatiuas homogeneas, quia ſubiectiuè recipiunt prædicationem totius in recto, vt iſta eſt vera, *hic homo eſt homo*, quantitatiuè verò non, quia hæc eſt falſa, *hæc pars vini eſt ipſum totum vinum.* Et addit Doctor, quòd licèt ad diuiſionem totius integralis in partes quantitatiuas, ſequatur diuiſio partium ſubiectiuarum, tamen iſtæ partes ſunt aliæ, & aliæ reſpectu alterius, & alterius totius. Nam ſi quantitas vini diuidatur in decem partes integrales ipſius, licèt reſpectu ipſius dicantur integrales, vt ſunt in toto, tamen ipſæ vt ſeparatæ recipiunt prædicationem totius vniuerſalis, quia hæc eſt vera, *hæc pars vini eſt vinum*, & hoc eſt quod dicit Doctor, hoc idem dico de toto heterogeneo.

Differentia inter partes ſubiectiuas, & homogeneas.

2. c *Et quod accipitur à Philoſopho* in quinto Metaph. tex. commen. 15. quod diuidi in partes eiuſdem rationis eſt proprietas per ſe conueniens quantitati, dicit, quòd Philoſophus non dicit quantum diuidi in partes eiuſdem rationis, &c.

d *Quia inquantum aliquid eſt pars quantitatiua diuidens, ita per ſe poteſt eſſe, ſicut totum diuiſum*, quia ita pars eſt compoſita ex materia, & forma, ſicut ipſum totum, & ſi totum natum ſit eſſe indiuiduum alicuius ſpeciei, puta aliqua caro, ita quælibet pars ipſius, vt ſeparata, erit ſimpliciter indiuiduum eiuſdem ſpeciei, vt ſuprà patuit *diſt. 2. quæſt. 9.* & hæc diuiſio in partes eſt contra diuiſionem compoſiti ex materia, & forma, vt patet, & diuiſio in hoc aliquid, & hoc aliquid, puta in ſingularia eſt contra diuiſionem generis in ſpecies, quæ non ſunt hoc aliquid, ſed quale quid. Sequitur, *& ſi numerus componeretur*, &c. Vult oſtendere Doctor, quòd etiam non eſt neceſſe quantitatem diuidi in partes eiuſdem rationis, ſiue eiuſdem ſpeciei, quia ſi componeretur aliquis numerus, puta ſenarius ex ternario & ternario, ita quòd diceretur numerus numerorum, ille numerus diuideretur in plures ſpecies, & ſic non diuideretur in partes eiuſdem rationis.

e *Præterea arguo contra ſecundam rationem.* Secunda enim ratio Gotfredi fuit, quòd generans diſtinguitur à genito, & è contra per aliam, & aliam quantitatem. Contra quam rationem arguit Doctor ſic, quia ſicut ratio formalis generandi eſt ſubſtantia, ita & terminus generationis eſt ſubſtantia, & ſicut ſubſtantia illa non generat, niſi inquantùm hæc, vt eſt prior quantitate, ſic ſubſtantia non generatur niſi inquantum hæc, vt prior quantitate.

Secunda ratio Gotfredi.

Quidam nouus expoſitor primæ partis ſancti Thomæ, *in libro de Ente, & eſſentia*, nititur ſoluere rationes illas, quas facit Doctor contra poſitionem Ægidij de differentia indiuiduali, quæ vltimo loco ponuntur. Et primò ad primam reſpondet. Ad cuius euidentiam eſt notandum, quòd proportio materiæ ſignatæ ad hanc quantitatem eſt proportio potentiæ ad proprium actum. Vnde ſicut potentia materiæ eſt eadem realiter ipſi materiæ, & tamen dependet à forma, ita potentia, ſeu capacitas materiæ reſpectu huius quantitatis, quæ vocatur eius ſignatio, dependet à quantitate, & tamen eſt eadem materiæ; & quia potentia eſt prior, & poſterior naturaliter actu, prior eſt, quoniam cauſa materialis, poſterior in ordine cauſæ formalis, ideò ſignatio materiæ eſt prior quantùm in ordine cauſæ materialis, poſterior autem in ordine cauſæ formalis. Vnde vtroque modo maior eſt falſa, tam ſi intelligatur de priore, & poſteriore ſecundùm genus cauſæ materialis, quàm ſi intelligatur de priore, & poſteriore in ordine cauſæ formalis: aliquid enim dependens à forma, eſt idem realiter materiæ, & aliquid dependens à materia, eſt idem realiter formæ, vt patet ad probationem primam, qua dicitur quia tunc idem eſſet prius, & non prius. Dico, quòd non eſt inconueniens in diuerſis generibus cauſarum. Ad aliam probationem, qua dicitur, vbi eſt vera, & realis identitas, negatur & ſic propoſitio aſſumpta: non enim omne prius poteſt eſſe ſine poſteriori, vt aliàs oſtendetur.

3. *Tho. de Vio Caieta. in lib. de ente, & eſſentia.*

Potentia materiæ eſt eadem realiter cum ipſa materia.

Ad ſecundum negatur maior, cùm cauſatum eſt cauſa, ſiue cauſæ in aliquo genere cauſæ, ſicut in propoſito accidit; materia enim ſignata eſt cauſa quantitatis in genere cauſæ materialis. Quantitas eſt cauſa materiæ ſignatæ in genere cauſæ formalis, vt actus potentiæ, & patet falſitas maioris in exemplo ſupra poſito: potentia enim materiæ eſt neceſſaria conditio materiæ ad cauſandum formam, & tamen dependet à forma in genere cauſæ formalis.

Quomodo Caietanus nititur ſoluere argumenta Scoti.

Ad probationem dicitur, quòd cauſa materialis ſecundùm cauſalitatem ſuam dependet à ſuo effectu, ſcilicet forma, ſed non inquantùm eſt effectus eius, ſed in eo, quòd eſt cauſa materiæ: cauſæ enim ſunt ſibi inuicem cauſæ, vt dicitur ſecundo Phyſicorum; & Comment. Commen. 30. non ergo inconuenit cauſam in cauſando dependere à cauſato, vt non cauſato, ſed vt cauſa eſt ſecundum aliud genus.

Quomodo cauſa materialis dependet à ſuo effectu.

4. Ad tertium dicitur, quòd quantitatem cauſare talem ſignationem in materia, nihil aliud eſt, quàm materiam eſſe ab hoc agente factam capacem, adeò huius quantitatis, quòd non illius, & ſic quantum concurrit ad ſignationem materiæ vt actus, propter quem talis capacitas ſit agens, non vt efficiens illam; & talis ſignatio, ſeu capacitas præeſt ipſi quantitati in genere cauſæ materialis, & non poteſt ex hoc inferri, ergo non fit per quantitatem, eò quòd fit per quantitatem in genere cauſæ formalis, quæ ſicut & finis inter cauſas poſteriores in *eſſe* numeratæ.

Ad quartum dicitur, quòd non ſolum quantitates tali modo ſignant materiam, ſed etiam qualitates propriæ. Materia enim Socratis ita eſt capax harum qualitatum, quòd non aliarum; ſed quia ſola quantitas immediatè recipitur in ſubſtantia, & hæc ſola oſtenditur, oritur radicaliter diſtinctio materialis, ideò ad propoſitum materiam ſignatam materiam ſub certis dimenſionibus, & non ſub certis qualitatibus dicimus.

Ad quintum dicitur, quòd quantitas illa, quæ ad indiuiduationem, vt originale non intrinſecum indiuiduationis principium concurrit, eſt quantitas terminata; nec obſtat, quòd ſequatur formam, quia etiam forma ſequitur potentiam materiæ, à qua tamen cauſatur, & concedimus hanc ſubſtantiam etiam cauſam materialem huius quantitatis, ſed è conuerſo in genere cauſæ formalis hanc quantitatem eſſe cauſam huius ſignationis materiæ modo præexpoſito.

5. *Confirmatio Antonij Trombettæ.* Ad confirmationem Antonij Trombettæ dicitur, quòd quantitas terminata ad indiuiduationem concurrens, non ſtat in indiuiſibili, ſed latitudinem habet: ſicut enim quælibet ſpecies naturalis determinat ſibi quantitatem maximam, & minimam infra quandam latitudinem; ita & quodlibet indiuiduum determinat ſibi hanc quantitatem infra tales limites, & non in indiuiſibili, vnde patet fieri rarefactio, ſiue vt indiuiduatiua eſt variatione, non enim hîc accipitur quantitas terminata punctalis, ſed cum certa latitudine.

Ad ſextum dicitur, concedendo conſequentiam primam, ſed negando, quòd ex hoc ſequatur falſitas illius propoſitionis fundamentalis firmiſſimi ædificij. Peccauit enim arguens peccato maximo non diſtinguens inter differentiam formalem, & formarum: omnis enim differentia formalis eſt ſpecifica, non autem omnis differentia formarum, vt dicit ſanctus Thom. 2. *contra Gentil. cap.* 81. alioquin forma huius ignis, & ſi eſt alius ignis, diſtinguerentur ſpecificè, cùm ſint formæ, & differant. Vnde linea Mathematica diuiſa in partes habet duo indiuidua: quælibet enim pars lineæ eſt linea, & illa indiuidua ſunt formæ, & differunt, ſed non differentia formaliter. Appellatur autem differentia formalis illa, quæ eſt per principia quiditatiua: hæc enim ſemper oritur à forma in eo, quòd forma, qualis non eſt inter hanc lineam, & illam, cùm ſit eadem vtriuſque quiditas: verùm arguentis error eſt valde puerilis; ſunt formæ, & differunt: ergo differunt formaliter: eſt Monachus, & eſt albus: ergo eſt Monachus albus.

Omnis differentia formalis eſt ſpecifica.

Ad vltimum negatur conſequentia licèt enim id, quod in prædicamento Subſtantiæ ſit prius ſimpliciter quolibet alio Prædicamento, tamen aliqua conditio, ſine qua indiuiduum, vt ſic non eſt in Prædicamento, poteſt eſſe poſterior in genere cauſæ formalis alterius Prædicamenti, eo quòd cauſa formalis eſt poſterior in eſſe.

Ad confirmationem dicitur, quod quodlibet Prædicamentum completur per res ſui generis, ſi loquamur de his, quæ ponuntur in Prædicamentis, & de ratione reponendi ea in illis, non autem ſi loquamur de conditione rei repoſita in Prædicamento; Socrates enim non eſt niſi ſubſtantia, & ratio ponens ipſum in Prædicamento eſt ſubſtantia, conditio autem indiuiduationis ſuæ, quæ non eſt ratio reponendi ipſum in Prædicamento non conuenit, quòd coëxigat aliquid actus, puta quantitatis.

6. *Confutatio reſponſionum Tho. Caiet. quas dat ad rationes Scoti.* Nunc oſtendendum eſt has reſponſiones huius noui expoſitoris minimè euacuare rationes Doctoris; & cùm dicit primò, negando maiorem primæ rationis, patet quòd non rectè negat, quia eſt ſimpliciter impoſſibile, quod ſi A realiter diſtinguitur à B, vt à poſteriori, quin etiam realiter diſtinguatur à C cauſato ab ipſo B. quia ſi prius C non poteſt realiter identificari A, multò minùs, nec realiter poſterius ipſo B. aliter ipſum C eſſet realiter prius, & realiter poſterius ipſo B. patet, quia ſi B, quia poſterius A, non realiter identificatur A. ſequitur quod C, ſi identificatur realiter A, quòd erit realiter prius B. ſequitur etiam, quòd idem C ſit realiter poſterius B, cùm realiter ponatur cauſari à B. & ſic patet quomodo malè negauit illam maiorem. Et cùm oſtendit illam maiorem non eſſe veram ex hoc, quòd potentia materiæ eſt eadem realiter ipſi materiæ, & tamen dependet à forma. Dico hoc eſſe impoſſibile, & quæro quid accipit per potentiam materiæ? aut accipit pro ipſa materia præcisè; aut accipit pro potentia, quæ dicit ordinem ad actum, aut accipit potentiam materiæ pro aptitudine eſſendi ſub forma.

Si primò, patet quòd potentia materiæ realiter diſtinguitur ab actu, quia ſecundùm Doctorem & ſecundùm veritatem, & ſecundùm viam Philoſophi, vt patebit infrà *diſtin.* 12. *quæſt.* 1. materia dicit entitatem realem realiter diſtinctam ab actu, ſiue forma. Siue etiam accipiatur materia, prout ipſi accipiunt, vt non dicit entitatem realem actualem; ſed vt dicit puram potentiam, patet quòd talis potentia non eſt cauſata à forma, ſicut nec materia accepta ſecundùm opinionem Doctoris.

Si ſecundò, accipitur pro potentia, vt dicit ordinem ad actum, patet, quòd illa diſtinguitur realiter ab actu, quia adueniente forma in materia deſinit talis potentia, aliter idem eſſet actu ſub A, & in potentia ad ipſum A. quod eſt implicatio.

7. Si tertiò accipit potentiam pro aptitudine, patet, quòd talis aptitudo non cauſatur à forma, cùm omnis aptitudo præcisè oriatur à re, cuius eſt. Tum etiam, quia quæreretur de tali aptitudine, in quo fundetur, ipſi non poſſunt aſſignare ſubiectum talis aptitudinis, cùm dicant materiam eſſe purum nihil, quia tantùm purum *eſſe* in potentia. Et ſic patet, quòd illa probatio nihil eſt ad B. niſi exponat potentiam materiæ aliter, & quomodocunque exponatur, ſi talis potentia ponitur cauſari à forma, a qua materia realiter diſtinguitur, vt à poſteriori, oportebit eum dicere eandem potentiam realiter diſtingui à materia. Et cùm infert, quòd illa potentia, ſeu

capacitas

capacitas materiæ reſpectu huius quantitatis, quæ vocatur eius ſignatio, dependet à quantitate, & tamen eſt eadem materiæ, patet hoc eſſe falsũ per ea, quæ dixi ſuprà. Et vltrà quæro quid intelligit per capacitatem materiæ reſpectu huius quantitatis? aut intelligit ipſam materiam nudè, & patet, quòd illa non dependet à quantitate, aut intelligit aliquid additum ipſi materiæ, & tunc quæro, aut illud additum, quod accipitur pro capacitate, eſt præcisè aptitudo materiæ reſpectu huius quantitatis, & tunc arguatur vt priùs, ſicut de potentia aptitudinaria, aut dicit aliquam entitatem actualem, & tunc quæro, in quo fundetur? Non in materia, cùm ponant eam eſſe puram potentiam. Modò entitas actualis non poteſt immediatè fundari in eo, quod nihil eſt in ſe. Tum etiam, quia ſi entitas actualis ponatur realiter cauſari à quantitate, eſt ſimpliciter impoſſibile ipſam realiter identificari materiæ, vt dixi ſuprà. Et quomodocunque aſſignetur capacitas materiæ reſpectu illius quantitatis ſemper arguatur, vt argutum eſt de potentia materiæ. Et cùm dicit, quòd potentia materiæ eſt prior, & poſterior naturaliter actu; prior, quia cauſa materialis poſterior in ordine cauſæ materialis; poſterior in ordine cauſæ formalis. Dico, quòd iſta reſponſio nullam includit veritatem, quia quomodocunque accipiatur potentia materiæ, non poteſt dici realiter prior ipſo actu, & realiter poſterior: poſito enim, quòd potentia materiæ, vt cauſa materialis compoſiti ſit prior actu; eſt tamen impoſſibile, quòd ipſa eadem potentia dicatur cauſa formalis, patet: Tum, quia talis potentia poneretur actus materiæ, quod eſt omnino inconueniens. Tum etiam, quia in eodem compoſito eſſent plures actus, non enim eſt intelligibile, quòd idem reſpectu eiuſdem ſubiecti, dicatur prius, & poſterius naturaliter: quòd enim potentia materiæ ſit realiter prior ipſa materia, & realiter poſterior, videtur omninò implicatio contradictionis. Et ſic patet quomodo prima ratio Doctoris minimè euacuetur.

Reſponſio Caietani non includit veritatem.

8. Ad illa, quæ dicit ad ſecundam rationem Doctor cum dicit, quòd non eſt inconueniens aliquid cauſatum ab A in vno genere cauſæ eſſe cauſam ipſius A, in genere, & ſic materia ſignata eſt cauſa quantitatis in genere cauſæ materialis, & quantitas eſt cauſa materiæ ſignatæ in genere cauſæ formalis, vt actus potentiæ. Dico ſimpliciter, quòd hæc reſponſio videtur tantùm ad placitum: eſt enim impoſſibile, aliquid cauſatum in genere cauſæ materialis eſſe cauſam illius cauſæ in genere cauſæ formalis, quia tunc idem eſſet realiter, & eſſentialiter prius, & poſterius reſpectu eiuſdem. Si enim A eſt realiter cauſa materialis B, erit realiter prius ipſo; & ſi B eſt cauſa formalis ipſius A, ſequitur quòd erit realiter prius ipſo A cauſato, non enim eſt intelligibile cauſam in quocunque genere eſſe realiter poſteriorem ipſo cauſato. Si ergo materia ſignata eſt cauſa materialis quantitatis, ſequitur quòd erit realiter prior ipſa quantitate, & ex alia parte, ſi materia vt ſignata eſt realiter cauſata à quantitate, vt à cauſa formali, erit realiter poſterior ipſa quantitate, & ſic idem reſpectu eiuſdem erit realiter, & eſſentialiter prius, & poſterius.

Reſponſiones Caietani. Prætereà quæro, cùm dicit, quòd materia ſignata eſt cauſa materialis quantitatis, & quòd talis ſignatio eſt præcisè à quantitate, aut talis ſignatio eſt cauſata à quantitate potentiali, aut actuali; non primò, quia quòd non eſt in ſe, nihil poteſt cauſare in quocunque genere cauſæ, loquendo de cauſatione reali; non ſecundò, quia tunc non eſt quantitas in actu: patet, quia quantitas in actu ponitur cauſari à materia ſignata: modò cauſa materialis præſupponitur ipſi quantitati: ergo talis ſignatio materiæ non erit à tali quantitate.

9. Prætereà, Si quantitas eſt cauſa ſignationis materiæ, aut ipſam cauſat, vt actu informat materiam, aut vt non informat actu. Si primò, ſequitur quòd materia erit priùs ſignata, quàm informetur à quantitate: patet, quia cauſa materialis eſt naturaliter prior illo, cuius eſt cauſa, ſed materia, per te, vt ſignata, eſt cauſa materialis talis quantitatis: ergo: non ſecundò, quia nihil cauſat formaliter in ſubiecto, niſi inquantum actu informat. Et ſic patet quomodo propoſitio Doctoris eſt ita euidens, quòd nullo modo improbari poteſt, niſi fortè formando propoſitiones ad placitum. Et quod infert, quòd cauſa materialis ſecundùm cauſalitatem ſuam dependet à ſuo effectu, ſcilicet forma, ſed non inquantùm eſt effectus eius, ſed in eo, quòd eſt cauſa materiæ. Hoc patet eſſe falſum, quia nec materia in eo, quòd cauſat compoſitum dependet à forma, nec è conuerſo, ſunt enim diſtinctæ cauſalitates, quarum vna in cauſando non dependet ab alia, & hoc magis patebit infrà *diſt.* 12. Et quod adducit, quòd cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ, vt patet 2. *Phyſic. comment.* 30. Dico, quòd hoc non eſt ad propoſitum, quia quamuis materia ſit ſubiectum formæ, & forma ſit actus materiæ, non tamen dicimus, quòd ſit cauſa materialis formæ, nec quòd forma ſit cauſa formalis materiæ, ſed materia dicitur cauſa materialis reſpectu compoſiti, & ſimiliter forma. Non enim habetur ab Ariſtotele quòd materia ſit cauſa formæ, nec forma cauſa materiæ, vt patet *in tex.* 30. vbi oſtendit, quæ ſunt illæ cauſæ, quæ ponuntur ſibi inuicem cauſæ, vide ibi. Et licèt Commentator *comment.* 30. ſic dicat, *Materia eſt cauſa formæ, ſecundùm quòd forma non poteſt inueniri, niſi per illam, forma autem eſt cauſa materiæ, ſecundùm quòd materia non poteſt eſſe in actu, & demonſtrata, niſi per illam, & præcipuè prima materia.* Hæc ille: tamen hoc dictum Commentatoris non eſt ad propoſitum, quia per hoc vult formam non poſſe exiſtere, niſi in materia, & materiam non poſſe habere actum formalem, ſiue non poſſe exiſtere in actu formali, niſi per formam: non enim vult, quòd forma ſecundum ſuam entitatem ſit cauſata à materia, ſed tantum ab agente extrinſeco, nec ſimiliter entitas materiæ ſit cauſata ab ipſa forma, ita quòd nullam entitatem actualem dicat realiter diſtinctam ab ipſa forma, & ſi hoc intenderet negandus eſſet Commentator, quia in hoc expreſsè contra doctrinam Magiſtri ſui, vt prolixè patebit infrà *diſtinct.* 12. *quæſtio. prima.*

Quomodo materia non ſit cauſa formæ, nec è contra.

10. Ad illud, quod dicit ad tertiam rationem, quòd quantitatem cauſare talem ſignationem in materia nihil aliud eſt, quàm materiam eſſe ab hoc agente factam capacem à Deo huius quantitatis, quòd non illius. Et ſic quantum concurrit ad ſignationem materiæ vt actus, patet ex ſupradictis hanc reſponſionem non euacuare rationem Doctoris quia ſemper quæro de illa capacitate

citate materiæ, vt ſuprà. Cùm enim dicit, quòd ipſa materia eſt effecta capax huius quantitatis à Deo, quæ capacitas dicitur ſignatio materiæ, & vt ſic eſt prior quantitate, hoc conceſſo habetur propoſitum, quòd talis ſignatio non erit per quantitatem. Tum etiam, quia ipſa quantitas ſecundùm eum eſt cauſata à materia ſignata, & ſic erit poſterior materia ſignata, & per conſequens ſignatio materiæ præcedit quantitatem, & vt ſic, nullo modo erit à quantitate. Et quia reſponſiones ſequentes ad alias rationes Doctoris procedunt ex eodem fundamento falſo, quæ etiam ex his, quæ dixi ſuprà, facillimè ſolui poſſunt, ideò breuitatis cauſa pertranſeo illas.

Nunc ſoluit rationes Gotfredi.

Nunc ſoluendæ ſunt rationes factæ pro opinione Gotfredi. n. 2.

f *Ad primam.* Dicit Doctor, quod malè accipit illam propoſitionem Philoſophi, vt ſuprà declaratum eſt. Non enim Philoſophus dicit quantitatem diuidi in partes eiuſdem rationis, ſed quòd *quantum eſt diuiſibile in ea, quæ inſunt, quorum vtrumque, vel ſingulum eſt natum eſſe aliquid, & hoc aliquid.* In ea, quæ inſunt, inquit, tanquam componentia totum cui inſunt: igitur non ſicut in partes ſubiectiuas, quæ non ſic inſunt, &c. vt ſuprà expoſitum eſt. Et cùm vltrà dicit, quòd eodem eſt aliquid diuiſibile. Et quòd partes diuidentes diſtinguuntur, hoc eſt falſum, quia natura communis diuiſibilis eſt ex ſe in indiuidentia, puta animal in ſpecie, & tamen diuidentia non diſtinguuntur ratione naturæ, cùm conueniant in ea, ſed diſtinguuntur propriis rationibus.

II. g *Ad ſecundam.* Reſpondet: Et primò dicit, quòd ex iſta ratione poteſt concludi, quòd idem generaret ſe, cùm ſit eadem quantitas, præſertim ſecundùm eos, ingenita, & incorrupta, vt ſuprà patuit. Deinde ad formam argumenti dicit, quòd ambæ præmiſſæ ſunt falſæ. Prima enim eſt falſa, ſcilicet iſta forma non differt à forma, niſi quia eſt in alia materia, licèt enim actu ſit in alia materia, non tamen propter hoc differt ab alia forma, ſed præcisè differt ratione ſuæ vnitatis. Secunda etiam propoſitio eſt falſa, ſcilicet iſta, non eſt alia pars materiæ, niſi propter aliam partem quantitatis; prior enim eſt diſtinctio partis materiæ, quàm quantitatis, quia ſubiectum huius accidentis eſt hoc aliquid.

Vltimò, iſta opinio confirmat rationem, quia generans generat aliud propter diſtinctionem materiæ, ſed materia geniti neceſſariò præſupponitur quanta, & ſic quantitate diſtincta. Quòd quanta, patet, quia agens naturale non poteſt agere in non quantum, quòd etiam quanta alia quantitate, patet, quia non poteſt eſſe quanta quantitate generantis; ſed iſta quantitas præcedit naturaliter *eſſe* ipſius geniti: igitur & diſtinctionem ipſius generantis, & geniti, non autem præcederet naturaliter, ſi non eſſet naturaliter requiſitum, & per ſe vt diſtinctiuum ipſius.

h Ad hanc confirmationem reſpondet Doctor, & reſponſio ſtat in hoc: Poſito enim, & non conceſſo, quòd generans non generat, niſi de materia quanta alia quantitate, adhuc vnitas materiæ, ſupple numeralis, inèſt materiæ, non ratione quantitatis, imò, vt ſimpliciter præcedit ipſam quantitatem, ponatur enim, quòd ignis quantus generet alium ignem de aqua quanta; quamuis ignis quantus generet de aqua quanta, tamen ignis quantus non eſt vnum numero præcisè per quantitatem ſibi inhærentem, nec ſimiliter materia ipſius ignis quanti erit præcisè vna numero per quantitatem, ſed per aliquid ſibi intrinſecum præcedens quamcunque quantitatem.

12. *Expoſitio literæ.*

Declaro tamen hanc literam; cùm dicit: *Siue ita ſit, ſiue non, de quo aliàs*, id eſt, ſiue generans generet de materia quanta, ſiue non, & tenet Doctor quòd non de materia quanta generet, *ſaltem in partibus materiæ diſtinctis ſecundùm formam quantitatis*, ita quòd vna pars materiæ ſit ſub vna quantitate, & alia pars materiæ ſub alia quantitate, quod non debet intelligi immediatè, quia non ponitur materia immediatum ſubiectum accidentis, ſed mediante forma ſubſtantiali, & ſic materia, vt eſt ſub vna forma ſubſtantiali, puta ignis, & materia, vt eſt ſub alia forma ſubſtantiali, puta aquæ, vtraque materia eſt ſub alia, & alia quantitate. Sequitur:

Dico, quòd vnitas materiæ eſt paſſio immediata, id eſt, quòd vnitas numeralis, ſiue indiuiſibilis materiæ exiſtentis ſub quantitate ignis, & materiæ exiſtentis ſub quantitate aquæ, eſt paſſio immediata ipſius aquæ, id eſt, quòd talis vnitas inèſt materiæ per aliquid intrinſecum, & non per quantitatem, ita quòd vnitas eius naturaliter præcedit rationem quamcunque generationis. *Ratio enim generantis*, ſupple naturalis eſt, quòd generet aliquid, non in materiam quam habet, ſed in aliam materiam, de qua generat: pater, quia ignis generans alium ignem, id eſt, producens formam ſubſtantialem ignis, non producit eam in materiam, quam habet, quia tunc eadem materia numero eſſet ſub duabus formis ſubſtantialibus eiuſdem ſpeciei, quod non eſt poſſibile: ad hoc ergo, quòd generet alium ignem, ſiue aliam formam ſubſtantialem ignis, requirit aliam materiam, puta materiam ligni, de qua generat, quæ erit immediatum receptiuum formæ ignis geniti. Et dicit hoc de agente naturali, quia agens ſupernaturale non præſupponit materiam aliquam, ad hoc, vt aliud generet. Sequitur: *Et requirit iſtam quantitatem, ſicut concomitantem diſtinctionem materiæ à materia*, id eſt, quòd ignis generans, quando generat de aqua quanta, licèt requirat quantitatem, quæ concomitetur diſtinctionem materiæ à materia, quia in materia ignis generantis eſt alia quantitas mediante forma ſubſtantiali ignis, & in materia aquæ de qua generat, eſt alia quantitas mediante forma ſubſtantiali aquæ. Iſtæ tamen duæ quantitates non efficiunt primò aliam, & aliam materiam, imò præſupponunt diſtinctionem numeralem materiæ à materia, ſed præcisè concomitantur.

Agens ſupernaturale non præſupponit materiam.

13. Aduerte tamen, quòd tam in igne generante, quàm in aqua, de qua generat, ſunt quatuor entitates, entitas materiæ, entitas formæ ſubſtantialis, entitas compoſiti ex materia, & forma, & entitas quantitatis, quæ ſubiectiuè eſt compoſita. Et quælibet entitas habet propriam vnitatem numeralem, & propriam hæcceitatem, non enim materia ignis, eſt hæc per formam ignis, nec è contra. Nec ſimiliter materia ignis, & forma ignis ſunt hæc præcisè per formam totius compoſiti, cùm præcedant eam, nec è contra. Nec quantitas eſt hæc per entitatem compoſiti, vel partium, nec è contra, imò ſimpliciter quot entitates realiter diſtinctæ ſunt in compoſito, tot hæcceitates ſunt in illo, licèt poſtea compoſitum dicatur præcisè vnum numero, de quo aliàs. Sequitur: *Et deberet probari, quòd quantitas eſſet propria*

propria ratio vnitatis talis, ſcilicet ſingularitatis in ſubſtantia, & probatur, quod eſt ratio, ſine qua non, id eſt, quòd per hanc rationem, in qua dicit, quòd generans non generat, niſi de materia quanta, non probat quòd quantitas ſit ratio ſingularitatis ipſius materiæ, ſiue ſubſtantiæ, ſed ſi aliquid probat, tantùm probat quòd eſt ratio ſine qua non, ſupple ſine qua generans non generat, quia generans non generat, niſi de materia quanta, quamuis etiam hoc non ſit verum, quia generans immediatè generat de materia, cùm inducat formam ſubſtantialem in materia immediatè, & non in materia vt quãta, vt infrà patebit.

14. i *Si obijciatur, quod ſaltem ex confirmatione*, &c. ergo naturaliter præſupponitur quantitas materiæ indiuiduationi ipſius geniti. Nam ex ſecunda via, quæ erat ex ordine ſubſtantiæ ad accidentia, probatum eſt quòd ſingularis ſubſtantia eſt naturaliter prior omni accidente per Philoſophum 7. *Metaphyſ. tex. commen.* 4. Et ſic non erit hæc per quantitatem. Hîc modò videtur probare oppoſitum, quia ſi ignis generat alium ignem de materia quanta: ergo quantitas ignis generandi, erit prior ipſo igne genito.

Reſpondeo, quòd indiuiduationi, &c. Vult dicere in iſta litera, quòd ignis ſingularis genitus, puta de aqua, præſupponit ipſam aquam & quantam, quæ priùs corrumpitur, quàm de ipſa ignis generetur, quia generans priùs agit in aquam habentem propriam quantitatem, & cætera accidentia, puta frigiditatem, & humiditatem, &c. quàm ſit ignis genitus. Et hoc modo quantitas aquæ corrumpendæ, & cætera accidentia ipſius naturaliter præcedunt indiuiduationem ignis generandi ex tali aqua.

Aduerte hũc paſſum. Aduerte tamen, quòd quando in materia aquæ inducitur forma ſubſtantialis ignis, deſinente forma ſubſtantiali aquæ, omnia accidentia, quæ erant in ipſa, deſinunt. Non enim aliquod accidens ipſius aquæ corrumpendæ remanet igne genito, quia tunc aliquod accidens migraret de ſubiecto in ſubiectum: modò ex hoc, quòd talis quantitas aquæ corrumpendæ naturaliter præcedit ſingularitatem ignis generandi, non habetur quòd quantitas ſit ratio ſingularitatis, nec aquæ corrumpendæ, nec ignis generandi: imò talis quantitas cum aliis accidentibus præſupponit materiã aquæ ſingularem. Et ſimiliter quantitas ignis geniti ex aqua cum accidẽtibus ipſius ignis, puta caliditate, & ſiccitate præſupponit ſingularitatem ipſius ignis geniti, & hoc eſt quod dicit.

15. *Sed adhuc vlteriùs deducitur argumentum*, &c. Vult dicere Doctor quòd ſi quantitas materiæ, de qua generatur ignis, non præcederet ignem, & ſibi inexiſteret, tunc agens particulare induceret formam ignis in materiam nudam, & non quantam: videtur enim quòd forma geniti, vt quando generatur ignis, puta de materia aquæ, inducitur in materia aquæ, vt quanta. *Nota.* Et hoc patet per Commentatorem in de Subſtantia orbis, vbi videtur velle, quòd maneat eadem quantitas in generato, & corrupto, alioquin generans generaret de non corpore corpus. Vult dicere Commentator quòd eadem quantitas numero, quæ erat in materia aquæ corrumpendæ, erit etiam in materia ignis geniti ex tali aqua, aliter generaretur ignis, qui ponitur corpus de non corpore.

k *Contra illud primò arguitur.* Hîc Doctor primò arguit ad hominem. Et ſecundò arguit contra concluſionem in ſe. Primò dicit, quòd hæc ratio non debet adduci pro iſta poſitione, quia fundator huius poſitionis videtur tenere contrarium. Tenet enim ipſe, quòd nulla forma accidentalis poteſt immediatè induci in materia, ſed immediatè inducitur in forma ſubſtantiali. Et vult etiam, quòd nulla forma corporeitatis maneat eadem in generato, & corrupto, & ſic nulla quantitas manet eadem in generato, & corrupto, quicquid ſit de Commentatore hoc tamen non eſt de opinione ponentis eam.

l *Sed ad concluſionem in ſe.* Hic Doctor oſtendit illam concluſionem eſſe falſam, videlicet, quòd eadem quantitas maneat in generato, & corrupto. Et vult in iſta litera, quòd quando corrumpitur forma aquæ, quòd quantitas, & cætera accidentia ipſius corrumpantur, cùm ſint poſteriora ſubſtantiâ aquæ, & ſic nullum accidens aquæ manet in materia aquæ, de qua generatur ignis. Et vult quòd forma ſubſtantialis ignis immediatè inducatur in materia aquæ, & non mediante aliquo accidente.

16. *Reſpondet Auerr.* m *Ad Auerroëm dico quòd de eo*, Senſus literæ eſt, quòd agens naturale poteſt generare corpus de eo, quod aliquando eſſet non corpus, quod dupliciter intelligi poteſt, vel tanquam de oppoſito, vel vt de aliquo inexiſtente ipſi genito. Primo modo ignis generatur de aqua, tanquam de oppoſito, quæ aqua quandoque erit non corpus, patet quia in illo inſtanti, in quo ignis generatur ex aqua, deſinit forma ſubſtantialis aquæ. Secundo modo generatur de materia aquæ, quæ vt actu eſt ſub forma aquæ dicitur corpus. Et ſi deſinit eſſe ſub forma aquæ, deſinit eſſe tale corpus, quia corrupta forma ſubſtantiali aquæ, corrumpitur & quantitas fundata in illa, & ſic de eo quod aliquando eſſet non corpus, poſſet generari corpus. Sequitur: *Sed fortè non poſſet naturale agens generare corpus de non corpore, ſicut de corrupto*, accipiendo *non corpus* pro materia prima. Certum eſt, quòd naturale agens non poſſet generare, puta ignem de tali materia corrupta, cùm à nullo agente naturali ſit corruptibilis, agens verò ſupernaturale poſſet generare quodcunque corpus de materia corrupta ipſam corrumpendo, ita quòd ad corruptionem materiæ poſſit immediatè ſuccedere aliquod corpus, & hoc præcisè per actionem agentis ſupernaturalis; ſed hoc magis patebit à Doctore in quarto, *diſtin.* 10. vbi oſtendit, quomodo Deus poteſt conuertere quodlibet in quodlibet. Sequitur ibi: *Sed totum*, ſupple corrumpitur, ſolum enim compoſitum corrumpitur. Sequitur: *Sed de eo, quod fuit corpus vſque ad inſtans generationis, & hoc quantitate inhærente ſibi, poteſt agens naturale generare aliud quantum alia quantitate generare in illo inſtanti*, id eſt, quòd de materia, puta aquæ, quæ priùs fuit corpus quantitate inhærente, non immediatè ipſi materiæ, ſed mediante forma ſubſtantiali aquæ, poteſt generari, puta ignis alia quantitate mediante forma ſubſtantiali ignis inhærente materiæ, quæ priùs fuit materia aquæ. Sequitur: *Quia ſicut poteſt producere ſubſtantiam*, &c.

17. *Dubitatio. Sed alibi ſoluenda.* Sed dubium eſt, an illa accidentia conſequentia formam ſubſtantialem, producantur in eodem inſtanti, in quo producitur forma ſubſtantialis, an etiam producantur à generante formam ſubſtantialem, an ab ipſa forma ſubſtantiali immediatè, de hoc erit prolixior materia in quarto, *diſt.* 12.

n *Si dicas*,&c. *Dico,quòd neceſſe eſt de non cõpoſito,vt parte fieri,vel produci compoſitum*,id eſt, quòd de materia, quæ non eſt compoſitum, ſed pars compoſiti producitur compoſitum per inexiſtentiam ipſius materiæ,& non producitur tanquam de oppoſito corrupto, & intelligo ſic;cùm dicit,cùm de parte compoſiti producitur compoſitum,quòd de materia quæ fuit aquæ, producitur compoſitum, puta ignis qui componitur ex tali materia,& forma ſubſtantiali ignis,quia producendo formam ſubſtantialem ignis in tali materia, ſtatim reſultat compoſitum. Sequitur: *Et ita de materia ſecundùm ſuam ſubſtantiam abſolutè, vt de parte, poteſt produci corpus aliquod, quod eſt ſubſtantia compoſita,& concomitatur ſubſtantia quanta,quia quantitas eſt paſſio iſtius ſubſtantiæ compoſitæ*,non quòd ſit paſſio conuertibilis,nec eadem ſubſtantiæ cõpoſitæ,ſed quia neceſſariò concomitatur talem ſubſtãtiam,licèt à Deo poſſet fieri ſubſtantia cõpoſita ſine tali quantitate.

18. Nunc ſoluendæ ſunt rationes principales. Ad auctoritatem Boëtij.

Declaratio auctoritatis Boëtij.

o Dicit Doctor primò, quòd varietas accidentium facit in ſubſtantia differentiam numeralem,puta Franciſcus,& Ioannes per quæcunque accidentia eis inhærentia differunt numero,non tamen differentia prima numerali,cùm differant per proprias hæcceitates,ſed per ſecundam,& aduentitiam: nam omnes diſtinctæ formæ faciunt aliquam differentiam in eis, in quibus ſunt ſupple,vel ſpecificam,vel numeralem,accidentia autem non poſſunt facere differentiam ſpecificam in ſubſtantia,in qua ſunt,vt patet 3. *Metaph.tex. com.25. Quapropter*,inquit,*hominis albedo non facit,nec nigredo*, ſupple differentiam ſpecificam *in homine, nec albi hominis eſt differentia ſecundùm ſpeciem ad nigrum hominem*. Hæc ille: Faciunt ergo talia accidentia in ſubſtantiis ſolùm differentiam numeralem,ſed non faciunt primàm differentiam, ſed alia eſt prior differentia numeralis. Nam albedo in Franciſco,& nigredo in Ioanne, faciunt tantùm differre numero,quamuis nigredo, & albedo in ſe differant ſpecie, vt tamen ſunt in alia,& alia ſubſtantia tantùm numero faciunt differre, præſupponendo tamen primã differentiam numeralem in ſubſtantiis. Sequitur. *Nec illa ſola* ſupple accidentia,*faciunt differentiã numeralem*, ſupple in ſubſtantiis,cùm in illis alia ſit prior,ſed faciunt differre numero tantùm per accidens. Sequitur: *Et nullum iſtorum dicit auctoritas illa*,&c. Patet,quia auctoritas Boëtij non dicit,quòd accidentia faciãt differre numeraliter ſubſtantiam,prima differentia numerali, cùm illa præſupponatur, neq; quòd per ſe præcisè vna ſubſtãtia differat numeraliter ab alia per quæcunque accidẽtia,ſed ſi differt,tantũ per accidens differt.

19. *Declaratio intentionis Boëtij.*

p *Sed quid ad intentionem Boëtij*. Poſtquam Doctor declarauit auctoritatem Boëtij, nunc declarat intentionem ipſius Boëtij, id eſt, quid intendat principaliter inferre,& dicit, quòd intẽdit inferre, quòd diuinæ perſonæ non differunt numeraliter ſine differentia materiali numerali; licèt enim differãt perſonaliter,ſiue ſuppoſitaliter, non tamen differunt numero: nam quæ numero differũt dicunt ſimpliciter aliam & aliam rem numeraliter, ſicut dicimus, quòd Franciſcus, & Ioannes differunt numero,quia alia natura eſt in Franciſco,& alia in Ioanne:cùm ergo eſſentia diuina ſit ſingulariſſima,& ſimpliciter indiuiſibilis, in illa non poſſunt eſſe plura ſuppoſita numeraliter diſtincta,licèt ſuppoſitaliter, ſiue perſonaliter diſtincta. Probat ergo Boëtius per hanc auctoritatem diuinas perſonas non differre numero,quia vbi eſt differentia numeralis,ibi poteſt eſſe varietas accidentium,per quæ differunt numero accidentaliter;*ſed in diuinis perſonis non eſt varietas accidentium, quia forma ſimplex*, cuiuſmodi eſt perſona diuina, *non poteſt eſſe ſubiectum* alicuius accidentis;*igitur ibi non eſt differentia numeralis; videretur ergo argumentum non valere, niſi ipſe intenderet,quòd ſola accidentia poſſent diſtinguere numeraliter: ſi enim diſtinctio numeralis*, puta in ſubſtantiis,*poteſt eſſe per aliqua alia*,quàm ſupple per accidentia:*ergo ex negatione accidentis* in diuinis perſonis *non ſequitur negatio diſtinctionis numeralis* in illis.

q *Dico, quòd omnem diſtinctionem numeralem concomitatur diuiſio accidentium*. Dicit Doctor, quòd Boëtius per illam auctoritatem non arguit, ſicut à cauſa præciſa negata ad negationem illius, cuius eſt cauſa, quaſi quòd varietas accidentium ſit cauſa præciſa differentiæ numeralis in ſubſtãtia,quia tunc benè ſequeretur à negatione talium accidentium negatio diſtinctionis numeralis; ſicut in homine pulmo eſt præciſa cauſa reſpirandi,ita ad negationẽ pulmonis, vt ad cauſam præciſam negatam,& reſpectu reſpirationis,ſequitur negatio reſpirationis;cùm ergo per auctoritatem Boëtij tantùm habeatur quòd varietas accidentium in ſubſtantiis neceſſariò concomitetur diſtinctionem numeralem in illis, arguendo à negatione talium accidentium, arguitur præcisè;ſicut à negatione alicuius concomitantis ad negationem illius, ad quod concomitatur, & ideò ſi perſonæ diuinæ differunt numero, neceſſariò concomitaretur in illis varietas accidentium. Cùm ergo talis varietas nullo modo concomitetur,ſequitur, quòd in illis non erit numeralis diſtinctio,& ſic patet auctoritas Boëtij. 20.

r *Ad ſecundum*,Doctor dicit,ſi accipiatur accidens pro omni eo, quod eſt extra rationem formalem alicuius,ſic differentia indiuidualis poteſt dici accidens. Et hoc patet per Damaſcenum. Et quòd ipſe non intelligat propriè de accidente per accidens,patet per ipſum,& patet auctoritas in litera. Et cùm dicit, quòd hypoſtaſes non ſunt in ſe inuicem in natura reali, ſicut ſunt hypoſtaſes diuinæ, quæ habent vnitatem naturæ, propter quod ſunt in ſe inuicem, vt ſatis probatum eſt in primo, *diſt.* 19. *quæſt.*2. de circumceſſione perſonarum. Cùm etiam dicit ibi: *Plus autem omnibus,eo quòd non ſunt in ſe inuicem,ſed ſeparatim ſunt*, id eſt, quòd hypoſtaſes creatæ plus differunt, quàm hypoſtaſes diuinæ, quia hypoſtaſes creatæ neceſſariò ſunt ſeparatæ ab inuicem,& habent neceſſariò aliam, & aliam naturam, & vna poteſt eſſe ſine alia, non ſic hypoſtaſes diuinæ,non enim vna hypoſtaſis diuina poteſt ſeparatim eſſe ſine alia propter vnitatem naturæ in eis. 21. *In Elementario cap.*5.

ſ *Ad tertium patet litera*. Et ſic conceditur, quòd differentia indiuidualis eſt accidens naturæ, quam contrahit ad *eſſe* indiuiduale, non tamen accidens per accidens; ſed aliquid, quod eſt extra rationem formalem ipſius naturæ; ſicut dicimus quòd differentia generica accidit generi; ex hoc, quòd eſt extra rationem formalem generis.

QVÆSTIO

QVÆSTIO V.

Vtrùm ſubſtantia materialis, ſit hæc, & indiuidua per materiam?

D. Tho. 1.p.q.50.art.4. vbi Caiet. Heruæus *hîc q.2. art.2.* Ægid. *quodl. 2. q.7.* Dur. *hîc q. 2.* Capreol. *q.2.* Suar. *Met.d.5.ſe.4.& 6.*

1. QVOD ſic, quia ſecundùm Philoſophum 5. Metaph. cap. de Vno. *Vnum numero ſunt, quorum eſt materia vna,* &c. *Tex.c.12. Tex.c.17.*

Contrà 1. Metaphyſi. antiquæ tranſlationis, *in fundamento naturæ nihil eſt diſtinctum*: ſed quod non eſt ſecundùm ſe diſtinctum, nec diuerſum, non poteſt eſſe prima ratio diſtinctionis, vel diuerſitatis alterius: ſed materia eſt fundamentum naturæ omnino indiſtinctum, & indeterminatum: ergo non poteſt eſſe prima ratio diſtinctionis, vel diuerſitatis alterius. *al. 2. Met. in antiqua trãſlatione.*

Hîc dicitur, quod ſic: [b] quòd maximè tenetur propter multas auctoritates Ariſtotelis, quæ hoc videntur ſonare, quarum vna eſt in 7. Metaphyſic. quòd generans generat aliud propter materiam, *Callias*, inquit, *& Socrates ſunt diuerſa quidem propter materiam, idem verò ſpecie; nam indiuidua eſt ſpecies.* *D.Tho.1.p. q.7.art.1. & 2.& q. 50.& in 2. diſ.3.q.4.*

Item in ſeptimo c. de partibus definitionis, *quod quid erat eſſe in quibuſdam ſubſtantiis idem eſt: quæcunque verò in materia ſunt, vel accepta ſunt cum materia, non idẽ*, & idem videtur in 8 c.3. nam *anima, & animæ eſſe idem, homo & hominis eſſe, non idem, niſi, & animæ eſſe, homo dicatur*: ergo videtur, quòd materia ſit extra rationem quiditatis, & cuiuslibet habentis primò quiditatem: & ita cùm ſit in entibus aliquid videtur eſſe pars indiuidui ſiue indiuiduatio totius: nam quidquid eſt in indiuiduo, quod repugnat rationi quiditatis omnino hoc poteſt poni prima ratio indiuiduandi, quare, &c. *Tex.28. Tex.20. & 21.& 41. Tex.8.*

2. Præterea 12. Metaph. probat quòd non poſſunt eſſe plures cœli. *Si*, inquit, *eſſent plures cœli vt homines, foret principium quod, circa vnumquodque ſpecie vnum, numero verò multa; ſed quæcunque* (inquit) *numero ſunt multa, habent materiam. Quod autem quid erat eſſe non habebit materiam primam: endelechia enim vnum igitur, & ratione, & numero primum mouens immobile ens.* Iſta ratio, qua concluditur vnitas cœli ex vnitate motoris, & vnitas motoris non tantùm ſpecie, ſed numero, propter hoc quod non habet materiam; non videtur valere, niſi diſtinctio numeralis fieret per illam: ergo, &c. *Tex.c.49.*

Præterea 1. Cœl. & Mun. *cùm dico cœlum, dico formam: cùm dico hoc cœlum, dico materiam.* *Tex.92.& 95.*

COMMENTARIVS.

1. a *Vtrùm ſubſtantia materialis*, quæ ſupple eſt compoſita ex materia, & forma Phyſicali ſit hæc, & indiuidua per materiam, *quæ ſupple eſt altera pars compoſiti.*

b *Hîc dicitur.* Doctor hîc recitat opinionem Thomæ in prima parte Summæ, quæſtio. 7. artic. 1. qui vult ſubſtantiam materialem præcisè indiuiduari per materiam.

SCHOLIVM.

Sententiam D. Thomæ, quòd materia ſit principium indiuiduationis, refutat ſolidè: primò, ex locis Philoſophi. Secundò, ratione, quia aliàs, genitum & corruptum eſſent idem indiuiduum: loca adducta per D. Th. ſoluentur q.ſeq.n.20.

3. CONtra iſtud primò [c] per auctoritates eiuſdem Philoſophi 7. Metaph. cap. de partibus definitionis: *Palàm autem, quòd anima quidem ſubſtantia prima, corpus verò materia, homo verò aut animal, quod ex vtriſque vt vniuerſaliter, Coriſcus autem, & Socrates, vt ſingulariter, ſupple, ex his, ſiquidem igitur anima dupliciter dicitur*: & poſtea ſubdit, *ſi verò anima hæc, & corpus hoc, vt & homo quidẽ vniuerſale, & ſingulare*: & ante in eodẽ c. *Homo, & equus, & quæ ita in ſingularibus, vniuerſaliter autẽ non ſunt ſubſtantia, id eſt forma. ſed ſimul quoddam totum, id eſt, compoſitum ex hac materia & hac ratione*, vbi per ly, *hac*, non intelligit materiam vniformem, & ſingularem, ſed determinatam, alioquin contradiceret ſibiipſi *Tex.39. Tex.35.*

ſibiipſi. Vnde ſubditur ibidem, *& vt vniuerſaliter*, & ſubdit poſtea: *ſingulare verò est vltima materia Socrates iam eſt*, &c.

Præterea,[d] per eundem duodecimo Metaph. cap. quarto, vbi vult, quod principia ſunt eadem ſicut principiata: *& horum*, inquit, *quæ ſunt in eadem ſpecie, diuerſa non ſpecie: ſed quia ſingularium aliud tua materia, & mouens, & ſpecies, & mea, ſed tamen ratione vniuerſali eadem*: ergo ita concedit diſtinctionem formæ, ſicut materiæ in particulari, & ita vnitatem materiæ in communi ſicut formæ: & ideò oportet adhuc quærere, quo materia ſit hæc.

Tex. 27. Præterea, ſicut probatur ex multis locis 7. Metaph. cap. de partibus definitionis, materia eſt de eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ, puta hominis: & non eſt tale compoſitum præcisè eſſentia formæ: ergo ſicut illud compoſitum non poteſt de ſe eſſe hoc *ex prima quæſt.* ita nec materia, quæ eſt pars eius eſt de ſe hæc: quia non poteſt eſſe compoſitum commune, & eiuſdem rationis in diuerſis, quin quodlibet quod eſt de eſſentia eius, poſſet eſse eiuſdem rationis cum eis.

Vide t. com. 34. & 8. Met. t. 9. Præterea[c] per rationem, materia eſt eadem in generato, & corrupto; ergo habet eandem ſingularitatem in genito, & corrupto.

Et ſi reſpondeas, quod non ſit eiuſdem ſpeciei in genito, & corrupto. Arguo ſicut priùs contra quantitatem interminatam: & ita erit generatio circularis. Primò ignis ex aqua, ſecundò aqua ex igne: aqua primò corrupta, & aqua ſecundò genita, habent eandem materiam, & ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo ſunt realiter hæc aqua: igitur primum redit naturaliter idem numero, quod eſt contra eos. Quia verò ſolutio auctoritatum Philoſophi ad oppoſitum requirit ſolutionem ſextæ quæſtionis; ideò iuxta hoc quæro vlteriùs.

COMMENTARIVS.

1. c *Contra iſtud.* Doctor hîc improbat opinionem Thomæ multis auctoritatibus.

Prima eſt Philoſophi, 7. Metaph. *tex. commen. 39. Palàm autem, quòd anima quidem ſubſtantia prima, corpus verò materia, homo verò aut animal, quod eſt ex vtriſque, vt vniuerſale. Socrates autem & Coriſcus, vt ſingulariter* ſupple ex his. *Siquidem igitur anima dupliciter dicitur. Aly namque, vt animam, aly verò, vt totum. Si verò ſimpliciter anima hoc, & corpus hoc, vt quidem vniuerſale, & ſingulare.* Hæc ille. Sententia huius textus eſt, quòd ſicut datur compoſitum materiale vniuerſale, & aliquod tantùm vnum numero, ita partes componentes ſic ſe habent, quòd reſpectu compoſiti communis partes, ſcilicet materia, & forma accipiuntur in communi, & ſi compoſitum eſt hoc aliquid, ſiue ſingulare, partes compoſitæ erunt ſingulares. Et ex hoc ſequitur, quòd compoſitum ſingulare habeat propriam hæcceitatem. Et ſi dicatur, quòd habeat illam à materia ſingulari. Contrà, tum, quia ex quo compoſitum eſt aliud à partibus, vt probatur à Doctore *in tertio, diſt.* 2. ita habet propriam hæcceitatem. Tum, quia ſi compoſitum eſſet hoc per aliquam partem componentẽ, magis eſſet hoc per formã ſingularem, quàm per materiã, quia forma magis dat *eſſe*. Tũ etiã, quia ſicut materia eſt communis reſpectu compoſiti communis, & cõtrahitur per aliquã hæcceitatem ad hoc vt ſit hæc; ita compoſitũ in communi, quod eſt aliud à materia, & forma in cõmuni, contrahitur ad *eſſe* hoc per aliquid, quod nõ eſt neque materia, neque forma.

2. *Expoſitio tex. & Ariſt.* Nunc expono hunc textum cùm dicitur: *Palàm autem, quòd anima quidem ſubſtantia prima: corpus verò materia, homo verò*, id eſt, quòd homo reſpectu animæ intellectiuæ, & materiæ, puta corporis organici, aut animal reſpectu animæ ſenſitiuæ, & reſpectu materiæ ſuæ, ſupple eſt ex vtriſq; vt vniuerſale, id eſt, quòd ex anima ſenſitiua in cõmuni, & materia in communi conſtituitur animal in communi, & ſimiliter homo in communi conſtituitur ex anima intellectiua in communi, & ex tali corpore organico in communi. Sequitur:

Socrates autem, & Coriſcus vt ſingulariter, id eſt, quòd iſta compoſita ſicut ſunt ſingularia, ita partes componentes, puta hæc materia, & hæc forma, & quòd ſit verum, probat infra ibi: *Siquidem igitur anima dupliciter dicitur*, ſupple in vniuerſali, & in particulari, ergo eadem ratione, & ipſum compoſitum. Sequitur in textu: *Aly namque, vt animam* ſupple dicunt hominem, & animal, ita quòd anima ſit tota eſſentia animalis, vt quidam dicunt. *Aly verò, vt totum*, id eſt, compoſitum, & non animã. Sequitur: *Si verò anima hæc, & corpus hoc, vt quidam vniuerſale ſingulare*, id eſt, dato, quòd animal ſit compoſitum ex anima, & corpore, ſi ipſa ſimplicia, id eſt, anima, & corpus dicuntur vniuerſaliter, & particulariter, ſequitur etiam, quòd compoſitum ſic dicatur, ſequitur & ante in eodem cap. *homo, & equus* ſupple in communi, *& quæ ita in ſingularibus*, ſupple homo ſingularis, & equus ſingularis. *Vniuerſaliter autem non ſunt ſubſtantia*, ſupple homo, & equus, id eſt, formaliter, accipiẽdo formã pro forma partis, *ſed ſimul quoddam totum*, id eſt, compoſitum ex hac materia, & hac ratione, vbi per ly *hac* dicit Doctor quòd Ariſt. dicit, quòd homo in cõmuni eſt cõpoſitus ex hac materia, non debet accipi ly *hac* pro materia ſingulari, ſed pro materia determinata, ſupple quòd ſit cõpoſitus ex tali corpore in communi, & ex tali forma, aliter contradiceret ſibimet, vnde ſubdit ibidem: *Et vniuerſaliter*, vt expoſui prius, & ſubdit poſtea *ex vltima materia*, ſcilicet ſingulari, cùm dicit, *Socrates iam eſt*, &c.

Quomodo homo in cõmuni ſit cõpoſitus.

d *Præterea. Idem per eundem.* Secundò principaliter Doctor probat, quòd ſubſtantia materialis non ſit præcisè hæc per materiam. Et probat auctoritate Philoſophi 12. Metaph. Et vide ibi Commentatorem: ergo ita concedit diſtinctionem formæ, ſicut materia in particulari, & ita vnitatem 3.

vnitatem materiæ in communi, ſicut formæ; & ideò debet adhuc quærere quo materia ſit hæc, ſi enim datur materia in communi, & per illam ſubſtantia materialis non dicitur hæc: oportet quærere quo materia ſit hæc, vt per illam ſubſtantia materialis dicatur hæc. Et ſi materia dicitur hæc, hoc erit per aliquid poſitiuum adueniens ipſi materiæ, & contrahens ipſam ad *eſſe* indiuiduale. Hoc idem apparet de forma partis, quæ in communi non dicitur hæc, & ſi erit hæc, erit per aliquid adueniens ſibi contrahens ipſam ad *eſſe* quale, & certum eſt, quòd illud non erit materia; vt patet, quia ſi principiatum eſt hoc aliquid, & indiuiduum, & principia erunt ſimiliter hoc aliquid.

4. *Præterea, ſicut probatur ex multis locis.* Tertiò principaliter hoc idem probat Doctor auctoritate Philoſophi, &c. *ergo ſicut illud compoſitum non poteſt ex ſe eſſe hoc* ex 1. q. præſent. diſt. *ita nec materia, quæ eſt pars eius*, ſcilicet compoſiti communis *eſt de ſe hæc, quia non poteſt eſſe compoſitum commune, & eiuſdem rationis in diuerſis*, ſupple partibus ſubiectiuis, *quin quodlibet, quod eſt de eſſentia eius poſſet eſſe eiuſdem rationis cum eis*, puta ſi homo vt eſt in Socrate eſt ſingularis, ita partes componentes hominem vt in Socrate, ſunt ſingulares, cùm ſint de eſſentia eius: Et tunc quæritur per quid ſunt ſingulares? non ex ſe, ſicut nec homo ex ſe eſt ſingularis: ergo per aliquid adueniens contrahens illas partes ad eſſe indiuiduale, & illud non erit materia, quæ eſt altera pars compoſiti, cùm illa de ſe non ſit ſingularis, ſed contrahatur ad ſingularitatem.

e *Præterea per rationem.* Quartò Doctor arguit probando, quòd materia non ſit ſingularitas, & arguit per rationem ducentem ad impoſſibile, quia ſequeretur, quòd hic ignis, & hæc aqua eſſent ſimpliciter vnum numero, quia ſi materia eſt ratio indiuidualis ſubſtantiæ materialis, tunc generatum, & corruptum eſſent vnum numero; patet, quia illa ſunt vnum numero, quorum ratio ſingularitatis eſt ſimpliciter eadem; ſed materia manet ſimpliciter eadem in generato, & corrupto: ergo res, quæ generatur, erit eadem numero cum re, quæ corrumpitur.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm ſubſtantia materialis ſit indiuidua per aliquam entitatem poſitiuam per ſe [a] *determinantem naturam ad ſingularitatem?*

Ægid. *quodl.2.q.7.* Gotfred. *quodl.6. q.16. & quodl.7. q.5. &* DD. citati *quæſtionibus præced.* Vide Suar. *Met. d.5.ſec.6. vbi citat alios.*

1. QVOD non, [b] quia tunc illud determinans ad illam naturam, haberet ſe vt actus ad potentiam: ergo ex natura ſpecifica, & illo determinante eſſet verè, & propriè compoſitum vnum, quod eſt inconueniens. Nam illud determinans, aut eſſet materia, aut forma, aut compoſitum ex eis: quodcunque detur, eſt inconueniens: quia tunc in compoſito eſſet alia materia, ab illa forma quæ ponitur pars naturæ: vel aliud compoſitum quàm compoſitum naturæ.

Item, tunc ſingulare compoſitum ex natura, & illo per ſe determinante, eſſet per ſe vnum: ergo per ſe intelligibile, quod videtur contra Philoſophum *tertio de Anima, & ſeptimo Metaphyſic.* vbi videtur apertè velle, quod intellectio eſt vniuerſalis: & ſenſus vel ſenſatio ſingularis. *Tex.27. Tex.35.*

Præterea [d] ſi eſſet per ſe intelligibile, poſſet de ipſo eſſe demonſtratio, & ſcientia, & ita de ſingularibus eſſet ſcientia propria, inquantùm ſingularia: quod negat Philoſophus *ſeptimo Metaphyſic.cap.de partibus definitionis.* *1. Poſter. t.c.40. & 2. Poſterio. ad ſi. & 1. Phy. t. c. 49. & 2. de Anima. t.c.60.*

Item, ſi includeret [e] naturam ſpecificam, & illud per ſe determinans, poſſet per ſe definiri per iſta duo incluſa in ratione ſua: & ita eſſet alia definitio indiuidui, & alia ſpeciei, ſaltem addens ſuper definitionem ſpeciei, ſicut definitio ſpeciei addit ſuper definitionem generis.

2. Oppoſitum, omne inferius includit in ſe aliquid, quod non includitur in intellectu ſuperioris; alioquin conceptus inferioris eſſet æquè communis, ſicut conceptus ſuperioris; & tunc per ſe inferius non eſſet per ſe inferius, quia non ſubeſſet communi, & ſuperiori: ergo aliquid per ſe includitur in ratione indiuidui: quod non includitur in ratione naturæ: illud autem incluſum eſt entitas poſitiua ex ſolutione ſecundæ quæſtionis, & facit vnum per ſe cum natura ex ſolutione quartæ quæſtionis: ergo eſt per ſe determinans illam naturam ad ſingularitatem, ſiue ad rationem illius inferioris. *Tex.35.*

COMMENTARIVS.

1. a Dicit Doctor in titulo quæſt. *per ſe*, quia conſtat, quòd ex natura, & ratione indiuiduali ſit vnum ſingulare per ſe, & ſic talis entitas per ſe competit; hoc etiam dicit ad differentiam aliquorum, quæ tamen per accidens contrahunt, ſicut albedo contrahit hominem ad eſſe album, ita quòd ex albedine, & homine fit tantùm vnum per accidens; ſenſus ergo quæſtionis eſt: An ratio indiuidualis, quæ per ſe contrahit naturam ad ſingularitatem, ſit aliqua entitas poſitiua.

b Primò arguit Doctor probando quòd differentia indiuidualis non dicat aliquam entitatẽ poſitiuam additã naturæ, quia tunc ex tali natura & tali entitate fieret vnum per ſe compoſitum, ſicut ex actu & potentia: & tunc quæro de illo actu contrahente, aut eſſet materia, aut forma, aut compoſitum ex eis: ſi materia, ergo in compoſito eſſet alia materia à materia partis; ſi forma, ergo eſſet ibi alia forma à forma partis; ſi compoſitum, ergo in eodem compoſito eſſent duo compoſita.

c Secundò, quia tunc ſingulare ſic per ſe compoſitũ, eſſet per ſe intelligibile, quod videtur contra Philoſophum 3. *de Anima.* & 9. *Metaph.*

d Tertiò, quia tunc de tali ſingulari poſſet eſſe demonſtratio, & ſcientia.

e Quartò, quia tunc poſſet definiri, ita quòd definitio conſtaret ex natura, & tali hæcceitate.

SCHOLIVM.

Ponit opinionem Goff. & Ægidij tenentium naturam eſſe de ſe hanc, tamen per quantitatem habere plura ſingularia, probat vtramque partem, & ponit duos ſenſus, quos hæc opinio poteſt habere. Primus, quòd eadem ſubſtantia in ſe indiſtincta, per multas quantitates receptas, faciat multa indiuidua. Secundus, quòd ſubſtantia ſubſtans huic quantitati, ſit alia ab ea, quæ ſubeſt illi quantitati, non poſſet tamen eſſe alia & alia, ſine quantitate.

Opinio Goff. quodl. 6. q. 16. & quodl. 7. q. 5. c. de ſpecie.

HIc dicitur quòd natura ſpecifica de ſe eſt hæc, & tamen per quantitatem poteſt eſſe natura communis in pluribus ſingularibus, ſiue quantitas poteſt eſſe ratio, quare plura ſingularia poſſunt eſſe ſub natura. Primum ſic declaratur, ſpecies ſpecialiſſima de ſe eſt atoma: ergo & indiuiſibilis. Et hoc confirmatur per illud Porphyrij *deſcendentibus nobis per diuiſionem à generaliſſimis ad ſpecialiſſima, iubet Plato quieſcere*: ſed ſi poſſibile eſſet diuiſionem eſſe vlteriorem huius naturæ, non eſſet quieſcendum in illa natura: ergo, &c. Prætereà, Boëtius lib. Diuiſion. enumerans omnes diuiſiones non tantùm per ſe, ſed etiam per accidens, non enumerat diuiſionem ſpeciei in indiuidua: ergo natura ſpecifica non eſt hæc per aliquid aliud. Item, ſi aliqua realitas eſſet in indiuiduo, præter ſolam realitatem ſpecificæ naturæ: ſpecies non diceret totum *eſſe* indiuiduorum, quod eſt contra Porphyrium. 3.

Secundum declaratur, quia licèt quantitas non ſit formalis ratio diuiſionis alicuius in partes ſubiectiuas, tamen quando totum quantitatiuum diuiditur in partes quantitatiuas, natura diuiditur per ſe in illa, quæ ſunt eiuſdem rationis: hoc autem conuenit ei per quantitatem: idem autem eſt principium diuiſionis in aliqua, & principium diſtinctionis illorum diuidentium: ergo ſicut ipſa quantitas eſt principium diuiſionis, ita eſt principium diſtinctionis illorum diuidentium: ſed illæ ſunt partes ſubiectiuæ naturæ communis: ergo quantitas eſt principium diſtinctionis talium partium. Qualiter autem iſta duo membra poſſunt ſtare ſimul, patet per exemplum, quia ſecundùm Philoſophum, 1. *Phyſ.* ſubſtantia de ſe eſt indiuiſibilis, loquendo de partibus eiuſdem rationis: & tamen adueniente quantitate eſt partibilis in partes tales: imò tunc habet tales partes; ita ergo poteſt natura ſpeciei eſſe de ſe hæc, & tamen per quantitatem aduenientem ſibi extrinſecè eſſe hæc, & hæc, & illa, &c.

Text. 15.

Dicta ſententia poteſt habere duplicem ſenſum.

Iſta poſitio videtur poſſe habere duplicem intellectum: vnum, quod ſubſtantia materialis inquantùm diſtinguitur eſſentialiter à quantitate, maneat eadem omnino, non diſtincta ſecundùm rationem ſuæ propriæ & eſſentialis entitatis: & tamen recipiat multas quantitates, & recipiendo eas cum eis conſtituat multa ſingularia: hoc eſt dicere planis verbis, quòd eadem ſubſtantia materialis in ſe non diuiſa, nec diſtincta, informatur multis quantitatibus: & ex hoc ſunt multa indiuidua ſub ſpecie. 4.

Alio modo poteſt intelligi, quòd iſta ſubſtantia materialis, quæ de ſe eſſet hæc circumſcripta omni quantitate, poſtea quantitate informante, erit hæc & hæc, ita quòd non tantùm recipit quantitates diſtinctas, ſed ipſa habet diſtinctionem in ſe in entitate ſua ſubſtantiali: ita quòd iſta ſubſtantia, quæ ſubiicitur illi quantitati, & diſtinguitur ab ea eſſentialiter non eſt illa quæ ſubeſt alij quantitati, & diſtinguitur ab ea eſſentialiter: licèt tamen iſtud, ſcilicet quod hæc non ſit illa, non poſſit eſſe ſine quantitate in hac & in illa.

SCHO

SCHOLIVM.

Ex ſententia prædicta iuxta primum ſenſum, infert grauiſſima abſurda: primò, non eſſe proprium naturæ diuinæ eſſe hanc, & in pluribus. Secundò, non poſſe tranſubſtantiari vinum, niſi totius mundi vinum periret. Tertiò, poni ideam Platonicam. Quartò, penetrationem admitti. Quintò, nihil generari, vel corrumpi. Sextò, ſi admittantur plures animæ rationales, irrationabile eſſe, aſſerere naturam humanam eſſe atomiam de ſe: omnia iſta abſurda videntur ſequi ad ſententiam ponentium naturam poſitiuè vniuerſalem, ſeu communem à parte rei.

PRimus intellectus [a] videtur impoſſibilis, quia ex eo ſequuntur inconuenientia in Theologia, Metaphyſica, & ſcientia naturali. In Theologia, ſcilicet quòd non ſit proprium eſſentiæ diuinæ, eſſe hanc, ſic quòd ipſa exiſtens vna in ſe indiuiſa incta, poſſit eſſe in pluribus ſuppoſitis diſtinctis, quod tamen non intelligitur communiter, niſi de perſonis tantùm relatiuè diſtinctis. Hîc autem poneretur, quòd vna natura ſubſtantialis nullo modo in ſe diſtincta, haberet plura ſuppoſita re abſoluta diſtincta. *Aliquot abſurda ex ſent. Gotfredi.*

Secundò ſequitur, quòd non poſſit aliqua ſubſtantia panis, & vini tranſubſtantiari in corpus & ſanguinem, niſi tota ſubſtantia vini tranſubſtantiaretur: quia vinum non tranſubſtantiaretur, niſi ſecundùm ſubſtantiam ſuam: nam quantitas manet eadem: & per te ſubſtantia, quæ eſt in hoc vino, eſt eadem illi, quæ eſt in illo vino: idem autem non eſt tranſubſtantiatum & non tranſubſtantiatum: ergo, &c.

In Metaphyſica ſequuntur inconuenientia. Primum, quia poneretur idea Platonis, vel pluſquam idea quam poſuit Plato. Plato enim poſuit ideam eſſe naturam per ſe exiſtentem, ſeparatam ſine accidentibus, ſicut ſibi imponitur à Philoſopho, in qua eſſet tota natura ſpeciei, quæ ſecundùm quod impoſuit ſibi Ariſtoteles diceretur de quolibet indiuiduo prædicatione formali dicente, *hoc eſt hoc*, hæc autem opinio dicit hanc ſubſtantiam dici de quolibet huius ſpeciei, prædicatione dicente *hoc eſt hoc*, & tamen eſſe ſub hoc accidente & illo: hæc ergo opinio ponit tantam communitatem, quantam poſuit Plato in ideis. 7. *Metaphyſ. vt ſupra.*

b Secundò, quia per iſtos, duo accidentia eiuſdem ſpeciei non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto ſi fuerint accidentia abſoluta: quia ſecundùm eos, ſequeretur contradictio manifeſta, quòd ſcilicet idem eſſet in actu & in potentia ſecundùm idem: oppoſitum autem ſequitur ex iſto, quia eadem natura erit in actu ſecundùm multos actus eiuſdem ſpeciei.

7. Et iuxta hoc poteſt inferri impoſſibile ad Mathematicum, inquantùm pertinet ad conſiderationem Mathematici, ſcilicet, quòd duæ quantitates dimenſiuæ eiuſdem rationis ſimul idem perficerent ſubiectum: quod eſt contra propriam rationem quantitatum dimenſiuarum eiuſdem rationis, loquendo ſecundùm intentionem Mathematici.

Tertiò in ſcientia naturali ſequuntur duo inconuenientia. Primum, quòd nulla ſubſtantia naturalis poteſt generari, & corrumpi: non quidem generari, quia ſi hic lapis eſt, erit in eo omnis ſubſtantia, quæ poteſt eſſe in lapide quocunque: poteſt tamen huic ſubſtantiæ lapidis acquiri tanta quantitas & tanta, & non ih natura alia: acquiſitio autem nouæ quantitatis, non eſt generatio patet ex terminis generationis ergo, &c. Similiter hoc lapide manente, manet natura lapidis ſpecifica in iſto, omnis autem natura lapidis eſt iſta natura: ergo manente iſta natura manet omnis natura, & ſic nulla corrumpitur manente iſto lapide, licèt quantitas, vel qualitas non ſit eadem: & ſic de qualibet ſubſtantia naturali. 5. *Phy. & 1. de generatione.*

Secundò ſequitur, quòd licèt ſecundùm fictionem illius maledicti Auerroïs, de vnitate intellectus in omnibus hominibus, poſſit ſic fingi de corporibus tuo & meo, ſicut de lapidibus illo & iſto, tamen non tantùm ſecundùm fidem, ſed ſecundùm Philoſophiam veram, neceſſariò tenendo aliam, & aliam animam intellectiuam non poteſt poni natura humana eſſe de ſe atoma, & tamen alia & alia per quantitatem: quia in iſto & in illo homine eſt alia & alia forma ſubſtantialis præcedens naturaliter quantitatem. Et ideò ad iſtam inſtantiam tanquam inſolubile non nituntur ipſi reſpondere, & ideò transferunt ſe ad alia homogenea, lapidem vel aquam: & tamen ſi haberent aliquid pro ſe ex ratione naturæ ſpecificæ atomæ, ita concederent de homine ſicut de lapide: poſſunt igitur videre quòd nulla ſunt principia, ex quibus procedunt, cùm ex eis ſequantur manifeſta impoſſibilia. 3. *de anima c. 3.*

COMMENTARIVS.

1. a PRimus *intellectus*, &c. In Theologica, quia *eſſe* ex hoc non eſſet proprium eſſentiæ diuinæ; patet, quia hoc eſt proprium eſſentiæ diuinæ, quòd vna & eadem numero, & omnino in ſe indiſtincta ſit in tribus ſuppoſitis, quod nulli naturæ creatæ competit, & tamen ſi tota ſubſtantia hominis eſſet de ſe hæc, & ſingularis, & eſſet in pluribus ſuppoſitis per aliam, & aliam quantitatem abſolutam, tunc eadem natura ſingularis eſſet non tantùm in tribus ſuppoſitis, ſed etiam in pluribus. Imò fortiùs ſequitur, quia natura diuiditur vt hæc, communiter ponitur eſſe in tribus ſuppoſitis præcisè per aliam, & aliam relationem, quæ ſuppoſita dicuntur tantum relatiuè differre; natura verò creata vt exiſtens hæc, eſt in pluribus ſuppoſitis abſolutis, quia per aliam, & aliam quantitatem abſolutam, quod eſt impoſſibile. Secunda ſequitur, quòd non poſſit aliqua ſubſtantia panis, & vini tranſubſtantiari in corpus, & ſanguinem, niſi tota ſubſtantia panis, & vini tranſubſtantiaretur: patet, quia in tali tranſubſtantiatione tranſubſtantiatur ſubſtantia, remanente quantitate. Secunda ſequeretur, quòd in illo inſtanti, quo tranſubſtantiatur aliqua ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & aliqua ſubſtantia vini in ſanguinem, quòd in toto mundo non eſſet amplius ſubſtantia panis, & vini, ſed tantùm quantitas, quæ prius formabat ſubſtantiam illam cum ſuis accidentibus, quod eſt abſurdum.

In Metaphyſica ſequuntur inconuenientia, &c.

b Secundum, quia tunc duo accidentia eiuſdem ſpeciei, ſcilicet duæ quantitates eſſent in eodem ſubiecto, quod eſt contra eos. Sequitur etiam inconueniens in Mathematica, quia tunc duæ quantitates dimenſiuæ eiuſdem rationis ſimul idem perficerent ſubiectum, quod eſt contra intentionem Mathematici cætera patent.

SCHOLIVM.

Reiicit ſecundum ſenſum illius opinionis, quia ſi natura eſt de ſe hæc, non poteſt accipere aliquid quo fiat hæc, & hæc: ideò enim ſubſtantia immaterialis non poteſt recipere quantitatem, quia de ſe indiuiſibilis eſt.

SEcundus intellectus videtur deſtruere ſeipſum, quia illud quod eſt de ſe hoc (illo modo quo expoſitum eſt priùs aliquid eſſe de ſe hoc) eſt de ſe, cui repugnat per ſe diuidi in plures partes ſubiectiuas: cui etiam repugnat de ſe eſſe non hoc, tale per nihil aduenies, poteſt diuidi in plures partes, quia ſi ſibi ex ſe repugnat diuidi, ſibi repugnat ex ſe aliquid recipere, per quod fiat non hoc. Dicere ergo naturam eſſe de ſe hanc, ſecundùm intellectum præexpoſitum de natura, quæ de ſe eſt hæc: & tamen ipſam poſſe eſſe hanc, & illam, quocunque alio aduenient, eſt dicere contradictoria. 8.

Et hoc patet in exemplo poſito in illa poſitione, quia licèt ſubſtantia materialis non ſit ex ſe diuiſa in partes eiuſdem rationis: tamen ipſa non eſt de ſe indiuiſibilis in partes tales: quia ſi eſſet de ſe indiuiſibilis, hoc eſt repugnaret ei diuiſio, non poſſet recipere quantitatem qua formaliter diuiditur in tales partes: quod patet. nam anima quæ de ſe eſt indiuiſibilis hoc modo, non poteſt recipere quantitatem ſicut nec partes: videtur ergo deceptio in conſequentia hac: *non eſt de ſe tale, ergo eſt de ſe non tale*: fallacia conſequentis, verè enim ſubſtantia ſecundùm aliquam poſitionem, non eſt habens de ſe partes eiuſdem rationis: & tamen non eſt de ſe non habens tales partes eiuſdem rationis, ita quòd repugnat ſibi habere partes: quia tunc non poſſet recipere formaliter per aliquod ſibi aduenies, tales partes; & ita natura ſpeciei ſpecialiſſimæ non eſt de ſe hæc, ſicut nec aliquod diuiſibile ex natura ſua eſt de ſe hoc, ita quod repugnet ſibi de ſe diuidi in partes: quia tunc non poſſet recipere aliquod, per quod formaliter competeret ſibi talis diuiſio.

Non eſt per ſe tale ergo per ſe non tale, non valet.

Vbi de differentia hæceitatis & perſonalitatis.

Confirmatur ratio per rationem 3. diſt. 1. q. 1. artic. 3. 3. libri.

SCHOLIVM.

Reſoluit ſubſtantiam materialem indiuiduari entitate poſitiua. Primò, quia ratio indiuidualis ſe habet ad naturam ſpecificam, ſicut differentia ad genericam. Secundò, Petrus & Paulus differunt: ſi per aliqua, primò diuerſa, intentum: ſi non per talia, dabitur proceſſus. Ponit obiectionem contra rationem primam & explicat quomodo, aliquid reale ſit in indiuiduo, quod tamen non eſt idem cum eo, numero. Explicat etiam optimè differentiam ſpecificam & indiuidualem, & vnde ſumantur.

AD quæſtionem ergo a reſpondeo, quòd ſic. Ad quod ſic arguo, ſicut vnitas in cõmuni, per ſe conſequitur entitatem in communi, ita quæcunque vnitas per ſe 9.

conſequitur

conſequitur aliquã entitatem:ergo vnitas ſimpliciter, qualis eſt vnitas indiuidui,ſæpè priùs deſcripta,ſcilicet cui repugnat diuiſio in plures partes ſubiectiuas, & cui repugnat non eſſe hoc ſignatum,ſi eſt in entibus,ſicut omnis opinio ſupponit,conſequitur per ſe,aliquam entitatem:non autem conſequitur per ſe entitatem naturæ, quia illius eſt aliqua vnitas propria,& per ſe realis,ſicut probatum eſt in ſolutione 1.quæſt. igitur conſequitur aliquam entitatem aliam determinatam iſtam : & illa faciet vnum per ſe cum entitate naturæ,quia totum, cuius eſt hæc vnitas,perfectum eſt de ſe. *Vnitas indiuidui ſequitur entitatem determinantem naturam.*

Item,omnis [b] differentia differentium reducitur ad aliqua primò diuerſa, alioquin non eſſet ſtatus in differentibus : ſed indiuidua [c] propriè differunt, quia ſunt diuerſa aliquid idem entia:ergo eorum differentia reducitur ad aliqua primò diuerſa:illa primò diuerſa non ſunt natura in illo & natura in iſto : quia non eſt idem quo aliqua conueniunt formaliter , & quo differunt realiter , licèt idem poſſit eſſe diſtinctum realiter,& conueniens formaliter.Multùm enim refert eſſe diſtinctum,& eſſe quo aliquid primò diſtinguitur;ergo ſic erit de vnitate:igitur præter naturam in hoc,& in illo,ſunt aliqua primò diuerſa,quibus hoc & illud differunt, illud in illo,& hoc in iſto:iſta non poſſunt eſſe negationes,ex 2.quæſt.nec aliqua accidentia, ex 4.quæſt. ergo erunt aliquæ entitates poſitiuè per ſe determinantes naturam. *De hoc 1. d.3.q.3.5. Meta.c.de eodem.*

10. Contra primam [d] rationem obiicitur , quia ſi eſt aliqua vnitas realis minor vnitate numerali,aut eſt alicuius in eodem vno numeraliter;aut in aliquo alio : non in eodem numero,quia quicquid eſt in eodem numero, eſt vnum numero : nec eſt in duobus, quia in eis nihil eſt vnum numero realiter:quia hoc proprium ſuppoſiti in diuinis , ſicut expoſitum eſt dictum Damaſceni ſuprà.

Reſpondeo [e] ſicut dictum eſt in ſolutione 1.quæſt.de hac materia, quod natura eſt prius naturaliter,quàm hæc natura,& vnitas propria conſequens naturam,vt natura, prior eſt naturaliter vnitate eius,vt hæc natura:& ſub iſta ratione,eſt de ea conſideratio Metaphyſica : & aſsignatur definitio eius: & ſunt propoſitiones per ſe primo modo : in eodem ergo quod eſt idem numero , eſt aliqua entitas,quam conſequitur minor vnitas quàm ſit vnitas numeralis:& eſt realis, & illud cuius eſt vnitas talis formaliter,non eſt de ſe vnum vnitate numerali. Concedo ergo, quòd vnitas realis non eſt alicuius entitatis exiſtentis in duobus indiuiduis,ſed in vno. *q.4.*

Et cùm obiicis,quicquid eſt in eodem indiuiduo numero,eſt idem numero. Reſpondeo primò in alio ſimili manifeſtiori,quicquid eſt in vna ſpecie, eſt vnum ſpecie: color ergo in albedine eſt vnum ſpecie : ergo non habet vnitatem minorem vnitate ſpeciei;non ſequitur : nam ſicut aliàs dictum eſt, ſcilicet in primo lib. quæſt.de attributis, ſoluendo primum dubium; Aliquid [f] poteſt dici animatum denominatiuè , vt corpus , vel per ſe primò , vt homo : & ita ſuperficies dicitur alba denominatiuè : ſuperficies alba dicitur alba per ſe primo modo,quia ſubiectum includit prædicatum.Ita dico quòd potentiale quod contrahitur per actuale, informatur ab illo actuali , & per hoc informatur ab illa vnitate conſequente illam actualitatem ſiue illum actum:& ita eſt vnum vnitate propria illius actualis,ſed denominatiuè eſt ſic vnum:non autem eſt de ſe ſic vnum,nec primò,nec per partem eſſentialem:color ergo in albedine eſt vnum ſpecie:licèt non de ſe , nec per ſe,nec primò, ſed de nominatiuè tantùm. Differentia autem ſpecifica eſt vna ſpecie Primò,quia ſibi primò repugnat diuidi in plura ſpecie: albedo eſt vna ſpecie per ſe,ſed non primò:quia per aliquid intrinſecum ſibi vt per illam differentiam.Ita concedo quòd quidquid eſt in iſto lapide eſt vnum numero,vel primò,vel per ſe,vel denominatiuè.Primò fortè vt illud, per quod vnitas talis conuenit huic compoſito:per ſe,vt hic lapis,cuius illud,quod eſt primò vnum hac vnitate,eſt per ſe pars : denominatiuè tantùm , vt illud potentiale , quod perficitur iſto actuali, quod quaſi denominatiuè reſpicit actualitatem eius,& vnitatem ſimiliter. *Iterum negat vniuerſale à parte rei. d.8.q.5. Concorda hunc locum cum iis quæ habet 2.d.1.q.2. & alibi. Eſſe tale per ſe & primo, differunt. Aliquid dicitur tale tripl.citer.*

11. g Vlteriùs declarando ſolutionem iſtam, quæ ſit iſta entitas , à qua ſit vnitas iſta perfecta,per ſimile ad entitatem,à qua ſumitur differentia ſpecifica, poteſt declarari. Nam differentia quidem ſpecifica,ſiue entitas à qua ſumitur differentia ſpecifica poteſt comparari ad illud, quod eſt ſupra ſe:vel ad illud quod eſt iuxta ſe Primo modo differentiæ ſpecificæ & illi entitati ſpecificæ repugnat per ſe diuidi in plura eſſentialiter ſpecie,vel natura, & per hoc repugnat toti,cuius illa entitas eſt per ſe pars Ita in propoſito huic entitati indiuiduali repugnat primò diuidi in quaſcunque partes ſubiectiuas,& per ipſam repugnat talis diuiſio per ſe toti,cuius illa entitas eſt pars:& tantummodo eſt differentia in hoc , quia illa vnitas naturæ ſpecificæ minor eſt iſta vnitate,& propter hoc , illa non excludit omnem diuiſionem , quæ eſt ſecundum partes *Ex 1.Poſt. tex.cap.11. Vnde vnitas ſpecifica,& indiuidua. Specifica differentia comparatur ad ſupra, infra, & iuxta.*

ſubiectiuas;ſed tantùm illam diuiſionem,quæ eſt partium eſſentialium:iſta autem excludit omnem.Et ex hoc confirmatur ſatis propoſitum, quia ex quo quæcunque vnitas minor vnitate iſta,habet entitatem propriam , quam per ſe conſequitur; non videtur probabile iſti vnitati perfectiſſimè negare propriam entitatem quam conſequitur.

Comparando autem ad illud [h], quod eſt ſupra ſe,dico;quòd illa realitas, à qua ſumitur differentia ſpecifica, eſt actualis reſpectu illius realitatis, à qua ſumitur genus, vel ratio generis, ita quòd hæc realitas non eſt formaliter illa; alioquin in definitione eſſet nugatio, & ſolum genus ſufficienter definiret, quia indicaret totam entitatem definiti ſine differentia. Quandoque tamen illud contrahens eſt aliud à forma, à qua ſumitur ratio generis,quando ſcilicet ſpecies addit rem aliquam ſuper naturam generis:quandoque autem non eſt res alia,ſed tantùm alia formalitas,vel alius conceptus realis eiuſdem rei: & ſecundùm hoc aliqua differentia ſpecifica habet conceptum non ſimpliciter ſimplicem, puta quæ ſumitur à formali: aliqua habet conceptum ſimpliciter ſimplicem,quæ ſcilicet ſumitur ab vltima abſtractione formæ,de qua diſtinctione differentiarum ſpecierum,dictum eſt diſt.3.primi lib. qualiter aliquæ differentiæ ſpecificæ includunt ens & aliquæ non.Quoad i hoc iſta realitas indiuidui eſt ſimilis realitati ſpecificæ, quod eſt quaſi actus determinans illam realitatem ſpeciei quaſi poſsibilem & potentialem:ſed quoad hoc diſsimilis, quia iſta nunquam ſumitur à forma addita,ſed præcisè ab vltima realitate formæ.Quoad aliud etiam eſt diſsimile,quia illa realitas ſpecifica conſtituit compoſitum,cuius eſt pars, in eſſe quiditatiuo, quia ipſa eſt entitas quædam quiditatiua: iſta autem entitas indiuidui eſt primò diuerſa ab omni entitate quiditatiua: quod probatur ex hoc, quia intelligendo quamcumque entitatem quiditatiuam, loquendo de quiditatiua entitate limitata, non habetur in quiditate intellecta,vnde ipſa ſit hæc;ergo illa entitas, quæ de ſe eſt hæc, eſt alia entitas à quiditate,vel ab entitate quiditatiua:non poteſt ergo conſtituere totum cuius eſt pars,in eſſe quiditatiuo,ſed in eſſe alterius rationis. 12.

Fuſius vide in 1.d.8.q.3.de hoc num.16. Differentia non includit genus,alias definitio eſſet nugatio. q.3.n.15. & d.8.q.2.

Text.2. Text.41. Et quia apud Philoſophum,quiditas dicitur forma frequenter,vt patet 5. Metaph. cap. de cauſa,& in 7. cap. de partibus definitionis, quod *in quibuſcunque non eſt materia, idem eſt quòd quid eſt, cum eo cuius eſt*, ſicut exponitur loquendo de materia, & forma: & materia apud eum vocatur quodlibet habens quiditatem contractam:& Boëtius vult,quòd nulla forma poteſt eſſe ſubiectum accidentis,*in lib.de Trin.* quia forma dicitur in *quid* de quocunque alio:& ſi humanitas ſit ſubiectum, hoc non conuenit ei inquantùm eſt forma: humanitas quidem non eſt forma alterius partis compoſiti, vt formæ vel materiæ, ſed totius compoſiti habentis quiditatem contractam, ſiue in quo eſt quiditas contracta. Ideò omnis realitas ſpecifica conſtituit in *eſſe* formali,quia in *eſſe* quiditatiuo:& realitas indiuidui conſtituit præcisè in *eſſe* materiali,hoc eſt,in *eſſe* contracto:& ex hoc ſequitur illa diſtinctio Logicalis, quòd iſta entitas eſſentialiter eſt formalis, & illa materialis, quia iſta conſtituit in ratione ſubiicibilis,& illa in ratione prædicabilis præcisè, prædicatum autem formale habet rationem formæ,& ſubiicibile habet rationem materiæ. 13.

Quare entitas ſpecifica dicitur formalis, indiuidua, materialis?

k Comparando verò ad illud, quod eſt iuxta ſe, ſcilicet differentiam ſpecificam, licèt quandoque poſſet eſſe non primò diuerſa ab alia,ſicut eſt illa entitas, quæ ſumitur à forma: tamen vltima differentia ſpecifica eſt primò diuerſa ab alia, illa ſcilicet, quæ habet conceptum ſimpliciter ſimplicem:& quoad hoc,dico quòd differentia indiuidualis aſsimilatur differentiæ ſpecificæ vltimò ſumptæ,quia omnis entitas indiuidualis eſt primò diuerſa à quocunque alio.

Vltima differentia quomodo primo diuerſa ab alia? Vide 1.d.3.q.3.n.15.

l Et per hoc apparet reſponſio ad iſtam obiectionem.Obiicitur enim,aut hæc entitas,& illa ſunt eiuſdem rationis,aut non:ſi ſic,ergo poteſt ab eis aliqua entitas ſpecifica abſtrahi: & de illa quærendum eſt per quid contrahitur ad hanc entitatem & illam Si de ſe,pari ratione potuit eſſe ſtatus in natura lapidis:ſi per aliud,igitur erit proceſſus in infinitum;ſi autem alterius rationis, igitur & conſtituta erunt alterius rationis,& ſic non erunt indiuidua eiuſdem ſpeciei. 14.

Reſpondeo, differentiæ ſpecificæ vltimæ ſunt primò diuerſæ: & ideò ab eis nihil vnum per ſe commune poteſt abſtrahi. Non tamen propter hoc ſequitur, quòd conſtituta ſint primò diuerſa.& non alicuius vniùs rationis.

Non æquè differunt conſtituta ſicut conſtituentia.

Aliqua enim æqualiter diſtingui,poteſt intelligi dupliciter; vel quia æqualiter incompoſsibilia, ſcilicet quia non poſſunt ineſſe eidem:vel quia æqualiter in nullo conueniunt. Et primo modo verum eſt,quòd diſtincta ſunt æquè diuerſa ſicut ipſa diſtin-

guentia:

guentia: non enim poſſunt diſtinguentia eſſe incompoſsibilia, quin etiam diſtincta ſint incompoſsibilia. Secundo modo vniuerſaliter eſt impoſsibile, quia diſtincta non ſolùm includunt diſtinguentia: ſed etiam aliquid quod eſt quaſi potentiale reſpectu diſtinguentium: & tamen diſtinguentia in eo non conueniunt.

Et ſicut reſponſum eſt de differentiis primò diuerſis, ita reſpondeo de entitatibus indiuiduantibus, quæ ſunt primò diuerſa, id eſt, in nullo eodem numero conuenientia, & tamen non oportet diſtincta ſimpliciter eſſe diuerſa, ſicut tamen illæ entitates ſunt incompoſsibiles, ita etiam indiuidua habentia illas entitates.

COMMENTARIVS.

a *AD quæſtionẽ ergo reſpondeo.* Nunc Doctor reſpondendo ad quæſtionẽ dicit, quòd ratio indiuiduandi eſt aliqua entitas poſitiua, quod probat duabus rationibus quarum prima eſt iſta, *ſicut vnitas in communi per ſe conſequitur*, &c. & hoc argumentum propriè ſtat in hoc; quia conſtituens aliquid ex natura rei in vnitate, puta ſpecifica, & hoc vltimatè, de neceſſitate dicit aliquam entitatem ex natura rei, quam conſequitur vnitas ſpecifica: ergo conſtituens aliquid in vnitate numerali dicit aliquam entitatem ex natura rei, quam concomitatur vnitas numeralis, ſiue vnitas indiuiſibilis in plura numero, ſicut enim homo ex natura rei conſtituitur ex animali, ad quod conſequitur vnitas generica, & ex rationali, ad quod conſequitur vnitas ſpecifica ſpeciei ſpecialiſſimæ, ita ſingulare hominis conſtituitur ex natura humana, quam conſequitur ex natura rei vnitas ſpecifica: & ex aliqua alia entitate ex natura rei, quam conſequitur vnitas numeralis. Nec valet dicere, quòd vnitas numeralis præcisè conſequatur entitatem naturæ, quia tunc non poſſet aſſignari vnitas numeralis, quia cuicunque vnitati ſupponitur entitas propria, vt patet diſcurrendo in omni vnitate; ergo vnitati numerali ſupponitur aliqua entitas propria, alia à natura cuius eſt.

2. b *Omnis differentia differentiũ.* Hæc eſt ſecunda ratio Doctoris, qua probat principale intentum, & ſtat in hoc, quòd differentiæ, quibus aliqua differunt, aut ſunt primò diuerſæ, aut vltimatè, reducuntur ad aliqua primò diuerſa: patet, quia per rationale, & irrationale homo, & aſinus differunt.

Quæro, tunc aut rationale, & irrationale ſunt differentia, aut primò diuerſa? ſi ſecundò, habetur propoſitum, videlicet, quòd differentiæ, quibus aliqua differunt, ſunt primò diuerſa. Si primò, ergo rationale, & irrationale aliis differentiis differunt; vel ergo erit proceſſus in infinitum, vel oportebit ſtare ad aliquas, quæ erunt primò diuerſæ, vt etiam ſuprà patuit *in primo, diſt. 3. q 3.*

Cùm ergo Franciſcus, & Ioannes verè differunt ab inuicem, quæro de differentiis quibus differunt, aut ſunt primò diuerſæ, aut non: ſi primo; habetur propoſitum; ſi ſecundo, ergo ab inuicem differunt, & ſic per alias differentias; vel ergo erit proceſſus in infinitum in huiuſmodi differentiis, vel oportebit ſtare ad aliquas, quæ erunt primò diuerſæ, & illæ vltimatè dicunt vnitatem numeralem, quæ differentiæ non poſſunt eſſe negationes, vt patuit ſuprà, q. 2. nec aliqua accidentia ex q. 4. ergo erunt aliquæ entitates poſitiuæ per ſe determinantes, & cõtrahentes naturã.

Expoſitio litera cum pulcherrimis difficultatibus, & ſuis ſolutionibus.

c Declaro tamen iſtam litteram. Cùm dicit: *Sed indiuidua propriè differunt, quia ſunt diuerſa aliquid idem entia.* Hoc debet ſanè intelligi, indiuidua non dicuntur propriè differre, quia quando aliqua propriè differunt differentia propriè dicta, talis differentia pertinet ad entitatem formalem, & eſſentialem; quæ etiam differentia propriè ſumpta eſt diuiſiua generis, & conſtitutiua ſpeciei; & ſic indiuidua alicuius ſpeciei non differunt propriè, accipiendo differentiam propriè. Debet ergo ſic intelligi, quòd eo modo, quo differunt indiuidua alicuius ſpeciei, illa quibus differunt, vel erunt primò diuerſa, vel reducentur ad aliqua primò diuerſa, & cùm dicit, quòd differentia ſunt aliquid idem entia, debet intelligi de his, quæ per ſe differunt: nam quæ per accidens differunt non ſunt aliquid idem entia, ideſt, quòd non conueniunt in aliquo quiditatiuè, illa verò quæ per ſe differunt, per ſe etiam conueniunt quiditatiuè in aliquo, & ſic quæcunque ſingularia alicuius ſpeciei per ſe differunt, & per conſequens habent aliquid, quo conueniunt quiditatiuè, & aliquid, quo differunt. Sequitur *Illa primò diuerſa non ſunt natura in illo*, &c. Vult Doctor quòd Franciſcus, & Ioannes conueniant in natura formaliter, & per hæcceitates differant realiter, & ſic non eſt idem quo conueniunt, & quo differunt.

3. Sed hoc dictum videtur implicare, videlicet, quòd aliqua duo ſint idem formaliter: & quòd differant realiter, patet, quia cum identitate reali ſtat diſtinctio formalis: patet de eſſentia diuina, & paternitate, & de creatura, & relatione ad Deum, & de ſubiecto, & propria paſſione, & de multis aliis, ergo quæ ſunt idem formaliter, à fortiori erunt idem realiter. Nec valet dicere, quòd precisè dicuntur eſſe eadem formaliter, quia conueniunt in natura aliqua quiditatiuè, & formaliter, inter ſe tamen non ſunt idem formaliter.

Contra hoc eſt propoſitio Doctoris *in primo, diſt. 2. parte 2. q 1. in primo arg. principali.* Quæ vni, & eidem ſimpliciter ſunt eadem ſimpliciter, inter ſe ſunt eadem ſimpliciter. Et concedit Doctor quòd eo modo quo ſunt idem in tertio, eo modo ſunt idem inter ſe.

Aliqua eſſe eadem formaliter dupliciter intelligi poteſt.

Dico, quòd aliud eſt aliqua eſſe eadem formaliter propriè, ſic quòd vel dicant eandem formalitatem, vel quòd vnum includat formaliter aliud. Et aliud eſt aliqua duo includere aliqua, quæ præcisè pertinent ad quiditatem, ſeu formalitatem rei, ſic tamen quòd vnum non includit aliud formaliter, nec è contra.

Primo modo conceditur, quòd quæ ſic ſunt idem formaliter, ſunt idem realiter. Et hoc modo duæ naturæ exiſtentes in duobus indiuiduis non ſunt ſic idem formaliter.

Secundo modo, quæ ſic ſunt idem formaliter, poſſunt etiam differre realiter, & ſic natura Franciſci, & natura Ioannis ſunt ſimpliciter eiuſdem rationis, nec ſunt id, quo Franciſcus, & Ioannes formaliter differunt, ſed quo magis conueniunt.

Occurrit

4. *Difficultas.* Occurrit etiam difficultas, quia dicit Doctor, quòd *aliud eſt quo duo indiuidua conueniunt formaliter, & aliud eſt quo differunt realiter, quia per naturam conueniunt formaliter in iſto, & in illo, & per differentias indiuiduales differunt realiter.* Hoc nó videtur, quia ſi in Franciſco, & Ioanne, eſt alia, & alia natura, vt etiam intelligitur prior hæceitate, vt patuit ſuprà *q.1. huius diſt.*

Quæro quomodo iſtæ duæ naturæ differũt? certũ eſt quòd realiter, quia ſunt ſimpliciter alia, & alia res, & per conſequens Franciſcus, & Ioannes non dicuntur præcisè differre realiter per aliam, & aliam hæcceitatem, imò magis per aliam, & aliam naturam, quæ natura eſt magis res.

Dico, quòd in Franciſco, & Ioanne eſt alia, & alia natura realiter, vt dixi ſuprà *in q.1. huius diſt.* per illam etiam magis differunt realiter, non tamen per aliam, & aliam naturam præcisè differunt realiter, & numeraliter, & indiuidualiter, quia natura, vt eſt prior ſingularitate, non poteſt eſſe vna numero. Hìc ergo Doctor intelligit, quòd Franciſcus & Ioannes per aliam, & aliam hæcceitatem differunt realiter, & numeraliter; licèt etiam differant realiter per aliam, & aliam naturam, ſed nullo modo numeraliter.

Quomodo indiuidua conueniant in ſpecie. Aduerte etiam, quòd natura in Franciſco, & natura in Ioanne conueniunt formaliter, & quiditatiuè in natura ſpecifica, non quòd detur aliqua natura ſpecifica communis ex natura rei iſtis naturis, cùm hoc ſit ſimpliciter impoſſibile; ſed dicuntur ſic conuenire, quia natura Franciſci, vt prior hæcceitate nata eſt ita contrahi ab hæcceitate Ioannis, & nata identificare realiter illam ſibi, & ſimiliter dico de natura Ioannis & de qualibet alia. Et vt ſic ſunt rationes, propter quas dicimus, quòd Ioannes & Franciſcus conueniunt in homine quiditatiuè, quia ſicut natura humana in Franciſco nata eſt contrahi ab hæcceitate Franciſci, ita nata eſt contrahi ab hæcceitate Ioannis: licèt ergo illæ duæ naturæ ſint duæ res, & duæ naturæ ab inuicem realiter, & eſſentialiter diſtinctæ, & formaliter, tamen quia quælibet ex ſe dicit entitatem ſpecificam, & vna non differt ſpecie ab alia, quoad hoc dicimus, quòd ſunt idem formaliter, & eſſentialiter, vt identitas formalis, & eſſentialis opponitur diſtinctioni ſpecificæ.

5. Cùm ergo Doctor dicit, quòd Franciſcus, & Ioannes per hæcceitates differunt realiter, verum eſt, quòd differunt realiter: & cùm dicit, quòd per naturam in iſto, & per naturam in illo conueniunt formaliter, debet intelligi formaliter, ideſt, ſpecificè, quia tam natura Franciſci, quàm natura Ioannis ſunt ſimpliciter eiuſdem rationis quiditatiuè, id eſt, quòd nullo modo dicunt entitates quiditatiuas ſpecie diſtinctas, & tamẽ cũ hoc ſtat, quòd verè realiter, & eſſentialiter differunt. Et ex hoc apparet quomodo iſta propoſitio eſt vera, & quomodo non vera, videlicet, quòd quæ differunt realiter differunt eſſentialiter: eſt enim vera, quo ad hoc, quòd quæcunque duæ res dicentes eſſentiam differunt realiter ab inuicem; differunt etiam eſſentialiter, hoc eſt ſunt duæ eſſentiæ realiter diſtinctæ.

Non eſt autem vera, accipiendo eſſentialiter, ideſt, ſpecificè, quia non ſequitur quæ differunt realiter differunt ſpecificè: patet, quia natura in Franciſco, & natura in Ioanne differunt realiter, non tamen ſpecificè, vt expoſui ſuprà, *quæſt.1. huius diſtin.* Nec tamen ex hoc ſequitur, differunt realiter, & non ſpecificè, ergo differunt realiter, & numeraliter; quia illæ duæ naturæ non ſunt ſingulares.

Conſidera. Aduerte etiam, quòd etiam in creaturis, non ſemper valet, differunt realiter, ergo & eſſentialiter; quia duæ hæcceitates ſunt diuerſæ realiter, non tamen eſſentialiter, quia nullo modo pertinent ad *eſſe* eſſentiæ; ſola ergo illa dicuntur differre realiter, & eſſentialiter, quæ dicunt aliam, & aliam rem ad *eſſe* eſſentiæ pertinentem, quæ omnia benè nota.

6. In iſta etiam litera Doctoris occurrit aliqualis difficultas, cùm dicit, quòd per hæcceitates Franciſcus, & Ioannes differunt realiter, & per aliam, & aliam naturam conueniunt formaliter. Ex hoc nihil aliud habetur, niſi quòd per illas hæcceitates differunt realiter, accipiendo *realiter* numeraliter. Ex hoc non ſequitur, quòd illæ hæcceitates ſint primò diuerſæ, ideſt, in nullo, quiditatiuè cõuenientes; patet in ſimili, quia homo, & aſinus per rationale, & irrationale præcisè differunt ſpecie. Et tamen rationale, & irrationale non ſunt primò diuerſa, ergo nec ſimiliter illæ hæcceitates.

Differentiæ indiuiduales ſunt primo diuerſæ. Dico breuiter, quòd aliud eſt loqui de entitate conſtituente aliquid in *eſſe* ſpecifico, & aliud eſt loqui de entitate conſtituente aliquid vltimatè in *eſſe* indiuiduali, quia prima pertinet ad *eſſe* quiditatiuum, & eſſentiale; ideò videtur includere ens quiditatiuè, alia verò nullo modo pertinent ad quiditatem, & ideò à rationali, & irrationali poteſt abſtrahi conceptus entis dictus in *quid* de eis, cùm pertineant ad *eſſe* quiditatiuum. Sed ab hæcceitate Franciſci, & Ioannis non poteſt abſtrahi conceptus dictus in quid de eis, cùm nullo modo pertineant ad *eſſe* quiditatiuum rei. Et de hoc, vide quæ expoſui *in primo, diſt.25.* & ſic habetur intentum Doctoris videlicet quòd differentiæ indiuiduales, ſunt ſimpliciter, primò diuerſæ, licèt intendat in iſta ratione principaliter probare, quòd ſint entitates poſitiuæ, & ratio ſtat in hoc: Illa, quibus, aliqua differunt realiter, & numeraliter dicunt entitates poſitiuas, & reales. Sed Franciſcus & Ioannes verè, & realiter, & numeraliter differunt per aliam, & aliam hæcceitatem; ergo illæ duæ hæcceitates, ſunt entitates poſitiuæ, ao modò ſint primò diuerſæ, vel ne, non eſt principalis intentio Doctoris, & ſic patet iſta ſecunda ratio.

d *Contra primam rationem obiicitur.* 7. Hìc Doctor adducit vnam inſtantiam contra illud, quod dicit in prima ratione probando, quòd non detur aliqua natura, habens vnitatem realem, minorem vnitate numerali. Et ratio ſtat in hoc, quia talis natura non eſſet in ſe, quia, vt dictum eſt ſuprà, *præſenti diſt.q.1.* non datur natura realis actu exiſtens, niſi ſingularis: ergo erit in ſingularibus, & tunc quæro. Aut precisè erit in vno numero, & tunc erit tantùm vna numero, quia quòd eſt rẽaliter ~~in~~ vno numero, realiter eſt vnum numero, & hoc patet, quia quod actu exiſtit in aliquo vno numero, videtur quòd actu ſit vnum numero, non enim commune actu exiſtit in aliquo vno numero. Aut erit ſimul in pluribus numero differentibus, puta in duobus, vel tribus. Contrà, quia in eis, nihil eſt vnum numero realiter, cùm hoc ſit proprium eſſentiæ diuinæ, quòd exiſtens realiter vna numero, & ſingularis eſt in tribus ſuppoſitis; modò natura realis non videtur actu communis, quia non datur aliqua vnitas realis actu communis; ergo erit vna numero, vt ly *tamen numero* non accipiatur pro indiuiduo, & ſingulari, ſed quòd ſit

vna

vna res de numero rerum actu exiſtentium.

e *Reſpondeo ſicut dictum eſt*, &c. *ſub iſta ratione*, ſupple, vt eſt prior ſingularitate, *eſt de ea conſideratio Metaphyſica*, &c.

Aduerte, cùm dicit Doctor quòd de ea eſt conſideratio Metaphyſica, quòd accipit naturam, vt præcisè habet *eſſe* obiectiuum, ſiue in *eſſe* poſſibili, aliquo modo prius exiſtentia poſſibili, ſicut res ponitur prior modo ſuo intrinſeco, quia tunc præcisè dicit entitatem quiditatiuam: & dicitur realis ſecundùm *quid*, quia ſibi non repugnat poni in actuali exiſtentia, & vt ſic præcisè verificantur prædicata primi modi. Poteſt etiam accipi natura in *eſſe* reali ſimpliciter, vt aliquo modo prius exiſtentia reali actuali, ſicut res eſt prior ſuo modo intrinſeco; & vt ſic de ea realiter verificantur prædicata primi modi, vt ſuprà expoſui *in prima, queſt. preſentis diſt.* Sequitur in litera ibi. In eodem ergo, quod eſt idem numero, eſt aliqua entitas, quam conſequitur minor vnitas, quàm ſit vnitas numeralis, & eſt realis, eſt illud cuius eſt, vnitas talis formaliter non eſt de ſe vnum vnitate numerali.

Naturã eſſe in eodem numero poteſt intelligi multipliciter.

Aduerte, quòd naturam eſſe in eodem numero poteſt multipliciter intelligi, puta quòd humanitas conſideretur primò in *eſſe* obiectiuo, ſiue poſſibili, & vt ſic ponitur in vno numero, ita quòd eadem natura præter omne opus intellectus collatiuum non eſt in duobus numero, ſed precisè in vno numero, licèt vt prior vnitate numerali poſſit eſſe in alio numero, non collectiuè, ſed diuiſiuè; ita quòd iſta nullo modo eſt concedenda, quòd natura humana in eſſe obiectiuo, vt præcedit omnem actum intellectus collatiuum, actu poſſit eſſe in duobus *numero*, quia ſi ſic, ipſa in *eſſe* reali quiditatiuo, tunc realiter poſſet eſſe in duobus *numero*, quod eſt falſum.

9. Secundò ſi conſideretur, vt includit exiſtentiã poſſibilem, & obiectiuam præcisè, & vt ſic etiam erit tantùm in vno numero, ſed vt ſic, non erit propriè prædicatum quiditatiuum, cùm exiſtentia in quocunque *eſſe*, ſiue poſſibili, ſiue reali non pertineat ad quiditatem rei.

Si tertiò conſideretur natura humana in *eſſe* reali actuali, & eſſentiali. Adhuc erit tantùm in vno numero, non quòd ipſa in ſe ſit formaliter vna numero, imò, vt ſic, eſt naturaliter prior vnitate numerali: poteſt tamen dici in pluribus numero diuiſiuè, non collectiuè; ſic intelligendo, quòd quantum eſt ex ſe, ſicut poteſt eſſe in vno numero, ita & in alio, ſed vt actu eſt in vno numero, ſimul non poteſt eſſe in alio.

Quartò ſi conſideretur natura humana, vt includit exiſtentiam in *eſſe* reali, & actuali, vt modum ſibi intrinſecum, adhuc præcisè erit in vno numero, licèt poſſit eſſe in pluribus diuiſiuè non collectiuè, vt ſuprà dixi; ſed vt ſic non erit prædicatum dictum in *quid*, cùm talis exiſtentia non pertineat ad quiditatem. Iſtis ergo quatuor modis, vt conſideratur prior vnitate numerali, habet vnitatem minorem vnitate numerali, formaliter tamen. Sequitur, *& cum obiicis*, quicquid eſt in eodem indiuiduo numero, eſt idem numero.

Eſſe vnũ numero poteſt intelligi tripliciter.

Dicit Doctor in ſententia, quòd *eſſe vnum numero poteſt* tripliciter intelligi, ſcilicet, primò & per ſe; per ſe & non primò; nec per ſe, nec primò, ſed denominatiuè.

Primo modo differentia indiuidualis cùm ſit ratio conſtituendi præcisè in vnitate numerali, erit primò, & per ſe vna numero.

Secundo modo conſtitutum ex natura, & differentia indiuiduali erit per ſe vnum numero.

Tertio modo, natura quæ ponitur in vno numero erit tantùm denominatiuè vna numero, ita quòd hæc prædicatio, *homo eſt Franciſcus*, nullo modo eſt per ſe, ſed denominatiua, accipiendo denominatiuum pro omni eo, quòd eſt extra rationem formalem alicuius, vt prior tamen ſingularitate erit per ſe vna vnitate minore vnitate numerali. Expono tamen aliqualiter literam. Cùm dicit: 10.

f *Aliquid poteſt dici animatum denominatiuè vt corpus, vel per ſe primò, vt homo.* Nam corpus organicum dicitur animatum anima tantùm denominatiuè, quia anima nullo modo eſt de eſſentia corporis, ſed tantùm eſt forma denominans illud; homo verò in communi, vt eſt prior ſingularitate, eſt per ſe primò animatus, quia anima eſt de eſſentia, & quiditate hominis, & per ſe conuenit homini, dicitur tamen denominatiua per ſe primò, quia omne animatum, vt eſt concretum huius abſtracti, ſcilicet animæ, habet præcisè modum prædicandi denominatiuè, licèt talis denominatio ſit eſſentialis. Et hoc patet à Doctore in primo; diſtin. 8. quæſt. 3. de attributis. Sequitur ibi:

Quomodo ſuperficies dicatur alba?

Et ita ſuperficies dicitur alba denominatiuè, ſuperficies alba dicitur alba per ſe primo modo, quia ſubiectũ includit prædicatũ. Albedo enim, vt cõparatur ad ſuperficiẽ, prædicatur propriè denominatiuè de ipſa, vt verò cõparatur ad ſuperficiẽ albam, & ad totum ſuo modo conſtitutum ex ſuperficie, & albedine, prædicatur per ſe primò denominatiuè, quia albedo ſuo modo eſt de eſſentia compoſiti albi: & dixi *ſuo modo*, quia compoſitũ ex ſubiecto, & accidente non eſt per ſe compoſitum, vt patet per Philoſophum 8. *Metaph. tex. commen.* 15. *&* 16. quia tamen albedo dicitur de eſſentia talis compoſiti, per accidens dicitur ſuo modo denominatiuè prædicari de illo. Sequitur: *Ita dico, quòd potentiale, quod contrahitur per actuale, informatur ab ipſo actuali*, &c. *ſed denominatiuè eſt ſic vnum*, quia denominatiuè ab illa vnitate, *non autem eſt de ſe ſic vnum, nec primò, nec per partem eſſentialem*: Patet, quia natura humana, vt dicitur vna numero per hæcceitatem: præcisè dicitur vna numero denominatiuè: quia talis hæcceitas, quæ per ſe primò eſt vna numero, nullo modo eſt pars eſſentialis talis naturæ. Hoc idem dico de genere reſpectu ſpeciei. Color enim, vt eſt in albedine, dicitur vnum ſpecie ſolùm denominatiuè, quia vt eſt in albedine, denominatur à differentia vltimata albedinis, quæ non eſt pars eſſentialis *eſſe* coloris.

Eſſe vnum ſpecie poteſt dupliciter intelligi. 11.

Et nota, quòd eſſe vnum ſpecie primò poteſt dupliciter intelligi vt *quo*, & vt *quod*. Vt *quo* eſt differentia ſpecifica, quia eſt id, quo aliquid primò conſtituitur in *eſſe* ſpecifico, & in recta linea prædicamentali, & eſt id, quo repugnat ſpeciei, poſſe diuidi in plura ſpecie. Secundo modo albedo dicitur ſpecies primò, vt *quod*, quia primò ponitur ſub genere.

Debet ergo intelligi dictum Doctoris quòd differentia ſpecifica eſt vna ſpecie primò vt *quo*, & patet litera ſequens.

g *Vlteriùs declarando ſolutionem iſtam.* Hìc Doctor intendit declarare qnid importet hoc, quod

quod dico, *hæcceitas*, ſiue differentia indiuidualis,& ad quod genus pertinet; & declarat per ſimile ad entitatem,à qua ſumitur differentia ſpecifica. Nam differentia ſpecifica poteſt comparari ad illud,quod eſt infra ſe, & ſic,& ſibi, & ſpeciei conſtitutæ repugnat diuidi in plura ſpecie;vel ad illud,quod eſt ſupra ſe;vel ad illud,quod eſt iuxta ſe. Loquendo primo modo dicit Doctor, quòd entitati indiuiduali, puta hæcceitati repugnat primò diuidi in quaſcunque partes ſubiectiuas,& per illam eandem hæcceitatem,ſic ſimiliter repugnat indiuiduo conſtituto per ipſam. Sequitur, *quòd illa vnitas naturæ ſpecificæ minor eſt iſta vnitate*,ſcilicet numerali,& ſic iſtæ duæ vnitates differunt, & dicit quòd vnitas ſpecifica non excludit omnem diuiſionem ſecundùm partes ſubiectiuas.

Nota, quòd actu vna natura etiam, vt præcedens ſingularitatem poſſit ſimul eſſe diuiſa in plures partes ſubiectiuas, ſed quia nulla natura vt prior hæcceitate determinat ſibi aliquam hæcceitatem, ſed eſt indifferens ad omnem,& vt ſic, poteſt conſiderari ab intellectu, vt ſuprà dixi, & ſic non excludit diuiſionem in partes ſubiectiuas. Sequitur:*Sed tantùm illam diuiſionem,quæ eſt partium eſſentialium*,ideſt, quòd differentia ſpecifica non eſt compoſita ex partibus eſſentialibus, ſicut ſpecies componitur: poteſt tamen habere partes ſubiectiuas, ſic intelligendo, quòd erit ratio formalis conſtituendi naturam diuiſibilem in plures partes ſubiectiuas, & ſic quod eſt ſic diuidi, primò competit differentiæ ſpecificæ. Sequitur: *Iſta nunc excludit omnem*, id eſt, quòd differentia indiuidualis excludit omnem diuiſionem in partes ſubiectiuas,etiam excludit diuiſionem in partes eſſentiales.Sequitur:*Et ex hoc confirmatur ſatis propoſitum, quia ex quo quæcunque vnitas minor vnitate, iſta habet entitatem propriam, quam per ſe conſequitur*, patet,quia vnitas ſpecifica prima, & per ſe eſt alicuius entitatis, puta differentiæ ſpecificæ, cui primò, & per ſe conuenit talis vnitas. *Non videtur ergo probabile, quòd iſti vnitati perfectiſſimæ*, quæ eſt vnitas numeralis primò, & per ſe non habeat aliquam entitatem propriam,cui primò, & per ſe conueniat talis vnitas:illa ergo entitas erit præcisè differentia indiuidualis.

Differentia indiuidualis excludit omnem diuiſionem

12. *Exemplum clarum.*

h *Comparando autem ad illud, quod eſt ſuprà ſe.* Hîc Doctor dicit, quòd comparans differentiam ſpecificam ad genus, ab alia entitate accipitur differentia ſpeciei, & ab alia entitas generis; & exemplum eſt clarum, vbi genus, & differentia accipiuntur ab alia, & alia re, puta in homine, à ſenſitiua accipitur animal, ab intellectiua rationale, & ſicut ſenſitiua eſt realiter in potentia ad intellectiuam, quia homo prius viuit anima ſenſitiua, quàm intellectiua, ſic & ſenſitiuum eſt potentiale ad intellectiuum, & intellectiuum eſt ſimpliciter actuale: entitas ergo generis præcisè accipitur à potentiali, & entitas differentiæ ſpecificæ præcisè accipitur ab actuali: & ſic patet, quòd genus, & differentia dicunt alium, & alium conceptum, cùm ſumuntur ab alia, & alia re, & aliquando accipiuntur ab alia, & alia realitate, & hoc diffusè expoſitum eſt in 2. diſt.3. quæſt.3. & 8. quæſtione 2. nec oportet hîc multùm morari.

Genus, & differentia dicunt alium conceptum.

i Sequitur ibi: *Quoad hoc iſta realitas indiuidui eſt ſimilis realitati ſpecificæ*, &c. ideſt, quòd ſicut entitas differentiæ ſpecificæ eſt actus entitatis generis contrahens, & determinans ipſam ad eſſe ſpecificum, ita entitas differentiæ indiuidualis eſt actus naturæ ſpecificæ contrahens eam, & determinans ad eſſe indiuiduale.

13.

Sequitur ibi, *ſed quoad hoc diſſimilis, quia iſta nunquam ſumitur à forma addita, ſed præcisè ab vltima realitate forma*,id eſt,quòd differentia ſpecifica ſumitur præcisè ab vltima forma, puta ab anima intellectiua, ſi ſumitur ab alia re; ſi verò non ſumitur ab alia re ab illa, à qua ſumitur ratio generis, ſaltem realitas ſumitur ab alia realitate, quæ tamen non erit ſimpliciter vltima; differentia verò indiuidualis præcisè ſumitur ab vltima realitate formæ, loquendo de differentia indiuiduali, quæ propriè conſtituit indiuiduum per ſe in aliquo genere, quia & partes componentes aliquod indiuiduum eſſentialiter, puta hunc hominem,habent propriam ſingularitatem,quia hic homo conſtituitur ex hoc corpore,& ex hac anima.

Quomodo homo conſtituatur.

Hîc tamen aduerte,quòd pro anima intellectiua accipitur rationale, & ſicut anima intellectiua includit ens quiditatiuè, ita & rationale: & ſicut ab vltima realitate animæ intellectiuæ,qua differt ab anima ſenſitiua, accipitur alia differentia, quæ propriè non erit ſpecifica, & ſimiliter ab vltima realitate animæ ſenſitiuæ, & ſicut duæ vltimæ realitates non includunt ens quiditatiuè,quia ſunt primò diuerſæ, ita nec differentiæ ſumptæ ab eis, & ab iſta vltima realitate non accipitur differentia indiuidualis, quia tunc per illas realitates anima ſenſitiua, & intellectiua præcisè differrent numeraliter, quod eſt falſum:differentia ergo indiuidualis dicitur ſumi ab vltima realitate formæ, qua mediante vna forma, puta vna anima intellectiua præcisè numeraliter differt ab alia, & ſic iſtæ duæ realitates vltimæ,à quibus accipiuntur duæ differentiæ indiuiduales, præcisè ſeipſis differunt,& ſunt primò diuerſa,& per conſequens,& differentiæ ſumptæ ab eis.

14.

k *Comparando verò ad illud, quod eſt iuxta ſe, ſcilicet differentiam ſpecificam*, puta comparando differentiam ſpecificam hominis ad differentiam ſpecificam aſini, licèt quandoque poſſet eſſe non primò diuerſa ab alia, ſicut eſt illa entitas, quæ ſumitur à forma, puta ſicut anima intellectiua, à qua ſumitur rationale, non eſt primò diuerſa ab anima ſenſitiua aſini,à qua ſumitur differentia ſpecifica aſini; & ſic tales differentiæ ſumptæ non ſunt primò diuerſæ: tamen vltima differentia ſpecifica eſt primò diuerſa ab alia, id eſt,quòd ſicut vltima realitas animæ intellectiuæ, qua differt ab anima ſenſitiua aſini, eſt primò diuerſa ab illa entitate, ſiue realitate vltima, qua etiam anima ſenſitiua aſini differt ab anima intellectiua, ita differentiæ ſumptæ ab illis realitatibus ſunt primò diuerſæ:& tales differentiæ habent conceptum ſimpliciter ſimplicem, quia non habent aliquid,in quo conueniant quiditatiuè, & aliquid,in quo differant,vt ſupra expoſitum eſt in primo,diſtinct.3.quæſt.3.

Differentiæ habent conceptum ſimpliciter ſimplicem.

l Sequitur,*& quo ad hoc dico, quòd differentia indiuidualis aſſimilatur differẽtiæ ſpecificæ vltimò ſumptæ*,quia ſicut vltima realitas differẽtiæ ſpecificæ eſt primò diuerſa à quocũque alio, quia cum nullo alio cõuenit quiditatiuè, ita entitas differẽtiæ indiuidualis eſt primò diuerſa à quocunque.

Et

Et per hoc apparet reſponſio ad iſtam obiectionem, Aut entitas indiuidualis Franciſci, & Ioannis ſunt eiuſdem rationis, vel alterius : non primò, quia eſſet proceſſus in infinitum, quia ſi eſſent eiuſdem rationis ab eis, poſſet abſtrahi conceptus dictus in *quid*, & ſic quærendum eſt per quod contrahitur ille conceptus ad hanc entitatem, & illam, ſi de ſe contrahitur ; pari ratione poterit eſſe ſtatus in natura lapidis; ſi per aliud, quæro priùs de illis contrahentibus, aut ſunt eiuſdem rationis, vel alterius, & ſic videretur proceſſus in infinitum. Si ſecundò, tunc conſtituta erunt alterius rationis, quia quanta diſtinctio erit in conſtituentibus, tanta erit in conſtitutis, & ſic conſtituta per differentias indiuiduales nullo modo erunt eiuſdem ſpeciei.

Reſpondeo. Hæc reſponſio clara eſt in litera, & diffusè patet à Doctore *in primo, diſtinct. 7. & diſtinct.* 13. vbi oſtendit conſtituta non tantùm differre ſicut conſtituentia, quia vltrà id, quo differunt, includunt aliquid, ſin quo conueniunt.

SCHOLIVM.

Explicat tandem indiuidualitatem deſumi ab omni entitate totali, vel partiali, ita quòd ſit vltima realitas talis entitatis, formaliter non realiter diſtincta ab ea : quod patet ex dictis, quia natura non eſt de ſe hæc, ex quæſt. 1. *nec fit hæc per negationem, ex quæſt.* 2. *nec per actualem exiſtentiam, ex quæſt.* 3. *nec per quantitatem ex quæſt.* 4. *nec per materiam, vel formam, ex quæſt* 5. *ergo à ſufficienti enumerat : vltima realitas cuiuſlibet entitatis, eam facit hanc.*

15. ET ſi quæras a quæ eſt iſta entitas indiuidualis, à qua ſumitur differentia indiuidualis ? Eſtne materia, vel forma, vel compoſitum ?

Reſpondeo, omnis entitas quiditatiua ſiue partialis, ſiue totalis alicuius generis, eſt de ſe indifferens, vt entitas quiditatiua, ad hanc entitatem & illam; ita quòd vt entitas quiditatiua eſt naturaliter prior iſta entitate, vt eſt hæc : & vt prior eſt naturaliter, ſicut non conuenit ſibi eſſe hanc, ita non repugnat ſibi ex ratione ſua ſuum oppoſitum : & ſicut compoſitum non includit ſuam entitatem, quâ eſt hoc inquantùm natura, ita nec materia inquantùm natura includit ſuam entitatem, quâ eſt hæc materia, nec forma inquantùm natura includit ſuam; ergo iſta entitas non eſt materia, vel forma, nec compoſitum, inquantum quodlibet iſtorum eſt natura, ſed eſt vltima realitas entis, quod eſt materia, vel quod eſt forma, vel quod eſt compoſitum : ita quòd quodlibet commune, & tamen determinabile adhuc poteſt diſtingui, quantuncunque ſit vna res, in plures realitates formaliter diſtinctas, quarum hæc formaliter non eſt illa : ſed hæc eſt formaliter entitas ſingularis : & illa eſt entitas naturæ formaliter, nec poſſunt iſtæ duæ realitates eſſe res & res, ſicut poſſunt eſſe realitas, vnde accipitur genus, & realitas vnde accipitur differentia, ex quibus realitas ſpecifica accipitur : ſed ſemper in eodem ſiue parte, ſiue toto, ſunt realitates eiuſdem rei formaliter diſtinctæ.

Pro hoc vide Ariſt. & Auer. 1. *Phy. t. c.* 28.

COMMENTARIVS.

Quæ ſit entitas indiuidualis.

[a] ET ſi quæras, &c. *Reſpõdeo omnis entitas quiditatiua.* Hîc Doct. intendit oſtendere, quòd omnis entitas quiditatiua, vt huiuſmodi, ſiue totalis, ſiue partialis, eſt ex ſe indifferens ad plura, & nulla de ſe eſt hæc, loquendo ſemper de entitate quiditatiua creata, quia entitas quiditatiua in diuinis de ſe eſt hæc; ſicut ergo entitas quiditatiua compoſiti non includit ſuam entitatem qua eſt hæc, inquantùm natura, quia inquantum natura eſt indifferens ad omnem quiditatem, ita nec materia inquantùm natura includit ſuam entitatem, qua eſt hæc materia, nec forma, inquantùm natura includit ſuam, quia materia, inquantùm natura non eſt hæc, ſic nec forma inquantum forma.

Entitas in diuinis eſt de ſe hæc.

Concludit ergo Doctor quòd iſta entitas indiuidualis non eſt materia, vel forma, vel compoſitum, inquantùm quodlibet iſtorum eſt natura, ſupple quiditatiua, ſiue pertinens ad naturam quiditatiuam, ſed eſt vltima realitas entis, ſicilicet quod eſt materia, vel quod eſt forma, vel quod eſt compoſitum, ita quòd quodlibet commune; & tamen determinabile, adhuc poteſt diſtingui, quantumcunque ſit vna res in plures realitates formaliter diſtinctas : patet de albedine, de qua minùs videtur, cùm ſit ſimplex, quæ diuiditur in realitatem quiditatiuam, & realitatem nullo modo quiditatiuam, puta hæcceitatem, quia natura albedinis non eſt formaliter. & quiditatiuè realitas ſuæ hæcceitatis, nec è contra. Et addit, quòd iſtæ duæ entitates, ſcilicet naturæ & hæcceitatis, non poſſunt eſſe res, & res, quia ſicut realitas, à qua accipitur genus, & realitas, à qua accipitur differentia, non dicuntur propriè res, & res, ſed realitas, & realitas, & ſemper ſunt realitates eiuſdem rei formaliter diſtinctæ, ſic etiam realitas indiuidui, à qua accipitur differentia indiuidualis, non eſt propriè res, ſed quædam realitas addita naturæ, quæ formaliter ab entitate naturæ diſtinguitur.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta in principio quæſt. poſita. Ad primum, explicat quomodo indiuiduum eſt magis compoſitum quàm natura. Ad ſecundum, ait ſingulare eſſe verè per ſe intelligibile, licèt non à nobis, de quo infrà q. ſi. & aliàs. Ad tertium, ait non eſſe definibile, niſi definitione ſpeciei.

Ad arg. 1. in initio q. Indiuiduũ an magis cõpoſitum quam natura?

ET per hoc patet [a] ad argumentũ primũ principale, quod concludit, quòd omne indiuiduum, in quo natura eſt contrahibilis, eſt conpoſitius illa natura. Dico, quòd cõpoſitio poteſt intelligi propriè prout eſt ex re actuali, & re potẽtiali; vel minùs propriè, prout eſt ex realitate, & realitate actuali & potentiali in eadem re. Primo modo nõ eſt indiuiduũ compoſitius reſpectu naturæ ſpecificæ, quia nullam rẽ addit, quia nec materiam, nec formam, nec compoſitum, ſicut procedit argumentum. Secundo modo eſt neceſſariò compoſitius, quia illa realitas, à qua accipitur differentia ſpecifica, potentialis eſt reſpectu huius realitatis, à qua accipitur differentia indiuidualis, ſicut ſi eſſent res & res: non enim realitas ſpecifica ex ſe habet vnde per identitatem includat realitatem indiuidualem: ſed tantùm aliquod tertium includit ambo iſta per identitatem. Et hæc eſt talis compoſitio, qualis non poteſt ſtare cum ſimplicitate diuina: illa enim non tantùm non compatitur compoſitionem rei & rei actualis, & potentialis; ſed nec realitatis actualis, cum realitate potentiali. Comparando enim quodcunque eſſentiale ad quodcunque eſſentiale in diuinis eſt formaliter infinitum: & ideò ex ſe habet vnde per identitatem includat quodcunque quod poteſt ſecum eſſe, ſicut frequenter tactum eſt ſuprà in lib 1. quæſt. de attributis, ſoluendo articulum principalem primum, quia non ſunt præcisè illa extrema eadem perfectè: quia aliquod tertium includit vtrumque perfectè, ſed in propoſito, nec entitas ſpecifica includit per identitatem, entitatem indiuidualem, nec è conuerſo: ſed aliquod tertium tantùm (cuius iſta ambo quaſi ſunt primò per ſe partes) includit ambo iſta per identitatem: & ita tollitur iſta compoſitio perfectiſſima, quæ eſt ex re & re, non tamen omnis. Vniuerſaliter enim quæcunque natura non eſt de ſe hæc, ſed determinabilis ad eſſendum hæc, ſiue determinetur per aliam rem, quod eſt impoſſibile in quocunque; ſiue per aliam realitatem, non eſt ſimpliciter ſimplex. 16.

Dif. 8. q. 4.

Indiuiduũ non eſt ſimpliciter ſimplex.

Ad 2. Super 7. Met. & q. fin. huius d. & infra diſt. 9.

Ad ſecundum [b] concedo, quòd ſingulare eſt per ſe intelligibile, quantùm eſt ex parte ſui: ſi autem alicui intellectui non ſit per ſe intelligibile, puta noſtro, de hoc aliàs; ſaltẽ non eſt incõpoſſibilitas ex parte ſingularis, quin per ſe poſſet intelligi, ſicut nec ex parte Solis eſt impoſſibilitas videndi, vel viſionis in noctua, ſed ex parte oculi. 17.

Ad 3.

Ad illud de definitione dico, quòd etſi aliqua ratio poſſit exprimere quidquid concurrit ad entitatem indiuidui, non tamen illa ratio erit perfecta definitio, quia non exprimit *quod quid erat eſſe*: & ſecundùm Philoſophum primo Topic. *Definitio eſt exprimens*, &c. & ideò concedo quod ſingulare non eſt definibile definitione alia à definitione ſpeciei: & tamen eſt per ſe ens addens aliquam entitatem entitati ſpeciei: ſed illa per ſe entitas quam addit, non eſt entitas quiditatiua.

Singulare non eſſe definibile.

Ad 4. 7. Meta. c. 13. videtur aliter ſentire.

Per hoc patet [c] ad aliam de ſcientia & demonſtratione, quia definitio ſubiecti eſt medium in demonſtratione potiſſima: ſingulare autem non habet definitionem propriam, ſed tantùm definitionem ſpeciei, & ita non eſt de ipſo demonſtratio propria, ſed tantùm demonſtratio, quæ eſt de ſpecie, non enim habet aliquam paſſionem propriam, ſed tantùm paſſionem ſpeciei.

Ad arg. poſita n. 3.

[d] Ad argumẽta pro opinione, cùm primò dicitur, quòd ſpecies eſt atoma, dico, quòd eſt atoma, hoc eſt indiuiſibilis in plures ſpecies: non eſt tamen purè atoma, hoc eſt, ſimpliciter indiuiſibilis: indiuiſibilitas enim in plures ſpecies, compatitur ſecum diuiſibilitatem in plura eiuſdem ſpeciei. 18.

Quo ſenſu conueniat vel non cõueniat diuiſibilitas ſpeciei? 1. lib. Diuiſionum.

Et cùm probatur indiuiſibilitas per illud Porphyrij, quòd iubet Plato quieſcere, &c. Dico quòd diuiſio artificialis ſtatum habet ad ſpeciem ſpecialiſſimam, quia vlteriùs procedere eſt in infinita, quæ ſunt relinquenda ab arte, ſecundùm ipſum: non eſt [e] enim ex parte indiuiduorum, vnde ſit eorum numerus certus, ſed poſſunt eſſe infinita, non repugnante ratione eorum, & ſi accipiatur diuiſio ſtrictè, prout eſt in illo, quod requirit determinatas partes in multitudine, & magnitudine, hoc modo ſpecies non diuiditur in indiuidua: genus autem requirit determinatam multitudinem ſpecierum, quia ſecundùm Boëtium

genus

f genus primò diuiſibile eſt in duo: quãtum autem requirit determinatam magnitudinem, & iſta præſupponit determinatam multitudinem, quia ſunt in toto duæ medietates, & ſi ſtrictè accipiatur diuiſio, g prout eſt in partes proportionem habentes ad totum, quæ vel conſtituunt, vel ſub eo continentur, in determinata multitudine, vel magnitudine, ſpecies per ſe non diuiditur in indiuidua. Et per hoc poteſt exponi tam Plato quàm Porphyrius. Si autem accipiatur h diuiſio communiter, prout eſt in quæcunque participantia naturam diuiſi, ſiue habeant talem proportionem ad totum in integrando, ſiue in ſubiiciendo, ſiue non; ſpecies per ſe diuiditur in indiuidua, & reducitur iſta diuiſio ad genus apud Boëtium, quia illæ conditiones, & proprietates, quas aſſignat Boëtius in diuiſione generis, conueniunt huic diuiſioni, quæ eſt ſpeciei in indiuidua.

19 i Ad aliud, ſpecies dicit totum eſſe, &c. dico, quòd ibi *eſſe* accipitur pro eſſe quiditatiuo, ſicut Porphyrius loquitur in cap. de Differentia, vbi vult, quòd differentia per ſe non recipit magis neque minus, & probat ibi; *eſſe enim vnicuique vnum & idem eſt, nec intentionem nec remiſſionem ſuſcipiens.* Accipit *eſſe* pro quiditate, ſicut Philoſophus 8. Metaph. *anima & animæ eſſe ſunt idem*: & quia iſta entitas, quam addit ſingulare ſuper ſpeciem, non eſt entitas quiditatiua, ideò dico, quòd tota quiditas quæ eſt in indiuiduo, eſt entitas ſpeciei, & ita ſpecies dicit totum *eſſe* indiuiduorum: non ſic autem genus dicit totum *eſſe* ſpeciei, quia ſpecies ſuperaddit entitatem quiditatiuam.

Ad 2.

T. c. 8.

Quomodo ſpecies eſt totum eſſẽs

Ad argumentum pro alio membro de quantitate, dico, quòd iſta propoſitio eſt falſa; idem eſt principium diuiſibilitatis & diſtinctionis diuidentium. Conceptus quidem quiditatiuus ſecundùm ſe communis ſpeciebus, eſt ratio diuiſibilitatis eius in ſpecies: ſed non eſt ratio diſtinguendi ſpecies ab inuicem: ſed ſpecies vna ab alia diſtinguitur per differentiam, in quiditatiua autem diuiſione tota quiditas, vt confusè continens omnes partes, eſt ratio diuiſibilitatis in toto quanto: non ſic autem eſt ratio diſtinctionis partium ad inuicem, ſed hæc quantitas inquantum diſtincta in actu, non eſt illa in actu, quæ eſt in toto.

Ad 3. Non eſt idẽ principium diuiſibilitatis, & diſtinctionis.

Quod etiam deducitur vltra, quòd diuiſo toto quanto homogeneo, habetur per quantitatem diuiſio; Sit ita: tamen iſta diuiſio non eſt prima diuiſio indiuiduorum, ſed hæc ſubſtantia & illa, habent diuiſionem ab inuicem & diſtinctionem, inquantum hæc & hæc, priorem naturaliter diſtinctione inquantum erant partes diſtincti quanti, per accidens: accidebat enim eis eſſe partes: tamen facta diuiſione ſecundum partes quantitatiuas, per accidens fit diuiſio ſecundum partes ſubiectiuas.

COMMENTARIVS.

1. NVNC reſpondendum *eſt* ad argumenta principalia.

Compoſitum duplex.

a *Ad primum.* Reſpondet Doctor quòd aliud eſt loqui de compoſito ex re, & re, & aliud eſt loqui de compoſito ex realitate actuali, & potentiali in eadem re. Primo modo eſt compoſitum ex materia forma. Secundo modo ſingulare poteſt componi, puta ex natura contrahibili, & realitate hæcceitatis contrahente, quia illa realitas, à qua accipitur differentia ſpecifica potentialis eſt reſpectu realitatis, à qua accipitur differẽtia indiuidualis: *nõ enim realitas ſpecifica ex ſe habet*, &c. Sicut etiam dicimus, quòd intellectus vt intellectus, non habet ex ſe, vnde per identitatem includat voluntatem, nec ècontra, ſed aliquod tertium, puta natura intellectiua includit vtrumque per identitatem realem, vt infrà patebit, *diſt.* 16. ſic in propoſito, nec vltima differentia ſpecifica hominis, ſiue natura ſpecifica, ſiue compoſitum ex natura, & differentia ſpecifica habet vnde per identitatem includat differentiam indiuidualem, ſed natura hominis, vt hîc includit vtrumque per identitatem, & ſic dicuntur idem realiter reſpectu illius tertij. Et addit, quòd *hæc eſt talis compoſitio, qualis non poteſt ſtare cum ſimplicitate diuina*, & de hoc diffusè pertractatum eſt in primo, diſtin. 5. q. 2. & diſt. 8. q. pen.

b *Ad ſecundum.* Reſpondet concedendo, quòd ſit per ſe intelligibile, licèt fortè pro ſtatu iſto non ſit per ſe intelligibile, & de hoc ſatis dictum eſt in primo, diſtin. 3. quæſt. 3.

2. *Quomodo ſingulare nõ ſit per ſe intelligibile?*

c *Ad tertium.* Reſpondet Doctor, quòd loquendo de definitione exprimente quiditatem rei, ſiue *quod quid eſt*, non poſſet definiri, quia hæcceitas non pertinet ad quiditatem, vt ſuprà patuit.

De ſingulari non eſt ſcientia.

d *Ad vltimum.* Reſpondet Doctor, quòd de ipſo pripriè non eſt ſcientia, quia nec de ipſo primò, & per ſe eſt definitio, quæ ponitur medium in demonſtratione potiſſima, nec enim habet aliquam paſſionem propriam, ſed tantùm paſſionem ſpeciei.

Quidam nouus Expoſitor, *in libro de Ente, & Eſſentia* ſancti Thomæ, nititur improbare poſitionem Scoti de hæcceitate, & probat, quòd non dicat actum poſitiuum additum naturæ, & arguit ſic.

Primò, omnis actus ſingularis præexigit potentiam ſingularẽ, quam actuat; ſed hæcceitas eſt actus ſingularis: ergo præexigit potentiam ſingularem quam actuat, ſed illa potentia eſt natura, ſeu in natura ipſius indiuidui: ergo natura indiuidui eſt ſingularis ante aduentum hæcceitatis, & ſic hæcceitas non eſt principium indi-

uiduationis: propoſitiones aſſumptæ omnes ſunt Scoti in hac materia. Maior probatur tamen ex doctrina Ariſtotelis 2. *Phyſic. tex. commen.* 38. vbi Doctor, & comparationes cauſarum, vnde ſicut forma particularis præexigit materiam particularem, ſic actus potentiam. Si dicatur, quòd hoc eſt verum, vbi actus, & potentia diſtinguuntur realiter, eo quòd tunc potentia realiter recipit actum. Hoc non obſtat, eo quòd ſecundùm Scotum, quando aliqua duo adunantur realiter, eundem ordinem ex natura rei retinent, quem haberent, ſi eſſent diſtincta realiter; cùm ergo. actus ſingularis, ſi diſtinctus eſſet realiter, ex natura ſua præexigeret potentiam ſingularem, oportet quòd & tunc hoc idem exigat, cùm ordo idem ſeruetur.

Caietanus improbat opinionem Scoti hæceitatem nõ dicere actũ poſitiuũ.

Secundò ſic: Illa quæ ſunt principia indiuiduationis, ſunt ſeipſis primò diuerſa, hæcceitas Socratis, & Platonis non ſunt huiuſmodi: ergo Maior eſt Scoti. Minor probatur, id quod conuenit magis cum vno, quàm cum alio, non eſt primò diuerſum ab eo, cum quo magis conuenit: ſed hæcceitas Platonis magis conuenit cum hæcceitate Socratis, quàm cum hæcceitate albedinis: ergo hæcceitas Platonis, & Socratis non ſunt primò diuerſa. Maior ſyllogiſmi patet ex terminis: primò enim diuerſa non conueniunt cum illo. Minor probatur dupliciter.

4. Primò, quia hæcceitas Socratis, & Platonis conueniunt in ſpecie, hæcceitas Socratis, & albedinis differunt genere.

Secundò arguit. Secundò, quia illa magis conueniunt, quæ magis aſſimilantur, magis autem aſſimilantur, quæ ſunt magis comparabilia; hæcceitas autem Socratis, & Platonis ſunt magis comparabiles, quàm hæcceitas Socratis, & albedinis, ſicut vniuerſaliter res eiuſdem Prædicamenti ſunt magis comparabiles, quàm res diuerſorum Prædicamentorum.

Tertiò arguit. Tertiò ſic: quod conuenit vni, & repugnat alteri indiuiduo eiuſdem ſpeciei præexigit neceſſariò ipſorum diſtinctionem, proprietas indiuidualis, puta Socrateitas conuenit Socrati, & repugnat Platoni eiuſdem ſpeciei indiuiduo; ergo proprietas indiuidualis præexigit diſtinctionem Socratis à Platone, & ſic proprietas indiuidualis nõ eſt id quo primò Socrates diſtinguitur à Platone. Concluſio eſt falſa ſecundùm Scotum, proceſſus eſt bonus, ergo altera præmiſſarum eſt falſa, vtraque autem eſt ſua; ergo omnino falſus conuincitur, & Maior item habetur à Scot. *in quodl. lib. quæſtio.* 2. Minor autem eſt ſua concluſio, quam nunc impugnamus.

5. Quartò oſtendo hanc poſitionem contradicere Peripateticis, Ariſtoteli & Cõmentatori, Duodecimo enim Metaph. tex. commen. 49. ſit hæc conſequentia: *primum cœlum, id eſt, primum principium eſt vnum ſpecie, & plura numero: ergo habet materiam:* quæ conſequentia nulla eſſet, ſi proprietas indiuidualis poneretur diſtinguere indiuidua eiuſdem ſpeciei. Gloſſam autem Scoti: intelligentis per *materiam* indiuidualem proprietatem, deſtructiuam eſſe textus apparet ex Commentatore ibi dicente: *Omne quod eſt vnum in ſpecie, & plura in numero habet materiam, ſed iam declaratum eſt, quòd primum cœlum non habet materiam.* Ex quibus verbis apparet, quòd de illa materia loquitur, quam declarauit non eſſe in primo principio. Apparet autem in tex. comm. 30. expreſsè declaraſſe motorem cœli non habere materiam ad *vbi*, & ad *eſſe* & nullam feciſſe mentionem de proprietate in indiuiduali. Apparet tertiò fictio illius gloſſæ ex tertio Metaphyſicorum. tex. commen. 11. vbi dicitur, quòd omnis multitudo, aut ex rerum differentium ſecundùm formam; aut ſecundum quantitatem, quod idem habes in Commentatore in primo Phyſicorum, commen. 9. Nec admittenda eſt gloſſa Antonij Trombetæ, quòd inter concomitatur: eodem enim modo, & vniformiter debet teneri ly *ſecundum* in primo membro, & in ſecundo: in primo autem notat cauſalitatem: ergo & in reliquo. Deprehendi quoque poteſt eſſe puram fictionem nouam hanc de hæcceitatibus inuentionẽ ex primo Cæli, *tex. commen.* 2. & 93. vbi vnitatem, & pluralitatem indiuiduorum in eadem ſpecie in rebus materialibus, non niſi ex materia aſſignant Ariſtoteles & Commentator hæc de tertio.

Caietanus contra dominum Trombettam.

6. Reſpondeo ad obiectiones iſtius noui expoſitoris, cùm primò dicit, quòd omnis actus ſingularis præexigit potentiam ſingularem:

Reſponſio ad omnes obiectiones Caietani. Dico, quòd hæc propoſitio non eſt ſimpliciter vera, non enim formaliter ſequitur, quòd quanta vnitas eſt in actu, tanta ſit in potentia, quæ actuatur per illum actum; patet, quia differentia ſpecifica dicit præcisè vnitatem ſpecificam, & tamen eſt actus entitatis generis, quam contrahit ad *eſſe* ſpecificum, vt patet de rationali, & animali; & tamen animal actuatum per differentiam dicit ſimpliciter minorem vnitatem, ſic dico in propoſito de natura ſpecifica, & ſua hæcceitate.

Dico ſecundò, quod aliud eſt loqui de actu ſingulari per ſe, quod habeat rationem *quod*; & aliud eſt loqui de actu ſingulari, & per ſe, & primò qui propriè habet rationem *quo*. Primo modo concedo, quòd omnis actus ſingularis præſupponit potentiam ſingularem, quam actuat; ſed ſecundo modo ſimpliciter negatur: & intelligendo ſic actum, primo modo, qui conſtituitur in *eſſe* ſingulari, ſiue qui conſtat ex natura contracta, & ratione indiuiduali contrahente, ſiue qui propriè recipit per ſe prædicationem ſpeciei ſpecialiſſimæ, vt indiuidua poſita in recta linea Prædicamentali: vel ſaltem qui eſt vera pars, vel quaſi pars indiuidui ſpeciei ſpecialiſſimæ, ſicut hoc corpus organicum, & hæc anima intellectiua ſunt duæ partes, puta Franciſci: omnis enim talis actus ſingularis præſupponit potentiam ſingularem, quam actuat, & ſic hæc albedo tantùm actuat ſubiectum verè ſingulare, & ſimiliter hæc anima intellectiua tantùm actuat hoc corpus organicum, talis enim actus habet rationem *quod*, quia ſimpliciter conſtitutum ex natura, & hæcceitate. Et intelligendo ſecundo modo actum ſingularem primò & per ſe vt *quo*, qui eſt præcisè ratio formalis conſtituendi naturam in *eſſe* ſingulari. Et eſt ſimpliciter hoc, quo aliquid eſt ſingulare; talis enim actus, qui eſt præcisè ratio ſingularitatis, nõ dicitur propriè ſingularis, ſed ratio ſingularitatis: & talis nõ præſupponit naturã ſingularem, quam actuat, quia tũc eſſet proceſſus in infinitum in huiuſmodi actibus; & patet exẽplum de natura ſpecifica vt *quod* & de natura ſpecifica vt *quo*. Nam ſi natura ſpecifica vt *quo*, quæ eſt præciſa ratio formalis conſtituendi aliquid in *eſſe* ſpecifico, præſupponeret naturam ſpecificam, vt *quod*, eſſet proceſſus in infinitum, quia quærerem de illa

Exemplum.

de illa natura ſpecifica per quid vltimatè conſtituitur in *eſſe* ſpecifico, oportebit dicere, quòd per vltimatam differentiam ſpecificam vt *quo*, & tunc quærerem de illa, aut præſupponit naturam ſpecificam vt *quod*, quam actuat, & ſic proceſſus in infinitum; aut naturam non ſpecificam: dandum eſt ſimpliciter ſecundum: Sic dico in propoſito. Et ſic patet quomodo illa propoſitio, videlicet *omnis actus ſingularis*, &c. Si enim eſſet ſimpliciter vera, quòd tanta vnitas requiritur in potentia actuabili, quanta in actu, multa inconuenientia ſequerentur.

7. Primò, quòd tanta eſſet vnitas in ente contrahibili per gradum intrinſecum, quanta in ipſo gradu.

Secundò ſequeretur, quòd tanta eſſet vnitas in genere generaliſſimo, quanta eſſet in differentia actuante, & contrahente ipſum.

Tertiò ſequeretur, quòd tanta vnitas eſſet præcisè in animali actuabili, & contrahibili per rationale, quanta eſſet in rationali.

Quartò ſequeretur, quòd tanta eſſet vnitas in albedine informante ſuppoſitum, quanta in ipſo ſuppoſito, & ſic ſicut ſuppoſitum eſt incommunicabile vt *quo*, & vt *quod*, ita & albedo informans ipſum eſſet ſimpliciter incommunicabilis vt *quo*, & vt *quod*; & multa alia inconuenientia adduci poſſent, quæ breuitatis cauſâ omitto. Et cùm dicit, quòd illa propoſitio eſt Scoti. Dico, quòd Doctor intelligit de actu ſingulari vt *quod*, non autem de ipſa ratione ſingularitatis. Dico ſecundò, quòd intelligit de actu, qui eſt vera pars compoſiti, ſiue eſſentialis, ſi eſt compoſitum ex partibus eſſentialibus; ſiue accidentalis, ſi eſt compoſitum ex ſubiecto, & accidente reali; omnis enim talis pars ſingularis tantùm informat, & actuat potentiam ſubiectiuam ſingularem: ſed non intelligit de parte, vel quaſi parte, quæ nec eſt eſſentialis compoſiti, nec verè accidentalis, ſed præcisè pars conſtitutiua alicuius in *eſſe* ſingulari, quæ præcisè eſt ratio ſingularitatis. Et ſic non oportet gloſſare propoſitionem illam, dicendo, quòd intelligitur de actu, & potentia, quæ realiter diſtinguuntur, quia ſi ratio ſingularitatis realiter diſtingueretur à natura, præcisè actuaret naturam non ſingularem, non enim ideò actuat naturam communem, quia identificatur realiter tali naturæ; ſed ideò actuat talem naturam, quia eſt talis entitas, cui repugnat poſſe actuare, niſi naturam priorem omni ſingularitate. Et ſic concedo quòd ſi vt realiter diſtinctus præſupponeret naturam ſingularem, quòd etiam vt idem realiter illi quaſi præſupponeret quaſi ſingularem, per propoſitionem Doctoris, *qualis eſt ordo inter aliqua, vbi realiter diſtinguuntur, talis eſt, vbi ſola ratione diſtinguuntur.* Et cùm probat illam propoſitionem per Philoſophum 2. *Phyſic. text. comment.* 38. quòd ſicut forma particularis præexigit materiam particularem, ſic actus potentiam; vera eſt auctoritas de actu ſingulari per ſe, & non de actu ſingulari per ſe primò. Eſt etiam vera de actu ſingulari, qui eſt vera pars, vel eſſentialis, vel accidentalis; accipiendo *accidens* pro contento in genere accidentali, non accipiendo *accidens* pro omni eo, quod eſt extra rationem formalem alicuius, quia vt ſic differentia indiuidualis dicitur accidens naturæ, quam contrahit, & differentia ſpecifica dicitur accidens reſpectu generis, quod contrahit.

Ad propoſitionem Scoti.

Quomodo ſit intelligenda authoritas Ariſt.

8. Et quòd Philoſophus non intelligat de actu ſingulari vt *quo*, qui eſt præcisè ratio ſingularitatis, ſed tantum de ſingulari vt *quod*, ſiue de vera parte eſſentiali, vel accidentali, patet per textum allegatum, vbi dicit, *Amplius autem alia quidem genera ſunt generum, alia autem ſingulares ſunt ſingularium, vt ſtatua ſtatuam quidem faciens. Hæ autem & huius, & potentias quidem poſſibilium operantes autem ad operata*: hæc ille. Ex quo textu apparet, quòd nullo modo loquitur ibi de ratione ſingularitatis, imò ex illo textu tantùm habetur, quòd cauſa extrinſeca ſingularis eſt tantùm reſpectu ſingularis, imò nullo modo loquitur ibi de cauſa intrinſeca actuante, & informante, vt expreſſiùs patet in illo textu ſecundùm aliam translationem, vbi ſic habetur: *Genera ſunt cauſæ generum, & particularia particularium, verbi gratia, quoniam artifex eſt cauſa ſtatuæ, & iſte artifex eſt cauſa huius artificiati, & potentiæ ſunt cauſæ potentiarum, & quæ agunt, ſunt in reſpectu actorum*: & ibi Commentator, *alia ſunt cauſæ vniuerſales, aliæ particularia, quemadmodum cauſatorum, ad vniuerſalia, alia particularia, & quod opinandum eſt, quòd particulare eſt cauſa particularis, & vniuerſale cauſa vniuerſalis, & dixit hoc, præſeruando ſe à Platonica opinione, ſcilicet quòd vniuerſalia ſunt cauſæ particulariũ, verbi gratia, quoniam artifex ſimplex eſt cauſa ſtatuæ ſimpliciter, & iſte artifex demonſtratus, eſt cauſa iſtius ſtatuæ demonſtratæ, deinde induxit: Et potentiæ ſunt cauſæ potentiarum, id eſt, & cauſæ, quæ ſunt in potentia, ſunt cauſæ eorum, quæ ſunt in potentia, & quæ ſunt in actu ſunt cauſæ eorum quæ ſunt in actu, & hoc intendebat cùm dixit. Et quæ agunt in actu actorum, id eſt cauſæ, quæ ſunt in actu dicuntur reſpectu actorum quæ ſunt in actu*: hæc ille, & ſic patet quomodo malè adduxit auctoritatem Philoſophi.

9. Ad ſecundam rationem, dico breuiter, quòd non intelligit mentem Doctoris, nec verba, cum enim Doctor dicit, quòd *differentiæ indiuiduales ſunt primo diuerſæ*, ſic intelligit, vt etiam ipſe exponit *in primo, diſtinct.* 3. *quæſt. prima*: de primò diuerſis, quòd illa dicuntur ſimpliciter primò diuerſa, quæ non conueniunt in aliquo quiditatiuè: quòd dupliciter intelligi poteſt, vel quòd non conueniant in aliqua realitate quiditatiua, & communi; vel quòd non conueniant in aliquo conceptu quiditatiuo, quæ diſtinctio patet à Doctore in *primo, diſtinct.* 8. *quæſtione* 2. *diſtinct.* 25. & 26. & vide quæ expoſui in ſecundo, diſtinct. 3. vbi habetur, quod differentiæ indiuiduales, nullo modo pertinent ad *eſſe* quiditatiuum. Et ſic ſequitur, quòd non conueniunt aliquo modo, nec in realitate quiditatiua, nec in conceptu quiditatiuo; & vt ſic dicuntur ſimpliciter primò diuerſa: & cùm arguit id, quod magis conuenit cum vno, quàm cum alio non eſt primo diuerſum ab eo, cum quo magis conuenit, conceditur, ſi magis conuenit quiditatiuè, puta in aliqua realitate quiditatiua, vel in aliquo conceptu quiditatiuo; & ſic negatur illa minor, videlicet, quòd hæcceitas Platonis magis conueniat cum hæcceitate Socratis, quàm cum hæcceitate albedinis, cum nullo modo conueniant in aliquò quiquiditatiuè.

Caietanus, nec Doctorẽ, nec eius verba intelligit. Quæ ſint primo diuerſa.

Et cùm probatur, quod hæcceitas Socratis, & Platonis, conueniunt in ſpecie, hæcceitas autem Socratis, & albedinis differunt genere. Dico, 10.

Conuenire in ſpecie poteſt intelligi dupliciter.

quòd conuenire in ſpecie poteſt dupliciter intelligi, vno modo per ſe, & quiditatiuè : alio modo concomitanter, & per identitatem realem, quam habet cum aliquo, quod per ſe, & quiditatiuè continetur in aliqua ſpecie ; primo modo negatur, ſecundo verò modo conceditur ; ſed poſtea nihil ad *B*. Poteſt etiam diſtingui, quòd aliqua eſſe eiuſdem ſpeciei poteſt dupliciter intelligi, vel per ſe quiditatiuè, & ſic hæcceitas Socratis, & Platonis, non ſunt per ſe in aliqua ſpecie, nec pertinent ad *eſſe* quiditatiuum alicuius, ſed tantùm ſunt ibi reductiuè. Cùm ſecundò probatur, illa magis conueniunt, quæ magis ſimilantur, & magis aliqua ſimilantur, quæ ſunt magis comparabilia. Dico, quòd aliqua magis ſimilari dupliciter poteſt intelligi, ſcilicet quiditatiuè, & concomitanter, ſiue reductiuè. Primo modo negatur hæcceitatem Socratis, & Platonis magis aſſimilari, cum nullam quiditatem dicant. Secundo modo conceditur, ſed tunc nihil eſt ad propoſitum. Et cùm dicit, quòd ſunt magis comparabilia, negatur, quòd per ſe, & quiditatiuè ſint magis comparabilia, licet fortè concomitanter, & reductiuè, ſed tunc nihil ad propoſitum. Poſſet etiam dici vnica reſponſione, quòd omnes hæcceitates ſunt præcisè eiuſdem rationis ; ſic intelligendo, quòd vna non magis differt ab alia, nec vna magis conuenit cum alia. Et ſi vna magis conuenit cum alia, hoc non eſt ex ſua ratione formali ; ſed quia concomitatur aliquam naturam, vel ſibi identificatur realiter, vel ſaltem reducitur ad illam, & alia ad ſimilem naturam comparatur, vt patet de hæcceitate Socratis, & Platonis, & hoc modo magis conueniunt, ſed tunc nihil ad *B*.

Aliqua magis aſſimilari poteſt intelligi dupliciter.

Ad tertium principale concedo illam propoſitionem, videlicet, quod conuenit vni, & repugnat alteri indiuiduo eiuſdé ſpeciei, præexigit neceſſariò eorũ diſtinctionẽ ; ſed negatur, quòd hæcceitas Socratis conueniat Socrati, & repugnet Platoni : nõ enim hęcceitas Socratis conuenit Socrati poſt ſuum *eſſe* completum, ſed conuenit naturæ, quam contrahit : & concedo, quòd natura contracta per hæcceitatem Socratis, & natura contracta per hæcceitatem Platonis differant ad inuicem realiter, non tamen realiter numeraliter, nec realiter ſpecificè, vt ſupra expoſitum eſt in præſenti quæſtione, & prolixiùs in quæſtione prima huius diſtinctionis : & ſic patet quomodo non percipit, nec ſenſum, nec verba Doctoris.

Ad quartum, quòd procedit per auctoritatem Philoſophi, & Commentatoris, patet reſponſio ex ſupradictis, reſpondendo ad rationes Thomæ, quomodo illæ auctoritates intelligantur, nec oportet hîc multum immorari.

11.

d Vltimo loco reſpondendum eſt ad argumenta facta pro opinione Gotfredi, & Ægidij.

* *num. 2.*

* Cum primò arguit probando, quod natura ſit de ſe hæc, & nõ per aliquid poſitiuum ſibi adueniẽs.

Quomodo ſpecies ſit indiuiſibilis in plures ſpecies, & quomodo diuiſibilis.

Reſpondet Doctor, quod ſpecies ſpecialiſſima dicitur atoma, hoc eſt indiuiſibilis, in plures ſpecies, eſt tamen diuiſibilis in plura numero : & hoc modo non dicitur ſimpliciter atoma, hoc eſt ſingularis. Ad illud Porphyrij, Dicit Doctor quòd diuiſio Ariſt. ſtatum habet ad ſpeciem ſpecialiſſimam, quia vlteriùs procedere eſt in infinita, quæ ſunt relinquenda ab arte, ſecundum ipſum : non quòd de eis non poſſit demonſtrari aliqua paſſio per ſe, & in ſubſumendo, licèt non primò ; nec etiam dicuntur relinqui ab arte, quaſi vnumquòdque ſingulare non ſit per ſe intelligibile ; ſed ideò

Quomodo intelligitur illa propoſitio Platonis. Infinita ſunt ab arte relinquenda.

relinquenda ſunt ab arte, quia numeraliter infinita ex parte eorum : tale autem infinitum non eſt actu cognoſcibile ab intellectu creato, nec etiam ab intellectu diuino, & hoc ſecundùm modum talis infinitatis, vt ſuprà expoſui in primo.

e Sequitur, *non enim eſt ex parte indiuiduorum*, vnde ſit eorum numerus certus, *ſed poſſunt eſſe infinita, non repugnante ratione eorum*, vt patet per illam propoſitionem Doctoris in *primo, diſt. 2. parte 1. quæſt. 3. & parte 2. quæſt. 4. & in quodlib. q. 2.* ſpecies, inquit, plurificabilis in indiuiduis non determinatur ex ſe ad certum numerum indiuiduorum. Sed quantùm eſt ex ſe compatitur infinitatem indiuiduorum, ſicut patet in ſpeciebus corruptibilibus, hæc ille.

12.

Sequitur, f *quia ſecundum Boetium, genus primò eſt diuiſibile in duo.* Genus enim primò diuidit in duas partes, puta in duas ſpecies, nam animal primò diuiditur per rationale conſtituens vnam ſpeciem ſpecialiſſimam, & per irrationale conſtituens vnam ſpeciem ſubalternam, quæ dicatur *A* : deinde ipſum *A* diuiditur per *B* conſtituens ſpeciem ſpecialiſſima, & per *C* conſtituens aliam ſpeciem ſubalternam, & ſic patet quomodo diuiditur primò genus in duas ſpecies. De huiuſmodi diuiſione generis in ſpecies, vide Franciſcum in ſuis paſsibus, & hoc eſt, quod dicit Doctor, quod requirit determinatas partes in multitudine, quia ex ratione ſua primò diuiditur in duas ſpecies, ſcilicet ſpecialiſſimam & ſubalternam, licèt vlterior diuiſio poſſit fieri ſub ſubalterna. Secundò requirit determinatas partes in multitudine, quia primò tantùm duas ſpecies ; & in magnitudine, quia illæ duæ ſpecies ſunt præcisè tantæ perfectionis : gradus enim ſpecificus non intenditur, neque remittitur : ſpecies verò contrario modo ſe habet, quia non requirit determinatas partes in multitudine : ex parte enim ſua primò poteſt eſſe in infinitis indiuiduis ſecundùm multitudinem, & etiam ſecundùm magnitudinem perfectionalem.

Cap. de genere.

Sequitur, *quia ſunt in toto duæ medietates*, quantum enim, ſiue magnitudo, etſi ſit diuiſibile in infinitas partes, primò tamen diuiditur in duas medietates præcisè, ſic & genus, primò in duas ſpecies.

13.

g Sequitur, *& ſi ſtrictè accipiatur diuiſio*, prout eſt in partes proportionem habentes ad totum (puta ſcilicet totum diuiditur in partes proportionales, quod fit primò diuidendo in duas medietates) quæ vel conſtituunt, vel ſub eodem continentur in determinata multitudine, vel magnitudine, puta ſub animali in determinata multitudine, vel magnitudine, ita quòd ſub animali eſt determinata multitudo ſpecierum, & determinata magnitudo perfectionalis, ſemper habent talem proportionem, quòd diuiſio generis, primò & immediatè fit in aliquas duas ſpecies, quarum vna ſit ſpecialiſſima, & altera ſubalterna, vel ambæ ponuntur ſubalternæ.

Sequitur, h *ſpecies per ſe non diuiditur*, id eſt, quòd hoc modo ſpecies non diuiditur in indiuidua, videlicet, quòd primò diuidatur ſecundùm determinatam multitudinem, & magnitudinem, vt dixi ſuprà, ſequitur, *& per hoc poteſt exponi, tam Plato, quàm* Porphyrius, *videlicet, quod à generaliſſimis ad ſpecialiſſima*, &c. loquendo, ſcilicet de diuiſione, quæ requirit determinatas partes in multitudine, & magnitudine.

Pulchra expoſitio.

Sequitur, *ſi autem accipiatur diuiſio communiter.*

ter,&c. ſpecies diuiditur inindiuidua, quia quodlibet indiuiduum participat naturam ſpeciei diuiſam in illis.

Sequitur, *& reducitur iſta diuiſio ad genus apud Boëtium, quia illa conditiones,& proprietates, quas aſſignat in diuiſione generis, conueniunt huic diuiſioni,quæ eſt ſpeciei in indiuidua, quod ſic debet intelligi,* quòd ſicut genus diuiditur, & deſcendit ad plures ſpecies per aliam, & aliam differentiam, ita ſpecies deſcendit ad indiuidua per aliã & aliã hęcceitatem,& ſicut differentia eſt diuiſiua generis,& cõſtitutiua ſpeciei, ſic hæcceitas eſt diuiſiua ſpeciei,& conſtituitiua indiuidui,non tamen eſt omnimoda ſimilitudo, quia genus deſcendit immediatè tantùm ad duas ſpecies;ſpecies verò poteſt deſcendere immediatè ad omnia indiuidua contenta ſub ea.*Cætera patent.*

14. *Difficultates.* Occurrunt aliquæ difficultates. Prima circa hoc, quod dicit, quòd *differentia indiuidualis eſt idem realiter natura contracta per ipſam*; quia quæro, vnde ſit talis realis identitas? aut eſt à natura in eo, quod recipit ipſam; aut in eo,quòd ipſam neceſſariò cauſat; aut oportet aſſignare aliquam aliam cauſam huius identitatis,puta rationę infinitatis, ſicut dicimus de Deitate. Non primò, quia vt ſic,ſe habet tantùm in potentia paſſiua, quæ eſt potentia contradictionis, vt patet à Doctore in pluribus locis; nulla enim potentia paſſiua, vt ſic, poteſt ſibi realiter identificare id, quod recipit; non ſecundò, quia ſi natura contrahibilis, etiam vt eſt in *eſſe* reali, eſt cauſa neceſſaria talis differentiæ, qua actuatur, & indiuiduatur, ſequitur quòd ita erit cauſa vnius, ſicut alterius: patet, quia ipſa natura, vt prior natura hæcceitate eſt indifferens ad omnem hæcceitatem, vt patet à Doctore *præſenti diſt. quæſt.*1. & ita eſt contrahibilis ab vna, ſicut ab alia; vel ergo erit cauſa ſimul omnium neceſſariò; vel nullius, quia non videtur poſſe aſſignari ratio, quare magis vnius, quàm alterius, cùm ſit æquè differens. Secundò mirum videtur, quòd natura, quæ ex natura rei eſt communis pluribus, poſſit cauſare quaſi effectum ſimpliciter ſingularem. Non tertiò, quia natura contrahibilis nullo modo eſt infinita, & illimitata, vt patet.

Si dicatur, quòd compoſitum ex natura, & hæcceitate identificat ſibi illam realiter. Contrà, quia compoſitum illud eſt poſterius, nullum autem poſterius habetur, vnde poſſit ſibi realiter identificare prius, vt patet, quia identificans ſibi aliquid realiter, continet illud per realem identitatem, vt patet à Doctore infrà *diſt.*16. modò poſterius non continet prius, quia hoc eſt contra rationem poſterioris. Tum etiam, quia compoſitum,vt compoſitum non identificat ſibi partem componentem, vt patet. Tum, quia identificans ſibi realiter aliquid ex hoc identificat,quia neceſſariò cauſat illud in ſeipſo, vel ſaltem quaſi cauſat: compoſitum autem non habet rationem cauſæ reſpectu partium componentium, cùm illæ ſint priores compoſito.

Reſponſionem quære ex dictis ſuprà præſent; diſtinct. quæſt.2.

SCHOLIVM.

Soluit loca Ariſt. adducta q.5.pro D.Tho. aſſerente materiam eſſe principium indiuiduationis, & affert ſubtiliſſimas expoſitiones ad illa loca,quæ à Thomiſtis cenſentur axiomata.

20. AD quæſtionem quintam præcedentem de materia,patet ſolutio per argumenta contra opinionem: concedo enim quòd materia abſolutè, vt natura, non eſt ratio diſtinctionis, nec indiuiduationis. Quicquid enim eſt natura in quocumque genere, totalis vel partialis, non eſt de ſe hoc: & ideò inquirendum eſt, per quid ſit hoc.

Ad auctoritatem Ariſt.5.Meta.&c *vnum numero*, reſpondeo. quod ibi accipit *materiam* pro illa entitate indiuiduali, quæ conſtituit in *eſſe* materiali, non autem in *eſſe* formali, prout quiditas dicitur forma: quia iſta entitas non eſt quiditatiua: & iſta expoſitio patet per illud,quod ſubdit,*Specie vnum,quorum ratio eſt vna*, &c. *ratio* enim ibi ſumitur pro quiditate, quæ dicitur forma reſpectu *eſſe* indiuidualis. *Materiã ſumit Philoſophus pro indiuiduali ratione.*

Per idem patet ad illud de cœlo, & hoc cœlo, quod confirmat propoſitum.

Per idem ad aliud 12. Meta. quod concedo, quòd non poſſunt eſſe plures motores primi, quia in primo motore non eſt materia, hoc eſt, non eſt in eo aliquid contrahens vt materia, vel aliquid aliud, ſed eſt de ſe hoc ſine alio contrahente, nam talis contractio non ſtat cum perfecta ſimplicitate:& ideo quiditas Dei eſt de ſe hæc. Ad illud 7.Metaph. *in eis quæ ſunt ſine materia quod quid eſt rei eſt idem cum eo, cuius eſt*; Dico, *quod quid rei*, poteſt comparari ad illud, cuius eſt per ſe & primò: & ad illud, cuius eſt per ſe, & non primò: & vniuerſaliter eo modo quo eſt alicuius, eo modo eſt idem ſibi, quia ſicut Philoſophus arguit cap.7.*ſingulum*, &c. & *quod quid erat eſſe* dicitur ſinguli ſubſtantia: ſi enim illud quod non eſt ens, nihil eſt, *quod quid* autem rei, eſt illud quo primò res eſt, & ideò cuius eſt, *quod quid* primò ipſum eſt idem ipſi primò; cuius eſt per ſe ipſum, eſt idem illi per ſe: cuius eſt per accidens: illi idem eſt per accidens, & ideo illi non eſt ſimpliciter idem. Vnde quod ipſe vult in 3. cap. quod in *dictis per accidens non eſt idem quod quia eſt cum eo cuius eſt*, non mirum quia in ſecundo cap.declarauit,quòd nihil eorum eſt *quodquid eſt* nec definitio: *Text.*20. *Tex.*13. *& inde. Tripliciter aliquid eſt idem ei,* habens

quod quid eſt ipſius ſ.primo,per ſe, & per accidens.

habens autem *quod quid eſt*, poteſt intelligi vel ipſa natura,cuius eſt primò *quod quid eſt*, vel ſuppoſitum naturæ, cuius eſt *quod quid eſt* per ſe, licèt non primò.Primo modo *quod quid eſt* tam in materialibus, quàm in immaterialibus eſt idem cum eo cuius eſt, etiam primò:quia primò habet *quod quid eſt*.Secundo modo habens non eſt idem ipſi *quod quid eſt* primò : quia *quod quid eſt*, non eſt eius primò, pro eo quod habens illud includit entitatem aliquam extra rationem eius,quod eſt *quod quid eſt* primò.

Ad propoſitum ergo Philoſophi dico, quòd in non conſtitutis cum materia (hoc eſt cum non entitate indiuiduali contrahente quiditatem) idem eſt *quod quid eſt* primò, cum eo *cuius eſt*, quia tale *cuius eſt*, nullam rationem includit extra rationem eius quod eſt primò *quod quid eſt* : in conſtitutis autem cum materia(hoc eſt cum entitate indiuiduali contrahente quiditatem) non eſt idem primò *quod quid eſt*, cum eo cuius eſt : quia ſic acceptum primò non habet *quod quid eſt* ex ſe, ſed tantùm per partem, ſcilicet per naturam, quæ contrahitur, ſcilicet per illam entitatem indiuidualem. Non igitur ex iſto habetur, quòd materia, quæ eſt altera pars compoſiti, ſit extra rationem per ſe quiditatis; imò verè pertinet ad quiditatem : & ſpecies habens formam in vniuerſali habet primò *quod quid eſt*, & primò eſt idem ſibi : & ideò non ſequitur quòd materia, quæ eſt altera pars compoſiti, ſit indiuiduans, ſed tantùm ſequitur de materia, quæ eſt entitas contrahens, quod conceſſi. 21.

De hoc in 3.diſt.20.

Vtrùm autem carentia materiæ, quæ eſt altera pars, inferat carentiam huius entitatis indiuidualis ſecundùm Philoſophum : de hoc in quæſt.ſeq.

Soluendo principale arg.

Ad illud Ariſtotelis, quòd generans generat aliud propter materiam; dico,quòd intentio Philoſophi eſt ibi, quòd ideæ non ſunt neceſſariæ ad generationem : quia tam diſtinctio gignentis à genito, quàm aſſimilatio geniti cum generante (quæ duo requiruntur ad generationem vniuocam) poſſunt haberi ſine eis : agens enim particulare ex forma ſua habet vnde aſſimilet ſibi paſſum, & generans genitum : & ex materia habet quòd ſit diſtinctum à genito, non principaliter; licèt tamen ſequatur neceſſariò,quod diſtinguitur per materiã à genito,quia materiam non ſuam,ſed aliam perficit per formam terminantem generationem : ſua enim materia iam perfecta eſt forma : & ex hoc quòd aſſimilat per formam perficit aliam materiam quàm ſuam : & ita ſua alia eſt ab illa, quæ priuatur forma tali : cuiuſcumque autem eſt alia materia, ex quo materia eſt pars eſſentialis rei, ipſum eſt aliud ab eo. 22.

Forma eſt cauſa principalior aſſimilationis & diſtinctionis geniti.

Dico tunc,quòd aſſimilationis, vel ſimilitudinis principalis ratio eſt ipſa forma inter generans,& genitum,& hoc non ſecundùm vnitatem,vel identitatem indiuidualem inquantùm forma hæc, ſed ſecundùm vnitatem,vel identitatem illam minorem inquantùm forma eſt, & ſecundùm hoc eſt ratio gignendi. Forma autem eſt principalior ratio diſtinctionis quàm materia : quia ſicut forma eſt illud principalius quo compoſitum eſt, quàm materia : ita eſt principalius, quo compoſitum eſt vnum, & per conſequens in ſe indiſtinctum & ab alio diſtinctum : appropriatè tamen, diſtinguendo aſſimilatiuum contra diſtinctiuum,forma eſt aſsimilatiua,ita quòd non materia propriè, quia non eſt qualitas ſubſtantialis,vel accidentalis : materia autem eſt diſtinctiua appropriatè loquendo,quia neceſſariò ex hoc, quòd caret forma, diſtinguitur ab illa materia,quæ præhabet formam,& ita compoſitum à compoſito.

Auerro.2. de Anima. c.2.& 7.

Poteſt etiam alio modo compoſitum intelligi aliud propter materiam, ſicut propter cauſam alietatis præexiſtentem. Forma enim geniti, licèt ſit cauſa alietatis in compoſito, principalior quàm materia, non tamen eſt cauſa præexiſtens huius alietatis, ſed materia, & hoc quia ipſa præexiſtit priuata, & ideò non poteſt eſſe eadem cum materia informata.

COMMENTARIVS.

1. NVnc ſoluendæ ſunt auctoritates, quæ adducuntur pro opinione Thomæ, quibus probat ſubſtantiam materialem eſſe ſingularem per materiam, & prima auctoritas eſt Philoſophi, 7.*Meta.tex.comm.*28.vbi vult,quòd generans generat aliud propter materiam,*Callias*,inquit,*& Socrates ſunt diuerſa quidem propter materiam, idem verò ſpecie*: ergo differentia numeralis erit præcisè per materiam.

Doctor reſpondet ad hanc auctoritatem, ibi: *Ad illud Ariſtotelis quòd generans generat aliud propter materiam.Dico, quòd intentio Philoſophi eſt ibi, quòd ideæ non ſunt neceſſariæ ad generationem*, &c. Plato enim poſuit ideas eſſe neceſſarias propter duo. Primò propter generationem. Secundò propter ſcientiam,quia ſcientia eſt de perpetuis, & neceſſariis. Et Ariſtoteles probat quòd etiamſi ideæ eſſent, non propter hoc eſſent neceſſariæ ad generationem. Dicebat enim Plato, quòd generans vniuocè aſſimilat ſibi genitum in ſpecie, & ſic poſuit ſubſtantiam ſeparatam, vt hominis, per ſe exiſtentem, in qua generans, & genitum,

genitum vniuocantur. Et dicit Philoſophus, quod generatio poteſt haberi ſine iſtis; & patet, quia ſi Franciſcus generat Ioannem, eſt alia materia, vt patet intuenti, & aſſimilat ſibi Ioannem, non in ſingularitate, vt patet: ergo in forma. Dicit ergo Ariſtoteles quòd *generans generat aliud propter materiam*, id eſt, quod generans producit formam ſubſtantialem in aliam materiam à ſua, vt patet in litera, & ſic aſſimilat in forma ignis: ergo particulare ex forma ſua habet vnde aſſimiliter ſibi paſſum, & generans genitum, & ex materia habet, quòd ſit diſtinctum à genito non principaliter, hoc tamen ſequitur neceſſariò, quod diſtinguitur per materiam à genito, quia materiam non ſuam ſed alicuius perficit per formam terminantem generationem; ſua enim materia iam perfecta eſt forma. Et ex hoc, quòd aſſimilat per formam, perficit aliam materiam, quàm ſuam, & ita ſua materia eſt alia ab illa, quæ priuatur forma tali; cuiuſcunque autem eſt alia materia, ex quo materia eſt pars eſſentialis rei, ipſum eſt aliud ab illo.

2.

Apparens cõtradictio in dictis Scoti.

Dico tunc, quòd aſſimilationis, &c. In iſta litera dicit Doctor, quòd generans aſſimilat genitum in forma communi, non in forma ſingulari, quia ſecundùm hoc eſt ratio formalis agendi. Et addit quòd forma, puta in Franciſco, eſt principalior ratio diſtinguendi, quàm materia. Sed in hoc Doctor videtur ſibi contradicere, quia *in quæſt. ſequenti* vult, quòd forma eiuſdem ſpeciei non eſt ratio diſtinguendi vnum indiuiduum ab alio. Hoc idem *in primo, diſt. 4. quæſt. 1.*

Dico, quòd Doctor dicit hic, quòd forma eſt principalior ratio diſtinguendi, ſupple indiuidualiter, & numeraliter, non autem principalior ratio diſtinguendi vnum indiuiduum ab alio formaliter. In locis autem præallegatis intelligitur, quod forma non eſt ratio principalior diſtinguendi formaliter, & quòd ipſa forma ſit principalior ratio diſtinguendi numeraliter, patet, quia ipſa eſt illud, quo principalius compoſitum habet *eſſe*. Quæcunque ergo ſunt principia eſſendi, ſunt principia diſtinguendi, vt patet *quæſt. 1. & vltima prologi*. Cùm ergo hæc forma ſit principalior ratio conſtituendi hoc compoſitum, erit etiam principalior ratio diſtinguendi ipſum numeraliter, &c. Et addit in litera ibi: *Appropriatè tamen, diſtinguendo aſſimilatiuum contra diſtinctiuum, forma eſt aſſimilatiua*. Vult dicere, quòd quamuis ipſa forma ſit principalior ratio diſtinguendi compoſitum, quàm materia, appropriatè tamen ipſa forma eſt principalior ratio aſſimilandi, quam materia, quia materia propriè non eſt qualitas ſubſtantialis, vel accidentalis, propter quam aliquid dicatur ſimile alteri: materia verò appropriatè eſt diſtinctiua, quia neceſſariò ex hoc, quod caret forma, diſtinguitur ab illa materia, quæ habet ipſam formam, & ita compoſitum à compoſito: patet, quia ex quo materia aquæ caret forma ignis, quæ eſt in materia ignis, ideò materia aquæ diſtinguitur à materia ignis, & ſic compoſitum aquæ diſtinguitur à compoſito ignis. Sequitur ibi, *poteſt etiam alio modo compoſitum intelligi aliud propter materiam*. Dicit Doctor in iſta litera, quòd licèt compoſitum poſſit dici aliud ab alio compoſito propter aliam formam, & propter aliam materiam, & principaliter propter aliam formam, ſi tamen accipiatur, ſicut propter cauſam alietatis præexiſtentem, id eſt, quòd cauſa principalis huiuſmodi alietatis compoſiti à compoſito accipiatur pro cauſa præexiſtente in compoſito. Dicit quòd materia eſt principalior cauſa, quia in genito præexiſtit materia formæ, & ſic patet ſolutio ad auctoritatem Philoſophi.

Forma eſt ratio diſtinguendi principaliter.

3.

Reſponſio Scoti.

Ad illud 7. Metaph. Reſpõdet Doct. & reſpõſio ſtat in hoc, quòd *quod quid eſt*, puta hominis, ideſt, quiditas, vel definitio hominis poteſt cõparari ad hominem, primò, & per ſe, & ſic homo primò, & per ſe eſt animal rationale. Secundò poteſt comparari ad aliquid per ſe, & non primò, puta ad Franciſcum, & ſic Franciſcus eſt per ſe animal rationale, ſed non primò. Tertiò poteſt comparari ad aliquid per accidens, puta ad aliquod ſubiectum per accidens, & ſic Franciſcus albus eſt animal rationale tantùm per accidens, & ſic ſicut *quod quid eſt* comparatur, ita eſt idem illi, cui comparatur, & ſic animal rationale, vt comparatur homini in communi ineſt illi primò, & per ſe, indiuiduis verò per ſe, & non primo, indiuiduo verò hominis per accidens, nec per ſe, nec primò, ſed tantùm per accidens ineſt, & ſic vniuerſaliter, *quod quid eſt* eo modo, quo eſt alicuius, eo modo eſt idem ſibi, quia ſicut Philoſophus arguit *ſeptimo Metaph. tex. com. 20. Singulum enim non aliud videtur eſſe à ſuimet ſubſtantia, & quod quid erat eſſe dicitur ſinguli ſubſtantia in dictis, itaque ſecundùm accidens videbitur, itaque diuerſum* eſſe, *vt albus homo alterum, & albo homini eſſe*, &c. hæc ibi. Si enim illud, quod non eſt ens nihil eſt, *quod quid* autem rei eſt illud, quo primò res eſt, & ideò cuius eſt quid primò ipſum eſt idem ipſi primo cuius eſt, &c. Et quòd dicit, quòd in *dictis per accidens non eſt idem*, &c. non eſt mirum, quia in ſecundo capitulo declarauit, quòd nihil eorum eſt, *quod quid eſt*, nec definitio. Et ſic benè conceditur, quòd animal rationale non eſt idem primò Franciſco, quia vltra animal rationale includit aliquid, quod non pertinet ad quiditatem, quia includit hæcceitatem. Eſt verò idem primò ipſi homini, quia nihil aliud includit homo quiditatiuè, homini verò albo non eſt idem, nec primò, nec per ſe, quia albedo, nec per ſe, nec primò pertinet ad *quod quid eſt* hominis, & ſi erit idem, erit tantùm per accidens.

4.

Reſponſio Scoti.

Ibi: per idem ad aliud 12. Met. Reſpondet Doctor, concedendo quòd *non poſſunt eſſe plures motores primi, quia in primo*, &c. *& ideò quiditas Dei eſt de ſe hæc*. Et hæc videtur intentio Commentatoris vbi ſuprà, comm. 49. *Prima*, inquit, *eſſentia, quæ ſignificat eſſe rei, oportet, quòd non habeat materiam, quoniam ſi haberet naturam, haberet aliam eſſentiam, & ſic in infinitum, & ideò neceſſe eſt, vt prima forma, & vt prima natura, quæ perfectio eſt, & finis non habeat materiam, erit ergo ſimplex, & non poteſt intelligi*, niſi de materia indiuiduali, quia vltra quod non habeat materiam, quæ eſt altera pars compoſiti, non habet etiam materiam iſto modo, quia tunc prima natura non eſſet ſummè ſimplex. Reliqua patent.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm plures Angeli poſsint eſſe in eadem ſpecie.

Alenſis. 2. *p.q.* 10. *m.* 6. *a.* 2. D. Thom. 1. *p.q.* 50. *a.* 4. D. Bon. *hic ar.* 2. *q.* 1. *& d.* 9. *ar.* 1. *q.* 1. Ric. *hic ar.* 5. *q.* 1. Duran. *q.* 3. Capr. *q.* 1. *a.* 3. Gabr. *q.* 1. *a.* 2. Marſ. 2. *q.* 3. Vaſq. 1. *p. d.* 181. Mayr. 2. *d.* 3. *q.* 3.

Mag. B. Arg. 1. *T.* 20. 21. *&* 41.

VLTIMÒ quæro quantùm ad iſtam materiam, Vtrùm ſi ſit poſſibile plures Angelos eſſe in eadem ſpecie? Quòd non, quia Philoſophus 7. Metap. cap. de partibus definitionis, dicit quòd in his, quæ ſunt ſine materia, *idem eſt quod quid eſt, & illud cuius eſt*: igitur cùm Angelus ſit ſine materia, *quod quid eſt* eius eſt idem ipſi Angelo: ergo impoſſibile eſt Angelum diſtingui ab Angelo, niſi *quod quid eſt* eius diſtinguatur à *quod quid eſt* alterius: ergo non poteſt eſſe diſtinctio indiuiduorum in Angelis, manente eodem *quod quid eſt*. 1.

Arg. 2. *cap.* 4. Præterea, Auicenna 9. Meta. ponit ordinem Intelligentiarum, vbi videtur velle, quòd Intelligentia inferior producitur à ſuperiore quaſi ipſam creante, illa cauſalitas non eſt in aliquo reſpectu alterius eiuſdem ſpeciei.

Arg. 3. *Tex.* 10. Præterea, arguo per rationem. Omnis differentia formalis eſt differentia ſpecifica, Angeli autem cùm ſint plures, & formæ, differunt aliqua differentia formali, ergo ſpecificè. Probatio maioris ſumitur ex 8. Metaphyſicæ, vbi formæ comparantur numeris, in quibus quodcunque additum, vel ſubtractum variat ſpeciem, ita in formis: igitur, &c.

Arg. 4. *Tex.* 25. Item 10. Metaphyſ. *Maſculus & fœmina non differunt ſpecie: quia maſculinitas & fœmineitas ſunt differentiæ materiales formæ humanitatis*: ex hoc innuens quòd differentiæ formales omnes diſtinguant ſpecie: quia forma & ſpecies idem ſunt.

Arg. 5. Præterea, omnis forma ſeparata à materia in ſe habet totam perfectionem ſpeciei illius: ergo ſi ponatur aliqua talis forma in ſpecie, vt forma huius Angeli & illius: illa erit iſta, & iſta erit illa: quia vterque Angelus eſt forma ſeparata à materia; & per conſequens quilibet habet perfectionem totius ſpeciei. Probatio antecedentis quia quòd forma non habet totam eſſentiam ſpeciei, hoc eſt, quia participat eam: non autem habet eſſentiam formæ per participationem, niſi vt eſt in materia: igitur &c. 2.

Arg. 6. Præterea, in entibus perfectis nihil eſt, quod non intendatur à natura: ſed pluralitas numeralis non per ſe intenditur à natura: quia differentia numeralis, quantùm eſt ex ſe, poteſt intendi in infinitum: infinitas autem non intenditur per ſe ab aliquo agente: quæ autem ſunt in Angelis, tanquam in perfectiſſimis entibus vniuerſi, ſunt per ſe intenta: ergo non eſt in eis differentia numeralis, ſed ſolùm ſpecifica, in qua principaliter conſiſtit pulchritudo vniuerſi.

Arg. 7. *Tex.* 34. 35. Præterea 2. de Anima videtur haberi quòd multitudo indiuiduorum non eſt niſi propter ſaluationem ſpeciei: ſed in incorruptibilibus ſaluatur ſufficienter natura in vno indiuiduo: ergo, &c.

Tex. 92. *& inde.* Confirmatur ex primo Cæli & mundi, quia in corporibus ſupercæleſtibus, non eſt niſi vnum indiuiduum vnius ſpeciei, ſicut vnus Sol & vna Luna: ergo, &c.

Ratio ad opp. Oppoſitum arguitur per Damaſc. in Elementario. cap. 12. *ſecundùm vnamquamque ſpeciem, fecit Deus Angelos.*

SCHOLIVM.

Refert ſent. D. Th. & aliorum iuxta tractata in qq. præced. maximè quarta, & quinta, qui negant Angelos in eadem ſpecie plurificabiles, quam refutat. Primò, quia omnis quiditas eſt communicabilis. Secundò, omnis quiditas creata poteſt concipi vt vniuerſalis: Tertiò, non poteſt idem numero, ſecundùm D. Th. 4. d. 44. q. 1. reſurgere; ergo annihilato vno Angelo, poteſt aliter eiuſdem ſpeciei creari. Quartò, animæ rationales diſtinguuntur numero. Quintò, ſecundùm D. Th. & Magiſt. nulla tota ſpecies damnatur.

Ægid. quodli. 2. *q.* 7. *Goff. & D. Th.* 2. *d.* 3. *q.* 4. Qui dicunt ad * quæſtiones præcedentes de indiuiduatione, principium indiuiduationis eſſe quantitatem, vel materiam, dicunt conſequenter ad iſtam quæſtionem negatiuè, ſcilicet quod non poſſunt eſſe plures Angeli in eadem ſpecie: quia non poteſt 3.

poteſt in Angelis ratio propria talis differentiæ inueniri, & habent dicere quòd non tantùm hoc eſt impoſſibile ex proprietate intrinſeca, ſed etiam ex proprietate extrinſeca: quia ſimpliciter eſt incompoſſibile, ita quòd nullo modo naturæ iſti poteſt competere diſtinctio indiuidualis, ex quo ſibi repugnat illud, quod præcisè poteſt eſſe principium talis diſtinctionis: ſicut impoſsibile eſſet ſub animali eſſe plures ſpecies, ſi repugnaret animali alia, & alia actualitas, per quas ſpecies diſtinguerentur. Fundamenta autem iſtius opinionis in aliis quæſtionibus præcedentibus dicta ſunt.

Tenenda eſt ergo [b] concluſio ſimpliciter oppoſita, quòd ſcilicet ſimpliciter poſsibile eſt plures Angelos eſſe in eadem ſpecie, quod probatur: primò, quia omnis quiditas quantùm eſt de ſe communicabilis eſt, etiam quiditas diuina: quia nec ex perfectione repugnat ſibi, vt patet de eſſentia diuina: nec ex imperfectione repugnat, quia conuenit generabilibus & corruptibilibus: nulla autem eſt communicabilis in identitate numerali, niſi ſit infinita: ergo quælibet alia eſt communicabilis: & hoc cum diſtinctione numerali, & ita propoſitum.

Solutio quæſt.

Omnis quiditas eſt communicabilis.

4. Prætereà, quælibet quiditas [c] creaturæ poteſt intelligi ſub ratione vniuerſalis abſque contradictione: ſi autem ipſa de ſe eſſet hæc, contradictio eſſet intelligere eam ſub ratione vniuerſalis: ſicut eſt contradictio intelligere eſſentiam diuinam ſub ratione vniuerſalis, vel vniuerſalitatis; quia ratio intelligendi, repugnat omnino ſub obiecto intellecto, quod eſt intellectum eſſe falſum.

D. Th. An 4. d. 44. q. 1.

[d] Prætereà, ſi Deus poteſt hunc Angelum in hac ſpecie annihilare, iſto annihilato, poteſt iſtam ſpeciem de nouo producere in aliquo alio indiuiduo, non autem in iſto ſecundùm illos, qui ſunt iſtius opinionis, quia homo ſecundùm iſtos, non poſſet reſurgere idem numero, niſi anima intellectiua maneret eadem numero.

Item, animæ intellectiuæ diſtinguuntur numero in eadem ſpecie, & tamen ſunt formæ puræ, licèt perfectiuæ materiæ: igitur non eſt impoſsibilitas à parte formarum, quod diſtinguantur numero in eadem ſpecie, quicquid enim concluderet iſtam impoſsibilitatem ratione formæ in Angelis, concluderet in animabus.

Quod ſi dicas, quòd animæ habent inclinationem ad diuerſa corpora: igitur per hæc diſtinguuntur,

Contrà, inclinatio non eſt entitas abſoluta, quia non poteſt aliquid inclinari ad ſe: ergo præſupponit aliquam entitatem abſolutam, & diſtinctam: quia enim eſt hæc anima, ideò habet talem inclinationem, & non è contra: ergo hæc inclinatio non eſt ratio eſſendi hanc animam, ſed præſupponit eam.

Inclinatio non indiuiduat abſolutum.

Et confirmatur hoc [e] etiam per aliquos, quibus eſt inconueniens, quòd aliqua ſpecies ſimul tota ſit damnata naturæ intellectualis ſimpliciter: multæ autem ſpecies eſſent Angelorum, in quibus nulla eſſet ſaluata poſitâ iſtâ poſitione: igitur nõ eſt vera.

Quære D. Th. in 3. diſt. 20. & Mag. in 2. diſt. 21.

Et perſuadetur [f] prima poſitio per hoc, quod dicit Auguſt. in Ench. cap. 28. *Placuit itaque vniuerſalitatis creatori, atque moderatori Deo, vt quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deſerendo perierat, illa quæ perierat in perditione perpetua remaneret: quæ autem cum Deo, illa deſerente perſtiterat, de ſua certiſſimè cognita, ſemper futura fœlicitate gauderet: alia verò creatura rationalis, quæ in hominibus erat quoniã peccatis atque ſuppliciis & originalibus, & propriis, tota perierat, ex eius parte reparata, quod Angelica ſocietati ruina illa diabolica minuerat, ſuppleretur.* Iſta totalitas & partialitas in Angelis nõ videtur eſſe rationabilis, niſi ponatur, quòd nulla ſpecies angelica quãtũ ad omnia indiuidua totaliter perierat, & ita aliqui de quacũq; ſpecie corruerũt & aliqui perſtiterũt: igitur, &c.

5. Prætereà, ſi concedatur quòd quiditas Angeli ex ſe in plura ſit diuiſibilis, vel pluribus communicabilis, & per conſequens, quantùm eſt de ſe in infinitum, quia nõ eſt ratio finitatis ex parte multitudinis numeralis, ſi per hoc quòd ipſa natura producta, eſt in ipſo indiuiduo, aufertur poſsibilitas eius eſſendi in pluribus; eſt ergo in hoc indiuiduo ſecundùm totam communicabilitatem ſuam & per conſequens infinitè: quia eſt infinitè communicabilis ſecundùm quiditatem ſuam: igitur ille vnus Angelus eſſet formaliter infinitus: conſequens autem eſt inconueniens; igitur antecedens.

Dico igitur, quòd omnis natura, quæ non eſt de ſe actus purus, poteſt ſecundùm illam realitatem, ſecundùm quam eſt natura eſſe potentialis ad realitatem illam qua eſt hæc natura: & ſicut de ſe non includit aliquam entitatem quaſi ſingularem, ita nõ repugnant ſibi quotcunque tales entitates: & ita poteſt in quotcunque talibus inueniri. In eo tamen quod eſt neceſſe eſſe ex ſe, eſt determinatio in natura ad eſſe hoc: quia tantum eſt, quantum poteſt eſſe: quia quicquid poteſt eſſe in natura, eſt ibi, ita quòd determinatio non poteſt eſſe per aliquod extrinſecum ad ſingularitatem, ſi

Omnis natura præter diuinã, eſt multiplicabilis.

poſsibilitas

poſsibilitas ſit in natura per ſe ad infinitatem: ſecus eſt in omni natura poſsibili, v poteſt cadere multitudo.

COMMENTARIVS.

1. *An plures Angeli ſint in eadem ſpecie.*

a QVi dicunt ad quæſtiones præcedentes de *individuatione principium individuationis eſſe quantitatem*, vt Ægidius quodli. 2. q. 7. & Gotfredus quodlib. 6. q. 16. & quodlib. 7. q. 6. *vel materiam*, vt dicit Thomas 2. diſt. 3. q. 4. & in prima parte ſummæ, q. 7. ar. 1. *conſequenter habent dicere ad iſtam quæſtionem negatiuè, ſcilicet quòd non poſſunt eſſe plures Angeli in eadem ſpecie*, quia in eis non eſt quantitas, neque materia. *Habent etiam dicere, quòd non tantùm hoc eſt impoſſibile ex proprietate intrinſeca, ſed etiã ex proprietate extrinſeca, quia ſimpliciter eſt incompoſſibile, ex quo ſibi repugnat illud, quod præcisè poteſt eſſe principium diſtinctionis* numeralis.

b *Tenenda eſt ergo concluſio ſimpliciter oppoſita.* Hîc Doctor aſſertiuè dicit plures Angelos poſſe eſſe in eadem ſpecie ſpecialiſſima: quam concluſionem multiplici medio oſtendit. Primò ſic: *omnis quiditas quantùm eſt de ſe, communicabilis eſt*, ſed quilibet Angelus includit quiditatẽ: ergo. Maior eſt nota, quia ſi quiditati, vt quiditas, repugnaret communicari pluribus, aut repugnaret ratione perfectionis; aut ratione imperfectionis: non primò, quia eſſentia diuina cõmunicatur pluribus, quæ tamen eſt perfectiſſima; nõ ſecundò, quia non corruptibilibus, & generabilibus. Sed *nulla quiditas in identitate numerali eſt communicabilis, niſi ſit infinita*, id eſt, quòd nulla quiditas habens tantùm vnitatem numeralem poteſt communicari pluribus ſuppoſitis, niſi formaliter infinita cuiuſmodi eſt eſſentia diuina, & per conſequens *quælibet alia* quiditas *eſt communicabilis, & hoc cùm diſtinctione numerali*, id eſt, quòd communicatur pluribus numero diſtinctis, in quibus etiam ipſa realiter diſtinguitur, vt ſupra patuit de natura humana, quæ vt communicatur pluribus, in eis etiam realiter diſtinguitur, quia in alio, & alio individuo eſt alia, & alia natura, quæ tamen naturæ, vt priores ſunt naturæ, ratione individuali realiter diſtinguuntur, non tamen realiter numeraliter, nec realiter ſpecificè, vt ſuprà prolixè expoſui *q. 1. huius diſtinct.*

2. *Difficultas.*

Sed in iſta litera occurrit aliqualis difficultas. Primò in hoc, quod dicit, quòd *omnis quiditas eſt communicabilis pluribus.* Videtur enim ſibi contradicere, quia paternitas in diuinis dicit quiditatem; patet, quia à paternitate diuina, & creata abſtrahitur paternitas, quæ prædicatur in *quid* de eis, & ſic paternitas diuina, vt prior ſingularitate dicit quiditatem, & per conſequens vt ſic, prior eſt indifferens ad omnem quiditatem natam cõtrahere paternitatem ad individuationem: ſi ergo quælibet quiditas ſit communicabilis pluribus, ſequitur quòd paternitas diuina non erit ratio conſtituendi Patrem in *eſſe* ſuppoſitali, & perſonali, quia illud tale eſt ſimpliciter incommunicabile, vt *quo* & vt *quod* vt patet à Doctore *in primo diſt. 2. par. 2. q. 1. & diſt. 26.*

Dubitatio.

Secundò dubitatur in hoc, quod dicit, quòd *ſi quiditati repugnat communicari pluribus, aut hoc erit ratione perfectionis vel imperfectionis.* Hoc non videtur, tum, quia paternitati in diuinis, ſiue rationi ſuppoſitali in diuinis, per oppoſitum repugnat communicari pluribus, & tamen hoc nõ erit ratione perfectionis, vel imperfectionis, cùm nec perfectionem, nec imperfectionem dicat: modò quot modis dicitur vnum oppoſitum, ita & reliquum, & ſicut propoſitum in propoſito, ita oppoſitum in oppoſito.

Tum, quia quiditas, vt quiditas, vt prior ſua perfectione illimitata, & perfectione limitata: eſſentia, enim diuina ponitur prior infinitate intenſiua, quia gradus intrinſecus eſt poſterior eo, cuius eſt gradus, & ſimiliter finitas intenſiua ponitur poſterior re cuius eſt, cùm ſit gradus intrinſecus. De infinitate eſſentiæ diuinæ, quòd ſit gradus intrinſecus, *diſt. 3. q. 1. & in quodlib. q. 5.* de finitate verò patet etiam à Doctore *in primo, diſt. 8. q. 2.*

Reſponſio. Quomodo paternitas in diuinis ſit incommunicabilis.

Ad primum dubium reſpondeo, quòd paternitas diuina eſt ſimpliciter incommunicabilis vt *quo*, & vt quod, & de ſe hæc, & ſingulariſſima, & dicit quiditatem, & concedo quòd quiditatiuè paternitas diuina, & creata conueniunt in paternitate in communi, tanquam in conceptu dicto in *quid*, ſed non in aliqua realitate contrahibili realiter per aliam, & aliam hæcceitatem, vt patet à Doctore *in primo, di. 26.* & intelligo ſic, quòd à paternitate ſingulariſſima, & incommunicabili ſimpliciter vt *quo*, & vt *quòd*, loquendo de paternitate in diuinis, poteſt abſtrahi aliquis conceptus dictus in *quid*, qui ſimpliciter erit poſterius tali paternitate, ſed ibi non ponitur aliqua realitas ex natura rei prior aliquo contractiuo, ſiue aliqua differentia individuali; quia quicquid eſt in diuinis eſt ſimpliciter in vltima actualitate, vt patet à Doctore in pluribus locis. Sed quare à paternitate diuina, quæ eſt ſimpliciter incommunicabilis vt *quo*, & vt *quod*, poteſt abſtrahi conceptus in *quid*, & à paternitate Ioannis quæ eſt incommunicabilis vt *quod* tantùm, (quia ſingulare, vt huiuſmodi eſt ſaltem communicabile vt *quo*, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 2. par. 2. quæſt. 1.*) non poteſt abſtrahi conceptus in *quid*. Dico, vt expoſui *in primo diſt. 26.* vide ibi.

4. *An quiditas ſit communicabilis.*

Si dicatur per Doctorem; omnis quiditas eſt communicabilis pluribus: paternitas in diuinis eſt quiditas.

Dico, quòd aliud eſt loqui de quiditate, in qua plura poſſunt cõuenire tanquam in realitate, ſiue quæ ex natura rei eſt contrahibilis ad plura: & aliud eſt loqui de quiditate, à qua tantùm poteſt abſtrahi conceptus dictus in *quid*. Primo modo omnis quiditas non tantùm eſt communicabilis pluribus, ſed etiam eſt diuiſibilis in illa plura, ſed non ſecundo modo.

Eſſentia diuina eſt communicabilis nõ tamen poteſt diuidi.

Si iterum dicatur, eſſentia diuina eſt vera quiditas, & tamen ab ea non poteſt abſtrahi, niſi cõceptus dictus in *quid* communis Deo, & creaturæ: non enim Deus, & creatura conueniunt quiditatiuè in aliqua realitate ex natura rei, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 8. q. 2.* & vide quæ expoſui *in primo, diſt. 2. par. 1. q. 1.* exponendo illud argumentum, quo probat Doctor quòd non poſſunt eſſe plura *neceſſe eſſe*, & tamen eſſentia diuina eſt communicabilis pluribus ſuppoſitis, licèt non poſſit diuidi in illis: ergo ſimiliter videtur dicendum de paternitate.

Dico, quòd etſi paternitati diuinæ, vt quiditas, non repugnat communicari pluribus, tamen paternitati

paternitati,vt talis paternitas,repugnat quia vt talis paternitas eſt ratio conſtituendi aliquid in diuinis in *eſſe* perſonali,ſiue ſuppoſitali:eſſentia verò diuina vt quiditas,& vt talis quiditas, ſcilicet quòd eſſentia diuina,cùm ſibi repugnat ratio incommunicabilitatis,eſt pluribus communicabilis.

5. Si etiam dicatur, quòd ſaltem paternitas diuina,cùm dicat quiditatem, erit pluribus communicabilis, tenendo quòd perſonæ diuinæ conſtituantur in *eſſe* ſuppoſitali, ſiue perſonali per abſoluta, & non tantum per relationes, quia tunc talis paternitas non erit ratio ſuppoſitalis.

Quare paternitas ſit incommunicabilis.

Dico,quòd etiam paternitas,vt diuina erit ſimpliciter incómunicabilis pluribus:& ſi quæratur cauſa,nulla alia eſt aſſignãda,niſi quòd ſic eſt talis entitas incómunicabilis,quòd ſi illa non eſſet(per poſſibile,vel impoſſibile)nulla alia paternitas eſſet in diuinis,vt patet à Doctore *in quolib.q.*2.quãuis ergo dicat quiditatem,tamen illa quiditas,vt talis quiditas, & vt cõſequens proprietatem perſonalem erit ſimpliciter incómunicabilis:eſſet tamen inecõueniens quòd ſi talis quiditas diceret perfectionẽ,quod nõ poſſit cõmunicari pluribus.Patet etiã quòd multæ ſunt quiditates in diuinis, quæ tamen non ſunt cõmunicabiles pluribus:patet de æqualitate in Patre,quæ ſic Patri conuenit, quòd eadem numero repugnat filio : hoc idem dico de æqualitate in filio.Patet etiam de ſimilitudine in Patre,quâ eſt ſimilis filio, quæ eſt ſimpliciter incõmunicabilis,cùm tãtùm Patri conueniat,& idẽ dicendũ eſt de ſimilitudine in filio,quæ omnia patent à Doctore *in primo,d.*31.Maior ergo Doctoris videlicet, quòd *omnis quiditas eſt cõmunicabilis*,eſt intelligenda,vel de quiditate quãta,quæ vel dicit perfectionẽ, & excludit omnẽ imperfectionem, cuiuſmodi eſt eſſentia diuina;vel quæ dicit perfectionẽ,& nõ excludit imperfectionẽ,vt quiditates creatæ,dicẽtes perfectionẽ aliquã;vel quæ nullam includũt perfectionẽ,nec tamẽ excludunt omnẽ imperfectionẽ,vt ſunt fortè relationes reales in creaturis, quæ formaliter nullã dicunt perfectionẽ,includunt tamen imperfectionem, quia limitationem.Sed nõ eſt intelligenda de quiditate ſimpliciter non quanta, quæ formaliter nullã imperfectionẽ includit, & omnẽ imperfectionẽ excludit,cuiuſmodi ſunt relationes diuinæ, tam originis, quàm communes. Vnde Doctor *in primo, diſt.*26.Dicit,quòd omnis quiditas,quæ dicit perfectionem,quæ eſt diuiſibilis eſt communicabilis pluribus:paternitas non dicit perfectionẽ,nec eſt diuiſibilis:patet quia quæ ſunt diuiſibilia nõ ſunt in vltima actualitate,vt etiam patet *in* 1.*d.*2.*& in quoli.q.*2.& hæc omnia benè põdera:In propoſito autẽ valet ratio Doctoris quia Angelus dicit verè, & realiter quiditatem perfectam,licèt limitatam.

An Omnis quiditas ſit communicabilis.

6. *Pondera bene hæc omnia. Quomodo procedat Doctor.*

Ad aliud dubium.Dico ad primam rationẽ, & ſimul ad ſecundam,quòd ideò Doctor non procedit à priori,nec à cauſa præciſa,ſed magis à poſteriori,id eſt,quòd ſi appareret aliqualis repugnantia,quòd quiditas non ſit communicabilis,aut apparet propter perfectionem illius;aut propter imperfectionem:quia opinio contraria ponit talem ſubſtantiam eſſe ſingularem, & indiuiduam de ſe,& ex natura, ita quòd quælibet ſubſtantia Angelica præciſè dicit aliam,& aliam entitatem ſpecificam,in qua non eſt materia,neque quantitas:& ideò propter ſuam perfectionem non poteſt eſſe in pluribus numero diſtinctis : & ideò Doctor arguit,quòd talis repugnantia non apparet propter talem perfectionem , quia etiam eſſentia diuina, cùm ſit perfectiſſima,eſt communicabilis.

c *Præterea quælibet quiditas creatura*,&c.Hæc eſt ſecunda ratio , quam facit Doctor probando plures Angelos poſſe eſſe eiuſdem ſpeciei:& ratio ſtat in hoc : quia omnis quiditas creata poteſt intelligi ſub ratione vniuerſali ; ergo , quantùm eſt ex ſe,erit pluribus communicabilis,& diuiſibilis in plura:ſi enim eſſet ſingularis de ſe, eſſet repugnantia poſſe intelligi ſub ratione vniuerſali , vt ſatis deductum eſt *in primo, d.*3. *q.*6. *& in iſto* 2. *d.præſenti quæſt.*1. Et notantet dixit *de quiditate creata* , quia licèt natura diuina ſit quiditas , & pluribus communicabilis , non tamen poteſt ei applicari ratio vniuerſalitatis , nec intelligi ſub aliqua ratione vniuerſali , quia omne vniuerſale vltra hoc , quòd eſt pluribus communicabile,eſt etiam in illa plura diuiſibile,& multiplicabile. 7.

Quiditas creata eſt communicabilis,& diuiſibilis in plura.

d *Præterea ſi Deus poteſt hunc Angelum in hac ſpecie annihilare.*In iſta tertia ratione Doctor ſupponit vnum,ſcilicet quòd quiditas creata per diuinam potentiã poſſit eadẽ redire,& hoc communiter conceditur,ſed idem numero annihilatũ redire non poteſt , ſecundùm iſtos : dicunt enim iſti,quòd ſi anima Socratis eſt annihilata,nunquã Socrates poſſet reſurgere,& volunt iſti,quòd totũ eſſe Socratis ſit ab eadem anima numero,contra quã opinionẽ arguit Doctor *in* 4. *d.*4. & ideò argumentum hoc eſt tantum ad hominẽ, quia vult quòd ſimpliciter idem numero annihilatũ poſſit per diuinã potentiam redire,vt patebit *in* 4.*d.*44. Stat ergo argumentum in hoc , quòd ſi Deus annihilet vnum Angelum,quiditas illa erit annihilata. Cùm ergo Deus poſſit eandem annihilatam reparare,& nõ in eodem indiuiduo prius annihilato , cùm non poſſit redire idem ; ergo erit in alio , & ſic eadem natura ſpecifica poteſt eſſe in pluribus indiuiduis.

e *Et confirmatur hoc*,ſupple,quòd plures Angeli ſint in eadem ſpecie per hoc,quòd aliquibus eſt inconueniens , quòd aliqua ſpecies ſimul tota naturæ intellectualis ſit damnata ; ſed ſi quilibet Angelus ſpecificè diſtinguitur ab alio, plures naturæ ſpecificè eſſent ſimpliciter damnatæ ; quia quot Angeli ſunt damnati, tot ſpecies naturæ intellectualis ſunt damnatæ, quod eſt valdè inconueniens apud eos.

f *Et perſuadetur.* Prima propoſitio eſt iſta, quæ formatur auctoritate Auguſtini videlicet, quòd eſt incõueniens aliquã ſpeciẽ realẽ ſimpliciter intellectualis,& auctoritas clara eſt in litera.

Præterea ſi concedatur. Doctor in iſta ratione primo ſupponit, quòd quiditas Angeli quantùm eſt ex parte ſua,ſit cõmunicabilis,ſinè plurificabilis in plura indiuidua, ex parte etiã ſua erit plurificabilis in infinita , vt patet à Doctore *in primo, d.*2.*parte prima,q.*3.*& q.*2.*quoli.*vbi oſtẽdit,quòd natura, quæ ex ſe non eſt determinata ad certum numerũ indiuiduorũ,quantùm eſt ex ſe,poteſt eſſe in infinitis.Secundò ſupponit,quòd quãdo talis natura actu eſt in vno indiuiduo ſi tota ibi eſt,quòd tamen eſt impoſſibile eſſe in aliis,tale indiuiduum erit formaliter, & actu infinitum:quæ conſequentia tenet ex hoc,ponendo talem caſum, quòd natura humana quando eſt in pluribus ſic diuiſa eſt in illis, puta in *A*, *B*, *D*, & *C*, quòd ipſum *A* dicit vnam naturam humanam , dicentem perfectionem intrinſecè , & *B*, aliam naturam realiter diſtinctam à natura *A* : & ſic de aliis, ergo ſi tota natura humana ſic præciſè eſſet in vno indiuiduo , quòd eſſet impoſſibile eſſe in

alio,erit actu, & formaliter infinita : patet , quia ſi eſſent infinitæ naturæ humanæ intenſiuè in vno indiuiduo , quarum quælibet dicit aliam, & aliam perfectionem intenſiuè illud vnum eſſet formaliter infinitum. Et non eſt ſic imaginandum , vt aliqui, quòd eadem natura inuariabiliter in *A* modò in *C*,modò in *B*, & ſic de ſingulis. Et hoc eſt communicabile creatum multipliciter , ſiue diuidi in plura, ſiue in plures naturas, quæ contrahuntur ad ſingularitatẽ,quãuis natura contracta à ſingularitate, vt eſt prior natura ſingularitate ſit indifferens ad omnem ſingularitatem:ſed vt realiter eſt contracta per aliquam ſingularitatem,vt ſic, eſt tantùm vna numero : hoc idem dico de alia naturà contracta per aliam ſingularitatem,vt ſuprà patuit præſenti d.q.prima.

SCHOLIVM.

Quòd Philoſophus ſumpſit materiam pro differentia indiuiduali oſtendit q.præced.n.20.nũc admiſſo quòd intellexerit alterã partem compoſiti per materiam,docet hoc eum ideò feciſſe,quia iudicauit Intelligentias eſſe neceſſarias,in quo errauit:& ſic melius eſt diſſentire ab eo,in principio & concluſione ſimul, quàm concedendo falſum principium, negare concluſionem. Explicat quomodo differunt,diſtinctio formarũ,& formalis,in rigore Logico,& illud formæ ſunt ſicut numeri,*& alia ſolẽnia loca ex Philoſopho.Item quare Philoſophus negauit corpus cæleſte in tẽpore produci poſſe,& aſſeruit vnũ tãtùm poſſe eſſe indiuiduũ in ſingulis ſpeciebus corporũ cæleſtiũ.*

AD primum a argumentum dico, quòd licèt Philoſophus intelligat ibi per ſe de materia, hoc eſt de entitate contrahente per ſe, quiditatem ; tamen applicando ad habens materiam , quæ eſt altera pars compoſiti, & non habens , concedo intellectum Philoſophi fuiſſe, quod omne non habens materiam pro aliqua natura componente,eſt idem ſuo,*quod quid eſt*,primo:quia omne tale,*quod quid eſt* ponit per ſe *hoc*, & ratio ad hoc eſt,quia omne tale,quod non habet materiam partem ſui , poſuit formaliter neceſſarium:quicquid autem poteſt eſſe in natura formaliter neceſſaria, eſt in ea:ergo quodlibet quod poteſt habere illam quiditatem,habet eam, quia non eſt potentia diſtans ab actu:igitur omnem poſſibilitatem , quam poſuit in tali natura ad ſuppoſita,poſuit in actu : ſi autem ibi eſſet poſſibilitas ad plura indiuidua,eſſet poſſibilitas ad infinita : igitur eſſent infinita in actu : quare cùm infinitas ſit impoſſibilis in aliqua natura:igitur & in hac natura ſecundùm eum, eſt impoſſibilitas ad infinitatem : ideò eſt de ſe hæc ſecundùm ipſum. 6.

Qualiter debeat Theologus diſcordare à Philoſopho in cognitione primi motoris.

b Sed diſcordamus ab eo in hac propoſitione:*Omnis quiditas nõ habens materiã eſt formaliter neceſſaria:*& ideò in concluſione.Rationabilius eſt enim Theologo diſcordãti à Philoſopho in principio,propter quod tenet aliquã cõcluſionẽ,cõſequenter diſcordare in cõcluſione,quàm errare cũ eo in cõcluſione,&diſcordare ab eo in principio:propter quod ipſe errauit.Ita enim cõcordare cũ eo,nec eſt philoſophari,nec Theologicè ſentire:quia talis nõ habet rationẽ,quæ valeat apud Philoſophum, quia nec Philoſophus cõcederet concluſionẽ,niſi propter principiũ illud:nec ad concluſionẽ ſuã habet principiũ Theologicũ,quia præcisè ad ea eſt principium philoſophicum, quod ipſe negat.

Angelum ſuperiorem creaſſe inferiorem error Auic.

Per idem patet ad Auicennam,dico , quòd intentio eius fuit quòd tantùm ſit vnus Angelus in vna ſpecie:ſed propoſitio cui hæc concluſio innititur,ſcilicet quòd Angelus ſuperior creat inferiorem,à nullo Theologo, vel Catholico conceditur:quare nec eius concluſio debet concedi ab aliquo Theologo.

c Ad rationẽ primã aliàs fuit dictum quòd differentia formalis poteſt accipi pro differentia in forma:& hoc videtur propriè ſignificare : hoc quod dicetur *differentia formalis*;vel poteſt accipi *differentia formalis*,pro differentia formarum,licèt nõ ſit in forma, vt in ratione differendi. Primo modo poteſt concedi maior,& ſic eſt minor falſa. 7.

Ad 2. Supra q.4. art.4. contra opinio. n.10.& 17. diſt.1.& 7. & 8. Metaphyſicæ.

Probatio autem minoris ſcilicet,quod Angelus differt ab Angelo,qui eſt forma, ergo habent differentiã formalẽ;includit fallaciã Conſequentis:non enim ſequitur:formæ differunt,ergo formaliter differunt,vel differunt in forma:ſicut non ſequitur,homines plures differunt,igitur in humanitate differunt. Aliud enim eſt aliquid diſtingui , & aliud ipſum eſſe primam rationem diſtinguendi, vel dictinctionis:quia cum hoc quòd ipſum ſit diſtinctum,ſtat quòd ipſum non ſit ratio diſtinguendi,cum hoc autem quòd ipſum ſit prima ratio diſtinguendi,non ſtat ipſum non eſſe diſtinctum.

Aliud diſtinctio formarũ,aliud formalis diſtinctio. Vide 1. d. 4 q.1. De hoc. Scot.1.d.4. q.un.

d Et ratio l ogica eſt ad hoc,quia negatio incluſa in nomine *differentiæ* , non tantùm confundit terminum huius relationis confuſè , & diſtributiuè : ſed etiam illud quod ſpecificat differentiam,vt in quo notatur eſſe differentia. Hoc quippe confunditur quantùm ad negationem incluſam in hoc nomine *differentia* , quia ſi Socrates differt à Platone in albedine,non eſt idem ſibi nec in hac albedine,nec in illa albedine.

Ad 3.

e Si autem accipiatur maior impropriè,ſcilicet iuxta ſecundum intellectum:nego maiorem. Ad probationem dico, quòd Philoſophus loquitur in 8.Metaph.de forma, prout indicat quiditatem : quod apparet ex prima comparatione formarum ad numeros:dicit enim : *Si enim*(inquit)*ſunt aliqualiter numeri ſubſtantiæ.ſic ſunt , nam deſiñ-* 8.

tio numerus quidam diuiſibilis eſt, etiam in indiuiſibilia, non enim infinitæ rationes, & numerus autem talis: hoc eſt, reſolutio definitionum ſic ſtat ad indiuiſibile, ſicut reſolutio numerorum ad indiuiſibile: & talis definitio eſt eius, quod vocat *ſubſtantiam*, hoc eſt quiditatis, non formæ quæ eſt altera pars eius. Hoc autem modo dico, quòd nihil additur formæ, quin variet ſpeciem: vel ſimpliciter, hoc eſt de vna ſpecie aliam facit contrariam vel diſparatam: vel ſecundùm *quid*, hoc eſt de non tali ſpecie, faciat talem ſpeciem, puta ſi addatur differentia pertinens ad *eſſe* quiditatiuum generi, faciet ſpeciem ſpecialiſſimam, & non præfuit talis ſpecies ſpecialiſima, ſed tantùm præfuit ſpecies intermedia. Et hoc modo dico, quòd quicquid eſt citra naturam in inferioribus, nihil addit formæ: ſiue ſit proprietas indiuidualis, ſiue magis, vel minùs, vel quodcunque aliud quod non reſpicit naturam, et eſt in ſuo *eſſe* quiditatiuo; non aufert, nec addit aliquid ſubſtantiæ hoc modo.

Formæ ſunt ſicut numeri, explicatur.

Exemplum huius eſſet, ſi vnitas inquantùm pars ternarij eſſet pars præcisè inquantùm differentia numeralis, vel indiuidualis; & tamen ipſa poſſet in ſe intendi, & remitti; iſta differentia eſſet eius per ſe, & per accidens inquantùm eſt pars ternarij: ideò non eſſet alius ternarius vnitate intenſa & remiſſa.

Quando ergo dicis, quòd quæcunque diſtinctio formarum, eſt ſicut diſtinctio numeri; falſum eſt, niſi ſit earum ſecundùm *eſſe* formale quod pertinet ad quiditatem per ſe: & talis non eſt hic.

9. Ad illud de 10. Metaph. [g] dico, quòd eſt fallacia Conſequentis inferendo ex textu omnes formas differre ſpecificè, verè enim Philoſophus vult ibi, quòd differentia non eſt ſpecifica: ſed ex hoc non ſequitur, quod omnis differentia formalis ſit ſpecifica; ſed iſtud eſt quod iſti volunt habere, ſicut non ſequitur in affirmatiuis æquipollentibus iſtis; quia vniuerſalis affirmatiua non conuertitur terminis eodem modo ſe habentibus: à Philoſopho igitur accipi poteſt, quòd ſola differentia formalis eſt ſpecifica, nõ quòd omnis differentia formalis eſt ſpecifica, quia licèt excluſiua inferat affirmatiuam de terminis tranſpoſitis: non tamen eodem modo de terminis non tranſpoſitis; ſed eſt fallacia Conſequentis, ſicut conuertendo indefinitam in vniuerſalem affirmatiuã: imò ex illo loco magis videtur accipi oppoſitũ huiu propoſitionis: *Omnis differẽtia formarũ eſt ſpecifica*, differẽtia enim hominis albi, & equi nigri eſt differẽtia formarũ, & aliquo modo per formas: nõ tamẽ ſpecifica differentia ſecundùm eũ ibi; quia illæ formæ reſpectu naturarũ in quibus ſunt, non ſunt formales, imò conſequentes indiuidua: non autem per ſe conſequentes, vel per ſe determinantes *eſſe* quiditatiuum.

Adarg. 4. Differentia non formalis, nõ eſt ſpecifica: non ideo omnis formalis eſt ſpecifica. Excluſiua infert affirmatiuã de terminis tranſpoſitis, non eodem modo ſe habentibus.

Ad aliud dico [h] quòd ſi aliquod indiuiduum ex hoc ſolo, quòd eſt ſine materia, habet in ſe totam ſpeciei perfectionem, quæ ex ſe nata eſt eſſe in infinitis, quantùm eſt ex ſe: igitur videretur habere perfectionem infinitam ex ſola carentia materiæ: quicquid autem poteſt habere perfectionem infinitam, habet eam: & ita in qualibet ſpecie eſſet perfectio infinita & per conſequens perfectio ſpeciei non eſſet finita, vel determinata per determinationem, vel ſpecificationem, vel limitationẽ differentiæ vltimæ, quæ vltimatè ſpeciẽ conſtituit, addita generi, quod eſt falſum, & contra omnes Philoſophos: Falſa eſt ergo iſta propoſitio, quòd ſcilicet illud indiuiduum, quod poteſt eſſe ſine materia ex hac ſola cauſa priuatiua, quia eſt ſine materia; habet totam perfectionem ſpeciei, quia ſi cum hoc ponatur, quòd nihil poſitiuè fiat circa ipſum, ſed ſola ſeparatio materiæ, nihil ponitur, quod non præfuit.

Ad 5. ſ. 10. Met. Si materia multiplicat indiuidua, indiuiduũ. carens ea, eſſet infinite perfectũ. Quomodo forma ſeparata à materia habet totã perfectionẽ ſpecici.

10. Si autem intelligatur, prout habet aliquam probabilitatem, quòd ſcilicet forma ſi eſſet ſeparata à materia, ipſa haberet totam perfectionem ſpeciei: quia non participabilis à materia: illa eſſet falſa, & petit principium, niſi intelligatur prout materia dicit illam entitatem indiuidualem contrahentem formam. Hoc modo intelligendo æquiuocationem iſtius propoſitionis aſſumptæ, omnis forma habet totam perfectionem ſpeciei, & eſt de ſe *hæc*, quæ non eſt participabilis à materia, & tunc eſt minor ſubſumta de Angelo, ſimpliciter falſa, quia licèt iſta eſſentia non ſit participabilis à materia; quæ eſt altera pars compoſiti: eſt tamen participabilis à pluribus materialibus, id eſt, à pluribus indiuiduis habentibus quiditates materiales: quæ dicuntur materiales, ſicut ſæpè dictum eſt, reſpectu quiditatis contractæ, prout quiditas dicitur forma.

Ad aliud dico, [i] quòd in forma arguendi eſt fallacia Conſequentis: infinitas non intenditur, igitur nec pluralitas numeralis. Non enim pluralitas numeralis eſt de ſe infinita, ſed tantùm ſtare poteſt infinitas, ipſa non repugnante: licèt ergo nullus intendat infinitatem per ſe, tamen aliquis poteſt intendere multitudinem numeralem, quæ de ſe non eſt infinita: quia ſicut compatitur ſecum infinitatem, ita & finitatem: &

Natura non intendit infinitatem, bene pluralitatem.

ſic poteſt intelligi illud communiter dictum eorum. Et ſecundùm veritatem, licèt in toto vniuerſo principaliter ordo attendatur ſecundùm diſtinctionem ſpecierum, in quibus eſt imparitas pertinens ad ordinem: tamen quia ſecundùm Auguſtinum de Ciuit lib. 19. cap. 13. *Ordo eſt parium imparium̃que rerum vnicuique loca ſua diſtribuens, congrua diſpoſitio*, ab illo autem agente qui principaliter intendit ordinem vniuerſi, ſicut principale bonum intrinſecum ſibi, non tantùm intenditur iſta imparitas, quæ eſt vnum requiſitum ad ordinem, ſcilicet ſpecierum: ſed etiam paritas indiuiduorum in eadem ſpecie, quæ eſt aliud concurrens ad ordinem. Et ſimiliter indiuidua intenduntur ab ipſo primo, prout ipſum intendit aliquid aliud à ſe, non vt finem, ſed vt aliquid aliud ad finem. Vnde propter bonitatem ſuam communicandam, & propter ſuam beatitudinem, plura in eadem ſpecie produxit, in principalibus autem entibus, eſt à Deo intentum indiuiduum principaliter. & cùm hoc modo ſumitur, non intenditur differentia numeralis, falſum eſt, & cùm probatur, hoc modo poteſt eſſe infinitas; non ſequitur, poteſt eſſe infinitas, & iſta infinitas non intenditur: ergo nulla differentia numeralis intenditur; non ſequitur. Poteſt enim eſſe aliqua differentia numeralis finita, & eſt, & iſta poteſt intendi & intenditur.

Deus intendit indiuidua.

II.

Ad vltimum [k], licèt Philoſophus dicat, quòd generatio eſt perpetua ad ſaluandum eſſe diuinum: & hoc in corruptibilibus. Vnde iſta eſt vna cauſa multitudinis indiuiduorum, in eadem ſpecie: ſed non præcipua cauſa, ſed illa quæ dicta eſt.

2. de Anim. t. c. 35. vide 2. de gene t. c. 59. Ait Philoſophus generationem eſſe, ad ſaluandum eſſe diuinũ, ſcilicet participatum in ſpecie, eſt tamẽ alia magis præcipua cauſa.

Et quod additur, de corporibus cæleſtibus quod tantùm in vna ſpecie, eſt vnum ſingulare corpus:

Reſpondeo, ſua ratio fuit, quòd tale corpus ſingulare fuit ex tota materia illius ſpeciei, & hoc non tantùm actuali, ſed etiam potentiali ſecundùm eum: quia ſecundùm eum, nulla erat materia poſſibilis manente ſpecie tali, quæ non erat tota in vno ſingulari in tali ſpecie: nihil enim poſuit poſſe produci nouum in immobilibus, ſeu in ſempiternis, ſecundùm quòd talia ſunt, ſcilicet immobilia & ſempiterna, & quia non concordant cum eo Theologi in hac propoſitione, omne corpus ſempiternum eſt ex tota materia illius ſpeciei actuali, & potentiali: ideò non eſt concordandum cum in eo in concluſione.

COMMENTARIVS.

a *AD argumenta principalia*, &c.

Ad primum reſpondet Doctor primò gloſſando propoſitionem Ariſtotelis dicens, quòd loquitur de materia indiuiduali, ſiue hæcceitate, per quam contrahitur natura ad *eſſe* indiuiduale, & hoc non verum eſt, quòd ens, quod non habet huiuſmodi hæcceitatem determinatiuam, ſiue contractiuam naturæ, cuiuſmodi eſt eſſentia diuina, vt ſuprà dixi in illo eſt ſimpliciter idem cum eo, & eſt concluſio, ſcilicet non habens materiam, vt alteram partem ſui eſt ex natura ſua ſingularis: tenet ex hoc, quòd in accidente non habens materiam alteram partem ſui eſt ſimpliciter *neceſſe eſſe*, & ſic quicquid poteſt eſſe ibi de neceſſitate ibi, & ſic non determinatur aliunde ad ſingularitatem, tanquam per aliquid ſibi adueniens. Dicit ergo Doctor quòd intentio Philoſophi eſt, quòd *omne non habens materiam partem ſui eſt formaliter neceſſarium*, &c. Vide Doctorem in primo, diſtinct. 2. parte prima, quæſt. 3. vbi arguit, quod ſi poſſent eſſe plures Dij, poſſent eſſe infiniti, & ſi poſſent eſſe, de neceſſitate actu eſſent.

1. Scotus quo modo bene interpretatur doctrinam Ariſt.

b *Sed diſcordamus ab eo in hac propoſitione*, omnis quiditas non habens materiam eſt formaliter neceſſaria; *& ideò in concluſione*, propoſitio Ariſtotelis eſt iſta, quòd *omnis quiditas*, &c. & cõcluſio ſequens eſt iſta; quod *talis quiditas non eſt contrahibilis ad plura indiuidua*, & nos tenemus oppoſitum tam propoſitiõnis, quàm concluſionis, quia nullam naturam tenemus eſſe neceſſariam formaliter, niſi diuinam, vt patuit in primo, diſt. 8. quæſt. vlti. Tenemus etiam, quòd quiditas creata non habens materiam eſt verè multiplicabilis, & contrahibilis ad plura indiuidua, vt diffusè pertractat Doctor *in quodlib. quæſt.* 2. Et vide quæ ibi expoſui.

Ad ſecundum patet reſponſio.

c Ad tertium reſpondet quòd differentia formalis poteſt accipi pro differentia in forma, vel pro differentia formarum. Primo modo conceditur maior: ſed minor eſt falſa, videlicet, quòd plures Angeli præcisè differant in forma. Et cùm probatur illa minor, quia Angelus differt ab Angelo qui eſt forma: ergo habent differentiam formalem, eſt fallacia Conſequentis: nõ enim ſequitur, formæ differunt, ergo formaliter; ſicut non ſequitur, plures homines differunt, ergo in humanitate differunt: quia differre in humanitate, eſt humanitatem eſſe rationem formalem differentiæ, vt patuit *in primo*, *d. 4. q. 1.* Eſt enim fallacia Conſequentis à poſitione ſuperioris ad poſitionem inferioris: ſicut non ſequitur, animal currit, ergo homo currit: ſic in propoſito non ſequitur, differunt vt formæ, puta hæc albedo, & hæc albedo: ergo differunt formaliter, ſiue in forma, quod eſt differre ſpecificè.

2. Differentia formalis poteſt accipi duobus modis.

Expono tamen iſtam literam. Cùm dicit, *differentia formalis poteſt accipi pro differentia in forma, vel pro differentia formarum.* Primo modo ponitur ratio formalis diſtinguendi eſſentialiter, ſicut dicimus, quòd *rationale* eſt differentia formalis hominis, quia eſt ratio diſtinguendi hominem formaliter, & eſſentialiter ab aſino, & ſic homo, & aſinus propriè differunt formaliter.

Expoſitio literæ.

Secundo modo non ponitur ratio formalis differendi. Exemplum, duæ albedines differunt vt duæ formæ, id eſt, ſunt duæ formæ ab inuicem differentes

3. Exemplum.

differentes, & tamen non differunt formaliter, quia tunc vna eſſet ratio formalis differendi ab alia, & è conuerſo; valet tamen iſta conſequentia: quæ differunt formaliter, differũt vt formæ; ſicut ab inferiori ad ſuperius affirmatiuè, non tamen valet è contra. Sequitur: *Et ſic minor eſt falſa*, videlicet iſta, quòd duo Angeli differant formaliter, ſiue in forma, quæ ponitur ratio formalis diſtinguendi vnum ab altero. Sequitur: *Probatio autem minoris, ſcilicet quòd Angelus differt ab Angelo, qui eſt forma; ergo habet differentiam formalem*; *includit fallaciam Conſequentis*, quia arguitur à magis communi ad minùs commune affirmatiuè: *ſicut non ſequitur, plures homines differunt; igitur in humanitate differunt; aliud eſt enim aliquid diſtingui, & aliud ipſum eſſe primum rationem diſtinguendi, vel diſtinctionis.* Licèt enim Franciſcus, & Ioannes diſtinguantur ab inuicem numeraliter, tamen prima ratio diſtinguendi numeraliter non eſt Franciſcus, ſed vltima differentia indiuidualis, & ſic poſſumus concedere, quòd Franciſcus, & Ioannes diſtinguuntur in hæcceitate, quia ſenſus eſt, quòd hæcceitas eſt ratio formalis (non tamen quiditatiua) diſtinguendi vnum ab altero indiuidualiter: & quamuis humanitas in Franciſco, & humanitas in Ioanne ſint duæ formæ totales ab inuicem diſtinctæ, non tamen concedimus, quòd Franciſcus, & Ioannes differant in humanitate, quia humanitas non eſt ratio diſtinguendi vnum ab altero quiditatiuè, ſed eſt ratio conueniendi. Sequitur: *Quia cum hoc, quòd ipſum ſit diſtinctum, ſtat quod ipſum non ſit ratio diſtinguendi*: patet, quia etſi humanitas Platonis ſit diſtincta ab humanitate Ioannis non tamen eſt ratio diſtinguendi Platonem à Ioanne. Sequitur; *Cùm hoc autem, quòd ipſum ſit prima ratio diſtinguendi, non ſtat ipſum non eſſe diſtinctum*, id eſt, quòd ſi humanitas eſt ratio diſtinguendi Franciſcum à Brunello, ipſa humanitas erit diſtincta à Brunello: & vult dicere in ſententia, quicquid eſt ratio diſtinguendi vnum ab altero, ſemper eſt diſtinctum ab illo, non tamen è contra ſequitur, videlicet, quicquid diſtinguitur ab altero, puta Socrate, eſt ratio diſtinguendi: quia humanitas in Platone diſtinguitur à Socrate, vel humanitate Socratis, ergo eſt ratio formalis diſtinguendi vnum ab altero, non ſequitur.

Humanitas non eſt ratio diſtinguendi.

4. d *Et ratio Logica eſt ad hoc*, &c. Exemplum de termino *differentia* eſt, cùm dico, Franciſcus differt ab aſino, ly *aſino* ponitur terminus huius differentiæ, & ſtat confuſè diſtributiuè mobiliter, quia negatio incluſa in ly *differt*, ſemper confundit terminum immediatè ſequentem confuſè diſtributiuè mobiliter, dummodò ſit capax confuſionis. Quomodo autem negatio ſit incluſa in differentia, patet exponendo. Nam cùm dico, Franciſcus differt à Brunello exponitur ſic, Franciſcus eſt, & Brunellus eſt; & Franciſcus non eſt Brunellus: ergo differt ab illo. Sequitur, & cùm dicit etiam, quòd talis negatio incluſa in differentia habet vim cõfundendi illud, quod ſpecificat differentiam, vt cùm dico, Franciſcus differt à Brunello in humanitate, ly *humanitas*, vt comparatur ad negationem incluſam in differentia ſtat confuſè diſtributiuè mobiliter, quia benè ſequitur; Franciſcus differt à Brunello in humanitate; ergo non eſt idem in iſta humanitate, nec in iſta, & ſic de aliis. Aduerte etiam, quòd talis differentia includit vnam affirmatiuam, de qua etiam ſuprà *in primo, diſt. 4. quæſt. 1.* Cùm enim dico, Franciſcus differt à Brunello in humanitate, affirmatur, quòd humanitas eſt ratio formalis diſtinguendi Franciſcum à Brunello. Et propter affirmatiuam incluſam in differentia ſtat confuſè tantum, ſiue ſtat determinatè, ſed nullo modo confuſè diſtributiuè. Exemplum primi, quia benè ſequitur Franciſcus differt à Brunello humanitate; ergo humanitas eſt ratio formalis diſtinguendi vnum ab altero; & ſic ſtat confuſè tantùm, & ſi aliquando determinatè, hoc erit gratia materiæ, non gratia formæ, quia cùm dico, Franciſcus differt à Brunello humanitate, ſi ly *humanitas* ſupponit determinatè, ſupponit præcisè pro humanitate Socratis, per quam Socrates differt à Brunello. Exemplum ſecundi, quia non ſequitur Socrates differt humanitate à Brunello: ergo differt iſta humanitate, & iſta, & iſta: tunc enim ſequeretur, quòd differret humanitate à Platone quod eſt falſum.

5. e *Si autem accipiatur maior impropriè, ſcilicet ſecundum intellectum ſecundum nego maiorem*, ſcilicet iſtam, omnis differentia formarum eſt formalis. Sequitur: *Ad probationem dico, quòd Philoſophus loquitur*, &c. & ſic dicit tex. comm. 10. *Palam autem, & quia ſi ſint aliqualiter numeri ſubſtantiæ ſic ſunt, & non ſunt, vt quidam dicunt vnitatum multitudo*, id eſt, ſi quiditates rerum ſint aliqualiter numeri, ſic ſunt, ſcilicet ſicut poteſt haberi ex ſupradictis, vt patet in text. com. 9. *Et non vt quidam dicunt*, ſcilicet Platonici, quòd ſunt ſupple numeri limitatum. Sequitur in textu, *nam definitio numerus quidam eſt, diuiſibilis eſt enim, & in indiuiſibilia, non enim infinitæ rationes*, & numerus autem tale. Nam definitio indicans quiditatem rei, eſt quidam numerus, qui eſt diuiſibilis in indiuiſibilia, non enim rationes, ſiue definitiones ſunt infinitæ, numerus autem aliquid tale ſupple eſt, quòd eſt diuiſibilis in indiuiſibilia, hoc eſt, quòd reſoluit definitionem, ſic ſtat ad indiuiſibile, ſicut reſolutio numerorum. Exemplum, ſi definitio hominis diuidatur in aliqua duo, puta in animal, & rationale, quæ dicuntur *A*, & *B*, & iterum *A* diuiditur in *C* & *D*. ſtabitur aliquando ad aliqua indiuiſibilia, nam in cauſis materialibus, vel formalibus non contingit procedere in infinitum, vt patet *7. Metaph. tex. comm. 5.* & ideò diuiſio definiti aſſimilatur diuiſioni numeri, qui diuiditur in vltimò in indiuiſibilia, id eſt, in vnitates, & non aſſimilatur diuiſioni continui, quod diuiditur in infinitum in ſemper diuiſibilia, vt ſuprà patuit *diſt. 2. quæſt. 9.*

Non rectè ſentiunt Platonici.

Exemplum.

6. Dicit ergo Doctor quòd *talis definitio eſt eius, quod vocat* ſubſtantiam, *hoc eſt quiditatis, non formæ, quæ eſt altera pars eius*, & ſic patet, quòd quiditates rerum non ſunt ſimplices, ſed compoſitæ, vt patet 8. *Metaph. text. comm. 9. Quare*, inquit, *ſubſtantia eſt quidem, cuius contingit eſſe terminũ, & rationem*, id eſt, definitionem *vt compoſitæ, ſiue ſenſibilis fuerit, ſiue intellectualis. primorũ autẽ, ex quibus hoc non eſt, ſiquidem aliquid de aliquo ſignificat ratio definitiua, & oportet hoc quidẽ, & illud verò vt formam.* Hæc ille. Ex quo textu habetur, quòd omnis ſubſtãtia definibilis neceſſariò eſt cõpoſita. Dicit ergo Doctor quòd definitio propriè eſt ſubſtãtiæ cõpoſitæ, quæ dicitur *quiditas*, & nõ eſt formæ, quæ eſt altera pars eius, vt ſuprà patet à Philoſopho, cùm dicit, *primorũ autẽ, ex quibus hoc nõ eſt*, id eſt, quòd talia, ex quibus primò componũtur definitiones, ſiue ſimplicia, & ideò cõtingit ea definiri. Patet per textũ immediatè ſequentem, cùm dicit, *Si quidẽ aliquid de aliquo ſignificat ratio*

Definitio propriè eſt ſubſtantiæ compoſitæ.

tio definitiua, &c. Sequitur, *hoc autem modo dico, quòd nihil additur formæ, quin variet ſpeciem*, &c. dicere, quòd quamuis naturæ definibili addantur, ſiue differentiæ indiuiduales, ſiue intenſio, vel remiſſio, ſiue quodcunque aliud, quod non pertinet ad *eſſe* quiditatiuum, tale additum, nec aufert, nec addit aliquid pertinens ad quiditatem. Sequitur.

f *Exemplum huius eſſet*, &c. & tamen ex hoc non ſequeretur, quod numerus trinarius ſit variatus, quamuis alicui vnitati facta ſit additio, ſcilicet intenſio, vel remiſſio, quia non eſt talis additio, quòd variet ſpeciem, & ideò nulla forma inferior ad ſpeciem variat quiditatem, cùm nulla pertineat ad *eſſe* quiditatiuum ſpeciei.

7. g Ad quartum reſpondet Doctor quòd non ſequitur, differentia materialis non eſt ſpecifica, ergo omnis differentia formalis eſt ſpecifica; & vltrà, licèt omnis differentia ſpecifica ſit formalis, non autem ſequitur, ergo omnis differentia formalis eſt ſpecifica: patet, quia differentia formarum accipiendo *formale* pro differentia formali, & non pro differentia in forma, ſiue in ſpecie, quamuis hæc ſit vera, ſola differentia formalis eſt ſpecifica, non tamen ſequitur, ergo omnis differentia formalis eſt ſpecifica; ſed eſt fallacia Conſequentis: ſicut etiam non ſequitur; ſolum animal eſt homo, ergo omne animal eſt homo, Antecedens eſt verum, & conſequens falſum: & hoc eſt quod dicit Doctor quòd excluſiua non conuertitur in vniuerſalem terminis eodem modo ſe habentibus, ſed benè conuertitur terminis tranſpoſitis: vnde benè ſequitur, ſolum animal eſt homo, ergo omnis homo eſt animal: non tamen ſequitur ſine tranſpoſitione terminorum, quia non ſequitur; ſolum animal eſt homo, ergo omne animal eſt homo. *A Philoſopho igitur accipi poteſt, quòd ſola differentia formalis eſt ſpecifica*, &c.

Quare fœmina à viro non ſpecie differt.

Dicit enim Philoſophus tex. commen. 25. *Dubitabit autem vtique aliquis, quare fœmina à viro non ſpecie differt, contrario maſculino, & fœminino exiſtente, differentia autem contrarietate*, ſupple ſi, *neque animal maſculinum, & fœmininum diuerſum eſt ſpecie, quamuis ſecundùm ſe animalia hæc ſit differentia, & non vt albedo, aut nigredo, ſed inquantum animal maſculinum, & fœmininum eſt*, id eſt, non ſe habent, ſupple per accidens ad animal, vt albedo, aut nigredo, ſed animal, inquantum animal, ſupple per ſe eſt maſculinum, & fœmininum. Sequitur: *Eſt autem hæc dubitatio ferè eadem, & quare hæc contrarietas facit ſpecie diuerſa, hæc verò non, vt ambulatiuum, & volatiuum*, quæ faciunt ſupple differre ſpecie ipſum animal, *ſed albedo, & nigredo non*, non enim animal album, ex hoc quòd album differt ſpecie ab animali nigro, nunquid enim duo homines, quorum vnus eſt albus, & alius niger differunt ſpecie, &c. vide text. ſequentem.

8. h Ad quintum reſponſio ſtat in tribus dictis. Primum eſt, ſi intelligatur, quòd carentia materiæ in aliquo, loquendo de materia, quæ eſt altera pars compoſiti, ſit ratio, quare natura ſpecifica (quæ quantùm eſt ex parte ſua, eſt in infinitis) ſit tota in vno indiuiduo, & ſic tale indiuiduum erit infinitum, vt ſuprà declaraui; iſte intellectus eſt falſus, quia ſola carentia materiæ nullo alio poſitiuo producto in tali indiuiduo, non videtur ratio talis infinitatis; & ſi ſic eſſet, ſequeretur quòd perfectio ſpeciei non eſſet finita, vel determinata per differentiam additam generi, quod eſt contra omnes, quia perfectio ſpeciei eſt limitata ad tantam perfectionem à differentia ſpecifica, & ſi priuatio materiæ in aliquo eſſet ratio, quare tota natura, vt dixi ſuprà, eſſet tantùm in vno indiuiduo, ſequeretur quòd illud indiuiduum eſſet actu infinitum, cùm talis natura non haberet limitatam perfectionem. Secundum dictum eſt ibi n. 10. *Si autem intelligatur, prout habet aliquam probabilitatem, quòd, ſcilicet forma, ſi eſſet ſeparata à materia, ipſa haberet totam perfectionem ſpeciei, quia non participabilis à materia, illa propoſitio eſſet falſa*, videlicet iſta, omnis forma ſeparata à materia in ſe habet totam perfectionem illius ſpeciei, & vltra hoc petit principium: petit enim, quod debet probare. Tertium dictum eſt ibi, *niſi intelligatur, prout materia dicit illam entitatem indiuidualem contrahentem formam*, tunc propoſitio illa eſt vera, videlicet, omnis forma ſeparata à materia, hoc eſt ab omni ratione indiuiduali contractiua, habet totam perfectionem ſpeciei illius. Sed tunc minor eſt falſa, ſcilicet iſta: Sed Angelus eſt forma carens materia, hoc eſt, differentia indiuiduali.

9. *Infinitas non intenditur.*

i Ad ſextum reſpondet Doctor primò ad formam arguendi, & dicit, quòd eſt fallacia Conſequentis, infinitas non intenditur, igitur nec pluralitas numeralis; arguitur enim à negatione minùs communis ad negationem magis communis, nam infinitas numeralis infert pluralitatem numeralem, ſed non è contra, quia non ſequitur; pluralitas numeralis, ergo infinitas numeralis in forma: ergo arguendi poteſt eſſe fallacia conſequentis, duplici modo. Primò à poſitione magis communis ad poſitionem minùs communis, ſic arguendo; pluralitas numeralis per ſe intenditur à natura, ergo & infinitas; non ſequitur, ſicut nec hîc, animal currit, ergo homo. Secundò fit talis fallacia arguendo negatiuè à minùs communi ad magis commune, non enim ſequitur, infinitas numeralis per ſe, non intenditur à natura, ergo nec pluralitas numeralis: non enim pluralitas numeralis eſt de ſe infinita, ſed tantùm ſtare poteſt infinitas, ipſa non repugnante; licèt ergo nullus intendat infinitatem per ſe, quia impoſſibilis, tamen aliquis poteſt intendere multitudinem numeralem, quæ de ſe non eſt infinita, quia ſicut compatitur ſecum infinitatem, ita & finitatem, litera ſequens clara eſt.

Quomodo generatio ſit perpetua.

k Ad vltimum reſpondet dicens, quòd *generatio eſt perpetua ad ſaluandum eſſe diuinum, & hoc in corruptibilibus*, in quibus nõ ſemper poteſt manere in vno indiuiduo, non tamen dicit, quòd multitudo præciſa eſt in corruptibilibus indiuiduis: *vnde iſta eſt vna cauſa multitudinis indiuiduorum eadem ſpecie, ſed non præcipua cauſa, ſed illa quæ dicta eſt*, ſcilicet quòd omnis natura quiditatiua, præter naturam infinitam eſt plurificabilis in plura indiuidua. *Et quod dicitur de vno Sole*, &c. dicit Doctor quòd ratio Philoſophi fuit, quòd *tale corpus ſingulare fuit ex tota materia illius ſpeciei*, &c. *Et quia non concordant cum eo Theologi in hac propoſitione*, omne corpus ſempiternum, &c. *ideo non eſt concordandum cum eo in concluſione*, videlicet, quòd natura Solis non ſit de ſe plurificabilis in plura indiuidua, quamuis actu tantùm ſit in vno indiuiduo.

10. *Caietanus nititur ſoluere rationẽ Scoti.*

Quidam nouus expoſitor nititur ſoluere rationes Doctoris, quibus probat plures Intelligentias eſſe in eadem ſpecie, quæ reſponſiones in primo ponuntur ab ipſo, in expoſitione, quam facit

facit in lib. *de Ente, & Eſſentia* ſancti Thomæ. Quoad tertium reſpondetur argumentis Scoti. Et ad primum quidem, vt terminos Theologiæ admiſceamus, quia argumentum Theologicum eſt, dicitur quòd communicabilitas eſt triplex, quædam cùm diuiſione, &c. ſicut vniuerſale communicabile eſt particularibus; quædam abſque diuiſione aliqua eſſentiæ, vel eſſe per identitatem, ſicut eſſentia diuina communis eſt tribus ſuppoſitis, quædam per aſſumptibilitatem ad hypoſtaticam vnionem, ſicut natura humana communicabilis eſt omnibus ſuppoſitis diuinis. Si in præmiſſis Scotus aſſumit *communicabile* primo modo, falſa eſt maior; patet in eſſentia diuina. Si ſecundo modo, falſa etiam eſt maior. Nulla enim eſſentia creata eſt illo modo communicabilis. Si tertio quoque modo, falſa eſt maior, vt patet de eſſentia diuina. Si autem accipiatur communicabile neutro illorum trium modorum; ſed pro communicabili in communi non deſcendendo determinatè ad hoc, vel illud communicabile, conceſſo toto argumento, non concluditur quòd quiditas Angelica ſit communicabilis, ſicut vniuerſale particularibus; committitur enim fallacia Conſequentis, à ſuperiori ad inferius affirmatiuè; vnde probatio adducta nihil contra nos facit. Communicabilitas primo modo repugnat Intelligentiis propter earum perfectionem: communicabilitas ſecundo modo repugnat Intelligentiis propter earum imperfectionem: communicabilitas tertio modo conuenit eis ex earum imperfectione, quia *eſſe* diſtinguitur realiter ab eſſentia earum.

Triplex eſt communicabilitas.

11. Ad ſecundum, diſtinguendo maiorem. Aliquid enim eſſe intelligibile ſub ratione vniuerſalis conuenit dupliciter. Vno modo ex parte rei, & intellectus; alio modo ex parte intellectus tantùm. Primo modo maior eſt vera, & minor falſa. Secundo modo maior eſt falſa, licèt minor ſit vera. Cùm enim vniuerſalitatis fundamentum ex parte rei ſit in centro illius quiditatis in pluribus indiuiduis ſimul, vel ſucceſſiuè, fundamentum verò ex parte intellectus ſit repræſentatio illius quiditatis, non repræſentatis conditionibus indiuiduationis, vt ſic, illud eſt vniuerſale vtroque modo ſcilicet ex parte rei, & intellectus, quia repræſentatur ab hîc, & *nunc*; illud autem eſt vniuerſale ex parte rei intellectus tantum, quòd altero tantùm fundatur fundamento, ſcilicet repræſentatione, ita quòd eius vniuerſalitas ex hoc ſolo, quòd obiectiuè in intellectu ponitur, cui obiicitur res ſecundùm conditiones quiditatiuas, non indiuiduales, vt ſic. Et hoc modo quiditas Intelligentiæ eſt vniuerſalis; licèt enim indiuiduale ſpecificum principium ibidem ſit, quia tamen repræſentatur, vt talis res, non vt hîc, quia non repræſentatur ſecundùm quòd in ſe eſt, ſed ſecundùm modum rerum compoſitarum, in quibus aliud eſt natura, & aliud eſt indiuiduum illius naturæ; ideò eſt vniuerſalis vt obiecta eſt tantùm, & hoc eodem modo eſt prædicabilis quiditas Intelligentiæ de pluribus, ſcilicet nec actu, nec aptitudine, ſed vt obiecta eſt intellectui, vt ab Auicenna habes 5. *Metaphyſ.* Ad probationem autem maioris ſic negatæ, patet reſponſio. Cùm enim dicitur, quòd implicat quiditatem eſſe de ſe hanc, & vniuerſalem, & prædicabilem de pluribus, hoc eſt verum, accipiendo vniuerſale ex parte rei, & ſimiliter prædicabile: vniuerſale enim ſecundùm rationem tantùm eſt vnum in multis, & de multis, vt obiectum eſt tantùm: vniuerſale autem ex parte rei eſt in multis ſecundùm rem, licèt vnitatem habeat, vt obiectum eſt.

12. Ad tertium dico, quòd in caſu illo reperiatur neceſſariò idem Angelus numero. Ex eodem enim Gabriel eſt hic, & Gabriel, nec eſt verum apud nos, quòd Deus non poſſit idem numero reparare.

Ad quartum dicitur, quòd non eſt ſimile de Intelligentiis, & animabus intellectiuis quo ad hoc, quòd animæ ſunt partes ſpeciei corporibus vnibiles, non autem Intelligentiæ.

Natura humana, & Angelica poſſunt accipi dupliciter.

Ad quintum reſpondet Thomas quod natura humana, & Angelica poſſunt dupliciter accipi. Vno modo ſecundùm *eſſe* naturæ, & ſic natura humana eſt vna, Angelica verò plures. Alio modo accipiunt ſecundum *eſſe* viæ, ſcilicet vt viatrices ad beatitudinem ſupernaturalem, & ſic ſicut natura humana eſt vna, ita tota latitudo Angelicarum ſpecierum eſt vna natura.

Nunc oſtendendum eſt reſponſiones huius noui expoſitoris, quibus intendit ſoluere rationem Doctoris non eſſe multùm ad propoſitum. Primò cùm diſtinguit de communicabili, concedo diſtinctionem illam. Et dico, quòd quiditas Angeli eſt communicabilis pluribus, ſicut vniuerſale communicatur particularibus, vt deduxi ſuprà. Et cùm dicit, quòd hoc repugnat tali quiditati propter earum perfectionem, & communicabilitas ſecundo modo repugnat eis propter earum imperfectionem. Dico primò, quòd quamuis natura Angelica ſit perfectior homine corruptibili, non tamen eſt ita perfecta, quòd repugnet ei diuidi in plura numero, quod deduco, quia ſi præcisè conuenit eis ratione ſuæ perfectionis, ſequitur de facto, quòd ſi imperfectiori non conuenit ſic diuidi in plura numero, quòd multò magis repugnabit perfectiori. Cùm ergo quiditas animæ intellectiuæ ſit multò perfectior Sole, & Luna, repugnabit ſibi ſimpliciter diuidi in plura numero, cùm repugnet Soli, vt patet per Philoſophum primo Cœli, & Mundi, *tex. comment. 9. & 92.* qui tamen Sol ponitur imperfectior.

Rationes Caietani contra Scotum non ſunt ad propoſitum.

Præterea. Etſi Intelligentia ſit perfectior omni alia re corporali, eſt tamen finita, & limitata & per conſequens non excludit omnem imperfectionem.

13. Præterea hoc non videtur concludere ratione perfectionis, quia ſi maior imperfectio ſtat cum perfectione naturæ Angelicæ, non ſequitur, quòd ratione perfectionis illius neceſſariò excludatur minor imperfectio. Patet per argumentum à fortiori, quia minùs videtur, quòd maior imperfectio ſtet cum tali natura, quàm minor, & tamen ſtat, ergo à fortiori, minor poterit ſtare; maior enim imperfectio eſt realiter, & eſſentialiter dependere ab alio, & per conſequens eſſe ens poſſibile, & annihilabile, quàm poſſe diuidi in plura numero, quia in tali diuiſione non intelligitur, quòd vna natura ſit partibilis in ſe, ſed quòd quælibet, vt prior ratione indiuidui eſt indifferens ad omnem hæcceitatem, vt ſuprà expoſui *præſenti diſt. quæſt. 1.* & cùm contrahitur per aliquam hæcceitatem fit hæc, & ſingularis, & ſic præcisè hanc imperfectionem dicit, quia ex ſe non eſt in vltima actualitate; tamen hîc eſt minor imperfectio, quàm ponere ipſam realiter dependere in *eſſe*, & *conſeruari* à cauſa prima, & eſſe ens poſſi-

bile, & annihilabile. Eſt etiam maioris imperfectionis ipſam poſſe recipere ſubiectiuè multa accidentia realiter diſtincta, quàm ſit perfici per hæcceitatem,quia talis hæcceitas, licèt non poneretur pertinere ad quiditatem talis naturæ eſt tamen ita intrinſeca, quòd realiter identificatur ſibi.

Præterea, iſte concedit maiorem dependentiam in tali natura; ergo non habet negare minorem ratione perfectionis naturæ:quia ſi ratione perfectionis naturæ repugnat minor dependentia, imò quaſi nulla, multò magis maior dependentia:modò dependere ad ſuppoſitum alterius naturæ eſt ſimpliciter maior dependentia, quàm contrahi ad eſſe ſingulare per aliquid, quod eſt idem realiter ipſi contracto: patet,quia dependere ad ſuppoſitum alterius naturæ eſt non eſſe ens per ſe exiſtens, & in ſe, ſed in alio, licèt non per inhærentiam:modò poſſe communicari ſuppoſito diuino in vnitate ſuppoſiti, eſt ſubſiſtere in illo, & ad illud ſimpliciter dependere; oportet ergo aſſignare aliam rationem,quàm per perfectionem naturæ; ſi enim poneretur formaliter infinita ratio talis perfectionis, concluderet propoſitum; ſed quia habet ponere talem perfectionem formaliter finitam, limitatam, poſſibilem, eſſentialiter dependentem,natam perfici accidentibus realiter diſtinctis, ſubiectam motui locali,& multis aliis imperfectionibus poſſe ſubiici;ideò ratione talis perfectionis,cui tot imperfectiones annectuntur, non debet negari ipſam eſſe communicabilem pluribus indiuiduis, modo præexpoſito,cum hîc eſſet minor imperfectio inter enumeratas imperfectiones.

14. *Aliquid intelligi ſub ratione vniuerſali poteſt intelligi dupliciter.*

Ad ſecundam reſponſionem,quæ eſt de ratione vniuerſalis, & ſingularis,cùm dicit,quòd aliquid intelligi ſub ratione vniuerſali contingit dupliciter. Vno modo ex parte rei, ex hoc, quòd talis res eſt verè multiplicabilis in plura. Alio modo ex parte intellectus præcisè, ſic quòd intellectus conſideret præcisè quiditatem in ſe, & non vt hanc. Et iſto ſecundo modo poteſt concipere naturam Angelicam ſub ratione vniuerſali. Dico, quòd iſte ſecundus modus poteſt habere duplicem ſenſum: vnum,quòd ſcilicet concipiatur præcisè quiditas in ſe,non concipiendo illam in aliquo ſingulari, nec vt contracta ad aliquam ſingularitatem, ſed vt indifferentem ad omnem ſingularitatem,& vt natam prædicari, ſaltem potentia remota de omni ſingulari quiditatiuè contento ſub ea,alium ſenſum, ſic præcisè concipere illam quiditatem, quòd ſibi ſimpliciter repugnet differentia indiuidualis. Primus ſenſus eſt verus, & habetur propoſitum: ſecundus ſenſus ſtatim implicat. Dicere enim, quòd intellectus concipiat A, verè ſub ratione vniuerſali, & repugnare A eſſe pluribus communicabile, & plurificabile, vel eſt concipere rem aliter,quàm eſt,vel eſt concipere ipſam rem ſub modis oppoſitis, & repugnantibus; concipi enim ſub ratione vniuerſali eſt ſimpliciter concipi ſub ratione, qua indifferens eſt ad plura, & plurificabile in illa plura; concipi verò vt omnino non plurificabile eſt modus oppoſitus formaliter proprio modo, & cùm dicit,quòd intellectus concipit quiditatem naturæ Angelicæ abſolutè, non concipiendo ipſam vt hanc, quæro, dum intellectus concipit eam, aut concipit eam vt pluribus communicabilem? & habetur intentum; aut vt ſimpliciter incommunicabilem? ergo nullo modo concipit eam ſub aliqua ratione vniuerſali:imò videtur repugnantia concipere A, vt omnino incommunicabile pluribus, & ipſum concipere non vt hoc, nam hoc etiam eſt impoſſibile de natura diuina, quòd aliquis intellectus verè concipiat eam,vt ſimpliciter incommunicabilem, & non concipiat eam vt ſingularem,ſic in propoſito. Nec valet dicere, quòd intellectus, vt concipit eam abſolutè, concipit nec vt plurificabilem, nec non vt plurificabilem;hoc conceſſo nihil eſt ad B,quia ſic concipere naturam non eſt eam concipere ſub ratione vniuerſali,vt patet.

15. Ad tertiam reſponſionem,cùm dicit iſte,quòd in hoc caſu reperitur idem Angelus numero, quia ex eodem eſt hic Gabriel & Gabriel, tranſeat. Et cum dicit,quòd hoc negatur ab eis, hoc patet manifeſtè falſum: quia Thomas expreſsè *in quarto, diſt. 44. quæſt. 1. in ſolutione tertij argumenti*, vult quòd idem numero interruptum non poſſit redire per aliquam potentiam. Et expoſitio iſtius noui expoſitoris eſt magis extorquere intentionem Thomæ quàm ipſum exponere. Cùm dicit iſte,quòd Thomas non intelligit quòd eadem anima annihilata non poſſit redire per diuinam potentiam, ſed quòd ſi in reſurrectione non reſumeretur eadem anima numero, non eſſet idé homo numero. Miror valde quòd hic nouus expoſitor nec verba, nec ſenſum, nec intentionem Thomæ percipiat, cùm Thomas *loco præallegato* expreſsè velit, quòd ſi in homine anima ſenſibilis eſſet diuerſa ab anima rationali, & per conſequens corruptibilis, ſicut in aliis animalibus, quòd tunc optimè concluderetur, quod in reſurrectione non erit eadem anima ſenſibilis, & per conſequens nec idem animal. Si verò ponatur,quòd eadem anima ſecundùm ſubſtantiam ſit in homine rationalis, & ſenſibilis, nullas in hoc anguſtias patiemur; & hoc idem Thomas declarat *vbi ſuprà in ſol. primi argumenti*. Et ad propoſitum ſuum dicit,quia aliorum animalium forma non eſt per ſe ſubſiſtens, vt poſt compoſiti corruptionem manere valeat, ſicut eſt de anima rationali,quæ *eſſe*, quod ſibi in corpore acquirit, etiam poſt ſeparationem à corpore retinet, & in participatione illius *eſſe* corpus per reſurrectionem abducitur,ita quòd non ſit aliud *eſſe* corporis, & aliud animæ in homine, aliàs coniunctio animæ,& corporis eſſet accidentalis, & ſic nulla interruptio facta eſt in *eſſe* ſubſtantiali hominis, vt non poſſit idem numero redire propter interruptionem eſſendi, ſicut accidit in aliis rebus corruptis, quarum *eſſe*, omnino corrumpitur, &c. Ex quo expreſsè patet, quòd ipſe Thomas vult, quòd idem numero interruptum nullo modo redire poſſit. Et ſic expoſitio huius noui expoſitoris non eſt ad mentem Thomæ.

Caietanus non percipit verba ſancti Thomæ.

16. Ad quartam reſponſionem, quæ eſt de Angelis,& animabus, cùm dicit quòd non eſt ſimile, quia animæ ſunt partes ſpeciei corporibus vnibiles,ſed non ſic Intelligentiæ, ſed hæc reſponſio nulla eſt. Tum, quia animæ non diſtinguuntur per aliud, & aliud corpus. Tum, quia nec per aliam,& aliam vnibilitatem, cùm omnia iſta ſint poſteriora ipſa anima;priùs enim anima eſt in ſe *hæc*,quàm actu vniatur corpori, vel quàm ſit vnibilis,vt ſuprà expoſitum eſt,& magis etiam infrà exponetur.

Cùm dicit ad aliam inſtantiam contra Thomã de tota vna ſpecie damnata, &c. quòd natura humana, & Angelica poſſunt conſiderari vno

modo

modo ſecundùm *eſſe* naturæ, & ſic natura humana eſt vna, Angelica verò plures. Alio modo ſecundùm *eſſe* viæ, ſcilicet vt viatrices ad beatitudinem ſupernaturalem. Et ſic ſicut natura humana eſt vna, ita tota latitudo Angelicarum ſpecierum eſt vna natura.

Ex hoc habes contra ſanctũ Thomã, quod tunc multa potentia beatificabiles eſſent fruſtrata ſecundum totas ſpecies.

Dico, quòd iſta expoſitio eſt ita euidenter falſa, quòd melius eſſet eam ſilentio pertranſire, quàm aliter eius falſitatem oſtendere, ſi enim natura humana eſt reparata, quia tota lapſa, ſcilicet quia ſpecies naturæ humanæ eſt tota lapſa, natura verò Angelica non eſt reparata, quia non tota lapſa. Et inconueniens eſt eis totam naturam humanam eſſe damnatam, quia eſt eis valde inconueniens, quòd aliqua ſpecies ſit ſimul tota damnata; ergo multò fortiùs erit inconueniens aliquam vnam ſpeciem naturæ Angelicæ totam eſſe damnatam, cùm ſit multò perfectior tota natura humana; ſed in caſu, ſi quilibet Angelus differret ſpecie, ſequeretur, quòd non tantum vna tota ſpecies, ſed quam plurimæ ſimul totæ eſſent damnatæ, quia ſerpens ille cauda ſua traxit tertiam partem ſtellarum: & ſic patet improbatio huius noui expoſitoris.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm Angelus [a] *poſſit ſe cognoſcere per eſſentiam ſuam?*

Alenſis 2.*p.q.*24.*memb.*34. D. Thom. 1.*p.q.*55.*art.*2. *&* 1. *contra. c.*98. D. Bon. *hìc* 2.*p.art.*2.*q.*1. *&* 2. Richard. *art.*6.*q.*1. Durand. *q.*6. Vaſq. 1.*p.d.*215.*c.*2. Bacon. 2.*d.*4.*q.*1.

1. IRCA ſecundum principale, ſcilicet cognitionem Angelorum, quæro quatuor. Primò, Vtrùm Angelus poſſit ſe cognoſcere per eſſentiam ſuam; ita quòd eſſentia ſua ſit ratio cognoſcendi ſine aliquo repræſentante præcedente actum naturaliter? Quòd non, quia hoc non eſſet, niſi quia eius eſſentia eſt actu intelligibilis & præſens, ſecundùm Auguſtinum in pluribus locis: ergo ipſa eſſet ratio intelligendi ſeipſam reſpectu ſuiipſius: ſed hoc eſt contra Philoſophum tertio de Anima, qui vult, quòd *anima intelligat ſe ſicut alia, & quòd nihil eorum eſt, quæ ſunt ante intelligere*: & quod non poteſt ſe intelligere, aliis non intellectis.

Mag. C. Quare Var. hic. *Arg.* 1. 8. *Tri. c.*7. *&* 10. *Tri.* 14. *Tri. c.*4. *&* 8. *&* 15. *Tr. c.*1 *&* 7. *Text.* 8. *&* 13.

Prætereà, eſſentia Angeli eſt ſingularis: ſingulare autem non eſt per ſe intelligibile, nec per ſe ratio intelligendi: ergo, &c. *Arg.* 2.

2. Prætereà, omnem cognitiuam potentiam oportet ſecundùm ſe denudari ab illo, quod eſt ratio cognoſcendi: ſed Angelus inquantùm cognitiuus non denudatur ab eſſentia ſua: ergo non eſt ratio cognoſcendi ſeipſum. Probatio maioris, tum ſecundùm Philoſophum ſecundo de Anima: *Oportet*, inquit, *oculum eſſe extra omnem colorem, ad hoc vt omnem colorem poſſit videre*: tum ex tertio de Anima, vbi vult, quòd intellectus eſt immixtus, & immaterialis, ad hoc, vt omnia poſſit intelligere, *Arg.* 3. *Tex.* 71. *&* 121. *Tex.* 4.

Prætereà, nihil idem patitur à ſeipſo, quia idem eſſet in actu & in potentia: eſſentia Angeli eſt idem ſibi: non ergo eſt obiectum imprimens immediatè in ipſum intellectum. *Arg.* 4.

Item, ſi ita eſſet, tunc iſta intellectio eſſet eadem, vel idem cum Angelo, vel eſſentia ſua: conſequens eſt falſum, quia hoc proprium eſt ſoli Deo, quòd ſua intellectio ſit idem cum eſſentia ſua: ergo & antecedens eſt falſum. Probatio conſequentiæ, quia medium inter extrema magis ineſt vtrique extremo, quàm alterum extremum alteri extremo: intelligere mediat inter potentiam & obiectum: ergo ſi idem eſt potentia & obiectum, multò magis erit idem actus cum obiecto. Confirmatur, quia intellectio non habet diſtinctionem, niſi ab obiecto & potentia. *Arg.* 5.

Contrà, aliqua forma materialis eſt ratio agendi ſecundùm eſſentiam ſuam, ſicut calor in igne ad calefaciendum: aut ſaltem aliqua forma in communi; aliter eſſet proceſſus in infinitum in rationibus agendi: ergo cùm immaterialia magis ſint actiua, quàm materialia, forma immaterialis erit per eſſentiam ſuam ratio agendi actionem ſuam ſibi competentem: talis eſt ratio obiecti ad actum cognoſcendi. *Ratio ad opp.*

COMMENTARIVS.

TItulus quæſtionis ſic intelligitur: An Angelus cognoſcat ſe per eſſentiam ſuam, id eſt, an eſſentia Angeli, puta contrahibilis ſit ratio formalis producendi intellectionem ſui in intellectu ſuo, ita quòd intellectus Angelicus intelligat eſſentiam ipſius Angeli, tanquam per principium formale productiuum ipſius intellectionis, ſic quòd inter ipſius eſſentiam, & intellectum non ſit ſimpliciter neceſſarium aliquod aliud

aliud repræſentatiuum, quod ſit formalis ratio repræſentandi eſſentiam Angeli ipſi intellectui. Et hoc loquendo de cognitione intuitiua. Secus eſſet de abſtractiua, qua Angelus poteſt ſe abſtractiuè intelligere, quia tunc poneretur ſpecies intelligibilis ratio formalis repræſentandi ipſum Angelum in ratione actu obiecti intelligibilis, de qua patebit infrà quæſt. vltima diſt. præſentis.

Primò arguit Doctor, probando quòd Angelus non cognoſcat ſe per eſſentiam ſuam, quia ſi ſic, ſequeretur quòd eſſentia animæ cùm ſit actu intelligibilis, & præſens intellectui, poſſet eſſe ratio intelligendi ſeipſum reſpectu ſuiipſius, quod eſt contra Philoſophum 3. *de Anima tex.com.* 8. qui vult quòd anima intelligat ſe ſicut alia, vbi ſic habetur ſecundùm aliam tranſlationem: *Et cùm quodlibet eorum fuerit ſic, ſcilicet ſicut dicitur ſcientia in actu, & hoc continget quando poterit intelligere per ſe, tunc etiam erit in potentia quoquomodo: ſed non eodem modo, quo ante erat antequam ſciuit, aut inuenit, & ipſe tunc poteſt intelligere per ſe.* Et ibi Commentator: *Quando intellecta fuerint in eo entia in actu, & hoc continget intellectui, quando poterit intelligere per ſe, non quando intellexerit per aliud: & hoc quod dixit eſt differentia inter virtutes agentes propinquas, aut remotas: propinquæ enim actui ſunt quæ agunt per ſe, non indigent extrahente eas de potentia in actu: remotæ autem indigent. Et cùm intellectus fuerit in hac diſpoſitione, tunc intelliget ſe ſecundùm quòd ipſe non aliud, niſi forma rerum, inquantùm extrahit eas à materia.* Hæc ille. Hoc idem habetur *text.com.* 13. Cùm enim dicit, *anima intelligit ſe ſicut alia*, debet ſic intelligi, quòd ſicut aliæ res cognoſcuntur ab intellectu, virtute intellectus agentis, & phantaſmatis, quæ cauſant ſpeciem intelligibilem rei ſenſibilis, vt patet *in primo diſt.* 3. *q.* 8. & quòd res ſenſibiles extra ſpeciem intelligibilem ſunt tantùm intelligibiles in potentia; ſic anima non poteſt immediatè mouere intellectum ſuum ad ſui cognitionem: vt enim eſt extra ſpeciem intelligibilem (non ipſius animæ, quia talis pro ſtatu iſto haberi non poteſt, ſed vt eſt extra ſpeciem intelligibilem ſenſibilium) eſt tantùm intelligibilis in potentia remota; habita verò ſpecie intelligibili alicuius ſenſibilis, poteſt arguitiuè cognoſcere ſeipſam, vt aliàs expoſui. Sequitur ergo quòd intelligat ſe per eſſentiam ſuam. Et quòd hoc ſit verum, patet etiam auctoritate Philoſophi 3. *de Anima tex.com.* 5. qui vult quòd ante *intelligere* aliorum intellectus non ſit intelligibilis. *Dico*, inquit, *intellectum, quo opinatur, & intelligit anima: & hoc nihil aliud eſt in actu eorum, quæ ſunt ante intelligere.* Hæc ille. Cætera argumenta clara ſunt.

SCHOLIVM.

Refertur ſententia D. Thomæ, qui videtur aſſerere totam actiuitatem eſſe ab obiecto, & intellectum eſſe merè paſſiuum, de quo 1. *d.* 3. *q.* 7. §. quinta opi. *n.* 14. *additque intellectum nihil recipere ab obiecto. Hanc refutat Doctor primò, quia principians immanenter debet eſſe in actu, per id quo principiat: ſecundò, ex D. Th. ſequeretur intellectum Angeli ſemper actu intelligere ſuam eſſentiam.*

D.Th.1.p. q.56.art.1. & 54.ar.2. & in hoc 2. In aliquibus originalibus opi. Hen. ponitur hic primo loco & D. Thomæ, in ſecundo, in aliquibus è contra

Hic dicitur, [b] quòd licèt in actione tranſeunte obiectum ſit ſeparatum ab agente: tamen in actione immanente oportet eſſe vnitum ipſi operanti: & vt vnitum eſt ratio formalis talis operationis immanentis, ſicut ſpecies viſionis in oculo; ex hoc vltrà cùm eſſentia Angeli de ſe ſit vnita intellectui ſuo, poteſt eſſe principium intellectionis, quæ eſt operatio immanens. 3.

Et ſi obiiciatur, [c] quòd oportet formam talem ineſſe illi, cui ineſt talis operatio. Videntur reſpondere, quòd forma exiſtens in alio eſt principium operandi, & ſi per ſe eſſet, nihil minus eſſet ratio agendi: ſicut calor ſeparatus eſſet principium caloris quantùm ex ſe eſt: ergo ita eſt de eſſentia Angeli, quòd licèt per ſe ſubſiſtat; poteſt tamen eſſe ratio operandi iſtas operationes immediatè.

Ratio igitur opinionis formatur ſic: Quod eſt per ſe ratio agendi alicui, ſi ſit ſeparatum, poteſt eſſe principium agendi, vt patet de calore: ſed obiectum vnitum actiuo actione intrinſeca, ſiue immanente, eſt ratio agendi: igitur, licèt ſit ſeparatum, eſt principium illius actionis: igitur eſſentia Angeli, licèt non vniatur intellectui per informationem, ſiue aliam rationem vniendi, erit ſibi ratio intelligendi ſe.

Et ſi obiicis iterum, [d] quòd oportet paſſum aliquid recipere ab agente: hîc autem intellectus nihil recipit ab ipſa eſſentia; quia non ponitur aliqua ſpecies præcedens actum. Reſpondent, [e] quòd potentia cognitiua aliqua quandoque eſt cognoſcens in potentia, quandoque in actu: alia autem non ſic. Quòd autem oporteat eam recipere, hoc non eſt quia potentia cognitiua, ſed tantùm quia eſt quandoque in potentia ad actum, non ſic hîc: quare, &c.

Reprobat opin. D.T

Contrà, hæc opinio ponit, [f] vt videtur, quòd intellectus ſit in potentia eſſentiali ad operationem, vel intellectionem, quam ponit immanentem: & quòd tota ratio operationis ſit obiectum vnitum ſibi in ſua operatione, ſicut calor eſt in ligno tota ratio calefaciendi. 4.

Principiãs immanen-

Ex hoc arguo: Nihil poteſt habere principium operationis alicuius immanentis, niſi ſit in actu per illud, quod eſt principium talis operationis: intellectus autem non

eſt in

eſt in actu per illam eſſentiam, in hoc, quòd per ſe ſubſiſtens, quia non informat, nec actiuitatem aliquam tribuit ipſi intellectui: ergo per hoc, quòd talis eſſentia per ſe exiſtens eſt præſens ipſi intellectui, non poteſt intellectus habere operationem, cuius eſſentia vel ſimilitudo nata eſt eſſe ratio.

ter neceſſario debet eſſe in actu per illud quo principiat.

Confirmatur iſtud per exemplum ſuum contra ipſum: quia licèt calor ſeparatus eſſet calefaciens, vel ratio calefactionis; non eſſet tamen ratio calefactionis ligno, à quo eſſet ſeparatus: ita quòd ſi calere dicatur operatio immanens, impoſſibile eſt calore ſeparato à ligno, lignum habere iſtam operationem immanentem, quæ eſt calere: ita in propoſito.

Exempliũ D. Th. eſt ad oppoſitum.

Item ſecundò contra illud, s quod dicit, quòd potentia cognitiua nihil recipit, quia non eſt in potentia quandoque, quandoque in actu; contrà, obiectum reſpectu eius, quod eſt in intellectu de eo, ſcilicet reſpectu intellectionis, non eſt tantùm cauſa in *fieri*, ſicut eſt ædificator reſpectu domus: ſed eſt cauſa tam in *fieri* quàm in *eſſe*: alioquin ſicut ædificatore corrupto manet domus, ita obiecto quantumcunque abſente, vel corrupto in ratione obiecti remaneret illud, quod eſt eius, vt obiecti apud intellectum, quod eſt falſum, ſicut in viſu apparet: cauſa autem in *eſſe* & in *fieri* ſemper æquè cauſat, vt patet de Sole reſpectu radij: ergo ſi obiectum reſpectu cuiuſlibet ſui, eſt apud intellectum ſine receptione ſuæ ſpeciei, quia ponitur principium intellectionis: & cùm obiectum ſemper æquè cauſet, & per conſequens intellectus ſemper æquè recipit: non igitur ſolùm ab obiecto recipit intellectus, quia recipit actum nouum, quem quandoque non recipit, ſed quia ipſum eſt cauſa in *eſſe* reſpectu eius, quod habet, ſemper recipit illud ab eo.

Cauſa in eſſe & in fieri ſemper æquè cauſat. d. 3. q. vlt. ad vlt.

COMMENTARIVS.

1. *Opinio Diui Thomæ.*

b *Hic dicitur.* Hìc Doctor recitat opinionem Thomæ *in prima parte ſummæ q. 58. art. 1.* vbi vult, quòd eſſentia Angeli perfectè vnita intellectui eſt ſibi tota ratio formalis producendi intellectionem ſui; quia licèt in actione tranſeunte obiectum ſit ſeparatum ab agente, tamen in actione immanente oportet eſſe vnitum, & vt ſic eſt ratio formalis talis operationis immanentis.

c *Et ſi obijciatur.* Hìc Doctor mouet difficultatem contra Thomam quia illud quod eſt ratio formalis agendi alicui ineſt formaliter illi, & hoc vel quiditatiuè, ſicut humanitas eſt ratio formalis generandi Franciſco, & ineſt ſibi quiditatiuè: vel denominatiuè, ſicut calor ineſt igni, vt ratio formalis calefaciendi, puta lignum.

Cùm ergo eſſentia Angeli, quæ eſt per ſe exiſtens, quamuis ſit perfectè præſens intellectui, non tamen ineſt ſibi nec quiditatiuè, nec denominatiuè, vt patet; ergo non erit ratio formalis intelligendi ipſi intellectui Angelico. Sequitur ibi, *videntur reſpondere.* Dicunt iſti, quòd ſufficit, quòd talis ratio formalis ſit præſens, & vnita ipſi intellectui, licèt non informet illum, ſicut calor ſeparatus eſſet principium caloris, quantùm ex ſe eſt.

d *Et ſi obijcias iterum.* Dicit Doctor quòd ſi aliquod paſſum, puta lignum, dicatur agere, puta calefacere per aliquod agens, oportet de neceſſitate alterum iſtorum ſibi ineſſe, vel ipſum agens, quod dicatur agere, vel quòd recipiat aliquid ab ipſo agente, puta calorem, quo formaliter dicatur calefacere, aliter lignum non poſſet formaliter calefacere, niſi principium formale calefaciẽdi inſit ſibi, vt patet à Doctore in primo, diſt. 17. Sed eſſentia Angeli, quæ dicitur ratio agendi reſpectu intellectionis, non ineſt formaliter ipſi intellectui, nec imprimit in intellectu aliquid, quod ſit ratio formalis agendi ipſi intellectui, ergo ipſa eſſentia Angeli nullo modo erit ratio formalis agendi intellectui.

2. *Differentia inter intellectum noſtrũ, & Angelicum.*

e *Reſpondent, quòd potentia*, &c. Thomas enim facit differentiam inter intellectum noſtrum, & Angelicum: quia intellectus noſter quandoque eſt in actu, vt poſſit agere, puta quando habet ſpeciem intelligibilem in actu, quandoque eſt in potentia, ſcilicet quando non habet ſpeciem intelligibilem obiecti. Et ipſe Thomas ponit, quòd ſpecies intelligibilis obiecti eſt ratio formalis intelligendi intellectui noſtro, vt patet *in prima parte ſum. q. 85. art. 2.* Et talis intellectus, vt ſit in actu principium formale agendi recipit ab obiecto, ſiue phantaſmate huiuſmodi ſpeciem intelligibilem, quæ eſt ei ratio formalis intelligendi, & quòd oporteat ipſum ſic recipere, hoc non competit ſibi, inquantùm eſt potentia cognitiua, quia tunc competeret cuilibet cognitiuæ; ſed competit ſibi, inquantùm eſt in potentia ad actum, puta ad intellectionem: intellectus verò Angelicus ſemper cognoſcit eſſentiam ſuam, & nunquam eſt in potentia ad actum intelligendi reſpectu ſuæ eſſentiæ, & per conſequens nec erit in potentia ad aliquam formam impreſſam ab eſſentia, quæ ſit ratio formalis intelligendi ipſi Angelo. Sed quia eſſentia Angeli eſt ſemper præſens ipſi intellectui, vt tota ratio formalis intelligendi, ideò intellectus Angelicus ſemper eſt in actu intelligens eſſentiam Angeli.

Intellectus Angelicus nunquam eſt in potentia ad actum.

3.

f *Contrà.* Hìc Doctor arguit contra illud, quod dixit ſuprà de calore, quia dicit ibi Thomas quòd eſſentia Angeli eſt tota ratio formalis intelligendi ipſi intellectui, & tamen non informat ipſum. Nunc probat Doctor quòd hoc ſit impoſſibile, videlicet, quòd aliquid ſit ratio formalis agendi alicui, & quòd formaliter non ſit in ipſo, modo præexpoſito, quia *nihil poteſt habere principium alicuius operationis immanentis, niſi ſit in actu per illud, quod eſt principium talis operationis,*

rationis, quia principium formale agendi dat actum primum ſuppoſito, quod agit per ipſum, id eſt, quòd ipſum ſuppoſitum eſt formaliter in actu primo reſpectu actus ſecundi; *ſed intellectus Angeli non eſt in actu per illã eſſentiam*,&c.

4. g *Item ſecundo.* Nunc Doctor arguit contra Thomam quia dicit Thomas quòd ideò intellectus Angelicus nihil recipit ab eſſentia Angeli, puta non recipit cognitionem ſui, quia quod recipit aliquam cognitionem alicuius obiecti, quandoque actu intelligit illud quandoque non: & ſic ad hoc vt dicatur recipere, oportet recipere actum nouum. Doctor improbat hanc poſitionem, & improbatio ſtat in hoc; quia ex quo intellectio Angeli non eſt qualitas verè permanens, quæ habeat verum *eſſe* ceſſante actione obiecti, & intellectus; tamdiu enim eſt quamdiu intellectus, & obiectum continuant illam per continuam actionem, vt ſuprà patuit *in iſto ſecundo, diſt. 2. q 4. & in primo, diſt. 3. q. vlt. in reſponſione ad vltimum argumentum principale.* Dicit ergo Doctor ſuppoſito quòd intellectus Angelicus non recipiat nouam intellectionem eſſentiæ Angeli, tamen ex hoc non ſequitur, quin verè recipiat intellectionem: quia ex quo eſſentia Angeli, per te, cauſat intellectionem ſui, & tamdiu eſt talis intellectio, quamdiu durat talis cauſatio, & illa intellectio eſt verum accidens; ergo verè recipit illam; ſi ergo eſt receptiuus intellectionis, erit etiam receptiuus alicuius prioris intellectione, quo formaliter dicatur agere, ex quo eſſentia illa non eſt formaliter in illo; ſicut etiam poſito quòd intellectus noſter ab inſtanti creationis ſuæ recipiat cognitionem à lapide continuatam, nunquam tamen dicetur formaliter agere huiuſmodi cognitione, niſi habeat in ſe formaliter ipſum lapidem, qui ponitur ratio formalis agendi, vel niſi prius recipiat ab ipſo lapide aliquam ſpeciem intelligibilem formaliter ſibi exiſtentem, qua formaliter dicatur agere.

Improbatio Doctoris.

Caietanus omittit obiectiones Scoti.

SCHOLIVM.

* *Sententia Henrici Angelum cognoſcere ſuam, & alias eſſentias in vniuerſali per habitum ſcientialem, & media hac ſcientia, cognoſcere eaſdem in particulari. Hanc refutat Scotus primò, quia intellectus imperfectior, ſcilicet hominis, intelligit ſine tali habitu. Secundò, tale obiectum eſt proportionatum, nec requiritur quòd intellectum informet. Tertiò, non poſſet cognoſcere rei exiſtentiam.*

In variis editionibus nõ habetur hac ſen. Henr. nec eius refutatio hic.

IDeò dicit Gandenſis aliter quodlibeto 5. quæſt. 14. quòd Angelus non cognoſcit ſe per eſſentiam ſuam, ſed per habitum ſcientialem, in quo intellectui ſuo repræſentatur ſua eſſentia, ſicut eſſentiæ aliorum: ita quòd ſi per ſe in nuda ſubſtantia ſua per impoſſibile ponatur abſque omni habitu ſcientiali, à nullo omnino immutaretur ad actum intelligendi, neque à ſua eſſentia propria, neque ab alia. Ratio autem, quæ ibi innuitur eſt hæc, Intellectus Angelicus per ſe & primò nullam eſſentiam particularem per ſe intelligit, ſicut nec intellectus noſter: quia eſſentiæ non repræſentantur intellectui, niſi vt ſunt abſtractæ ab omnibus conditionibus particularibus, quia ſcientia non eſt niſi eorum, quæ neceſſaria ſunt & incommutabilitatem ſuæ eſſentiæ ſortiuntur, ſecundùm Boëtium in ſua Arithmetica, quales ſolùm ſunt eſſentiæ, vt abſtractæ à conditionibus ſingularibus. Sed eſſentia per ſeipſam in actuali exiſtentia, non præſentatur intellectui, niſi ſub ratione particularitatis: in habitu autem præſentatur & relucet ſub ratione vniuerſalis: igitur primò intelligit ſuam eſſentiam, vt relucet in habitu: & illa cognita in vniuerſali ab intellectu Angeli, eſt medium cognoſcendi ſuam eſſentiam ſingularem: ſicut & quælibet alia ſpecies, eſt ſibi ratio cognoſcendi quæcunque ſingularia ſub ipſa. 5.

lib. 1. c. 1. in princ.

Contra habitum ſcientalem Henrici.

Contra iſtam opinionem arguo, inconueniens eſt quòd intellectus creatus perfectus, ex toto ordine cauſarum naturalium, non poſſit in actum intelligendi intelligibile ſibi proportionatum: quia hoc poteſt intellectus imperfectior, vt humanus cum ordine cauſarum naturalium, vt cum phantaſmatibus, & cum intellectu agente: ſed hoc ſequitur, ſi Angelus nihil poſſit intelligere niſi per iſtum habitum, quia ille habitus à ſolo Deo eſt: & ita omnes cauſæ naturales actiuæ, & paſſiuæ, non poſſunt iſtum habitum cauſare. 6.

Concauſa intellectionis non requiritur per ſe, quod informet intellectũ.

Prætereà, ſi non poteſt intelligere eſſentiam ſuam, niſi vt relucet in habitu, aut hoc eſt, quia obiectum non eſt intelligibile, niſi ſit relucens in habitu; aut quia non eſt huic intellectui intelligibile, niſi vt ſic ſit relucens, aut quia requiritur præſentia obiecti per informationem. Non primo modo, quia tunc Deus non poſſet illam cognoſcere niſi per habitum, vel niſi in habitu: quia non poteſt cognoſcere aliquid, niſi ſit intelligibile. Nec ſecundo modo, quia huic intellectui eſt ſummè proportionata, & non eſt obiectum magis adæquatum & proportionatum alicui intellectui quàm ſuo. Nec tertio modo, quia non requiritur præſentia per informationem ad hoc, vt aliquod intelligibile ſit præſens intellectui: quia tunc Deus non cognoſceret eſſentiam ſuam. Vnde ſufficit, quòd ſit præſens ſub ratione, qua poteſt ad eam redire reditione

completa,ergo eſt proportionatum intellectui eius præſentatum præterquam per habitum,igitur alio modo eſt ab ipſo intelligibilis quàm per habitum.

7. Præterea ſecundùm ſic opinantem, eadem eſt ratio intellectiuitatis, & intelligibilitatis;quia immaterialitas ſecundùm ipſum: ſed eſſentia Angeli eſt immaterialis ſecundùm ſe, igitur ſecundùm ſe eſt intelligibilis: ſed tanta eſt intelligibilitas vniuſcuiuſque, quanta eſt eius immaterialitas: ergo Angelus ſecundùm ſe ſine habitu tali eſt intellectiuus,& intelligibilis.

Præterea,ſi Angelus non poteſt intelligere niſi per talem habitum, ſequitur quòd non poteſt cognoſcere exiſtentiam rei. Probo, quia illud cognoſcens non poteſt præcisè cognoſcere exiſtentiam rei, quod cognoſcit per rationem indifferentem ad exiſtentiam, & non exiſtentiam: ſed talis habitus ſi ponatur, indifferenter ſe habet ad repræſentandum exiſtentiam & non exiſtentiam: quia quicquid repræſentat, naturaliter repræſentat: aut igitur ſibi repræſentat A fore & non fore: & tunc nihil repræſentat, quia contradictoria; aut tantùm A eſſe, & ſic non cognoſceret ipſum quando non eſt;aut tantùm A non eſſe,& ſic èconuerſo:igitur,&c. *Habitus non magis repræſentat exiſtentiã, quam non exiſtẽtiam rei.*

Confirmatur,quia impoſſibile eſt quòd aliquid ſit repræſentatiuum alicuius ſecundariò, niſi primum obiectum repræſentatum determinetur ad illud: quiditas autem, quæ primò per iſtum habitum repræſentatur, non determinatur ad exiſtentiam: ergo, &c.

Præterea, contra hoc, quod dicitur, quòd non intelligit per ſe particulare, niſi per vniuerſale; quia ſingularitas non impedit quin intelligatur; aliter Deus non poſſet ſeipſum intelligere: nec etiam limitatio, quia ſic quiditas Angelica, non eſſet per ſe ab ipſo intelligibilis: nec eſt ibi materialitas, aut alia conditio impediens: ergo, &c.

Præterea, rationes quas facit contra ſpeciem ſunt æquè contra habitum, vt patet intuenti.

SCHOLIVM.

Sententia Doctoris eſt Angelum cognoſcere ſe per ſuam eſſentiam, tanquam per cauſam partialem intellectu ſimul actiuè concurrente, de quo 1. *d.* 3. *quæſt.* 7. *num.* 20. *Probat primò, quia eſſentia Angeli eſt actu intelligibilis, & proportionata ad eliciendam intellectionem, & vnita alteri cauſæ proportionatæ. Secundò, ſpecies continens obiectum diminutè efficit intellectionem; ergo magis ipſum obiectum. Ponit quatuor inſtantias contra has rationes,& eas optimè ſoluit,de quibus egit* 1.*d.*3.*q.*6.7.9.

8. AD quæſtionem igitur dico, [a] quòd Angelus poteſt intelligere ſe per eſſentiam ſuam, ſecundùm intellectum expoſitum in principio quæſtionis. Quod probo primò, quia obiectum habet aliquam cauſalitatem partialem reſpectu intellectionis, & hoc inquantùm eſt actu intelligibile:& intellectus habet ſuam cauſalitatem reſpectu eiuſdem actus, ſecundùm quam concurrit cum obiecto ad talem actionem perfectè producendam: ita quòd iſta duo, quando ſunt in ſe perfecta & vnita, ſunt vna cauſa integra reſpectu intellectionis. *De iſto actum in* 1.*d.*3.*q.*7. *nu.* 20.

Ex hoc arguitur ſic: omnis cauſa partialis, quæ eſt in actu ſibi perfecto proprio,ſecundùm quòd talis cauſa,poteſt cauſare cauſalitate ſibi correſpondente,effectum, & quando eſt vnita alteri cauſæ partiali in ſuo actu poteſt cum ea perfectè cauſare; ſed eſſentia Angeli eſt de ſe in actu primo correſpondente obiecto; quia de ſe eſt actu intelligibilis, & etiam de ſe eſt vnita intellectui ſicut obiectum in coniunctione vtriuſque cauſæ partialis:ergo poteſt immediatè cum alia cauſa partiali vnita habere actum perfectum intellectionis reſpectu ſuæ eſſentiæ. *Angelus intelligit ſemper ſuã eſſentiam.*

Præterea,[b] in intellectibus habentibus ſpecies intelligibiles iſtæ ſpecies virtute obiectorum cum intellectu cauſant intellectionem, in quibus tamen obiecta habent *eſſe* diminutum: ergo ſi in ſe habent tale *eſſe* abſolutum ſimpliciter,& *eſſe* ſcilicet actu intelligibile:poſſunt meliùs & veriùs cauſare eundem effectum:& quicquid poteſt cauſari ab aliquo diminutè tali in aliquo eſſe,virtute alicuius ſimpliciter talis, poteſt ab illo ſimpliciter tali cauſari:ſed eſſentia Angeli, vt in ſe eſt præſens intellectui ſuo, quæ quidem eſſentia eſt ſimpliciter tale,ſcilicet actu intelligibilis in ſe, qualis ipſa eſt, ſecundùm *quid* in ſpecie intelligibili: igitur ſi in ſpecie intelligibili, vbi habet *eſſe* tale, ſecundùm *quid*,poteſt cauſare intellectionem, multò magis hoc poteſt, vt eſt in ſe ſecundùm *eſſe* ſimpliciter & abſolutum,

Obiicitur [c] contra iſtud primò, quia ſecundùm hoc, etiam res ſenſibilis poſſet immediatè abſque ſpecie intelligibili cauſare intellectionem, quod negatum eſt in 1. lib. diſt. 1. Probatur conſequentia, quia res ſenſibilis præſens ſenſui eſt ſimpliciter talis, qualis eſt ſecundùm *quid* in ſpecie intelligibili: igitur ſi in ſpecie intelligibili, vbi eſt ſecundùm *quid*, poteſt cauſare intellectionem: igitur multò magis vt eſt in ſe, ſecundùm *eſſe* ſimpliciter, & abſolutum. 9.

Præterea videtur contra iſtam poſitionem poſſe argui, ſicut argutum eſt contra opinionem, quia nihil eſt alicui ratio operandi operatione immanente, niſi informet illud: eſſentia autem Angeli, licèt ſit actu intelligibilis, & præſens intellectui, tamen non informat iſtum intellectum: ergo non eſt ei ratio operandi operatione immanente.

Præterea, [d] iſta duo agentia ſemper concurrunt ad eundem effectum communem: igitur habent ordinem, cùm non ſint eiuſdem rationis: alterum igitur eſt prius ſiue ſuperius, alterum poſterius, ſiue inferius: & ita vnum eſt mouens motum, & alterum in reſpectu eius erit mouens non motum: obiectum autem non eſt mouens motum reſpectu intellectus: igitur intellectus eſt mouens motum reſpectu obiecti.

Præterea quartò, quod dicitur de iſtis cauſis partialibus concurrentibus ad eundem effectum communem, videtur inconueniens: quia duo diſtincta genere non poſſunt cauſare effectum eiuſdem rationis: ſpirituale & corporale, ſiue intelligibile & ſenſibile, differunt genere: quare, &c. Probo maiorem, tum, quia duabus illis rationibus in cauſis partialibus correſpondent aliqua duo diſtincta in effectu, & ità idem effectus erit corporalis & ſpiritualis, quod eſt inconueniens. Tum ſecundò, quia omne agens eſt præſtantius patiente, corporale autem ſiue ſenſibile nullo modo eſt præſtantius ſpirituali: igitur non poteſt eſſe agens reſpectu eius, niſi virtute alicuius alterius præſtantioris agentis, & ita erit mouens & motum. Tum tertiò, quia tunc vnum poſſet ita intendi, quòd virtus tota amborum eſſet in altero, & tunc illud poteſt cauſare iſtum effectum ſufficienter ſine alio: quod eſt inconueniens de talibus duobus agentibus

Nota hoc propter animam rationalẽ in eſſe. Aug. 15. Tri c. 4. & ſuper Gen.

Quæſt. 6. Ad primum dico [e] ſicut dictum eſt *diſt. 3. primi*, ideò poſita eſt ſpecies intelligibilis differens ab actu, quia obiectum, ſiue vt in ſe exiſtens, ſiue in quacunque ſpecie extra intellectum poſſibilem, non habet rationem actu intelligibilis: & tunc conceditur hoc, quòd vbicunque eſt aliquid exiſtens ſecundùm *quid* tale, & poteſt aliquid facere ſimpliciter, ſi eſſet ibi ſimpliciter tale in actu, poſſet ſimpliciter idem facere. Obiectum autem tale ſecundùm *quid* eſt in ſpecie intelligibili, & non eſt extra iſtam actu intelligibile: & ideò licèt in iſto vbi eſt ſecundùm *quid*, poſſit cauſare diminutam intellectionem: nunquam tamen extra illam poteſt cauſare nec diminutam, nec perfectam: quia non eſt extra iſtam actu ens tale, ſed potentia tantùm, quale eſt ſuum actiuum: eſſentia autem Angeli eſt diminutè ens tale in ſpecie: eſt autem in ſe ſimpliciter ens tale, ſcilicet actu intelligibile: quare, &c. 10.

Quare ſẽſibile non cauſat immediatè intellectionẽ, ſicut intelligibile.

Ad ſecundum dico, quòd contra illam opinionem (quæ non ponit intellectum habere actiuitatem aliquam illam ab illa, quam habet formaliter ab obiecto, vel per ſpeciem obiecti, ſicut nec lignum habet aliquam actionem in calefaciendo aliam ab illa, quæ eſt caloris, neceſſariò ſequitur, quòd intellectus non habens aliquid formaliter, non operatur formaliter: & ita argutum eſt contra * primam opinionem quæ hoc idem videtur ſentire de intellectu: ſed ſicut dictum fuit in primo lib. intellectus habet actiuitatem ſuam propriam, ſiue obiecto præſente in ſe, ſiue in ſpecie ſua concurrente ſecum ad cauſandum effectum communem amborum, ita quòd ſufficit vnio & approximatio iſtarum partialium cauſarum: nec tamen requiritur, quòd altera alteram informet: quia neutra dat alteri actum pertinentem ad ſuam cauſalitatem partialem.

al. ſecundã. d. 3. q. 7.

Si intellectus nõ eſſet actiuus, nõ intelligeret ſine principio informante.

Mouens motum ſumitur dupliciter. Ad tertium dico, quòd mouens motum, poteſt intelligi duobus modis, vel quòd recipiat à mouente non moto formam aliquam qua moueat, ſicut actum primum: vel quòd ipſa forma habita ſicut actus primus, recipiat ab eo aliam formam vlteriorem ſicut actum ſecundùm qua agat. Primo modo eſt in quibuſdam cauſis ordinatis, quòd prima dat virtutem ſecundæ. Hoc modo non eſt in propoſito, quia nec intellectus vt agens cauſalitate ſua partiali, dat ſpeciei obiecti iſtum actum, quo operatur ad intellectionem: nec multò magis è conuerſo: quia ſpecies nullam actiuitatem dat intellectui pertinentem ad cauſalitatem eius. Secundo modo videtur eſſe in quibuſdam mouentibus localiter, ſicut manus mouet baculum, & baculus mouet pilam: 11.

Species intelligibilis nõ dat actũ

pilam:non autem manus dat baculo duritiem,per quam expellit corpus extra locum; ſed dat præcisè baculo motionem localem, qua ſcilicet applicatur ad iſtam expulſionem propter incompoſſibilitatem corporis duri ad aliud corpus, quod non cedit ei. Hoc modo videtur eſſe in agentibus ad aliquem effectum productum per generationem,vel per alterationem:quia licèt ibi cauſæ ordinatæ habeant aliam rationem cauſandi,& inferior non cauſet niſi in virtute ſuperioris:iſta tamen virtus ſiue aſſiſtentia, ſiue influentia(quomodocunque nominetur)non eſt impreſſio alicuius formæ, vel alicuius inhærentis in cauſa inferiori:ſed tantùm eſt ordo ſiue actualis coniunctio talium cauſarum actiuarum,ex quibus ſic coniunctis, & ſuis propriis actiuitatibus præſuppoſitis coniunctioni,ſequitur effectus communis ambarum cauſarum

uitatem intellectui, nec è cõtra.

12. Ad propoſitum igitur dico, quod non ſolùm iſta non ſunt mouens & motum primo modo:ſed nec ſecundo modo propriè,ſicut ſe habet ſol & pater in generatione:ſed tantùm ſunt duæ cauſæ quaſi ex æquo ſe habentes,quantùm ad hoc,quod neutra per ſe totaliter mouet:& tamen vna habet priorem cauſalitatem reſpectu effectus, quam altera. Fortè [f] enim cauſa inferior nunquam agit in virtute cauſæ ſuperioris, propriè loquendo,niſi in forma ſua qua agit, aliquo modo dependeat à ſuperiori forma; licèt non tunc quando agit recipiat eam ab illo:ſed priùs duratione, vel natura. Nec enim obiectum dependet ab anima, ſaltem vt eſt intellectus poſſibilis, quantùm ad iſtam formam,qua actualiter operatur ad iſtam intellectionem:nec multò magis è conuerſo: & ideò nullo modo eſt obiectum mouens motum reſpectu animæ vt operatur ad intellectionem. Poteſt tamen eſſe mouens reſpectu eius inquantùm ipſa recipit ſpeciem intelligibilem; ſed tunc non mouet animam quantùm ad cauſalitatem, quam habet anima per ſe,ſed per accidens quantùm ad iſtam formam, quam habet reſpectu cauſæ partialis inquantùm operatur ad illam. Et hoc modo dictum fuit *in primo, diſt.* 3. quod intellectus agens & phantaſma ſunt vna cauſa totalis ſpeciei intelligibilis: & vlteriùs,ſpecies intelligibilis,& aliquid animæ,ſiue ſit intellectus agens, ſiue poſſibilis ſunt vna cauſa totalis intellectionis,ita quòd in primo ſigno obiectum,ſiue phantaſma mouet animam ad intellectionem,& non ad actum primum, qui ſit animæ, vt anima eſt: ſed ad illum,qui eſt reliqua cauſa partialis ſibi præuia. In ſecundo autem ſigno, obiectum omnino non mouet animam, neque ad actum primum, neque ad aliquam aliam cauſam concurrentem; ſed præcisè agit ad effectum communem:& tunc anima per ſuum actum,quem habuit, agit in ſuo ordine ad eundem effectum, ita quòd nulla eſt ibi motio animæ ad agendum prior naturaliter effectu producto. Ad effectum tamen mouetur anima non inquantùm actiua, ſed inquantùm receptiua illius effectus:& licèt ſit mota,non tamen eſt mouens mota, quia non mouetur ad mouere actiuè,ſed ad recipere.

Mouere vt motum,vel agere in virtute ſuperioris eſt ei ſubordinari,ſeu ab eo deſcendere in actionem.

Quomodo intellectus reſpectu obiecti ſit mouens motũ q.6.7.& 8.

Intellectus agens, phãtaſma, & obiectũ, quo ordine concurrunt ad notitiã

g Ad quartum dico,quòd illa propoſitio prima eſt falſa de cauſis partialibus quomodocunque ordinatis ad eundem effectum:hoc eſt, quòd ſit ordo eſſentialis earum, & non ſint omnino eiuſdem rationis:tales enim, quæ ſunt alterius rationis, non ſunt tantùm diſtinctæ ſpecie,quia huiuſmodi non concurrunt communiter vt cauſæ ordinatæ ad eundem effectum: nec tantum diſtinctæ numero, quia tunc non eſſent alterius rationis vel generis:igitur diſtinctæ genere. Et ſi accipias,quòd non in tali genere. Ex ratione diſtinctionis generis, non poteſt * quæri magis hoc, in hoc genere, quàm in alio.

Poteſt idẽ effectus eſſe à cauſis diſtinctis genere vel ſpecie.

al. ſequi.

COMMENTARIVS.

1. [a] *AD quæſtionem igitur dico.* Nunc Doctor reſpondendo ad q. dicit, quòd eſſentia Angeli eſt ratio formalis partialis tamen intelligendi ſe, id eſt, quòd eſt ratio formalis partialis productiua intellectionis ſui, & in hoc diſcrepat à S. Thoma, qui poſuit ipſam eſſentiam Angeli eſſe rationem formalem totalem;& addit Doctor quòd intellectus Angeli eſt alia ratio formalis partialis reſpectu intellectionis eſſentiæ Angeli, & iſtæ duæ cauſæ partiales integrant vnam totalem.

Difficultas

* Sed hîc occurrit aliqualis difficultas,videlicet, quomodo intellectus,& eſſentia Angeli, ex quo ſunt vna, & eadem res dicantur duæ cauſæ partiales, quæ ſic ſe habent, quòd vna eſt principalior,& alia minùs principalis, vt patet à Doctore *in primo,d.3.q.*8. Dico primò, quòd etſi realiter ſint penitus vna res; tamen inter intellectum,& eſſentiam Angeli eſt aliqualis diſtinctio præter omne opus intellectus, ſicut etiam eſt de intellectu,& anima noſtra,vt infrà patebit *d.* 16. & talis diſtinctio erit ſufficiens ad hoc, vt dicantur duæ cauſæ partiales. Dico ſecundò, quòd etiam poſito quòd ſint penitus eadem res,ſaltem ſecundùm rationem, ſunt duæ cauſæ partiales,quarum vna erit in ratione obiecti, puta eſſentia, & alia in ratione potentiæ,puta intellectus.Et hoc patet per illam propoſitionem Doctoris *in q.3.prolog. & 1. q. quolib. & alibi.* qualis eſt ordo inter aliqua, vbi realiter diſtinguuntur, talis eſt vbi ſola ratione diſtinguuntur, ſed ſi eſſentia, & intellectus Angeli realiter diſtinguerentur, eſſent duæ

Reſponſio.

cauſæ partiales reſpectu intellectionis; quarum vna ſe haberet in ratione obiecti, & alia in ratione potentiæ; ergo vbi ſola ratione diſtinguuntur, erunt duæ cauſæ partiales ſecundùm rationem, quarum vna ſe habebit ſecundùm rationem per modum obiecti, & alia per modum intellectus.

2. b *Præterea in intellectibus habentibus ſpecies intelligibiles.* Hîc Doctor probat ſecundo, quomodo eſſentia Angeli ſit ratio formalis, partialis tamen reſpectu intellectionis ſuæ. Et argumentum eſt à minori; Si de quo minus, &c. ſed minùs videtur, quòd ſpecies intelligibilis obiecti, in qua obiectum habet tantum *eſſe* diminutum, poſſit eſſe ratio formalis partialis producendi intellectionem talis obiecti, quàm ſi obiectum eſſet in ſe præſens: patet, quia obiectum in ſe præſens eſt magis ens: ſed ſpecies intelligibilis, per quam obiectum eſt præſens intellectui, eſt ratio formalis producendi intellectionem talis obiecti partialis tamen; ergo à fortiori, & obiectum in ſe præſens.

Hîc aduerte. Hîc tamen aduerte, quia Doctor in iſta litera plura dicit, quæ ſunt valde dubia, niſi ſanè intelligantur, primum dictum eſt ibi: *Iſta ſpecies virtute obiectorum*, cum intellectu cauſant intellectionem, exemplum intellectus Ioan. habens ſpeciem intelligibilem albedinis, illa ſpecies cauſat intellectionem albedinis virtute ipſius albedinis. Si ergo intelligat Doctor quòd ſpecies albedinis cauſet partialiter cognitionem albedinis virtute ipſius albedinis, ita quòd in cauſando dependeat ab illa, hoc non videtur, quia talis albedo habet tantum *eſſe* diminutum. Si verò ſic intelligat, quòd quia talis ſpecies eſt cauſata partialiter ab ipſa albedine, tanquam à ratione formali cauſandi, conceditur; ſic tamen intelligendo, quòd albedo extra cauſat ſpeciem ſenſibilem in potentia viſiua, & pòſt cauſato in phantaſia phantaſmate albedinis repræſentante ipſam cum *hic*, & *nunc*, & vt ſingularem. Et ipſum phantaſma eſt cauſa partialis ſpeciei intelligibilis repræſentantis ipſam albedinem; & ſic intelligendo ſpecies intelligibilis albedinis cauſat partialiter intellectionem albedinis in virtute ipſius, modo præexpoſito; patet enim à Doctore quòd ipſa ſpecies intelligibilis ponitur, vt partialis cauſa cognitionis abſtractiuæ, vt ſuprà patuit *in primo, diſtinct. 3. quæſt. 6. 7. & 8. & diſt. 17. & in multis aliis locis*, ſed dicitur agere in virtute obiecti, quia ab ipſo eſt cauſata ſaltem vt à cauſa remota. Poteſt etiam dici agere in virtute obiecti, quia ex quo albedo extra eſt ratio formalis cauſandi ſpeciem ſenſibilem, & quia eſt talis ordo, quòd illa ſpecies intelligibilis fortiùs mouet intellectum, quæ fortiùs excitatur à phantaſmate, & phantaſma fortiùs excitat, cuius ſingulare fortiùs mouet ſenſum exteriorem, vt patet *in primo, diſt. 3. qu. 2.* Dicit ergo Doctor quòd ſi talis ſpecies intelligibilis cauſat intellectionem obiecti partialiter, à fortiori ſi obiectum eſſet in ſe perfectè præſens eſſet magis cauſa partialis intellectionis ſui.

Phantaſma eſt cauſa partialis ſpeciei intelligibilis.

3. Secundò principaliter nota, quòd dicit ibi de obiecto actu intelligibili, ſic debet intelligi, quòd tunc obiectum eſt actu intelligibile, quando eſt in potentia proxima ad cauſandum partialiter cognitionem ſui; ſi tamen eſt tale ens, quòd poſſit cauſare, ſi verò ſit tale ens quòd non ſit ex ſe ſufficiens ad cauſandum partialiter cognitionem ſui, ſed talis cognitio cauſatur ab aliquo, in quo continetur virtualiter, vel quiditatiuè, vt ſuprà expoſui *in primo, diſtinct. 3. q. 3.* tunc dico, quòd tale ens dicitur actu intelligibile, quia obiectum continens ipſum eſſentialiter, vel virtualiter eſt in potentia proxima ad cauſandum partialiter cognitionem illius obiecti contenti.

Tertiò nota, quod dicit in iſta litera, quòd obiectum relucens in ſpecie intelligibili, ſiue habens *eſſe* ibi diminutum, quia tantùm repræſentatum, cauſat diminutè cognitionem ſui, talis cauſatio non debet attribui tali obiecto ſic relucenti, ſed ſpeciei intelligibili, vt patet à Doctore in locis præallegatis. Ex hoc enim, quòd ſpecies talis obiecti verè cauſat partialiter cognitionem talis obiecti, dicimus, quòd obiectum ſic relucens cauſat.

c *Obiicitur contra iſtud.* Hîc Doctor, quia dixit ſuprà, quòd ſubſtantia, vt relucet in ſpecie intelligibili poteſt cauſare cognitionem ſui ſecundum *quid*; vt verò non relucet in tali ſpecie, poterit abſolutè cauſare, modò arguit Doctor quia ſi ſic, ſequitur, quòd aliquod ſenſibile, puta albedo, vt eſt extra ſpeciem intelligibilem poterit cauſare in intellectu noſtro cognitionem ſui ſimpliciter; patet, quia vt relucet in ſpecie ſua intelligibili, poteſt cauſare ſecundum *quid*; ergo à fortiori ſi ſit in ſe præſens, poterit ſimpliciter cauſare.

d *Præterea, iſta duo agentia*, &c. Hic Doctor ſpecialiter arguit, quia ſi tu vis dicere, 4. *Nota.* quòd eſſentia Angeli ſit cauſa partialis intellectionis ipſius, & intellectus eius ſit alia cauſa partialis, cùm non ſint eiuſdem rationis, altera cauſa erit prior, altera verò poſterior; accipiendo *prius* pro perfectiori in cauſando, patet, quia quando ſunt duæ cauſæ alterius rationis, ſemper vna eſt perfectior, vt patet in eſſentialiter ordinatis; cum verò ſunt eiuſdem rationis, ſicut ſunt cauſæ accidentaliter ordinatæ, vna non eſt perfectior alia, vt patet *in primo, diſtinct. 2. quæſt. 1. & diſtinct. 3. quæſt. 8. & diſtinct. 17.* Et ſic ſequitur, quòd intellectus erit mouens, & motum reſpectu obiecti, quod eſt contra Philoſophum *tertio de Anima*, nam ſi intellectus eſſet cauſa minùs principalis reſpectu eſſentiæ Angeli, vt ſic eſſet motus ab eſſentia Angeli, quia cauſa ſecunda eo modo mouet, quo mouetur à prima, vt patet à Doctore *in prima, diſtinct. 2. quæſt. 1.* Et ex alia parte moueret ſe, cauſando in ſe partialiter intellectionem eſſentiæ Angeli.

Intellectus non eſt mouens, & motum.

e *Ad primum dico.* Hîc Doctor negat quòd ſenſibile in ſe poſſit cauſare cognitionem ſui partialiter; negat etiam, quòd vt ſic ſit actu intelligibile, ſcilicet quòd ſit ſufficienter præſens intellectui in ratione obiecti actu intelligibilis: nam ſi in ſe præſens poſſet cauſare cognitionem ſui tantùm cauſaret cognitionem intuitiuam; ſed pro ſtatu iſto non poteſt haberi cognitio intuitiua de aliquo ſenſibili in ſe; licèt fortè poſſet haberi aliqua cognitio intuitiua de aliquo actu noſtro, de hoc *in quarto, diſtinct. 45.* Videtur etiam, quòd ſenſibile poſſit intuitiuè cognoſci pro ſtatu iſto, de quo vide ibi. Et vult Ocham *in primo, diſtin. 1.* quòd hæc ſit mens Doctoris quicquid alij Scotiſtæ dicant, Si tamen ſenſibile poſſet eſſe in ſe perfectè præſens intellectui noſtro in ratione obiecti

iecti actu intelligibilis,certum eſt quòd partialiter cauſaret cognitionem ſui intuitiuam, ſicut etiam nunc quando aliquod ſenſibile eſt perfectè præſens in ſua exiſtentia intellectui Angelico partialiter cauſat cognitionem ſui intuitiuam, vt patet à Doctore in iſto ſecundo *præſenti diſt. q. vlt.* Senſibile verò pro ſtatu iſto nunquam eſt obiectum intellectus noſtri actu intelligibile niſi inquantùm relucet in ſpecie intelligibili,& quod dicit circa finem huius reſponſionis ibi, *quia non eſt extra iſtam actu ens tale*,vult dicere,quòd ipſum ſenſibile, vt eſt extra ſpeciem intelligibilem eſt tantùm potentia tale ſupple intelligibile,quale eſt ſuum actiuum ; nam actiuum partiale cognitionis obiecti ſenſibilis eſt ſpecies intelligibilis,vt dixi ſuprà. Et quòd actu relucet in tali ſpecie,eſt actu intelligibile,id eſt,quòd potentia proxima poteſt cauſare cognitionem ſui abſtractiuam,ſiue diminutam, *cauſare* dico denominatione extrinſeca,prout relucet in ſpecie intelligibili, quæ eſt verè cauſatiua, vt dixi. Cùm verò ipſum ſenſibile nullo modo relucet in ſpecie intelligibili eſt tantum in potentia intelligibile ; & hoc
6. eſt quod dicit Doctor.

An ſenſibile ſit obiectum intellectus noſtri.

Ad ſecundum, &c. patet litera. Et de hoc vide,quæ dicit Doctor in primo,diſt.3.q.8.& diſt.17.

Ad tertium dico, &c. hæc litera clara eſt hîc, & expoſita ſuprà in primo,diſt.3.q.7. vide ibi.

f *Fortè enim cauſa inferior eorum*,Dicit Doctor quod in cauſis eſſentialiter ordinatis, quando inferior agit in virtute prioris, quòd non dicitur agere in virtute eius, niſi forma agendi in inferiori dependeat à ſuperiori,id eſt, quòd ratio formalis agendi in inferiori dependet in *eſſe* fortè tamen à ſuperiori : & etiam ſic dependet, quòd non poteſt eſſe ratio formalis agendi in inferiori,niſi actu dependeat à ſuperiori in agendo;non tamen quòd ſuperior aliquid influat actu in inferiori,ſed quòd inferior non poteſt agere, niſi ſuperior agat,& hoc vide clariùs *in quarto, diſt. q. 1. & infrà. Nec enim obiectum.* Dicit Doctor quòd quando intellectus, & obiectum, vel ſaltem ſupplens vicem obiecti, vt ſpecies intelligibilis,quòd ipſum obiectum, vel ſupplens vicem obiecti in cauſando intellectionem obiecti non dependet ab anima, accipiendo *animam* pro intellectu poſſibili, & hoc dicit Doctor quia vult, quòd ſpecies intelligibilis,quæ eſt cauſa partialis abſtractiuæ intellectionis dependet in *eſſe* ab intellectu agente, vt à cauſa partiali, & à phantaſmate, vt à cauſa partiali, vt patet ſuprà *in primo, diſt.3.q.8.& q.15.quodlib.* ipſa tamen ſpecies intelligibilis in eſſendo dependet ab intellectu poſſibili, vt patet vbi ſuprà, & ſic accipiendo *animam* pro intellectu poſſibili, non dat ſpeciei intelligibili *eſſe* : & ſic ipſa ſpecies non agit in virtute intellectus poſſibilis, cùm ab ipſo non dependeat in *eſſe*. Sed eſt difficultas, ex quo ſpecies intelligibilis dependet ab intellectu agente : ergo agit ad intellectionem in virtute intellectus agentis. Quidam dicunt quòd ſic, & ideò Doctor dicit *de intellectu poſſibili ſaltem* ; ſed iudicio meo iſti, qui ſic exponunt Doctorem ſcilicet quòd ſpecies intelligibilis agat ad intellectionem obiecti, in virtute intellectus agentis, non rectè exponunt:nam ad hoc quòd aliquid agat in virtute alterius(propriè loquendo)oportet ipsũ non tantùm dependere in eſſendo ab illo alio, ſiue in forma quæ agit;ſed oportet etiam ipſum dependere in operando, ita quòd talem operationem eliciat in virtute alterius,patet à Doctore *in primo,diſt.2.q.1.& in quarto,diſt.1.q.1.*

A quo depẽdet ſpecies intelligibilis.

Licèt ergo ſpecies intelligibilis cauſetur ab intellectu agente, non tamen propter hoc dicitur agere in virtute intellectus agentis ; quia ſi (per impoſſibile) talis intellectus agens non eſſet, & ſpecies intelligibilis eſſet in intellectu poſſibili, adhuc partialiter cauſaret intellectionem obiecti, & intellectus poſſibilis eſſet alia cauſa partialis, vt patet à Doctore *q.15.quolib.* Et vltrà ipſa ſpecies intelligibilis eſt cauſata partialiter à phantaſmate,vt patet *vbi ſuprà*,& tamen phantaſmate corrupto,adhuc agit ad intellectionem obiecti,& ſic patet quòd exponentes Doctorem de ſpecie intelligibili,quòd agit in virtute intellectus agẽtis,non rectè intelligunt ipſum. Et quod dicit ibi in litera,*ſaltem vt eſt intellectus poſſibilis*,hoc dicit,quia non eſt præſentis ſpeculationis de intellectu agẽte;quia fortè aliqui poſſent dicere,quòd ſpecies intelligibilis, quæ ſupplet vicem obiecti, agit ad intellectionem obiecti in virtute intellectus agentis:& dicit,quòd quicquid ſit de intellectu agente, ſaltem intellectus poſſibilis non ſic concurrit ad intellectionem, vt ſpecies intelligibilis agat in virtute illius,cùm nullo modo ab ipſo dependeat. Et infrà ibi:*Nec multò magis è conuerſo*, id eſt, quòd intellectus non agit in virtute obiecti. Sed fortè eſſet difficultas de eſſentia diuina. Nam ſi ipſa moueret ad extrà,fortè intellectus in cauſando cognitionem ipſius,dependeret ab ipſa,& ageret in virtute ipſius, ſed tenendum eſt quòd nullo modo eſſentia, vt eſſentia, agat aliquid ad extrà,ſed tantùm voluntas. Si etiam teneretur, quòd ipſa immediatè mouet intellectum ad viſionem ſui, vt quidam tenent ; Dico, quòd ſi partialiter moueret ad viſionem,non tamen intellectus beati diceretur agere partialiter ad viſionem illam in virtute eſſentiæ diuinæ, ſed in virtute voluntatis diuinæ, à qua dependet in eſſendo,& operando.

7.

Difficultas de eſſentia diuina.

Item eſſet difficultas de intellectu, & eſſentia animæ. Nam ex quo intellectus pullulat ab ipſa anima,licèt non diſtinguatur realiter ab ipſa, ſuo modo videtur dependere eſſentialiter ab ipſa. Et etiam videtur ſequi quòd intellectus habeat ab anima quòd ſit actiuus intellectionis ipſius animæ. Dico, quòd ipſe intellectus in nullo genere cauſæ dependet ab ipſa anima intellectiua, & de hoc inferiùs diſt. 16. Sequitur ibi : *Et ideò nullo modo*, id eſt, quòd ipſum obiectum,vt mouet ad intellectionem, id eſt, vt partialiter cauſat illam, non eſt motũ ab anima, ſaltem vt eſt intellectus poſſibilis,vt dixi ſuprà,id eſt,quòd non cauſat illam intellectionem in virtute animæ, nec habet virtutem cauſandi ab ipſa,& infrà ibi;*Poteſt tamẽ eſſe mouens.* Dicit,quòd obiectum poteſt mouere ipſum intellectum, ſic intelligendo, quòd poteſt partialiter cauſare,puta intellectionem;vel ſpeciẽ intelligibilẽ,quę recipitur in anima;& tũc anima dicitur moueri ab obiecto,inquantùm recipit aliquid ab ipſo. Sed prout anima eſt partialis cauſa intellectionis,nõ dicitur moueri ab obiecto,quia ipſam cauſalitatẽ non habet ab obiecto,& hoc eſt quod dicit infrà ibi;*Sed tunc non mouet animam*, quia dicitur mouere per accidens ex hoc, quòd cauſat aliquid accidentale in ipſo,puta ipſam ſpeciem intelligibilem,quæ eſt cauſa partialis intellectionis, & infrà ibi ; *ita quòd in primo ſigno.* Dicit, quòd in primo ſigno phantaſma, & intellectus agens mouet animã ad ſpeciem intelli-

8.

Intellectus, & anima nõ diſtinguũtur realiter.

gibilem, cauſando ſupple in intellectu poſſibili, ipſam ſpeciem intelligibilem. Et infrà ibi; *& non ad actum primum*, id eſt, quòd ipſum phantaſma non dat ipſi intellectui, vt dicatur actus primus partialis reſpectu intellectionis, ſed quòd ſit talis actus partialis eſt ex natura talis intellectus. Sequitur: *Sed ad illum*, id eſt, quòd ipſum phantaſma mouet ad illum actum primum partialem, quę eſt altera cauſa partialis, id eſt, quòd cauſat in ipſa anima ſpeciem intelligibilem, quæ eſt actus primus partialis, & altera cauſa partialis intellectionis obiecti. *In ſecundo autem ſigno.* Dicit Doctor quòd impreſſa ſpecie intelligibili mouet tantùm ad effectum communem, id eſt, quòd partialiter cauſat intellectionem ſui, quæ recipitur in anima, ab obiecto tanquam à cauſa partiali dicitur moueri modo præexpoſito, & quod dicit quòd obiectum mouet in cognitione abſtractiua, intelligo obiectum mouere ipſam ſpeciem intelligibilem, vt ſuprà diffusè declaraui.

9. g *Ad quartum dico.* Dicit quòd cauſæ, quæ ſunt alterius rationis concurrentes ad eundem effectum, ita quòd ſit ordo inter illas ſecundùm perfectius, & minùs perfectum eſſentialiter, illæ cauſæ non ſunt tantum diſtinctæ ſpecie. Hoc eſt manifeſtum, quia communiter duæ ſpecies ſpecialiſſimæ non concurrunt ad aliquem vnum effectum; patet de mula, & equo: nec huiuſmodi cauſæ, quæ ſic concurrunt, non tantùm diſtinguuntur numero, vt patet, quia duæ cauſæ ſolo numero diſtinctæ non ſunt ſic ordinatæ reſpectu eiuſdem effectus, quòd vna ſit eſſentialiter perfectior altera; illæ ergo cauſæ, quæ ſic concurrunt, communiter diſtinguuntur genere, vt patet de intellectu, & de ſpecie intelligibili & aliis. Sequitur, *& ſi accipias*, id eſt, ſi dicas, quòd duæ cauſæ efficientes diſtinctæ genere prædicamentali, non poſſunt concurrere ad eundem effectum, falſum eſt: quia intellectus, qui eſt de genere Subſtantiæ, & albedo, quæ eſt de genere Qualitatis, poſſunt concurrere ad cauſandam cognitionem intuitiuam ipſius albedinis. Vel ſi etiam dicas, quòd duæ cauſæ diſtinctæ genere Phyſico, accipiendo pro cauſa materiali, formali, finali, & efficiente, non poſſunt concurrere ad eundem effectum, hoc falſum eſt; quia compoſitum naturale ſemper dependet ab iſtis quatuor cauſis, & ideò dicit Doctor quòd non poſſunt quæri magis hoc ſupple, quòd idem effectus, ſit à diſtinctis cauſis genere, & hoc non poteſt magis quæri in hoc genere, puta prædicamentali, quàm in alio, puta Phyſico, quia tam cauſæ pertinentes ad diſtincta Prædicamenta poſſunt concurrere ad eundem effectum, quàm cauſæ naturales, ſiue Phyſicales modo præexpoſito.

An duæ cauſæ poſſint concurrere ad eundem effectum.

SCHOLIVM.

Ad primum explicat, quomodo ſemper intellectus nouit ſe, & ex peccato prouenire quod actu non ſe intelligat ſine ſpecie, licèt ſuppoſito peccato, hoc prouenit ex natura potentiarum. Exponit etiam quomodo intellectus nihil eſt intelligibilium ante intelligere, *de quo* 1. *d.* 3. *q.*7. *num.*38. *Ad ſecundum, reiicit D. Thom. & Henr. quia D. Thom. negat ſingulare materiale, Henricus omne eſſe intelligibile, de quo ſuprà q.*6. *n.*17. *ad ſecundum.*

*Ad Arg.*1. *Anima nouit ſemper ſe, explicatur.*

AD argumenta [a] principalia. Ad primum, concedo quòd anima de ſe actu intelligibilis eſt & præſens ſibi: & ex hoc ſequitur quòd poſſit intelligere ſe, ſi non eſſet impedita; nihil enim deficit actui primo, neque ex parte vnius cauſæ, neque ex parte ambarum, neque à parte vnionis earum: & ita totus actus primus de ſe perfectus eſt, ad quem debet ſequi iſte actus ſecundus, qui eſt intellectio: & fortè propter hoc dicit frequenter Auguſtinus quòd *anima nouit ſemper ſe*, propter iſtam propinquitatem ad actum noſcendi, vbi nulla eſt imperfectio in actu primo. Hoc autem modo anima non ſemper nouit lapidem, quia etſi ſemper habeat actum perfectum intelligendi lapidem, ratione ſuæ propriæ cauſalitatis partialis: non tamen ſemper habet aliam cauſam partialem in actu præſentem: & ideò poteſt dici, quòd quandoque eſt in potentia eſſentiali ad intelligendum lapidem, quando ſcilicet caret iſta forma, qua tanquam alia partiali cauſa, nata eſt eſſe in actu & in actu vniri ſibi. 13.

*5. Trin. c.*7. *&* 10. *Trin. c.*10. *&* 14. *Trin. c.*4.

De Imagine hac vide Scot. 1. *d.*3. *q vlt.*

Et hoc modo [b] trinitatem ponit Auguſtinus, & tamen ad ſolam memoriam pertinere: quia iſtud totum non eſt niſi præſentia obiecti ſub ratione intelligibilis, quod pertinet ad memoriam; ſed in hoc eſt intellectio virtualis obiecti illius, quæ pertinet ad intelligentiam: & hoc modo cùm voluntas [c] ſit præſens vt actus primus perfectus ad habendum actum ſecundum, reſpectu ſui, eſt quodammodo actus ſecundus ſicut effectus in cauſa efficiente, vt in voluntate: & in eo ſine quo non, vt in intellectione: ſed quia nihil eſt de iſto toto in actu, [d] niſi ſolùm quod pertinet ad memoriam; ideò tota iſta trinitas, quæ ſcilicet nata eſt eſſe trinitas, tantùm eſt in memoria, quantùm ad realitatem eius actualem.

Sed quare non exit iſte actus totalis primus in actum ſecundum, cùm ſit per ſe ſufficiens principium eliciendi actum ſecundum?

1. *d.*3. *q.*3. Reſpondeo, quia eſt impedimentum, quod iſta cauſa vincere non poteſt: ſicut quantumcunque poneretur cauſa naturalis perfecta, numquam tamen poſſet agere propter impedimentum vincens.

Sed

Sed quod eſt iſtud impedimentum? Reſpondeo, intellectus noſter pro ſtatu iſto non eſt natus moueri immediatè, niſi ab aliquo imaginabili, vel ſenſibili, extra priùs moueatur. Et quare hoc? Fortè propter peccatum, ſicut videtur Auguſtinus dicere 15. Trin. cap. vlti. *Hòc tibi fecit infirmitas. Et quæ cauſa infirmitatis, niſi iniquitas?* idem dicit Commentator 6. Ethic. & Linconienſis ibidem, & ſuper primo Poſteriorum ſimiliter. Vel fortè iſta cauſa eſt naturalis, pro vt natura iſto modo inſtituta eſt non abſolutè naturalis, puta ſi ordo iſte potentiarum, de quo dictum eſt in primo diffusè, neceſſariò hoc requirat quòd quodcunque vniuerſale intellectus intelligat, oportet phantaſiam actu phantaſiare ſingulare eiuſdem: ſed hoc non eſt ex natura, nec iſta cauſa eſt abſolutè naturalis, ſed eſt ex peccato, & non ſolùm ex peccato: ſed etiam ex natura potentiarum pro ſtatu iſto, quicquid dicat Auguſtinus.

Quare intellectus noſter non intelligat ſe nunc ſine ſpecie? ſuper de Anima q.18. Diſt.3.q.3. 3. de anima tex. com.32.

14. Ad formam argumenti igitur dico, quòd iſta cauſa, quæ eſt ex parte Angeli, eſt ſufficiens ad hoc quòd eſſentia Angeli ſit ſufficiens ratio intelligendi ſeipſam, etiam ipſa talis eſt ex parte animæ: ſed in anima ſunt impedimenta, in Angelo non. Non enim intellectus Angeli habet talẽ ordinem ad imaginabilia, ſicut habet intellectus noſter pro ſtatu iſto, & propter iſtam impotentiam intelligendi immediatè intelligibilia in actu (quæ impotentia non eſt ex impoſſibilitate intrinſeca, ſed extrinſeca, quam etiam experiebatur Philoſophus, & non aliquã poſſibilitatem) dixit ipſe Philoſophus, [e] quòd *intellectus non eſt aliquod intelligibilium ante intelligere*, id eſt, non eſt poſsibile intelligi à ſe, ante *intelligere* aliorum. Quæ propoſitio multiplex eſt ſecundum compoſitionem & diuiſionem, ſicut illa 6. Topic. *hoc non eſt primò immortale, vel incorruptibile*; ex eo quòd præpoſitio cum ſuo caſuali æquipollet aduerbiali determinationi, & poteſt conſtrui cum infinitiuo illo ſignificante terminum potentiæ: & eſt ſenſus compoſitionis, vel cum ipſa compoſitione ſignificata per terminum, vel per verbum indicatiuum, & eſt ſenſus diuiſionis, vt primus ſenſus ſit iſte, non eſt poſsibile intellectum intelligi à ſe ante *intelligere* aliorum: & iſte ſenſus verus eſt ſecundum eum. Alius ſenſus eſt, quod ante *intelligere* aliorum intelligibiliumà ſe, non poteſt intellectus intelligere ſe, & ſic falſa eſt ſicut iſta; *hoc nunc primò eſt immortale*, falſa eſt pro homine in ſtatu innocentiæ, & hoc modo Philoſophus dicit, quòd anima intelligit ſe ſicut alia. Et ſecundùm iſtum modum expoſitionis mouetur ab obiectis imaginabilibus: & eis cognitis, poteſt ex eis cognoſcere rationes communes immaterialibus, & materialibus: & ita reflectendo cognoſcit ſe ſub ratione communi ſibi, & imaginabilibus; non autem poteſt ſtatim intelligere ſe nullo alio intellecto, quia non poteſt ſtatim moueri à ſe, propter ordinem potentiarum eius neceſſarium, pro ſtatu iſto ad imaginabilia.

Quare angelus intelligat ſe, noſter intellectus ſe non intelligat? C.2. Intellectus nõ eſt aliquid intelligibilium ante intelligere expoſitio eſt. 1. d.3.7.n.38. Hoc nunc primo eſt immortale, ſi neget actum, eſt verum: ſi poſſe mori, falſum. Ad 2. D.Thom. 1. p q.56.a.1. in ſol.2.ar. Henr. quodl.5. q.15.& 26. & quodl.8. q.13.quodl. 15.q.9. Vide 14.q. quodl.

15. Ad ſecundum, vnus Doctor [f] dicit, quòd ſingulare poteſt per ſe intelligi, licèt non ſingulare materiale: quia ſingularitas non prohibet, ſed materialitas; alioquin Deus non eſſet intelligibilis, cùm ſit ſingulare, quod falſum eſt, & tunc patet reſponſio, quod propoſitio aſſumpta de non intelligendo ſingulare, non eſt vera, niſi de ſingulari materiali.

Alius dicit, quòd non, ſcilicet nec ſe, nec alia intelligit ſub ratione ſingularis materialis vel immaterialis: ſed ſub ratione vniuerſalis, quod eſt per ſe obiectum intellectus, quod etiam relucet in habitu intelligibili, & ſecundùm hoc patet reſponſio ad argumentum.

Neutrum credo eſſe verum, niſi fortè loquendo de intellectu, qui propter imperfectionem ſui, non poteſt fortè quodcunque intelligibile intelligere: non ſic intellectus angelicus.

COMMENTARIVS.

1. *Anima de ſe actu eſt intelligibilis.*

a *Ad argumenta principalia.*

Ad primum reſpondet Doctor, in qua reſponſione plura ſunt notanda, & declaranda, primò ibi: *anima de ſe actu intelligibilis eſt*, intelligit quòd ipſa anima ex parte ſua eſt ratio formalis eliciendi intellectionem ſui, & eſt præſens ſibi ſupple inquantùm eſt intellectus, id eſt, quòd ipſa eſſentia animæ, quæ eſt ratio formalis partialis producendi cognitionem ſui, eſt præſens intellectui, quæ eſt altera cauſa partialis, eſt tamen præſens non in ratione obiecti actu intelligibilis, quia ſtatim ſequeretur cognitio illius, vt patet à Doctore *q. prima prologi, & d.3. primi q.1.* & vide quæ ibi notaui, ſed eſt præſens ſibi in ratione entitatis. Nam quando aliquid eſt perfectè præſens intellectui in ratione obiecti actu intelligibilis ſtatim ſequitur intellectio, vel ſaltem poteſt ſequi, quia obiectum hoc modo in ſe præſens nihil aliud eſt, niſi ipſum intellectum eſſe memoriam perfectam, & perfectè diſpoſitum reſpectu intellectionis talis obiecti, vt patet, *in primo, diſt.2.p.2.& diſt.3.qua.7.* & vide quæ ibi expoſui in declarando titulum quæſtionis ſeptimæ.

Nihil enim deficit actui primo, id eſt, quòd ipſa

animæ nihil deficit pertinens ad actiuitatem intellectionis illius, & ſimiliter ipſi intellectui nihil deficit quantùm ad actiuitatem pertinentem ad ipſum.

Nihil deficit ex parte vnionis earum, id eſt, quòd ipſa anima, & intellectus quantum eſt ex parte ſua ſunt perfectæ cauſæ intellectionis ipſius animæ, & ſunt perfectè vnita, cùm ſint, vna res realiter. Sed quare non ſequitur intellectio: hoc ideò eſt, quia pro ſtatu iſto non ſunt perfectè vnita, loquendo de vnione, quia anima ſit perfectè præſens intellectui in ratione obiecti intelligibilis, quæ omnia patent in primo *diſt. 3. quæſt. 3.*

2. Secundum declarandum eſt ibi: *Et fortè propter hoc dicit frequenter Auguſtinus, quòd anima nouit ſemper ſe.* Quod ſic debet intelligi, quòd ex quo anima, quæ eſt cauſa partialis cognitionis ſui, eſt ſemper perfectè præſens intellectui ſuo, & iſta duo integrant vnam cauſam totalem, & ſi nullum impedimentũ eſſet ab extrinſeco, ſequeretur cognitio ipſius animæ. Et ideò Auguſtinus dicit, quòd *anima ſemper nouit* ſe, id eſt, quòd cauſa perfecta cognitionis animæ ſemper eſt intra ipſam animam, & quòd actu non cognoſcat ſe, hoc non eſt ex defectu ipſius, ſed alicuius extrinſeci; & ideò benè dicit Doctor quòd non ſempet nouit lapidem, id eſt, quòd ipſa anima non habet ſibi intrinſecè cauſam totalem cognitionis lapidis, quia ad cognitionem ipſius non tantùm requiritur anima, ſed etiam lapis in ſe præſens reſpectu cognitionis intuitiuæ, vel præſens in ſpecie intelligibili reſpectu cognitionis abſtractiuæ.

2. de tri. c. 7. & 10. de tri. c. 10. & 14. de tri. c. 4. & inde.

b Tertium declarandum eſt ibi; *& hoc modo trinitatem ponit Aug.* Nota in iſta litera duplicem trinitatem, ſcilicet, perfectam, & potentialem. Actualis perfecta primò conſiſtit in memoria perfecta, quæ includit intellectum obiectum, & voluntatem, vt patet *in primo diſt. 3. quæſt. vlt.* Secundò conſiſtit in actuali intelligentia, ſiue intellectione actuali obiecti, & tertiò in actuali amore ipſius obiecti. Per primum repræſentatur Pater, per ſecundum Filius, & per tertium Spiritus ſanctus.

Dupleh trinitas.

Secunda, quæ eſt potentialis, conſiſtit in memoria perfecta, quæ vt attribuitur Patri, eſt perfectiſſima fœcunditas productionis Filij, & Spiritus ſancti, quæ includit intellectum, & obiectum præſens, & voluntatem; nam iſta poſſunt eſſe cauſa perfecta ſecundæ, & tertiæ partis imaginis, quia intellectus, & obiectum eſt cauſa totalis intellectionis illius, & voluntas habens præſens illud obiectum, non tamen in ratione cogniti, quia tunc eſſet ſecunda pars imaginis in actu, ſed in ratione cognoſcibilis, & amabilis poteſt amare illud, & ſic producere tertiam partem imaginis; in tali ergo memoria eſt intellectio virtualis obiecti illius, quia talis memoria habet in virtute ſua poſſe producere cognitionem obiecti.

3. c *Et hoc modo cùm voluntas ſit præſens*, &c. id eſt, quòd tertia pars imaginis, quæ eſt amor virtualiter eſt in voluntate, vt in cauſa efficiente & intellectione obiecti, vt in cauſa ſine qua non quia voluntas non fertur, niſi in præcognitum. Sed an obiectum, vel intellectio obiecti ſit cauſa actiua totalis, vel partialis actus voluntatis, patebit infrà diſt. 25.

Nota.

d *Sed quia nihil eſt de iſto toto in actu*, &c. id eſt, quòd loquendo de iſta imagine, & trinitate potentiali, nihil habetur in actu, niſi perfecta memoria, quæ, vt dixi, includit intellectum, obiectum, & voluntatem, quæ dicuntur actus primus totalis reſpectu ſecundæ, & tertiæ partis imaginis, quia intellectus cum obiecto eſt actus primus reſpectu ſecundæ partis imaginis, & voluntas eſt actus primus reſpectu tertiæ partis.

Intellectus non eſt aliquod intelligibilium ante intelligere, id eſt, non eſt poſſibile intelligi à ſe, ante intelligere aliorum. Quæ propoſitio poteſt habere duplicem ſenſum, ſcilicet compoſitum, & diuiſum, nam in ſenſu compoſito negatur tantum actus intelligendi reſpectu intellectus, & eſt ſenſus: non eſt poſſibile intellectum intelligere ſe ante *intelligere*, id eſt, non poteſt dari aliquod inſtans, in quo intellectus noſter, pro ſtatu iſto habeat actualem intellectionem ſui, ante intellectionem aliorum. Et hic ſenſus eſt verus, quia in eodem inſtanti, quo intellectus intelligit ſe, neceſſe eſt, vel ſimul habere intellectionem aliorum, vel neceſſe eſt priùs alia intellexiſſe, & hoc eſt, quod dicit Doctor quòd præpoſitio iſta, ſcilicet *ante* cũ ſuo cauſali, æquipollet aduerbiali determinationi, & poteſt conſtrui cum infinitiuo illo ſignificante terminum potentiæ, id eſt, quòd hoc tõtum, *ante intelligere aliorum*, poteſt conſtrui cum hoc infinitiuo paſſiuo, ſcilicet *intelligi à ſe*, quæ intellectio, ſiue quod *intelligi à ſe* eſt terminus potentiæ. Et tunc negatur tantum hoc, quod eſt intelligi à ſeipſo intellectu, ante *intelligere* aliorum, id eſt, quòd actualis intellectio, quia intellectus intelligit ſe, non poteſt ſibi ineſſe, ante *intelligere* aliorum; & ſic ſolùm negat actualis intellectio ante *intelligere* aliorum.

Cùm verò accipitur in ſenſu diuiſo, tunc *ante intelligere aliorum* conſtruitur cum indicatiuo, id eſt, cum ly *poteſt*, & eſt ſenſus, impoſſibile eſt, intellectum habere potentiam ad intellectionem ſui, ante *intelligere* aliorum, & hic ſenſus eſt falſus, quia licèt intellectus actualiter non intelligat ſe ante *intelligere* aliorum; habet tamen potentiam ad intelligendum ſe ante *intelligere* aliorum, ſicut hîc, *hoc nunc primò eſt immortale*, nam ly *immortale*, aut terminat actum, & tunc ſenſus eſt, hoc nunc, ſupple in ſtatu innocentiæ, hoc eſt potens non mori, quia Adam in ſtatu innocentiæ erat potens non mori: & hic ſenſus eſt verus; vel determinat potentiam, & ſenſus eſt falſus. Et eſt ſenſus, hoc nunc in ſtatu innocentiæ, non eſt potens mori. Sic in propoſito de iſta propoſitione, non eſt poſſibile intellectum intelligi à ſe, ante *intelligere* aliorum.

f. Ad ſecundum Doctor inducit duas reſponſiones quarum prima eſt Thomæ. 4. *Nota.*

Secunda eſt Henrici & patet litera.

SCHOLIVM.

Explicat quare in potentiis ſenſitiuis, oportet potentiam denudari à ratione cognoſcendi, v. g. oculum à colore: hoc tamen locum non habere in potentia ſpirituali. Ad quartum docet benè idem poſſe mouere ſe, de quo 1. diſtinct. 3. quæſt. 7. num. 27. & ſupra diſt. 2. quæſt. 10. ad primum.

Ad

16. AD tertium dico [a] quòd ratio iſtius propoſitionis maioris in potentiis ſenſitiuis eſt vera, eo quòd omnis potentia ſenſitiua requirit determinatum organum: vnde ex determinato numero potentiarum organicarum, concludit Philoſophus *ſecundo de Anima* determinatum numerum actionum, vel obiectorum: iſtud autem organum oportet ita eſſe diſpoſitum, vt poſsit recipere ipſum ſenſibile ſine materia: & in corporalibus, quicquid eſt receptiuum formæ ſine materia, non eſt receptiuum formæ communiter cum materia: ideò dico communiter, quia non eſt modò ſermo de organo tactus, de quo eſt difficultas ſpecialis. Organum igitur ſenſus oportet eſſe non tale, hoc eſt, carens obiecto ſecundùm ſuum *eſſe* materiale & ſenſibile, non tantùm in actu, ſed etiam potentia, quòd non ſit receptiuum iſtius ſecundùm *eſſe* materiale, ſecundùm quòd *eſſe*, ipſum eſt obiectum ſenſus: ſicut benè apparet de colore, cuius receptiuum ſecundùm *eſſe* materiale eſt ſuperficies corporis terminati: receptiuum autem eius ſine materia eſt corpus perſpicuum, ſiue non terminatum, & ita oppoſitæ diſpoſitiones requiruntur in organo ſenſus, quod debet eſſe receptiuum ſenſibilis ſine materia, & in eo quod debet recipere obiectum ſecundùm *eſſe* materiale: ideò oportet organum denudari à forma, quam recipit: & per conſequens ſenſum, qui eſt in tali organo. Ex hoc ſequitur propoſitum Philoſophi 3. *de Anima*, quòd ſcilicet intellectus non ſit potentia organica: & ideò ſeparatur ab omni materia, ſicut ab omni organo, quo operatur. Si enim requireret aliquod, illud eſſet determinatæ diſpoſitionis, ſicut eſt omne organum corporeum: & ideò (ex hoc, quòd eſſet receptiuus aliquorum ſecundùm *eſſe* materiale determinatum, propter determinatam diſpoſitionem corporis) non eſſet receptiuus omnium formarum corporalium ſecundùm *eſſe* immateriale: & ita intellectus non poſſet recipere formas omnium materialium, vt obiectorum, ſi eſſet virtus materialis & organica, tamen hoc habito, quòd ſit non organica, non oportet ipſum eſſe non tale realiter, quale illud, cuius debet eſſe receptiuus intellectualiter. Non enim oportet oppoſitam eſſe diſpoſitionem in receptiuo alicuius realiter, & intellectualiter, ſupppſito quòd intellectus non ſit virtus organica, quod tamen requireretur, ſi eſſet virtus organica: idem enim intellectus poteſt eſſe ipſemet realiter & in actu per habitum realiter: & tamen receptiuus intellectualiter, & ſui, & habitus, & cuiuſcunque informantis eum realiter. Et eſt tota ratio, quia talia ſic recepta intellectualiter, non requirunt in recipiente determinatam diſpoſitionem oppoſitam enti intelligibili reali. Iſta igitur propoſitio, quæ dicit, quòd oportet cognoſcens eſſe non tale, vel eſſe denudatum ab eo, quod cognoſcit, vel recipit, & à ratione cognoſcendi: ſi generaliter accipiatur, concludit omnem intellectum eſſe nihil: quia omnis intellectus ſecundùm ſe eſt totius entis, & ita ipſe nihil erit entium: & intellectus iſte eſt falſus. Sed tantùm non eſt materiale, vel organicum, vt ſit capax omnium: quia ſi eſſet materiale, vel organicum, eſſet tantùm capax aliquorum ſine materia, quorum talis receptio non repugnaret ſuæ entitati materiali: ſuæ autem entitati intellectuali non repugnat receptio intellectualis quorumcunque.

Ad arg. 3. Tex. 128. Vide 2. de Anima t. 121. & t. 38.

Vide in 4. d. 44. Receptiuũ formæ intentionalis, non eſt receptiuum formæ realis Tex. comm. 4. 11. 14. 16. 19.

Si intellectus eſſet organicus, non poſſet omnes formas recipere ſecundum eſſe immateriale.

Ad quartum reſponſum eſt frequenter, quòd idem poteſt ſe mouere, non tantùm motione corporali, ſed etiam ſpirituali: & etiam vniuerſaliter quæcunque actio virtualis vniuoca, poteſt ſtare cum potentia ad actum ſuum formalem, & tunc quomodo idem non ſit in potentia & in actu, prout ſunt differentiæ entis oppoſitæ, neque per ſe, neque denominatiuè: & tamen idem eſt in potentia, hoc eſt principium paſſiuum; & in actu, hoc eſt principium actiuum eiuſdem, hoc frequenter dictum eſt.

Ad arg. 4. 2. d. 2. q. 10. & 3. d. 1. q. 7. & alibi. Quare 3. de Anima. t. 5. & 15. & 12. Metaph. t. 51.

COMMENTARIVS.

1. *Reſponſio Scoti.*

[a] AD tertium reſponſio bat in hoc; quòd illa propoſitio tantùm habet veritatem in potentiis organicis, quæ requirunt determinatam diſpoſitionem: vnde ex determinato numero potentiarum organicarum, concludit Philoſophus determinatum numerum actionum, vel obiectorum, vt patet 2. de Anima tex. c. 128. *aut*, inquit, *non ſit ſenſus alius preter quinque. Dico autem hos, viſum, auditum, olfactum, guſtum, & tactum*, &c. Iſtud autem organum oportet ita eſſe diſpoſitum: vt poſſit recipere ipſum ſenſibile, ſine materia, quod enim eſt receptiuum formæ ſine materia requirit aliam diſpoſitionem à diſpoſitione receptiui formæ cum materia, vt patet à Doctore infrà: nam ſubiectum coloris eſt ſuperficies terminata, ſiue corporis terminati, puta parietis; receptiuum verò ſimilitudinis albedinis, eſt ſuperficies corporis terminati, puta alicuius perſpicui ſicut aër. Certùm eſt enim quòd aër, qui eſt receptiuus non materialis, puta ſpeciei ſenſibilis reſpectu albedinis non poteſt recipere in ſe albedinem, vt patet: ſic potentia organica, puta viſiua, vel ipſum organum eſt tantùm diſpoſitum ad recipiendum formam ſine materia, id eſt,

id eſt, ipſam ſpeciem ſenſibilem; & ſic ponitur communiter organum potentiæ viſiuæ in diſpoſitione perſpicua, & ſic tantùm recipit ſpeciem ſenſibilem coloris, non autem ipſum colorem, ad hoc ergo vt videat colorem, oportet denudari ab ipſo, nam ſi color eſſet in organo, fortè non poſſet videri. Et quod dicit Doctor communiter aſſignando de tactu, nam dubium eſt de tactu an poſſit recipere ſpeciem coloris, ipſum colorem, quicquid ſit de hoc non eſt præſentis ſpeculationis. Cùm ergo intellectus non requirat talem diſpoſitionem determinatam, ſicut potentia organica, non oportet ipſum denudari ab omni eo, quod intelligit: idem enim intellectus poteſt eſſe ipſemet realiter, & in actu per habitum realiter, & tamen receptiuus intellectualiter, & ſui, & habitus cuiuſcunque informantis eum realiter, & eſt tota ratio, quia talia ſic recepta intellectualiter non requirunt in recipiente determinatam diſpoſitionem oppoſitam intelligibili reali.

Dubium.

SCHOLIVM.

Oſtendit Angelum non eſſe ſuam intellectionem, quia hæc poteſt eſſe infinitorum. Vide eum 1. *diſt.* 8. *quæſt.* 2. *oppoſitum tenet Dur. hic quæſt.* 5. *explicat id: medium magis conuenit, vel ineſt extremo, quàm vnum extremum alteri.*

Angelus non eſt ſua intellectio; quia hæc eſſet infinita.

Medium magis ineſt vni extremo, quàm vnũ extremum alteri, explicatur.

AD vltimum, etſi aliqui concedant concluſionem illam ibi illatam, videtur impoſſibilis, quia tunc ſequeretur, quòd illa intellectio eſſet actu infinita. Poteſt enim intellectus quicunque eſſe infinitorum intelligibilium, & ſi tunc haberet intellectionem eandem ſibi; pari ratione intellectio eius cuiuſlibet eſſet eadem ſibi, & ita haberet intellectionem eandem ſibi, quæ eſſet, vel eſſe poſſet infinitorum intelligibilium: nego igitur conſequentiam. Et ad probationem dico, quod intellectio illa ſecundùm veritatem eſt extremum tam reſpectu potentiæ, quàm reſpectu obiecti: quia effectus eſt amborum: ſicut quando à diuerſis cognoſcente, & cognito paritur notitia; notitia illa eſt effectus communis iſtorum duorũ 9. *Trin. c. vlti* ita etiam, quando gignitur ab eodem habente rationem tam potentiæ quàm obiecti, eſt effectus illius vnius habentis realiter illam duplicem cauſalitatem, & non medians inter idem, & ſe ſe ſecundùm naturam rei; quomodo mediat medium inter contraria, & tali medio prout eſt ex natura rei, vera eſt iſta propoſitio, quod plus conuenit cum extremo quocunque, quàm extrema inter ſe. 17.

Ad confirmationem dico, quòd intellectio ab alia intellectione diſtinguitur per obiectum: ab obiecto verò & potentia, diſtinguitur per ſeipſam formaliter. Quòd autem ab eis diſtinguitur cauſaliter, habet à cauſis extrinſecis, vt à potentia & ab obiecto, ſicut radius habet cauſaliter à Sole quòd ab eo diſtinguitur.

COMMENTARIVS.

AD vltimum, reſpondet Doctor primò recitando opinionem aliquorum, quam improbat, qui dicunt talem intellectionem eſſe eandem eſſentiæ Angeli, hoc autem eſt impoſſibile, quia tunc ſequeretur quòd illa intellectio eſſet actu infinita, poteſt enim intellectus quicunque eſſe infinitorum intelligibilium, & ſi tunc haberet intellectionem eandem ſibi, pari ratione intellectio cuiuſlibet eſſet eadem ſibi; hoc autem poteſt deduci ex his, quæ dicit Doctor *in primo*, *diſtinct.* 2. probando intellectionem Dei reſpectu aliorum intelligibilium eſſe eandem ſibi: ergo negat illam conſequentiam, & ad probationem dicit, quòd illa intellectio non mediat inter potentiam & obiectum, ſed eſt extraneum reſpectu vtriuſque, cùm ſit effectus amborum, vt ſuprà patuit *in primo*, *diſtin.* 3. *quæſt.* 7.

QVÆSTIO IX.

An Angelus habeat notitiam naturalem diſtinctam eſſentiæ diuinæ?

D. Thom. 1. *par. quæſt.* 56. *art.* 3. D. Bon. 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. *art.* 2. Hen. *quodl.* 3. *q.* 1. *& quodl.* 4. *quæſt.* 7. Vaſq. 1. *par. diſt.* 134. *cap.* 3. Dur. *quæſt.* 3. *prologi.* Capr. 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. *art.* 3. Occam *quæſt.* 1. *prol. art.* 5: Baſſol. *ibi art.* 2. Maior *hic quæſt.* 5. *con.* 5. *& quæſt.* 3. *prol.*

1. SEcundò quæro de intellectione Angeli aliorum à ſe; & primò, an Angelus habeat notitiam naturalem diſtinctam eſſentiæ diuinæ?

Quòd non, quia aut eſſet per eſſentiam diuinam; aut per ſpeciem eſſentiæ: non per eſſentiam, quia tunc eſſet naturaliter beatus, quod non poteſt competere creaturæ; non per ſpeciem, quia eſſentia diuina eſt intimior intellectui, quàm ſit iſta ſpecies: igitur ſuperfluit ibi ponere ſpeciem: quia eſſentia diuina poteſt ibi efficaciùs per ſe facere illud: propter quod ponitur ſpecies, quàm ipſa ſpecies. Philoſophus etiam in 3. de Anima non videtur aſſignare ſpeciem neceſſariam, niſi quia obiectum non eſt per ſe in anima: *Lapis*, inquit, *non eſt in anima, ſed ſpecies lapidis*: quare, &c. *Arg.* 1. *Vide Hen. quodl.* 3. *q.* 1. *Tex.* 38.

Contrà, vel igitur Angelus nullam notitiam haberet eſſentiæ diuinæ: & tunc fruſtra eſſet ſibi datum illud præceptum verè: *Diliges dominum Deum tuum*, & cætera, fruſtrà enim præcipitur illius dilectio, quod omnino ignoratur: vel tantùm haberet notitiam confuſam iſtius eſſentiæ: & tunc videtur intellectus iſte eſſe poſſibilis ſicut noſter, qui poteſt procedere à confuſo ad diſtinctum: quod videtur inconueniens. *Ratio opp. Exo.* 20. *& Deut.* 6.

SCHOLIVM.

Sententia D. Thomæ & Henrici negantium Angelis notitiam diſtinctam, vel dabilem eſſe ſpeciem diuinæ eſſentiæ. Henricus ait habere Angelum tantùm confuſam Dei notitiam. D. Thom. 1. *pag. quæſt.* 56. *art.* 3. *dat ei mediam Dei cognitionem inter beatam, & eam quam nos per creaturas acquirimus, dicens quòd Angelus per ſe vt per imaginem, Deum cognoſcat, reiicit Henricum, quia ſequeretur ſecundum eum, nullam habere Angelum notitiam Dei, etiam confuſam, negat enim vniuocationem Deo & creatis, de quo* 1. *diſt.* 3. *q.* 1. *à num.* 5. *& diſt.* 8. *q. pen.*

2. HIc concordant aliqui in iſta negatiua, quòd Angeli non habent diſtinctam notitiam naturaliter. Probant primò ſic; omnis propria ratio intelligendi aliquod obiectum per æquationem, repræſentat illud obiectum: nulla autem ſpecies, vel eſſentia creata poteſt adæquatè repræſentare effigiem diuinam increatam. Minor patet: tum, quia quodlibet tale eſt finitum: obiectum autem infinitum: finiti autem ad infinitum nulla eſt proportio: igitur, &c. tum, quia ſpecies creata vnius rei, magis aſſimilatur alteri rei creatæ, quàm Deo; quia vtrumque finitum: diſtinctiùs igitur repræſentat creaturam, quàm Deum, & per conſequens non eſt propria ratio diſtinctè cognoſcendi Deum, ſiue intelligendi: igitur, &c. *Ponitur in quibuſdam editionibus vt additio Henr. quodl.* 3. *q.* 1. *& quodl.* 4. *q.* 7. *& 9. & quodl.* 5. *quæſt.* 14. *8. Phy. & 1. Cæ.*

Item, ratio formalis, ſecundùm quam cognoſcitur obiectum, debet eſſe determinata, ſicut & ipſum obiectum, aliàs non magis repræſentaret hoc obiectum, quàm illud: ſed Deus eſt maximè indeterminatus, ſicut dicit Auguſtinus 8. de Trin. igitur, &c.

Prætereà illa ſpecies, per quam cognoſcitur, eſſet magis imago quàm Angelus, vel anima in ſe, quod eſt contra Auguſtinum, qui dicit, quòd *eo aliquid eſt imago Dei, quo particeps eius eſſe poteſt*, magis autem poteſt Angelus, vel anima, eſſe Dei particeps naturaliter, quàm ſpecies, quia non eſt capax Dei ſicut Angelus: igitur &c. *c.* 4. *Tolle hoc & illud, & c.* 14. *Trin. c.* 8.

Prætereà, ſi ſpecies diuinæ eſſentiæ eſſet in intellectu Angeli, igitur Angelus naturaliter cognoſceret non ſolùm eſſentiam, ſed perſonarum Trinitatem: conſequens videtur falſum, cùm hæc Trinitas non ſit ibi niſi ratione infinitatis.

Prætereà

Prætereà,ſi illa ſpecies eſſet in intellectu vnius beati, vel Angeli, poſſet alius Anlus naturali acumine intellectus ſui iſtam ſpeciem videre:& cùm illa ſit repræſentatiua eſſentiæ,& eorum,quæ ſunt in eſſentia: tunc naturaliter iſte Angelus videns ſpeciem,omnia hœc videret,quod eſt impoſſibile,quia tantum ipſe tunc videret naturaliter,quantum nos per fidem:igitur,&c.

Iſtam negatiuam tenendo ſi quæris per quid affirmatiuè cognoſcit? Reſpondetur, quòd Angelus non cognoſcit eſſentiam diuinam naturaliter per aliquam ſpeciem:neque per aliquam ſpeciem inferiorem, neque per aliquam ſuperiorem, ſed per eſ-
D.Thom.1. p.q.56.a.3. ſentiam ſuam propriam: quia ipſa eſſentia Angeli eſt imago Dei, & ſimilitudo: vnumquodque autem cognoſcitur per ſuam ſimilitudinem:igitur Angelus per eſſentiam ſuam cognoſcit eſſentiam diuinam: eſt enim Angelica natura quoddam ſpeculum,diuinam ſimilitudinem repræſentans,&c.

Arguit contra Henr. Contra primum,[b] qui poſuit iſtas rationes ad iſtam concluſionem, negatiuam, ar- 4.
guitur ſic:Quia ex eiſdem poſſet probari,quòd per nullum repræſentatiuum creatum Angelus cognoſcit naturaliter eſſentiam diuinam: & per eſſentiam non cognoſcit ſecundùm eum: quia nulla creatura poteſt naturaliter videre illam eſſentiam, & ex hoc videtur ſequi,quòd nullam notitiam naturalem potuit Angelus habere de illa eſſentia: non enim de ea diſtinctè,& in particulari aliquid videtur: quia hoc non videtur poſſibile, niſi per eſſentiam, vel per aliquod repræſentatiuum diſtinctè:quorum vtrunque negatur:non autem indiſtinctè ſiue in aliquo priori conceptu communiori, qui non ſit proprius iſti eſſentiæ: quia omnem conceptum communem vniuocum iſti eſſentiæ,& alij,negat iſte.

Prætereà,eſſentia diuina,ſecundùm iſtum, nata eſt tantùm facere conceptum vnũ realem in intellectu diuino, ita quòd nullus alius habetur de ea, niſi per intellectum negotiantem: igitur iſta eſſentia nata eſt facere tantùm per ſe conceptum vnum realem in quocunque intellectu. Probatio conſequentiæ: omnis conceptus, qui natus eſt haberi, & etiam cauſari virtute huius eſſentiæ in aliquo intellectu, eſt natus haberi virtute eius in intellectu comprehendente ipſam: talis eſt diuinus intellectus: igitur. & vltra ſequitur quòd conceptus nullus realis poſsit haberi de iſta eſſentia, niſi vnus. Probatio iſtius conſequentiæ, quia omnem conceptum realem, quem poteſt aliquis intellectcs habere de iſta eſſentia, ipſa poteſt cauſare: alioquin non eſſet perfecta in ratione obiecti: quia illud, quod eſt in ratione obiecti imperfectiſsimum, poteſt cauſare omnem conceptum de ſe cauſabilem: & tunc ſequitur vltrà,quòd vel intellectus Angeli habebit iſtum vnum conceptum,vndecunque cauſetur:vel omnino nullum habebit:illum autem habere non poterit,niſi vel cognoſceret per eſſentiam, vel per propriam rationem repræſentantem: quare nullum habebit.

Quia Hen. ait eſſentiã Dei facere tantùm vnum conceptum realem.

COMMENTARIVS.

1. *Opinio D. Thomæ.* Ic concordant in iſta negatiua,quòd Angelus non habeat diſtinctam notitiam naturaliter Deitatis, & probatur à Thoma 1. *quæſt. 56. art. 3.* Iſtam negatiuam tenendo. Si quæris per quid affirmatiuè reſpondent, quòd Angelus nõ cognoſcit eſſentiã diuinã naturaliter per aliquam ſpeciem,&c. Hoc idem dicit Henricus. Dicunt ergo iſti, quòd Angelus non habet notitiam naturalem diſtinctam eſſentiæ diuinæ:& ſi quæretur ab eis per quid cognoſcitur Deus affirmatiuè, puta affirmãdo aliquid de Deo, ſupple quòd eſt trinus, & vnus, vel quòd eſt infinitum ens,& huiuſmodi.

Opinio Henrici. Dicit Henricus quòd non cognoſcitur naturaliter neque per eſſentiam Dei, neque per eſſentiam Angeli, neque per ſpeciem repræſentantem ipſum Deum,& ex hoc probat Doctor quòd Angeli non poſſunt habere aliquam cognitionem de Deo naturaliter,neque diſtinctè,neque confusè,& iſtæ duæ rationes licèt ſint notæ & gloſſatæ *in primo,diſt.3.quæſt.1:*& ſecunda ratio etiam pateat *in primo,diſt.8.q.penult.* aliqualiter tamen expono eas.Et prima ratio ſtat in hoc:quia ſi Angelus naturaliter non poteſt cognoſcere diſtinctè eſſentiam diuinam per ſpeciem intelligibilem, ipſam diſtinctè repræſentantem,ergo nullo modo poteſt ipſam cognoſcere.Probatur conſequentia, quia ſi poteſt eam naturaliter cognoſcere,aut cognoſcere eam diſtinctè, ſcilicet vel in ſe, vel in conceptu proprio, & in complexo, aut confusè, quia in conceptu communi ſibi, & nobis, alius modus cognoſcendi non apparet.Si primo modo non cognoſcit naturaliter, quia tunc eſſentia diuina,vel aliqua eius proprietas immediatè moueret, vel eſſet ratio formalis immediatè mouendi intellectũ Angeli,& tunc nõ cognoſceret naturaliter eã,ſed tãtùm ſupernaturaliter,& vltrà ipſa tãtùm immediatè mouet intellectũ diuinũ,vt patet à Doctore *in q.14.art.1.quodl.* Nec ſecũdo modo, Patet quia Hẽricus negat conceptũ cõmunẽ Deo. & creaturæ. Sed ſi talis cõceptus cõmunis ſit impoſſibilis,

eſt ſimpliciter impoſſibile, quòd habeatur naturaliter aliquis conceptus de Deo, & hoc prolixè probatum eſt à Doctore *in primo, diſt.3. q.1.* vbi facit tres rationes ſingulares, quas ibi clarè expoſui: hæc idem probat *in diſt.8.quæſt.1. eiuſdem primi.* Si ergo Angelus non cognoſcit eſſentiam diuinam diſtinctè per aliquam ſpeciem intelligibilem, ſequitur quòd nullo modo poterit eam cognoſcere, ſcilicet nec diſtinctè, nec confusè in aliquo, ſcilicet conceptu communi, quia ſi talis non datur nullo modo poteſt cognoſci.

2. b Secunda ratio ſtat in hoc: quia ſi dicatur, quòd Angelus cognoſcit eſſentiam non in ſe, & intuitiuè, nec per ſpeciem aliquam, ſed cognoſcit eam in aliquo conceptu reali, alio ab eſſentia diuina, patet quòd cognoſcit eã in cõceptu reali, ſummi boni, vel entis primi, & huiuſmodi. Et ſi vltrà quæratur, à quo cauſatur cognitio talis conceptus: non à creatura, vt patet per tres rationes factas à Doctore *in primo, diſt.3. q.1.* quia creatura non poteſt cauſare talem conceptum, ſiue notitiam talis conceptus, niſi contineat illum conceptum, vel eſſentialiter, vel virtualiter, vide ibi. Diceret ergo Henricus quòd talis conceptus realis, alius ab eſſentia diuina, & ſic cognitio huius conceptus realis, ſcilicet ſummi boni, vel entis primi, vel ſummè ſapientis, eſſet cauſata ab eſſentia diuina.

Scotus arguit contra Henricum.

Contrà hîc Doctor ſpecialiter inſtat ex dictis Henrici, quia ipſe dicit, quòd eſſentia diuina eſt nata facerè tantùm videlicet conceptum realem in intellectu diuino, ita quòd nullus alius habetur de ea, niſi per intellectum negotiantem: igitur iſta eſſentia eſt nata facere tantùm per ſe conceptum vnum realem in quocunque intellectu: Probatio conſequentiæ; omnis conceptus, qui natus eſt haberi, & etiam cauſari virtute huius eſſentiæ in aliquo intellectus eſt natus haberi virtute eius in intellectu comprehendente ipſam & talis eſt diuinus intellectus; cùm ergo eſſentia diuina ſit nata facere tantùm cõceptum vnum per ſe realiter in intellectu diuino, id eſt, cùm ſit nata facere, ſiue cauſare notitiam vnius conceptus realis in intellectu diuino, & talis conceptus realis eſt præcisè eſſentia diuina, vt eſſentia, ita quòd ſecundùm ipſum Henricum non eſt ibi aliqua entitas, niſi tantùm eſſentia, vt eſſentia, & ſic conceptus, ſiue entitas ſummi boni, vel entis primi, & huiuſmodi, non dicit aliquid reale diſtinctum præter opus intellectus ab eſſentia diuina, quia ſi talis eſſet ibi, poſſet notitiam illius realis conceptus cauſare in intellectu diuino, ſi talem poſſet cauſare in intellectu creato: patet, quia ſi illud, quod eſt in ratione obiecti, ſcilicet motiui imperfectiſſimũ poteſt cauſare communem conceptum de ſe cauſabilem, id eſt, notitiam communis conceptus in æuo, vel eſſentialiter, vel virtualiter contenti, à fortiori eſſentia diuina notitiam cuiuſcunque conceptus realis de ſe poterit cauſare in intellectu ſuo. Sequitur ergo quòd vel intellectus Angeli habebit iſtum vnicũ conceptum, ſcilicet eſſentiæ diuinæ vndecunque cauſetur, vel omnino neque habebit, illum autem omnino habere non poterit, niſi vel cognoſceret per eſſentiam, vel per propriam rationem repræſentantem, ſcilicet per ſpeciem intelligibilem. Conſequentiam negat, ergo nullum conceptum habebit de eſſentia diuina, quod eſt falſum, & negatum ferè ab omnibus.

SCHOLIVM.

Reiicit ſententiã D.Thomæ primò, quia Angelus tantùm diſcurſiuè cognoſceret Deum, quod eſt contra ipſum 1.p.q.58.a.3. de quo Sco. infra d.7.q.vn. § contra conclu. *& q.3 prol.q.4. later. Secundò, nihil cauſat diſtinctam notitiam alterius niſi contineat illud vel includat virtualiter. Tertiò, notitia diſcurſiua ſupponit notitiam illius de quo diſcurritur.*

5. COntra ſecundum, [a] qui ponit, quòd Angelus intelligit illam eſſentiam per ſe ipſum inquantùm eſt imago Dei, licèt imago, quæ eſt tantùm ratio cognoſcendi, repræſentet non vt cognita: ſicut eſt de ſpecie viſibili in oculo, & de ſpecie intelligibili in intellectu, quæ repræſentat obiectum immediatè abſque diſcurſu: tamen illa imago per quam non cognoſcitur illud, cuius eſt, niſi vt per ſpeciem cognitam, non eſt ratio cognoſcendi illud; niſi tantùm per diſcurſum, ſicut diſcurritur à cognito ad incognitum: ſed eſſentia Angeli tantùm poteſt poni imago ſecundo modo, & non primo modo: non igitur per illam imaginem cognoſcit Angelus eſſentiam diuinam, niſi diſcurrendo; quod eſt inconueniens, quia ſecundùm eos Angelicus intellectus non diſcurrit.

Arguit contra D. Thom. Cognitum per imaginẽ quæ eſt ratio cognoſcendi cognita diſcurrendo noſcitur. 1.p. q. 58. a. 3.

Præterea [b] omnis diſcurſus præſupponit notitiam illius ſimplicis, ad quod diſcurritur: igitur ſi per illam eſſentiam cognitam, habetur notitia de eſſentia diuina per diſcurſum, oportet præhabere conceptum ſimplicem de eſſentia diuina: & tunc illius quærenda eſt ratio alia prior.

Diſcurſus ſupponit notitiã illius ad quod diſcurritur. De hoc 1. d.3. q.1. & d.8.q.2.

Confirmatur etiam, [c] quia nullum obiectum facit diſtinctam notitiam alterius obiecti, niſi includat in ſe virtualiter illud aliud obiectum; quia vnumquodque ſicut ſe habet ad *eſſe*, ſic ad *cognoſci*: quod igitur non includit aliud virtualiter in entitate, non includit illud in cognoſcibilitate: ſed eſſentia Angeli non includit virtualiter eſſentiam diuinam ſub illa ratione diſtincta: igitur non eſt ratio cognoſcendi eam diſtinctè ſub aliqua ratione.

COMMENTARIVS.

1. a CONtra ſecundum dicit Thomas, quòd Angeli cognoſcunt Deum affirmatiuè per eſſentiam ipſorum, quia eſt imago Dei, & imago repræſentat diſtinctè imaginatum. Contra hanc poſitionem arguit Doctor. In iſta litera habetur duplex imago. Prima quæ ex ſua natura repræſentat imaginatum, ſiue ſit cognita, ſiue non ſit cognita, vt ſpecies intelligibilis, puta albedinis; nam antequam cognoſcat, albedo perfectè repræſentat ipſam albedinem, & priùs cognoſcitur ipſa albedo repræſentata, quàm cognoſcatur ipſa ſpecies intelligibilis: quia albedo cognoſcitur actu recto, & ipsâ cognitâ poteſt poſtea intellectus cognoſcere ſpeciem intelligibilem actu reflexo. Loquendo de iſta imagine, nulla creatura poteſt eſſe imago Dei, quia nulla eſt, quæ poſſit repræſentare ipſum Deum. Secundò accipitur imago, quæ repræſentat imaginatum non ex natura ſua, ſed vt cognoſcitur quòd eſt imago talis imaginati, & ſic nunquam poteſt cognoſci quòd ſit imago talis imaginati, niſi præcognoſcatur tale imaginatum; & hoc modo natura noſtra eſt imago Dei, & repræſentat ipſum Deum inquantùm cognoſcitur quòd eſt imago ipſius, & nunquam poſſum cognoſcere ipſam imaginem Dei, niſi præcognoſcam ipſum trinum, & vnum, quia cogniro per reuelationẽ quòd in Deo eſt vnitas eſſentiæ, & originatio vnius perſonæ ab alia, & diſtinctio realis perſonarum, poſſum reperire in anima mea vnitatem, & diſtinctionem, & originationem, & ſic diſcurſiuè per imaginem cognoſco Deum trinum & vnum, vt patet à Doctore *in primo, diſt.3. q.vlti.* & quòd cognoſcam animam ſic eſſe ad imaginem Dei, hoc non poteſt eſſe via naturali, vt patet *in primo, diſt.1.q.1.* Et patet quòd Angelus non cognoſcit naturaliter Deum per eſſentiam ſuam, quia imago, & etiam cognoſcens imaginatum per imaginem ſecundo modo, cognoſceret diſcurſiuè, ſcilicet ab imagine cognita ad imaginatum: & tamen ipſi negant diſcurſum in Angelo, vt patet ſuprà in 1. quæſt. huius diſt.

Duplex imago.

Nota.

2. b *Præterea omnis diſcurſus præſupponit notitiam illius ſimplicis, ad quod diſcurritur.* Hoc patet, quia nullus diſcurrit ab vno ad aliud, niſi vtrumque præcognoſcat; igitur ſi per illam eſſentiam cognitam habetur notitia de eſſentia diuina per diſcurſum, oportet præhabere conceptum ſimplicem de eſſentia diuina, & tunc illius quærenda eſt alia ratio prior, ſupple, per quã poſſit cognoſci eſſentia diuina, ſi debeat cognoſci per talem diſcurſum. Aduerte tamen, quòd quando diſcurritur à præmiſſis ad concluſionem, quæ infertur ex illis præmiſſis, non præcognoſcitur concluſio, ſaltem vt euidens; præcognoſcitur tamen aliquo modo concluſio, puta iſta antequam demonſtretur, & per conſequens præcognoſcuntur termini concluſionis: ſed non præcognoſcitur vt euidens, aliter non demonſtraretur: ſufficit ergo quòd in diſcurſu præhabeatur notitia terminorum ſimplicium, ſi diſcurritur à termino ſimplici ad terminum ſimplicem. Si verò diſcurritur à complexis ad complexum, ſufficit præhabere notitiam talium complexorum, ſaltem confuſam,

c *Confirmatur etiam.* Dicit Doctor quòd nullum obiectum facit diſtinctam notitiam alterius obiecti.

In iſta ratione oriuntur difficultates.

1. *Difficultas.* Prima, quia videtur quòd aliqua creatura faciat diſtinctam notitiam eſſentiæ diuinæ, quia dicit ipſe quòd Deus poteſt cauſare in intellectu Angeli aliquã ſpeciem intelligibilem, per quam ipſe Angelus poteſt diſtinctè cognoſcere eſſentiam diuinam; & ſic illa ſpecies intelligibilis erit ratio cognoſcendi Deum, & ſic ſecundùm ipſum oportebit concedere quòd Deus virtualiter contineatur in tali ſpecie, & ſic creator virtualiter poterit contineri in creatura, quòd ipſe expreſsè negat *hîc & in 1. diſt.3. quæſt.1.& d.8. & in quodlib.*

2. *Difficultas.* Secunda, quia dicit hîc Doctor quòd talis ſpecies intelligibilis impreſſa à Deo diſtinctè repræſentat ipſam Deitatem, & in hoc videtur ſibi contradicere, quia *in prima q. prologi*, probat quòd per nullam creaturam poſſumus peruenire ad diſtinctam cognitionem Dei, quia nullus effectus repræſentat ipſum inquantùm trinum & vnum, &c. & tamen hîc vult, quòd illa ſpecies intelligibilis, quæ eſt effectus Dei, & creatura ipſius, repræſentet ipſum ex ſua natura, & non inquantùm cognita.

3. *Difficultas.* Tertia dubitatio, quia certum eſt quòd infuſa cognitione Dei, quæ eſt effectus ipſius, illa repræſentabit ipſum Deum, ſi ſit cognitio diſtincta, vt patet *in 1. diſt.3. q. 6.* & ſingulariter *q. vltima*, vbi vult quòd actus intelligendi ſit ſimilitudo obiecti: ita vult expreſsè, quòd Paulus poſt raptum recordabatur de eſſentia diuina, & de his, quæ vidit in tali raptu, vt patet *in hac q.* & per conſequens, ſi recordabatur, hoc erat per aliquam ſpeciem intellectualem repræſentantem actum, quo vidit arcana Dei, & habito tali actu, tunc recordabatur ſe vidiſſe, & hoc patet *in 4.diſt.45.* de memoria, ſiue de *recordari*, & ſic videtur quòd effectus Dei potuit perfectè repræſentare ipſum Deum.

4. *Difficultas.* Quarta dubitatio eſt ex hoc, quod dicit, quòd nullum obiectum facit diſtinctam notitiam alterius obiecti, niſi contineat illud virtualiter, hoc idem dicit *in 1. diſt. 3. q.1. Et d.8. q.2.* & tamen eſſentia diuina facit diſtinctam cognitionem perſonarum in intellectu diuino, vt patet in primo in pluribus locis, & tamen ibi non eſt continentia virtualis, nec eminentialis, quia contentum in alio virtualiter, vel eminenter, dicit imperfectionem in ipſo contento. & quòd talis continentia non ſit in Deo reſpectu eorum, quæ ſunt ab intra patet à Doctore in primo.

5. *Difficultas.* Quinta dubitatio, quia dicit quòd talis ſpecies intelligibilis repræſentat Deum ſub ratione Deitatis, & tamen eſt finita in ſe; ſed in hoc videtur contradicere ſibi, quia vult expreſsè, quòd illud, quod eſt ratio repræſentandi infinita, ſit formaliter infinitum, vt patet *in 1.diſt.2.parte prima, q.1. & in ſecundo, d.3. q.11.* contra Henricum: ergo ſi ſpecies intelligibilis aliqua eſt ratio repræſentãdi diuinam eſſentiam diſtinctè, videtur quòd ſit formaliter infinita, cùm non ſit maior ratio de repræſentare infinita diſtincta, & repreſentare infinitum intenſiuè diſtinctè.

6. *Difficultas* Sexta dubitatio ex hoc, quod dicit, quòd nihil

facit diſtinctã cognitionem alterius obiecti, niſi contineat illud virtualiter, quia tunc ſequeretur, quòd Angelus continebit virtualiter eſſentiam diuinam, quia ipſius intellectus, vnà cum ſpecie intelligibili infuſa à Deo cauſant notitiam diſtinctam Dei: patet à Doctore hîc; ergo intellectus magis continebit eſſentiam diuinam, cùm ſit cauſa principalior, vt patet *in hoc ſecundo, diſtinct. præſenti. quæſt. penult. & vlti. & in primo, diſtin. 3. quæſt. 7. & 8. & in quolib.* & tamen falſum eſt, quòd contineat ipſum Deum virtualiter, vt dixi ſuprà.

5. *Difficultas.*

Septimò dubitatur, quia eſſentia, vt diuina, vt eſſentia, eſt ratio formalis cognoſcendi contingentia vt patet *in primo. diſt.* 39. & tamen non continet virtualiter contingentia inquantùm eſſentia, quia ipſa tantùm ſunt à voluntate diuina, vt patet *q. vlti. prologi, & in primo. d. 2. & 8. & in ſecundo, diſt. 1. q. 1. & diſt. 3. q. vlti. & q. 14. & 16. quodli.* Eſſent etiam multa alia dubia, quæ breuitatis cauſa tranſeo.

Ad primam igitur difficultatem reſpondeo, ſupponendo aliqua. Primum obiectum continens virtualiter aliud obiectum, quantùm eſt ex parte ſua poteſt producere cognitionem intuitiuam alterius, & etiam abſtractiuam, cauſando partialiter ſpeciem intelligibilem talis obiecti: & ſic de ratione obiecti puta *A*, continentis virtualiter ſecundùm adæquationem, & præciſionem, vt aliàs dixi *in primo. diſt. 3.* puta *B*, eſt, quòd poſſit partialiter producere tam cognitionem intuitiuã, quàm abſtractiuam illius, vt patet à Doctore pluribus locis, maximè *in ſecundo, d. 3. q. vlti.* & ſicut obiectum poteſt facere cognitionem ſui intuitiuam, & abſtractiuam reſpectu intellectus limitati, quòd dico propter eſſentiam diuinam, quæ facit tantùm cognitionem intuitiuam ſui reſpectu intellectus diuini, ita poteſt facere cognitionem reſpectu obiecti virtualiter contenti, vt patet *in primo, diſt. 3. & 8.*

Notã de ſpecie intelligibili.

Secundò, ſuppono quòd nulla ſpecies intelligibilis, poteſt continere virtualiter obiectum, cuius eſt ſpecies, quod patet; tum, quia imperfectior; tum, quia poſterior; tum, quia communiter eſt ab obiecto; tum, quia dependet tanquàm menſuratum à menſura.

Tertiò, ſuppono quòd nulla ſpecies intelligibilis, vt huiuſmodi, poteſt continere virtualiter aliquod obiectum in ratione cognoſcibilitatis; quia ſi ſic poſſet etiam producere cognitionem illius intuitiuam, ſaltem partialiter, quod eſt manifeſtè falſum: quia omnis cognitio per ſpeciem intelligibilem eſt tantùm abſtractiua, vt patet *in primo. diſt. 3. q. 6. & in ſecundo. diſt. 3. quæſt. 9.*

Dico ergo quo ad primam dubitationem, quòd licèt ſpecies intelligibilis ſit cauſa partialis cognitionis abſtractiuæ ipſius Deitatis, non tamen ex hoc ſequitur quòd contineat virtualiter ipſam Deitatem, quia tunc poſſet eſſe cauſa partialis cognitionis intuitiuæ.

6.

Si dicatur: continet virtualiter cognitionem abſtractiuam Deitatis: ergo continet virtualiter ipſam Deitatem. Antecedens patet, quia cauſa effectiua eo modo, quo cauſat virtualiter continet effectum. Conſequentia probatur, quia dicit Doctor quòd continens virtualiter cognitionem alicuius, virtualiter continet illud, vt allegaui ſuprà.

Reſpondeo ad antecedens, quòd continet virtualiter partialiter cognitionem tantùm abſtractiuam ſed negatur conſequentia. Cùm probatur per Doctorem.

Dico, quòd intelligit de continente virtualiter notitiam alterius tam intuitiuam, quàm abſtractiuam, licèt non haberet veritatem, & ſic patet ſolutio primæ.

Dico ſecundò, quòd ſi ſpecies illa non dependeret in eſſendo à tali obiecto, quòd fortè poſſet continere virtualiter entitatem talis obiecti: ſed in propoſito ipſa dependet ab obiecto, ſaltem vt à cauſa remota, vt expoſui *in primo, diſt. 3. q. 2. & alibi*, & poſito quòd talis ſpecies ſit cauſata à Deo, ſaltem ſufficit quòd ſit nata cauſari à tali obiecto, & ideò non continet illud virtualiter,

Dico tertiò, quòd propoſitio Doctoris vera eſt, quando cauſat partialiter notitiam obiecti abſtractiuam, vt cauſa remota, non vt cauſa propinqua, quòd tunc eſt, quando vnum obiectum cauſat ſolam remotè ſpeciem alterius obiecti, quæ ponitur cauſa propinqua: tale enim obiectum ſic cauſans notitiam alterius abſtractiuam continet virtualiter illud aliud.

Ad ſecundam dico, quòd Doctor *in quæſt. prima prologi*. arguit ſic, quòd per nullum effectum poſſumus deuenire in cognitionem Deitatis, arguendo ab effectu ad cauſam, quia nullus eſt effectus, qui poſſit eſſe ſimilis ipſi Deo: nulla enim natura ſingularis poteſt reperiri in tribus ſuppoſitis, ideò non poſſumus arguere ſic: aliquis effectus Dei exiſtens tantæ perfectionis eſt, quòd poteſt eſſe in tribus ſuppoſitis; ergo à fortiori prima cauſa poterit eſſe. Sicut arguimus, aliquis effectus Dei eſt perfectus bonitate; ergo ipſa prima cauſa erit ſimpliciter bona: & ſic omnes perfectiones ſimpliciter ſparſim repertas in diuerſis creaturis, in ſummo attribuimus primæ cauſæ, & ſic per tales effectus deuenimus in cognitionem harum perfectionum in Deo, quòd ſcilicet ſit ſummè ſapiens, ſummè bonus, arguendo ſemper ab effectu ad cauſam, & hoc patet *in primo, diſt. 3. & 8.* Et ſic dico, quòd nullus eſt effectus Dei nec actu, nec poſſibilis, qui ſit huius perfectionis, quòd ſit vnum ſingulare indiuiſibiliter in tribus ſuppoſitis: ex quo arguamus, ergo ipſe Deus multò magis habebit iſtam perfectionem. Licèt ergo ipſa ſpecies intelligibilis creata immediatè à Deo, poſſit repræſentare Deum trinum, & vnum, non tamen ipſa eſt vnum ſingulare in tribus ſuppoſitis, ſed tantùm repræſentat, & hoc non negat Doctor, vult enim *quæſt. prima prolo. & diſtinct. 3. quæſt. prima, & diſtinct. 8. quæſt. 2. & q. 14. quodlib. & diſtinct. 3. ſecundi*, quòd nulla rationalis creatura, ex ſuis puris naturalibus poteſt deuenire in cognitionem Deitatis, ſub ratione Deitatis, nec aliqua creatura, quantumcunque perfecta, poteſt eſſe ratio deueniendi in cognitionem ipſius Dei intuitiuam; nec poteſt eſſe ratio partialiter cauſandi aliquam ſpeciem intelligibilem, repræſentantem Deum ſub ratione Deitatis, per quam poſſit cognoſci abſtractiuè, ſub ratione propria, ſed ſolus Deus poteſt cauſare huiuſmodi ſpeciem.

7. *Effectus non ducunt in cognitionem deitatis.*

Dico ſecundò, & magis ad propoſitum, quòd

ſpecies illa dicitur tantùm repræſentare Deum, pro quanto eſt partialis cauſa cognitionis Dei, non quòd per ipſam, vt abſolutè ſumptam, poſſit cognoſci Deus, niſi arguendo ab effectu, ſcilicet, eſt effecta, ergo eſt aliqua prima cauſa; imò non ſequitur; ſpecies illa in ſe cognoſcitur, ergò per illam Deus cognoſcitur, niſi cognoſcatur, quod eſt ſpecies intelligibilis Dei; ſed hoc non poteſt cognoſci, niſi Deo præcognito, vt ſuprà dixi de imagine Dei.

8. Ad tertiam, patet per reſponſionem ad ſecundam. Concedo enim, quòd aliqua intellectio ſupernaturaliter habita de Deitate ſub ratione propria repræſentat ipſam, & ſimilitudo ipſius, & quoties intellectus reflectitur ſuper talem cognitionem, qua cognouit Deum, ſtatim cognoſcit ipſum, ſicut etiam Paulus; tamen non eſt in ſe talis, quale eſt repræſentatum, nec etiam in ſe ſimilis tali repræſentato, ſicut dicimus, quod album eſt ſimile alteri albo, quia illa intellectio eſt tantùm in vno ſingulari, & eſt ſingularis de ſe, ſicut etiam dicimus, quòd ſpecies intelligibilis hominis non eſt in ſe talis, qualis eſt in repræſentando, nam in ſe ſingularis eſt, in repræſentando verò vniuerſalis. Ex hoc ergo, quòd eſt talis in repreſentando, non ſequitur quòd ſit talis, vel ſimlis in eſſendo.

Quomodo Paulus cognouerit Deum?

Dico tamen, quòd non ſequitur abſolutè, ſcilicet, quod cognitiua notitia Deitatis in ſe, quòd ex illa ſic abſolutè cognita, cognoſcatur Deitas, quia etiam requiritur quòd cognoſcatur relatio ipſius ad Deitatem, quæ dicitur relatio attingentiæ, vt notat Doctor *in q.13. quodl.* & quòd requiratur cognitio talis relationis patet prolixè à Doctore *in quodlib.q.14.artic.3.* & vide quæ ibi expoſui. Licèt enim notitia Dei dicatur ſimilitudo ipſius naturalis, non tamen ſequitur quòd ipsâ abſolutè cognitâ, per actũ reflexum cognoſcatur ipſe Deus in ſe, ſicut etiã dixi de imagine, & ſpecie intelligibili. Si verò cognoſcitur, vt eſt notitia Dei, tunc cognoſcitur & Deus, ſed non poteſt cognoſci aliquo actu reflexo, quòd ſit notitia Deitatis, niſi præcognoſcatur Deus, vt ſuprà patuit.

Ad quartum dico primo, quòd licèt ibi non ſit continentia virtualis, tamen eſt ibi continentia perfectæ identitatis, cùm perſonæ illæ tranſeant in perfectam identitatem realem, & eſſentialem eſſentiæ diuinæ, vt patet à Doctore *in primo.d.5. q.2. & d.26. & alibi.*

9. Secundò dico, quòd licèt proprietas perſonæ non propriè contineatur virtualiter propter perfectam identitatem cum eſſentia diuina, tamen eo modo quo diſtinguuntur, poſſet dici continẽtia virtualis, accipiendo tamen continentiam virtualem pro eo, quod eſſentia diuina eſt id à quo ipſæ proprietates primo pullulant, vt patet à Doctore *in primo.diſt.28. & in quodlib.*

Duplex continentia.

Tertiò dico, quòd poteſt eſſe ibi continentia virtualis, & eminentialis non ſecundùm rem, ſed ſecundùm rationem per vnam propoſitionem Doctoris *in primo. diſt.8. q.3. & q.1.quodlib. & q. penult. prologi*, & quæ talis eſt, quòd qualis eſt ordo inter aliqua duo, vbi diſtinguuntur realiter, talis eſt ordo inter illa duo, vbi tantùm ratione, vel ex natura rei diſtinguuntur, vt patet, quia ſi comparetur ad ſubiectum, à quo realiter diſtinguitur ſecundùm rem cauſatur ab illo, ergo vbi comparatur ad ſubiectum à quo realiter non diſtinguitur ſecundùm rationem poteſt *dici* cauſari à tali ſubiecto, vt patet à Doctore *q. pẽnulti. prologi.* ſic in propoſito, ſi proprietas perſonæ eſſet verè realiter diſtincta ab eſſentia diuina, virtualiter contineretur ab illa, quia eſſet ibi ordo producti realiter ad producens realiter: ergo nunc vbi tantùm ratione, vel ex natura rei ab eſſentia diuina diſtinguitur, erit talis ordo, quòd ſecundùm rationem continetur virtualiter ab illa.

Si dicatur, vt ſuprà, quòd contentum in aliquo eſt imperfectius ipſo continente.

Quomodo contentũ ſit imperfectius continente

Dico, quòd hoc verum eſt vbi non tranſit in perfectam identitatem ipſius, & ſic paternitas, vel proprietas Patris, licèt non ſit formalis infinita, vt patet à Doctore *in primo. diſt. ſecunda. & 26. & in tertio.diſt.prima.q.prima. & q.quinta.quodlib.* tamen eſt identicè infinita, vt patet in locis præallegatis.

Ad quintam dico, quòd non eſt ſimile in repræſentando infinita obiecta, & in repræſentando tantùm vnum, quòd eſt formaliter infinitum.

Primò, quia cùm dico, quòd ſpecies intelligibilis repræſentat ipſum, &c. & ſub ratione infinitatis, ipſa erit cauſa partialis cognitionis abſtractiuæ, quæ cognitio eſt finita terminata, & limitata.

Si verò repræſentaret infinita obiecta poſſet eſſe cauſa partialis quantùm eſt ex ſe cauſandi infinitas cognitiones partialiter infinitorum obiectorum, quarum quælibet requirit ſpecialem gradum perfectionis in cauſa, & ſic ſequeretur quòd talis ſpecies intelligibilis eſſet formaliter infinita; quod patet, quia illud, quod eſt ratio producendi infinitas intellectiones quarum quælibet requirit aliquam perfectionem in ipſa ratione producẽdi erit formaliter infinitum, vt patet à Doctore in *primo, diſtin.2. q.1. & diſt.3. q.7. & in ſecundo, diſtinct.* 3

Secundò dico, quòd aliud eſt repræſentare infinitum ſub ratione, quâ eſt infinitum, & aliud eſt repræſentare infinita obiecta, quia quòd *A* ſit ratio repræſentandi vnum obiectum quantumcunque perfectum, non ſequitur ex hoc, quòd ſi tantæ perfectionis, quia ſpecies intelligibilis eſt minoris perfectionis communiter obiecto repræſentato, ſi tamen repræſentaret infinita, eſſet formaliter infinita: patet, quia verum obiectum requirit ſpecialem rationem repræſentandi dicentem aliquam perfectionem, & aliud ſpecialem rationem repræſentandi dicentem aliquam perfectionem. Tunc ſic, quando aliquid eſt ratio repræſentandi infinita, quorum quodlibet requirit ſpecialem perfectionem in repræſentante, illud erit formaliter infinitum. Et hoc modo arguit Doctor in primo, diſt.2. q.1. probando infinitatem infinitæ eſſentiæ ex hoc, quòd eſt ratio repræſentandi infinita, &c. Et ſic patet ſolutio dubij. Et argumentum Doctoris ſtat contra Henricum, quia ipſe poſuit in Angelo vnum habitum, qui eſſet ratio repræſentandi omnia cognoſcibilia ab Angelo.

Nota.

An ſpecies intelligibilis ſit cauſa partialis cognitionis abſtractiuæ.

Ad ſextam de ſpecie intelligibili, quòd ſit cauſa partialis cognitionis abſtractiuæ. Et quòd tamen non contineat Deum virtualiter declaratum eſt ſuprà. Et quod dicit, quòd intellectus Angeli eſt cauſa magis principalis.

Dico, quòd ex hoc non ſequitur quòd contineat

neat virtualiter ipſum obiectum, & ſuppono aliqua. Primum, quòd licèt cognitio alicuius obiecti puta lapidis, tam intuitiua, quàm abſtractiua principaliter ſit cauſata ab intellectu, & minùs principaliter à lapide, non tamen ex hoc ſequitur quòd virtualiter contineat ipſum lapidem; & ratio, quia virtualiter non continet cauſalitatem ipſius lapidis: patet, quia quantumcunque intellectus perficeretur ſtante tamen limitatione intellectus, nunquam tamen poteſt ſupplere cauſalitatem partialem lapidis reſpectu cognitionis ipſius lapidis, vt patet à Doctore *in primo. dict. 3. q. 7. & 17. & in ſecundo diſt. 3.* licèt ergo intellectus ex ſua ratione habeat in ſe cauſalitatem pertinentem ſibi, non tamen habet in ſe cauſalitatem pertinentem ad obiectum, vel ad ſupplens vicem illius obiecti, quod eſt ſpecies intelligibilis illius obiecti: dicimus enim, quòd obiectum continet virtualiter aliud, quando continet cauſalitatem pertinentem ad illud reſpectu cognitionis illius. Licèt ergo intellectus angeli ſit cauſa partialis cognitionis Dei, & perfectior, quàm ſpecies intelligibilis, quia tamen non poteſt ſupplere cauſalitatem ſpeciei intelligibilis ideò nõ continet ipſam virtualiter, nec etiam obiectum cuius eſt talis ſpecies, & hoc eſt, quod dicit Doctor *in prima. q. prologi. & diſt. 3. q. vltima ſecundi*, quòd licèt intellectus habeat in ſe cauſalitatem pertinentem ad ipſum reſpectu cognitionis obiecti, non tamen habet in ſe cauſalitatem pertinẽtem ad obiectum, quia nec quodlibet obiectum habet in ſe virtualiter eminenter, vel per perfectam identitatem, & de hoc ſatis dictum eſt *in primo. diſt. 3. q. 3. & 7.*

Ad vltimam dico, quòd eſſentia, vt eſſentia, non contineat huiuſmodi contingentia virtualiter, cùm vt ſic, non poſſit producere ea ad extrà, quia tunc produceret de neceſſitate, quia eſſentia vt eſſentia agit modo naturali, vt patet à Doctore *in primo in pluribus locis, & q. 18. quodlib.* continet tamen illa eminenter, & hoc ſufficit.

Secundò dico, quòd licèt eſſentia non contineat illa virtualiter, tamen poſita determinatione diuinæ voluntatis reſpectu illius contingentis, ipſa eſt ratio formalis repræſentandi huiuſmodi determinationem, & huiuſmodi contingentia intellectui diuino, vt patet à Doctore *in primo diſtinct. 39.* Et ſic patet ſolutio duarum dubitationum.

SCHOLIVM.

Præmiſſa & explicata diuiſione notitiæ in abſtractiuam & intuitiuam, de qua 1. diſt. 1. q. 2. & d. 8. q. pen. & 3. d. 14. & 4. d. 49. q. 12. Plutar. Doctor datam fuiſſe Angelo ſpeciem abſtractiuè repræſentantem Deum diſtinctè, & non tantùm confusè, quæ quodammodo eſſet naturalis & ſupernaturalis probat. Primò, quia videtur ante lapſum hominem habuiſſe aliqualem notitiam Dei diſtinctam, ita Rubion 2. d. 23. q. 4. Maior. ibid. q. 1. Toſtat. in c. 2. Gen. q. 501. Pitigian. ibi. fol. 415. c. 1. Secundò, Paulus recordando viſa in raptu, habuit aliquid quo diſtinctè Deum recordabatur. Tertiò, Auguſtinus ponit Angeli cognitionem creaturarum in Verbo, ſeu matutinam prioremreſpectiua, ſeu in proprio genere: ergo ſecundum eum priùs nouit Verbum diſtinctè quàm creaturas propter hæc, ait Scotus videri rationabile talem ſpeciem datam Angelo, de quo tamen nihil eſt certum.

6. AD quæſtionem igitur [a] reſpondeo aliter. Primò diſtinguendo de duplici cognitione. Poteſt enim aliqua eſſe cognitio obiecti, ſecundùm quòd abſtrahit ab omni exiſtentia actuali: & poteſt eſſe aliqua eius, ſecundùm quòd exiſtens: & ſecundùm quòd præſens in aliqua exiſtentia actuali. *Cognitio duplex.*

Iſta diſtinctio probatur per rationem, & per ſimile. Primum patet ex hoc quòd poſſumus habere notitiam de aliquibus quiditatibus: ſcientia autem eſt obiecti, [b] ſecundùm quòd abſtrahit ab exiſtentia actuali, alioquin ſcientia poſſet quandoque eſſe, & quandoque non eſſe, & ita non eſſet, perpetua ſed corrupta re corrumperetur ſcientia illius rei: quod falſum eſt. Secundum probatur, [c] quia quod eſt perfectionis in potentia inferiori, videtur eminentiùs eſſe in ſuperiori, quæ eſt eiuſdem generis: in ſenſu autem, qui eſt potentia cognitiua inferior intellectu, perfectionis eſt, quòd eſt cognitiua rei ſecundùm quòd in ſe exiſtens eſt, & ſecundùm quòd eſt præſens ſecundùm exiſtentiam ſuam: igitur hoc eſt poſſibile in intellectu, qui eſt ſuprema vis cognitiua: igitur poteſt habere cognitionẽ rei ſecũdùm quòd præſens. *3. & 7. Meta 1. Poſt. & 2. de Anima.* *Oſtendit dari notitia abſtractiuam, & intuitiuam in intellectu.*

Et vt breuibus vtar verbis, primam voco abſtractiuam, quæ eſt ipſius quiditatis ſecundùm quòd abſtrahitur ab exiſtentia actuali, & non exiſtentia. Secundam, ſcilicet quæ eſt quiditatis rei ſecundùm eius exiſtentiam actualem, vel quæ eſt præſentis ſecundùm talem exiſtentiam, voco cognitionem intuitiuam: non prout intuitiua diſtinguitur contra diſcurſiuam, quia ſic aliqua abſtractiua eſſet intuitiua: ſed ſimpliciter intuitiua, eo modo quo dicimur intueri rem, ſicut eſt in ſe.

Iſtud etiam ſecundum [d] membrum per hoc declaratur, quòd non expectamus cognitionem de Deo, qualis poſſet haberi de eo, ipſo (per impoſſibile) non exiſtente, vel non præſente per eſſentiam: ſed expectamus intuitiuam, quæ dicitur facie ad faciem, quia ſicut ſenſitiua eſt facialis, ſcilicet rei ſecundùm quòd eſt præſentialiter exiſtens, ita & illa, quam expectamus. *De hac diuiſione Sco. 1. d. 1. q. 2. & d. 8. q. pen. & 4. d. 49. q. 12. 1. Cor. 13.*

Cognitio phantaſia eſt abſtractiua reſpectu ſenſus particularis.

Secunda declaratio [e] huius diſtinctionis eſt per ſimile in potentiis ſenſitiuis, aliter enim potentia, vel ſenſus particularis cognoſcit obiectum; aliter phantaſma. Senſus enim particularis eſt obiecti, ſecundùm quòd eſt per ſe, vel in ſe exiſtens: phantaſma cognoſcit idem ſecundùm quòd eſt præſens per ſpeciem, quæ ſpecies poſſet eſſe eius: licèt non eſſet exiſtens, vel præsens: ita quòd cognitio phantaſtica eſt abſtractiua reſpectu ſenſus particularis: quia quæ ſunt diſperſa in inferioribus, quandoque ſunt vnita in ſuperioribus. Ita iſti duo modi cognoſcendi, qui ſunt diſperſi in potentiis ſenſitiuis propter organum (quia non eſt idem organum, quòd eſt benè receptiuum, & quod eſt benè retentiuum) vniti ſunt in intellectu, cui vt vni potentiæ, poteſt vterque actus competere. 7.

d. 49. 4. 11.

Hac diſtinctione præmiſſa [f] ad quæſtionem reſpondeo, quòd licèt ſecundùm communiter loquentes non poſſet Angelus ex puris naturalibus, habere cognitionem Dei intuitiuam, de qua in quarto lib. tamen non videtur negandum, quin poſſit naturaliter habere cognitionem eius abſtractiuam; hoc modo intelligendo, quòd ſpecies aliqua diſtinctè repræſentet iſtam eſſentiam, licèt non repræſentet eam vt in ſe præſentialiter exiſtentem. Benè quidem poſſibile eſt habere cognitionem diſtinctam, licèt abſtractiuam: nam abſtractiua diſtinguitur in confuſam & diſtinctam, penes rationem aliam & aliam cognoſcendi: & iſtam talem ſpeciem repræſentantem eſſentiam diuinam intellectui Angelico, non videtur inconueniens ponere intellectui Angeli inditam eſſe à principio: ita quòd licèt ipſa non ſit naturalis intellectui, hoc modo, quòd iſte intellectus poſſit ex naturalibus ſuis eam acquirere: neque etiam, quòd poſſit eam habere ex actione alicuius obiecti agentis naturaliter, quia non poteſt eam habere præſentialitate alicuius obiecti finiti mouentis, niſi eſſentiæ diuinæ tantùm, quæ nihil aliud à ſe cauſat naturaliter naturali cauſatione: tamen ſicut perfectiones datæ Angelo in ſua prima creatione, licèt non neceſſariò ſequantur naturam eius, dicerentur naturales, diſtinguendo contra merè ſupernaturales, ſcilicet & gratiæ & gloriæ, ita iſta perfectio data intellectui Angelico, qua eſſentia diuina eſſet ei præſens diſtinctè, licèt abſtractiuè, poteſt dici naturalis, & ad cognitionem naturalem Angeli pertinere ita quòd quicquid cognoſcit Angelus de Deo virtute huius ſpeciei, aliquo modo cognoſcit naturaliter, & aliquo modo non naturaliter. Naturaliter, inquantùm iſta non eſt principium gratuiti actus, nec glorioſi. Non naturaliter [g] autem, quantùm ad iſtam non poſſet pertingere ex naturalibus neque aliqua actione naturali.

An angelus habuit ſpeciẽ diuinæ eſſentiæ.

Vide 8. d. 1. & 14. q. 4 Quodlib.

Species eſſẽtiæ diuinæ, an naturalis?

h Quòd autem talis ſpecies poni debeat, diſtinctè repræſentans eſſentiam diuinam, licèt abſtractiuè; perſuadetur primò ſic: quia beatitudo naturalis Angeli excedit naturalem beatitudinem hominis, etiamſi fuiſſet in ſtatu innocentiæ, tam Angelus quàm homo per quamtuncunque tempus: igitur cùm homo pro ſtatu naturæ lapſæ poſſit habere cognitionem de vltimo fine in vniuerſali, & volitionem conſequentem: & pro ſtatu innocentiæ habere potuerit aliquo modo notitiam diſtinctam: & volitio ſummi boni ſequatur cognitionem vltimi veri; ſequitur, vt ſic, quòd in tali cognitione, & volitione ſummi boni diſtinctè, poſſit haberi maior beatitudo ab Angelo, quàm ab homine. 8.

An homo ante lapsũ nouerit Deum diſtinctè?

Species qua ſit talis recordatio repræſentat immediatè viſionẽ præteritam & mediatè eius obiectum. de quo 4. d. 45. q. 3.

Secundo modo perſuadetur [i] per hoc, quòd aliquis raptus videns tranſitoriè eſſentiam diuinam, ceſſante iſto actu videndi; poteſt habere memoriam obiecti, & hoc ſub ratione diſtincta, ſub qua erat obiectum viſionis, licèt non ſub ratione præſentis actualiter: quia talis præſentia non manet poſt actum in ratione cognoſcibilis: igitur per aliam rationem perficientem intellectum talem, poteſt obiectum iſtud iſto modo obiectiuè eſſe præſens. Et ita non eſt contra rationem eſſentiæ, quòd ſpecies illius ſit in aliquo intellectu diſtinctè repræſentans eam: igitur nec videtur talis ſpecies neganda ab intellectu perfectiſſimo creato: nihil enim videtur debere negari ab intellectu ſummo creato, quod non repugnat alicui intellectui creato in naturalibus, quia non eſt perfectio excellens nimis.

Paulus in raptu vidit eſſentiã Dei. 2. Cor. 12.

Vide Aug. ſuper Gen. & 2. Ciu. cap 7.

Aſſumptum poteſt probari per raptum Pauli, qui tranſeunte iſto raptu, recordabatur illorum viſorum, ſecundùm quod ipſe ſcribit ad Corinth. *Scio hominem in Chriſto ante annos 14. ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit, &c. & audiuit arcana verba, quæ non licèt homini loqui.* Quòd autem poſt raptum poſſet ſpecies obiecti diſtinctè manere, videtur, quia hoc eſt perfectionis in intellectu, quia poteſt conſeruare ſpeciem obiecti, ceſſante præſentia obiecti.

k Tertiò perſuadetur propoſitum, quia ſecundùm Auguſtinum 4. ſuper Gen. 23. dies 9.

dies illi ſex non erant in ſucceſſione temporis, ſed in cognitione Angelica creaturarum ordinem naturalem habentium, ita quòd priùs naturaliter nouit Angelus creaturam in Verbo, ſecundò in genere proprio: & non ſtando ibi, rediit in Verbum, laudans ipſum ex opere ſuo: & in illo iterum vidit rationem ſequentis creaturæ naturaliter, ita quòd quando Deus dixit: *Fiat lux*, vidit Angelus ſe in Verbo æterno: cùm *facta eſt lux*, & cùm *factum eſt veſpere*, vidit ſe in genere proprio: & cùm *factum eſt veſpere & manè dies vnus*, ex ſe exſurrexit in laudem Dei, in quo vidit ſecundam creaturam: ita quòd iſta viſio erat terminus præcedentis diei (inquantùm ex cognitione creaturæ primæ in Verbo, ſurrexit in cognitionem Verbi, imò requies omnium creaturarum in primo artifice, & opifice: ita diſtinguit Auguſtinus ſingulos dies vſque ad diem ſeptimum, cuius erat manè vltimæ creaturæ in Verbo, & non ſequebatur veſpere) & erat principium ſequentis diei inquantùm vidit illam creaturam in genere proprio.

Et licèt ipſe illam cognitionem rerum in Verbo poſuerit cognitio nê beatificam, ſicut apparet ibi in principio 22. cap. *Cum ſancti Angeli ſemper videant faciem Dei; Verbóque eius vnigenito ſicut Patri æqualis eſt, perfruantur in ipſo Verbo Dei priùs nouerunt creaturam vniuerſam, in qua ipſi principaliter ſunt conditi*: perfruitio igitur pertinet ad beatitudinem, ſimiliter in eodem cap. *Tunc nox ad diem pertinet, non dies ad noctem: cùm ſublimes & ſancti Angeli illud, quod creaturam in ipſo creatore nouerunt, referunt in ipſius honorem, & amorem, in quo æternas rationes, quibus creata eſt, contemplantur, eáque concordiſsima contemplatione ſunt vnus dies, quem fecit Dominus: cui coniungitur Eccleſia ex hac peregrinatione liberata, vt & nos exultemus & lætemur in eo.* al. 29. Cap. 30.

10. m Poteſt tamen probari ex dictis eius, quòd hæc cognitio, quæ vocatur communiſſimè *cognitio matutina*, ſit naturalis, & non præcisè beatifica: quia ſecundùm eum, iſte ordo erat in cognitione Angelica, creaturæ poſt creaturam, quòd priùs naturaliter præceſſit cognitio Angelica creaturarum in Verbo cognitionem earum in genere proprio: factis autem creaturis in genere proprio, ſtatim potuit Angelus cognitionem earum habere in genere proprio: igitur omnes iſtæ cognitiones in Verbo præceſſerunt naturaliter cognitionem creaturarum in genere proprio: omnes igitur ſecundùm eum, erant ſimul productæ: igitur cognitio iſta in Verbo naturaliter præceſſit productionem earum in genere proprio: ſed tunc erant Angeli in ſtatu innocentiæ, & non beati, quia aliqua morula fuit inter creationem, & lapſum eorum: erat igitur aliqua cognitio Angelorum matutina, ſcilicet creaturarum in Verbo exiſtentium in naturalibus, aut ſaltem non beatorum: & ita videtur, quòd oporteat dare diſtinctam cognitionem Angeli ſtantis in cognitione naturali, vel in gratia: quia aliàs in ipſa cauſa præcisè cognita non poſſet priùs cognoſcere creaturas, & effectus ordinatos, quàm in genere proprio. Nam ratio cognoſcendi rem confusè, non eſt ratio cognoſcendi eam diſtinctè, & effectus ordinatos.

Auguſtinũ per cognitionem matutinã intellexiſſe naturalem.

Vide Eccl. 8. De his infra diſt. 5.

Illa ſpecies repræſentaret creaturas, volũtate diuina cõcurrente, ſicut modo facit, cum viſione beata.

Et ſi obiiciatur n quomodo potuit in Verbo non intuitiuè, ſed abſtractiuè cognito, alia cognoſcere: Reſpondeo, tota ſcientia naturaliter eſt nunc de paſſionibus abſtractiuè per intellectum, ita quòd non tantùm ſubiectum intuitiuè cognitum, ſed etiam abſtractiuè, eſt illud, in quo cognoſcitur paſſio.

11. Dico igitur breuiter ad quæſtionem, quia non habemus regulam de intellectu Angelico: neque enim poſſumus attribuere illi omnem perfectionem, quæ eſt in intellectu ſimpliciter: neque tantam imperfectionem, quantam experimur in intellectu noſtro; quia rationabile eſt illi attribuere omnem perfectionem, quæ conuenit intellectui creato: & nulla repugnantia occurrit, quòd intellectus creatus habeat talem cognitionem per ſpeciem diſtinctè repræſentantem diuinam eſſentiam, dum tamen non intuitiuè; ideò hoc videtur rationabile concedere.

Rationabile videtur, angelũ habuiſſe ſpeciem eſſentiæ Dei.

12. o Ad rationes pro prima opinione quæ improbant iſtam ſpeciem. Ad primam dico, quòd non videtur eſſe proprium vocabulum, loquendo de Deo, hoc vocabulum *effigies*: fortè enim effigiatum non dicitur aliquid propriè, niſi quod eſt figuratum: ſed vtendo propriis verbis, ſi accipiatur iſta propoſitio: *omnis propria ratio intelligendi aliquod obiectum per adæquationem, repræſentat illud obiectum*: Dico quòd hîc poteſt intelligi adæquatio ſimpliciter entitatis ad entitatem; vel adæquatio ſecundùm proportionem repræſentantis ad repræſentantem abſolutè. Vel tertio modo p per adæquationem ſecundùm proportionem, non abſolutè, ſed per comparationem ad actum talem, ſicut materia dicitur adæquari formæ ſecundùm proportionem, licèt non ſecundùm entitatem, pro eo quòd eorum entitates ſunt inæquales:

Rationes Henrici ſoluit.

Adæquatio ſpeciei ad obiectum triplex.

tamen iſta eſt perfectibilis ſicut illa eſt perfectiua, hoc eſt, quòd tantum iſta repræſentat, quantum eſt repræſentabilis, puta quòd iſtud repræſentat obiectum ita perfectum & ira perfectè, ſicut ipſum apprehenditur à potentia per talem actum, per quem repræſentatur.

Repræſentans per ſe, non adæquatur repræſentabili, ſimpliciter.

Primo modo, vniuerſaliter nullum per ſe repræſentans (quòd eſt ratio repræſentandi, & non cognitum) adæquatur illi quod repræſentat, ſed deficit, ſicut patet de albedine & ſpecie albi. Secundò modo aliqua ratio repræſentat per adæquationem, ſicut ſpecies perfectiſſima albi repræſentat illud album, & ipſa eſt ratio quaſi comprehenſiuè videndi album illud. Tertio modo, quæcunque albi ſpecies etiam in oculo cæcutiente, licèt non ita perfectè repræſentet album ſicut eſſet repræſentabile: tamen perfectè repræſentat illud per comparationem ad actum ſequentem, quia ita perfectè repræſentat ſicut requiritur ad habendum talem actum circa obiectum.

Species diuina eſſentia repræſentaret eã adæquatè in ordine ad actum, quẽ intellectus creatus habere poteſt.

Ad propoſitum igitur dico, quòd nulla ſpecies per adæquationem poteſt repræſentare eſſentiam diuinam ſecundo modo, nec etiam primo modo; quia illa eſſentia, quæ comprehenſibilis eſt ab intellectu ſuo, non poteſt comprehendi niſi per eſſentiam, vt per rationem: ſed tertio modo, comparando ad intellectum creatum, aliquo modo poteſt habere ſpeciem, quæ ſcilicet ita perfectè illam eſſentiam repræſentat, ſicut actus talis intellectus attingit. 13.

Finitũ repræſentat infinitum.

Cùm probatur minor, primò per illam infinitatem; dico quòd ſicut actus finitus poteſt habere obiectum ex parte ſui infinitum, & tamen actus immediatiùs attingit obiectum quàm ſpecies, ita ſpecies poteſt repræſentare obiectum infinitum ſub ratione infinita: non tamen ipſa eſt adæquata in eſſendo, nec cognoſcendo ſimpliciter, quia ipſa non eſt principium comprehendendi.

Species Dei plus cõuenit cũ eo repræsẽtatiuè, quàm illa creatura.

Ad aliam [q] probationem de ſpecie vnius creaturæ reſpectu alterius, dico quòd ſimilitudo naturalis in eſſendo, non eſt per ſe ratio repræſentandi vnius reſpectu alterius: quia hoc album quantumcunque ſimile ſit alteri albo, non eſt ratio repræſentandi illud: ſpecies autem, quæ multò minùs eſt in entitate naturali, ſimilis huic, eſt repræſentatiua: ita hîc, licèt ſpecies propter ſuam finitatem in entitate, & in eſſendo, plus conueniat cum eſſentia creata, quàm cum eſſentia diuina: non tamen plus conuenit cum ea, conuenientia proportionis, quæ eſt repræſentantis ad repræſentatum.

Quomodo Deus eſt determinatus & indeterminatus?

Ad ſecũdùm [r] dico, quòd determinatio in obiecto poteſt intelligi duobus modis: vno modo ad ſingularitatem per oppoſitum indeterminationis vniuerſalis: alio modo determinatio ad certum gradum participatum per oppoſitum ad illimitationem iſtius quod participatur. Primo modo determinatio in obiecto non impedit intellectionem ſummi boni, quod Deus eſt, imò eſt ipſum ſummum bonum, quod de ſe ſingularitas quædam eſt. Secundo modo impedit, quia non eſt bonum ſecundùm aliquem gradum determinatum, ſed abſolutè bonum participabile ab omnibus gradibus, licèt Auguſtinus dicat de hoc bono, & illo bono, fortè ſingularibus bonis, quæ occurrunt animæ. *Tolle hoc & tolle illud, & vide ipſum bonum ſi potes, &c.* non tamen intelligit hîc, niſi quia iſta bona particularia includunt limitationem: qua limitatione remota, & ablata, ſtatur in illimitatione boni in communi & in hoc intelligitur Deus in vniuerſali, vt dictum fuit *in primo lib. di. tertia*: vel vlteriùs ſtatur in bono vniuerſaliſſimo ſecundùm perfectionem: & tunc intelligitur Deus magis in particulari: & illud bonum nec eſt hoc, nec illud per ablationem gradus boni * limitantis, 14.

q.1.& 3.& diſt.8.pri. q.2.

al.limitati.

Quo ſenſu angelus eſt magis imago Dei, quàm ſpecies Dei, ſi daretur?

Ad tertium dico, [s] quòd *imago* vno modo accipitur pro ſimilitudine præcisè imitante, ſiue repræſentante: quia non repræſentat quia cognita, ſed præcisè quia ratio cognoſcendi. Alio modo *imago* accipitur pro imitante aliquid, quod eſt aliud à [t], & repræſentat, quia cognitum. Primo modo ſpecies albi in oculo eſt imago: ſecundo modo ſtatua Herculis eſt imago eius. Primo modo iſta, ſpecies Dei in Angelo magis eſt imago quàm Angelus: ſecundo modo, Angelus eſt imago, & ad iſtam imaginem pertinet ſimilitudo aliquo modo naturalis in exiſtendo, & conſiſtit in propoſito aliqualiter in hoc, quòd anima habet trinitatem, & vnitatem aliquo modo, ſicut eſſentia diuina habet: & illa ſimilitudo concurrit ad rationem beatificabilis. Licèt igitur ſpecies diuina repræſentet diſtinctiùs eſſentiam diuinam quàm Angelus, tamen Angelus eſt magis imago, prout imago eſt aliquid ſimile magis in natura, habens actus ſimiles illis actibus, qui ponuntur in trinitate, cui, ex hoc quod habet 15.

3.diſt.pri. q.9.& inf. d.16.&24.

habet tales actus, conuenit eſſe capax iſtius, cuius eſt imago: & hoc per iſta media, ſcilicet ſimilitudinem naturalem in actibus conuenit imagini Dei, prout Auguſtinus loquitur de ea, quòd ſit capax eius, & particeps eſſe poſſit. 14. Trin. 8.

Ad aliud poſſet dici,[t] quòd licèt illa ſpecies in intellectu Angeli, ſit ratio diſtinctè cognoſcendi eſſentiam diuinam, non tamen eſt ratio diſtinctè cognoſcendi modum iſtius eſſentiæ in ſuppoſitis: ſicut etiam in nobis diſtinctè cognoſci poteſt aliqua quiditas creata, licèt non cognoſcatur in quibus ſuppoſitis ſit, vel qualiter ſit in eis. *Natura diſtincte cognoſcibilis, licet ſuppoſita ignorentur*

16. Et ſi obiicitur [u] contra iſtud, quòd quando ſuppoſita ſunt in natura ex naturali neceſſitate intrinſeca, quòd eſt ratio diſtincta cognoſcendi naturam, erit ratio diſtinctè cognoſcendi ſuppoſita iſta in natura: & tunc videretur, quòd Angelus poſſet cognoſcere naturaliter eſſentiam diuinam in tribus ſuppoſitis, pro eo quòd poſſet naturaliter cognoſcere in primo ſuppoſito eſſe memoriam infinitam, productiuã alterius ſuppoſiti, & in duobus eſſe voluntatem infinitam, productiuam alterius ſuppoſiti. Poſſet dici, quòd illa cognitio non eſſet mere naturalis, quia ad eam non poſſet Angelus naturaliter attingere ex naturalibus ſuis, neque ex cauſis neceſſariis alicuius naturaliter agentis, ita quòd licèt Angelus habens ſpeciem eſſentiæ diuinæ poſſet naturaliter vti ea: tamen ipſa ſpecies eſt à cauſa ſupernaturali, & ſupernaturaliter agente. *Species repræſentans Deũ an repræſentaret per ſe naturaliter.*

Contra iſtud obiicitur, [x] quia quodlibet etiam aliud à Deo naturaliter cognoſcit, licèt illas alias ſpecies recipiat à Deo ſupernaturaliter imprimente. Poſſet dici, quòd illas alias ſpecies poſſet habere ab illis obiectis in ſe, nullis aliis ab ipſis agentibus, requiſitis: ſed nullo modo poſſet habere illam ſpeciem diſtinctam reſpectu eſſentiæ diuinæ, niſi ab ipſo imprimente, & hoc non naturaliter, ſed ſupernaturaliter.

Ad vltimum dico, [y] quòd ſi teneatur, quòd Angelus beatus non videt per iſtam ſpeciem, tunc nec alius videns eam in intellectu eius, videbit per eam ſupernaturalia. Si autem ponatur, quòd iſta ſit ratio ipſi intellectui vt in quo videndi trinitatem, poteſt concedi quòd etiam alij videndi ſit ratio, quia etiam & alius habet in ſe ſimilem ſpeciem videndi; & tunc oportet dicere, quòd viſio eſt naturalis vno modo, & non alio modo, ſicut eſt expoſitum in reſponſione præcedente. *Videtur dubiũ an viſio fiat per ſpeciẽ.*

17. z Ad aliud pro opinione ſecunda, quòd Angelus eſt imago; dico quod æquiuocatur de imagine: quia non eſt talis imago, quæ ſit præcisè ratio cognoſcendi, non vt cognita, ſed eſt imago habens ſimilitudinem naturalem aliquo modo in cognoſcendo, & in ratione cognoſcendi, vt cognita: & præter omnem talem cognoſcendi rationem, quæ eſt ratio inquantùm cognita, oportet ponere aliam præſuppoſitam diſcurſui ab ipſa. *Rationem D. Thom. ſoluit.*

Ad rationes principales, patet quomodo Angelus poteſt per ſpecies diſtinctè cognoſcere eſſentiam diuinam. Et cùm obiicitur, quòd eſſentia ſecundùm ſeipſam, eſt intimior intellectui, quàm ipſa ſpecies. Dico, quòd propter iſtam intimitatem, poſſet cauſare immediatè illum actum, quem cauſat ſpecies: non tamen iſte actus eſſet in poteſtate Angeli, ſicut nec ipſa cauſa cauſans ipſum: & ſi quandoque ceſſaret ab actu, non poſſet iſtum actum iterum habere, niſi ab eſſentia illa cauſante illum actum, quod non eſſet in poteſtate ipſius Angeli. Vt igitur iſte actus, non neceſſariò perpetuus, ſit in poteſtate operantis, ponitur ſpecies, per quam poſſit perpetuò diſtinctè cognoſcere Deum. Per hoc patet ad ſecundum, ſcilicet quòd non tantum propter hoc, quod obiectum ſit præſens animæ, eſt ſpecies in anima: ſed etiam vt actus ſit in poteſtate operantis. *Ad arg. 1.*

COMMENTARIVS.

1. a AD *quæſtionem igitur reſpondeo.* Reſpondendo ad quæſtionem, primò præmittit quandam diſtinctionem de cognitione intuitiua, & abſtractiua, abſtractiua cognitione reſpicit propriè quiditates, vt abſtrahunt ab actuali exiſtentia, ita quòd non eſt rei exiſtentis inquantum exiſtens: licèt enim actu exiſtat non tamen reſpicit illam, inquantùm exiſtens: intuitiua verò eſt rei exiſtentis, inquantùm exiſtens, vel ſaltem alicuius virtualiter contenti in re exiſtente, inquantùm exiſtens, quæ etiam diſtinctio ſuprà patuit, *in primo, diſtin.* 1. *q.* 2. *diſtin.* 8. *q. penult. & in quarto, diſt.* 10. *&* 49. *q.* 12. *& in tertio, diſt.* 14. *Diſtinctio de cognitione intuitiua & abſtractiua.*

b Sequitur: *Scientia autem eſt obiecti.* Nota in iſta litera primò, quòd ſcientia propriè ſumpta, de qua Ariſtoteles *in primo Poſt.* eſt per ſe de quiditatibus, vt abſtrahunt ab actuali exiſtentia. Tum, quia ſcientia eſt de vniuerſalibus primò, & per ſe, quia paſſio primò, & per ſe demonſtratur

ſtratur de natura ſpecifica,licèt per ſe,& non primo demonſtraretur de ſingularibus, vt talia ſingularia abſtrahunt ab actuali exiſtentia. Tum, quia eſt de neceſſariis, & ſic de quiditatibus, vt abſtrahunt ab actuali exiſtentia. Nota ſecundò ibi:*ſed corrupta re*, &c. Cùm enim dicit Doctor quod ſcientia eſt perpetua, incorruptibilis, non debet intelligi de ſcientia quæ eſt qualitas in anima, qua cognoſcitur concluſio demonſtrata,quia illa eſt corruptibilis, vt patet per experientiam: non enim eſt maior ratio de habitu ſcientifico, quàm de quocunque alio habitu, cum quælibet æquè primò fundetur in intellectu poſſibili, & quælibet ſit qualitas abſoluta,vt patet à Doctore *in quodlib. quæſt.* 13. debet ergo intelligi paſſiuè, id eſt, quòd ſcibile eſt perpetuum, & incorruptibile. Si ergo ſcibile eſſet exiſtens, aliquando eſſet ſcibile, aliquando non, quia tunc eſſet ſcibile, quando actu exiſteret, non ſcibile,quando actu non exiſteret. Poteſt etiam dici ſcientia perpetua, & incorruptibilis, quantùm in ſe eſt, ex hoc, quòd reſpicit obiectum incorruptibile, & perpetuum, à quo habet *eſſe* & ſpecificationem, & ſic quantùm eſt ex ſe,poteſt talis ſcientia perpetuari, cùm dependeat in *eſſe*, & *conſeruari* ab obiecto, ſaltem vt à cauſa partiali. Vel vt magis breuiter dicam, ſcientia propriè ſumpta denominatione extrinſeca dicitur perpetua, cùm ſit de obiecto perpetuo, licèt in ſe formaliter non ſit perpetua.

An ſcientia ſit incorruptibilis.

Quomodo ſcientia eſt incorruptibilis.

2. c *Secundum probatur.* Hîc Doctor intendit probare, quòd intellectus poſſit habere cognitionem intuitiuam de re. Et arguit à minori, quia potentia ſenſitiua cognitiua poteſt cognoſcere rem intuitiuè; ergo à fortiori cognitio intuitiua. Patet conſequentia, *quia quod eſt perfectionis in potentia inferiori videtur eminentius eſſe in ſuperiori, quæ eſt eiuſdem generis*: modò cognitiua, ſenſitiua, & cognitiua, intellectiua, ſunt eiuſdem generis, quia vtraque eſt cognitiua, & notanter dicitur *eiuſdem generis*, quia non ſequitur potentia viſiua eminenter continetur in potentia volitiua, cùm illa ſit eſſentialiter perfectior; ergo ſi viſiua videt albedinem intuitiuè, & volitiua poterit videre, non ſequitur; quia volitiua non eſt eiuſdem generis, id eſt, quod non pertinet ad idem genus cognitiuè. Sequitur,*in ſenſu autem, qui eſt potentia cognitiua, inferior intellectu, perfectionis eſt, quòd eſt cognitiua rei, ſecundùm quod in ſe exiſtens eſt, & ſecundùm quòd eſt præſens: ſecundùm exiſtentiam ſuam, igitur hoc eſt poſſibile in intellectu, quia eſt ſuprema vis cognitiua.* Et parum infrà, *voco cognitionem intuitiuam: non prout intuitiua diſtinguitur contra diſcurſiuam, quia ſic aliqua abſtractiua eſt intuitiua, ſed ſimpliciter intuitiua eo modo, quo dicimus intueri rem ſicut eſt in ſe*, cognitio enim principiorũ dicitur intuitiua,qnia manifeſtiſſima,& notiſſima, nam cognitionis terminis ſtatim habetur clara, & manifeſta notitia illius principij: & hoc modo poteſt dici intuitiua reſpectu concluſionis cognitæ per diſcurſum à principiis ad concluſionem. Sed hæc non eſt propriè intuitiua, vt intuitiua eſt rei exiſtentis, inquantùm exiſtens. Nota tamen, quòd cognitio principiorum aliquando poteſt dici intuitiua propriè, quando ſcilicet cognoſcitur principium per cognitionẽ intuitiuam terminorum, ſicut cum intellectus diuinus intuitiuè cognoſcit eſſentiam diuinam, & proprietatem natam demonſtrari per eſſentiam diuinam, tunc habet illud principium per ſe notum ex terminis, vt intuitiuè cognitum. Aliquando eſt cognitio abſtractiua, quando cognoſcuntur termini in vniuerſali, & propriè principium eſt ex terminis vniuerſalibus, ſicut dicimus, quòd omne totum eſt maius ſua parte, & talis cognitio poteſt dici intuitiua, eo quod euidentiſſima.

Nota.

Quomodo cognitio principiorum poſſit dici intuitiua?

d *Iſtud etiam ſecundum membrum per hoc declaratur.* Hîc Doctor adhuc oſtendit quomodo intuitiua cognitio poteſt competere intellectui creato: patet, quia expectamus videre Deum intuitiuè, & facie ad faciem.

e *Secunda declaratio huius diſtinctionis.* Hîc Doctor declarat per ſimile in potentiis ſenſitiuis, quomodo in intellectu poteſt eſſe iſta duplex cognitio, ſcilicet intuitiua, & abſtractiua: nam ſenſus particularis exterior, vt ſenſus viſus, eſt obiecti per ſe exiſtentis, vt exiſtens eſt, fantaſia verò cognoſcit idem obiectum, ſecũdùm quòd eſt præſens per ſpeciem, quæ ſpecies poſſet eſſe eius, licèt non eſſet exiſtens, vel præſens, ita quòd cognitio fantaſtica, & abſtractiua reſpectu ſenſus particularis eodem modo poteſt dici de intellectiua. 3.

Hîc occurrit paruum dubium,in hoc quod dicit, quòd ſenſus particularis eſt rei exiſtentis, vt exiſtens eſt,& ſic præcisè intuitiuè cognoſcit,quia ſenſus particularis, puta viſus, tantùm cognoſcit per ſpeciem ſenſibilem, & obiectum ſenſibile eſt ſibi præſens per talem ſpeciem; ergo ſi cognoſcit per ſpeciem ſenſibilem,talis cognitio non erit intuitiua. Dico, quòd verè cognoſcit per ſpeciem ſenſibilem, tanquam per cauſam particularem illius cognitionis. Dico etiam, quod ſenſibile tantùm eſt ſibi præſens in ratione obiecti actu ſenſibilis per ſpeciem ſenſibilem receptam in organo, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 4. Et tamen illa cognitio eſt tantùm intuitiua. Tum, quia illa ſpecies ſenſibilis præcisè repræſentat obiectum, inquantum actu exiſtens, ita quòd ſi obiectum non exiſteret actu, nunquam repræſentaret illud in ratione obiecti actu ſenſibilis. Tum, quia eſt præciſa cauſa partialis cognitionis obiecti ſenſibilis actu exiſtentis terminatè ad ipſum, vt in ſe exiſtens, & præſens potentiæ, fantaſma verò, ſiue ſpecies ſenſibilis recepta in virtute fantaſtica repræſentant idem ſenſibile, ſiue exiſtat, ſiue non; & eſt cauſa partialis cognitionis talis obiecti, ſiue exiſtentis, ſiue non exiſtentis,ita quòd non eſt de ratione talis cognitionis, vt terminetur ad rem exiſtentem inquantùm exiſtens.

Quomodo poteſt eſſe cognitio intuitiua per ſpeciem.

f *Hac diſtinctione præmiſſa*, &c. Sequitur, *licèt non repræſentaret eam vt in ſe præſentialiter exiſtentem*, & non videtur inconueniens ponere intellectui Angeli huiuſmodi ſpeciem inditam eſſe à principio, ita quòd licèt ipſa non ſit naturaliter acquiſibilis in tali intellectu, ſed merè ſupernaturaliter, *tamen ſicut perfectio*, &c. 4.

An Angelus habeat cognitionẽ intuitiuã, vel abſtractiuã.

g *Non naturaliter*,&c.Dicit Doctor quòd aliquid poteſt dici ſupernatuliter ex hoc, quòd eſt principium gratuiti actus, ſiue meritorij, vel actus glorioſi, puta viſionis, vel fruitionis Dei clarè viſi.

An voluntas reſpectu actus gratuiti vel glorioſi ſit principiũ ſupernaturale?

Sed ex hoc dicto videtur ſequi,quòd voluntas noſtra poſſet dici ſupernaturalis, quia eſt principium actus meritorij ſaltem partiale, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 17.

Dico

Dico primò, quòd licèt dicatur principium partiale, non tamen eſt principale in ratione merendi, quia charitas eſt tale principium principale, vt patet vbi ſuprà. Dicit enim Doctor ibi, quòd principaliter acceptat illum actum meritorium, quia elicitus à charitate. Dico ſecundò, quòd hîc Doctor non loquitur de potentia, quæ eſt cauſa partialis actus, ſed loquitur præcisè de alia cauſa partiali concurrente cum potentia, quia aliquid eſt tantùm cauſa partialis actus nullo modo ſupernaturalis, qualis eſt actus meritorius, aliqua verò eſt cauſa actus verè ſupernaturalis, vt patet de gratia, & charitate.

Sed eſt maior difficultas de actu glorioſo, vt de fruitione Dei clarè viſi, quia fruitio ſecũdùm ſubſtantiam, & ſecundùm intentionem eſt magis à voluntate, quã à charitate, quia actus quo ad ſubſtantiam, & intentionem magis eſt à potentia, quàm ab habitu, vt patet à Doctore *in primo, diſt.*17. Et quòd voluntas cum charitate concurrat ad fruitionem Dei, patebit *in quarto, diſt.*49. *& in tertio, diſt.* 13. ergo ſequitur quòd ipſa voluntas erit cauſa ſupernasuralis, imò magis ſupernaturalis, quàm charitas.

5. *An voluntas ſit cauſa ſupernaturalis.*

Dico, quòd talis actus dicitur ſupernaturalis ex hoc, quòd eſt principaliter ab ipſo Deo, nam tenendo quòd Deus concurrat partialiter, & voluntas creata partialiter, cauſa tamen magis principalis eſt ipſe Deus, vt patet in quarto, *vbi ſuprà*. Poteſt etiam dici de actu meritorio, & actu glorioſo, quòd ſingulariter habitus, qui eſt principium talis actus, dicitur ſupernaturalis, non tantùm ex hoc, quòd eſt ſupernaturaliter productus, ſed etiam ex hoc, quòd non poteſt eſſe principium, niſi actus meritorij, vel glorioſi, vt patet de charitate: non ſic eſt de voluntate, quia quantumcunque ageret, ſicut ſi intenſiſſimè diligeret Deum charitate non concurrente ad huiuſmodi dilectionem, nunquam talis dilectio eſſet meritoria. vt patet à Doct. *in primo, diſt.*17. Cùm ergo ſpecies intelligibilis repræſentans Deum ſit tantùm cauſa partialis cognitionis abſtractiuæ, quæ cognitio Dei non eſt actus meritorius ex hoc ſolo, quòd eſt ab intellectu, à tali ſpecie, nec eſt actus glorioſus: patet, quia talis actus, vel eſt clara viſio Dei, vel fruitio ipſius clarè viſi, ſequitur quòd non erit principium ſupernaturale ſimpliciter.

An cognitio abſtractiua potuit eſſe meritoria in Angelo.

Si dicatur, nonne talis cognitio abſtractiua potuit eſſe meritoria in Angelo? Dico quòd, ſic ex imperio voluntatis informatæ charitate inclinante, vel concurrente, vt partiali cauſa ad huiuſmodi imperium, quo imperatur talis cognitio: ſed dico benè, quòd non eſſet meritorius ſimpliciter ex hoc ſolo, quòd eſt à tali ſpecie, quia tunc cognitio elicita à tali ſpecie in lucifero fuiſſet meritoria.

6. h *Quòd autem talis ſpecies poni debeat*, &c. Hîc Doctor nititur perſuadere tribus congruentiis quòd talis ſpecies repræſentans Deitatem ſit ponẽda in Angelo: & primò perſuadetur ſic, quia beatitudo naturalis Angeli excedit naturalem beatitudinem hominis, &c.

An homo in ſtatu innocẽtiæ habuiſſet notitiam diſtinctam abſtractiuam Dei.

Sed dubitatur. In hoc quod dicit Doctor, quòd homo in ſtatu innocẽtiæ habuiſſet notitiã diſtinctam vltimi finis, quia videtur ſibi cõtradicere per ea quæ dicit *in quæſt.*14. *quodlib. art.*2. quòd nec Angelus, nec anima ſeparata poteſt diſtinctè cognoſcere Deitatẽ ex puris naturalibus, multò minùs poterit cognoſcere homo in ſtatu innocẽtiæ.

Dico primò, quòd ſi homo in ſtatu innocentiæ habuiſſet notitiam abſtractiuam diſtinctam reſpectu Deitatis, quòd illa non potuiſſet eſſe ex merè naturalibus, ſed habuiſſet, vel per ſpeciem aliquam intelligibilem, imperfectiorem tamen ſpecie intelligibili ipſius Angeli, per aliquam reuelationem. Vel poteſt dici ſecundò, quod fortè hîc Doctor non loquitur de cognitione Deitatis diſtincta in ſe, ſed quòd habuiſſet multò perfectiorem de Deo, quæ magis appropinquaret cognitioni diſtinctæ, quàm habuiſſet in ſtatu naturæ lapſæ.

Quomodo quis dicitur recordari de deitate prius viſa.

i *Secundò perſuadetur*, &c. Hîc aduerte, quòd reſpectu talis recordationis ponitur duplex obiectum, videlicet proximum, & remotum. Proximum eſt viſio quam habuit, remotum eſt eſſentia, quia recordabatur ſe vidiſſe eſſentiam, actus enim recordationis immediatè terminatur ad actum quem priùs habuit de tali obiecto, vt magis patebit *in quarto diſtinctione* 45.

Aduerte etiam, quòd cùm dicit hîc Doctor quòd *in tali recordatione Deitatis*, &c. ponitur ſpecies intelligibilis repræſentans Deitatem, debet ſic intelligi, quòd habita viſione Deitatis ſtatim in intellectu cauſatur ſpecies intelligibilis repræſentans ipſam viſionem in ratione obiecti actu intelligibilis; & ſic intellectus cum illa ſpecie cauſat vnam cognitionem, quæ terminatur ad viſionem quam priùs habuit, & cognoſcendo illam viſionem, cognoſcit etiam obiectum viſionis, abſtractiuè tamen, & ſic dicitur recordari de obiecto viſo.

7. Aduerte etiam, quòd poſito quòd per talem ſpeciem cognoſcat viſionem, quam habuit de Deitate, talis cognitio eſſet tantùm abſtractiua, quia non terminaretur ad viſionem actu exiſtentem, & præſentem in propria exiſtentia, & præſentia, quia talis viſio fuit tantùm tranſitoria: tãdiu enim durat quandiu habetur præſentialiter in ſe, & ſic per illam viſionem abſtractiuè cognitã potuit Paulus cognoſcere Deitatem diſtinctè, abſtractiuè tamen: ſed de huiuſmodi materia ſatis patuit in expoſitione, quam feci ſuper diſt.9. ſecũdi, vide ibi. Illa tamen recordatio Deitatis nõ erat merè naturalis, quia illa ſpecies intelligibilis dependebat ab aliquo merè ſupernaturali, puta à viſione Deitatis. Si etiam dicatur, quòd Paulus poſt illum raptum habuit ſpeciem intelligibilem immediatè repreſentantem eſſentiam diuinam in ratione obiecti actu intelligibilis, poſſet concedi, ſed tunc per illam ſpeciem non recordabatur de eſſentia viſa, quia actus recordationis immediatè terminatur ad viſionem obiecti, ſed de hoc aliàs in quarto, diſt 45.

An Paulus recordabatur de eſſentia viſa.

k *Tertiò perſuadetur*, &c. Aduerte de cognitione matutina, & veſpertina, quæ pro nunc accipi poteſt, vel intelligi primò, quòd Angelus cognoſcat lapidem in Verbo cognitione matutina, quando ſcilicet Verbum, in quo relucet lapis, cauſat cognitionem lapidis, vt relucentis in Verbo, voluntariè tamen; & hoc totaliter, vel ſi partialiter cauſat, intellectus Angeli eſt alia cauſa partialis, & hoc eſt videre in Verbo, ſiue cognoſcere lapidem cognitione matutina. Dicitur etiam cognitio matutina, & in Verbo, pro quanto talis cognitio lapidis non terminatur ad lapidem, vt in ſe, ſiue vt relucentem in ſpecie intelligibili lapidis, vt præcisè terminatur ad lapidem, vt relucentem in eſſentia

8. *Duplex cognitio.*

Vnde dicatur cognitio matutina, vel veſpertina.

tia diuina, & de hoc vide *in quolib. q.* 14. Et iſtis duobus modis poteſt dici cognitio veſpertina, vel quia ſcilicet cauſatur à lapide, vel à ſpecie intelligibili eius, vel quia immediatè terminatur ad lapidem, vt in ſe exiſtentem, vel vt relucentem in ſpecie intelligibili, vel in aliquo alio poteſt, quàm in Verbo. Secundò poteſt dici cognitio matutina, & veſpertina aliter, vt quando Angelus cognoſcit lapidem in Verbo, ſiue in Deo cognitione matutina, puta cognoſcendo in ipſo Verbo rationes creaturarum, ſcilicet quando ſpecies intelligibilis repreſentat Deum ſub ratione Deitatis per ipſam, cognitione abſtractiua poteſt cognoſcere in Deo rationes creaturarum, ſiue ipſas ideas, quæ dicuntur rationes, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 35. & tunc intellectus Angeli vna cum tali ſpecie intelligibili poterit cauſare cognitionem diſtinctam Deitatis, in qua relucent huiuſmodi rationes; non ex natura rei, quia omnes ideæ ſunt in eſſentia diuina, non tamen ex natura rei, cùm illa habeant tantùm rationem obiecti ſecundatij, per hoc & actum intellectus diuini præcedentem omnem actum voluntatis diuinæ ad extrà, vt clarè patuit *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *huius ſecundi*. Et dicitur cognitio veſpertina, quando cognoſcit ipſas creaturas in ſe, & hoc dupliciter, vel vt in propria exiſtentia, & præſentia, & tunc cognoſcit illas intuitiuè, & talis cognitio intuitiua eſt partialiter à creatura exiſtente, inquantùm exiſtens eſt, vel cognoſcit ipſas, vt relucent in ſpecie intelligibili creaturæ, & talis cognitio cauſatur partialiter à ſpecie intelligibili.

Veſpertina vnde dicatur.

9. l *Tunc nox ad diem pertinet*, &c. Vult dicere Auguſtinus quòd quando ſcilicet Angeli ſurgunt in Dei laudem ex opere facto, tunc nox præcedens diem ad manè præcedens pertinet, & non pertinet dies ad noctem, id eſt, illud manè, in quo ſurgunt in laudem Dei, pertinet ad diem ſequentem, quia eſt principium illius diei, & ideò in ſeptimo die concordiſſima contemplatione ſunt ſeptimæ diei, ſcilicet quietis, & fœlicitatis æternæ non ſequitur veſper, & illi ſeptimæ diei coniungitur Eccleſia, ſcilicet congregatio fidelium ex hac peregrinatione liberata.

m *Poteſt tamen probari ex dictis eius*, &c. Hæc litera clara eſt, & ſtat in hoc, quòd ex quo ſecundùm Auguſtinum in cognitione Angelica creaturæ poſt creaturam eſt iſte ordo, quòd priùs naturaliter præceſſit cognitio Angelica creaturarum in Verbo cognitionem earum in genere proprio, quæ cognitio in Verbo dicebatur matutina, & talis cognitio creaturarum in Verbo fuit diſtincta, & non confuſa; ſed ſi Angelus non habuiſſet notitiam diſtinctam ipſius verbi, licèt abſtractiuam diſtinctè non cognouiſſet creaturas, vt in Verbo, quia cognitio Verbi diſtincta ponitur cauſa cognitionis diſtinctæ creaturarum: modò ex cognitione confuſa cauſæ non ſequitur cognitio diſtincta ordinatorum effectuum, vt in tali cauſa; certum eſt autem, quòd ipſi Angeli quando cognouerunt diſtinctè creaturas in Verbo, & per conſequens diſtinctam notitiam habuerunt de Verbo erant ſimpliciter in ſtatu innocentiæ, quia inter ſtatum innocentiæ, & ipſum lapſum fuit aliqua morula, vt infrà patebit *diſtin.* 4. & illa cognitio non fuit beatifica, cùm adhuc eſſent in via: ergo fuit naturalis, & beatifica, loquendo de beatitudine naturali, quam Angeli habere potuerunt in ſtatu innocentiæ, illam autem habere non poterunt, niſi per aliquam ſpeciem intelligibile, & eis ſupernaturaliter impreſſam, vt ſuprà patuit.

Cognitio matutina eſt naturalis, non beatifica.

n *Et ſi obiiciatur, quomodo potuit in Verbo*, &c. *eſt illud in quo cognoſcitur paſſio*, hoc patet, quia ea cognitione diſtincta abſtractiua hominis poſſunt cognoſci abſtractiuè omnes paſſiones de ipſo homine contentæ in illo virtualiter, & adæquatè, vt expoſitum eſt in prologo *quæſt. de ſubiecto Theologiæ*, & ſic Angelus ex diſtincta cognitione Deitatis abſtractiua potuit cognoſcere diſtinctè obiecta ſecundaria relucentia in ipſa, quæ virtualiter primò, & adæquatè in ipſa continentur, quæ omnia producuntur in *eſſe* obiectiuo ab intellectu diuino, vt patuit *in primo, diſtinct.* 35. 36. 39. 43. *& in ſecundo. diſt.* 1. *q.* 1. *& quodlib. quæſt.* 14. 10.

Quomodo ſequitur, quòd ex cognitione abſtractiua deitatis ſequatur cognitio creaturarum.

Sed oritur aliqualis difficultas, quia non videtur ſequi, quòd Angelus ex cognitione diſtincta abſtractiua Deitatis cognoſcat obiecta ſecundaria in illa. Tum, quia Deitas ipſa non poteſt mouere intellectum creatum, nec ad ſui, nec aliorum cognitionem, ſed præcisè mouet intellectum diuinum, vt oſtenſum eſt in primo, & *in quodlib. quæſt.* 14. & per conſequens non videtur ſequi, quòd ex cognitione Deitatis diſtincta ſequatur cognitio creaturarum in ipſa, quæ licèt virtualiter contineantur ibi, non tamen poteſt mouere intellectum creatum reſpectu illarum. Tum, quia ipſa eſſentia diuina reſpectu intellectus creati eſt tantum obiectum voluntarium, tam reſpectu ſui, quàm reſpectu omnium contentorum in ea, & per conſequens non ſequitur quòd cognita Deitate diſtinctè per ſpeciem intelligibilem, quòd cognoſcantur obiecta ſecundaria.

11. Reſpondeo (licèt hæc materia requirat prolixiorem tractatum.) Primò, quòd etſi eſſentia diuina, vt eſſentia, nullum creatum intellectum mouere poſſet, aliquid tamen, quod eſt idem realiter cum eſſentia diuina, poteſt ſupplere vicem ipſius eſſentiæ, non tamen in ratione obiecti intelligibilis; voluntas enim diuina poteſt effectiuè concurrere cum intellectu Angeli ad cognitionem eſſentiæ, & contentorum in ea, ſed non in ratione obiecti, vt actu intellecti, quia voluntas, vt cognita, non eſt ſic ratio cognoſcendi, & de hoc aliqua dixi *in quæſt.* 3. *prologi*. Dico ſecundò, quòd ſicut eſſentia diuina ſi poſſet mouere intellectum creatum ad ſui intuitiuam notitiam de neceſſitate naturæ, moueret etiam ad notitiam omnium contentorum in ea virtualiter, ita ſi ipſa immediatè poſſet cauſare ſpeciem intelligibilem ſui in aliquo intellectu, talis intellectus cum illa ſpecie intelligibili poſſet diſtinctè cognoſcere eſſentiam diuinam abſtractiuè, & omnia virtualiter contenta in ea; ſicut etiam cognoſcens hominem diſtinctè per ſpeciem intelligibilem, poſſet cognoſcere diſtinctè; & abſtractiuè omnes paſſiones virtualiter contentas in eo; cùm ergo voluntas diuina perfectè ſuppleuerit vicem eſſentiæ diuinæ quo ad notitiam ipſius diſtinctam, & abſtractiuam, creando in ipſo Angelo ſpeciem intelligibilem diſtinctè repreſentantem eſſentiam diuinam in ratione obiecti actu intelligibilis, ſequitur quòd ſicut intellectus Angeli per talem ſpeciem potuit diſtinctè cognoſcere eſſentiam diuinam abſtractiuè, quòd etiam potuit cognoſcere per eam ſic cognitam omnes creaturas virtualiter contentas in ea; & ſic patet reſponſio ad difficultatem.

12. ⊙ *Ad rationes pro prima opinione.* Hîc Doctor intendit ſoluere rationes Henrici, quas facit, * probando quòd ipſa Deitas non poſſit diſtinctè cognoſci per aliquam ſpeciem intelligibilem creatam. Ad primam patet reſponſio ad illa verba: *Dico, quòd hîc poteſt intelligi adæquatio ſimpliciter entitatis ad entitatem*, ſicut entitas perfecta vt quatuor, adæquatur entitati perfectæ, vt quatuor; *vel adæquatio ſecundùm proportionem repræſentantis ad repræſentatum abſolutè* ſic, quòd per talem rationem repræſentandi perfectè, & abſolutè repræſentetur entitas ipſius repræſentati, quantùm ipſa eſt abſolutè repræſentabilis, & iſto ſecundo, & primo modo per nihil creatum adæquatè repræſentatur eſſentia diuina, cùm illa ſit tantùm comprehenſibilis ab intellectu ſuo, & per conſequens ipſa eſſentia diuina eſt ſimpliciter ratio repræſentandi ſe intellectui diuino per adæquationem. *Vel tertio modo poteſt intelligi adæquatio ſecundùm proportionem non abſolutè, ſed per comparationem ad actum talem.* Et intelligo ſic, quòd tale repræſentatiuum eo modo repræſentat obiectum, quantùm eſt cognoſcibile à nobis, ſicut patet de ſpecie ſenſibili, quæ repræſentat aliquod album oculo cæcutienti, quia ſicut oculus cæcutiens, non poteſt habere perfectam viſionem ipſius albi, ſed valde imperfectam, ſic talis ſpecies repræſentat, & eſt partialis cauſa talis viſionis imperfectæ. Sic dico in propoſito, quòd licèt ſpecies intelligibilis infuſa à Deo non adæquetur ſibi ſecundùm entitatem, nec ſecundùm proportionem repræſentantis ad repræſentatum abſolutè, vt patet, vt verò comparatur ad intellectum noſtrum quo ad cognitionem abſtractiuam ſpecies intellegibilis tantum repræſentat eam intellectui noſtro, quantum ipſa eſt intelligibilis à nobis, vel ab intellectu Angeli abſtractiuè.

*n.2.

13. *Quomodo finiti ad infinitum nulla ſit proportio.* Et cùm probatur minor per hoc, quòd finiti ad infinitum nulla eſt proportio, concedit Doctor quòd inter ſpeciem intelligibilem, & eſſentiam non eſt aliqua proportio, loquendo de proportione primo, & ſecundo modo: ſed benè poteſt eſſe proportio tertio modo. Patet, quia ſicut actus finitus poteſt habere obiectũ ex parte ſui infinitum, & tamen actus immediatiùs attingit obiectum, quàm ſpecies, patet, quia actus intelligendi immediatè terminatur ad obiectum, ſpecies autem eſt tantùm ratio repræſentandi illud in ratione obiecti intelligibilis: ſicut ergo actus intelligendi attingit infinitum inquantùm infinitum, quamuis ille actus ſit formaliter finitus, ita ſpecies intelligibilis poteſt repræſentare obiectum infinitum ſub ratione infinita, & tamen ipſa non erit adæquata, nec in eſſendo, nec in cognoſcendo ſimpliciter: quia ipſa non eſt principium comprehendẽdi; nam illud quod eſt ratio formalis comprehendẽdi, ſiue cauſandi cognitionem comprehenſiuam obiecti infiniti, de neceſſitate eſt formaliter infinitum. Patet, quia cognitio comprehenſiua obiecti infiniti eſt intenſiuè infinita: quia illa ſola dicitur comprehenſiua, per quam cognoſcitur obiectum quantum eſt cognoſcibile: ſed obiectum infinitum eſt cognoſcibile cognitione infinita; ergo cognitio comprehenſiua obiecti infiniti erit formaliter infinita; ſed talis non poteſt eſſe à cauſa, ſiuè à ratione formali producendi finita.

14. *Nota.* *Ad aliam probationem.* Hîc reſpondet ad illam confirmationem, & dicit, quòd ſimilitudo naturalis non eſt ratio repræſentandi aliud ſimile; non enim album vt octo in Franciſco, repræſentat album vt octo in Ioanne cui eſt perfectè ſimile: ſpecies verò intelligibilis, quamuis ſit minor in entitate obiecto repræſentato, poterit tamen ipſum repræſentare: nam ſpecies ſenſibilis albi vt octo in Ioanne repræſentabit illud album, & tamen in entitate eſt minùs ſimilis ſibi quàm aliud album vt octo; ſic erit in propoſito. Aduerte tamen quòd non ponitur propriè ſpecies intelligibilis vt ſimilitudo obiecti, ſed vt per ipſam poſſit haberi cognitio obiecti, non in ſe, quia talis notitia eſſet intuitiua; ſed vt habet *eſſe* tantùm ſecundùm *quid*, vt patuit in primo, diſt. 3. quæſt. 6.

Terminatio in obiecto poteſt intelligi duobus modis.

r *Ad ſecundum dico.* Hîc Doctor reſpondendo ad ſecundam rationem, dicit in ſententia, quòd Deus eſt determinatus, accipiendo *determinationem*, vt dicit ſingularitatem oppoſitam vniuerſalitati, quia ipſe eſt ſingulariſſimus: & ſic talis ſpecies intelligibilis repræſentat ipſum vt determinatum. Alio modo accipitur determinatum, puta ad certum gradum perfectionis: & hoc modo ſpecies intelligibilis non repræſentat eſſentiam diuinam ſecundùm gradum determinatum perfectionis, imò repræſentat ipſam vt omnino indeterminatam, & illimitatam ſecundùm omnem perfectionem.

15. ſ *Ad tertium dico.* Diſtinguit de imagine, & vult dicere quòd imago propriè dicta, qua cognoſcitur imaginatum, ſiue qua cognoſcitur res, cuius eſt imago, non repræſentat illud, niſi vt cognita, & ſic anima non repræſentat Trinitatem, niſi pro quanto cognoſcitur ipſam eſſe ad imaginem Trinitatis, & ſic per priùs cognoſcuntur extrema, quàm Trinitas cognoſcatur per imaginem: Non enim anima, nec Angelus eſt ratio cognoſcendi ipſam Trinitatem, quia tunc naturaliter poſſet cognoſci ab anima, & Angelo, cuius oppoſitum probat Doctor *in quodli. quæſt.* 14. *art.* 2. nec cognoſcitur ipſa anima, inquantùm imago Trinitatis, niſi præcognoſcatur ipſa Trinitas, quia cognoſcere animam, vel Angelum ſub illa ratione, qua eſt imago Trinitatis, eſt cognoſcere illam ſub illa relatione præcisè, quæ terminatur ad ipſam Trinitatem, quæ relatio non poteſt cognoſci diſtinctè non præcognitis fundamento, & termino, vt patet à Doctore *in prolo. quæſt.* 1. & 3. & *in quodl. quæſt.* 14. *artic.* 3. & ſic patet quomodo imago propriè ſumpta non repræſentat niſi vt cognita. *Species verò intelligibilis ſic repræſentat obiectum, quòd eſt præciſa ratio cognoſcendi illud*, id eſt, quòd eſt ratio formalis cauſãdi cognitionẽ abſtractiuam obiecti, licèt partialis, & ſic non repræſentat illud vt cognita, imò per ipſam priùs cognoſcitur obiectum, quàm ipſa cognoſcatur. Species enim intelligibilis alicuius obiecti poſteriùs cognoſcitur ipſo obiecto; actu enim reflexo ipſa cognoſcitur: & quamuis ipſa ſit entitas abſoluta, & actiua cognitionis, tam reſpectu ſui, quàm obiecti, nunquam tamen poteſt eſſe ratio cognoſcendi ſe, antequam ſit ratio cognoſcendi obiectum: eſt enim talis entitas, quæ ex ſua ratione formali habet vt ſit ratio cognoſcendi per priùs obiectum, cuius eſt, quam poſſit eſſe ratio cognoſcendi ſe. Et quod dicit hîc dẽ imitatione, vide quæ ſuprà expoſui *in primo, diſt.* 3. *q.* 9.

Quomodo relatio poſsit cognoſci.

Et quod etiam dicit, quòd *illa ſimilitudo, quæ eſt imaginis ad Trinitatẽ, cõcurrit ad rationẽ beatificabilis*, hoc debet intelligi de imagine in portione

tione ſuperiori, in qua propriè conſiſtit imago, vt ſuprà patuit *in primo, diſt.3. quæſt.9.* & infrà patebit *in iſto 2.diſt.16.& 24.* Licèt etiam poſſet dici ipſam imaginem eſſe beatificam,etiam quantùm ad portionem inferiorem, in ordine tamen ad ſuperiorem,vt infrà patebit *diſt.24.huius*, Et cùm dicit, quòd *licet ſpecies diuina repræſentet diſtinctiùs eſſentiam diuinam, quàm Angelus, tamen Angelus eſt magis imago.* Vult dicere, quòd quamuis per ſpeciem intelligibilem eſſentiæ diuinæ poſſit Angelus diſtinctiùs cognoſcere eſſentiam diuinam, quàm per naturam ipſius Angeli, quia natura Angeli nunquam poſſet eſſe ratio cognoſcendi eſſentiam diuinam diſtinctè, ſed tantùm confusè, & in conceptu communi; tamen Angelus eſt magis imago, & aliquid ſimile magis in natura habens actus ſimiles illis actibus, qui ponuntur in Trinitate, cui ex hoc, quòd habet tales actus, conuenit eſſe capax iſtius, cuius eſt imago,vt patuit *in primo,diſt.3.quæſt.9.*patebit etiam in iſto 2.diſt.16.& 24.

t *Ad aliud.* Dicit Doctor quòd etſi talis ſpecies ſit ratio diſtinctè cognoſcendi eſſentiam diuinam, non tamen ſequitur quòd ſit ratio diſtinctè cognoſcendi modum eius in ſuppoſitis, & per conſequens non ſequitur,quòd per eam poſſit cognoſcere Trinitatem.

u *Et ſi obiicitur contra iſtud*, quòd aliud eſt loqui de ſuppoſitis, quæ ſunt in natura ex naturali neceſſitate intrinſeca; & aliud eſt loqui de ſuppoſitis,quæ non ſunt ſic intrinſeca, vt ſuppoſita creata.Primo modo,quod eſt ratio cognoſcèdi naturam diſtinctè,erit etiam ratio cognoſcendi ſuppoſita in tali natura: præcipuè cum talia ſuppoſita ſint ibi de neceſſitate naturæ, & eadem realiter,& eſſentialiter tali naturæ,& ſimpliciter in vltima actualitate, vt patuit *in primo, diſt. 2. & diſt. 5. & 26.* Secundo modo non ſequitur, quòd cognoſcens naturam diſtinctè, abſtractiuè tamen, quòd cognoſcat eam in tali, & tali ſuppoſito.

17. *Nota.* *Poſſet dici.* Hìc Doctor videtur concedere, quòd per talem ſpeciem poſſit cognoſcere eſſentiam vt in tribus, & ſic poſſet cognoſcere Trinitatem, tamen illæ cognitio non eſſet merè naturalis, quia talis ſpecies eſſet merè ſupernaturalis, vt ſuprà patuit.

x *Contra iſtud obiicitur.* Hìc arguit, quòd etiam ſequeretur, quòd cognitio Angeli per ſpeciem intelligibilem non eſſet merè naturalis,quia ſpecies intelligibiles quiditatum concreatæ fuerunt,& datæ Angelo ſupernaturaliter.

Poſſet dici. Hìc Doctor dicit, quòd etſi de facto talis cognitio, quæ eſt à tali ſpecie concreata poſſet dici ſupernaturalis, tamen non dicitur merè ſupernaturalis, quia Angelus potuiſſet naturaliter acquirere ſpecies omnium quiditatum, vt infrà patebit præſenti diſt.q.vlt.

æquiuocatio de imagine. y *Ad vltimũ dico,*&c.Sequitur *& tunc oportet dicere, quòd viſio eſt naturalis vno modo*, quia ab intellectu, & tali ſpecie agentibus naturaliter,& non naturalis alio modo, quia illa ſpecies erit merè ſupernaturalis.

z *Ad aliud pro opinione ſecunda. Dico*, &c. Sequitur, *oportet ponere aliam præſuppoſitam diſcurſui ab ipſa*: patet, quia cognitio diſcurſiua præſupponit cognitionem extremorum, inter quæ eſt diſcurſus, vt *in primo, diſt.3. quæſt.1. & diſt.8.quæſt.1.* Cùm ergo ab imagine; vt cognita, diſcurrimus ad rem, cuius eſt imago, ſequitur quòd ipſa imago,vt imago,priùs erit cognita: & ſimiliter res cuius eſt imago, & ſic in tali priori oportet ponere aliquid,quod ſit ratio cognoſcèdi ipſam Trinitatem,& illud non videtur poſſe poni niſi ſpecies intelligibilis,de qua ſuprà dictum eſt.

Ad argumentum principale reſpondet Doctor primò, quòd notitia per talem ſpeciem erit vno modo naturalis,& alio modo non,vt ſuprà patuit. Deinde concedit quòd eſſentia diuina poſſet immediatè cauſare illum actum, quem cauſat ſpecies,non tamen iſte actus eſt in poteſtate Angeli, ſicut nec ipſa cauſa cauſans ipſum. Et ſi quandoque ceſſaret ab actu, non poſſet ipſum actum iterum habere, niſi ab eſſentia illa cauſante illum actum, quod non eſſet in poteſtate ipſius Angeli; vt igitur iſte actus ſit perpetuus, & in poteſtate operantis, ponitur ſpecies formaliter in tali operante.

18. *Tho Caiet. nititur ſoluere rationes Scoti ad probandum ſpeciem intelligibilem.* Quidam nouus expoſitor primæ partis S.Thomæ, *quæſt.57.art.1.* nititur ſoluere rationes, quas facit Doctor ad probandum ſpeciem intelligibilem.Et primò dicit ſic ad litteram.Ad euidentiam huius difficultatis in hoc,an ſi ponenda ſit aliqua ſpecies intelligibilis ipſius Dei, an ipſa eſſentia ſubſtantiæ intellectualis locum ſpeciei intelligibilis repræſentantis Deum tali intellectui ſufficienter ſuppleat.

Primò videndum eſt quid requiritur ad diſtinctè repræſentare aliquid.

Secundò, An ſit poſſibile dari repræſentatiuũ Dei diſtinctè in *eſſe* naturali,vel intentionali.

Quo ad primum,breuiter ſciendum eſt, quòd repræſentari diſtinctè non dicitur res, niſi repræſentetur illa conditio, qua formaliter conſtituitur in ſuo proprio,& eſſentiali *eſſe*, vt patet inductiuè:non enim homo diſtinctè repræſentatur, niſi rationali repræſentato,ſuppoſito,quod rationale ſit propria,& eſſentialis differentia hominis, & ſimiliter albedo diſtinctè non repræſentatur, niſi vltima ſua differentia repræſentetur. Vnde Deus non diſtinctè repræſentabitur, niſi repræſentetur quod ſe habet ad ipſum, quaſi eſſentialis, & propria differentia conſtituitiua eius, in hoc quod eſt eſſe Deum,hæc de primo.

19. *An ſit poſſibile dari repræſentatiuum Dei diſtinctè.* Quo ad ſecundum ex parte repræſentatiui, ſciendum eſt, quòd quantum contingit eſſe repræſentatiuum, tantam contingit eſſe cognitionem;& propterea à deſtructione conſequentis arguendo, ſi non contingit tantam eſſe cognitionem,nec poſſibile erit eſſe tantum repræſentatiuum.Sed impoſſibile eſt dari naturaliter tantam cognitionem Dei in creatura,ſcilicet quæ ſit eius cognitio diſtincta,ergo impoſſibile eſt dari repræſentatiuũ Dei diſtinctè:quòd autẽ talis cognitio ſit impoſſibilis probatur ex eo,quòd cognoſcere diſtinctè,eſt cognoſcere vltimam differentiam, vel id,quod ſe habet vt vltima differentia. Cognoſcens autem vſque ad vltimam differentiam incluſiuè, non ſolùm ſecundùm quòd terminat quæſtionem *an eſt*, ſeu *quia eſt*: ſed ſecundùm quòd terminat quæſtionem *quid eſt*, cognoſcit ſufficienter ex natura rei à priori omnia conuenientia illi rei, quoniam ſermo definitiuus ſoluit omnes difficultates,& principium omnis differentiationis eſt, *quod quid eſt*,quod nulli creaturæ conuenire poteſt reſpectu Dei de tali obiecto, quod eſt Deus. Ex parte verò obiecti, aduertendum eſt, quòd ſi de diuinis balbutiendo loqui licèt, irrepræſentabilitas eius relucet ex eo,quòd infinitum entitatiuè,vt ſic,non eſt diſtinctè

ctè repræſentabile. Vnde quamuis ſapientia diuina poſſit repræſentari per aliquod creatum diſtinctè, non tamen diſtinctè repræſentatur inquantùm infinita, niſi quo ad quæſtionem, *an eſt*: ſed conſtitutiuum proprium Dei, puta Deitas, vt ſic, eſt ens infinitum: ergo eſt irrepræſentabile diſtinctè. Patet minor, quia non eſt imaginandum, quòd infinitas ſe habeat ad Deitatem, quemadmodum ſe habet ad rationes attributales. Non enim quemadmodum ſapientia, & bonitas ſunt quædam rationes formales, ſeu realitates ſecundum ſe, & infinitatem, vel finitatem ſortiuntur vt modum quantitatis perfectionalis, ita Deitas ſortitur infinitatem: ſed infinitas eſt ipſum, *quod quid erat eſſe* Deitatis, alioquin Deus non eſſet primò, & eſſentialiter, & intrinſecè ens infinitum.

20. Ex his autem patet quid dicendum ſit ad primam obiectionem. Nam vocando omnem cognitionem rei citra quiditatiuam, cognitionem confuſam, conceditur quòd omnis cognitio poſſibilis haberi de Deo à creatura naturaliter eſt confuſa, quia non quiditatiua.

Ad ſecundam verò obiectionem, quæ eſt Scoti, dicitur, quòd maior eſt ſimpliciter falſa, vt patet de cognitione Socratis per ſpeciem eius in ſpeculo. Talis enim fit per ſimilitudinem repræſentantem vt cognitam, & tamen non eſt diſcurſiua. Nec obſtat, ſi dicatur, quòd Socrates tunc non apprehenditur ab eadem potentia, ſcilicet viſiua, ſed per accidens ab altiori potentia, quemadmodum videntes Socratem dicuntur videre vnum: hæc enim magis facit ad propoſitum, quoniam ex hoc non impeditur reſponſio data, ſiue per ſe, ſiue per accidens, ſiue per eandem potentiam, ſiue per diuerſam, ſatis eſt quòd cognoſcens per ſimilitudinem vt cognitam, non oportet quòd diſcurrat. Hoc enim firmato, facillimè patet quomodo Angelus abſque diſcurſu per eſſentiam ſuam cognoſcere poteſt Deum ex illo principio, *Quæ ſunt diuiſa, & diſperſa in inferioribus, vnitè apprehenduntur in vno ſuperioris ordinis.* Et propterea quemadmodum Angelus per vnam virtutem cognoſcitiuam percipit nobiliori modo, quicquid nos per tot virtutes cognoſcitiuas apprehendimus, & inueſtigamus, ita per vnam virtutem, & vnam ſpeciem, eminentiùs poteſt habere quod nobis conuenit per diuerſas potentias, & ſpecies ſe conſequentes, ac per hoc poterit per ſpeciem repræſentantem vt cognitam, eminentiùs repræſentati cognitionem elicere abſque diſcurſu per eandem virtutem, abſque ſpecie alia, ſicut nos abſque diſcurſu, per conſequentem tamen ſpeciem, & potentiam facimus.

21. Dicitur ſecundò, quòd ſimilitudo repræſentantis vt cognita, eſt duplex, quædam vt cognita tantùm; quædam vt cognita, & ratio cognoſcendi ſimul, vt patet de eſſentia diuina reſpectu omnium ſimpliciter. Et tunc dico, quòd quicquid ſit de repræſentante primo modo, falſa eſt maior de repræſentante ſecundo modo, & quòd eſſentia Angeli tali modo repræſentat ex ſua excellentia, vnde & S. Thomas *in corpore artic.* dicit, quòd cognitio iſta aſſimilatur cognitioni per ſpeciem impreſſam ab obiecto immediatè repræſentantem tamen imperfectè. Nec obſtat, quòd eſſentia Angeli non continet Deum virtualiter: ſufficit enim quòd contineat ipſum participatiuè.

Vide D. Tho.

Ad obiectiones autem tertio loco adductas ex Scoto, dicitur, quòd nec homo, nec Angelus in quocunque ſtatu naturæ, potuit habere cognitionem diſtinctam, id eſt, quiditatiuam ipſius Dei, quamuis in latitudine cognitionis non quiditatiuè perfectiùs homo cognouerit in ſtatu innocentiæ, quàm nunc, & perfectiùs Angeli, quàm homo, & inter eos vnus perfectiùs altero. Sed arguens decipitur in hoc, quia præſupponit, quòd cognitio Dei non in communi, ſed in ſpeciali ſit cognitio quiditatiua, quam negamus ab Angelis, cùm tamen conſtet, quòd ſtat cognoſcere aliquid in ſpeciali, & non quiditatiuè.

Ad id verò, quod obiicitur de memoria rapti, dicitur à ſancto Thoma expreſsè, quòd non potuit remanere ſpecies obiecti, quamuis potuerit accipere ſpecies rerum viſarum in obiecto. Vnde & Paulus non meminit obiecti, niſi in confuſo, & quia fuit, ſed rerum viſarum, propter quod dixit in numero plurali, *arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Ad vltimum de cognitione matutina, dicitur negando, quòd cognitio matutina fuerit in Angelis ante beatitudinem: quamuis etiam conſequentia non videatur neceſſaria, quia non eſt notum, quòd in cauſa non quiditatiuè cognita aliqui effectus ordinati cognoſcuntur diſtinctè, quamuis impoſſibile ſit in tali cognitione cognoſcere omnes effectus, hæc ille.

22. *Improbantur ſolutiones Thom. Caiet. ad rationes Scoti.*

Contra iſtum nouum expoſitorem inſtatur multipliciter. Et primò contra aliqua eius dicta: cùm enim dicit, quòd cognoſcens aliquid quiditatiuè, cognoſcit omnia conuenientia illi rei, quoniam ſermo definitiuus ſoluit omnes difficultates. Contrà. Stat enim, quòd aliquid cognoſcatur quiditatiuè, diſtinctè, & perfectè, & quòd tamen non cognoſcantur omnia, quæ etiam realiter conueniunt tali quiditati: patet, quia certum eſt etiam apud Tho. quòd Angelus cognouit ſe quiditatiuè per eſſentiam ſuam, & tamen non cognouit naturaliter relationem dependentiæ ad ipſum Deum, quæ ponitur realiter idem ipſi Angelo, quia talis relatio non poteſt diſtinctè cognoſci, niſi diſtinctè cognoſcatur terminus illius, cùm cognitio eius diſtincta dependeat à diſtincta cognitione fundamenti, & termini: ſed talis relatio terminatur ad Deum, vt hæc eſſentia: patet. Tum, quia ratio formalis creandi eſt etiam ratio formalis terminandi, vt patet à Doctore *in quodlib. quæſt.* 8. ſed Deus ſub ratione propria quiditatiua eſt ſimpliciter ratio formalis creandi; ergo etiam erit ratio formalis terminandi dependentiam ipſius creaturæ. Tum etiam, quia quæro de illa dependentia ad quid terminatur immediatè? aut enim terminatur ad Deum, vt hæc eſſentia, & per conſequens ſub ratione Deitatis, & quiditatiua, & tunc habetur intentum: aut terminatur ad Deum ſub aliqua ratione confuſa, licèt ſpeciali, aſſignetur illa. Et non poterit aſſignari, quia ſicut ratione ſuæ infinitatis creat Angelum, ita ſub ratione ſuæ infinitatis terminat, ſed infinitas eſt ratio quiditatiua ipſius Dei, ergo.

Ratio formalis creandi eſt etiam ratio formalis terminandi.

Prætereà, ſtat aliquem intellectum diſtinctè cognoſcere aliquam naturam quiditatiuè, & tamen non ſequitur ipſum poſſe cognoſcere omnia conuenientia tali naturæ: patet, quia non cognoſcit ipſam in omni ſuppoſito, in quo nata eſt eſſe: benè verum eſt, quòd cognoſcens aliquid quiditatiuè, per illud ſic cognitum, poteſt cognoſcere omnes proprietates naturaliter,

liter, & conuertibiliter conuenientes tali naturæ.

Dico etiam, quòd aliud eſt loqui de obiecto naturaliter motiuo intellectus; & aliud eſt loqui de obiecto tantùm voluntariè motiuo. Primo modo tale obiectum eſt neceſſariò cauſa cauſandi cognitionem ſui, & omnium virtualiter contentorum in eo, quia tale obiectum agit inquantùm poteſt, & ſic cognoſcens illud quiditatiuè, poterit etiam cognoſcere omnia alia, quæ conueniunt tali obiecto, quorum tamen cognitio præcisè dependet à tali obiecto. Sed loquendo de obiecto voluntario, & voluntariè mouente intellectum ad ſui, & aliorum conuenientium ſibi cognitionem, tale obiectum poteſt cauſare diſtinctam cognitionem ſui quiditatiuam, non cauſando cognitionem alicuius proprietatis.

Cùm ergo Deus ſit obiectum merè voluntarium reſpectu intellectus creati, poterit cauſare cognitionem ſuæ quiditatis diſtinctam, non cauſando cognitionem proprietatum conuenientium ſibi, & ſic aliquis poſſet videre Deum ſub ratione Deitatis, & quiditatiua, non videndo ipſum in perſonis, vt patet à Doctore *in primo, diſt. prima, quæſt.* 2.

24. *Diligenter conſidera hæc omnia.*

Dico vltrà, quòd ſicut obiectum naturaliter mouens intellectum cauſat ſpeciem intelligibilem perfectam quantùm poteſt, cùm ſit cauſa naturalis, quæ erit ratio non tantùm cognoſcendi ipſum quiditatiuè, ſed etiam erit ratio cognoſcendi omnia, quorum cognitio merè dependet ab obiecto vel à tali ſpecie: & ſic habens ſpeciem intelligibilem hominis, cauſatam ab ipſo homine, per illam poterit cognoſcere ipſum hominem, & proprietates virtualiter contentas in eo: niſi dicatur quòd reſpectu hominis & reſpectu alterius, & alterius proprietatis erit alia & alia ſpecies intelligibilis, quæ tamen omnes dependent ab ipſo nomine: & tunc oportebit dicere quòd ipſe homo ſi eſt perfectè præſens intellectui, neceſſariò cauſabit ſpeciem intelligibilem ſui, & omnium virtualiter contentorum, licèt per prius cauſet ſpeciem intelligibilem ſuæ quiditatis; ſed non eſt ſic de obiecto voluntario, quale eſt Deus: poteſt enim Deus cauſare in intellectu Angeli vnam ſpeciem intelligibilem, quæ erit præciſa ratio cognoſcendi ipſum Deum quiditatiuè. Poterit etiam cauſare aliam ſpeciem intelligibilem in alio Angelo, quæ erit ratio cognoſcendi Deum quiditatiuè, & omnem proprietatem. Vel ſi teneatur quòd per vnam ſpeciem cognoſcatur quiditas Dei, & per aliam, & aliam alia proprietas, tunc dico quòd poterit cauſare vnam ſpeciem intelligibilem, quæ præcisè erit ratio cognoſcendi Deum quiditatiuè, non cauſando aliam ſpeciem intelligibilem reſpectu proprietatis, & patet hoc per argumentum à fortiori, quia ſicut Deus poteſt ſe facere præſentem intellectui creato in ratione obiecti actu intelligibilis intuitiuè, non faciendo ſe præſentem tali intellectui vt in tribus perſonis, vt patuit *in primo, d. prima quæſt.* 2. multò fortiùs poterit cauſare ſpeciem intelligibilem, quæ ſit ratio cognoſcendi ipſum quiditatiuè abſtractiuè, & nullo modo ſit ratio cognoſcendi ipſum vt in tribus perſonis. Hoc etiam patet, quia ſi Deus, vt in ſe præſens intellectui creato, poteſt cauſare viſionem ſui intenſam, & remiſſam, multò fortiùs poterit cauſare ſpeciem intelligibilem, quæ ſit præciſa ratio cognoſcendi ipſum quiditatiuè, licèt remiſsè. Ex his ergo patet quomodo ſtat aliquid cognoſci quiditatiuè, & tamen ipſum non cognoſci ſecundùm omnem proprietatem.

25. *An Deus poſſit cauſare ſpeciē intelligibilem.*

Secundò principaliter inſtatur contra aliud dictum, videlicet quòd Deus non poteſt cauſare ſpeciem intelligibilem, per quam cognoſcatur quiditatiuè, & ſecundùm vltimam differentiam, arguitur ſic: poteſt immediatè cauſare cognitionem diſtinctam ſui in aliquo intellectu & abſtractiuam, per quam cognoſcatur quiditatiuè, & etiam inquantùm eſt trinus & vnus; ergo multò fortiùs poterit cauſare ſpeciem intelligibilem, per quam quiditatiuè & perfectè cognoſcatur, etiam ſecundùm omnem eius proprietatem. Antecedens patet, quia poteſt ſtatim illuminare intellectum creatum, de omnibus articulis fidei, ita quòd in tali intellectu poteſt immediatè cauſare notitiam diſtinctam omnium articulorum. Conſequentia patet, quia ſi eſſentia Angeli, cùm ſit obiectum naturaliter mouens, poteſt in aliquo intellectu cauſare notitiam ſui diſtinctam, & etiam ſpeciem intelligibilem, quæ ſit ratio cognoſcendi ipſum diſtinctè abſtractiuè, multò fortiùs poterit Deus, cùm ſit obiectum merè voluntarium.

Præterea, aliud eſt cognoſcere Deum quantùm eſt cognoſcibile, & cognoſcere perfectè & quiditatiuè. Primo enim modo attenditur cognitio quātùm ad eius intenſionem, & ſic cognoſcēs Deum, quantùm eſt cognoſcibilis, cognoſceret ipſum cognitione infinitè intenſiua, cùm ſit cognoſcibilis infinitè: & talis cognitio repugnat creaturæ. Secundo modo eſt ipſum cognoſcere diſtinctè ſecundùm totam eius quiditatem, etiamſi talis cognitio eſſet valde remiſſa. Sic dico in propoſito, quòd ſicut poterit cauſare in intellectu creato viſionem ſui intenſam & remiſſam, & cognitionem ſui diſtinctam, & abſtractiuam, intenſam, & remiſſam, quare etiam non poterit cauſare ſpeciem intelligibilem, quæ ſit ratio cognoſcendi ipſum diſtinctè, abſtractiuè tamen? & ſic nullum apparet inconueniens dare ſupernaturaliter aliquid repræſentatiuum, quod ſit ratio cognoſcendi Deum abſtractiuè, diſtinctè, & quiditatiuè, quod etiam ſit ratio cognoſcendi omnem proprietatem demonſtrabilem de illo. *Nota.*

Cùm dicit ad primam rationem Doctoris quæ elicitur in præſenti quæſtione, quòd iſta propoſitio eſt falſa, ſcilicet cognitio per ſpeciem, vt cognitam, eſt diſcurſiua, puta cognoſcens Deum per imaginem, vt cognitam, illa cognitio erit diſcurſiua: licèt Doctor hoc expreſsè non dicat, videlicet, quòd cognitio per ſpeciem intelligibilem, vt cognitam, ſit diſcurſiua, ſed tantùm dicit quòd cognitio diſcurſiua qua Deus cognoſcitur per Angelum, præſupponit ſpeciem intelligibilem de ipſo Deo, quia cognitio diſcurſiua, qua ab vno diſcurritur ad aliud, neceſſariò præſupponit cognitionem extremorum, vt patet. Si ergo per eſſentiam Angeli cognitam, cognoſcitur ipſe Deus, talis cognitio erit diſcurſiua, & præſupponit cognitionem ipſius Dei abſtractiuam, & per conſequens ſpeciem intelligibilem, per quam eſt talis cognitio: patet etiam hoc de ſpecie intelligibili, vt cognita. Aliud eſt enim A cognoſcere per ſpeciem intelligibilem, vt ratione cognoſcendi; & aliud eſt ipſum cognoſcere per ſpeciem 26. *Quomodo datur ſpecies intelligibilis?*

ciom intelligibilem, vt cognitam. Primo modo ponitur præciſa ratio cognoſcendi ipſum *A*, ſed ſecundo modo, ponitur vt principium diſcurſus: ſicut diſcurrens à præmiſſis ad concluſionem, neceſſariò cognoſcit terminos concluſionis. Et quòd dicit iſte, quòd propoſitio Doctoris eſt manifeſtè falſa, & adducit inſtantiam de cognitione Socratis per ſpeciem eius in ſpeculo, dicens quòd talis cognitio fit per ſimilitudinem repræſentantem vt cognitam, & tamen non eſt diſcurſiua. Dico primò quòd hoc non eſt ſimile. Tum, quia Socrates tunc non apprehenditur ab eadem potentia viſiua, ſed per accidens ab altiori potentia. Tum etiam, quia fortè ſpecies in ſpeculo non eſt ratio cognoſcendi vt cognita. Poſito etiam quòd ſit ratio cognoſcendi, vt cognita, adhuc dico quòd cognitio Socratis per talem ſpeciem, vt cognitam, erit diſcurſiua; oportet enim priùs ſcire, quòd talis ſpecies ſit Socratis, & per conſequens, oportet prius præcognoſcere Socratem, & ſic cognoſcere Socratem per talem ſpeciem, vt cognitam, eſt diſcurrere à tali ſpecie, vt cognita ad ipſum Socratem prius tamen cognitum.

Similitudo vt cognita eſt duplex.

Cùm etiam dicit, quòd ſimilitudo repræſentans vt cognita eſt duplex, quædam vt cognita tantùm, quædam vt cognita, & ratio cognoſcendi ſimul. Secundo modo falſa eſt illa propoſitio, quòd cognoſcens per ſimilitudinem, vt cognitam diſcurrat. Dico quòd hæc reſponſio nulla eſt, ſiue ſit ratio cognoſcendi, ſiue non, non curo; ſufficit enim hoc, quòd omnis cognitio de aliquo habita per ſpeciem, vt cognitam, ſit diſcurſiua, imò fortè erit argumentum à fortiori, quia ſi per *A* vt cognitum, quod tamen vt cognitum, non eſt ratio formalis cognoſcendi *B*, cognoſcitur ipſum *B*. diſcurſiuè, multò fortiùs per *A* vt cognitum, quod vt ſic eſt ratio cognoſcendi *B* cognoſcitur ipſum *B* diſcurſiuè, niſi fortè dicatur, quòd *A* vt cognitum eſt ratio cognoſcendi *B*. loquendo de prima cognitione ipſius *B*. ſed hoc non videtur, quia ſpecies intelligibilis præcisè ponitur ratio cognoſcendi, vt talis ſpecies, & non vt cognita: ſicut etiam patet de ſpecie coloris exiſtente in oculo, quæ vt talis ſpecies, eſt ratio formalis videndi colorem, & non vt viſa. Et cùm dicit, quod eſſentia diuina vt cognita eſt ratio cognoſcendi omnia, patet hoc eſſe falſum de intellectu diuino, quia eſſentia reſpectu intellectus diuini eſt ſimpliciter ratio cognoſcendi omnia, & non vt cognita; ſi enim vt priùs cognita eſſet ratio cognoſcendi alia ipſi intellectui diuino, tunc intellectus diuinus diſcurreret, vt poſſet deduci ex his, quæ notaui ſuper quæſt. 3. prolo. Quòd autem eſſentia diuina ſit ſimpliciter ratio cognoſcendi omnia vt eſſentia ipſi intellectui diuino, patet à Doctore *quæſt. 3. prologi & 39. diſtin. primi, & in quodlib. quæſt. 14.*

27 *Quomodo Angelus cognouerit Deum.*

Cùm vltimo loco reſpondet ad illas tres rationes, quas Doctor facit de ſpecie intelligibili, cùm dicit primò, quòd Angelus perfectiùs cognouit Deum, confuſè tamen, eſſet quærendum ab eo, in quo conceptu confuſo eſt cognoſcens, per quem diſtinguitur ab ipſo homine: aut enim talis cognitio terminatur ad Deum ſub ratione Deitatis, loquendo de cognitione abſtractiua, & habetur propoſitum; aut immediatè terminatur ad aliquid, in quo Deus confuſè concipitur, & tunc aſſignetur illud; aut erit conceptus entis; aut alicuius tranſcendentis; aut conceptus alicuius attributi naturaliter noti, quicunque talis aſſignetur etiam à Philoſopho haberi potuit, licèt fortè non ita intensè. Si enim beatitudo naturalis ipſius Angeli etiam incomparabiliter excedit naturalem beatitudinem, etiam peritiſſimorum Philoſophorum, oportet ponere illam in cognitione diſtincta Deitatis.

Quomodo Paulus recordabatur.

Et quod dicit de memoria rapti, &c. adhuc magis eſt falſum, quia ex quo Paulus clare vidit Deitatem, & cùm poſtea dixit *raptus*, &c. vidit *arcana Dei*, &c. ſequitur de facto, quòd recordabatur viſorum, quod non potuit eſſe niſi per ſpeciem intelligibilem eorum, vt ſuprà expoſui. Nec valet exponere ipſum, quòd loquitur de quiditatibus viſis in eſſentia, quia hæc expoſitio videtur omnino repugnare ſenſui literæ, quia ſicut Paulus raptus fuit ad viſionem Dei, & diuinarum perſonarum, ita poſt raptum de eis recordabatur.

QVÆSTIO X.

Vtrum, vt Angelus cognoſcat quiditates creatas alias à ſe, requiratur neceſſariò vt habeat proprias diſtinctas rationes cognoſcendi eas?

Alenſis 2. *p. quæſt.* 24 *m.* 2. 3. D. Thom. 1. *p. quæſt.* 55. 2. & 3. D. Bonau. *hîc a.* 2. *q.* 1. Richard. *a.* 6. *q.* 2. Ægid. *p.* 2. *a.* 1. Duran. *hîc quæſt.* 6. Gab. *quæſt.* 2. *art.* 2. Occam *quæſt.* 15. Greg. 2. *diſt.* 7. *quæſt.* 5. *art.* 1. Vaſq. 1. *p. d.* 200. Bacon. 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 1.

1. TErtiò quæro de cognitione Angeli reſpectu cognitorum aliorum à ſe, Vtrùm ad hoc quòd Angelus cognoſcat quiditates creatas alias à ſe, requiratur neceſſariò quòd habeat proprias, & diſtinctas rationes cognoſcendi eas?

Quòd non 8. Metaphyſicæ, *formæ ſe habent ſicut numeri*: igitur perfectior includit virtualiter imperfectiorem: & per conſequens erit ſufficiens ratio cognoſcendi eam, ſicut maior numerus eſt ratio cognoſcendi minorem. Confirmatur per Philoſophum 2. de Anima, vbi vult, quòd ſenſitiua eſt in intellectiua, ſicut trigonum in tetragono *Tex. 30.* *Tex. 31.*

tetragono,& talis videtur eſſe ordo formarum ordinatarum in vniuerſo : tetragonum autem poteſt eſſe ſufficiens ratio cognoſcendi trigonum:igitur,&c.

Arg.2. Item res materialis perfectior eſt ſua ſpecie,quia iſtaad rem materialem, cuius eſt, habet habitudinem menſurati ad menſuram : ſed menſuratum eſt naturaliter poſterius & imperfectius ſua menſura: nihil autem imperfectius re materiali, videtur perfectio rei immaterialis: igitur nulla ſpecies rei materialis, erit intellectui Angeli propria ratio cognoſcendi : ſed illud quod eſt ei ratio intelligendi quodcunque intelligibile, eſt ei perfectio naturalis, vel inquantùm intellectualis eſt : igitur,&c.

Arg.3. Item Angelus intelligit ſe per eſſentiam ſuam, *ex prima quæſt.* igitur & alia. Conſequentia patet, quia eodem modo eſt quiditas eius intelligibilis, ſicut aliæ quiditates creatæ ſunt intelligibiles : igitur ſi alicui intellectui eſſentia ipſius eſt immediata ratio cognoſcendi ſeipſam, pari ratione quiditas alterius, erit ratio cognoſcendi ſe:& ita non erunt propriæ rationes reſpectu quiditatum propriarum aliæ ab ipſis. 2.

Arg.4. Item, ex prima propoſitione de Cauſis : omnis cauſa primaria plus influit in cauſatum, quàm cauſa ſecunda : igitur. Confirmatur, quia intellectus humanus perſpicacior, plura intelligit in vna ratione intelligendi, vel cognoſcendi, quàm minùs perſpicax : igitur ita videtur intellectus Angelicus, propter maiorem perfectionem intellectualitatis ſuæ, quòd poſſit plura intelligere diſtinctè, per vnam rationem.

Ratio ad oppoſ. Contrà: intellectus diuinus, ſecundùm multos, plura intelligit diſtinctè per plures rationes reſpectu plurium intelligibilium : & propter hoc ponitur ab aliquibus idearum neceſſitas : & intellectus noſter præcisè intelligit plura per plures rationes : igitur hoc, quod eſt habere plures rationes reſpectu plurium intelligibilium, nec eſt ex imperfectione intellectus, quia conuenit ſupremo ; nec ex perfectione intellectus, quia conuenit infimo : igitur eſt abſoluta perfectio intellectus in ſe.

SCHOLIVM.

Sententia Henrici de qua quæſt.8. num.3. & 1.diſtinct.3.quæſt.6.eſt, Angelum cognoſcere creaturas per habitum ipſi inditum, includentem eſſentialiter relationem ad omne intelligibile per eum : & explicat quomodo ſecundùm Henricum talis habitus reducit intellectum in actum ſecundum,ponítque pro Henrico 5.rationes.

Opinio. Henr. quodl.5. q.14. vide Var.q. præſenti. Vt inquit Ari.5. Metaph. tex.10. al aliud.

HIc dicitur [a] quòd Angelus omnes quiditates cognoſcit per vnum habitum ſcientialem. Modus ponendi eſt iſte, quòd licèt habitus ſit in intellectu ſicut forma in ſubiecto,ſiue impreſſiuè : tamen obiectum quod reſplendet in ipſo habitu non eſt niſi obiectiuè. 3.

Et ſi quæratur, [b] qualiter per habitum poſſit obiectum eſſe præſens tanquam reſplendens? Dicitur, quòd habitus ſcientiales, licèt ſint habitus de prima ſpecie Qualitatis : tamen ſuper ipſam ſcientiam fundatur reſpectus eſſentialis ad ſcibile, qui ab ea abſolui non poteſt, tanquam ad * aliquid, à quo in eſſentia & *eſſe* ſuo dependet: ita quòd intellectus capere eam non poteſt, niſi capiendo ſcibile, reſpectu cuius eſt, propter naturalem colligantiam correlationis, quam habet ad illud : & licèt ibi ſit diuinitùs indita, [c] non minùs habet reſpectum illum eſſentialem ad ſcibile : ita quòd ex natura habitus ſcientialis reſplendet ſemper ſcibile ab eo cuius eſt in ipſo intellectu, multò naturaliùs quàm poſſibile eſſet fieri per ſpeciem, quantò eſſentialiùs dependet ſcientia à ſcibili, quàm ſpecies à re, à qua habet cauſari.

Et ſi quæratur [d] quomodo per vnum habitum ſunt plura obiecta præſentia. Reſpondetur quòd vnicus habitus ſcientiæ continet virtualiter multa intelligibilia,circa quæ eſt ſcientia ; & tantò magis actualiter, quantò ſimplicior eſt : ita quòd ſi eſſent infinitæ ſpecies creaturarum, ille vnus habitus ſufficeret ad intelligendum omnia illa, etiam in infinitum procedendo vnam poſt aliam, & hoc tantò faciliùs & limpidiùs ſingula intelligendo, quantò habitus fuerit magis indeterminatus : & minùs determinatus in natura & eſſentia ſua, ſecundùm quòd Angeli ſuperiores ponuntur intelligere per habitus vniuerſaliores & ſimpliciores, quàm inferiores.

Si

4. Si autem quæratur, quomodo iſte habitus reducit intellectum Angeli de potentia intelligendi ad actum intelligendi? Dicitur, quòd intellectus Angeli habitu illo ſibi concreato, naturaliter inclinatur ad intelligendum rerum ſimpliciũ quiditates: quemadmodum graue non impeditum ſtatim ſua grauitate inclinatur deorſum; & tantò magis inclinatur ille habitu naturaliter ad intelligendum hoc quàm illud, quantò ille habitus eſſentialiùs ordinatur ad vnum, quàm ad aliud, vt ad intellectionem ſuiipſius, vel creaturæ magis perfectæ, quæ habet plus intelligibilitatis: & tunc cùm intellectus ſit factus in actu primo ad intelligendum primum, libero arbitrio voluntatis ex habitu diſcurrit ad ſingula tam complexa quàm incomplexa cognoſcenda; diſcurſu dico cognoſcendo hoc poſt hoc, non cognoſcendo hoc ex hoc: & ſecundùm quod ex imperio voluntatis ad aliquid tendit determinatè, ad illud idem habitus inclinat determinatè: Habitus enim determinatè mouet ad aliquid, ſecundùm quod impellitur erga illud ex imperio voluntatis.

Quomodo ſecundum Henr. habitus reducit intellectum ad actum?

5. Pro iſta opinione ex dictis ſic opinantis poſſunt elici quinque rationes: quarum Prima eſt, quia ſecundùm Philoſophum *ſecundo Ethicorum*; in anima non ſunt niſi tria, potentia, habitus, & paſſio: ſed ratio intelligendi in Angelo, non poteſt eſſe ſola potentia ſua: quia aliquid ſic naturale eſſet ſufficiens principium repræſentandi omnia intelligibilia; nec paſſio; certum eſt: ergo, & cætera.

C. 5. In anima ſecundum Phil. ſunt tantũ tria, potentia, paſſio, habitus.

Secunda talis eſt, in intellectu non habente habitum, poteſt generari habitus per frequentes actus elicitos: ergo ſi Angelo non eſſet concreatus habitus ſcientialis ad cognoſcendum, poſſet in ſe generare talem habitum, & ſic eſſet in potentia eſſentiali ad actum, non ſolùm ſecundum, ſed primum, ſicut intellectus noſter: quod eſt inconueniens.

Tertiò, quia dicit Dionyſius *de Diuinis nomin. cap. 7.* quòd connexio vniuerſi conſiſtit in hoc, quòd ſupremum inferioris, coniungitur cum infimo ſuperioris: ſed ſupremum in cognitione humana eſt quod promptè cognoſcat per habitum ſcientia em huius: ergo hæc cognitio ponenda eſt in Angelo.

Connexio vniuerſi iuxta D. Dionyſ.

Quartò, ſi nulla eſſet ratio niſi quòd ſpecies ſine habitu non ſufficit ad perfectam cognitionem, & habitus perfectus ſine ſpecie ſufficit: fruſtrà ponitur ſpecies propter actum intelligendi.

Quintò, in voluntate non ponuntur aliqua plura, vt principia volendi diuerſa obiecta: igitur nec in intellectu ponuntur diuerſa principia intelligendi: ſed ſufficit vnus habitus, in intellectu perfecto ad repræſentandum quæcunque ſibi natura iter cognoſcibilia.

COMMENTARIVS.

1. a *Hic dicitur.* Doctor in iſta quæſtione, Primò recitat duas opiniones. Secundò improbat eas, & tertiò ad quæſtionem reſpondet. Circa primum eſt primò vna opinio Henrici, *quodlib. 5. quæſt. 14.* quæ opinio in ſententia ſtat in hoc, quòd in Angelo, puta Gabriele eſt tantùm vnus habitus numero concreatus ſibi, qui eſt ratio repræſentandi omnes quiditates creatas alias ab ipſo, & hoc in ratione obiectorum actu intelligibilium, eſt etiam ratio cauſandi ſaltem partialiter illarum quiditatum cognitionem.

Opinio Henrici.

Expoſitio litera. Expono tamen literam, quia eſt aliqualiter difficilis. Cùm dicit; *Modus ponendi eſt iſte, quòd licèt habitus ſit in intellectu*, &c. id eſt, quòd quamuis iſte habitus, qui ponitur ratio repræſentandi quiditates, ſit formaliter impreſſus in intellectu, ſicut forma accidentalis in ſubiecto, obiectum tamen repræſentatum per ipſum habitum, puta quiditates creatæ, non ſunt in intellectu formaliter, ſed tantùm obiectiuè, id eſt, quòd per illum habitum habent rationem obiecti actu intelligibilis, quia ante illum habitum nullo modo erant præſentes in ratione obiectorum intelligibilium, id eſt, quòd potentia propinqua actu poſſent intelligi, ſed per talem habitum fiunt ſic præſentes, ſequitur:

b *Et ſi quæratur, qualiter per habitum poſſit obiectum eſſe præſens, tanquam reſplendens*, id eſt, in ratione obiecti actu intelligibilis: Dicitur, quòd habitus ſcientiales, licèt ſint habitus de prima ſpecie Qualitatis, tamen ſuper ipſam ſcientiam fundatur reſpectus eſſentialis ad ſcibile, qui ab ea abſolui non poteſt, tanquam ad aliquid, à quo in eſſentia, & in ſuo *eſſe* dependet, id eſt, quòd talis habitus vltra hoc, quòd eſt vera qualitas, neceſſariò includit quendam reſpectum, ſiue relationem terminatam ad qualitates ſcibiles, quæ neceſſariò in *eſſe*, & *conſeruari* dependet à tali habitu: & ſic habitus vt includens talem reſpectum, neceſſariò refertur ad ipſum ſcibile: dependet etiam neceſſariò ab ipſo obiecto ſcibili, ſicut relatio dependet à termino; & eſt talis neceſſitas illius relationis, quòd intellectus non poteſt capere illum habitum ſcientialem, quin capiat talem relationem, & per conſequens neceſſariò ipſum ſcibile, reſpectu cuius eſt talis habitus; & hoc propter naturalem colligantiam correlationis, quam habet ad illud, quare talis habitus neceſſariò refertur ad ſcibile.

2. c Sequitur, *& licèt ibi ſit diuinitùs indita* ſcilicet talis qualitas ſcientialis, *non minùs habet reſpectum illum*, &c. Hîc reſpondet tacitè

Henricus reſpondet ſatisfacit obiectioni.

obiectioni, quaſi quomodo eſt poſſibile, quòd ex quo talis qualitas ſcientialis non eſt cauſata à quiditate ſcibili, quomodo dicit reſpectum eſſentialem terminatum ad ipſum ſcibile? Ponimus enim ſpeciem intelligibilem dicere neceſſariò reſpectum ad ſcibile, quia eſt cauſata ab ipſo: iſta autem qualitas ſcientialis eſt tantum diuinitùs cauſata.

Reſpondet, quòd licèt ita ſit, tamen ex natura habitus ſcientialis reſplendet ſemper ſcibile ab eo, cuius eſt in ipſo intellectu multò naturaliùs, quàm poſſibile eſſet fieri per ſpeciem.

d *Et ſi quæratur, quomodo per vnum habitum ſunt plura obiecta præſentia?* Reſpondetur, quòd *vnicus habitus ſcientiæ continet virtualiter multa*, &c. id eſt, quod ſicut vna ſpecies intelligibilis eſſet ratio repræſentandi vnum obiectum, & ſimiliter eſſet ratio cognoſcendi, & alia aliud, & ſic de aliis, tamen iſte habitus propter ſui ſimplicitatem eſt ratio repræſentandi omnia obiecta nata repræſentari per proprias ſpecies, & ſimiliter eſt ratio cognoſcendi omnia illa etiam in infinitum vnum poſt aliud, id eſt, quòd ſi eſſent obiecta infinita non actu, cùm ſit impoſſibile, ſed ſucceſſiuè vnum poſt aliud, adhuc eſſet ratio repræſentandi, & cognoſcendi omnia illa in infinitum. Sequitur, *& hoc tanto facilius*, &c. Vult dicere, quòd ſicut aliqua cauſa quantò eſt illimitata, & indeterminata ad plures effectus, tantò plures effectus producere poteſt, ita & habitus ſcientialis, quantò eſt indeterminatus, & illimitatus, tantò plura obiecta erunt repræſentabilia, & intelligibilia per ipſum; cùm ergo talis habitus inditus Angelo ſit ſimpliciter illimitatus reſpectu omnium quiditatum intelligibilium, etiam ſi eſſent infinitæ, ſequitur, quòd erit ratio repræſentandi, & cognoſcendi eas.

3. *Nota.*

e *Si autem quæratur, quomodo iſte habitus reducit intellectum Angeli de potentia intelligendi ad actum intelligendi*, id eſt, quomodo intellectus Angeli per illum habitum actu poteſt intelligere illas quiditates? Dicitur, quòd intellectus Angeli, &c.

Sed ſi quæratur, quomodo ergo per illum habitum magis actu intelligit vnum obiectum, quàm aliud, dicit, quòd magis intelligit illud, ad quod magis talis habitus inclinat.

Et ſi vltrà quæratur, quare magis ille habitus inclinet ad vnum, quàm ad aliud? Dicit, quòd tantò magis inclinat ad vnum, quàm ad aliud, quantò eſſentialius dependet ab vno, quàm ab alio, ſiue quantò magis eſſentialius ordinatur ad vnum, quàm ad aliud, & quia talis habitus eſſentialiùs ordinatur ad perfectiorem quiditatem, ideò magis inclinat intellectum ad cognoſcendum illam, cùm illa habeat plus intelligibilitatis.

Sequitur, *& tunc, cùm intellectus ſit factus in actu primo ad intelligendum primum*, id eſt, cum intellectus, primò habuerit notitiam primæ quiditatis creatæ, tunc *libero arbitrio voluntatis ex habitu diſcurrit ad ſingula obiecta tam completè, quam incompletè cognoſcenda*, ſiue perfectè, vel imperfectè diſcurſu, *dico cognoſcendo hoc poſt hoc non cognoſcendo hoc ex hoc*, id eſt, quòd habita actuali cognitione primi obiecti per talem habitum, tunc diſcurrit per alia obiecta, puta per A & B, & C, cognoſcendo vnum poſt aliud, quia ſimul non poteſt cognoſcere plura perfectè, ſed cognito vno immediatè poteſt cognoſcere aliud, & hoc modo diſcurrit inter obiecta: non autem diſcurrit inter obiecta, cognoſcendo vnum ex alio ſic, quòd cognitio A ſit ratio cognoſcendi B, ſed iſte habitus eſt ſimpliciter ratio cognoſcendi A, & B, & C, licèt per prius ſit ratio cognoſcendi vnum, quàm aliud.

Sequitur, *& ſecundum quòd ex imperio voluntatis ad aliquid tendit determinatè ad illud, idem habitus inclinat determinatè*, id eſt, quòd ſi voluntas determinatè imperat intellectui ad cognoſcendum B, habitus inclinat ad cognoſcendum B, talis habitus inclinat intellectum ad ipſum B, & ſic de aliis.

SCHOLIVM.

Sententia D. Thomæ Angelum ſuperiorem per pauciores ſpecies intelligere quiditates, ita quòd ſupremus, per valdè paucas, vel fortè vnam, omnes quiditates intelligat, probatur duplici ratione. Doctor refutat vtramque ſententiam ſimul. Primò, ille habitus (idem eſt de ſpecie) eſſet infinitus in perfectione, quia infinitas Dei probatur ex diſtincta infinitorum repræſentatione, de quo 1. d. 2. qu. 1. nu. 30. Secundò, ratio cognoſcendi plura habet vnum ſibi adæquatum, in quo illa plura continentur, quia illa ratio eſt poſterius reſpectu obiecti, & ſic eius vnitas dependet ab vnitate obiecti. Tertiò, vna ratio cognoſcendi poteſt habere actum adæquatum, aliàs ſimul omnia diſtinctè cognoſceret Angelus. Quartò, Angelus cognoſcit vnum, ignoto alio, ergo non eodem, formaliter vtrumque.

Opin. D. Th. 1. p. q. 55. art. 3.

ALia opinio dicit a quòd non oportet ponere in Angelo proprias rationes reſpectu quiditatum creaturarum ſingularum, quia Angelus inferior, licèt per plures rationes cognoſcendi cognoſcat plures quiditates: ſuperior tamen poteſt cognoſcere per aliquam vnam rationem, ſecundùm quod probatur per Dionyſium c. 12. Angel. Hierarch. *Angeli*, inquit, *ſuperiores habent vniuerſaliorem ſcientiam quàm inferiores*: & per rationem, quia priora ſunt primo propinquiora, ſicut in entitatibus, ita & in intellectionibus: igitur cùm intellectus primus, intelligat omnia per rationem vnam, intellectus ſuperior per pauciores rationes intelliget, quæ intellectus inferior intelligit per plures. 6.

5. Met. tex. 16. 2. Met. t. 4.

Prætereà, ad hoc etiam arguitur, quia quantò aliqua ratio cognoſcendi eſt in aliquo immaterialiori, ſiue actualiori, tantò vniuerſalius repræſentat. Maior iſta patet de ſpecie

ſpecie in ſenſu, phantaſia, & intellectu: ratio huius eſt, quia receptum eſt in recipiente per modum recipientis: igitur ratio illa, quæ eſt in Angelo ſuperiori actualiori, erit ratio cognoſcendi plura in ſuperiori, quàm in inferiori.

7. Iſta opinio [b] videtur coincidere cum præcedente in hoc: quia ſicut illa præcedens ponit quòd infinitæ quiditates poſſunt cognoſci per illum vnum habitum, quantùm eſt ex ſe: ita iſta habet ponere quòd in aliquo vno Angelo, erit aliqua ratio vna, quæ eſſet ratio repræſentandi, non tot quiditates, quin plures. Procedendo enim ſecundùm multitudinem quiditatum in vniuerſo, & ſpecierum intelligibilium in Angelis, quarum ſemper eſt minor numerus in ſuperiori, deuenietur tandem ad aliquam vnam ſpeciem in aliquo Angelo, quæ poterit eſſe ratio cognoſcendi omnia inferiora, vel ſaltem ad aliquot paucas ſpecies: & ita quotcunque quiditates inferiores poſſent fieri, poſſent cognoſci per tot ſpecies: & ita attribuendo vni ſpeciei aliquam certam multitudinem quiditatum cognoſcibilium, non eſſet ex parte eius inuenire, vnde eſſet ratio cognoſcendi tot & non plura: & licèt iſta opinio ſecunda [c] poſſet aliquo modo vitare hanc concluſionem: tamen contra ipſam, licèt non ſit prima ratio quam ponam, erunt tamen contra eam aliæ tres, ſicut contra primam,

Boetius 5. de Conſol. Philoſoph. proſa 5. & Themiſtius atque Auer. 3. de Anima com. 14.

Vna ſpecies ſecundum D. Th. poteſt repreſentare Angelo ſupremo omnia.

Vnica rationem non poſſe repreſentare non tot, quin plura.

Probo igitur primò, [d] quòd vna ratio creata non poteſt eſſe ratio cognoſcendi infinitas quiditates, ſiue non tot, quin plures: quia vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas, ſiue numeralis infinitas, requirit infinitam perfectionem, & virtutem. Exemplum, ſi poſſe portare ſimul plura pondera, concludit maiorem virtutem: poſſe ſimul portare infinita, ſiue non tot quin plura, concludit infinitatem intenſiuam: ſed aliquid eſſe rationem diſtinctè cognoſcendi plures quiditates, concludit maiorem perfectionem in ipſo, quàm eſſe rationem cognoſcendi tantùm vnam: igitur ſi in Angelo, aliquid poteſt eſſe ratio cognoſcendi infinita, ſiue non tot quin plura, illud erit infinitum, quod eſt impoſſibile.

8. Aſſumptum probo, quia accipiatur propria ratio repræſentatiua iſtius quiditatis, quæ aliquam perfectionem includit, inquantùm eſt ratio repræſentatiua iſtius. Similiter propria ratio illius quiditatis aliquam perfectionem includit: & illæ perfectiones in propriis rationibus repræſentatiuis, ſunt alterius rationis: igitur illa vna quæ repræſentat diſtinctè ambo illa vt obiecta, includit in ſe virtualiter plures perfectiones alterius rationis: & ita eſt quid perfectius in ſe, quàm ſit tantùm alterum illorum: hoc confirmatur ex hoc, quod dictum eſt *libro primo*, *diſt.* 2. vbi probatum eſt Deum eſſe infinitum ex infinitate repræſentatorum per eſſentiam ſuam.

q. 1. via ſecũda principali. n. 30.

Secundò probo, [e] quòd nulla vna ratio creata, poteſt eſſe ratio diſtinctè cognoſcendi plures quiditates. Primò, quia omnis vna ratio cognoſcendi, habet obiectum vnum adæquatum ſibi, in quo obiecto includuntur perfectè omnia cognoſcibilia per rationem illam, ſi plura ſunt cognoſcibilia per illam.

Prima ratio contra D. Thom.

Patet per ſimile de eſſentia diuina, vt ratio, & vt obiectum: ideò enim, vt ratio eſt reſpectu infinitorum obiectorum diſtinctè repræſentatiua, quia eſt prima vnius obiecti, quod perfectè includit omnia illa inquantùm cognoſcibilia: ſed illa vna ratio, quæ ponitur, non habet aliquod primum obiectum includens virtualiter omnes alias quiditates, ſecundùm totam cognoſcibilitatem ſuam. Ponitur enim præcisè habere pro obiecto omnia creata: & nulla creatura ſic includit omnes. Maior etiam probatur per rationem, quia vnitas poſterioris naturaliter dependet ab vnitate prioris: quia ad diſtinctionem in priori, ſequitur diſtinctio in poſteriori, & non è contra: omnis autem ratio cognoſcendi, quæ eſt in intellectu creato, (hoc eſt, quæ non eſt participata ſicut eſt eſſentia diuina ſe habet ad ipſum cognitum, ſicut menſuratum ad menſuram: & ita ſicut poſterius naturaliter ad prius: quare vnitas eius naturaliter dependet ab vnitate obiecti menſurantis.

Ratio cognoſcendi, vna, neceſſario habet vnum obiectum. Diſtinctio in priori, infert diſtinctionem in poſteriori, non è contra.

Igitur neceſſe eſt aliquod vnum obiectum eſſe menſuram eius: ſed obiectum quod eſt menſura eius, eſt ei adæquatum: igitur non eſt ratio cognoſcendi alia, niſi quia virtualiter continetur in primo obiecto, quod eſt menſura.

9. Tertiò probatur maior ſic: nihil eſt ratio cognoſcendi alterum perfectè, niſi ſit propria ratio eius, vel virtualiter contineat propriam rationem eius cognoſcendi: ſed non primo modo, cum ſit ratio cognoſcendi diſtinctè plura alia: igitur oportet quod contineat virtualiter rationes cognoſcendi plurium, ſi ſit ratio diſtinctè cognoſcendi illa, minor patet, quia quiditas iſtius obiecti eſt creata, & ita non poteſt continere diſtinctè in cognoſcibilitate alias quiditates: quia aliqua eſt entitas in inferiori, quæ non continetur in ſuperiori: igitur ſimiliter in cognoſcibilitate: quare, &c.

Hæc probatio non habetur in aliis editionibus.

Præterea

Secunda ratio cõtra D. Thom. Ratio vna agendi an habere poſſit actum ſibi adæquatum?

Præterea ſecundò, [f] omnis ratio vna cognoſcendi, poteſt habere aliquem vnum actum intelligendi adæquatum ſibi: ſed iſta quæ ponitur eſſe ratio reſpectu plurium quiditatum cognoſcendarum, non poteſt habere aliquem vnum actum adæquatum ſibi: quia ſecundùm iſtos intellectus iſte non poteſt ſimul cognoſcere diſtinctè plures quiditates, quarum eſt illa ratio: quare, &c. Probatio maioris, quia omnis memoria perfecta poteſt habere intelligentiam adæquatam ſibi, quo ad hoc, quòd ipſa ſecundùm actum ſuum primum, & totalem, poteſt producere effectum ſibi adæquatum: quod patet, quia etiam memoria infinita Patris, poteſt eſſe principium producendi notitiam actualem infinitam. Probatio minoris per rationem: non enim poteſt habere vnum actum adæquatum ſibi intenſiuè, quia tunc iſte actus contineret virtualiter actum intelligendi omnium aliarum quiditatum: quod non poteſt eſſe: nec extenſiuè, quia tunc poſſet ſimul, & diſtinctè intelligere omnes iſtas quiditates; quod non eſt verum, nec illi concedunt: igitur, &c.

Quare potentia productiua nõ habet obiectum nec actum adæquatum, vt patet de ſole.

g Contra iſtas duas rationes inſtatur, quia aliqua forma plurium productiua, non oportet quòd habeat vnum obiectum primum, in quo contineantur omnia alia obiecta virtualiter: ſicut patet de forma Solis reſpectu formarum generabilium & corruptibilium: nec etiam oportet quòd poſſit habere vnum actum ſibi adæquatum, ſed plures: ſic in propoſito. 10.

Reſpondeo [h] vis productiua illimitata, aliquo modo ad aliquos effectus ſuos eſt æquiuoca: & ideò eſt ſimpliciter nobilior & ſuperior quolibet ſuo effectu: propter quod vnitas eius non dependet ab vnitate effectus, ſed effectus dependet à cauſa iſta, & effectus poſſunt eſſe plures, hac cauſa exiſtente vna, quia in poſterioribus poteſt eſſe pluralitas, cum vnitate naturaliter prioris. In operationibus autem, [i] quæ non ſunt productiones, obiectum habet ibi rationem prioris naturaliter reſpectu eius, quod eſt proxima ratio operandi, loquendo in creaturis, & vnitas poſterioris naturaliter dependet ab vnitate prioris.

Similiter, [k] etiam talem formam productiuam non oportet habere neceſſariò paſſum adæquatum ſibi, tam ſecundùm intenſionem, quàm ſecundùm extenſionem; ita quòd poſſet agere actione adæquata: ſed memoria ipſa inquantùm operatiua, habet intelligentiam naturalem in eadem natura, tanquam paſſum, vel quaſi paſſum ſibi adæquatum: quod ſcilicet poteſt recipere actionem, ſiue actum ſecundùm omnimodò adæquatum, tam intenſiuè ſcilicet: quàm extenſiuè actui primo ipſius memoriæ; alioquin eſſet in memoria aliqua ratio cognoſcendi, quæ omnino excederet virtutem gignendi ipſius memoriæ, vt eſt parens, & ita non caperent ſe partes imaginis mutuò, quod eſt contra Auguſtinum 7. de Trinit. ideò enim æquantur comparando ad obiecta: quia omne obiectum eo modo, quo poteſt eſſe in memoria, poteſt eſſe in intelligentia actualiter, & in voluntate ſecundùm actum eius amabiliter, vel odibiliter, & Magiſter diſt. 3. primi lib. adducit auctoritates Auguſtini ad hoc dicentis, quòd *quicquid ſcio, memini.*

Partes imaginis quomodo æquantur quoad obiecta?

Tertio arguo ſic, [l] ille intellectus non eodem formaliter nouit habitualiter plura, qui ſine contradictione poteſt noſſe hoc habitualiter, & non noſſe illud: quia contradictio eſt, quòd habeat idem formaliter, & non habeat, & quod habeat aliquid quo ſit formaliter tale, & non ſit tale: igitur ſi poteſt non noſſe A habitualiter, & noſſe B habitualiter; non eodem nouit A & B habitualiter: ſed omnis intellectus creatus, poteſt noſſe vnum obiectum, non noto alio: igitur nullus talis nouit eodem habitualiter, plura obiecta. Probatio minoris, quia ſi non poſſet noſſe habitualiter A, abſque hoc quòd cognoſceret B, ſine contradictione, aut hoc eſſet ex parte intellectus talis, quod falſum eſt, quia poteſt vnum noſſe habitualiter & non aliud: aut ex parte neceſſariæ colligantiæ obiectorum, quod falſum eſt, quia vnum illorum intelligi poteſt, ab intellectu noſtro, non intellecto alio: ſi ergo non propter neceſſariam connexionem obiectorum, nec obiecti ad potentiam: ergo nullo modo. 11.

Nõ eodem habitu cognoſcitur A & B, ſi alterum ignorari poteſt, altera noto.

COMMENTARIVS.

1. *Opinio Diui Thomæ.*

a *ALia opinio dicit.* Hìc recitat opinionem Thomæ in prima parte ſummæ, quæſt. 55. artic. 3. quæ opinio ſtat in hoc, quòd Angelus, puta Gabriel non cognoſcit omnes quiditates creatas alias à ſe per diſtinctas rationes, ita quòd quælibet quiditas habeat propriam, & diſtinctam rationem diſtinctè repræſentandi ipſam, & partialiter, vel totaliter cauſandi cognitionem illius quiditatis; ſed ponit quòd pauciores rationes repræſentandi ſunt in Gabriele, quàm in aliquo intellectu alio inferiori, ita quòd ſi mille quiditates diſtinctè cognoſcuntur per decem

rationes

rationes ab aliquo Angelo inferiori per pauciores rationes cognoſcuntur à ſuperiori, & tantò per pauciores, quantò à ſuperiori cognoſcuntur, & hanc ſuam poſitionem probat, & auctoritate, & per duas rationes, quæ poſtea ſoluentur.

b *Iſta opinio videtur coincidere*, &c. *vel ſaltem deuenietur ad aliquot paucas ſpecies*, quæ ſupple erunt rationes cognoſcendi omnes quiditates, *& ita quotcunque quiditates inferiores poſſent fieri, poſſent cognoſci per tot ſpecies*, quia quælibet nata eſſet cognoſci per propriam ſpeciem, *& ita attribuendo vni ſpeciei aliquam certam multitudinem quiditatum cognoſcibilium*, id eſt, quæ eſſet ratio cognoſcendi plures quiditates, *tunc non eſſet ex parte eius*, ſcilicet talis ſpeciei *inuenire, vnde eſſet ratio cognoſcendi tot, & non plura*, quia ſicut ſi vna ſpecies ponitur ratio cognoſcendi mille quiditates, non videtur ratio ex parte eius, quin etiam poſſit eſſe ratio cognoſcendi plures, quàm in ille.

2. c Sequitur, *& licèt iſta opinio ſecunda poſſet aliquo modo vitare hanc concluſionem*, quia poſſet dicere, quòd quantò vna ſpecies eſt perfectior, tantò eſt ratio cognoſcendi plura, puta quòd ſi eſt perfectionis vt octo, erit ratio cognoſcendi tot, & non plura, & non ſequitur ex hoc, quòd vna poſſit eſſe ratio cognoſcendi infinita, quia fortè ſtatus eſſet ad aliquam vnam, quæ eſſet præciſa ratio cognoſcendi tot, & non plura.

Sequitur, *tamen contra ipſam*, ſcilicet opinionem ſecundam, *licèt non ſit prima ratio, quam ponam, erunt tamen contra eam aliæ tres, ſicut contra primam.* Iſta enim prima ratio de directo eſt contra opinionem Henrici ponentis illum habitum ex parte ſua eſſe rationem repræſentandi, & intelligendi infinita obiecta. Et per hanc rationem deducit ad hoc inconueniens, quòd vnus & idem habitus numero eſſet formaliter infinitus.

Pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem.

d Prima ergo ratio ſtat in hoc, quia vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas, ſiue numeralis infinitas requirit infinitam perfectionem. Hæc propoſitio declarata eſt *in primo, diſt.2. quæſt.1.* Sed aliquid eſſe rationem diſtinctè cognoſcendi diſtinctas quiditates concludit maiorem perfectionem in ipſo, quàm eſſe rationem cognoſcendi tantùm vnam: patet, quia accipiatur propria ratio repræſentatiua, puta humanitatis, aliquam perfectionem includit, inquantùm eſt ratio repræſentatiua iſtius; patet, quia per ipſam non tantùm habetur præſentia humanitatis in ratione obiecti intelligibilis, ſed etiam eſt ratio cognoſcendi, ſiue cauſandi notitiam illius; quia quod communiter ponitur ratio repræſentandi aliquid in ratione obiecti actu intelligibilis, ponitur etiam ratio cognoſcendi illud; ſi ergo eadem ſpecies eſſet ratio repræſentandi naturam hominis, & aſini, cùm illæ rationes ſint ſimpliciter alterius rationis, ſequitur, quòd dicunt aliam, & aliam perfectionem alterius, & alterius rationis: patet, quia ſpecies intelligibilis propriæ naturæ aſini, quæ ponitur ratio repræſentandi naturam aſini in ratione obiecti actu intelligibilis, & ſimiliter ratio cognoſcendi illam dicit perfectionem formaliter, & eſſentialiter diſtinctam, & alterius rationis à perfectione, quam includit ſpecies intelligibilis propriæ naturæ hominis; ergo ſi vna ſpecies eſſet ratio æquè perfectè repræſentandi naturam hominis, & aſini, illa eminenter includeret perfectionem vtriuſque ſpeciei: ergo ſi eſſet ratio repræſentandi infinita obiecta, quorum quodlibet natum eſſet habere ſpeciem propriam alterius rationis ab alia, eſſet infinitæ perfectionis intenſiuè. Et addit, quòd ſint alterius rationis, quia ſi eſſet vna ſpecies intelligibilis ratio repræſentandi infinita indiuidua alicuius ſpeciei non eſſet infinita intenſiuè, quia illæ rationes repræſentandi indiuidua non eſſent alterius & alterius rationis, ſed ſimpliciter eiuſdem ſpeciei, quia ſpecies intelligibilis Franciſci, & Ioannis eſſent ſimpliciter eiuſdem ſpeciei, ſicut Franciſcus, & Ioannes, & per conſequens continens plures tales, non dicitur eſſentialiter maioris perfectionis. Sed de hoc, an pluralitas numeralis arguat maiorem perfectionem, dictum eſt *in primo, diſt.2.q.1.*

3. *Iſta rationes ſunt contra Henricum, & D. Thomam.*

e Secunda probatio, Iſtæ rationes ſequentes directè ſunt contra Henricum & Thomam & intendit probare Doctor quòd impoſſibile ſit eſſe vnam rationem diſtinctè cognoſcendi duas quiditates ſpecie diſtinctas, nec etiam duo indiuidua diſtincta, licèt de indiuiduis hîc non dicat expreſsè, tamen patebit infrà quæſtione vltima huius diſtinctionis, quòd iſtæ rationes concludunt etiam de indiuiduis, & primò arguit ſic; omnis ratio vna cognoſcendi poteſt habere aliquem vnum actum intelligendi adæquatum ſibi, & pro clariori intelligentia ſuppono aliqua.

Primò, quòd ratio intelligendi, & obiectum intelligibile aliquo modo differunt.

Secundò, quòd ratio intelligendi eſt duplex, ſicut eſt duplex cognitio, ſcilicet intuitiua, & abſtractiua: ratio enim intelligendi in cognitione intuitiua eſt quiditas rei inquantùm exiſtens, obiectum verò intelligibile intuitiuè eſt ipſa res exiſtens: ratio verò intelligendi in cognitione abſtractiua ſpecies intelligibilis obiecti, & obiectum ipſum dicitur intelligibile.

Tertiò ſuppono, quòd ſicut ratio intelligendi in cognitione intuitiua eſt quiditas inquantùm exiſtens, & eſt cauſa partialis cognitionis intuitiuæ, ſic ſpecies intelligibilis, ſiue ſit primò obiecti vniuerſalis, ſiue ſit primò obiecti ſingularis: de quibus infrà *quæſt. vltima huius diſtinctionis*, eſt cauſa partialis cognitionis abſtractiuæ, ita quòd ſi eſt ſpecies intelligibilis obiecti vniuerſalis, primò eſt cauſa partialis cognoſcendi illud, ſi ſingularis primò eſt ſimiliter cauſa.

4. Quartò ſuppono, quòd ratio cognoſcendi, puta A intuitiuè eſt ſic ratio, & cauſa partialis talis cognitionis, quòd nihil aliud poteſt eſſe ratio cognoſcendi ipſum A, niſi virtualiter, & eminenter contineat illud ſecundum totam ſuam entitatem, vt aliàs expoſui *in primo, diſt.3.* ſic ſpecies intelligibilis, puta hominis, eſt cauſa partialis cognoſcendi ipſum hominem, quòd nihil aliud ab ipſa poteſt eſſe cauſa cognitionis abſtractiuæ ipſius hominis ſub ratione propria, & diſtincta, niſi virtualiter, vel eminenter contineat ipſum hominem ſecundùm totam entitatem ſuam, & tale continens poteſt cauſare ſpeciem intelligibilem hominis, & ſic Deus poſſet cauſare ſpeciem intelligibilem ipſius hominis, & fortè nulla alia creatura poſſet cauſare.

Quintò, ex his ſequitur, quòd ſicut ratio intelligendi hominem intuitiuè non poteſt eſſe ratio intelligendi aliud ab homine, niſi virtualiter, vel eminenter, vel eſſentialiter contineatur

neatur in ipſo homine, ſicut patet de Deitate, quæ eſt ratio formalis quaſi producendi cognitionem ipſius Dei, & omnium intelligibilium: ideò enim ſic eſt ratio, quia omnia intelligibilia alia à Deo virtualiter, & eminenter ſecundùm totam entitatem eorum continentur in Deo, ſic ratio cognoſcendi, puta hominem, abſtractiuè, diſtinctè tamen, ſic eſt cauſa partialis talis cognitionis, quòd non poteſt eſſe ratio, ſiue cauſa partialis cognoſcendi, vel repræſentandi aliud obiectum ab homine, niſi virtualiter, vel eminenter, vel eſſentialiter contineatur in eo.

Differentia eſt inter rationem formalem cognoſcendi aliquid intuitiuè, & abſtractiuè.

Sextò ſuppono, quòd differentia eſt inter rationem formalem cognoſcendi aliquid intuitiuè, & rationem formalem cognoſcendi aliquid abſtractiuè; quia ratio formalis in cognitione intuitiua prior eſt natura, vel ſaltem ſecundùm intellectum ipſo obiecto cognito intuitiuè; ratio verò formalis in cognitione abſtractiua poſterior eſt ipſo obiecto cognito; patet, quia ſemper ſpecies intelligibilis cauſatur ab obiecto, cuius eſt, ſaltem remotè; exemplum, nam natura albedinis mouet potentiam viſiuam cauſando ſpeciem ſenſibilem in ea, quâ cauſatâ pòſt cauſatur ſpecies ſenſibilis in phantaſia, quæ dicitur phantaſma: ipſum verò phantaſma partialiter cauſat ſpeciem intelligibilem recepram in intellectu poſſibili repræſentantem albedinem, vt albedo eſt, vt patet à Doctore in multis locis; & ſic patet quomodo ſpecies intelligibilis eſt poſterior ipſo obiecto intelligibili, quæ tamen eſt ratio intelligendi ipſum: patet ergo quomodo vnitas ſpeciei in repræſentando, & in cauſando cognitionem obiecti dependet ab vnitate obiecti, quod enim menſuratur præcisè ab aliqua menſura, non poteſt menſurari ab alia menſura; patet, quia ſicut vnitas effectus non poteſt eſſe à pluribus cauſis totalibus, vt aliàs diximus *in primo, diſt.* 2. ſic nec vnitas menſurati poteſt eſſe à pluribus menſuris totalibus; & ſic ſpecies intelligibilis ipſius hominis non poteſt eſſe ſpecies intelligibilis ipſius aſini, quia tunc illud in ratione menſurati dependeret à pluribus menſuris; vna ergo ſpecies intelligibilis tantùm erit ratio intelligendi abſtractiuè cuius eſt, & omnium contentorum virtualiter, vel eminenter, & fortè eſſentialiter, & dico *fortè eſſentialiter*, quia Doctor dixit *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 1. quòd ſenſibile cauſat ſpeciem intelligibilem ſui, & fortè omnium ſuperiorum; vel cauſat aliam, & aliam ſpeciem intelligibilem: cùm ergo nulla ſit creatura, quæ virtualiter, vel eminenter, aut eſſentialiter contineat omnem aliam creaturam, ſequitur quòd non poterit eſſe aliqua ſpecies intelligibilis in aliquo Angelo, vel duæ, vel tres, vt poſuit Thomas, vel vnus habitus numero, vt poſuit Henricus, qui ſit ratio intelligendi illa alia obiecta ab ipſo Angelo, & ſic patet iſta ratio.

5. Difficultas.

Sed difficultas eſt, an obiecta contenta virtualiter, vel eminenter in aliquo obiecto poſſint cognoſci per ſpeciem intelligibilem repræſentantem ipſum obiectum, vel per aliam, & aliam ſpeciem intelligibilem. Dico, quòd vtraque via eſt ſuſtentabilis, ſic intelligendo, vel quòd vna ſpecies intelligibilis eſt ratio cognoſcendi hominem abſtractiuè, & omnium virtualiter contentorum; vel quòd ſicut ipſe homo cauſat ſpeciem intelligibilem ſui, ita poteſt cauſare aliam, & aliam ſpeciem reſpectu alterius, & alterius contenti.

Sed difficultas eſt de cognitione intuitiua, an eadem eſſet ratio cognoſcendi intuitiuè, puta obiectum, & omnia contenta in ipſo A. Dico duo, primum, quòd ſi obiecta contenta habeant propriam exiſtentiam aliam ab obiecto continente. ſic dupliciter poſſum cognoſcere intuitiuè. Primò per rationem formalem ipſius obiecti continentis partialiter cauſantis cognitionem talis obiecti, & omnium contentorum. Secundò per naturam exiſtentem, quæ eſt cauſa partialis cognitionis talis intuitiuæ, & patet exemplum, quia eſſentia diuina eſt ratio intelligendi ſe, & omnes creaturas intuitiuè, & tamen ipſe creaturæ reſpectu intellectus noſtri poſſunt habere propriam motionem partialiter cauſantem cognitionem intuitiuam ſui, patet à Doctore *in primo, quæſt.* 1, *prolog. diſt.* 3. *quæſt.* 1. *diſt.* 8. *quæſt.* 1. & *in ſecundo, diſt.* 3. Si verò huiuſmodi contenta non habens propriam exiſtentiam realiter diſtinctam, dico, quòd tantùm intuitiuè cognoſcuntur per quiditatem exiſtentem obiecti continentis: & loquor ſemper de exiſtentia entis abſoluti, quia fortè exiſtentia relationis non poteſt intellectum aliquem ad cognitionem ſui immutare, de quo aliàs.

Eſſentia diuina eſt ratio intelligendi ſe, & omnes creaturas intuitiuè.

6.

Si quæratur, an voluntas diuina poſſit producere aliquam ſpeciem intelligibilem in intellectu Angeli, quæ ſit ratio repræſentandi diſtinctè, & cauſandi partialiter diſtinctam cognitionem omnis quiditatis diſtinctæ eſſentialiter ab Angelo? Dico quòd non, non quòd ſit repugnantia ex parte voluntatis diuinæ, ſed eſt repugnantia ex parte talis effectus, quia tunc eſſet formaliter infinitus, vt ſuprà probaui: infinitas verò repugnat creaturæ, vt patet à Doctore in pluribus locis.

Si iterum dicatur, an poſſet producere aliquam ſpeciem intelligibilem repræſentantem duas naturas tantùm, & non infinitas? Dico quòd non, quia ſi talis poſſet dari, non repugnatet ſibi poſſe repræſentare infinita, vt in ſimili patet à Doctore in pluribus locis.

Si dicatur, quòd hoc videtur poſſibile, ſcilicet quòd poſſit repræſentare infinita, quia ſicut Deus poſſet facere aliquod corpus eſſe in infinitis locis ſimul, & tamen non eſſet immenſum, vt patet *in quarto, diſt.* 10. *quæſt.* 3. & poſſet facere vnum Angelum ſimul eſſe in infinitis locis, & tamen non eſſet immenſus, vt patet *in ſecundo, diſt.* 2. Hoc etiam poteſt elici à Doctore *in quarto, diſt.* 49. Nam immenſitas, vt dicit Doctor eſt eſſe in omni loco ex natura propria, ſic in propoſito videtur dicendum, quòd quamuis talis ſpecies, vel habitus ex ſe non poſſet repræſentare infinita, participatiuè tamen poſſet repræſentare, inquantùm participat tale *eſſe* à Deo.

Immenſitas eſt eſſe in omni loco.

Dico, quòd non eſt ſimile, quia eſſe in infinitis locis paſſiuè per potentiam actiuam ipſius Dei, nullam perfectionem dicit, quia tantùm eſt eſſe ſub infinitis reſpectibus vbicalibus, vt patet à Doctore *in quarto, diſt.* 10. *quæſt.* 3. Quòd enim lapis virtute diuina ſimul ſit in duobus locis nullam perfectionem arguit in lapide, ſed tota perfectio eſt in cauſa effectiua. Hoc idem dico de Angelo, non ſic eſt de ſpecie intelligibili, vel habitu, quia diſtinctè repræſentare quiditatem à quocunque habeat, illud dicit perfectionem formaliter in ipſo repræſentante: & ſimiliter partialiter cauſare cognitionem obiecti, dicit aliquam perfectionem formaliter in illo à quocunque ſit talis perfectio. Exemplum: Intellectus eſt immediatè

Intellectus eſt immediatè creatus à Deo.

mediatè creatus à Deo,& quòd modò poſſit eſſe cauſa partialis cognoſcendi aliud , & aliud obiectum,hoc idem eſt à Deo,& tamen poſſe ſic cauſare dicit formaliter perfectionem in illo.

7. Sed reſtat maior difficultas , videtur enim, quòd Deus poſſit cauſare aliquam ſpeciem intelligibilem,quæ ſit partialis cauſa cognoſcendi infinita obiecta: patet per argumentum à fortiori. Nam intellectus eſt cauſa partialis , vt patet à Doctore *quæſt.1.prologi,& in primo, diſt.3.q.1.7. & 8.& 9.& diſt.2. diſt.8. q.1. eiuſdem primi, & in ſecundo, diſt.3. q.6.* & ipſe intellectus eſt cauſa magis principalis reſpectu obiecti tamen imperfectioris,vt patet à Doctore *in primo,diſt.3.q.8.& in ſecundo,diſt.3.* ergo ſi intellectus noſter poteſt eſſe cauſa partialis , & magis principalis reſpectu infinitorum obiectorum, ſequitur quòd erit formaliter infinitus, ſi ratio Doctoris contra Henricum probaret.

Reſpondeo,& dico primò , quòd hoc non ſequitur , quia etſi ſit cauſa partialis infinitorum cognitorum hoc erit tantùm ſucceſſiuè:tum,quia non poteſt habere omnia obiecta ſimul,& perfectè præſentia in ſe,nec in cognitione abſtractiua, vt patet à Doctore *in primo,diſt.3.* vbi vult,quòd illud priùs intelligatur, cuius ſpecies intelligibilis fortiùs mouet:& vult etiam ibi *quæſt. 1. & 8.* quòd illa ſpecies fortiùs mouet intellectum , cuius ſingulare fortiùs mouet ſenſum. De cognitione intuitiua etiam patet, quia non omnia ſunt ſimul præſentia in ratione intelligibilis intuitiuè, accipiẽdo *intelligibile actu,* quod eſt potẽtia propinqua ad mouendum intellectum,vt expoſui ſuprà *diſt. 3. huius.* Si dicatur , nonne huiuſmodi obiecta poſſunt eſſe potentia in eſſentia diuina reſpectu intellectus noſtri. Dico, quòd ſic, & tamen,vt ibi non mouent ad cognitionem intuitiuam:tum,quia vt ibi non cognoſcuntur intuitiuè ab intellectu noſtro , vt patet infrà *quæſt. vltima huius diſt.*tum,quia vt ibi licèt perfectiùs cognoſcantur,non tamen propriè mouent,ſed voluntas diuina , vt patet à Doctore in primo in pluribus locis. Non valet ergo;intellectus noſter eſt cauſa partialis , & principalis producendi infinitas cognitiones infinitorum obiectorum ſucceſſiuè,ergo eſt infinitus formaliter. Et quòd non valeat, patet a Doctore *in primo, diſt.2. quæſt. 1.* vbi arguit infinitatem Dei ex hoc,quòd habet in poteſtate ſua ſimul poſſe producere infinita.

8. Secundò dico , quòd poſito(per poſſibile, vel impoſſibile)quòd eſſent infinita obiecta , & perfectè præſentia,& actu intelligibilia,& quòd intellectus ſimul concurreret , vt cauſa partialis ad cognitionem omnium illorum,adhuc non ſequitur,quòd ſit formaliter infinitus : & ratio huius eſt,quia aliud eſt eſſe rationem formalem producendi aliqua plura, quorum quodlibet ſpecialem perfectionem requirit in cauſa , &c. aliud eſt eſſe rationem formalem producendi aliqua plura, quorum quodlibet non requirit ſpecialem perfectionem in cauſa partiali. Sic dico in propoſito, quòd ſpecies intelligibilis , quæ eſt cauſa partialis producendi cognitionem hominis, requirit tantam perfectionem , ita quòd minor ipſa non poſſit eſſe cauſa partialis ; & ſimiliter ſpecies intelligibilis aſini requirit aliam perfectionem in ipſo,& talem perfectionem, quòd alia ſpecies intelligibilis , puta hominis , non poteſt eſſe cauſa partialis cognitionis aſini, & ſic ſequitur quòd ſi eſſet cauſa partialis cognoſcendi infinita,in ſe eſſet formaliter infinita ; intellectus verò non requirit ſic aliam,& aliam perfectionem,quia idem intellectus ſic partialiter concurrit ad cognitionem obiecti imperfectioris : ſicut ad cognitionem obiecti perfectioris.

Species intel. ligibilis eſt cauſa partialis producendi cognitionem hominis.

Et ſi dicatur,cauſa potens producere ſimul infinita,eſt formaliter infinita , quorum productorum quodlibet dicit aliquam perfectionem;ergo cùm infinitæ intellectiones ſic ſe habeant, quòd dicunt perfectionem aliquam , vt patet. Dico, quòd ex hoc non ſequitur infinita perfectio in cauſa, niſi tales perfectiones productæ requirant aliam, & aliam perfectionem in cauſa : & ſic arguit Doctor *diſt.2.primi.* Et ex hoc ſequitur,quòd ſi Franciſcus ſimul produceret infinitos homines , non diceretur infinitæ perfectionis , cùm alius,& alius homo non requirat aliam, & aliam perfectionem in producente , quod patet , quia producto homine à virtute , vt A,eadem virtute producitur alius homo,ſic in propoſito.

9. *Intellectio vna eſt perfectior altera.*

Si dicatur ,iſtæ intellectiones ſicut ſpecie diſtinguuntur, ita vna eſt perfectior alia eſſentialiter;ergo ſi homo poſſet producere ſimul infinita ſpecie diſtincta, eſſet formaliter infinitus , vt patet à Doctore in ſimili *diſt.2.quæſt.1.primi.* Dico, quòd intellectiones infinitorum obiectorum diſtinctorum ſpecie ſunt ſpecie diſtinctæ , ſed hoc non habent ab intellectu , ſed ab obiectis, vt patet à Doctore *in primo , diſt. 3. quæſt. 6. & 7.* & quamuis vna ſit perfectior eſſentialiter alia maior , & minor perfectio eſſentialis in intellectionibus non eſt à maiori , vel minori perfectione ipſius intellectus , ſed ab obiectis : & ſic quando intellectus concurrit cum obiecto perfectiori, & imperfectiori æquali conatu hinc,& inde cauſatur intellectio perfectior obiecti perfectioris:ſed talis perfectio principaliter eſt ab obiecto , loquendo de perfectione ſpecifica.

Si dicatur , Ex quo intellectus eſt cauſa principalis intellectionis , & obiectum eſt cauſa minùs principalis ; ergo videtur , quòd erit cauſa principalis intellectionis,& quantùm ad ſubſtantiam,& quantùm ad intenſionem ipſius, vt patet à Doctore in ſimili de potentia , & habitu reſpectu operationis *in primo, diſt.* 17. ergo videtur, quòd perfectio intellectionis ſpecifica principaliter ſit ab intellectu,& ſi ſic,poterit eſſe infinitus producendo infinitas cognitiones infinitorum obiectorum ſpecie diſtinctorum.

10. Dico, quòd etiam hoc conceſſo non ſequitur infinitas intellectus , quia iſtæ perfectiones , vt partialiter ſunt ab intellectu , non requirunt aliam,& aliam perfectionem in intellectu. Nam idem intellectus perfectionis vt ſeptem , & comparatus ad obiecta infinita , quorum nullum excedat perfectionem,vt ſeptem, ita quòd aliquod illorum ſit perfectionis vt vnum,& ſic aſcendendo , ita quòd omnia illa ſemper dicantur perfectiora ; tunc intellectus erit cauſa principalis, quia ſemper perfectior , & vt talis perfectionis poterit producere huiuſmodi cognitiones partialiter , & ſic non ſequitur infinita , ſi tamen ſuppleret cauſalitatem alicuius obiecti , puta aſini , de neceſſitate requireretur maior perfectio, quia ille gradus intellectionis , ſi poteſt dari qui eſt ab aſino,eſt tantæ perfectionis , quòd à nullo poteſt cauſari , niſi ab ipſo aſino, vel à continente virtualiter , vel eminenter ipſum , & ſic patet ſolutio.

Sed eſt alia difficultas, quia ſuprà dictum eſt,

quòd ſi intellectus ſimul poſſet concurrere cum infinitis obiectis partialiter, ergo ſimul poſſet recipere infinitas perfectiones, & ſic eſſet formaliter infinitus.

Reſponſio. Reſpondeo, & dico primò, quod dixi ſuprà, quòd ad producendum partialiter huiuſmodi effectus, non ſequitur infinitas in intellectu: quòd modò poſſit recipere infinita, eſt alia difficultas, & diceretur, quòd non poſſit coagere infinitis obiectis, quia illa non poſſunt eſſe intelligibilia actu ſimul. Secundò, quòd ſi etiam reciperet infinitas intellectiones, quòd ex hoc non ſequeretur ipſum eſſe formaliter, & quiditatiue infinitum, quia recipere paſſiuè nullam perfectionem dicit. Nam ſi lapis poſſet recipere à Deo infinitas albedines, non eſſet perfectior in ſe quiditatiuè, quàm eſſet ſi non reciperet, ſi tamen intellectus poſſet recipere, diceretur infinitus tantùm denominatiuè, ſed caſus eſt impoſſibilis, quia infinitæ intellectiones ſimul non poſſunt eſſe in aliquo intellectu, & hanc gloſſam nota.

11. *Sequitur expoſitio litera.* f *Praterea ſecundò, omnis ratio.* Iſta ratio ſtat in hoc, quia ratio formalis producendi cognitionem, habet actum ſibi adæquatum, vel intenſiuè, vel extenſiuè, vt patet. Nam ſpecies intelligibilis hominis eſt ſic ratio formalis producendi cognitionem hominis, quòd non poteſt eſſe formalis ratio producendi cognitionem alterius obiecti non contenti virtualiter in ipſa, & ſic extenſiuè tantùm erit vna cognitio ſpecie, & intenſiuè, & erit tantæ perfectionis, quòd maioris perfectionis non poterit eſſe, vt probat Doctor infrà de memoria fœcunda, quæ probatio clara eſt: ſed vnus habitus numero, vt ponit Henricus in Angelo, vel vna ſpecies intelligibilis; vel duæ, vt ponit Thomas, non poſſunt habere ſimul actum adæquatè vnum reſpectu omnium obiectorum, quod patet. Non extenſiuè, quia ſi eſſet ratio formalis cognoſcendi plura obiecta, tunc poſſet ſibi cooperari intellectus ad cognoſcendum illa plura diſtinctè, quod tamen ipſi negant. Sed fortè diceret Henricus, vt patet ſuprà, quòd talis ratio primò inclinat ad vnum, poſtea ad aliud. Et fortè diceret Thomas quòd quamuis talis ratio ſit plurium obiectorum, non tamen eſt ratio formalis producendi cognitionem diſtinctam illorum, & hoc ſimul, ſed tantùm ſucceſſiuè, & ſic intellectus non intelligeret plura ſimul.

12. Hæc reſponſio nulla eſt, quia ſi per poſſibile, eſſent duo obiecta perfectè præſentia alicui intellectui in ratione obiecti, ipſe intellectus, cùm ſit cauſa merè naturalis, ſtatim intelligeret illa ſimul, licèt fortè non æquè perfectè: cùm ergo per talem habitum, ſecundùm Henricum & per ſpeciem, ſecundùm Thomam, ſint plura obiecta perfectè præſentia intellectui, erit ratio ſimul producendi diſtinctam cognitionem illorum obiectorum; quòd enim agens non producat plura ſimul, pura quòd homo non producat decem homines ſimul, hoc poteſt contingere ex indiſpoſitione agentis, vel ex indiſpoſitione paſſi. Nam ſi agens, & paſſum eſſent perfectè diſpoſita reſpectu plurium effectuum, ſimul illi effectus producerentur, ſic in propoſito. Nam ex quo talis habitus ſecundùm Henricum, vel ſpecies ſecundùm Thomam, ſit præſens perfectè intellectui Angelico in ratione perfecti repræſentatiui, ſequitur quòd talis intellectus ſimul plura obiecta cognoſcat, quod negant; neque intenſiuè, patet, quia ſi Henricus diceret, quòd habet vnum actum intenſum reſpectu omnium obiectorum aliorum ab Angelo, tunc ille actus eſſet formaliter infinitus, vel poſſet eſſe, ſi obiecta repræſentata eſſent infinita. Hoc patet per probationem Doctoris, quam facit probando actum intellectus diuini eſſe formaliter infinitum. Vide *in primo, diſt. 2. q. 1.* Si etiã diceret Henricus quòd obiecta repræſentata non ſunt infinita: & pono quòd tantùm ſint mille; ſi ille habitus haberet vnum actum adæquatum intenſiuè reſpectu illorum obiectorum quantùm eſt ex parte ſua, non repugnat ſibi infinitas formalis, quia ſi poteſt eſſe vna intellectio æquè perfecta, & æquè intenſa reſpectu plurium obiectorum ſimul ſumptorũ, quorum quodlibet requirit ſpecialem perfectionem in actu cognoſcendi, ſicut cuiuslibet ſeorſum ſumpti, ex parte ſua non repugnaret eſſe infinitorum. & hoc poſſet probari per dicta Doctoris *in primo, diſt. 2.* & à ſimili per Philoſophum 4. *Phy.* quia ſi duo corpora poſſunt eſſe in vno loco: ergo & infinita: ſic in propoſito eodem modo arguatur de ſpecie, quã ponit Tho.

13. g *Contra iſtas duas rationes.* Hic Doctor inſtat contra ſecundam, & tertiam rationem. Contra ſecundam, in qua dictum eſt, quòd ratio intelligendi habet vnum obiectum adæquatum ſibi, in quo includuntur omnia ſcibilia per rationem illam. Hìc dat inſtantiam contrà, quia in Sole eſt tantùm vna forma, ſiue vna ratio formalis producendi generabilia in iſtis inferioribus, & tamen Sol non habet vnum obiectum primum, in quo contineantur omnia alia obiecta virtualiter: non enim omnia generabilia à Sole virtualiter continentur in aliquo vno obiecto, quod reſpiciat Sol vt adæquatum, & vt virtualiter contentiuum omnium generabilium à Sole. Deinde inſtat contra tertiam rationem ibi, nec etiam oportet: nam tertia ratio probabat, quòd vna ratio formalis cognoſcendi poteſt habere aliquem vnum actum intelligendi adæquatum ſibi. Et Doctor inſtat ibi: *Nec etiam oportet*, &c. Dicit, quòd non eſt neceſſe vnam rationem formalem habere vnum actum ſibi adæquatum, & patet de formã Solis, quæ eſt ratio producendi plures effectus.

In Sole eſt tantum vna forma.

14. *Scotus ſoluit inſtantias.* h *Reſpondeo virtus productiua illimitata.* Hìc Doctor ſoluit inſtantias iſtas, & ſolutio ſtat in hoc, quòd non eſt ſimile de ratione formali intelligendi, & de ratione formali producendi alium effectum: quia in cognitione abſtractiua obiectum habet rationem prioris naturaliter reſpectu eius, quod eſt proxima ratio intelligendi, ſcilicet reſpectu ſpeciei intelligibilis, quæ eſt proxima ratio intelligendi abſtractiuè, vt patuit *in primo, diſtinct. 3. quæſt. 6. & 8. & in præſenti, diſtinct. quæſt. vlt.* & ideò vnitas poſterioris de neceſſitate dependet ab obiecto priori, & non poteſt eſſe vnitas poſterioris cum diſtinctione prioris; ex quo ergo obiectum eſt prius ſpecie intelligibili, & cauſa illius, vt ſuprà declaraui; & aliud obiectum eſt cauſa alterius ſpeciei, ſi eſt vnitas ſpeciei intelligibilis, erit tantùm ab vnitate obiecti, cùm dependeat ab ipſo eſſentialiter: ergo ſpecies intelligibilis, puta lapidis, non poterit eſſe ratio repræſentandi aliud obiectum, à quo non dependet, nec proxima ratio intelligendi illud; patet per vnam propoſitionem Doctoris *in primo, diſt. 3. quæſt. 6.* omnis ſpecies impreſſa ab obiecto (loquendo de ratione formali obiecti) repræſentat illud ſub illa ratione, qua imprimitur ab eo. Si dicatur, quòd pluralitas obiectorum

ſtat

ſtat cum vnitate ſpeciei intelligibilis. Contrà, quia ex quo obiectum ſe habet ad ſpeciem in ratione cauſæ, tunc ſequeretur quòd eadem ſpecies dependeret à pluribus cauſis eiuſdem ordinis, quod eſt impoſſibile; & ſic oportet dicere, quòd vna ratio intelligendi in cognitione abſtractiua erit vnius obiecti adæquati, & ſi ſit ratio intelligendi plura, illa plura virtualiter continentur in illo, & hoc eſt quod dicit. Sed de huiuſmodi ſpecie intelligibili, quomodo cauſetur ab obiecto, an proximè, an remotè, vide quæ expoſui in primo, diſt. 3. q. 2. & 6.

15. i *In operationibus autem, quæ non ſunt productiones*, &c. id eſt, in quibus non correſpondet aliquod productum vt terminus, vt ſunt intellectiones, & volitiones, quæ tantùm dicuntur operationes, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 2, parte 2. quæſt. 3.* operationes verò, quæ ſunt productiones, ſunt illæ, quibus correſpondet aliquod productum vt terminus, vt patet de generatione, cui correſpondet genitum.

Dicit ergo hîc Doctor quòd in huiuſmodi operationibus obiectum habet ibi rationē prioris naturaliter reſpectu eius, quod eſt proxima ratio operādi. Hoc nō debet intelligi abſolutè, quia in cognitione intuitiua ratio producendi huiuſmodi cognitionē eſt prior obiecto, vt ſuprà declarauī, ſed habet veritatē in cognitione abſtractiua.

k *Similiter etiam talem formam productiuam*, &c. Hîc ſoluit ſecundam inſtantiam, & dicit, quòd Sol, vel forma productiua Solis, non habet aliquod paſſum ſibi adæquatum, neque intenſiuè, neque extenſiuè, quod ſit receptiuum actionis ſuæ adæquatæ. Hîc autem memoria (puta ſpecies intelligibilis cum intellectu) habet paſſum ſibi adæquatum, & ſic memoria operatiua reſpectu intellectionis hominis, & fortè contentorum in illo, non poteſt eſſe ratio producendi intellectionem alterius obiecti non contenti in illo, cuius eſt prima ſpecies, & habet paſſum ſic adæquatum, puta intellectum poſſibilem, quòd poteſt recipere à tali memoria, niſi tantùm cognitionem hominis, & contentorum in illo, aliter non ſe caperent mutuò partes imaginis. Prima enim pars imaginis eſt memoria fœcunda, videlicet ſpecies intelligibilis, & intellectus; reſpectu tamen cognitionis abſtractiuæ: ſed reſpectu cognitionis intuitiuæ, memoria fœcunda eſt obiectum in ſe præſens intellectui in ratione obiecti actu intuitiuè intelligibilis. Secunda pars imaginis eſt intellectio adæquata tali memoriæ: ſic enim adæquantur, quòd talis memoria non poteſt habere niſi talem intellectionem, & talis intellectio non poteſt eſſe niſi à tali memoria, niſi tale obiectum virtualiter contineatur in alio, quia tunc cognitio illius poſſet eſſe ab obiecto virtualiter continente: eſt ergo operatio præcisè adæquata memoriæ fœcundæ, tam intenſiuè, quàm extenſiuè. Ex his ergo patet, quomodo prima inſtantia nihil concludit contra ſecundam rationem, quia virtus productiua Solis illimitata aliquo modo ad aliquos effectus eſt æquiuoca, & ideò eſt ſimpliciter nobilior, & ſuperior quolibet ſuo effectu, propter quod vnitas eius non dependet ab vnitate effectus, ſed effectus dependent à cauſa iſta, & effectus poſſunt eſſe plures à cauſa Solis exiſtente vna, quia in poſteriotibus poteſt eſſe pluralitas cum vnitate naturaliter prioris, ſed non eſt ſic de ratione proxima cognoſcendi abſtractiuè.

An memoria ſit ratio producendi intellectionem

l *Tertiò arguo ſic.* Hæc quarta ratio ſpecialiter eſt contra Henricum, qui dicit, quòd Angelus per vnum habitum cognoſcit omnia alia à ſe, & Doctor probat hîc, quòd hoc non eſt neceſſe, quia poterit cognoſcere, puta hominem, non habitualiter, id eſt, non mediante habitu, vt ratione formali cognoſcendi. Dicit ergo Doctor ſic: *Ille intellectus non eodem* ſupple habitu *formaliter, nouit habitualiter plura, qui ſine contradictione poteſt noſſe hoc habitualiter, & non noſſe illud*, id eſt, quòd nihil idem eſt neceſſariò ratio formalis proxima cognoſcendi habitualiter plura, ſi vnum illorum poteſt cognoſci, & non per talem rationem: ſed omnis intellectus creatus poteſt noſcere vnum obiectum non noto alio: patet, quia ſi non poſſet noſcere habitualiter A abſque hoc, quòd cognoſceret B, ſine contradictione, aut hoc eſſet ex parte intellectus talis, quod eſt falſum, quia poteſt noſcere vnum habitualiter, & non aliud; aut ex parte neceſſariæ colligantiæ obiectorum, quod falſum eſt, quia vnum illorum intelligi poteſt ab intellectu noſtro alio non intellecto: ergo Angelus non neceſſariò eodem habitualiter nouit illa plura. 16. *Contra Henricum.*

SCHOLIVM.

Arguit contra opinionem Henrici ſpecialiter, quadrupliciter, & primò contra id quod ait illum habitum eſſe eſſentialiter reſpectum: ſecundò, contra id quod ait omne intelligibile creatum eſſe præſens intellectui, per illum habitum.

12. Prætereà in ſpeciali [a] contra primam opinionem de habitu arguo quadrupliciter. Primò contra id, quod ponunt de reſpectu eſſentiali, videtur contradicere Aug. 7. de Trin. c. 2. *Omne quod relatiuè dicitur, eſt aliquid excepto relatiuo:* & probatum eſt diſt. 1. huius ſecundi, quæſt. de relatione creaturæ ad Deum; quòd nulla relatio eſt formaliter, vel eſſentialiter eadem fundamento: licèt per identitatem ſit quandoque eadem res: ſi igitur iſte habitus eſt quædam qualitas & entitas abſoluta, non habet reſpectum ita eſſentialem, quin poſſet ſine ipſo intelligi. *q. 4. n. 21.*

ADDITIO. *Nihil dependet eſſentialiter ad plura eiuſdem ordinis.*

Reſpectus non ponitur eſſe idem alicui, niſi reſpectu illius, ad quod eſſentialiter dependet: ſed ad plura eiuſdem ordinis, non poteſt aliquid eſſentialiter dependere: quia tunc vno terminante dependentiam eius, aliud non terminaret: & ſic eſſet, licèt illud ad quod eſſentialiter aependet, non eſſet, quod eſt inconueniens: ſi autem ponatur talis habitus, omnes quiditates ſub eodem ordine repræſentabit, ita quòd nulla mediante alia, ſed omnes immediatè: igitur, &c.

Præterea, [b] ſi reſpectus ponatur idem alicui abſoluto, non eſt niſi ad prius naturaliter, ſicut patet ex quæſt. præalleg. ille autem reſpectus habitus in intellectu Angelico ad lapidem, non eſt ad prius naturaliter; quia lapis in nullo genere cauſæ, ſe habet reſpectu talis habitus.

Vide 3. d. 1. q. 6. ad hoc.

Secundò [c] contra hoc, quod poſuit obiectum præſens ſub ratione intelligibilis per habitum, & primò per rationem ſuam. Probat enim quòd ſpecies intelligibilis non poteſt eſſe ratio præſentiæ obiecti, quia perficit intellectum, vt ens quoddam eſt, ſicut forma materiam: & per conſequens, non perficiet intellectum, vt intellectus eſt, nec per ſe erit à ſpecie, intelligibile præſens inquantùm intelligibile: multò magis poteſt hoc argui de habitu, quia habitus, inquantùm habitus, eſt perfectio potentiæ

Præterea ſecundò, [d] ſequeretur multò magis in habitu noſtro, qui cauſatur ab obiecto, quòd habitus noſter ſcientialis, eſſet reſpectus, vel illud, per quod obiectum intelligibile præſens eſſet: & ita adepto habitu ſcientiali, non requireretur conuerſio ad phantaſmata, ad actualem intellectionem, quod ipſe negat. Reſpondetur [e] quòd intellectio noſtra dependet à ſenſibus: non ſic intellectio Angeli. 13.

Secundum Henr. habitum, nos poſſemus intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata.

Contrà, [f] ſi neceſſaria colligatio, ſiue reſpectus eſſentialis in habitu, eſt ratio propter quam obiectum eſt ſufficienter præſens per habitum, & ille reſpectus eſt eſſentialior in habitu noſtro, quàm in habitu Angeli, quod videtur, quia cauſatur ab obiecto, non autem ille: igitur propter iſtum reſpectum eſſentialem, magis erit habitus noſter ratio talis præſentiæ, quàm habitus Angelicus.

Angelus ſecundum Henr. non poſſet ſe intelligere ſine habitu.

Tertiò contra hoc, [g] quod dicit quòd omne obiectum intelligibile creatum eſt præſens per iſtum habitum. Hoc enim videtur inconueniens: quia ſi Angelus in puris naturalibus crearetur ſine aliquo tali habitu, quod eſt poſſibile, quia nullam contradictionem includit, cùm ille habitus differat, ſicut qualitas ab eſſentia Angeli, ille Angelus non poſſet ſe cognoſcere: & ita eſſet imperfectior in intellectualitate natura Angeli de ſe, quàm natura hominis, quia natura hominis quantumcunque nuda facta, habet vnde acquirat cognitionem intellectualem aliquorum obiectorum: Angelus autem non poſſet acquirere iſtum habitum, nec ſine iſto poſſet aliquid intelligere: ergo.

Præterea, habitus [h] ſecundùm iſtum, ideò non repræſentat ſingulare ſicut repræſentaret ſpecies, quia non eſt natus generari immediatè ab ipſa re, ſed tantùm per actum intellectus conferentis ſimplicia: ſed ipſe arguit contra ſpeciem, quia quando aliquid genitum à ſua cauſa naturali, natum eſt ſic repræſentare illud ſub illa ratione, ſub qua gignitur ab eo, à quocunque imprimatur, ſemper ſic repræſentabit: igitur habitus qui ſi gigneretur à ſua cauſa naturali, ſequeretur naturaliter apprehenſionem ſimplicium, à quocunque etiam imprimatur, ſequetur & præſupponet illam apprehenſionem ſimplicium: igitur non poteſt eſſe propria ratio apprehendendi ſimplicia. 14.

Præterea quartò, quod dicitur quòd iſte habitus eſt principium cognoſcendi quæcunque diſtincta obiecta, videtur eſſe contra hoc prima ratio contra opinionem primam, quia ſequeretur quòd eſſet naturaliter infinitus.

Quod etiam dicit, [i] quòd naturaliter inclinat in id, ad quod voluntas imperando determinat, videtur eſſe irrationabile: quia illius habitus vt formæ naturalis eſt inclinatio determinata naturalis: & ſi ſint multæ inclinationes ad diuerſa, ſunt ordinatæ, ita quòd ſaltem vna eſt prima: & per conſequens vti eo ad aliquid ad quod non inclinatur, primò videtur eſſe contra primam inclinationem eius naturalem, & ita non merè naturaliter ad hoc inclinabitur. Nec videtur rationabile, quod vna forma naturalis, quantùm ad inclinationem ſuam naturalem, ſubſit voluntati creatæ: ſi enim graue manens actu graue moueretur ſurſum à Deo, etſi graue ſit in perfecta potentia obedientiali ad Deum: non tamen videtur moueri paſſiuè naturaliter ex parte ſua. Et quicquid ſit ibi, non videtur quòd aliqua forma naturalis in inclinatione ſua naturali, ſubſit omnino in omni actu ſuo, voluntati creatæ: ita quòd ad hoc naturaliter inclinetur, ad quod voluntas creata vult eam inclinari.

Forma naturalis non ſubeſt creaturæ ſecundum inclinationem naturalem.

Graue non aſcendit ſurſum naturaliter ne detur vacuum. 3. d. 27. n. 17.

Præterea, [k] quomodocunque ipſe poterit dicere, quòd per imperium voluntatis habitus repræſentet aliud & aliud; multò meliùs poteſt poni quòd habens multas ſpecies intelligibiles, poſſet vti nunc vna ſpecie, nunc alia: & erit naturalitas in qualibet ſpecie repræſentante, & inclinante ad ſuum obiectum: & libertas in ipſo vtente hac ſpecie, vel illa:

COMMENTARIVS.

1. a *Preterea in ſpeciali arguitur*, &c. Henricus dixit, quòd ille habitus habet reſpectum eſſentialem ad obiectum præſentatum. Et hoc Doctor improbat, quia tunc ſequeretur quòd talis habitus eſſet eſſentialiter, & quiditatiuè relatio, & ſic videtur contradicere Auguſtino, qui vult, quòd *omne, quod relatiuè dicitur, eſt aliquid excepto relatiuo*, id eſt, quòd omne illud, quod relatiuè eſt ad aliud, de neceſſitate includit aliquod abſolutum, quod eſt fundamentum, vel ſubiectum talis relationis, vt prolixè expoſui *in primo, diſt. 1. quæſt. 2.* Si ergo ille habitus neceſſariò refertur ad ſubiectum, ergo includit aliquod abſolutum, in quo fundatur relatio ad ſubiectum, & tale abſolutum non poteſt eſſe eſſentialiter relatio. *Si igitur iſte habitus eſt quædam qualitas, & entitas abſoluta, non habet reſpectum ita eſſentialem, quin poſſet ſine ipſo intelligi*, & præcipuè loquendo de reſpectu quem habet ad obiecta, quicquid ſit de reſpectu quem habet ad Deum creantem, & conſeruantem illum habitum, qui ponitur idem realiter cum creatura; ſed iſte reſpectus ad obiecta non videtur eſſe idem cum habitu: patet, quia omnis relatio, cuius fundamento non repugnat poſſe eſſe ſine termino, realiter diſtinguitur à fundamento, vt patet à Doctore in iſto ſecundo, diſt. 1. q. 5. ſed non repugnat tali habitui creato, poſſe eſſe ſine tali, vel tali obiecto, ergo.

Optima expoſitio.

Scotus arguit contra ſeiptũ.

2. b *Præterea, Si reſpectus ponatur idem alicui*, &c. quia Henricus fortè diceret, quòd talis habitus dicit reſpectum eſſentialem, ſic intelligendo non quòd ſit de eſſentia illius, ſed quòd ſit intrinſecus, & idem realiter illi habitui. Et Doctor probat hîc, quòd non poteſt eſſe idem realiter illi, quia relatio, quæ identificatur fundamento; ex hoc identificatur illi, quia ipſum fundamentum dependet in *eſſe*, & *conſeruari* ab aliquo priori, ad quod prius terminatur talis relatio, vt patet de relatione creaturæ ad Deum: talis enim relatio creaturæ ad Deum ex hoc identificatur realiter creaturæ, quia ipſa dependet in *eſſe*, & in *conſeruari* ab ipſo Deo; ſed iſte habitus non eſt ad obiectum tanquam ad aliquod prius, à quo dependeat in *eſſe*, & *conſeruari*; patet, quia ipſe Henr. poſuit illũ habitũ immediatè creari à Deo.

Scotus improbat Henricum.

c *Secundò contra hoc, quod poſuit obiectum*, &c. Hîc Doctor intendit improbare Henricum quantùm ad hoc, quod dixit per illum habitum habetur præſentia obiecti ſub ratione actu intelligibilis, & adducit primò rationem Henrici contra Scotu: probat enim Henricus, quòd ſpecies intelligibilis non poteſt eſſe ratio præſentiæ obiecti, quia perficit intellectum, vt ens quoddam, ſicut forma materiam, & per conſequens non perfi it intellectum, vt intellectus eſt, nec per illam erit intelligibile præſens, inquantùm intelligibile, multò magis poteſt hoc argui de habitu, quia habitus inquantum habitus, eſt perfectio potentiæ, vt patet.

3. d *Prætereà ſecundò ſequeretur*, quòd habitus noſter ſcientialis eſſet illud, per quod obiectum intelligibile præſens eſſet, & ita adepto habitu ſcientiali non requireretur conuerſio ad phantaſma ad actualem intellectũm, quod ipſe negat. Vult enim Henricus quòd intellectus noſter non poteſt habere actualem intellectionem, puta albedinis niſi fiat conuerſio ipſius ad phantaſma albedinis, in quo relucet obiectum, quæ opinio eſt improbata ſuprà *in primo, diſt. 3. q. 6. & 7. & diſt. 27.* & hoc vult, quia præſentia obiecti non poteſt haberi niſi virtute phantaſmatis. Hîc ergo Doctor arguit contra ipſum, quia ſi obiectum eſt perfectè præſens per habitum, ergo adepto tali habitu obiecti poterit ipſum obiectum intelligi, cùm ſit ibi perfectè præſens abſque hoc, quòd fiat conuerſio ad phantaſma illius obiecti, quod tamen ipſe negat.

Scotus accipit rationem Henrici.

e *Reſpondetur, quòd intellectio noſtra dependet à ſenſibus, non ſic intellectio Angeli.* Diceret Henricus quòd non eſt ſimile de intellectu noſtro, & de intellectu Angeli, quia intellectio noſtra dependet à ſenſibus, & per conſequens non poteſt haberi præſentia obiecti in ratione intelligibilis, niſi per aliquod phantaſma repræſentans illud: ſed intellectio Angeli nullo modo dependet à ſenſibus, & ideò poteſt habere præſentiam obiecti abſque tali phantaſmate.

f *Contrà, ſi neceſſaria colligatio.* Hîc Doctor arguit à fortiori, probando ex dictis Henrici quòd per habitum ſcientialem noſtrum magis habeatur præſentia obiecti in ratione intelligibilis, quàm per habitum concreatum ipſi Angelo, & ratio ſtat in hoc. Henricus vult, vt ſupra patuit, quòd per habitum concreatum, inquantum habet reſpectum eſſentialem ad obiectum, habeatur præſentia obiecti in ratione intelligibilis: ergo à fortiori, cùm habitus noſter ſcientialis, dicat reſpectum magis eſſentialem ad obiectum, patet quia habitus noſter ſcientialis eſſentialiter dependet ab obiecto, ſed non ſic habitus concreatus Angelo: ergo magis habetur præſentia obiecti per habitum noſtrum, & ſi ſic: ergo præſentia obiecti in ratione intelligibilis non habetur præcisè per phantaſma illius obiecti.

4. *Angelus non eſt creatus in puris naturalibus.*

g *Tertiò contra hoc, quod dicit, quòd omne obiectum intelligibile creatum eſt præſens per iſtum habitum*; & ratio ſtat in hoc, quia ſi Angelus eſſet creatus in puris naturalibus, ſequeretur quòd non poſſet nec ſe, nec aliud intelligere, & ſic eſſet imperfectior intellectu noſtro, qui ſine tali habitu concreato poteſt plura obiecta cognoſcere.

h *Prætereà habitus, ſecundùm iſtum*, &c. Hîc Doctor vult probare, quòd Angelus non cognoſcat omnia ſimplicia per illum habitum, quia non terminos ſimplices. Et hoc probat ex dictis Henrici. Dixit enim ipſe, quòd ideò habitus non repræſentat ſingulare, quia non eſt natus generari immediatè ab ipſa re cuius eſt; ſpecies verò intelligibilis repræſentat ſingulare, quia eſt nata cauſari immediatè à re, cuius eſt: & vult quòd habitus noſter ſit natus cauſari tantùm per actum intellectus conferentis vnum obiectum ad aliud, & ſic talis habitus præſupponit cognitionem obiectorum ſimplicium, & Doctor hîc accipit rationem Henrici, quam facit contra ſpeciem, probando quòd ipſa non repræſentat vniuerſale; & ratio ſua talis eſt, quando aliquod generatur à ſua cauſa naturali, natum eſt ſic repræſentare à quocunque imprimatur, ſemper ſic repræſentabit; ſed ſpecies intelligibilis ſi generaretur, puta ab albedine, nata eſſet repræſentare tantùm albedinem ſingularem,

& per conſequens à quocunque imprimeretur talis ſpecies intelligibilis, ſiue à Deo, ſiue ab alio ſemper repræſentaret eandem albedinem. Ex hoc arguit Doctor contra ipſum, quia ſi habitus immediatè generaretur ab actu conferente vnum obiectum ad aliud obiectum tantùm repræſentaret complexum; patet, quia ille actus cauſatiuus habitus præſupponit cognitionem obiectorum: ergo ſi talis habitus imprimatur à Deo, tantùm erit ratio cognoſcendi complexa, & non terminos ſimplices: ergo Angelus ſaltem potuit cognoſcere terminos ſimplices, vel quiditates ſine tali habitu.

5. i *Quod etiam dicit, quòd naturaliter inclinat in id.* Dixit Henricus ſuprà, quòd voluntas inclinat habitum ad aliud, & aliud obiectum, & imperando dat ſibi talem inclinationem naturalem, quod videtur impoſſibile, *quia illius habitus, vt forma naturalis eſt naturalis inclinatio determinata* ſicut grauitas, quæ eſt forma naturalis habet determinatam inclinationem ad centrum, & ſic talis habitus, cùm ſit forma naturalis, habebit determinatam inclinationem ad aliquid. Si dicatur, quòd in tali habitu ſunt mille inclinationes ad diuerſa, ordinatè tamen ſic, quòd vna eſt prima ad vnum obiectum, & alia ratio ad aliud, & ſic de aliis.

Contra Henricum. Contra hoc arguit Doctor ibi; *& per conſequens vti eo*, &c. Pono caſum, quòd primò inclinet ad cognitionem Angeli. Secundò ad cognitionem hominis, ſi voluntas vtitur tali habitu, inclinando ipſum ad hominem, tunc ipſa facit ipſum eſſe inclinatum ad aliquod, quod eſt contra primam inclinationem eius naturalem, & ſi ſic talis habitus non merè naturaliter inclinabitur ad hominem: nec videtur rationabile, quòd vna forma naturalis quantùm ad inclinationem ſuam naturalem ſubſit voluntati creatæ. Si enim graue manens actu graue moueretur ſurſum à Deo, & poſito quòd ſit in perfecta potentia obedientiali ad Deum, non tamen videtur moueri paſſiuè naturaliter ex parte ſua, id eſt, quòd non habet naturalem inclinationem ad talem motum. Sequitur ibi t *Et quicquid ſit ibi non videtur*, &c. Hoc dicit Doctor, quia dixit paulò antè, quòd graue motum ſurſum à Deo non videtur moueri naturaliter ex parte ſua, poſſet aliquis arguere; ergo mouetur violenter. Diceretur fortè, quòd non ſequitur, quia ipſum graue eſt in perfecta potentia obedientiali ad Deum, nam ſicut tota entitas grauis eſt in perfecta potentia obedientiali ad Deum, ita quòd poteſt illam conſeruare, & deſtruere, ſi vult ita quodlibet conſequens talem entitatem. Nam dicit Doctor *in tertio, diſt.* 1. *queſt.* 1. quòd natura humana habet naturalem inclinationem ad proprium ſuppoſitum, & ſic ſi eſt in ſuppoſito diuino, eſſet ibi violenter. Diceretur, quòd non, quia ipſa natura humana eſt in perfecta potentia obedientiali ad ipſum Deum, vt patebit *in tertio, diſt.* 1. *q.* 1.

Graue eſt in perfecta potentia obedientiali.

k Præterea. Hîc Doctor intendit ſaluare magis inclinationem naturalem ad aliud, & aliud obiectum per aliam, & aliam ſpeciem, quàm per ipſum habitum concreatum, & ideò dicit *quomodocunque ipſe* Henricus *poſſet dicere, quòd per imperium voluntatis habitus repræſentet aliud, & aliud* obiectum, *multò melius poteſt poni*, &c.

SCHOLIVM.

Reſoluit Doctor ad cognoſcendas diſtinctas naturas, ponendas in Angelo diſtinctas ſpecies, quæ non ſunt eſſentialiter, ſed accidentaliter habitus, quòd verò tales ſpecies in eo ſint, probat; quia aliàs non poſſet cognoſcere quiditatem non exiſtentem, quam nos cognoſcimus. Secundò, Angelus ſuperior cognoſcere poteſt inferiorem abſtractiuè per ſpeciem, ergo & ipſe inferior ſic ipſum.

Ad cognoſcendas diſtinctas quiditates eget Angelus diſtinctis ſpeciebus.

AD quæſtionem a igitur concedo concluſiones quatuor primarum rationum, quæ probant quòd Angelus ad cognoſcendum diſtinctas quiditates, habeat diſtinctas rationes cognoſcendi. Et ſi quæratur, quæ ſunt illæ rationes cognoſcendi? Dico, quòd habet rationes cognoſcendi alias ab eſſentiis cognitis repræſentantes eas, quæ rationes propriè & verè dicuntur ſpecies intelligibiles: & ſi ab aliquibus b dicantur habitus, per hoc exprimuntur accidentaliter, vt per accidens ſpeciei, & in vniuerſali. Nam ratio habitus accidit ſpeciei prout ſpecies eſt in intellectu, à quo non de facili deletur: & ideò habet rationem habitus, quia rationem formæ permanentis, ſed hoc non dicitur in *quid* de hac qualitate, ſicut habitus non dicitur in *quid* de ſpecie: eadem enim eſſentia abſoluta in genere Qualitatis poteſt eſſe habitus & diſpoſitio. Similiter habitus eſt c vniuerſale ad talem ſpeciem intelligibilem fixam, quia licèt omnis talis firmata, ſit habitus: non tamen è conuerſo. Imò nec omnis habitus intellectualis eſt eiuſdē ſpeciei cum ſpecie intelligibili eiuſdē obiecti. Quod patet, tum, quia ſpecies primi obiecti, quod non eſt præſens naturaliter per eſſentiam, præcedit naturaliter actum cognoſcendi illud: habitus autem reſpectu illius obiecti, ſequitur naturaliter illa ex quibus generatur: idem autem eſſentialiter non ſequitur naturaliter, & præcedit naturaliter; quia non eſt circulus in eſſentialiter ordinatis, nec in cauſis, nec in cauſatis. Tum, quia habitus poteſt eſſe intenſior cuius ſpecies intelligibis eſt remiſſior, & è conuerſo: nam habens intellectum imperfectum, in quo recipitur ſpecies intelligibilis imperfecta, habet ſpeciem intelligibilem remiſſiorem quàm alius habens perſpicaciorem intellectū. Quod patet, quia cauſæ naturales in iſto & in

15.

Vide Scot. 1. d. 3. q. 6.

& in illo ſunt inæquales, ſcilicet intellectus agens,& phantaſma: & cauſæ naturales agunt ſecundùm vltimum ſuæ potentiæ: ergo ſpecies intelligibilis in iſto imperfectioris intellectus eſt remiſſior, quàm in illo perfectioris, vbi eſt intenſior: & tamen ille tardior poteſt frequentiùs conſiderare iſtud intelligibile, cuius habet ſpeciem, & ex hoc habere intenſiorem habitum reſpectu illius obiecti, qui habitus ſit qualitas facilitans ad conſiderationem iſtius obiecti.

Sic igitur per accidens, [d] & in vniuerſali dicitur iſta ratio intelligibilis habitus: per ſe autem, & eſſentialiter dicitur eſſe talis ratio, ſpecies intelligibilis; quia in hoc propriiſſimè exprimitur: magis propriè etiam, quàm in ratione ſimilitudinis.

16. Quòd autem talem rationem cognoſcendi aliam ab eſſentia ſua, habeat Angelus reſpectu aliarum quiditatum à ſe: probatur, quia cognoſcit per aliquid, per quod illas quiditates cognoſceret, etiam ſi illæ quiditates non eſſent in ſe exiſtentes. Hoc enim eſt perfectionis in intellectu noſtro, quòd habemus cognitionem actualem de re ipſa non exiſtente: igitur multò magis conuenit intellectui Angelico: ſed talis cognitio de re, quæ poteſt haberi de ipſa non exiſtente in ſe, non poſſet haberi, niſi per rationem repræſentantem ipſam, igitur. Et ex hoc ſequitur vlteriùs quòd etiam de quiditate ſua habeat rationem cognoſcendi, quia nulla cognitio ex ſuo genere imperfecta conuenit ſuperiori Angelo, quin inferior poſſet habere de eodem imperfectiorem ſecundùm genus: ſed ſuperior poteſt habere de inferiori cognitionem, ex iam probato per ſpeciem, & per eſſentiam: cognitio autem per ſpeciem, eſt imperfectior ex ſuo genere, cognitione per eſſentiam: igitur Angelus inferior poteſt habere de ſe cognitionem per ſpeciem.

Angelus ſine ſpecie non cognoſcit non exiſtentia.

Angelus poteſt ſe cognoſcere per ſpeciẽ.

Et ſi obiicitur, quòd hoc contracicit dictis *in prima quæſt.* quòd Angelus cognoſcit ſe per eſſentiam ſuã; Dico, quòd Angelus quamlibet quiditatem aliam à ſe, & ſuam, & ſeipſum poteſt cognoſcere per eſſentiam, quando cognoſcit cognitione intuitiua, ſcilicet ſub ratione, qua præſens eſt in exiſtentia actuali: & poteſt cognoſcere per ſpeciem, quando cognoſcit eam cognitione abſtractiua: de qua aliquantulum tangetur diſt. 9. quæſt. de locutione Angelorum.

quæſt. 2.

COMMENTARIVS.

1. a AD *quæſtionem igitur.* Hîc vult Doctor quòd Angelus cognoſcat alias quiditates à ſe, loquendo de cognitione abſtractiua per aliam, & aliam ſpeciem intelligibilem, quæ eſt ratio repræſentandi illam quiditatem, & cauſandi partialiter cognitionem illius quiditatis, ita quòd ſi ſint duæ naturæ ſic diſtinctæ, quòd vna non contineatur in alia virtualiter, nec contineantur ipſæ in aliis quiditatibus. Angelus de neceſſitate habet aliam, & aliam ſpeciem intelligibilem. Et ſicut dixi de duabus quiditatibus, ſic de omnibus aliis dico. Et vult etiam Doctor quòd Angeli habeant ſpecies intelligibiles reſpectu quiditatũ vniuerſalium concreatas, ita quòd in eodem inſtanti, quo Angelus creatus fuit à Deo ſimul omnes ſpecies intelligibiles quiditatum vniuerſalium concreatæ fuerunt à Deo.

Angeli habẽt ſpecies intelligibiles.

b Sequitur: *Et ſi aliquibus*, &c. Hîc nota quòd habitus in propoſito accipitur dupliciter. Primò, vt eſt habitus cauſatus ex pluribus cognitionibus, vel ſaltem ex vna valde intenſa, vt dicit Doctor alibi. Talis ergo habitus cognoſcitiuus acquiſitus in nobis includit hoc, quòd ſit qualitas ſequens cognitionem, & ſic qualitas permanens, dum verò ex pluribus cognitionibus cauſatur quædam habilitas in intellectu, & non habens perfectam permanentiam in ipſo, vocatur diſpoſitio. Secundò accipitur habitus, vt eſt qualitas permanens & fixa, non tamen cauſata ab actu intelligendi; & hoc modo ſpecies intelligibilis poteſt dici habitus, quia eſt quædam qualitas permanens in ipſa anima, & ſic permanens, quæ nunquam deletur, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 3. Hæc tamen qualitas non eſt cauſata ex frequentatis cognitionibus, neque ex vna valde intenſa, imò ipſa eſt cauſa partialis primæ cognitionis abſtractiuæ, vt patet *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 6. & 8. & *diſt.* 17. & accidit tali ſpeciei intelligibili talis permanentia, ſeu fixio. Poteſt ergo dici talis ſpecies habitus in generali, accipiendo habitum pro qualitate permanente. Sequitur: *Sed hoc non dicitur in quid*, &c. id eſt, quòd qualitas, vt permanens, non prædicatur in *quid* de hac qualitate, quæ eſt ſpecies intelligibilis, nam qualitas, vt permanens eſt vnus conceptus per accidens, vt patet; & talis conceptus non prædicatur nec in *quid*, nec per ſe de aliquo, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 2. *q.* 2. vel ſi accipiatur ipſa permanentia in ſe non prædicatur in *quid*. Nam accidit ſpeciei intelligibili, quòd ſit permanens, non enim hoc eſt de ratione ſua intrinſeca, vt patet. Sequitur, *ſicut habitus*, id eſt, quòd ſicut habitus, qui includit permanentiam, non prædicatur in *quid* de ſpecie intelligibili, ſic nec talis permanentia non prædicatur in *quid*, cùm accidit ſibi: & quòd ſibi accidat, patet etiam de qualitate abſoluta, quæ dicitur habitus. Nam eadem qualitas abſoluta aliquando dicitur diſpoſitio, & ſic de facili mobilis; aliquando habitus, & ſic de difficili mobilis.

Accidit ſpeciei intelligibili vt ſit permanens.

2. *Similiter habitus eſt vniuerſale*, &c. Quia hæc eſt vera, quòd talis ſpecies intelligibilis eſt habitus, accipiendo *habitum* pro qualitate fixa, & non è contra, quia non omnis habitus, vt etiam dicit qualitatem fixam, eſt ſpecies intelligibilis; patet de habitu ſcientifico, qui eſt qualitas fixa in anima, & tamen non eſt ſpecies intelligibilis: ſic

Doctor dicit *in primo, diſt. 3. quæſt.6.* quòd ſpecies intelligibilis hoc modo dicitur habitus. Sequitur: *Imo nec habitus intellectualis.* Doctor probat quòd habitus intellectualis, ſiue ſcientificus differat ſpecie à ſpecie intelligibili, & ſic patet quòd ſpecies intelligibilis non eſt habitus ſcientificus, ſiue intellectualis, de quo loquitur Henricus.

Species intelligibilis quomodo dicatur habitus.

Sic igitur per accidens, &c. id eſt, quòd ipſa ſpecies intelligibilis dicitur habitus modo expoſito: Sequitur: *Per ſe autem, eſſentialiter*, id eſt, quòd loquendo in particulari, & ſecundùm rationem formalem, talis qualitas debet dici propriiſſimè ſpecies intelligibilis. Sequitur, *quia in hoc propriiſſimè*, &c. id eſt, quòd talis qualitas propriiſſimè exprimitur per ſpeciem intelligibilem, & per accidens exprimitur per habitum: & dicitur ſpecies intelligibilis, quia per ipſam obiectum eſt actu intelligibile, quia per ipſam eſt in potentia propinqua vt intelligatur, vt ſuprà declaraui: & quia talis qualitas, vt talis, eſt repreſentatiua obiecti intelligibilis, & partialis cauſa cognitionis illius, & per habitum, vt habitus non eſt præſens intelligibile, vt intelligibile, ideò propriiſſimè talis qualitas dicitur ſpecies intellligibilis. Sequitur. *Magis proprie*, &c. id eſt, quòd talis qualitas magis exprimitur per hoc, quod dicitur ſpecies intelligibilis obiecti, quàm ſi diceretur ſimilitudo obiecti, quia ſimile non eſt ratio repræſentandi aliud ſimile, vt patet, nec etiam ſimilitudo eſt ratio intelligendi obiectum, nec obiectum dicitur actu intelligibile per, hoc, quòd *A* eſt ſibi perfectè ſimile.

e *Quòd autem talem*, &c. Hìc Doctor probat primò, quòd Angelus (loquendo de cognitione abſtractiua) per aliam rationem cognoſcendi cognoſcit aliam quiditatem à ſe, quàm per eſſentiam propriam. Et ſecundò probat, quòd ſicut vnus Angelus poteſt cognoſcere alium abſtractiuè per ſpeciem intelligibilem repræſentantem illum alium, & intuitiuè per exiſtentiam alterius ſibi præſentis, ſic etiam poteſt cognoſcere ſeipſũ abſtractiuè, & intuitiuè. Probat ergo primò, quòd cognoſcat per ſpecies intelligibiles, quia ſi illæ quiditates non eſſent actu exiſtentes, cognoſceret eas, non intuitiuè, patet: ergo abſtractiuè, ergo per ſpecies intelligibiles. Patet conſequentia, quia hoc eſt perfectionis in intellectu noſtro, ſic poſſe cognoſcere rem, quando non exiſtit: & talis cognitio non poteſt haberi naturaliter, niſi per ſpeciem illius rei, loquendo de cognitione diſtincta abſtractiua; niſi fortè talis res virtualiter, & adæquatè contineatur in alio obiecto, & ſic per ſpeciem illius poſſet cognoſci.

Quòd autem in tali cognitione requiratur ſpecies, patet, quia per ſpeciem illam habetur præſentia obiecti in ratione actu intelligibilis, vt patet hìc, *in primo.diſt.3.q.6.* & 8. id eſt, quòd ipſa eſt ratio formalis cognoſcendi abſtractiuè tale obiectum, vt aliàs expoſui. Si igitur hoc eſt perfectionis in intellectu noſtro, magis erit perfectionis in intellectu Angeli. Secundò probat, quomodo etiam Angelus poſſit cognoſcere ſe, non tantùm intuitiuè, ſed etiam abſtractiuè per ſpeciem intelligibilem ſui, quia Angelus ſuperior poteſt habere cognitionẽ per ſpeciẽ de inferiori Angelo; ergo & inferior de ſeipſo, quia nulla cognitio ex ſuo genere imperfecta cõuenit ſuperiori Angelo, quin inferior poſſit habere de eodẽ imperfectioré ſecundùm genus, ſcilicet abſtractiuæ cognitionis.

Quomodo Angelus poſſit cognoſcere

SCHOLIVM.

Soluit argumenta principalia, explicando optimè varia axiomata, ad multa deſeruientia.

Ad arg. 1. initio q. Species ſunt ſicut numeri explicatur de quo ſup. q.7.n.8.

17. A D argumenta[a] principalia. Ad primum dico, quòd intentio Philoſophi 3. Metaph eſt de ſpeciebus ſubalternis. patet ex prima proprietate numeri, vbi vult, quòd ſicut numerus ſtat ad indiuiſibilia, ita reſolutio definitionũ, ſtat ad indiuiſibilia; igitur quiditates iſtæ ſunt ordinatæ in vniuerſo, ſicut numeri ſunt ordinati reſolubiles in vnitatem, loquitur ergo de ſpeciebus ſubalternis: & ita non eſt ad propoſitum loquendo de ſpeciebus ſpecialiſſimis in vniuerſo, tamen ſi de illis accipiatur, non ab authoritate, ſed tanquam aliquid in ſe verum: dico, quòd ſuperior Angelus habet perfectiorem entitatem, quàm inferior: non tamen includit totam entitatem inferioris, ita quòd inferior non differat ab eo, niſi per negationem: non enim ſpecies in vniuerſo diſtinguuntur per negationes, ſed per proprias rationes. Veruntamen eſſentia diuina, quæ infinita eſt, includit eminenter omnes perfectiones: & ideò nulla ſuperior eſt ſufficiens ratio cognoſcendi inferiorem, ſed ſola eſſentia diuina.

Ad confirmationem Species ſuperiores nõ includunt inferiores.

Ad illud ſecundi de Anima,[b] dico, quòd Philoſophus loquitur ibi ſpecialiter de ſenſitiua, & vegetatiua, & intellectiua: nec eſt ſimile de ſpeciebus numerorum, & figurarum, & ſpeciebus ſpecialiſſimis in vniuerſo: quia numeri & figuræ maiores, includunt minores, ſicut partes ſecundùm totam entitatem eorum: & ex hoc ſunt rationes ſufficientes cognoſcendi eos: non ita ſpecies in vniuerſo ſuperiores includunt inferiores.

Ad 2.

Ad ſecundum dico,[c] quòd ſpecies rei materialis eſt perfectio Angeli in *eſſe* intelligibili non quidem ſubſtantialis, vel eſſentialis, ſed accidentalis: & talis non ſemper excedit ſuum perfectibile ſimpliciter, imò omne accidens eſt ſimpliciter minus ens, quàm ſubſtantia, ex 7. Metaphyſicæ.

Tex.com.4.

Et ſi dicatur, qualiter poteſt eſſe perfectio accidentalis naturæ ita perfectæ, ſi eſt inferior

inferior infima natura, ſcilicet ſubſtantiæ corporalis? Dico, quòd non eſt omnino inferior illa natura, quia non eſt effectus eius, vt cauſæ totalis; ſed eſt effectus eius & intellectus Angeli, tanquam aliquorum integrantium vnam cauſam totalem. Poſſibile autem eſt effectum alicuius cauæ partialis excedere ſuam cauſam partialem: quia aliquid perfectionis poteſt habere ab alia cauſa partiali propter quam perfectionem, poteſt excedere illam cauſam partialem: ita quòd ſpecies albedinis in intellectu Angeli, eſt perfectio intellectus eius, non quidem perfectior entitas, entitate, quæ eſt albedo, ſecundùm quòd eſt genita ab albedine, quia vt ſic, deficit aliquo modo ab entitate ſimpliciter, quia eſt accidens genitum ab albedine: ſed quia eſt etiam genita ab intellectu Angeli, eſt perfectio vitalis, & quodammodo perfectior ipſa albedine: ſed iſte exceſſus perfectionis, non eſt niſi ſecundùm *quid*.

Effectus quandoque perfectior ſua cauſa partiali.

Species intelligibilis albi, perfectior albo.

Ad vltimum patet, quòd ſimul ſtant quòd intelligat ſe per ſpeciem & per eſſentiam, ſicut quæcunque alia à ſe: & hoc naturaliter, excepta ſola eſſentia diuina.

COMMENTARIVS.

1. *Quomodo auctoritas philoſophi non ſit ad propoſitum.*

a *AD argumenta principalia.* Ad primum, dicit Doctor quòd auctoritas Philoſophi non eſt ad propoſitum, quia loquitur ibi de ſpeciebus ſubalternis, quod patet per primam conditionem, & comparationem diſtinctionis, vt ſuprà declaraui *in primo, diſt.* 17. *quæſt. vlti.* nam ſicut numerus reſoluitur ad indiuiſibile, puta ad vnitatem, ſic definitio ſpeciei tandem reſoluitur ad aliquid omnino indefinibile; quod patet, quia ſi definiatur homo, quòd *eſt ſubſtantia corporea, animata, ſenſibilis, rationalis*; dempto *rationali*, adhuc reſtat definitio animalis, quia ſubſtantia corporea animata ſenſibilis: & ſic ſuperius ad hominem adhuc eſt definibile, & dempto *ſenſibili*, adhuc reſtat definitio animati, & ſic animatum eſt definibile, dempto *animato*, adhuc reſtat definitio corporis; dempto autem *corpore* reſtat ipſa ſubſtantia, quæ non eſt definibilis, & ſic loquitur Ariſtoteles de ſpeciebus ſubalternis, includendo etiam ſpeciem ſpecialiſſimam, quòd tandem deuenitur ad aliquod omnino indiuiſibile.

2. Si dicatur, ſubſtantia non eſt ſpecies. Dico, quòd accipit ibi Doctor ordinem ſuperioris, & inferioris, ita quòd eſt deueniendum ad aliquod ſuperius, quod omnino eſt indiuiſibile, id eſt, indefinibile, ſicut etiam numerus reſoluitur ad vnitatem omnino indiuiſibilem. Et non loquitur Ariſtoteles de ſpeciebus ſpecialiſſimis, quia non dicimus quòd vna ſpecies reſoluitur in aliam, nec quòd ſit definibilis per aliam, ſicut numerus reſoluitur in vnitatem, & ſic patet, quòd illa auctoritas non eſt ad propoſitum. Sequitur: *Tamen ſi de illis accipiatur.* Dicit quòd fortè ſecundùm veritatem ſpecies ſpecialiſſimæ habent ſe ſicut numeri, vt expoſitum eſt ſuprà. Et cùm infertur, ergo ſicut maior numerus continet minorem, ita ſpecies perfectior continet minùs perfectam. Dicit Doctor quòd ſpecies perfectior, puta Angelus, non continet imperfectiorem, puta lapidem ſecundùm ſuam entitatem. Et ſic dicit, quòd non ſic contingit, ita quòd inferior non differat ab eo, niſi per negationem, puta, quòd lapis, qui eſt perfectionis vt octo, & Angelus, qui eſt perfectionis vt decem, differat ab Angelo tantùm per negationem maioris perfectionis in Angelo. Sed dicit, quòd ipſe lapis differt ab eo poſitiuè, ſcilicet per propriam rationem formalem, puta per vltimam differentiam conſtituentem lapidem in *eſſe* ſpecifico.

Sed hîc oriuntur aliquæ difficultates. Prima eſt iſta, nam dicit Doctor *in quarto, diſt.* 1. quòd ſpecies perfectior eminenter, vel virtualiter continet imperfectiorem, & hîc dicit oppoſitum.

3. *Difficultates circa literam Scoti.*

Item, *in d.* 2. *q.* 1. *primi*, dicit quòd cauſæ eſſentialiter ordinatæ ſic ſe habent, quòd ſuperior eſt perfectior eſſentialiter, & inferior agit in virtute ſuperioris; ſi ſic, ergo ſpecies ſuperior cõtinet virtualiter inferiorẽ, quæ agit in ſuperioris virtute.

Item, *in prologo quæſt. penult. de ſcientia ſubiecto*, dicit, quòd continere virtualiter eſt continentia cauſalitatis: ſed vna ſpecies ſuperior, puta, Sol cauſat aliquem inferiorem, ſiue multa indiuidua alicuius inferioris; ergo continet virtualiter, cuius oppoſitum hîc dicit.

Quomodo relatio cognoſcatur.

Item, ipſe vult, quòd relatio cognoſcatur per ſe ratione termini, & fundamenti, ita quòd terminus, & fundamentum ſunt ratio formalis intelligendi illam, vt patet à Doct. *in primo, diſt.* 8. *quæſt.* 3. & poteſt elici ab ipſo *in prologo q.* 1. *& in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 3. Et tamen vult, quòd obiectum faciens notitiam alterius contineat illud virtualiter, vt patet ab ipſo *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 1. & poteſt elici *quæſt.* 3. & 7. & patet expreſsè *diſt.* 8. *quæſt.* 2. & 3. *& in ſecundo, diſt.* 3. *quæſt.* 9. & tamen fundamentum, & terminus diſtinguuntur ſpecie ab ipſa relatione, cùm ſint diuerſorum Prædicamentorum.

4. *Solutio diffi.*

Reſpondeo, quòd Doctor *in quarto* vult, quòd ſpecies ſuperior contineat eminenter inferiorem, ſed talis eminentia eſt duplex. Nam quædam eſt eminentia per eſſentiam, & nullo modo per participationem, ſicut eſſentia diuina, vt hæc, continet virtualiter, & ſecundùm omnem entitatem quamlibet aliam entitatem, ita quòd ipſa eſt ſimpliciter, & prima ratio eſſendi cuiuſlibet alterius quiditatis, & ſic poteſt eſſe ratio cognoſcendi omnem aliam. Alia eſt eminentia participata: & hæc duplex, quædam eſt eminentia, inquantùm eſt in correſpondentia maioris perfectionis, non tamen illa maior perfectio continet minorem ſecundùm totam entitatem, cùm non poſſit illam producere in *eſſe* ſecundùm totum ſuum *eſſe*, nec conſeruare illud, & hoc modo Angelus non continet aliquam ſpeciem, quia nullus Angelus poteſt generare aliquam formam immediatè, vt patet ſecundùm Philoſophos, & etiam Theologos. Et hoc Doctor infrà, *diſt.* 8. *& in quodlib.* & ſic patet quòd eſſentia Angeli non eſt ratio cognoſcendi eſſentiam inferiorem, cùm non contineat illam virtualiter modo prædicto.

Si

Si dicatur, nónne Angelus poteſt generare mediatè, quia mediante motu cœli fit generatio, vt patet *primo de Generatione*: ergo ſi cœlum generat, vel Sol, ergo in virtute Intelligentiæ mouentis illum.

Angelus non poteſt generare.

Dico, quòd non generat formam nec mediatè, nec immediatè, ſed tantùm mouendo Solem applicat illum ad aliud, & aliud paſſum, & eſſentia Solis eſt ratio generandi, non autem motus ipſius, vt aliàs expoſui.

Ad illud de cauſis eſſentialiter ordinatis, dico abſolutè, quòd cauſa ſuperior continet inferiorem, ſed Angelus non eſt huiuſmodi cauſa; & fortè loquendo propriè de cauſa ſuperiori, in cuius virtute agit ſecunda, & eo modo mouet quo mouetur à prima, fortè non repetitur alia niſi Deus.

3. Contex. 16. Si dicatur 2. *Phyſicorum*, Sol & homo generant hominem, videtur, quòd homo generet in virtute Solis.

Dico, quòd non, quia per impoſſibile deſtructo Sole ſtante natura hominis poſſet generare alium hominem, patet *in quarto, diſt.* 47. in ſimili, benè verum eſt, quòd Commentator *in ſecundo Metaph.* poſuit ſic ordinem eſſentialem cauſarum, quòd ſuperior non poſſit agere niſi agente inferiori: quæ poſitio eſt ſimpliciter falſa, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 2. *quæſt.* 1. *diſt.* 8. *quæſt.* 4. *& in ſecundo, & in quodlib. quæſt.* 7. & ſemper loquor de ordine eſſentiali cauſarum ſimpliciter, & perfecto. Si etiam poneretur ordo eſſentialis inter Deum, Solem, & hominem, &c. poſſet diſtingui de ordine eſſentiali cauſarum. Primò, quòd poſterior licèt agat in virtute ſuperioris, nó tamen ſuperior continet inferiorem ſecundùm totam quiditatem ſuam in eſſendo, licèt in operando, vt aliqui dicunt. Alio modo vt ſuperior continet ſecundùm totam entitatem inferiorem: & iſto ſecundo modo non eſt ordo eſſentialis inter Solem, & hominem. Primus tamen modus non videtur poſſibilis, quia continens cauſalitatem alicuius, perfectè continet etiam entitatem illius perfectè virtualiter, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 2. *quæſt.* 1.

Continentia virtualis eſt duplex.

Ad aliud de ſubiecto ſcientiæ. Dico, quòd continentia virtualis eſt duplex. Quædam eſt per adæquationem; & præciſionem, & ſic ſubiectum adæquatè, & præcisè continet propriam paſſionem, & notitiam illius; & hoc modo loquitur Doctor ibi, quòd taliś continentia eſt ratio cognoſcendi contentum, & licèt Deus non poſſit cauſare cognitionem ſubiecti ipſo ſubiecto non concurrente; tamen poteſt cauſare notitiam perfectam illius paſſionis, quia virtualiter continet totam entitatem hominis, & etiam paſſionis, ſi illa eſſet cauſabilis immediatè.

6. Si dicatur, nónne Deus poteſt ſupplere cauſalitatem cuiuſcunque cauſæ extrinſecæ.

Dico, quòd ſic, ſecundùm omnes Theologos, vt patet à Doctore in pluribus locis: ergo poteſt ſupplere cauſalitatem ſubiecti reſpectu paſſionis. Dico, quòd poteſt ſupplere omnem cauſalitatem cuiuſcunque cauſæ ſecundæ, loquendo de cauſa propriè ſumpta, quæ producit aliud inquantùm aliud, ſubiectum verò non eſt propriè cauſa effectiua paſſionis, quia tunc paſſio realiter diſtingueretur ab ipſo, de quo aliàs dictum eſt. Alia eſt continentia virtualis, quæ non eſt ſecundùm adæquationem, & præciſionem contenti, & hoc modo Sol poteſt continere multa virtualiter; & talis continentia non eſt ratio cognoſcendi contentũ, Doctor verò loquitur de continentia ſecundùm totam entitatem, vt expreſsè dicit *in ſecundo*.

Ad vltimum patet, quia fundamentum, & terminus continent ipſam relationem ſecundùm totam entitatem, cùm de neceſsitate naturæ oriatur poſitis fundamento, & termino: & non negat Doctor quòd vna ſpecies non contineatur in alia virtualiter, ſed negat quòd Angelus contineat virtualiter aliquam ſpeciem inferiorem ſecundùm totam ſuam entitatem: & non valet dicere, ſpecies imperfectior poteſt continere; ergo & perfectior, quia ignis continet caliditatem, quæ eſt de Prædicamento Qualitatis, & tamen Angelus non continet, & rationem ſuprà aſſignari.

Alia difficultas.

Secunda difficultas principalis in litera Doctoris eſt, quia dicit, quòd *Angelus non continet virtualiter ſpeciem inferiorem, ita quòd inferior non differt ab eo niſi per negationem*, &c. Ex quo enim homo non tantùm differt ab eo per negationem maioris perfectionis, ſed etiam per propriam rationem, quia rationalitas eſt ratio diſtinguendi hominem à Deo: igitur ex iſta litera videtur, quòd homo non contineatur virtualiter ſecundùm totam entitatem ab ipſo Deo.

Dico, quòd hæc litera non habet hunc ſenſum. Intendit enim Doctor ſic: vna ſpecies differt ab Angelo per propriam rationm formalem, per quam illa ſpecies non poteſt contineri ſecundùm totam entitatem in ipſo Angelo, non ſic reſpectu Dei.

7. Quomodo ſenſitiua ſit in intellectiua.

b *Ad illud ſecundi de Anima.* Dicit quòd hoc eſt dictum ſpeciale de anima intellectiua, quia ipſa in eodem homine virtualiter continet vegetatiuam, & ſenſitiuam, patet; quia ipſa, vt vnita corpori poteſt habere eaſdem operationes, quæ habentur per vegetatiuam, & ſenſitiuam. Ex ſpeciali autem non ſequitur generale; quòd ſpecies perfectior contineat virtualiter imperfectiorem, & iſta auctoritas Philoſophi habet tantùm veritatem de eadem anima intellectiua reſpectu vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, quæ ineſſent eidem homini, ſed ſuperfluunt propter aduentum intellectiuæ, & non habere veritatem reſpectu alterius, non enim intellectiua hominis continet virtualiter ſenſitiuam bruti, vel vegetatiuam, de quo aliàs.

Difficultates circa literam occurrentes.

c *Ad ſecundum patet reſponſio.* Tamen in iſta litera occurrunt duæ difficultates. Prima eſt in hoc quod dicit, quòd ſpecies intelligibilis rei corporalis dependet etiam ab intellectu Angeli vt à cauſa partiali, quia ipſe vult in quodlibetis *q.* 15. *& in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 7. quòd ſpecies ſenſibilis cauſatur à re ſenſibili extrà, vt à cauſa totali, quare etiam ſpecies intelligibilis non equè immediatè cauſatur à re materiali vt à cauſa totali. Si dicatur quòd ſpecies intelligibilis non immediatè cauſatur à re materiali, ſed à phantaſmate, & tale phantaſma concurrit tantùm partialiter, quia in propoſito ſpecies intelligibilis non cauſatur in intellectu Angeli ab aliquo phantaſmate, cùm tale non poſsit eſſe, ſed præcisè ab ipſa re materiali.

Species intelligibiles cauſantur in intellectu Angeli.

Reſpondeo quòd aliud eſt loqui de ſenſu exteriori & intellectu, quia ſpecies ſenſibilis, vt à totali cauſa cauſatur immediatè in medio illuminato à re ſenſibili; & illa cauſat aliam in alia parte medij, & tandem illa, quæ eſt propinquior organo ſenſus, cauſat aliam in ipſo organo eiuſdem

eiuſdem rationis,quæ immediatè recipitur in ipſo organo , & ſic non eſt neceſſe potentiam ſenſitiuam concurrere ; ſed ſpecies intelligibilis immediatè recipitur in intellectu poſsibili , qui ſic ſe habeat reſpectu intellectus agentis , quòd nihil poteſt recipere niſi ab intellectu agente. Poteſt etiam dici,quòd quia ſpecies intelligibilis eſt talis entitas,ideò non poteſt cauſari, niſi in intellectu poſsibili concurrente intellectu agente vt cauſa partiali,& ſpecies ſenſibilis eſt talis entitas, quæ poteſt cauſari in organo ſenſus,non concurrente potentia ſenſitiua,neque vt cauſa totali,neque vt partiali.Sed de hoc ſatis dictum eſt *in primo,diſt.3.quæſt.6.*

Secunda difficultas. Secunda difficultas eſt in hoc quod dicit,quòd *ſpecies intelligibilis albedinis excedit albedinem tantùm ſecundùm quid.* Hoc non videtur , quia qualitas ſpiritualis excedit quamcunque qualitatem corporalem : hoc patet , ſpecies albedinis eſt huiuſmodi. Tum , quia immediatè recipitur in ſubiecto ſpirituali , ſcilicet in intellectu poſſibili. Tum etiam , quia eſt ſimpliciter inextenſibilis.

Dico breuiter , quòd aliud eſt loqui de qualitate ſpirituali tantùm genita à re ſpirituali ; & aliud de qualitate ſpirituali genita à re corporali, ſiue à cauſa totali , ſiue partiali. Primo modo qualitas ſpiritualis excedit omnem corporalem ſimpliciter cuiuſmodi eſt ſpecies intelligibilis, & actus intelligendi rei merè intelligibilis. Sed ſecundo modo non ſequitur , ſed ſi aliquo modo excedit,hoc erit , quia partialiter & principaliter erit à re ſpirituali , & ſic quodammodo denominatione extrinſeca diceretur perfectior. Sed de hoc aliàs etit ſermo.

8. *Angelus poteſt cognoſcere ſe ipſum per ſpeciem intelligibilẽ.*

d *Ad vltimum.* Reſpondet Doctor,quòd ſimul ſtant,&c.Vult dicere quòd ſicut Angelus poteſt ſe cognoſcere per eſſentiam ſuam , ita quòd eſſentia ſua eſt ratio formalis cognoſcendi ſe, ita poteſt cognoſcere alia , puta lapidem per eſſentiam ipſius lapidis , ita quòd eſſentia lapidis erit ratio cognoſcendi lapidem , ſaltem partialis , loquendo ſemper de cognitione intuitiua. Similiter ſicut Angelus poteſt cognoſcere ſeipſum per ſpeciem intelligibilem , ita & alia per propriam ſpeciem intelligibilem aliorum , & hoc naturaliter. Et quòd dicit *excepta eſſentia diuina* , debet ſic intelligi,quòd Angelus non poteſt naturaliter cognoſcere eſſentiam diuinam per eſſentiam ipſius eſſentiæ, habita tamen ſpecie intelligibili ipſius eſſentiæ ſupernaturaliter infuſa per ipſam poteſt cognoſcere eſſentiam diuinam abſtractiuè, vt ſuprà patuit.

Arguitur quartò ex prima propoſitione de Cauſis:Omnis cauſa primaria plus influit in cauſatum,quàm ſecunda , cùm ergo eſſentia Angeli reſpectu rerum corporalium habeat rationem cauſæ primariæ , ſequitur quòd erit magis ratio cognoſcendi res corporales per eſſentiam ſuam, quam per ſpecies intellligibiles illarum rerum, vel ſaltem ſpecies intelligibilis ipſius Angeli, cùm ſit perfectiſſima,erit ratio cognoſcendi omnia creata corporalia abſtractiuè.

Dico quòd non ſe habet , nec eſſentia Angeli, nec ſpecies intelligibilis ipſius reſpectu aliorum obiectorum , quantùm ad eorum cognitionem, vt cauſa ſimpliciter primaria , quia tunc non tantùm magis influeret in effectum , ſed virtualiter & eminenter contineret entitates eorum , ſimiliter & cauſalitates , quod eſt impoſſibile.

Et cùm dicit in illa confirmatione , quòd intellectus humanus perſpicacior plura intelligit in vna ratione intelligendi quàm minùs perſpicax. Dico quòd hæc propoſitio eſt ſimpliciter falſa , quia intellectus perſpicacior hominis intelligit obiecta eo modo , quo nata ſunt intelligi , & quantùm ad cauſalitatem cognitionis eorũ. Non enim intellectus Ariſtotelis magis per vnam rationem intelligendi intelligit hominem & aſinum , quàm intellectus alicuius ruſtici , quia hoc repugnat intellectui humano , ſed diceretur perſpicacior , non ex natura intellectus , ſed propter vel maiorem diſpoſitionem in corpore , vel propter aſſuetudinem,&c.

Angelus cognoſcit quiditates creatas alias à ſe. *Contra , intellectus diuinus ſecundùm multos.* Nota pro hoc argumento facto ad oppoſitum , & pro concluſione affirmatiua , in qua tenet, quòd Angelus cognoſcit quiditates creatas alias à ſe per aliam , & aliam ſpeciem intelligibilem,quòd licèt hoc firmiter teneat , tamen per hoc argumentum non concludit propoſitum , cùm dicit, quòd intellectus diuinus plura intelligit diſtincta per plures rationes , reſpectu plurium intelligibilium , quia hoc eſſet contra ipſum *in prologo quæſt. penult.& diſt.3.quæſt.1.in quodlib.quæſt.14. & ſimiliter in primo , diſt.35. de ideis* , vbi vult, quòd eſſentia diuina ſit ſimpliciter ratio cognoſcendi omnia alia à ſe , & non per aliam , & aliam rationem reſpectu alterius , & alterius obiecti. Hoc ergo argumentum concludit ad hominem , quia dicit Henricus quòd Angelus præcisè per vnam rationem intelligendi intelligit alias quiditates à ſe , vt ſuprà patuit. Ex alia parte tenet , quòd eſſentia diuina intelligit alia obiecta à ſe per aliam , & aliam rationem , vt patet ab ipſo *quodlib.5. quæſt.3. & quodlib.8. & 9. quæſt. 2.* quæ opinio expoſita eſt ſuprà *in primo, diſt.35. & 36.* Si ergo Henricus ponit eſſentiam diuinam cognoſcere aliud, & aliud obiectum per aliam,& aliam rationem intelligendi , habet hoc ponere de Angelo.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta pro Henric. poſita num.5.exponendo aliquot axiomata.

18. *Species intelligibilis, an habitus.* AD argumenta a pro prima opinione. Ad primum [a] de 2. Ethicorum , procedendo per diuiſionem eorum,quæ ſunt in anima:concedo quòd ſpecies verè poteſt dici habitus.Vnde habitus poteſt prædicari de ipſa ſpecie,tanquam prædicatum vniuerſale, & per accidens : quod ſi debeat per ſe,& in particulari exprimi, rectè dicitur ſpecies intelligibilis talis : non autem intelligit Philoſophus , quòd nihil ſit in anima, niſi quod eſt habitus per ſe : imò illud cui conuenit ratio habitus , eſt ſic prædicatum vniuerſale.

Ad

Ad 1. Nō gignitur habitus in naturaliter inclinatis.

Ad ſecundum dico, [b] quòd Angelus non poteſt generare in ſe habitum ex actibus (habitum dico qui ſit alia res à ſpecie) quia habitus non generatur in naturaliter inclinatis, ſiue in ſummè determinatis ad vnum: ſicut non generatur in graui per quotieſcunque deſcendere, ratio deſcenſus, nec generatur in violenter motis per quotieſcunque tale moueri aliqua ratio, vel habitus facilitans, vel habilitans ad talem motum violententum: ſicut patet de lapide moto ſurſum: ſed generatur in potentiis de ſe indeterminatis ad actum, per actum frequenter elicitum: non autem eſt imperfectionis aliquem intellectum creatum, eſſe ſummé habilitatum ad intellectionem, quòd ſi aliquis eſt talis, erit Angelicus: & ita in illo ſicut in ſummè habilitato ad actum, non poterit generari habilitas aliqua, quæ dicatur habitus illo modo. Aut ſi careat tali habitu, qui ſit habilitas quædam ad conſiderandum hoc intelligibile, & intellectus eius erit capax: tunc dico, quòd non eſt inconueniens quòd poſſit in ſe generare talem habitum.

Angelus an acquirit habilitatem ad ſciendum.

De hoc 1. d. 3. q. 6. & 7.

Et cùm dicis ergo eſt potentialis ſicut noſter, non tantùm ad actum ſecundum, ſed ad primum: Nego conſequentiam, quia actus primus in intellectu eſt ille, qui præſupponitur actui ſecundo, qui eſt intellectio; habitus autem ille, qui eſt habilitas quædam ad intelligendum & diſtinguitur à ſpecie, non præcedit actum naturaliter, ſed ſequitur, propterea eſt poſterior actu ſecundo: & ita non eſt actus primus: & propter hoc potentia ad iſtud non eſt potentia eſſentialis, imò quaſi poſterior potentia accidentali: quia potentia eſſentialis propriè eſt ad actum primum, præcedentem ſecundum actum.

Ad 3. Quando ſupremum inferioris, eſt infimū ſuperioris?

Per hoc patet [c] ad illud Dionyſij. Dico enim quòd ſupremum in inferiori eſt infimum in ſuperiori, vbi non repugnat ſuperiori illud, quod ponitur ſupremum in inferiori: hîc autem repugnat, quia in nobis habitus ſcientiæ eſt perfectio ſupplens imperfectionem intellectus noſtri, pro quanto noſter non eſt ſummè habilitatus de ſe, etiam quando habet rationem actiuam, per quam obiectum eſt præſens ſufficienter, adhuc enim deficit talis inclinatio ſumma, quæ requiritur ad actum perfectiſſimum. Iſta perfectio, licèt in nobis ſuppleat imperfectiorem: Angelo tamen repugnat, quia non poteſt in eo eſſe imperfectio quæ ſuppleatur per iſtam perfectionem. Ita poſſet dici in multis aliis: quia ſi ſupremum in elemento ſit generare ſibi ſimile, non oporteret quòd ſit infimum in quolibet miſto proximo: quia aliqua miſta non generant ſibi ſimile, quia repugnat eis talis perfectio ſupplens imperfectionem in inferiori: ita etiam inferiori poteſt repugnare quod eſt infimum in ſuperiori: & tunc non valet è conuerſo, ſcilicet, quòd infima ſuperiorum ſint ſuprema inferiorum. 19.

Ad 4. Quare das ſpeciem, & negas angelo habitum.

Ad quartum dico, quòd ſi non eſſet alia ratio, niſi quòd ſpecies quando eſt perfecta ſufficit ad perfectam intellectionem ſine aliquo alio habitu à ſe: & in Angelo fortè neceſſariò ſufficit ſine aliquo habitu, quia habitus in eo, vel eſt impoſſibilis vt diſtinguitur à ſpecie: vel ſi eſt impoſſibilis, non ſufficit ſine ſpecie, hoc ſolùm ſufficit ad negandum habitum in Angelo alium à ſpecie, tanquam principium neceſſarium ad actum intelligendi.

Ad 5.

Ad vltimum dico [d] quòd ſi obiectum appetibile eſſet præſens appetitui præſentia propria, alia ab illa, quæ eſt præſens potentiæ cognitiuæ illius appetitus, requirerentur in appetitu, propriæ rationes quibus diuerſa obiecta eſſent præſentia: ſed ſuppoſitum eſt falſum, quia obiectum præſens alicui potentiæ cognitiuæ, per idem eſt præſens appetitiuæ correſpondenti illi cognitiuæ. 20.

Quare voluntas non eget concauſis, vt amet diuerſa obiecta, ſicut eget intellectus vt intelligat diuerſa.

Et tunc ſi arguas, voluntas non requirit diuerſas rationes: igitur nec intellectus. Dico, quòd antecedens eſt falſum, ſi intelligatur de illis rationibus, quibus obiectum eſt eſt præſens intellectui; quia illæ ſunt diuerſæ, & illis eiſdem ſunt obiecta præſentia volunrati. Sed ſi intelligas, quòd non requiruntur in ipſa voluntate rationes, per quas obiecta ſunt præſentia; Dico quòd conſequentia non valet, quia appetitiua non eſt nata habere obiectum in ſe, eo modo, quo eſt præſens potentiæ cognitiuæ. Nec valet inſtare contra hoc de potentiis cognitiuis ordinatis, non enim eſt ſimilis ordo eorum inter ſe, quæ ſunt eiuſdem generis, cuiuſmodi ſunt potentiæ cognitiuæ ordinatæ; & eorum, quæ ſunt alterius generis, cuiuſmodi ſunt potentiæ cognitiuæ & appetitiuæ eis correſpondentes: & ideò diuerſæ cognitiuæ ordinatæ habent diuerſas rationes, quibus obiecta ſunt eis præſentia: non ſic autem cognitiuæ & appetitiuæ ſibi correſpondentes.

COMMENTARIVS.

1. NVnc ſoluendæ ſunt rationes factæ n.5. pro opinione Henrici quibus probat, quòd Angelus per vnũ habitũ cognoſcit omnia alia à ſe.

a *Ad primum argumentum.* Reſpondet Doctor concedendo, quòd habitus poteſt prædicari de ſpecie intelligibili, tanquam prædicatum vniuerſale, & per accidens, quod ſatis expoſitum eſt reſpondendo ad quæſtionem.

Angelus non poteſt generare.

b *Ad ſecundum.* Reſpondet quòd Angelus nõ poteſt generare in ſe habitum ex actibus, &c. Et cùm dicitur, quòd ſi talem habitum poſſet habere, quòd eſſet in potentia ad actum primum, ſcilicet ad ipſum habitum, & ad actum ſecundum, ſcilicet ad operationem. Dicit Doctor, quòd habitus, qui ponitur habilitas quædam, præſupponit actum; ſpecies verò intelligibilis præcedit actum ſecundum; de qua prolixè dictum eſt *in primo, diſt.3.q.6. & 7.*

Difficultas.

Occurrit tamen hîc aliqualis difficultas in hoc, ad quod Doctor declinare videtur, ſcilicet quòd in Angelo non poſſit acquiri habitus ex frequentatis actibus, cùm ſit ſummè habilitans, quia in hoc videtur ſibi contradicere. Nam expreſsè ipſe vult *in primo, diſt.17. & in tertio, diſt. 27.* quòd potentia habituata agens æquali conatu, perfectiùs operatur potentia non habituata, ſi tamen illæ potentiæ ſunt eiuſdem rationis. Ex hoc ergo videtur, quod Angelus perfectiùs operetur per habitum ſcientificum acquiſitum ſine tali habitu.

Producere intellectionẽ contingit dupliciter.

Reſpondeo, & dico, quòd producere intellectionem contingit dupliciter. Vno modo quantùm ad ſubſtantiam illius. Alio modo quãtùm ad intenſionem, & vtroque modo adhuc dupliciter; vel quantum ad ſubſtantiam, & intenſionẽ actus abſolutè; vel quantùm ad facilitatem, & promptitudinem, & expeditionem ipſius actus; & ſic licèt habitus non requiratur in Angelo iſto ſecundo modo, tamen ponitur primo modo propter maiorem perfectionem actus. Dico ſecundò, licèt incidat quaſi in idem, quòd habitus poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo, vt eſt ratio habilitandi potentiam ad operandum tam ad ſubſtantiam actus, quàm ad intenſionem illius. Alio modo vt eſt cauſa partialis tam ſubſtantiæ actus, quã intenſionis eius; & tunc dico, quòd intellectus Angeli, nec quantùm ad ſubſtantiam intellectionis, nec quantùm ad intenſionem illius, loquendo de intenſione abſoluta, non determinando ad tantam intenſionem, non indiget habitu acquiſito tanquam habilitatiuo. Dico tamen, quòd quantùm ad perfectiorem intellectionem indiget fortè habitu vt cauſa partiali, & ſic talis potentia ſic habituata perfectiùs operatur, quàm non habituata, & hoc modo intelligit Doctor in locis præallegatis de habitu. Hic verò intelligit de habitu, vt eſt quædam habilitas.

2. Dico ſecundò, quòd in intellectu Angeli, reſpectu cognitionis abſtractiuæ, non requiritur habitus, neque vt habilitas, neque vt cauſa partialis, quia quicquid poteſt operari circa obiectũ cognoſcibile mediante habitu, æquè perfectè poteſt mediante ſpecie intelligibili ſibi concreata, vel de nouo acquiſita, cùm illa ſit valde perfectior in Angelo, quàm in nobis. Et quando Doct. loquitur in primo de habitu, &c. loquitur ibi de potentia nuda, quæ imperfectiùs operatur non habituata, quàm habituata. Hîc autem ponitur ſpecies intelligibilis, ſupplens vicem habitus. Et ideò Doctor dicit infrà, quòd quando habitus in aliquo eſt perfectus, actus ſequentes illum habitum non intendunt illum, cùm illi actus ſequantur ex maxima perfectione illius habitus, ſic in propoſito, intellectio ſequens ſpeciem intelligibilẽ in Angelo, in ipſo intellectu non cauſat aliquẽ habitum magis, & magis habilitãtem potẽtiam, cùm intellectus cum tali ſpecie ſit cauſa perfecta, imò nec credo, quòd tales intellectiones ſequentes intendant ſpeciem intelligibilẽ in Angelo, ſicut intendunt in nobis, vt patet à Doctore *in primo, diſt.3. quæſt.6. & 7. & diſt.17.*

c *Quia ſi ſupremum in elemento*, &c. Perfectio eſt ſupremum in inferiori generare ſibi ſimile, vt patet de igne, *tunc enim vnumquodque perfectum eſt, cùm poteſt generare ſibi ſimile* ex ſecundò de Anima, nec tamen ſequitur, quòd infimum in ſuperiori poſſit generare ſibi ſimile, patet de lapide. Sunt enim duo ordines in corporibus, ſcilicet inferior, & ſuperior, inferior eſt ſimplicium corporum, vt elementa, ſuperior eſt corporum miſtorum, quia corpus miſtum eſt perfectius corpore ſimplici, & loquor ſemper de corporibus generabilibus, & corruptibilibus.

Corpus miſtum eſt perfectius corpore ſimplici.

d *Ad vltimum dico.* Reſponſio clara eſt. Nam facit duas conſequentias. Prima eſt iſta, voluntas non habet obiecta ſibi præſentia per aliam, & aliam rationem, quæ ſit alterius, & alterius obiecti; ergo nec intellectus. Negat antecedens, quia per eaſdem rationes, per quas obiecta ſunt præſentia intellectui, ſunt etiam præſentia voluntati; ſed illæ rationes ſunt aliæ, & aliæ inter ſe reſpectu diuerſorum obiectorum, & ſic negat antecedens: & concedit conſequentiam, quia per eandem rationem, per quam obiectum eſt præſens intellectui, eſt etiam præſens voluntati. Secunda conſequentia eſt iſta: Voluntas non habet obiecta ſibi præſentia per aliam, & aliam rationem, loquendo de alia, & alia ratione, non tantùm reſpectu alterius, & alterius obiecti, ſed etiam de alia, & alia ratione ab illis, per quas obiecta ſunt præſentia intellectui, hoc modo concedit antecedẽs, & negat conſequentiam, quia obiectum eſt tantùm præſens voluntati per eandem rationem, per quam etiam eſt præſens intellectui. 3.

Si dicatur, quia per ſpeciem intelligibilem in cognitione abſtractiua obiectum eſt præſens intellectui in ratione intellectus, vt patet à Doctore *in primo, diſt.3. quæſt.6. & 7. & 27.* & tamen vt ſic, non eſt præſens voluntati, ſed obiectum eſt præſens ſibi inquantùm cognitum, vt patet à Doctore *in primo, diſt.2. & 6. & diſt.3. & diſtinct.* ergo ſequitur, quòd per aliam rationem ſit ſibi præſens, quàm per illud, quo eſt præſens.

Dico, quòd ipſum obiectum eſt præſens volũtati, inquantùm actu intellectum, & ſimiliter eſt præſens intellectui obiectu inquantu intellectũ, ergo duplici præſentialitate eſt præſens intellectui primò tantùm in ratione obiecti intelligibilis, & ſic eſt præſens per ſpeciem intelligibilem. Secũdò, inquantùm intellectũ, & ſic eſt præſens per intellectionẽ. Nam ipſa intellectio eſt ſimilitudo obiecti intellecti, vt patet *in primo. diſt 3.q.vlt. & in quarto, diſt 45.* & aliud obiectũ vt cognitũ eſt ſibi præſens per aliam, & aliam intellectionem. Dico ergo, quòd obiectum eſt ſibi præſens per ſpeciem intelligibilẽ, loquendo de præſentialitate remota.

Qua ſit intellectio.

SCHOLIVM.

Soluit duo argumenta pro opin. D. Thom. poſita nu. 6. exponendo etiam duo vel tria axiomata.

AD argumenta a alterius opinionis. Ad Dionyſium patet per aliam trãſlationem, quæ adducit totalẽ, &c. quære Linconiẽſem, qui exponit vniuerſalitatẽ ſpeciei, id eſt, ſcientiæ per totalitatẽ: iſta autẽ totalitas eſt perfectionis, vt limpiditatis & intẽſionis: nõ autẽ quòd vna ratio ſit vni ratio cognoſcendi plura quàm alij: quia hoc eſt æquale in omni intellectu finito: quia quilibet reſpectu plurium cognoſcendorum, requirit proprias rationes. 21.

Quomodo priora ſunt propinquiora primo in cognoſcendo.

Cùm arguitur ſecundò, quòd priora ſunt propinquiora primo: concedo: ſed non oportet in hoc eſſe propinquiora, quòd per pauciora cognoſcat, ſed quia poteſt limpidiùs cognoſcere: in hoc enim eſt propinquitas perfectionis per ſe, & non in altero, ſi eſſet. Perfectior enim intellectus ſimpliciter eſt, qui limpidiùs cognoſcit: nihil autem deperit ſibi, ſi per aliud & aliud cognoſcat: & tamen limpidiùs cognoſcat: ſi enim per idem cognoſceret, & non limpidiùs, non perfectiùs cognoſceret, quod eſt falſum: in iſta enim limpiditate eſt per ſe propinquitas, non autem in paucitate rationum cognoſcendi, quia abſolutè hoc non eſt ratione alicuius naturæ creatæ, quòd vna ſit plurium.

Ad confirm. 4. arg. princ. Ingenioſior eget tot ſpeciebus, quot tardior.

Et per hoc patet ad illud argumentum quod factum eſt de ingenioſiori & tardiori, quod cognoſceret per pauciora, &c. falſum eſt: ſed tot ſpecies cognoſcibilium habet ingenioſior, quot & tardior: tamen clarius per illas cognoſcit obiecta, & citius vtitur eis componendo hoc obiectum cum illo, & diſcurrendo ab vno cognito ad aliud: ſed ex limpiditate maiori, & velocitate non poteſt concludi, quod per pauciores rationes intelligat, ſic in propoſito.

Eſt 4. principale.

Ad illud b quod dictum fuit ibi de auctoritate auctoris de cauſis, non eſt curandum: & etiam intelligi habet illud de cauſa ſimpliciter prima, tantùm.

Species nõ repraeſẽtat plura in ſubiecto perfectiori.

Ad vltimum pro iſta opinione dico, quod non eſt vna ſpecies in ſenſu, imaginatione & intellectu: ſed alia & alia: nec ex hoc ſolùm quod eſt in ſubiecto immaterialiori, repræſentat vniuerſalius: quia ſi (per impoſſibile) illa ſpecies, quæ eſt in ſenſu, eſſet in phantaſia, & illa quæ eſt in phantaſia eſſet in intellectu, non repræſentaret perfectius, neque ſecundùm quiditatem, neque ſecundùm intenſionem, ſcilicet, quod eſſet ratio pluriũ: non igitur ex ſola immaterialitate, vel maiori actualitate recipientis, poteſt concludi maior actualitas ſpeciei receptæ in repræſentando: ſed hoc tantùm erit ex natura ipſius ſpeciei in ſe. Tamen iſtæ conditiones ſpecierum receptarum proportionantur receptiuis, iuxta illud Boëtij, *Receptum eſt in recipiente per modum recipientis, &c.* ſed abſolutè, ſicut nulla eſſentia recipientis eſt vniuerſalis reſpectu omnium eſſentiarum, nec etiam perfectè continens omnem aliam eſſentiam à ſe; ita nec aliquid receptum in ea, poteſt eſſe ratio vniuerſalis repræſentandi omnia alia perfectè: ſed talis vniuerſalis repræſentatio conpetere poteſt eſſentiæ diuinæ infinitæ, & eminenter, & nulli alteri eſſentiæ. 22.

5. de Cõſol. Philoſ. proſa. 5.

Sola eſſentia diuina poteſt omnia repreſentare.

COMMENTARIVS.

a AD argumenta alterius opinionis ſolutio patet, quia accipit Dyoniſius vniuerſalitatem ſcientiæ per totalitatem, id eſt, quòd ſciẽtia Angeli dicitur perfecta, ſic vt etiã totum dicitur perfectum reſpectu partium, & ſic Angeli ſuperiores perfectiùs, & limpidiùs cognoſcunt hominem, quàm Angeli inferiores; & non tamẽ per pauciores rationes, imò ſicut vnus Angelus inferior cognoſcit hominem per vnam ſpeciem intelligibilem, & aſinum per aliam, ſic ſuperior de neceſſitate cognoſcit hominem, & aſinum per aliam, & aliam ſpeciem intelligibilem, licèt limpidiùs, & clariùs.

Nota.

b *Ad illud*, &c. Illa auctoritas non eſt ad propoſitum, quia non ſequitur: prior cauſa plus influit in effectum, quàm ſecunda; ergo prior cauſa cognoſcit ſecundam per eſſentiam ſuam; quia ſi Sol, & homo concurrerent ad productionẽ corporis organici, & Sol ſit cauſa ſuperior, & magis influat, ergo Sol eſt ratio cognoſcendi ipſum hominem, non ſequitur; & ſi aliquando hoc eſt verum, hoc erit quando cauſa ſecunda ſecundùm totam ſuam entitatem virtualiter dependet à ſuperiori, vt dixi ſuprà.

Ad vltimum, iſta reſponſio clara eſt, ſed quia magis ſpecies intelligibilis repræſentat vniuerſale, quàm ſpecies ſenſibilis cùm vtraque ſit cauſata à natura vniuerſali, tanquam à ratione formali agendi, vt patet à Doctore *in primo, diſtinct. 3. quæſt. 6.* Dico, vt ibi dictum eſt, vt ego gloſſaui.

QVÆ

QVÆSTIO XI.

An Angeli [a] poſſint proficere accipiendo cognitionem à rebus?

Doctores citati *quæſt. præcedenti*, Godfrid. *hîc.*

1. ARGVITVR quòd non, quia oportet receptiuum denudari à toto genere receptibilis. 2. *de Anima*: ſed Angelus non denudatur à ſpeciebus, imò eſt plenus formis, quia nona propoſitione de cauſis, dicitur, quod omnis Intelligentia eſt plena formis. *Hæc q. ab aliquibus dicitur eſſe ex reportatis, d.* 11. *Tex.* 71. *&* 121. 171. *Procl.*

Item Auguſtinus 12. ſuper Geneſim ad literam, *agens eſt præſtantius patiente*: ſed corpus non eſt præſtantius ſpiritu per ipſum ibidem: igitur corpus non poteſt agere in Angelum, qui eſt ſpiritus: igitur non poteſt Angelus accipere cognitionem à rebus. *Arg.* 2. *c.* 28. *&* 29.

Item, Dionyſius 7. c. Angelicæ Hierar. *Angeli non congregant diuinas illuminationes vel notitiam diuinam ex rebus ſenſibilibus.* *Arg.* 3.

Item, Angelus eſt medium inter Deum, & hominem, vel animam: ſed Deus non intelligit per aliquas ſpecies: anima autem intelligit per ſpecies receptas à rebus ſenſibilibus, & intelligibilibus: igitur Angelus, medio modo intelligit, ſcilicet per ſpecies non acceptas ab aliis rebus, ſed ſibi concreatas, & iſte modus arguendi patet per Philoſophum 1. *de Gen.* & per *Richar.* 1. *de Trin.* *Arg.* 4. *Tex.* 8. 11.

Contrà, Omne quod cognoſcitur, cognoſci videtur per ſimilitudinem ipſius: ſed Angelus cognoſcit ſingulare: igitur per ſimilitudinem ſingularis: ſed ſimilitudo ſingularis non eſt ſibi concreata: quia quia ratione ſimilitudo vnius, & alterius: & cùm ſingularia poſſint eſſe infinita, haberet infinitas rationes, vel ſpecies ſibi concreatas. *Ratio opp.*

COMMENTARIVS.

a ITVLVS quæſtionis talis eſt: An Angeli poſſint cognoſcere lapidem, vel hominem, ita quòd homo, vel lapis concurrat actiuè ad cognitionem abſtractiuam, cauſando partialiter ſpeciem intelligibilem ſui, vel quòd concurrat partialiter ad cognitionẽ ſui intuitiuam, & ſi vtroque modo concurrat, quia ſi poteſt concurrere, tunc intellectus Angeli poteſt recipere vtranque cognitionem à lapide, recipere dico, tanquam à cauſa partiali producente partialiter cognitionem ſui intuitiuam, quæ recipitur in Angelo, & partialiter ſpeciem intelligibilem, quæ ſimiliter recipitur in intellectu poſſibili Angeli, quæ ſpecies intelligibilis erit partialis cauſa cognitionis abſtractiuæ, & non loquor hîc de ſpecie intelligibili repræſentante vniuerſale, quia huiuſmodi ſpecies fuit ſibi concreata à Deo; ſed loquor de ſpecie intelligibili perfectè repræſentante ſingulare, quia ſpecies intelligibiles ſingularium non fuerunt concreatæ, & ſic patet titulus quæſtionis,

SCHOLIVM.

Sententia Goffredi & D Thomæ Angelum non poſſe accipere ſpecies à rebus, nec habere intellectum agentem & poſſibilem, variis rationibus, ſed claris, probatur.

2. VNa opinio dicit, quòd non accipit cognitionem à rebus, nec proficit in accipiendo, vel recipiendo cognitionem ab eis: quia tunc Angelus haberet intellectum cauſatiuum iſtarum ſpecierum, & intellectum receptiuum, ſiue intellectum agentem, & poſſibilem: ſed non habet intellectum agentem, quia intellectus agens ſolùm requiritur in illis intelligentibus, vbi ſcilicet primum obiectum intellectus eſt intelligibile in potentia, vt ſcilicet per intellectum agentem reducatur ad actum: ſed primum obiectum intellectus Angelici eſt actu intelligibile, quia immateriale. *Opi. Got. Rog. Bacho. & D. Tho.* 1. *p. q.* 54. 55. *&* 56. *& in hoc* 2.

3. de Anim. t. c. 4. & 5. & 14.

Item, non habet intellectum poſſibilem, quia intellectus poſſibilis quandoque eſt in potentia; intellectus autem Angeli ſemper eſt in actu, quare, &c. Confirmatur quo ad vtrumque, quia ſecundùm Auguſtinum 2. & 4. *ſuper Gen.* res iſtæ priùs fuerunt in cognitione Angelica, quàm in proprio genere: igitur nunc non recipit ab ab eis cognitionem, vt ſunt in proprio genere.

Item, corpora ſuperiora, ſcilicet cœleſtia, habent qualitates, & perfectiones ſuas ſibi poſſibiles non receptas ab aliis, ſed ſibi concreatas: igitur ſimiliter erit in ſpiritibus ſuperioribus, & inferioribus, quòd ſuperiores, cuiuſmodi ſunt Angeli, ſuas qualitates, & perfectiones non recipiunt à rebus inferioribus: ſed illas habebunt ſibi concreatas, ſpiritus autē inferiores, & humanæ animæ habent illas receptas à rebus.

Item, ſicut ſe habet modus eſſendi animæ noſtræ ad modum eſſendi Angeli ſic modus operandi, ad modum operandi: ſed intellectus noſter ex hoc accipit notitiam à rebus corporalibus, quia quo ad *eſſe* compoſiti dependet à corpore, & vnitur corpori: ſed Angelus quo ad *eſſe* non vnitur corpori, nec dependet à corpore: ergo nec quo ad receptionem notitiæ.

Item, intellectus agens, & poſſibilis non diſtinguūtur, niſi per comparationem ad phantaſmata: ſed in Angelo non ſunt phantaſmata: ergo nec iſtorum intellectuum diſtinctio: igitur nec à rebus receptio. 3.

1. Phyſ. & 10. Met.

Item, non conuenit tranſire de extremo in extremum, niſi per medium, ſed inter ſenſibile, & intelligibile eſt medium imaginabile; igitur ab eſſe ſenſibili, non conuenit tranſire ad intelligibile, niſi per imaginabile; ſed in Angelo non eſt imaginatio: igitur nec talis tranſitus.

D. Tho. 1. p. q. 57. ar. 2. & quodl. 7. art. 3.

Dicit tamen iſta opinio quòd Angelus cognoſcit ſingularia, & arguitur hîc contra Auicennam ſic: quia Angelus habet prouidentiam de ſingularibus, quod non eſſet niſi cognitionem haberet de eis.

Item, quod continetur ſparſim, & diuiſim in inferioribus, continetur vnitiuè in ſuperioribus, ſed in inferioribus eſt ſparſim cognitio rerum, ſcilicet particularium, vel ſingularium per ſenſum, & vniuerſalium per intellectum: ergo in intellectu ſuperiori vnitiuè continentur iſtæ duæ cognitiones,

Text. 15. Idem 1. de anim. t. 80.

Item 3. Metaph. contra Empedoclem habet Ariſtoteles pro inconuenienti, quòd Deus non cognoſcit litem: modus autem ponendi videtur eſſe talis: Sicut res effluunt à Deo quo ad *eſſe* eſſentiæ, & exiſtentiæ ſuperiores, & inferiores quo ad materiam, & formam, ſic etiam fluunt in intellectu Angeli quo ad cognitionem ſingularis, & vniuerſalis, ita quòd nihil accipiunt ab iſtis inferioribus, & corporalibus, ſed fluit ab ideis illa cognitio.

SCHOLIVM.

Refutat Doctor dictā ſententiā. Primò, ſi Angelus careret intellectu agēte, eſſet imperfectius intellectuale quàm homo. Secundò habet intellectum poſſibilem, quia recipit ſpeciem: nec obſtat quòd ſint ei concreatæ, quia etiam Chriſto concreatæ ſunt. Tertiò, reducit rationes D. Thomæ ad oppoſitum. Quartò, aliàs Angelus non cognoſceret ſingularia.

Reprobat opin. Got. & aliorū. Quod eſt perfectionis in natura inferiori, dandum eſt ſuperiori.

CONtrà, ex eiſdem principiis arguo cōtrarium: Angelus habet intellectum agentem, & poſſibilem: ergo poteſt habere notitiam à rebus. Conſequentiam concederet ipſe ſecundùm dicta ſua ſuprà. Probo antecedens: potentia actiua, quæ non eſt imperfectionis imò perfectionis in creatura aliqua, non eſt neganda à ſuperiori creatura, quæ eſt ſuperior quantùm ad hoc: ſed Angelus eſt ſuperior homine in intellectualitate: intellectus autē agens, qui eſt potentia actiua in homine non eſt imperfectionis in ipſo, imò perfectionis: ergo non debet negari Angelo, qui eſt creatura ſuperior, quare, &c. 4

Tunc ad rationem, quando dicis b quòd nulla natura habet intellectum agentem, niſi cuius intellectus obiectum primum eſt intelligibile in potentia; dico, quòd eſt eſt ibi æquiuocatio de *primo*. ſi enim loquaris de *primo*, id eſt, adæquato, hoc non eſt aliquod vnum ſingulare immateriale, quia nihil eſt vnum intelligibile adæquatum intellectui creato, niſi in illo contineantur eminenter, vel virtualiter omnia cognoſcibilia ab illo intellectu. Probo, quia nihil eſt obiectum adæquatum intellectus, niſi in quo ſaluatur ratio omnis illius, ad quod poteſt ſe extendere: ſed ſecundùm eum intellectus poteſt ſe extendere ad omnia ſingularia: ergo obiectum eius adæquatum,

quatum,oportet quòd contineat virtualiter rationes omnium ſingularium cognoſcibilium ab ipſo,ſed tale quid nõ poteſt eſſe eſſentia Angeli,nec aliqua eſſentia immaterialis creata ſingularis, ſiue quæ de ſe eſt hæc, niſi eſſentia increata, quæ eſt obiectum adæquatum intellectus diuini, & non Angelici :ergo oportet intelligere quòd obiectum adæquatum intellectus Angelici ſit aliquod commune communitate prædicationis, vel analogiæ, reſpectu omnium cognoſcibilium ab ipſo : & ideò oportet quòd ſit commune per prædicationem ad intelligibilia omnia, & ad ſenſibilia, quia etiam iſta conſiderantur & intelliguntur ab Angelo:cùm ergo ſenſibilia ſint intelligibilia in potentia, oportebit quòd habeat intellectum agentem reducentem illa ad hoc, quòd actu intelligantur ab eo.

Obiectum intellectus eſt aliquid commune ſenſibili & intelligibili. Vide 1. d.3.q.3.

5. Item, habet intellectum poſſibilem: ergo & agentem. patet conſequentia. Probo antecedens.In omni quod formam recipit,neceſſe eſt dare potẽtiam receptiuam ipſius formæ, etiamſi recipiens non præcedat duratione receptionem formæ ipſius: ſed Angelus recipit ſpeciem aliam à ſe : ergo habet potentiam intellectualem recentiuam illius, dato quòd non præceſſerit duratione receptionem eius : igitur in Angelo eſt intellectus poſſibilis.

Angelus habet intellectum poſſibilem.

Confirmo vtrumque per exemplum, quia ſi Deus concreaſſet animæ noſtræ ſpecies omnium intelligibilium adhuc eſſet in ea intellectus agens,quia eſt perfectio naturalis eius, & etiam intellectus poſſibilis : ergo, &c. Conſimiliter etiam patet in Chriſto,qui licèt omnia viderit in Verbo ab inſtanti ſuæ natiuitatis in vtero : tamen fuit in eo intellectus agens, & poſſibilis, aliàs non fuiſſet perfectus : & eodem modo ſi vidiſſet omnia in genere proprio, habuiſſet intellectum agentem & poſſibilem. Ideò ſimiliter poſito quòd Angelus ſpecies omnium receperit ab inſtanti ſuæ creationis, & non poſſit non eſſe in actu, cùm ſi præuentus ab agente ſuperiori, tamen eſt perfectionis naturalis ſuæ quòd habeat potentiam, qua poſſit in operationem ſuam,ſi non eſſet præuentus à ſuperiori agente. Exemplum etiam de igne,qui calefacit paſſum ſibi approximatum, niſi illud paſſum præueniatur à Deo calefaciente : ſic in propoſito.

In Chriſto ſunt intellectus agẽs & poſſibilis.

Vide igne Babylonico.

Item ad aliud, cùm dicitur intellectus agens & poſſibilis non diſtinguuntur, niſi per comparationem ad phantaſmata ; falſum eſt : imò diſtinguuntur inter ſe formaliter, vel etiam extrinſecè per comparationem ad obiecta, vel ad illa, in quibus obiecta relucent.

6. Ad argumentum de corporibus cæleſtibus dico, quòd eſt ad oppoſitum,& arguitur ſic ; Illam perfectionem neceſſe eſt à ſolo Deo cauſari, vt eſt adminiſtrator totius naturæ(dico neceſſitate ordinata)quam non poteſt tota natura creata cauſare: ſed qualitas cœli à tota natura creata non poteſt cauſari : ergo à Deo debuit ſibi concreari:ſed qualitates aliorum, quæ poſſunt cauſari à natura creata, Deus permittit illas habere ſuas cauſalitates proprias : quia ſic *Deus res quas condidit adminiſtrat*, &c. virtus autem creata poteſt cauſare cognitionem alicuius incogniti in intellectu Angeli, vt patebit infrà *diſt.9.* de locutione Angelorum : nam intellectus Angeli cum obiecto poteſt cauſare perfectam cognitionem obiecti: ex quo igitur poſſibile eſt Angelum recipere cognitionẽ à rebus,nõ eſt neceſſe Deum cauſare iſtã cognitionẽ,

Hic eſt aliqua varietas in originalibus.

Dices, iſta cognitio eſt perfectio Angeli : ergo non poteſt cauſari à creatura inferiori. Verum eſt principaliter, vel vt cauſa totali : iſta autem cauſalitas principaliter eſt in Angelo, vel habet perfectionem in Angelo ex parte intellectus agentis, non autem ex parte intellecti, vel obiecti.

Ex tertia ratione eorum, arguo ſic contra eos : Neceſſe eſt omnem intellectum non habentem in ſe obiectum, dependere ab ipſo aliqualiter : ſed hîc Angelus non habet obiectũ in ſe cuiuſcunque corporis, vel rei corporalis : ergo dependet ab eo in intellectione ; & tunc patet quòd ratio eſt ſophiſtica, quia non ſequitur, non dependet à corpore,vt ſit actus corporis : non dependet à corpore, vel ab obiecto : anima autem dependet à corpore vt actus eius.Etſi enim concludat modus eſſendi animæ in corpore,quòd recipiat à corpore : non tamen incorporeitas Angeli concludit quòd non recipiat, niſi concederes quòd Angelus eſſet infinitus, ſicut quidam Deus, habens in ſe omnium ſingularium rationes.

Angelus dependet à corpore in intellectione corporis.

7. Et ad illud de imaginabili medio, arguo ſic contra eos : Quod eſt medium virtuti minori, non eſt, vel oportet eſſe medium maiori. Exemplum,ſi aliquod calidum aliquid calefaceret poſſit eſſe ita debile in calefaciẽdo, quòd nunquam induceret decẽ gradus caloris, niſi priùs induceret duos, vel quatuor,vel ſic : aliud verò poſſet eſſe

Quod eſt mediũ debiliori, non eſt fortiori.

ita virtuoſum, quòd induceret in primo actu calorem in decimo gradu: & tunc non eſſet ſibi medium aliquis gradus infra decem, qui tamen erat medium virtuti minori: ſed intellectus perfectior eſt in Angelis quàm in nobis: ergo non oportet quòd ſi imaginabile eſt in nobis medium, quòd etiam in Angelo ſimiliter.

Item, ſi eſſe imaginabile eſt per ſe medium; vel ergo ex parte rei in ſe: vel ex parte potentiæ: ſi ordo iſte ſe tenet ex parte rei, vel obiecti intelligibilis, vel intellecti, tunc ſequeretur quòd Deus non poſſet intelligere niſi mediante phantaſmate, vel imaginatione. Si ex parte potentiæ, ſic dico, quòd Angelo non eſt medium: tamen eſt mihi medium, propter naturam meam, quam habeo compoſitam ex corporali & ſpirituali.

Imaginabile non eſt mediũ inter ſenſibile & intelligibile.

Aliter poteſt dici, quòd non eſt medium mihi eſſe imaginabile, ſed eſt extremum: ita quòd eſſe imaginabile, & eſſe ſenſibile ſunt duo extrema: vel quaſi vnum extremum ad eſſe intelligibile. Et eſto, quòd ſit medium nobis, non tamen Angelo, vt dictum eſt.

Com. 20. 21 & circ.

De iſto autem modo cognoſcendi ſingulare, quem ponit per effluxum à Deo: dico, quòd poſito quòd res quoad materiam & formam fluant à Deo: non tamen ſequitur, ergo quoad cognitionem ſingularitatis effluunt in intellectu Angeli, præcipuè ſecundùm eum: quia ipſe tenet contra Commentatorem 7. Metaphyſicæ, quòd materia pertinet ad *quod quid eſt*; non indiuidualis tamen vt ponit: ergo licèt res effluant à Deo ſecundùm formam & materiam, vt ſunt partes quiditatis; non oportet tamen ex hoc arguere cognitionem ſingularis.

Item, ſecundùm eos, Deus non influit niſi ſpecies: ſed ſpecies eſt ratio cognoſcendi quiditatem non ſingulare: vt probatum fuit ſuprà de cognitione Angelorum: ergo per hanc ſpeciem, non cognoſcet ſingulare. Et cùm dicis quòd eſſentia diuina eſt ratio cognoſcendi ſingulare & vniuerſale, vel quiditatem: ergo & ſpecies influxa in mente Angeli. Dico, quòd in conſequentia eſt fallacia Accidentis, procendendo à magis perfecto ad minùs perfectum affirmatiuè.

COMMENTARIVS.

b *Vnc ad rationem.* Hìc loquitur Doctor de obiecto motiuo, & dicit, quòd nihil eſt obiectum adæquatum intellectus, niſi in quo ſaluatur ratio omnis illius, ad quod poteſt ſe extendere, id eſt, quòd nihil poteſt eſſe obiectum motiuum adæquatum intellectus, reſpectu plurium intelligibilium, niſi ratio formalis illius ſit ratio cognoſcendi omnia illa, & hoc eſt quod dicit; & tale obiectum ſingulare, quod eſt ratio formalis intelligendi omnia intelligibilia, non poteſt eſſe aliquod creatum, quia illud eſſet formaliter infinitum. Addit Doctor quod obiectum adæquatum intellectus Angeli eſt aliquid commune ad omnia per ſe intelligibilia, & quia ſub tali communi continentur etiam ſenſibilia, quæ poſſunt partialiter cauſare ſpeciem intelligibilem ſui, & extra ſpeciem intelligibilem ſunt tantùm intelligibilia in potentia, vt verò relucent in ſpecie intelligibili, ſunt intelligibilia in actu: & ſic patet reſponſio ad argumentum, quòd intellectus Angeli poteſt habere aliqua obiecta intelligibilia in potentia, & quod dicit Doctor quòd oportet intellectum Angeli eſſe aliquod commune, de iſta communitate, vel prædicationis, vel virtualitatis, vide in primo, diſt. 3. q. 3.

SCHOLIVM.

Sententia Henrici, Angelum ſine illo habitu (de quo q. 8. n. 3. & 1, d. 3. q. 6.) nihil poſſe intelligere, per habitum verò intelligere primò quiditates, & ſecundò ſingularia, quia hæc, ſecundùm ipſum, tantùm addunt duplicem negationem naturæ, de quo ſupr. q. 2. & quoad id quod ait, ſingulare ſub propria ratione non cognoſci ab Angelo, probatur quintupliciter. Hæc ſatis refutata eſt locis citatis, nunc tantùm addit Doctor, quòd Angelus ſine illo habitu ſecundùm Henricum eſſet vt truncus, non plus intellectualis quàm lapis, & reſpondet rationibus pro Henrico adductis.

Henr. vbi ſupr. quæſt. præced.

A Lij dicunt, quòd ſi Angelus non haberet habitum concreatum, nihil intelligeret, nec ſingulare, nec vniuerſale: ſed per habitum qui repræſentat quiditatem, intelligit primò ipſum vniuerſale, ſecundò ſingulare: quia ſingulare non addit ſecundùm eum ſuper vniuerſale in eſſendo, niſi duplicem negationem, & ideò etiam nec in cognoſcendo: non tamen ſicut nos, ſcilicet ſecundùm lineam reflexam. 8.

Hoc

Hoc probatur primò ſic, *ſicut res ſe habet ad eſſe, ſic ad cognoſci*, ſecundo Metaphyſicæ: ſed ſingulare non addit quo ad *eſſe* ſuper vniuerſale: ergo cognitio eius non addit etiam aliquid ſuper cognitionem vniuerſalis. *T. c. 4.*

Prætereà, inter illud quod obiicitur alicui virtuti primò, & ipſam virtutem oportet eſſe proportionem determinatam: ergo ſi intellectus Angeli ex natura ſua eſt primò apprehenſiuus ſingularis, & directe cognoſcit ſingulare, tunc eſt determinatior quàm noſter intellectus, qui non eſt ſic determinatus ad ſingulare, ſed ſenſus: & tunc videtur quòd intellectus Angeli eſſet magis limitatus, quàm noſter intellectus, ſicut ſenſus videtur reſpectu intellectus noſtri, & ſi intelligeret per ſpeciem ſingularis: ergo eſſet magis determinabilis quàm intellectus noſter, quia ſic determinari tali ſpecie, videtur propriè eſſe ipſius ſenſus. *Quære ſolutionem huius arg. infra diſt. 9. & 3. diſt. 1.*

Item, iſta cognitio ſingularis ſub propria ratione, impediret cognitionem vniuerſalis: quia enim ſingulare impedit cognitionem, propter hoc fit abſtractio: ergo, &c.

Item, ſi intelligeret ſingularia primò, poſſet de eis acquirere proprium habitum, quia proprius habitus ex propriis actibus generatur, & per conſequens ſcientiam acquireret à rebus quod videtur inconueniens. Item, ſi ſingulare eſſet primò cognitum, eſſet primò præſens intellectui Angelico: hoc autem non eſſet per eſſentiam Angeli, quia illa eſt tantùm ratio cognoſcendi ſeipſam: nec per illum habitum prædictum, quia habitus eſt ratio cognoſcendi tantùm vniuerſalia; ergo per ſeipſum; quod eſt falſum, quia quod ſic cognoſcitur, veriùs cognoſcitur quàm vniuerſale, quod cognoſcitur per habitum.

9. Contra iſtam viam de illo habitu eſt mihi valde improbabile, quia ponere talem naturam perfectiſſimam, ſicut eſt Angelica: & tamen quòd nihil poſſet cognoſcere ſine habitu concreato, ita quòd ſine influxu ſpeciali talis habitus, vel ſpeciei à Deo, non poſſet acquirere cognitionem, ſed ſine habitu tali ſtaret ſicut truncus; videtur mirabile. Talis etiam natura præcisè ſine tali habitu, non videretur de ſe magis intellectualis quàm ſubſtantia, vel natura lapidis. Alia argumenta contra iſtam opinionem quære infrà. diſt. 9. huius, quæſtione de locutione Angelorum. *Conſutat Henr.* *§ contra iſta.*

Ad primam rationem [c] dico, quòd tota entitas ſingularis non continetur ſub vniuerſali: & hoc ſuppono modò ſicut ſupponit ipſe: ergo ſimiliter nec tota cognoſcibilitas ſingularis continetur ſub cognoſcibilitate vniuerſalis. *De que ſupr. q. 21. & 6.*

Ad aliud dico, quòd non eſt imperfectionis cognoſcere ſingulare, quia hoc conuenit intellectui diuino: non tamen eſt tanta perfectio, quòd tantùm ſibi conueniat, ſed etiam aliis: quia ſicut ſenſus eſt omnis ſenſibilis, ſic intellectus eſt omnis intelligibilis: ſed ſingulare eſt intelligibile: ergo. &c. non igitur impedit cognitionem Angeli ſingulare, ex quo eſt intelligibile. Et cùm dicis, quòd intellectus noſter non intelligit ſingulare. Primò dico, quòd hoc eſt imperfectionis pro ſtatu iſto. *Perfectionis eſt cognoſcere ſingulare.*

Ad aliud dicendum, [d] quòd ſi habitus accipitur prout habilitat potentiam; ſic non oportet ponere in intellecti Angeli aliquem habitum, eo quòd intellectus eius ex ſua natura eſt habilitatus ad intelligendum, ſicut graue ad mouendum, vel ad motum deorſum, præter hoc quod ſpecies, & intellectus ſubſunt liberæ inclinationi, & motioni voluntatis, quod ſi non eſſet æquè naturaliter, inclinaret ſicut graue inclinat deorſum: ſi tamen ibi ponitur habitus iſte, ita poteſt poni ſingularis, ſicut vniuerſalis, nec iſte pertinet ad definitionem: & ſecundùm hoc non eſt habitus ſcientificus, nec pertinet ad ſcientiam per ſe, quia ſcientia eſt quiditatum. *De hoc q. præced. n. 18.*

10. Ad aliud, quod ibi dicunt, [e] nihil mouet intellectum niſi in ratione primi obiecti, ſed primum obiectum intellectus creati eſt vniuerſale: ergo, &c. Reſpondeo, hîc eſt æquiuocatio *de primo, & per ſe*: quia vno modo dicitur per ſe obiectum, quod tamen in ſua formali ratione non includit rationem formalem primi obiecti, per quam mouet potentiam: ſicut patet de ſenſibili communi quod eſt per ſe obiectum viſus, ſicut magnitudo, & figura, licèt ſint per ſe obiectum potentiæ viſiuæ, non tamen includunt rationem formalem primam motiuam viſus, ſine qua non eſt videre, ſicut eſt color, & lux. Alio modo ſumitur obiectum, ſolùm primum adæquatione, & hoc includit in ſe, vel ſub ſe multa per ſe obiecta: quæ tamen eſſentialiter includũt rationem primi obiecti, & addunt reſpectu primi obiecti aliquas differentias perficientes: ſecundùm quem modum albedo, & nigredo ſe habent ad colorem: & iſto modo quodlibet moueret potentiam ſub ratione primi obiecti communis, inquantùm in- *Vide de hoc in 3. di. 1. q. 2. & 14. q. quodl.*

cluditur in eo, & etiam ſub ratione propria, quo ad hoc quod addit perfectionem pertinentem ad illud genus, & hoc modo ens eſt obiectum commune adæquatum, & hoc potentiæ intellectiuæ, ens dico in communi, & quodlibet ens ſpeciale quacunque differentia entis contractum ſub eadem ratione mouet, ſiue hoc ſit ratio indiuidui, ſiue ratio ſpeciei.

COMMENTARIVS.

1. c *AD primam rationem.* Hîc Doctor ſupponit vnum, quòd ſingularitas dicat aliquod poſitiuum additum naturæ, vt probaui ſuprà, & ſic ipſa natura non continet totam entitatem ſingularis, & per conſequens non ſequitur quòd ſi aliquid eſt ratio cognoſcendi naturam in ſe, quòd ſit ratio cognoſcendi ſingulare illius naturæ, cùm ſingulare addat aliquid poſitiuum illi naturæ.

d *Ad aliud dicendum.* Dicit Doctor hîc, quòd intellectus Angeli ſic inclinatur naturaliter, vt habens ſpeciem intelligibilem ad cognitionem obiecti, ſicut graue ad centrum; & ſola eſt differentia inter graue, & intellectum cum ſpecie intelligibili, quòd ipſe intellectus, vnà cum ſpecie ſubeſt imperio voluntatis, non ſic graue, ita quòd ſi non eſſet, &c. id eſt, quòd ſi non ſubeſſet motioni voluntatis, æquè naturaliter inclinaret ad cognitionem obiecti, ſicut graue inclinat deorſum.

e *Ad aliud, quod ibi dicunt.* Hæc eſt reſponſio ad ſecundum argumentum in ordine, quod incipit: *Præterea inter illud*, quia iſta ratio intendit concludere, quòd ſi Angelus intelligeret primò ſingulare, quicquid intelligeret ſub ratione ſingularis, ita quòd ratio ſingularis eſſet ratio mouendi intellectum ad cognitionem, ſed hoc eſt falſum, quia primum obiectum intellectus creati eſt vniuerſale, & quicquid mouet intellectum, mouet ſub ratione primi obiecti.

Reſpondeo, hîc eſt, &c. Hæc litera ſtat in hoc, quòd primùm obiectum aliquando accipitur *primum*, id eſt, per ſe, & per ſe obiectum contingit dupliciter. Vno modo, quòd ſit per ſe motiuum, non tamen in ratione primi obiecti, ſiue adæquati obiecti vnius potentiæ, ſicut quantitas, figura. & huiuſmodi, per ſe moueret potentiam, puta viſiuam, cauſando ſimilitudinem ſuam, & etiam partialiter viſionem ſui, & tamen non mouet ſub ratione coloris, vel lucis, quod eſt proprium obiectum, & adæquatum potentiæ viſiuæ. Et de hoc infrà *diſt.* 9. mouet ergo quantitas per rationem ſui, & non per rationem primi obiecti talis potentiæ, licèt tamen ipſa ſenſibilia communia non poſſint mouere potentiam aliquam, niſi priùs talis potentia moueatur ab obiecto proprio. Secundò dicitur obiectum per ſe, quod etiam includit rationem primi obiecti talis potentiæ, ſicut hæc albedo mouet per ſe potentiam viſiuam, & includit in ſe obiectum adæquatum potentiæ viſiuæ, & obiectum tale, quod per ſe mouet, poteſt mouere ſub ratione obiecti communis, & ſub ratione propriæ entitatis. Exemplum: Nam homo poteſt cauſare cognitionem in intellectu partialiter, & inquantùm ens, & inquantùm tale ens, & ſic cùm ſingulare, puta Franciſcus, includat in ſe rationem primi obiecti intellectus, poterit mouere intellectum ad cognitionem, & inquantum ens, & inquantùm hoc ens, & ſic patet iſta litera.

2. *Per ſe obiectum contingit, dupliciter.*

An quantitas moueat.

SCHOLIVM.

Reſolutiuè dicit Doctor primò, Angelum accipere notitiam ſingularis vt ſingulare à rebus, quia hoc non poteſt cognoſci per ſpeciem vniuerſalis. Secundò ait, ſi haberet notitiam ſingularis aliunde, adhuc notitiam exiſtentiæ & accidentium à rebus ſumendam eſſe. Tertiò ait, notitiam intuitiuam, neceſſario Angelum deſumere à rebus, eſto aliunde ſciat ſingulare, & exiſtentiam, quia ad hanc non ſufficit ſpecies, ſed ipſum obiectum concurrit. Quartò ait, eum ſumere poſſe ſpecies vniuerſales à rebus, ſi eas non habet concreatas.

RESPONDEO ergo ad quæſtionem, quòd Angelus poteſt proficere in cognitione rerum, & hoc accipiendo notitiam actualem aliquam à rebus. Et dico, quòd tribus modis poteſt acquirere à rebus notitiam. Prima notitia eſt ſingularis vt ſingulare: quod probo, quia Angelus poteſt cognoſcere hoc ſingulare vt hoc, quia hæc cognitio non eſt improportionata, nec repugnat intellectui creato: ſed non poteſt cognoſcere ſingulare, vt hoc, ex ratione vniuerſalis probo, quia hæc natura vt hæc, non continetur determinatè, ſcilicet vt hæc ſub vniuerſalitate: ſi ergo cognoſcitur ſingulariter hoc vt hoc, hoc eſt, per propriam ſpeciem: ſed non eſt probabile quòd ſint concreatæ omnes ſpecies ſingularium omnium poſſibilium ſibi cognoſcere: quia cùm talia ſint infinita, haberent ſpecies infinitas actu: quodlibet enim indiuiduum poteſt cognoſcere.

11.

Acquirit Angelus ſpecies ſingularium.

Angelus neceſſariò acquirit notitiam exiſtentiæ à rebus.

Præterea, ſecundò dico, quòd ſi haberet notitiam ſingularis, vt ſingulare eſt, non acceptam à rebus: adhuc neceſſariò habetur accipere notitiam exiſtentiæ actualis rei, vel non exiſtentiæ, & etiam accidentium notitiam, quæ requiruntur ad exiſtentiam,

tiam, vel non exiſtentiam à rebus. Probo, quia ex notitia quiditatum,& vniuerſal ũ quæ ſcilicet ſunt neceſſaria,non poteſt cognoſci complexio contingens:ſed exiſtentiæ rerum, vel non exiſtentiæ ſunt contingentes; ergo non ſufficit habere notitiam quiditatum, & vniuerſalium ad hoc quòd cognoſcat hoc ſingulare eſſe, puta hanc Socratem currere: ſed oportet quòd iſtam notitiam accipiat à rebus.

In contingentibus notitia terminorũ nõ repræſẽtat complexionem, nec oppoſitum.

Confirmatur, quia ſi habet rationes terminorum complexionis contingentis ſibi concreatas, aut iſtæ rationes iſtorum, ſcilicet terminorum, *me ſedere cras*, repræſentant determinatè hanc veritatem, me ſedere cras: vel non determinatè:ſi determinatè, igitur impoſſibile eſt per ipſos terminos ipſum habere notitiam, quòd hoc ſit contingens, ſi non determinatè, ergo nunquam per hos terminos habebit quòd determinatè ſedeam: igitur oportet quòd accipiat aliunde certam notitiam huius.

Idea nõ repræſentant contradictoria.

Item, ideæ diuinæ non ſunt rationes repræſentandi contradictoria; ergo nec contingentia, non enim repræſentant nunc vnam rem, tunc oppoſitam,vel contradictorium illius:ſed notitia contingentium dependet ex voluntatis determinatione, vt determinat ea ponere in effectu, vel non: igitur nec rationes terminorum exprimunt ex ſua euidentia, nec faciunt notitiam contingentium in Angelis.

Intuitiuã notitiam Angelus ſumit à rebus, quia ad hãc nõ ſufficit ſpecies.

12. Tertiò dico, quòd quantumcunque haberet concreatam ſibi notitiam ſingularis, & notitiam exiſtentiæ contingentis, tamen cognitionem intuitiuam ſingularium neceſſariò recipit à rebus: non enim omnis cognoſcens exiſtentiam alicuius,cognoſcit ipſam intuitiuè, quia poteſt ipſam cognoſcere abſtractiuè: nam cognitionem intuitiuam ſingularium, non poteſt habere in Verbo, vbi tamen cognitionem exiſtentiæ habet:& ideò ad cognitionem intuitiuam rei neceſſariò concurrit obiectum reale, vel ipſa res vt præſens.

De hoc Scot. 4. d. 49. q. 11.

Item, impoſſibile eſt cognitionem intuitiuam eſſe per aliquam rationem, quæ ſit in eadem diſpoſitione, & eodem modo repræſentans remanente, & etiam non manente: ſed vniuerſale, quod eſt ſpecies, vel habitus, vel quicquid ponitur in intellectu Angeli, eodem modo ſe habet re exiſtente, vel non exiſtente:igitur nullum eorum poteſt eſſe ratio cognoſcendi rem intuitiuè: ergo oportet quòd Angelus accipiat ipſam à re ipſa ſingulari, ſi habet eam, vel ad hoc quòd poſſit eam habere. Probo quòd poſſit eam habere, quia poſſibile eſt imperfectiori potentiæ: ergo & perfectiori, eſt enim poſſibilis potentiæ ſenſitiuæ.

Quartò, dico, quòd ſpecies vniuerſales poſſet accipere à rebus ſi non eſſent ſibi concreatæ: quia probatum eſt ſuprà quòd habet intellectum agentem; & poſsibilem: & vtrumque perfectiorem habet quàm habemus nos, ſicut etiam eſt perfectioris naturæ; cùm ergo intellectus noſter agens poſsit abſtrahere, ergo & ſuperior, & etiam modo perfectiori: vel cùm ſenſibile æquè repræſentet vniuerſale ſicut imaginabile, impoſsibile eſt ipſum recipere ſpecies à ſenſibili,& ſi nulla ratio eſſet alia, adhuc ſufficeret mihi concedere hoc: quia non oportet remouere ab aliqua natura nobiliori, quòd non poſsit acquirere perfectionem ſuam, ſi non habet eam: ergo nec ab Angelo, cùm hoc poſsit ſenſitiua.

Ad arg. 1.

13. Ad rationes principales. Ad primam rationem,ſi velim renere auctoritatem iſtam de cauſis; dicò,verum eſt, quòd plena eſt formis vniuerſalibus: non tamen ſingularium. Alium proceſſum concedo in argumento.

Corporale partialiter agit in ſpiritum.

Ad aliud dico, quòd ratio Auguſtini benè concludit, quòd nullum corporale poteſt agere in ſpiritum vt totale agens, & vt totalis cauſa, vel principalis: non tamen vt partialis & minùs principalis, intellectu enim Angeli agente, vt cauſa magis principali, poteſt corporale cauſare notitiam illam.

Ad Dionyſium dico, quòd auctoritas illa ſoluit ſeipſam: quia concedo quòd diuinas illuminationes, vel notitiam diuinam, quia illam à ſolo Deo habent, non congregant ex ſenſibilibus: benè tamen aliam notitiam poſſunt habere ex ſenſibilibus.

Ad aliud de ſimili modo arguendi Philoſophi, & Richardi, ſcilicet de medio, Angelus tenet medium,&c. Iſte modus arguendi fundatur in iſta propoſitione,quòd ſcilicet in ente omnis gradus poſsibilis eſt, & hoc concedatur, & ego concedo,quòd Angelus habet aliquam cognitionem, quam non recipit à rebus, vt eſt cognitio vniuerſalium, in qua differt ab anima, & aliquam, in qua cum anima conuenit, vt iſtam, quam accipit à rebus.

COMMENTARIVS.

Reſpondeo ergo ad quæſtionem. Dicit Doctor primò, quòd intellectus Angeli poteſt accipere notitiam ſingularium actualem à rebus ſingularibus, & hoc per propriam ſpeciem eſt.

Difficultas. Sed hîc oritur difficultas non parua, quia quæro à te, quomodo Angelus recipit propriam ſpeciem, puta Franciſci? Aut enim illa cauſatur tantùm à Deo, aut tantùm ab intellectu Angeli, & ſic non eſt recipere ſpeciem à ſingularibus, aut partialiter ab ipſo ſingulari. Diceret Doctor, quòd partialiter ab ipſo ſingulari. Sed tunc arguo ſic; quicquid cauſat aliquid, habet rationem formalem cauſandi illud; ſed ſingulare non habet rationem formalem cauſandi partialiter ſpeciem intelligibilem ſui; ergo, &c. Maior patet à Doctore *in primo, diſt.* 2.3.7. *&* 26. Minor patet, quia accipio Franciſcum, & quæro quid ſit ratio formalis in illo cauſandi ſpeciem intelligibilem? aut eſt natura; & hoc non, quia natura, vt natura, eſt ratio formalis cauſandi ſpeciem intelligibilem repræſentantem vniuerſale, & hoc quando cauſat partialiter, & concurrit cum intellectu agente cauſante partialiter, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 6. Præterea, quod eſt ratio formalis cauſandi ſpeciem intelligibilem, dicimus quòd eſt ratio formalis cognoſcendi, illud, vt patet à Doctore in ſimili *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 1. *&* *diſt.* 8. *quæſt.* 2. *&* *in iſto ſecundo, diſtin. præſenti quæſt.* 9. *&* *in quodlib. &* *in quarto.* ſed natura, vt natura, non eſt ratio formalis intelligendi ſingulare, vt ſingulare, vt patet hîc à Doctore. Si dicatur, quòd ſingularitas illa eſt ratio formalis cauſandi, &c. Contrà, quia illud, quòd eſt tantùm conditio agentis, non poteſt eſſe ratio formalis agendi, quia iſta ex oppoſito diſtinguuntur. Sed ſingularitas ipſa eſt tantùm conditio agentis, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 6. *&* *diſtin.* 7. ergo non erit ratio formalis cauſandi ſpeciem intelligibilem. Et ſicut dixi de ſpecie intelligibili, hoc idem quæro de cognitione intuitiua ſingularis, quia ſi ſingulare eſt cauſa partialis cognitionis intuitiuæ, vt patet à Doctore infrà *quæſtione præſenti.*

Singulare eſt cauſa partialis cognitionis. Quæro de ratione formali, non poteſt dari natura, propter rationem ſecundam ſuperiùs factam, nec ſingularitas ipſa, vt patet; ergo non poterit mouere partialiter intellectum Angeli ad cognitionem ſui intuitiuam.

Secundò dubitatur ibi, quia dicit Doctor quòd ſingulare, inquantùm exiſtens, poteſt cognoſci ab Angelo, & non per naturam vniuerſalem, ſed per exiſtentiam actualem.

Quæro quomodo ſingulare actu exiſtens cauſat partialiter, vel ſpeciem intelligibilem ipſius exiſtentiæ, vel cognitionem intuitiuam ipſius? Aut enim ratio formalis cauſandi huiuſmodi, eſt ipſa natura, aut ſingularitas, aut actualis exiſtentia; non primum, nec ſecundum, vt patet ſuprà: nec etiam tertium, quia dicit Doctor quòd ratio formalis agendi in quocunque, loquendo de ratione formali propria eſt natura, vel quiditas illius ergo, &c.

Tertiò dubitatur ibi, quia dicit Doctor, quòd Angelus non habet cognitionem intuitiuam, puta lapidis relucentis in Verbo, ſed tantùm vt eſt in proprio genere.

Contrà, quia cognitio intuitiua eſt limpidior, & perfectior cognitione abſtractiua: Sed Angeli perfectiùs cognoſcunt lineam in Verbo, & clariùs, quàm in proprio genere, vt declarat Doctor *in prolog. quæſt. penult.* *Cognitio intuitiua eſt perfectior abſtractiua.*

Secundò, quia dicit loco præallegato, quòd quiditas in quocunque lumine videatur, continet virtualiter veritates, quas poteſt facere notas intellectui paſſiuo à tali obiecto. Tunc ſic, nam continere ſic virtualiter, puta *A*, eſt facere notitiam illius; vel poſſe facere, vt patet *ibi, & in primo, diſtinct.* 3. *quæſt.* 1. *&* *in ſecundo, diſtin.* 3. *quæſt.* 9.

Quæro tunc, quomodo quiditas lineæ, vt relucens in Verbo, cauſet cognitionem ſui, vel contentorum reſpectu intellectus Angeli? Aut abſtractiuam, aut intuitiuam. Non primo modo, quia huiuſmodi quiditates non cognoſcuntur in Verbo abſtractiuè, quod patet, quia quod cognoſcitur abſtractiuè, cognoſcitur per ſpeciem intelligibilem repræſentantem, etiam quando diſtinctè cognoſcitur, vt aliàs declaraui: ſed quiditas eſt perfectè præſens intellectui Angeli, vt relucet in Verbo: ergo non indiget ſpecie intelligibili, qua mediante cognoſcatur abſtractiuè. Si intuitiuè, habeo intentum contra Doctorem.

Præterea. Si intellectus Angeli non cognoſcit lapidem intuitiuè in Verbo, ſiue nihil relucet in Verbo, quæro quomodo cognoſcatur ab intellectu diuino? Aut intuitiuè, aut abſtractiuè? Non ſecundo modo, quia talis cognitio eſt imperfecta. Si primo modo, tunc idem erit de Angelo, quia non eſt maior ratio de vno, quàm de alio, cùm ita ſit præſens intellectui Angelico ſicut diuino.

Quartò dubitatur ibi, quia dicit Doctor *Impoſſibile eſt cognitionem intuitiuam eſſe per aliquam rationem, quæ eodem modo repræſentat re manente & non manente.* Hoc non videtur, quia eſſentia diuina eſt ratio formalis cognoſcendi perfectiſſimè, & diſtinctiſſimè omnem alam rem à ſe, vt patet à Doctore *in prologo, quæſt. penult. &* *diſtinct.* 1. *primi, &* *diſtinct.* 8. *&* 39. Et eſt ratio cognoſcendi omnia alia intuitiuè, quia intellectus diuinus non cognoſcit niſi intuitiuè, ſiue res maneant, ſiue non maneant. Nam cognouit omnia ab æterno eadem cognitione, qua & nunc dicente Auguſtino 6. de Trinit. *abſit, vt aliquid Deus cognoſcat ex tempore,* ergo non videtur dicendum, quòd illud non eſt ratio cognoſcendi intuitiuè. *Intellectus diuinus non cognoſcit niſi intuitiuè.*

Antequam reſpondeam, ſuppono aliqua. Primò, quòd obiectum ſecundùm aliam, & aliâ præſentiam poteſt eſſe cauſa alterius, & alterius effectus ſpecie diſtincti. Nam fruitio Dei clarè viſi, & fruitio eiuſdem obſcurè viſi differunt ſpecie, & hoc propter aliam, & aliam præſentiam ipſius obiecti, vt patet *in* 4. *diſt.* 49. & poſſet etiam elici ex *diſt.* 31. *tertij.* Patet etiam quòd ipſe vult, quòd cognitio intuitiua & abſtractiua eiuſdem obiecti differunt ſpecie, vt patet in hoc ſecundo. 3.

Secundò ſuppono, quòd quando obiectum nõ eſt præſens in ſe, ſed eſt præſens in aliquo phantaſmate, tunc tale phantaſma non poteſt cauſare vnà cum intellectu agente, niſi ſpeciem intelligibilem repræſentantem ipſam naturam communem; *Obiectum quomodo non ſit præſens in ſe.*

communem, vt patet *in* 1. *diſt.* 3. *q.* 6. phantaſma enim impreſſum virtuti phantaſticæ, licèt ſit repræſentatiuum obiecti ſingularis, vt ſingularis, & cum omnibus conditionibus materialibus, non tamen poteſt cauſare ſpeciem intelligibilem repræſentantem ipſum ſingulare ſub ratione ſingularitatis; quia ſi ſic, vel ſequeretur quòd nunquam poſſet haberi ſpecies intelligibilis in intellectu repræſentans naturam in communi, quod eſt falſum; vel ſimul poſſet cauſare ſpeciem intelligibilem repræſentantem obiectum æquè primò ſub modis repugnantibus, puta ſub modo ſingularitatis, & ſub modo vniuerſalitatis, qui ſunt modi oppoſiti, vt patet à Doctore vbi ſuprà; vel quòd ſimul poſſet cauſare duas ſpecies intelligibiles, quarum vna eſſet repræſentatiua ſingularis ſub ratione ſingularitatis, & alia eſſet repræſentatiua eiuſdem obiecti ſingularis ſub ratione vniuerſalitatis, quod non videtur; quia cùm ipſum phãtaſma ſit actiuũ merè naturale, & ſimiliter intellectus agens, qui eſt altera cauſa partialis ſpeciei intelligibilis, vt patet *vbi ſuprà*, *& q.* 8. non eſſet maior ratio quòd produceret vnam magis, quàm aliam, non eſt dicendum, quòd duas in eodem obiecto, quia hoc non eſt poſſibile, quòd producat ſimul duos effectus repræſentatiuos eiuſdem obiecti ſub modis oppoſitis: relinquitur ergo quòd tale phãtaſma, puta albedinis, non poteſt cauſare, niſi ſpeciem intelligibilem repræſentantem ipſam naturam in communi, licèt fortè repræſentantem primò ipſam naturam in ſingulari vago, & illud non eſt repræſentare naturam ſub modo ſingularitatis [propriè, & ſecundò naturam in ſe, & tertiò naturam in ſingulari ſignato, non tamen propriè ſub ratione ſingularitatis.

4. Tertiò ſuppono, quòd idem obiectum, vt eſt præſens in ſpecie intelligibili cauſata per phãtaſma, eſt cauſa partialis cognitionis abſtractiuæ, ſic intelligẽdo, quòd illa ſpecies intelligibilis, repræſentans tale obiectum, eſt verè cauſa partialis cognitionis, & quòd talis ſpecies ſit cauſa partialis, vide Doct. *in primo, diſt.* 3. *q.* 6. 7. 28. *& diſt.* 37. *& in iſto* 2. *diſt.* 3. *& in quodlib.* & vide quæ ibi notaui, præcipuè *in primo diſt.* 3. Sed quia obiectum relucet in tali ſpecie, dicimus quòd obiectum eſt cauſa partialis; ſed propriè, & verè ſola ſpecies eſt cauſa partialis; quando verò obiectum eſt in ſe præſens propria præſentialitate, tunc eſt cauſa partialis cognitionis intuitiuæ.

Species intelligibilis quomodo ſit cauſa partialis cognitionis.

Quartò ſuppono, quòd ſi obiectum poſſit immediatè agere in intellectu, ita quòd non præſupponeret ordinem potentiarum, ſicut eſt pro ſtatu iſto, vt puta, ſi lapis comparetur ad intellectum Angeli. Dico tunc, quòd lapis, vt eſt perfectè præſens intellectui Angeli, poteſt cauſare partialiter cognitionem intuitiuam ſui, ita quòd talis cognitio terminatur ad lapidem exiſtentem, inquantùm exiſtens. Secundò poteſt cauſare ſpeciem intelligibilem repræſentantem ipſum ſub ratione ſingularitatis. Hoc patet à Doctore *in iſto* 2. *diſt. præſenti, quæſt.* 10. vbi vult, quòd eſſentia Angeli poſſit cauſare cognitionem ſui intuitiuam in proprio intellectu, & cognitionẽ ſui abſtractiuam, quæ non eſt, niſi per ſpeciem intelligibilem ex hoc, quòd poteſt cauſare in intellectu ſuo ſpeciem intelligibilem, & ſic mediante illa poteſt cognoſcere propriam eſſentiam abſtractiuè.

His ergo præmiſſis. Quando quærebatur, *Si* 5.
ſingulare poteſt cauſare ſpeciem intelligibilẽ repræſentantem ipſum, quærendo de ratione formali cauſandi illam. Dico quòd eſt ipſa natura exiſtens in propria ſingularitate, & in propria præſentialitate, ita quòd talis natura, vt ſic, habet cauſare, vel eſt ratio formalis cauſandi ſpeciem intelligibilem repræſentantem ipſum ſub ratione ſingularitatis.

Si dicatur, an talis natura exiſtens ſub propria ratione ſingularitatis poſſit cauſare ſpeciem intelligibilem repræſentantem naturam, vt natura eſt. Dico quòd ſic, & hoc patet à Doctore *in ſimili diſt in.* 3. *quæſt. prima, primi*, vbi vult quòd phantaſma aliquod poteſt cauſare ſpeciem intelligibilem repræſentantem naturam, cuius eſt phantaſma, & aliam ſpeciem intelligibilem repræſentantem ſuperius, & aliam repræſentantem magis ſuperius; vel quòd eadem ſpecies intelligibilis poteſt repræſentare inferius, & ſuperius, ita quòd poteſt eſſe partialis cauſa cauſandi, puta cognitionem albedinis, & deinde coloris per ſe, & deinde qualitatis, &c.

An phantaſma poſſit cauſare ſpeciem intelligibilem.

Si teneatur primus modus de multiplicitate ſpecierum, pariformiter dico quod lapis exiſtens in propria ſingularitate poteſt cauſare ſpeciem intelligibilem repræſentantem ipſum ſub ratione ſingularitatis, maximè cum ſingularitas ipſa ſit aliqua entitas poſitiua vltra naturam cuius eſt, vt patet à Doctore vbi ſuprà *in hoc ſecundo diſt. præſenti.* Secundò poteſt cauſare aliam ſpeciem intelligibilem repræſentantem naturam in ſe. Et tertiò aliam repreſentantem ſuperius, vt patet. Sed tamen non poſſet immediatè cauſare ſecundam, niſi priùs prima cauſata, ſicut nec phantaſma albedinis poſſet immediatè cauſare ſpeciem coloris, niſi priùs cauſet ſpẽciem albedinis, vt patet per rationem Doctoris *in primo, diſtinctione tertia, quæſtione ſecunda.* Agens naturale diſpoſitum ſemper producit effectum nobiliorem, quem poteſt producere, vide ibi. Si verò ſecundus modus teneatur, ſcilicet de vnitate ſpeciei partim eſt ſimile, & partim diſſimile. Simile fortè quantùm ad hoc, ſicut ſpecies intelligibilis albedinis cauſata à phantaſmate, poteſt eſſe cauſa partialis cognitionis albedinis, & etiam ſuperioris in ſe; ita hæc poſſet eſſe cauſa partialis cognitionis ſingularis, inquantùm ſingulare, & ſecundò cognitionis naturæ in ſe, tamẽ eſſet diſſimilis, quia ſpecies cauſata à phantaſmate, poteſt eſſe repræſentatiua albedinis in communi, & coloris, quia iſti modi non repugnant, cùm vterque modus ſit modus vniuerſalitatis. Hîc autem, ſi eadem ſpecies intelligibilis repræſentat eandem naturam in ſe, & ſub ratione ſingulari, iſti modi videntur oppoſiti; niſi diceretur quòd primò repræſentat ſingulare ſub ratione ſingularitatis, & ex conſequenti ipſam naturam in ſe. Primus tamen modus de multiplicate ſpecierum, eſt probabilior.

Dico ergo ad difficultatem, quòd ipſa natura, inquantùm ſingularis, vt eſt in ſe accepta, ideſt, vt eſt exiſtens in propria exiſtentia, eſt ratio formalis cauſandi ſpeciem intelligibilem partialiter repreſentantem ipſam ſub propria ratione ſingularitatis, ita quòd ipſa ſingularitas, licèt ſit conditio agentis, tamen ex quo habet propriam entitatem, ipſa natura, vt exiſtẽs actu ſub tali ſingularitate, 6.

Reſpondetur ad difficultatem.

ſitate, poteſt eſſe ratio formalis, etiam cauſandi cognitionem abſtractiuam ipſius ſingularitatis modo prædicto. Hoc etiam dico de cognitione intuitiua ſingularitatis, quia ipſa natura exiſtens actu ſub tali ſingularitate, non tantùm eſt ratio formalis cauſandi cognitionem intuitiuam ipſius naturæ exiſtentis, ſed etiam ipſius ſingularitatis, in qua actu exiſtit, non ſic eſt quando natura non eſt in ſe præſens, ſed tantùm eſt præſens in ſpecie intelligibili cauſata à phantaſmate, quia illud phantaſma, vt dixi, non poteſt cauſare ſpeciem intelligibilem repræſentantem naturam ſub ratione ſingularitatis propriè, & ſic patet ſolutio ad primam difficultatem.

7. Si etiam volumus dicere, quòd ſingularitas ipſa in actuali exiſtentia ſit ratio formalis cauſandi ſpeciem intelligibilem repræſentatem ipſam ſingularitatem, per quam ſpeciem poſſit abſtractiuè intelligi ipſa ſingularitas, ſiue exiſtat, ſiue non exiſtat, licèt ipſa ſingularitas non poſſit partialiter cauſare, niſi actu exiſtens, quia omne agens agit, inquantùm eſt in actu exiſtentiæ, tamen ipſa ſpecies poteſt partialiter cauſare cognitionem abſtractiuam ipſius ſingularitatis, ſiue exiſtens, ſiue non.

Dico etiam, quòd loquendo de cognitione intuitiua, ipſa ſingularitas actu exiſtens, & actu præſens in propria præſentia poteſt partialiter cauſare cognitionem ſui intuitiuam.

Si dicatur, quòd tantùm eſt vna exiſtentia ipſius naturæ, & ſingularitatis additæ, & per conſequens non poteſt cauſare partialiter propriam cognitionem intuitiuam.

Dico, quòd ſicut natura, & ſingularitas addita naturæ inter ſe verè ſunt idem realiter, tamen poteſt eſſe aliqua diſtinctio inter illa præter omne opus intellectus, ſic quòd licèt exiſtentia naturæ, & exiſtẽtia ſingularitatis ſint ſimpliciter vna exiſtentia realiter, ſunt tamen duæ exiſtentiæ, ſaltem diſtinctæ ex natura rei; veruntamen de facto non poteſt haberi cognitio intuitiua vnius, quin etiam habeatur alterius; tamen cognoſcens naturam intuitiuè ſub propria exiſtentia, & ſingularitatem ſub propria cognoſcit ibi aliquam diſtinctionem præter omne opus intellectus: aliàs enim dixi, videlicet *in diſt. prima, & ſecunda primi*, quòd licet eſſentia diuina, & paternitas ſint vna res abſolutè, & vna exiſtentia, tamen intuitiuè poteſt videri perfecta eſſentia, non videndo paternitatem, licèt non è contra. Et declaratum fuit ibi, quod paternitas dicit propriam exiſtentiam, ſaltem diſtinctam ex natura rei ab exiſtentia eſſentiæ diuinæ, vide ibi. Vide etiam in iſto ſecundo, *diſt. tertia, quæſt.* 1. quomodo natura dicatur habere exiſtentiam, & dicatur eſſe idem realiter exiſtentiæ.

8. *Quæ ſit ſingularitas.* Tunc ad difficultatem principalem in qua dicebatur, quod ſingularitas eſt conditio tantùm agentis, & non ratio agendi.

Dico, quòd Doctor dicit, quòd licèt natura, ſit conformaliter agendi actionem ſibi competentem, tamen non poteſt eſſe in potentia propinqua ad agendum, niſi actu ſit ſub ſingularitate, vt in ſimili expoſitum eſt *in primo, diſtinct.* 7. de potentia generandi Patris, & ſi hoc modo ſingularitas eſt conditio agentis, vt comparatur ad actionem competentem naturæ, non tamen Doctor negat, quin ipſa ſingularitas (cùm dicat veram entitatem additam naturæ, vt patet ſuprà *diſt. tertia*, & in primo, *diſt.* 5. *quæſt.* 2. & 26.) poſſit eſſe ratio agendi reſpectu actionis ſibi competentis, cuiuſmodi eſt intellectio intuitiua ipſius ſingularitatis, vel ſpeciei intelligibilis repræſentantis ipſam ſub ratione propria, & cùm dicitur, quòd in omni agente eſt reperire rationem formalem agendi, & conditionem ipſius agentis, quæ eſt ſingularitas; patet reſponſio, quia hoc eſt verum, vbi natura comparatur ad actionem ſibi competentem, in quam non poteſt exire, niſi priùs ſit ſingularizata, vbi verò ſingularitas comparatur ad actionem ſibi competentem, eadem eſt formalis ratio agendi, & conditio agentis. Si enim (per poſſibile) ſingularitas poſſit ſeparari à natura cuius eſt, ita quòd actu exiſteret ſine ipſa natura, ipſa ſingularitas haberet propriam rationem formalem cauſandi partialiter cognitionem ſui, loquendo ſemper de ſingularitate abſoluta.

Ad aliam difficultatem de cognitione intuitiua, vt clariùs intelligatur. 9.

Suppono primò, quòd cognitio intuitiua alicuius rei eſt, quia talis cognitio eſt à tali re exiſtente in propria exiſtentia, ita quod talis res ſaltem eſt cauſa partialis cognitionis; & hoc modo omnis entitas dicens perfectionem abſolutam, poteſt cauſare cognitionem intuitiuam in intellectu ſibi proportionato, quod dico propter intellectum diuinum, qui non eſt proportionatus, vt poſſet moueri ab aliquo ente creato, vt patet à Doctore *quæſt.* 14. *quodl.* & etiam propter eſſentiam diuinam, quæ nullo modo proportionatur intellectui creato, vt patet *in* 2. *diſt.* 24. *in reſp. ad argumenta.*

Dico ſecundo, quòd aliquid poteſt cognoſci intuitiuè, & hoc ſolùm terminatiuè, ita quòd talis cognitio ſolùm terminetur ad talem rem exiſtentem in propria exiſtentia, & nullo modo mouetur à tali re.

Aliquid poteſt cognoſci intuitiuè dupliciter.

Dico tertiò, quòd aliquid poteſt cognoſci intuitiuè dupliciter, vt puta homo, vno modo per motionem propriam; alio modo, quia talis cognitio verè cauſatur ab aliqua re perfectè continente ipſum hominem ſecundùm totam ſuam entitatem, continente dico, virtualiter, vel eminenter.

10. Secundò, ſuppono quòd homo poteſt cognoſci dupliciter in eſſentia diuina. Primò, quia ipſa quiditas, vt relucens in eſſentia diuina, ſuo modo poteſt mouere intellectum Angelicum; & tunc talis cognitio nullo modo dicitur intuitiua, cùm non ſit cauſata à tali quiditate, vt in propria exiſtentia, nec etiam terminatur ad illam, vt in propria exiſtentia. Alio modo cognitio ipſius hominis poteſt immediatè cauſari, vel partialiter, vel totaliter à voluntate diuina, perfectè ſupplente vicem talis obiecti; & voluntas diuina poteſt cauſare cognitionem perfectè intuitiuam ipſius hominis, licèt non actu exiſtentis, quia ipſa voluntas diuina perfectè continet virtualiter, & eminenter totam quiditatem hominis, & per conſequens reſpectu ipſius hominis poteſt cauſare cognitionem tam intuitiuam, quàm abſtractiuam, vt ſatis patet in ſimili ſuprà *diſt.* 3. *q.* 9. 10. & 11.

Quomodo voluntas diuina continet virtualiter totam quiditatem hominis.

Si dicatur, nonne talis cognitio terminatur ad hominem, vt actu relucet in eſſentia diuina, & vt ſic non terminatur ad ipſum ſub propria exiſtentia, Dico, quòd ſufficit, quod talis cognitio ſit cauſata ab aliquo perfectè ſupplẽte vicẽ obiecti. Nonne etiã intellectus diuinus perfectiſſimè cognoſcit,

cognoſcit,& intuitiuè omnem creaturam, etiam antequam fieret:talis enim cognitio verè dicitur intuitiua, quia quaſi cauſatur ab eſſentia diuina perfectè exiſtente, & in propria exiſtentia perfectè præſente, & ſupplente vicem cuiuſcunque obiecti creati reſpectu cuiuſcunque cognitionis poſſibilis haberi de tali obiecto, & ſic perfectiſſimè ſuo modo cauſat cognitionem ſui intuitiuam, & omnium creaturarum in intellectu ſuo, etiam antequam fierent,ſic in propoſito.

11. Tunc ad difficultatem reſpondeo, quòd quando Doctor dicit in iſto ſecundo, *diſt. præſenti, quæſt.præſenti*, quòd Angelus non cognoſcit intuitiuè lapidem relucentem in eſſentia diuina, ſic debet intelligi, quòd ipſe lapis,vt relucens in eſſentia diuina, cùm tantùm habeat *eſſe* cognitum, vt patet *in primo,diſt.3.quæſt.4.* vt ſic, non poteſt mouere aliquem intellectum ad cognitionem ſui intuitiuam, & ſic concedo,quòd intellectus Angeli tantùm cognoſcit quiditatem lapidis cognitione abſtractiua. Et cùm dicit,quòd perfectiùs videt lapidem in lumine increato, quàm in creato,puta in ſpecie intelligibili. Dico,quòd verum eſt,loquendo de cognitione abſtractiua,quòd perfectiùs cognoſcitur lapis relucens in eſſentia diuina, quàm in aliqua ſpecie intelligibili creata. Loquitur ergo Doctor ibi,quòd ipſe lapis, quantumcunque relucens in Verbo,non poteſt partialiter cauſare in intellectu Angeli cognitionem ſui intuitiuam, ſed tantùm, vt eſt exiſtens in proprio genere, & in propria exiſtentia, non tamen negat,quin lapis poſſit videri intuitiuè, non per motionem ipſius lapidis, ſic relucentis in eſſentia diuina,ſed per motionem voluntatis diuinæ ſupplentis vicem ipſius lapidis, quantùm ad omnem ſui cognitionem. Et quando dicitur,quòd cognitio in Verbo eſt perfectiſſima,dico, quòd verum eſt,comparando cognitionẽ abſtractiuam ad abſtractiuã,& intuitiuã ad intuitiuã: cognitio enim intuitiua lapidis in Verbo cauſata à voluntate diuina, valde perfectior eſt cognitione intuitiua cauſata ab ipſo lapide exiſtente in proprio genere. Similiter cognitio lapidis abſtractiua relucentis in eſſentia diuina, valde perfectior eſt cognitione cauſata ab ipſo lapide relucente in ſpecie intelligibili:ſit ergo comparatio hoc modo, & non ſimpliciter, comparando intuitiuam ad abſtractiuam.

Cognitio in Verbo an ſit perfectiſſima.

Concedo enim quòd cognitio abſtractiua habita de lapide relucente in eſſentia diuina, quantùm ad ſuam entitatem, eſt imperfectior cognitione intuitiua habita de lapide exiſtente in proprio genere. Si tamen, vt in Verbo, poſſit haberi cognitio abſtractiua,de quo aliàs.

12. Ad vltimam licèt ſolutio pateat ex dictis,dico tamen quòd quando dicit, quòd impoſſibile eſt cognitionem intuitiuam eſſe per aliquam rationem,quæ ſit in eadem diſpoſitione,& eodem modo repræſentans re manente, & etiam non manente,debet intelligi de cognitione intuitiua, quæ habetur de aliqua re ſecundùm propriam exiſtentiam, quia ex quo cognitio intuitiua eſt exiſtentis, inquantùm exiſtens, eſt in propria exiſtentia, ita quòd talis natura ſub ratione formali,quia exiſtit,eſt ratio formalis talis cognitionis, & tunc benè ſequitur quòd ſi illa ratio formalis cognitionis intuitiuæ maneret eadem, re intuitiuè cognita exiſtente, & non exiſtente, quòd non eſſet ratio formalis cognoſcendi intuitiuè.

Si verò loquamur de ratione formali reſpectu cognitionis intuitiuæ reſpectu alicuius obiecti virtualiter, & eminenter contenti in tali ratione formali,vel in aliquo obiecto,cuius eſt talis ratio formalis. Dico, quòd ſiue talis res contenta exiſtat,ſiue non exiſtat,poteſt intuitiuè cognoſci per talem rationem formalem, vt patet de eſſentia diuina, quæ eſt ratio formalis cognoſcendi intuitiuè quiditatem lapidis,ſiue lapis exiſtat, ſiue non,poterit ipſa eſſe ratio formalis,quaſi cauſandi cognitionem intuitiuam ipſius lapidis in intellectu diuino,& ſic debet intelligi Doctor.

13. *Ad obiectiones.* Ad obiectiones contra rationem ad ſecundam concluſionem,dicitur,quòd per ſe primò, & directè intentum S. Thomæ eſt, quòd quia à Deo effluit in Angelum ſimilitudo Socratis, non ſolùm quo ad conditiones communes, ſed quo ad conditiones ſingulares, ideò Angelus intelligit ipſum. Sed quia opinatur materiam eſſe principium ſingularitatis in rebus materialibus, & formam communitatis.Ideò in quæſtionibus de veritate *quæſt.8.artic.11.* innuit rationem,quam hîc expreſsè per vniuerſale, & indiuiduale expreſſit per formam, & materiam. Vnde dupliciter reſpondere poteſt.Primò,quòd quantùm ad præſens ſpectat propoſitum, per accidens ſe habet materia, & forma: quoniam vis rationis conſiſtit in hoc, quòd in Angelo indita eſt ſimilitudo omnium tam vniuerſalium, quàm indiuidualium conditionum, quæcunque ſint, & per quæcunque naturalia principia habeantur. Secundò, quòd de materia poſſumus loqui dupliciter: Vno modo ſecundùm ſeipſam, id eſt, prout eſt in rerum natura. Alio modo,ſecundùm quòd ex ordine ad formam per intellectum abſtrahitur, & quòd materia ſecundo modo cadit in quiditate rei naturalis: primo verò modo indiuiduat, & quòd in propoſito eſt ſermo de materia, non vno tantùm modo, ſed de omnibus modis, ita quòd intendit, quòd in Angelo ſit ſimilitudo materiæ repræſentans eam ſecundùm *eſſe* naturale, quod habet exiſtendo in rerum natura in rebus,& non ſolùm ſimilitudo eius, ſecundùm quòd eſt pars definitionis rerum naturalium,quod breuiùs dici poſſet, quòd in eo eſt ſimilitudo non ſolùm materiæ,ſed materiæ ſignatæ, quam conſtat in definitione non poni.

De materia duplex eſt ſermo.

Ad ſecundam obiectionem contra idem,negatur quòd ſpecies influxa ſit ratio cognoſcendi tantùm quiditatem. Nec aliquam adduxit vnquam rationem arguens efficacem ad oppoſitum.

Ad tertiã dicitur,quòd nulla eſt fallacia,arguẽdo à communi exemplari ad conſimilitudinem exemplatorum,imò eſt locus neceſſarius, & non tantùm rationabilis:quoniam quicquid conuenit vni ſimilium,vt ſic,conuenit & alteri. Talis autem eſt proceſſus iſte fundatus ſuper hoc,quòd à Deo fluxerunt res in duplici *eſſe*,naturali & intentionali in mentibus Angelorum. Ex hoc enim manifeſtè ſequitur non ex ratione perfecti, aut imperfecti,ſed ex ratione ſimilium,quòd ſimilitudo rei in *eſſe* naturali apud Deum exiſtens, effecerit *eſſe* intentionale ſimile ſibi in mente Angelica, ac per hoc illa ſpecies intentionalis repræſentet illammet, quam repræſentat diuina ſimilitudo,à qua eſt exemplata,nihil obſtante differentia,ſecundùm perfectum & imperfectum.

14. *Ad obiectiones.* Ad obiectiones verò contra concluſionem ordinatè reſpondendo, ad primam dicitur, quòd cognoſci per propriam ſpeciem dupliciter con-

tingit, ſcilicet adæquatè, vel excellenter, & quòd ſingulare ab Angelo non cognoſcitur per propriam ſpeciem adæquatè, quia ſic ſequeretur infinitas ſpecierum, ſed per ſpeciem excedentem, id eſt, repræſentantem non ſolùm hoc, ſed multa alia. Rurſus, cognoſci per ſpeciem quiditatis contingit dupliciter, ſcilicet adæquatè, & excellenter: & quòd ſingulare non cognoſcitur per ſpeciem quiditatis adæquatè, quia ſic non cognoſceretur, vt hoc, niſi fortè arguitiuè, & valde imperfectè, ſed per ſpeciem quiditatis exceſſiuè, id eſt, repræſentantem non ſolùm ipſam, ſed etiam ſingulares eius conditiones, quas habet in rerum natura. Et hæc eſt via S. Thomæ. Non enim putat ipſe, quòd Angelus cognoſcendo quiditatem, puta equinitatem, ex vi talis obiecti cogniti cognoſcat ſingularia illius, imò hanc viam in quæſtionibus de veritate, loco allegato, reprobat; ſed opinatur, quòd cognoſcendo quiditatem, cognoſcat indiuidua illius, id eſt, per eandem ſpeciem per quam cognoſcit quiditatem cognoſcit indiuidua illius, quoniam ſpecies illa eſt diſtinctè repræſentans vtrunque excellenter.

Cognoſci per propriam ſpeciem dupliciter contingit.

15. Ad ſecundam verò, & tertiam obiectionem ſimul dicitur, quòd ſpecies Angelica repræſentat quiditatem rei, puta humanitatem, & omnes varietates eius, ſecundùm omnes conditiones eius naturales vt S. Thomas loco allegato dicit: vnde & repræſentat humanitatem exiſtere hîc, & ibi, in hoc & in illo, talem & tantam, & ſic de aliis conditionibus.

Ad cuius euidentiam, quoniam ex hoc pendet intellectus, & cognitio huius materiæ videnda ſunt duo, ſcilicet quid repræſentatur, & quomodo repræſentatur.

Quo ad primum, ſciendum eſt quatuor eſſe in rebus, ſcilicet quiditatem, ſingularitatem, exiſtentiam, ſeu coniunctionem vnius cum alio in rerum natura, & durationem talis exiſtentiæ, ſeu coniunctionis: & hæc omnia oportet ſciri ab intellectu habente perfectam notitiam de ſingularibus, ſuntque ſeparabilia ab inuicem in *eſſe* cognito: quoniam vnum poteſt cognoſci alio ignoto, vt patet diſcurrendo per ſingula. Et quoniam cognitio fit per aſſimilationem, neceſſe eſt intellectui cognoſcenti hoc repræſentari illa: & de primis quidem duobus non eſt difficile concipere quòd indita ſit Angelo eorum ſimilitudo; quoniam vtrunque ſpectat ad quæſtionem *quid eſt*, quoniam per primum ſcitur, quid eſt Socrates vniuerſaliter conceptus, id eſt, inquantùm homo: per ſecundum verò quid eſt Socrates inquantùm Socrates, ſingulariter apprehenſus, quod à nobis non eſt ſcibile.

16. Sed de reliquis duobus difficile eſt videre, & præcipuè de quarto, quoniam hoc ad quæſtionem, *an eſt*, & *quando eſt* ſpectat, & vt plenè luſtremus rem hanc, ſciendum eſt, quòd coniunctio aliquorum, & eius duratio, multipliciter poteſt repræſentari intellectui, ſcilicet in ſuis cauſis quidem, quemadmodum coniunctio humanitatis cum riſibilitate præſentatur intellectui repræſentanti ſibi *quod quid erat eſſe* vtriuſque. Ex his enim intellectus conſpicit coniunctionem, & coæuitatem eorum, ſed hoc non habet locum in contingentibus, vt de ſe patet. In ſeipſa repræſentari poteſt dupliciter. Vno modo ita, quòd duratio illius coniunctionis ſit repræſentata, ſicut qualitas aliqua rei repræſentatæ, quemadmodum albedo figuræ repræſentatur viſui. Alio modo, vt ipſa coniunctio ſola ſit res repræſentata, & eius duratio concurrat, vt conditio neceſſaria ad hoc, quòd repræſentetur, quemadmodum de facto ſe habet duratio, ſeu præſentia coloris ad colorem viſum repræſentatum oculo; non enim ſpecies viſibilis repræſentat durationem, ſed videri, ac repræſentari color non poteſt, niſi præſenti tempore menſuraretur, & quòd ita ſint ſpecies Angelicæ apud S. Thomam, non ſolùm repræſentât humanitatem, & Socrateitatem, ſed etiam in ſeipſa coniunctionem eorum, cum *exiſtere* in rerum natura, & in quocunque alio *eſſe* accidentali & naturali; ſed non repræſentant durationem talium coniunctionum, tanquam rem repræſentatam, ſed tanquam conditionem, ſine qua coniunctio illa non repræſentatur; quòd enim non repræſentetur duratio contingentis coniunctionis, ex eo patet, quòd firmiter credimus Angelos non cognoſcere futura contingentia. Si namque in Angelo eſſet indita ſimilitudo ſeſſionis meæ craſtinæ, præſciret euidenter ſeſſionem mihi contingendam eras, & quòd repræſentet durationem, vt conditionem, *ſine qua non*, & quòd talem ſpeciem, vt patet in viſu noſtro: & clariùs patet, ſi fingas viſum eſſe virtutem omnium cognoſcitiuam, tunc enim per talem ſpeciem, qua repræſentaretur ſibi color præſens, vt modò repræſentat, ſcilicet, quòd præſentia concurrit, vt conditio, ſine qua non cognoſceret non ſolùm hunc colorem, ſed hunc colorem exiſtentem in præſenti tempore. Deinde declaratur primum ex eo, quòd duratio alicuius nullam habet repugnantiam, vt ſit talis conditio, ſine qua res non repræſentetur. Et confirmatur, quia quemadmodum duratio coloris eſt eius conditio, ſine qua color nec immutat viſum, nec videtur, ita eſt etiam conditio, ſine qua non repræſentatur, & hæc de primo.

Nota & bene.

Quomodo Scotus defendat ſuam opinionem.

17. Quo ad ſecundum verò modum, ſcilicet repræſentandi, breuiter dicitur, quòd apud S. Thomam ſpecies impreſſa Angelo à Deo reſpectu prædictorum ſe habet ſicut in oculo eſſet naturaliter congenita ſpecies alicuius obiecti, puta huius albi, tunc enim per talem ſpeciem nec repræſentaretur, nec cognoſceretur hoc album, niſi quãdo exiſteret: quoniã inter repræſentans, & repræſentatum requiritur ſimilitudo: nec hoc album ſimile eſt illi ſpeciei repræſentanti, niſi hoc albũ exiſtat, quoniã ſpecies illa repræſentat hanc albedinem exiſtentem: & ſic per illam ſpeciem videret oculus hoc album, quoniam illud eſſet, & non videret illud, quoniam non eſſet: & ſic duratio huius albi in rerum natura ſi haberetur, vt conditio, ſine qua hoc album, nec repræſentaretur, nec videretur, non eſt defectus ſpeciei viſibilis, ſed ex defectu ipſius obiecti; nec per mutationem ſpeciei, ſed per mutationem ipſius obiecti cognoſceret hoc album nunc eſſe, & poſtmodùm perciperet illud non eſſe ex defectu aſſimilationis illius: & ex hoc patet quomodo ſtat, quòd ſpecies indita, & non cauſata ab obiecto ſingulari, & quòd naturaliter repræſentet, & ſit ratio cognoſcendi rem per ſe primò, & directè quando eſt, & ex conſequenti quando non eſt: & quoniam vnũ indiuiduũ ſuperioris ordinis æquiualere poteſt multis non ſolùm indiuiduis, ſed ſpeciebus inferioris ordinis, eleuationem naturæ Angelicæ ſupra corporea intuitus S. Thomas poſuit ſpecies in Angelo ſic tantæ perfectionis, quòd diſtinctè quidem excellentes tamen ſit ratio repræſentatiua multarum quiditatum, & ſingularium,

Doctrina S. Thomæ.

ſingularium, & multarum coniunctionum in rerum natura, ita quòd quandocunque coniunctio illa ponitur in rerum natura, ſtatim aſſimilatur illi ſpeciei, & ſic repræſentatur & cognoſcitur. Diſiunctè autem deſinit repræſentari, quia deſinit aſſimilari, & ex his facillimè patet reſponſio ad obiectiones. Nam ſecunda obiectio ſupponit, quòd coniunctio contingens repræſentatur non in ſeipſa, ſed in rationibus terminorum tantùm.

18. Tertia verò ſupponit, quòd præſentia temporalis non concurrat neceſſariò ad rem cognitam, niſi quia eſt cauſa cognitionis, cùm liquidò conſtare poſſit, quòd hoc album dupliciter concurrit ad viſionem, ſcilicet vt cauſa immutans viſum, & vt obiectum terminans, & quòd præſentia temporalis exigitur ad ipſum, non ſolùm inquantùm immutans rem, ſed inquantùm terminans, ita quòd ſi terminaret, & non immutaret, nihilominus exigeret præſentiam temporalem, & ſic ſe habet in propoſito, vt patet ex dictis.

Ad confirmationem autem dicitur, quòd illa propoſitio ſuprà, quam ſæpiſſimè fundat Scotus, ſcilicet quòd *ſpecies repræſentãs, re abſente, & præſente, nõ ſufficit ad cognitionem intuitiuam*; non eſt vniuerſaliter vera, quoniam hoc dupliciter contingit, ſcilicet, per hoc, quòd abſtrahit à præſentia, & abſentia rei, quemadmodum ſe habent ſpecies intelligibiles apud nos, & de talibus eſt vera propoſitio. Alio modo non per abſtractionem, ſed per excellentiam, id eſt, quia tantæ excellentiæ eſt, vt repræſentet rem, & ſecundùm conditiones eius abſolutè, & ſecundùm conditiones præſentiæ, vel tanquàm rem repræſentatam, vt ſpecies diuina, vel vt conditionem *ſine qua non*, vt ſpecies augeata, & de talibus non eſt vera propoſitio. Species ergo non propter abſtractionem, ſed excellentiã ſui eodem modo repræſentans ex parte ſui, ſiue res ſit, ſiue non, ſufficit ad cognitionem intuitiuam: quia poſita re, aliquid noui repræſentat, non per ſui, ſed rei repræſentatæ mutationem, ſeu nouitatem, & hoc benè nota.

19. Ad primam verò rationem ex d. 9. adductam quarto loco, dicitur negando conſequentiam. Et ad probationem, qua dicitur quando pluralitas infert maiorem perfectionem, infinitas infert infinitam. Dicitur primò, quòd falſum aſſumitur; debet enim ſub diſiunctione concludi, ſi pluralitas infert maiorem perfectionem, infinitas infert, vel infinitam perfectionem, vel altioris ordinis perfectionem. Stat enim, quòd vna perfectio altioris ordinis tantæ ſit perfectionis, quòd excedat infinitas perfectiones inferioris ordinis, & eminenter æquiualeat eis. Rurſum ſecundò dicitur, quòd cùm aliquid eſſe infinitæ perfectionis contingit dupliciter, ſcilicet, ſimpliciter, vel in tali genere, aut ſpecie, nec oportet quod eſt infinitum in tali genere, aut ſpecie eſſe infinitum ens ſimpliciter, vt patet de albedine infinita, ſi eſſet intenſiuè infinita, non enim propterea eſſet perfectior, quàm ſubſtantia, ſed eſſet infinitæ perfectionis infra ſpeciẽ tamen albedinis. Vnde in propoſito, dato quòd infinitas contentorum inferat infinitatem continentis, non ſequitur, ergo illud continens eſt infinitæ perfectionis ſimpliciter, ſed in tali genere, aut ſpecie, & ſic ratio hæc ex duplici deficit capite:

Primò, quia non ſequitur infinitas, niſi ſub diſiunctione.

Secundò, quia etiam quando ſequitur infinitas, non ſequitur infinitas perfectionis, ſimpliciter, ſed perfectionis in genere, vel in ſpecie, quemadmodum pluralitas non infert tunc maiorem perfectionem, niſi eiuſdem rationis; & quando Scotus vtitur iſta ratione ad diuerſa propoſita, & in diuerſis materiis, oportet diligenter notare, quæ diximus, & applicare ad materias. Quantùm autem ad præſens ſpectat, iam patet quòd ponimus ſpecies altioris ordinis, & ſimiliter actum intelligendi ſpeciei proportionatum.

20. *Supponit reſponſionem ex dictis.* Ad ſecundam autem rationem ex dictis habetur reſponſio. Suppobit enim ratio vnum falſum, ſcilicet, quòd ſpecies in mente Angelica repræſentet durationem coniunctionis contingentis tanquàm rem repræſentatam, cuius oppoſitum diximus, imò hoc proprium eſt eſſentiæ diuinæ, & fortè non eſt communicabile alicui ſpeciei, quoniam hoc eſt repræſentare ea, quæ facta ſunt contingenter in ſeipſis determinatæ, & ideò cùm dicitur, aut repræſentat vtrunque oppoſitorum, &c.

Reſpondetur cum triplici diſtinctione. Reſpondetur cum triplici diſtinctione, ſcilicet, de *repræſentari* tanquam rem repræſentatam, & conditionem *ſine qua non*, & de oppoſitis & ſecundùm differentias temporis & abſolutè, & de oppoſitis poſitiuè, & contradictoriè. Et dicitur, quòd ſpecies in mente Angelica repræſentat tanquàm rem repræſentatam alterum oppoſitorum poſitiuorum abſolutè, & non cum aliqua differentia temporis: repræſentat enim cognitionem Socratis cum ſeſſione, & non coniunctionem eius cum ſeſſione, & non ſeſſione contradictoriè, nec repræſentat coniunctionem Socratis cum ſeſſione durantè hodie, vel cras, ſed abſolutè coniunctionem eius cum ſeſſione, & coniunctionem eius cum curſu. Et ſi dicas: Quomodo ergo Angelus cognoſcet reliquum contradictorium? Et ſimiliter, quomodo certitudinem habebit per talem ſpeciem de hodierna ſeſſione Socratis, & craſtino eius curſu? Iam ex dictis patet, quòd cùm ponitur in effectu ſeſſio conditio *ſine qua non*, & ſic cognoſcitur Socrates nunc ſedens, cognoſcetur verò poſt horam per eandem ſpeciem Socratis, non ſedens deſinente aſſimilatione inter ipſum, vt ſedentem, & illam ſpeciem. Et cras cognoſcetur currens, facta aſſimilatione inter illam, & Socratem, vt currentem. Et ſic falſum eſt, quòd ſi repræſentat alterum oppoſitorum determinatè, quòd nunquam per ipſam cognoſcetur reliquum.

Ad tertiam autem rationem iam patet quòd non inconuenit, imò eſt neceſſarium, & omnia naturalia ſtatim, cùm fiunt congenita eſſe Angelo habitualiter, & diſtantiam localem non impedire Angeli cognitionem.

DISTINCTIO IV.

A. *Prou.14.d. Quod non fuerunt mali angeli præſcij ſui caſus, boni verò fortè fuerunt præſcij beatitudinis. Aug.lib. 11.cap.17.*

POſt hæc videndum eſt,vtrùm perfectos & beatos creauit Deus Angelos,an miſeros & imperfectos. Ad quod dici poteſt,quòd nec in beatitudine,nec in miſeria creati ſũt. Miſeri enim ante peccatum eſſe non potuerunt: quia ex peccato miſeria eſt. Nam ſi non fuiſſet peccatum, nulla eſſet miſeria. Beati quoque nunquam fuerunt illi qui ceciderunt, quia ſui euentus ignari fuerunt,id eſt,peccati,& ſupplicij futuri. Si enim lapſum ſuum præſciuerunt,aut vitare voluerunt,ſed non potuerũt, & ita erant miſeri;aut potuerunt,ſed noluerunt, & ita erant ſtulti & maligni. Ideóque dicimus, quia non erant præſcij euentus ſui: nec eis data eſt cognitio eorum quæ futura erant ſuper eos. Boni verò & qui perſtiterunt, fortè ſuæ beatitudinis præſcij fuerunt. Vnde Auguſtinus ſuper Geneſim: Quomodo,inquit,beatus inter Angelos fuit, qui futuri peccati atque ſupplicij præſcius non fuit? Quæritur autem cur non fuerit? Fortè hoc Deus reuelare Diabolo noluit, quid facturus,vel paſſurus eſſet;ceteris verò reuelare voluit quòd in veritate manſuri eſſent.His verbis videtur Auguſtinus ſignificare quod Angeli qui corruerunt, non fuerunt præſcij ſui caſus, ideóque beati non fuerunt.Et quòd Angeli qui perſtiterunt,beatitudinem ſibi affuturam præſciuerunt,atque de ea certi in ſpe extiterunt,vnde quodammodo iam beati erant. Et reuera ſi ita fuiſſet, poſſet illos dici aliquo modo fuiſſe beatos:alios verò non,qui neſciuerunt euentum ſuum.

Quòd opinando Auguſtinus hoc dixit non aſſerendo, ſcilicet quòd Angeli qui perſtiterunt præſcij fuerunt futuri ſui boni.

B *Aug.lib. 83 q.c.eiſd.*

SEd hoc magis opinando & quærendo dicit Auguſtinus quàm aſſerendo. Vnde & huic opinioni opponens conſequenter ſubdit, Sed quare diſcernebantur illi à cæteris?vt Deus iſtis quæ ad ipſos pertinerent non reuelaret,aliis verò reuelaret, cùm non priùs ſit ipſe vltor quàm aliquis peccator:non enim damnat ipſe innocentes? Hic videtur innuere, quòd nec peccaturis futurum malum, nec permanſuris futurum bonum reuelauerit. Ideóque nec illi qui ceciderunt,vnquam, nec illi qui perſtiterunt vſque ad confirmationem beati fuerunt: quia beati non poterant eſſe,ſi de beatitudine certi non erant, vel ſi damnationis incerti. Vnde Auguſtinus in eodem. [Dicere,inquit, de Angelis quòd in ſuo genere beati eſſe poſſent damnationis,vel ſalutis incerti: quibus nec ſpes eſſet quòd mutandi eſſent in melius,nimia præſumptio eſt.] [Quomodo enim beati eſſe poſſunt,quibus eſt incerta ſua beatitudo?]

Aug.ſuper Gen.lib.11. cap.19. Cap.17.

Summam colligit prædictorum, confirmans omnes Angelos ante confirmationem, vel lapſum, non fuiſſe beatos, niſi quis per beatitudinem accipiat illum ſtatum innocentiæ in quo fuerunt ante caſum.

C EX prædictis conſequitur quòd Angeli qui corruerunt, nunquam beati fuerunt, niſi *beatitudinem* aliquis accipiat illum ſtatum innocentiæ, in quo fuerunt ante peccatum. Illi verò qui perſtiterunt, aut ſuam beatitudinem futuram Deo reuelante præſcierunt, & ita ſpei certitudine aliquo modo beati fuerunt: vel incerti extiterunt ſuæ beatitudinis, & ita aliter beati non fuerunt quàm reliqui qui ceciderunt. Mihi autem quod poſteriùs dictum eſt probabilius videtur. *Vide Aug. lib. 11. de ciuit. Dei c. 13.*

Reſponſio ad id quod quærebatur, an Angeli eſſent creati perfecti, an imperfecti; & dicitur quòd perfecti fuerunt ſecundùm aliquid, & imperfecti ſecundùm aliquid.

D AD hoc autem quod quærebatur, Vtrùm perfecti, vel imperfecti fuerint creati, dici poteſt, quòd quodammodo perfecti fuerunt, & quodam alio modo imperfecti. Non enim vno modo aliquid dicitur perfectum, ſed pluribus.

Quòd tribus modis dicitur perfectum, *ſecundùm tempus, ſecundùm naturam, & vniuerſaliter perfectum.*

E DIcitur namque *perfectum* tribus modis: eſt enim perfectum ſecundùm tempus, & perfectum ſecundùm naturam, & eſt vniuerſaliter perfectum. Secundùm tempus perfectum eſt quod habet quicquid tempus requirit, & conuenit ſecundùm tempus haberi: & hoc modo Angeli erant perfecti ante confirmationem, vel lapſum. Secundùm naturam perfectum eſt, quod habet quicquid debitum eſt, vel expedit naturæ ſuæ ad glorificationem, & hoc modo perfecti fuerunt Angeli poſt confirmationem, & erunt Sancti poſt reſurrectionem. Vniuerſaliter & ſummè perfectum eſt, cui nihil vnquam deeſt: & à quo vniuerſa proueniunt bona, quod eſt ſolius Dei. Prima ergo perfectio eſt naturæ conditæ, ſecunda naturæ glorificatæ: tertia naturæ increatæ.

Prædicta breuiter tangit, addens quales fuerunt Angeli in conuerſione & auerſione.

F QVales fuerint Angeli in creatione oſtenſum eſt, boni ſcilicet & non mali: & iuſti, id eſt, innocentes, & perfecti quodammodo; alio verò modo imperfecti. Beati verò non fuerunt vſque ad confirmationem, niſi *beatitudo* accipiatur vt iam dictum eſt, ille ſtatus innocentiæ & bonitatis, in quo conditi ſunt. *diſt. 3. lit. d.*

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm inter creationem, & beatitudinem Angeli boni fuerit aliqua mora ?

Alenſ. D. Thom. D. Bonauentura, Richard. Durand. Gabr. Vaſqu. *diſt ſeq. quæſt. 1. citandi.*

CIrca diſtinctionem quartam, vbi Magiſter tractat, quales Angeli creati fuerunt perfecti, vel imperfecti, beati an miſeri, quæro Vtrùm inter creationem, & beatitudinem Angeli boni fuerit aliqua mora ? Quòd non, quia ſine mora habuit beatitudinem naturalem: ergo & ſupernaturalem: ergo & ſupernaturalem. Probatio antecedentis: ſtatim enim creatus Angelus habuit ſpeciem illam, de qua dictum eſt *diſtinctione tertia*, in qua fuit obiectum beatitudinis naturalis præſens; & potentiam: & per conſequens non impeditus potuit vti illa ſpecie, conſiderando eſſentiam diuinam ſub illa ratione (neque enim erat impeditus) & etiam illa ſpecies mouebat ſuper omnes alias: in conſiderando autem eſſentiam diuinam, ſub illo modo eſſentiam diuinam intelligendo, & eam diligendo, erat beatitudo naturalis. Probatio conſequentiæ, quia cauſa naturalis non eſt perfectior ad producendum ſuum effectum, quàm cauſa ſupernaturalis ad producendum ſuum: ſed cauſa naturalis ſtatim habuit effectum ſuum, ſcilicet beatitudinem naturalem: ergo & ſupernaturalis ſuum, ſcilicet ſupernaturalem beatitudinem. 1.

Quæſt. 9.

Præterà, Auguſt. 12. de Ciui. cap. 9. *Simul condens naturam & largiens gratiam*: ergo ſtatim habuit Angelus creatus gratiam: ſed ſimul habuit gratiam & beatitudinem. Probatio, quia ſimul in malis fuit culpa & pœna; alioquin culpa eorum eſſet remediabilis.

SCHOLIVM.

Poſita ratione probante inter creationem & beatitudinem Angelorum, aliquam fuiſſe moram, remittit reſolutionem ad quæſt. 1. diſt. ſeq. num. 5.

Ratio opp. lib. 1. cap. 2.

COntrà, Auguſtinus ſuper Geneſim *Angelus primò eſt factus informis, ſecundò lux*: ergo, & cætera, & quia ſolutio huius quæſtionis dependet ex ſolutione quæſtionis ſequentis: ideò ſoluetur poſt illam. 2.

DISTINCTIO V

Quales facti ſint Angeli auerſione & conuerſione cadentium. Eſai. 14. d.

POſt hæc conſideratio adducit inquirere, quales effecti ſint dum diuiderentur auerſione & conuerſione. Poſt creationem namque mox quidam conuerſi ſunt ad creatorem ſuum, quidam auerſi. Cõuerti ad Deum, fuit ei charitate adhærere: auerti, odio habere, vel inuidere. Inuidiæ namque mater eſt ſuperbia, qua voluerunt ſe parificare Deo. In conuerſis quaſi in ſpeculo relucere cœpit Dei ſapientia, quia illuminati ſunt, auerſi verò ex cæcati ſunt. Et illi quidem conuerſi ſunt & illuminati à Deo gratia oppoſita. Iſti verò ſunt excæcati, non immiſſione malitiæ, ſed deſertione gratiæ, a A

qua

qua deſerti ſunt:non ita vt priùs data ſubtraheretur,ſed quia nunquam eſt appoſita vt conuerterentur. Hæc eſt ergo conuerſio & auerſio, qua diuiſi ſunt, qui natura boni erant: vt ſint alij ſupra illud naturale bonum per iuſtitiam boni, alij illo corrupto per culpam mali. Conuerſio iuſtos fecit, & auerſio iniuſtos. Vtraque fuit voluntatis, & voluntas vtriuſque libertatis.

De libero arbitrio breuiter tangit,docens quid ſit.

B HAbebant enim omnes liberum arbitrium, quod eſt libera poteſtas & habilitas voluntatis rationalis. Poterant enim voluntate eligere, quodlibet, & ratione iudicare,id eſt,diſcernere,in quibus conſtat liberum arbitrium,nec creati ſunt volentes auerti, vel conuerti, ſed habiles ad volendum hoc, vel illud: & poſt creationem ſpontanea voluntate alij elegerunt malum,alij bonum,& ita diſcreuit Deus lucem à tenebris, ſicut dicit ſcriptura,id eſt, bonos Angelos à malis,& lucem appellauit diem,tenebras verò noctem, quia bonos Angelos gratia ſua illuminauit, malos verò excæcauit. *Gen.1.a.*

Poſt creationem aliquid datum eſt ſtantibus per quod conuerterentur,nec merito aliquo,ſed gratia cooperante.

C SI autem quæritur, vtrum poſt creationem conuerſis aliquid collatum ſit per quod conuerterentur,id eſt,diligerent Deum? Dicimus,quia eſt eis collata gratia cooperans, ſine qua non poteſt proficere rationalis creatura ad meritum vitæ. Cadere enim poteſt per ſe,ſed proficere non poteſt ſine gratia adiuuante. *Oſee 13.c.*

Qua gratia indigebat Angelus,& qua non?

D NOn indigebat Angelus gratia, per quam iuſtificaretur, quia malus non erat, ſed qua ad diligendum Deum perfectè,& obediendum adiuuaretur. Operans quidem gratia dicitur,qua iuſtificatur impius,id eſt, de impio fit pius,de malo bonus. Cooperans verò gratia eſt, qua iuuatur ad benè volendum efficaciter,& Deum præ omnibus diligendum, & operandum bonum, & ad perſeuerandum in bono, & huiuſmodi, de quibus poſtea pleniùs. Data eſt ergo Angelis, qui perſtiterunt, cooperans gratia, per quam conuerſi ſunt vt Deum perfectè diligerent. Conuerſi ergo ſunt à bono quod habebant non perdito ad maius bonum, quod non habebant, & facta eſt iſta conuerſio per gratiam cooperantem libero arbitrio, quæ gratia aliis,qui ceciderunt appoſita non fuit. *Que ſit gratia operas,& qua cooperans.* *Diſt.26. & 29.*

An ſit imputandum illis qui auerſi ſunt?

E IDcóque à quibuſdam dici ſolet, non eſſe imputandum illis qui auerſi ſunt,& non conuerſi,quia ſine gratia conuerti non poterant,ſed illa non eſt eis data,nec culpa illorum fuit, quòd non eſt data, quia in eis nulla culpa adhuc præceſſerat. Ad quod dici poteſt, quoniam quibus appoſita eſt ipſa gratia,non fuit ex meritis eorum, alioquin iam non eſſet gratia, ſi ex merito,quod eſſet ante gratiam, daretur. *Rom.11.a.*

Qua culpa gratia non eſt data eis qui ceciderunt?

F QVòd verò aliis non eſt data, culpa eorum fuit, quia cùm ſtare poſſent, noluerunt quoúſque gratia apponeretur, ſicut alij perſtiterunt, donec illis cadentibus per ſuperbiam eis gratia appoſita eſt. Apertè ergo cadentium culpa in hoc deprehendi poteſt, quia licèt ſine gratia nequirent proficere, quam nondum acceperant, per id tamen quod eis collatum erat in creatione, poterant non cadere, id eſt, ſtare, quia nihil erat quod ad caſum eos compelleret, ſed ſua ſpontanea voluntate declinauerunt, quòd ſi non feciſſent, quod datum eſt aliis, vtique daretur & iſtis.

Quòd Angeli in ipſa confirmatione beati fuerunt, ſed vtrùm eam meruerint per gratiam tunc ſibi datam, ambiguum eſt: de hoc enim diuerſi diuerſa ſentiunt?

G HIc quæri ſolet, Vtrùm in ipſa confirmatione beati fuerint Angeli, & an ipſam beatitudinem aliquo modo meruerint. Quòd in ipſa confirmatione beati fuerint, plures conteſtantur auctoritates, & ideò pro conſtanti habendum eſt. Vtrùm verò per gratiam tunc ſibi datam ipſam beatitudinem meruerint, ambiguum eſt. Quibuſdam enim placet quòd eam meruerint per gratiam, quam in confirmatione perceperunt, ſimúlque in eis meritum & præmium fuiſſe dicunt, nec meritum præceſſiſſe præmium tempore, ſed cauſa. Aliis autem videtur, quòd beatitudinem, quam receperunt in confirmatione per gratiam, tunc appoſitam non meruerint, dicentes tunc non fuiſſe eis collatam gratiam ad merendum, ſed ad beatè viuendum, nec tunc eis datum eſſe bonum, quo mererentur, ſed quo feliciter fruerentur. Quod autem tunc in præmium acceperunt per obſequia nobis exhibita, ex Dei obedientia & reuerentia mereri dicunt, & ita præmium præceſſit merita, & hoc mihi magis placere fateor.

QVÆSTIO I.

Vtrùm Angelus priùs meruerit beatitudinem, quàm eam acceperit?

D. Thom. 1.p.q.62.art.1.& 4.& q.63.art.5. D. Bon. *hìc d.4. q.1. art.1.* Alenſ. 2.p.quæſt.19.memb.2. Richard. *hìc d.4.art.2.q.1.* Dur. q.1. Gab. *q.vn.* Vaſq. 1.p. d. 226.& 229. Aug. *de corr. & gratia c.* 11. Mayr. *hìc d.4.& 5.q.5.*

1. IRCA diſtinctionem quintam quæro, Vtrùm Angelus priùs meruerit beatitudinem, quàm eam acceperit. Quòd non, quia aliquis ſolùm meretur aliquid ex obſequiis impenſis homini: non autem meretur aliquid quod expectet, quia *ſpes quæ differtur affligit animam*: igitur illud quod meretur iam habet: hoc autem non eſſet niſi iam haberet illam beatitudinem, quam meretur pro obſequio. *Prou. 13.*

Præterea, maius præmium requirit maius meritum, ſecundùm rectam regulam: ſed Angeli maiorem gloriam habent multis hominibus electis: ergò requiritur maius meritum in eis: homo autem eſt viator magno tempore, & habet multa opera bona & merita, & opera difficilia: ergo ſic iſta requirit præmium Angelorum: ſed tanta mora non fuitante beatitudinem Angelorum: ergo, &c.

Item, meritum requirit difficultatem: eſt enim opus laudabile: in Angelis autem non fuit aliqua difficultas ad bonum: igitur, &c.

Ad

Ad oppoſitum eſt Auguſtinus de correctione & gratia. *Angeli ſancti, qui perſtiterunt, meruerunt illius vitæ mercedem recipere*: ſed non meruerunt illud recipere poſtquam receperunt: ergo priùs, &c. quære ibi.

SCHOLIVM.

Sententia Magiſtri, Angelos non meruiſſe quòd bearentur, antequam fuiſſent beati: ſed datam eis beatitudinem, propter bona opera poſtea fienda, ſicut miles meretur equum per ſeruitia præſtanda per eundem. Refutatur primò, quia falſum eſt quod ait, Angelum non poſſe mereri, niſi per actum extrinſecum exercitum circa hominem. Secundò, ſi propter opera præuiſa daretur meritum, gratia non eſſet gratia. Tertiò, ſtatus beatitudinis non eſſet ita certus.

2. IN iſta quæſtione ſecunda, non tenetur Magiſter, qui in fine huius quintæ diſtinctionis magis illam opinionem approbat, quæ dicit ipſos fuiſſe beatos, antequam ipſi eam meruerunt: ſed merentur eam modò per obſequia impenſa electis, ſicut miles meretur equum benè militaturus per eum: ſed non tenetur hoc. Primò, quia ſi homo non fuiſſet creatus, Angelus non habuiſſet beatitudinem, quia non habuiſſet actum extrinſecum, per quem mereretur ſibi ſecundùm iſtos: hoc autem videtur inconueniens, quia Angelus non dependet ab homine in merendo: ſimiliter actus intrinſecus eſt meritorius circumſcripto actu extrinſeco: igitur per illum potuerunt mereri.

Opi. Magiſtri communiter reprobata, ait Angelos meruiſſe gloriam, poſtquam acceperunt eam.

Præterea, per hoc b quòd aliquis præuidetur benè vſurus accepto: non meretur accipere illud, tunc enim poſſet homo mereri primam gratiam, quia præuidetur à Deo dante eam, benè vſurus ea: & tunc gratia non eſſet gratia, quia eſſet ex meritis, licèt non poſitis in effectu, tamen præuiſis: igitur Angelus non meruit beatitudinem, ſi tantùm habuit eam propter bonum vſum præuiſum ipſius in obſequendo circa electos.

Videtur admittere ſcientiam mediam.

Item, nunc ſtatus c beatitudinis non eſſet ex ſe certus: nam licèt de facto mundus finietur, & ex hoc numerus obſequiorum ſit finitus, qui impenduntur à quibuſcunque Angelis electis; tamen poſſet mundus diutiùs durare plus quam per mille annos, vel quantumcunque duret, non propter hoc ſtatus beatitudinis eſſet minùs certus: ſed hoc poſito, non eſſet certitudo meriti quantum eſſet: ergo iſtud præmium de ſe certum, non correſpondet illi merito, quod de ſe non eſt certum, inquantùm meritum.

COMMENTARIVS.

1. a *IN iſta quæſtione.* Primò ponitur opinio Magiſtri, qui dicit quòd priùs Angeli acceperunt beatitudinem, & poſt meruerunt eam per obſequia hominibus impenſa, quæ opinio à communiter Theologis non tenetur.

Contra hanc opinionem arguit Doctor tribus mediis, quæ ſunt ſatis clara in litera. Et quod dicit in prima ratione, quòd Angeli dependerent in ſua beatitudine ab hominibus, debet ſanè intelligi; quia poſito quòd mererentur per obſequia hominibus exhibita, non videtur ex hoc quòd Angelus dependeat ab homine in merendo, quia homo non eſſet cauſa totalis, nec partialis talis meriti, nec efficiens, nec finalis, vt patet, ſed ſi eſt dependentia, erit tantùm terminatiuè, ſiue obiectiuè ex hoc ſolo, quòd talia obſequia ad homines terminentur. Et hoc modo non videtur inconueniens, quia etiam vnus homo ſic poteſt mereri per obſequia alteri homini exhibita, vt patet, & tamen in merendo non dicitur dependere ab alio homine. Similiter Angelus ſuperior ante beatitudinem potuit mereri per actum circa Angelum inferiorem, & tunc non eſſet inconueniens, quòd hoc modo in merendo dependeret, igitur nec eſt inconueniens ſic dependere in merendo ab homine.

Dico, quòd ratio Doctoris propoſitum concludit ſi rectè intelligatur. Vnde eſt aduertendum illud, quod dicit Doctor *in 3. diſt. 28.* vbi ſic dicit: *Radix* (inquit) *omnis meriti conſiſtit propriè loquendo de merito in affectione iuſtitiæ voluntatis, non autem in affectione commodi, nec in affectione iuſtitiæ, vt ordinat affectionem commodi: hoc patet, quia primum obiectum circa quod aliquis meretur primò, eſt ipſe Deus, ſecundum quam affectionem iuſtitiæ vult Deo bonum vt* eſſe, & benè eſſe *ſcilicet, iuſtum, & ſapientem.* Hæc ibi. Ex iſta litera apparet, quòd primus actus meritorius primò eſt circa Deum, diligendo ipſum dilectione amicitiæ, & hoc modo actus meritorius ſic dependet à Deo, quòd ipſo Deo, per impoſſibile circumſcripto, non poſſet eſſe primò actus meritorius, licèt poſtea poſſit mereri, volendo alia obiecta in ordine ad Deum. Si ergo Angelus tantùm mereretur per obſequia hominibus exhibita, tunc circumſcriptis hominibus, nullo modo poſſet mereri: ergo ſi homines requiruntur de neceſſitate, vt obiecta, circa quæ eſt meritum, nullo modo poſſent mereti; & ſic ſuo modo Angelus in merendo ſimpliciter dependeret ab homine. Et hoc intendit Doctor, vt patet per literam ſequentem, Ibi: *ſimiliter actus intrinſecus eſt meritorius, circũſcripto actu extrinſeco,* quia actus intrinſecus, vt ſit primò meritorius & circa Deũ.

2. *Vbi conſiſtat radix meriti.*

b *Præ*

3. *Contra Magiſtrum.*

b *Præterea per hoc, quòd aliquis prænideretur,* &c. Hæc eſt ſecunda ratio contra opinionem Magiſtri & vt clariùs intelligatur præmitto aliqua. Primum quòd aliud eſt prædeſtinare ab beatitudinem, & aliud eſt ipſam actu conferre: quia primo modo poteſt quis prædeſtinari, imò omnes prædeſtinantur, nullo merito actu præcedente, cùm prædeſtinatio ſit ab æterno; ſed ſecundo modo meritum actuale requiritur, quia nulli confertur beatitudo, niſi propter meritum actu exhibitum, vt communiter ab omnibus tenetur. Et licèt ſit magna altercatio de cauſa prædeſtinationis, quia aliqui dicunt quòd prædeſtinat propter merita præuiſa, &c. Nulla tamen videtur altercatio de merito reſpectu beatitudinis collatæ, quia talem beatitudinem præcedit meritum actuale. Secundò præmitto, quòd reſpectu gratiæ alicui conferendæ nullum meritum præcedit in ipſo, quia nullus poteſt ſibi mereri gratiam, licèt vnus poſſit mereri gratiam alteri, & non ſibi, vt patet de Chriſto, qui nobis meruit primam gratiam, vt communiter tenent Theologi, & vide Doctorem *in diſtin.* 29. *&* *in* 4. *diſt.* 2. & nullo modo meruit ſibi gratiam, vt patet *in* 3. *&* *in* 4. His præmiſſis, patet ratio Doctoris, quia ſi meruerunt beatitudinem ex hoc ſolo, quòd ſunt præuiſi, &c. ſic poſſet dici, quòd quia præuidentur benè vſuri gratia, merentur ipſam gratiam, quod eſt inconueniens.

c *Item tunc ſtatus beatitudinis.* Hæc eſt tertia ratio contra Magiſtrum. In iſta ratione ſupponitur primò, quòd Angelus pro illo inſtanti, in quo eſt perfectè beatus, debet eſſe certus de tota ſua beatitudine eſſentiali. Secundò, beatitudo maior, vel minor tantùm attenditur penes maiora, vel minora merita. Tertiò, ad perfectam beatitudinem non pertinet cognitio contingentium, vt patet à Doctore *in* 4. *diſtin.* 10. 45. ſic ſtat aliquem eſſe perfectè beatum, & eſſe certum de ſua perfecta beatitudine, non habendo cognitionem futurorum contingentium. Ex his patet ratio Doctoris, quia ſi beatitudo priùs daretur quam merita eſſent exhibita, pro illo inſtanti non eſſet certitudo de beatitudine tali, quia nec certitudo de omnibus meritis futuris, quia cognitio talium futurorum non pertinet ad beatitudinem, nec de communi lege omnia futura contingentia pro primo inſtanti, in quo Angeli beatificantur, reuelantur, aliter ceſſarent reuelationes, & illuminationes, quæ fiunt à ſuperioribus Angelis inferioribus, vt infrà patebit.

4. *Tertia ratio contra Magiſtrum.*

SCHOLIVM.

Reſoluit Angelos meruiſſe, & hoc antequam eſſent beati: primum probat, quia omnis natura conſequitur operatione propria ſuam perfectionem: ergo & finem ſuum, faciendo eum ſi poteſt, vel merendo, ſi non poteſt: ſecundum, reiecta ratione D. Thom, probat, quia ad meritum requiritur quod operans poſſit in oppoſitum.

Beatitudo ſoli Deo naturalis, ex q. 1. prol. & quodl. 14. 2. cæl. & 9. Metaph. D. Th. 1. p. q. 62. art. 2. Reiicitur D. Thom. 1. d. 1. q. 4. ait quod voluntas libere vult Deum viſum, ſed nõ cõtr adicit, quia ſtat hoc cũ immutabilitate, ad meritũ autem requiritur libertas cũ mutabilitate de quo 4. d. 49. q. 6. §. dico ergo, & 3. d. 19. 20. Beati Angeli meren-

IDeò tenetur a quòd Angeli meruerunt beatitudinem ſuam: & priùs, quàm receperunt eam. Primum declaratur, quia omnis natura conſequitur ſuam perfectionem per operationem propriam: ſed perfectio, & finis cuiuſlibet creaturæ rationalis, eſt beatitudo, quæ ſoli Deo eſt naturalis: omnis autem operatio talis in finem ducens, vel eſt factiua finis, quando ſcilicet finis non excedit virtutem operantis propter finem, ſicut medicatio reſpectu ſanitatis: vel eſt meritoria finis: quando ſcilicet finis excedit virtutem operantis propter finem, & tunc expectatur finis ex dono alterius: beatitudo autem excedit omnem naturam creatam: ideò tam Angelus, quàm homo, meruit ſuam beatitudinem. 3.

Secundum declaratur ſic, b non poteſt idem eſſe ex gratia perfecta, & imperfecta: meritum autem eſt ex gratia imperfecta, præmium ex gratia perfecta.

Sed iſta ratio c non videtur cogere, quia eſt poſſibile aliquam animam habere tantam gratiam in via, quantam habet in patria, licèt non modò poſſit habere ita perfectum vſum eius, ſicut habebit in patria: vnde idem habitus manebit, & poſſet æqualis manere: ſed non idem actus.

Ideò aliter declaro d ſecundum, quia voluntas non ſimul vult mutabiliter, & immutabiliter ſiue fixè, ita quòd nunc inquantùm elicit actum, non poſſet velle oppoſitum: & non fixè, ita quòd nunc inquantùm elicit actum, poſſet velle oppoſitum: quãdo autem præmiatur, vult immutabiliter, hoc eſt, inquantùm conſideratur vt iam eliciens actum, & per conſequens vt priùs naturaliter ipſo actu comparatur ad illam: ſed quando meretur non ſic immutabiliter vult, ſed vt eliciens actum, contingenter videtur elicere.

Ad hoc etiam adducuntur congruentiæ, quia diſpoſitio debet præcedere illud ad quod eſt, & via terminum: meritum eſt diſpoſitio, & via reſpectu beatitudinis, quare, &c.

Ad argumenta. e Ad primum conceditur, quòd per illa obſequia meretur aliquam beatitudinem accidentalem. Imò obſequia ſunt quædam opera redundantia ex perfectione beatitudinis, & non ſunt ordinata ad vlteriorem perfectionem: ſicut eſt de actibus generatis, & procedentibus ab habitu generato perfecto: illi enim nullam perfectionem generant, neque intendunt habitum, quia non eſt intenſibilis, ſed tantùm 4.

tantùm procedunt ex plena perfectione ipſius habitus: ita hîc. Eo autem modo, quo merentur beatitudinem accidentalem; concedo, quòd non habent illam, quando merentur: nec ex hoc eſt afflictio, quia habent beatitudinem eſſentialem, quam maximè volunt.

tur premiũ accidẽtale, tamen non anxiantur expectando illud.

Ad ſecundum dico, quòd maximum meritum fuit Angelorum volendo finem vltimum motu intrinſeco, quando mali auerſi erant à fine iſto ſuperbiendo, ſicut patebit diſt. 6. non autem ad magnum præmium requiritur multitudo meritorum: ſed multò magis requiritur vnum meritum intenſum, quàm centum millia remiſſa: & in eis fuit motus meriti valde intenſus pro iſta morula qua merebantur, in tantum fortè, quòd nullus homo ſecundum communem legem, poſſet habere ita intenſum actum meriti, ſicut ipſi habuerunt.

Quod maximũ meritum Angelorum? De his meritis vide Origen. in lib. 2. Periarcon. & 3.

Ad aliud dicendum, quòd difficultas aliquando accidit in aliquo opere ex inclinatione voluntatis ad oppoſitum: aliquando accidit difficultas in opere propter hoc, quòd illud, circa quod operatur, excedit naturam operantis: iſto modo fuit conſecutio beatitudinis difficilis, & laudabilis in Angelis; non autem primo modo, quia non inclinabant ad oppoſitum.

Quæ difficultas merendi in Angelis?

COMMENTARIVS.

1. a *Deò tenetur*, &c. Hæc eſt ratio Thomæ 1. p. *q. 62. art. 4.* quæ ſi acceptatur à Doctore expono eam ad mentem ipſius Scoti. Exponendo aliqua dicta primum ibi: *Omnis natura conſequitur ſuam perfectionem per operationem propriam.* Et hæc litera poteſt habere multiplicem ſenſum, primum intelligendo de perfectione intrinſeca, & formali, & ſic beatitudo formalis creaturæ eſt operatio ipſius, cùm conſiſtat in ſola operatione, vt patebit *in 4. diſt. 49.* Secundò, de perfectione extrinſeca, & obiectiua; & talis attingitur à creatura rationali, mediante operatione, quæ vnitur tali perfectioni, vt patet à Doctore, *in 4. diſt. 49.* Et iſto ſecundo modo ſenſus eſt verus ſcilicet, quòd vltima perfectio rationalis creaturæ tantùm acquiritur per operationem propriam.

An beatitudo poſsit dici naturalis reſpectu creaturæ.

Sed perfectio, & finis cuiuſlibet creaturæ rationalis eſt beatitudo, quæ ſoli Deo eſt naturalis. Dicitur *ſoli Deo naturalis*, quia obiectum beatificum tantùm naturaliter mouet intellectum diuinum ad ſui claram viſionem, vt patet à Doctore *in quodli. q. 14.* & ſimiliter naturaliter mouet voluntatem diuinam ad ſui fruitionem, licèt tamen partialiter, ſed reſpectu creaturæ eſt tantùm obiectum voluntarium, vt ſuprà patuit *in q. prima prologi*, & clariùs *in quodl. q. 14.* & ideò beatitudo non poteſt dici naturalis ipſi creaturæ. Sequitur *Omnis autem operatio talis in finem ducens, vel eſt factiua finis, ſicut medicatio eſt operatio acquiſitiua ſanitatis* (ſicut etiam dicimus quòd generatio eſt acquiſitiua ipſius geniti ex hoc ſolo, quòd terminatur ad genitum, vt ſatis patuit in primo) *vel eſt meritoria finis. Beatitudo autem excedit omnem naturam creatam*, &c. hoc debet ſanè intelligi, quia loquendo de beatitudine formali, non videtur quòd ſimpliciter excedat, quia poteſt cauſari à creatura, ſaltem partialiter, habita præſentia obiecti beatifici; ſed loquendo de tali præſentia obiecti illa eſt ſimpliciter ſupernaturalis. Dico, quòd etiam poſitâ præſentiâ obiecti beatifici, adhuc non ſequeretur beatitudo de neceſſitate, quia tale obiectum nec quo ad præſentiam ſui, nec quo ad ſui viſionem, eſt obiectum naturale reſpectu creaturæ, vt expoſui ſuper quæſtionem 1. prolo. & ſic patet litera.

2. b *Secundum declaratur*, ſcilicet quòd Angeli priùs meruerunt beatitudinem, quàm receperunt eam; patet, quia meritum eſt ex gratia imperfecta, & præmium à gratia perfecta: ſi ergo meritum in eodem inſtanti, eſſet ſimul cum præmio, tunc ſequeretur quòd in eodem inſtanti, ſimul eſſent gratia perfecta & imperfecta, quod eſt impoſſibile.

Meritum & præmium nõ ſunt ſimul.

c *Sed iſta ratio non videtur cogere.* Hîc Doctor improbat rationem Thomæ 1. *p. q. 62. art. 4.* improbatio clara eſt in litera, quia in via poteſt eſſe tanta gratia, quanta in patria, licèt vſus non ſit ita perfectus. Et quod dicit de vſu gratiæ in via, & in patria, patet quòd fruitio in patria non tantùm eſt perfectior fruitione in via, ſed etiam diſtinguitur ſpecie, & hoc propter aliam & aliam præſentiam obiecti beatifici, vt innuit Doctor in 3. diſt. 31. & in 4. diſt. 49.

d *Ideò aliter declaro ſecundum*, videlicet quòd meritum, & præmium non ſtant ſimul in eodem; quia eſt impoſſibile aliquam voluntatem ſimul velle mutabiliter, & immutabiliter: & vt clariùs intelligatur, pono exemplum: ſit purus Angelus, qui velit beatitudinem, & ſimul velit actum meritorium reſpectu beatitudinis, vt beatitudo tantùm confertur propter meritum; ſi vult beatitudinem, de neceſſitate ſequitur quòd velit meritum ad ipſam beatitudinem de neceſſitate; cùm ergo velit beatitudinem immutabiliter, & actum meritorium tantùm contingenter, ſequitur quòd non poteſt ſimul velle ipſam beatitudinem immutabiliter & mutabiliter: quod tamen ſequeretur ſi beatitudo ſimul eſſet cum merito, ſuppoſito quòd beatitudo tantùm detur propter meritum, & hoc eſt quod dicit Doctor ibi, *quando autem præmiatur, vult immutabiliter*, &c. & cùm dicit quòd quando elicit actum, elicit vt prior natura, hoc ſatis patuit *in primo, diſt. 39.* & infrà patebit *in iſto. 2. diſt. 25.* vbi vult quòd voluntas non tantùm eſt abſolutè prior actu elicito, ſed etiam, vt actu elicit, eſt prior; ſic in illo priori naturæ, quo elicit actum præmij, immutabiliter elicit, & in illo priori, in quo elicit actum meriti, contingenter, & mutabiliter elicit.

3. Videtur quod Doctor ſibi contradicat in hoc quod dicit, quòd *voluntas vult beatitudinem immutabiliter, & de neceſſitate*, quia oppoſitum alibi videtur tenere, nam *in primo, diſt. 1. q. 4.* dicit, quòd voluntas reſpectu obiecti clarè viſi, non neceſſariò vult ipſum, & ibidem dicit, quòd licèt velle ſit in poteſtate voluntatis, non tamen modus

Difficultas pulcherrima eũ ſuis ſolut.

dus volendi erit ſemper in poteſtate eius ; quia licèt ſit in poteſtate eius frui eſſentia diuina , vel non frui, non tamen eſt in poteſtate eius modus fruendi , puta quòd fruatur vna perſona , & non alia,vel quòd fruatur eſſentia diuina, non fruendo perſonis.

Reſpondeo,quòd nulla eſt contradictio , quia in omni actione voluntatis ſemper ſupponitur, ſaltem influentia generalis primæ cauſæ,ita quòd prima cauſa principaliùs influit , quàm ſecunda; primâ ergo causâ mouente ſecundam contingenter ad aliquem effectum,illa ſecunda cauſa, ſi eſt libera,ſic vult illum effectum contingenter,quòd tamen non poteſt contrauenire cauſalitati primæ cauſæ,vt patet à Doctore *in primo, di.*2. *parte* 1. *q.*1. *& di.*8. *q. vlti.* ex quo ergo voluntas diuina eſt principalis cauſa beatitudinis creatæ , & voluntas creata cauſa minùs principalis , ſequitur quòd ſtante cauſalitate voluntatis diuinæ reſpectu beatitudinis , voluntas neceſſariò vult illam immutabiliter, ita quòd non eſt in poteſtate eius velle oppoſitum , & hoc ſatis patet in ſimili à Doctore *in* 2. *diſt.* 37. *& in* 4.*diſt.* 44. *q.* 2. *&* 4. in primo autem dicit quòd non vult ipſam neceſſitate abſoluta,& vide quæ ibi expoſui.

Si dicatur , videtur etiam ſequi ex hoc quòd etiam velit meritum immutabiliter; patet , quia non poteſt velle illud , niſi prima cauſa volente: ergo ſtante volitione primæ cauſæ erit & volitio ſecundæ cauſæ , & ſic neceſſariò volet illud. Dico quòd non ſequitur , quia voluntas diuina determinauit concurrere ad actum meriti merè contingenter , & mutabiliter ; quod patet, quia voluntas creata non ſemper meretur , & habito actu merendi , non ſemper continuat illum , & ideò dico quod influentia generalis voluntatis diuinæ eſt coagere voluntati noſtræ ad actionem ; & quia voluntas noſtra in ſtatu viæ eſt libera ad eliciendum actum , & tunc quando elicit , voluntas primi perfectiùs elicit ; & aliquando non elicit , & tunc voluntas diuina non concurrit , ſed de iſta materia clariùs patebit infrà, *diſt.* 37.

4. Sed adhuc remanet difficultas , quia ita videtur , quòd immutabiliter velit actum meritorium ſicut ipſum præmium , quia ſi voluntas noſtra tunc vult actum meritorium , quando voluntas diuina principaliùs concurrit , hoc idem erit de præmio , & cùm dicitur , quòd nunquam concurrit ad oppoſitum præmij , tamen poteſt concurrere ad oppoſitum meriti,non coagendo ipſi actui meritorio , hoc non valet ; quia ex quo beatitudo formaliter conſiſtit in fruitione Dei , & perfectè haberi poteſt per aliquod inſtans , vt patet *in quarto , diſt.* 49. vult enim ibi Doctor quòd beatitudo formaliter conſiſtat in fruitione Dei clarè viſi , & quòd perpetuitas non ſit de ratione formali beatitudinis. Si ergo voluntas tunc elicit illum immutabiliter per te , eo modo erit de actu meritorio.

In quo conſiſtat beatitudo ?

Reſpondeo , & dico duo. Primum , quòd beatitudo perfecta, licèt fortè non ſumpta præcisè in ſua ratione formali includit perpetuitatem , vt patet à Doctore *in quarto , diſtinct.* 49. & ſic non eſt ſimile de merito & præmio. Secundum eſt , ſuppoſito quòd ipſa beatitudo tantùm duret per inſtans , adhuc ipſa voluntas elicit immutabiliter , quia in primo inſtanti naturæ ſic neceſſariò , & immutabiliter elicit , quod non eſt in facultate ſua non elicere ; quia voluntas diuina , ſic firmiter determinauit principaliter concurrere ad illam beatitudinem inſtantaneam , quòd pro illo vltimo inſtanti terminante totam rationem viæ , nunquam concurreret ad oppoſitum , ſcilicet non cauſando illam. Non ſic eſt de merito, quia quamuis voluntas noſtra, vt priùs naturâ velit meritum , vult tamen contingenter illud : quia voluntas diuina non ſic principaliter determinauit cauſare illud , pro inſtanti A , quin etiam , pro illo inſtanti velit oppoſitum , imò pro quocunque inſtanti viæ , voluntas diuina ex determinatione ſua poteſt non concurrere ad actum meritorium , in inſtanti autem præmij non poteſt concurrere ad præmium , & hoc ex determinatione ſua ; & ſic patet quomodo vult ipſum meritum mutabiliter , & contingenter ; & beatitudinem etiam inſtantaneam immutabiliter , & neceſſariò , non tamen neceſſitate abſoluta , ſed neceſſitate ſuppoſitionis.

e *Ad argumenta principalia.* Ad primum reſpondet concedendo , quòd per illa obſequia merentur aliquam beatitudinem accidentalem, non autem eſſentialem ; & quòd illam beatitudinem non ſemper habuerunt ; nec ex hoc ſequitur afflictio , quia perfectiſſimè quietantur in beatitudine eſſentiali. Si dicatur , nonne appetunt illam accidentalem, concedo : ergo videtur aliqualis afflictio expectando illam. Dico primò ex beatitudine eſſentiali ſic perfectè quietantur, quòd non poſſunt ſentire afflictionem aliquam, etiam contingentem. 5. *Quomodo præmiũ præcedat meritum.*

Dico ſecundò , quòd appetere aliquid contingit dupliciter , videlicet cum anxietate , & ſine vlla anxietate , ſed tantùm ex ſua perfectione , quam habent. Primo modo eſt cum afflictione , & ſecundo modo nulla eſt ibi afflictio. *Appetere aliquid contingit dupliciter.*

f *Ad ſecundum* , reſpondet quòd meritum plus attenditur in actu merendi valde intenſo, quàm in multitudine actuum remiſſorum , & ſic Angeli fortè magis intensè dilexerunt vltimum finem pro illo modico tempore , quàm aliquis homo viator per quantumcunque tempus.

Aduertendum eſt , quòd quidam nouus expoſitor primæ partis ſummæ S. Thom. *in q.* 62. *art.* 4. quærit ſaluare opinionem S. Thomæ de gratia in via, & in patria , & dicit ſic : *Ratio,* inquit , *S. Thomæ non ſe reſtrinxit ad perfectum, & imperfectum ſecundum eſſentiam , ſed ſimpliciter , & abſolutè aſſumpſit gratiam fruentis oportere eſſe perfectam , merentis verò imperfectam , quòd quo ad ſtatum dubium non habet , quoniam illa eſt in ſtatu conſummato , iſta non ; & ſimiliter quo ad actum , & hoc ſufficit propoſito , vt ipſemet Scotus fatetur ibidem.* Hæc ille. 6. *Tho. Caiet.*

Sed iſta expoſitio , non videtur ad mentem Thomæ , cùm ex verbis ipſius apparet , quòd loquatur de gratia perfectiore , & imperfectiore, ſecundùm gradualem intenſionem , vel remiſſionem. Vnde ſic dicit in prima parte ſummæ quæſt. 62. artic. 4. *Actus* (inquit) *non poteſt eſſe meritorius ſecundùm quòd eſt ex libero arbitrio , niſi inquantùm eſt gratia informatus , non autem ſimul , poteſt informari gratia imperfecta, quæ eſt principium merendi , & gratia perfecta, quæ eſt principium fruendi. Vnde non videtur*

eſſe

eſſe poſſibile, quòd ſimul fruatur, & ſuam fruitionem mereatur; & ideò melius dicendum eſt, quòd gratiã habuit Angelus antequam eſſet beatus, per quam beatitudinem meruit. Hæc ille, videtur ergo ex iſta litera, quòd tantùm loquatur de gratia perfectiore, & imperfectiore intenſiuè.

SCHOLIVM.

Quoad quæſtionem præced. diſt. 4. prima opin. eſt D. Thom. 1. p. q. 63. a. 5. duas eſſe Angelorum moras, vnam, qua creati ſunt in gratia alteram, termini ipſorum: ſecunda opinio, tres eſſe moras. Hæc tripliciter explicatur. Primò, quod in prima mora omnes fuerunt in naturalibus; in ſecunda mali peccarunt, & boni de congruo meruerunt; in tertia omnes fuerunt in termino; tertia opinio ponit quatuor moras, quæ etiam dupliciter explicatur.

AD quæſtionem præcedentis diſtinctionis, quæ dependet ex ſolutione iſtius, duo ſunt videnda. Primò, quot erant moræ ponendæ circa Angelos. Secundò, quæ ſunt illæ moræ. Quantùm ad primum, poteſt dici multipliciter: poſſunt enim poni duæ moræ. Vna ſcilicet, in qua ſint in termino, & alia ſola præcedens, in qua ſunt in via: & ita ponit quidam Doctor, quòd ſimul erant creati in gratia omnes in primo inſtanti, & in illo omnes meruerũt; in ſecundo inſtanti iſti meruerunt, & non illi, quia poſuerunt obicem, ita quòd ſi non poſuiſſent, fuiſſent præmiati ſicut alij. 5.

D. Th. 1. p. q. 63. a. 5. in ſolu. vlt. arg. & quodl. 9. art. 8. & Var hic.

Poſſunt tamen poni tres moræ: & hoc multipliciter. Vno modo, quòd in prima mora fuerunt omnes in naturalibus ſuis; in ſecunda mali in peccato, & iuſti in merito; in tertia, in gratia, & fuerunt boni ſimul, & in præmio, & in gloria: & mali in pœna. Et hæc videtur via Magiſtri, qui videtur dicere quòd mali demeruerunt apponi ſibi gratiam, quando apponebatur bonis, quaſi iam peccaſſent in ſecunda mora, antequam in tertia, in qua gratia imponebatur bonis, & tunc in tertia mora boni ſimul duratione habuerunt gratiam, & gloriam.

Enumeratio modorũ poſſibilium aſſignari in moris.

Alio modo ponendo tres moras quòd ſcilicet in prima omnes fuerunt in naturalibus; in ſecunda boni in gratia, & in merito, & mali in demerito; in tertia & iſti, & illi in termino. Tertio modo ponendo tres moras, ita quòd omnes in prima mora fuerunt creati in gratia, & meruerunt; in ſecunda mora, boni ſteterunt in merito, & mali ceciderunt; in tertia fuerunt iſti, & illi in termino.

Alio modo poſſunt poni quatuor moræ, & hoc dupliciter. Vno modo, quòd omnes in prima mora fuerunt in naturalibus: in ſecunda mali peccauerunt, & boni perſtiterunt; in tertia, quòd bonis appoſita ſit gratia, & meruerunt; in quarta boni præmiati ſunt, & mali ſimiliter condemnati. Alio modo, quòd in prima mora omnes fuerunt in naturalibus; in ſecunda omnes in gratia; in tertia boni ſteterunt, & meruerunt in gratia, & mali deliquerunt; in quarta, & hi, & illi in termino.

COMMENTARIVS.

IN iſta quæſtione Doctor principaliter intendit duo. Primum eſt de illis moris, quot fuerunt, an duæ vel tres, vel quatuor. Secundum eſt, quid ſint iſtæ morulæ, ſiue durationes.

An ſint ponenda duæ moræ.

Quantùm ad primum poteſt dici multipliciter. Hæc opinio non improbatur à Doctore ſi ſic intelligatur, videlicet quòd in prima mora meruerunt, & in vltimo inſtanti illius moræ præmiati fuerunt, & ſic in ſecunda mora tantùm fuerunt in termino. Sed ſi intelligatur vt ponit Thomas improbatur à Doctore qui videtur ponere, quòd omnes tam boni, quàm mali fuerunt in gratia, & meruerunt in prima mora; & in ſecunda boni meruerunt, & præmiati ſunt; mali demeruerunt & damnati ſunt, ſic dicit *Omnes* (inquit) *in gratia creati in primo inſtanti meruerunt, ſed quidam eorum ſtatim impedimentum præſtiterunt ſuæ beatitudinis, præcedens meritum mortificantes, & ideò beatitudine, quam meruerunt ſunt priuati.* Hæc ille. Cætera patent.

SCHOLIVM.

Explicat quæſtionem de moris per ſex propoſitiones: per primam refutat D. Thom. quia ſi mali Angeli vſque ad nunc præmiationis mererentur, bearentur, quia æquales in merito æqualiter præmiantur: per ſecundam reiicit primum modum ponendi tres moras: quia non ponit meritum condigni præceſſiſſe duratione præmium: tertia eſt, viam omnium fuiſſe æqualem: quarta, quando boni vltimo meruerunt, mali demeruerunt: quinta, omnes creati vniformes, ſecundum has ait ad minus ponendas tres moras: primam, qua omnes ſunt in termino: ſecundam, qua boni vltimo merentur, & mali demererentur: tertiam, qua omnes vniformes ſunt creati; & non reſoluit an in gratia necne, ſed problematicus videtur, vt Alenſ. 2. p. q. 19. m. 2. negant Magiſt. D. Bon. Richar. Hen. Hugo Vict. 1. de ſac. p. 5. c. 29. affirmant D. Th. & alij.

AD inquirendum[a] de iſtis viis, ſupponendæ ſunt ſex propoſitiones probabiles, quarum prima eſt hæc: Merentes vſque ad *nunc* præmiationis, in illo *nunc*, præmiati ſunt. Hoc probatur, quia in iſto *nunc* non ſunt in via, quia illud *nunc*, eſt *nunc* præmij: ergo in iſto *nunc*, nullus poteſt demereri: quia illud non poteſt impediri quin reddatur ſibi præmium debitum pro merito pro tota duratione meriti protracta vſque ad illud *nunc*. Confirmatur; homo enim in tota vita ſua exiſtens in merito in inſtanti mortis nõ poteſt demereri, nec ponere obicem quin præmietur, meruit enim, vt tunc daretur ſibi impeccabilitas, ne tunc poſſet ponere obicem: & ideò de merentibus per totam moram viæ, non poteſt dici, quòd ille in inſtãti remunerationis ponat obicem, & ille non. Hoc enim videtur ponere, quòd inſtans præmij non ſit terminus; ſed quòd tunc ſit in via, aut ſaltem ille, qui poteſt ponere obicem eſt in via, & irrationabiliter videtur ponere obicem. Et ex hoc improbatur ſtatim prima opinio, quòd non poſſunt tantùm poni duæ moræ, ſicut illa ponit. 6.

Reprobatur ſent. D. Th. de duabus moris.

Secunda propoſitio[b] eſt iſta, quòd meritum præceſſit duratione præmium, quæ probatur ex probatione præcedentis quæſtionis. Item ex hoc improbatur prima via ponendi tres moras. Tertia propoſitio eſt iſta, quod tota mora viæ præfixæ quibuſcumque Angelis erat eis æqualis, hoc enim eſt veriſimile, quia ſicut tota mora præfixa homini eſt vſque ad inſtans mortis; ita etiam iſtis & illis, præfixa eſt æqualis mora eſſendi in via. Et ex iſtis ſequitur quarta, quando boni vltimatè meruerunt in eodem inſtanti, tunc mali demeruerunt. Nam ſi non demeruerunt, aut tunc meruerunt, & per conſequens cum bonis præmiati fuiſſent, ex propoſitione prima; aut tunc fuiſſent in termino, & hoc eſt contra tertiam propoſitionem; quia tunc boni erant in via; aut tunc fuiſſent in puris naturalibus, & ita adhuc in mora ſequente fuiſſent in via, in qua tamen boni erant in termino, & hoc eſt contra tertiam propoſitionem.

Reiicit primo modum ponẽdi tres moras.

Via omniũ angelorum æqualis.

Quinta propoſitio eſt, quòd omnes creati ſunt vniformes. Et ex iſtis propoſitionibus, ſequitur, quòd neceſſe ſit ponere ad minùs tres moras, vnam ſcilicet, in qua omnes in termino ſunt, & aliam in qua boni vltimatè merentur, & mali demerentur: tertiam, in qua omnes creati ſunt vniformes, ex quinta propoſitione: & tunc ſi ponatur quòd omnes fuerũt creati in gratia, tenetur vltimus modus ponẽdi tres moras. Poſſunt etiã poni probabiliter quatuor moræ ſecũdùm ponentes quatuor moras,

Omnes angeli vniformes creati.

COMMENTARIVS.

AD *inquirendum de iſtis viis ſupponendæ ſunt ſex propoſitiones probabiles.*

a *Prima: merentes vſque ad* nunc *præmiationis, in illo* nunc *præmiati ſunt*: & hoc patet per exemplum. Pono enim quòd ſtatus meriti ſit per totam diem vſque ad vltimum inſtans illius diei, ſic quòd vltimum inſtans non pertineat ad ſtatum meriti, ſiue viæ, ſed tantùm ad ſtatum præmij: hoc poſito, ſequitur quod merentes, ſiue perſeuerantes vſque ad vltimum inſtans præmij, in illo vltimo inſtanti non poſſunt ponere obicem, ſiue non poſſunt peccare, quia da oppoſitum: ſi in vltimo inſtanti poſſunt peccare, ergo tantùm ſunt in via, cùm ſtatus meriti, vel demeriti ſit tantùm ſtatus viæ, & ſic vltimum inſtans, quod eſt inſtans præmij, ſiue termini, eſſet inſtans viæ, quod eſt impoſſibile. Et ex hoc improbatur opinio Thomæ quòd non poſſunt poni tantùm duæ moræ eo modo, quo ponuntur à S. Thoma.

b *Secunda propoſitio eſt, quòd meritum præceſſit duratione præmium, quæ probatur ex probatione præcedentis q.* quia voluntas non ſimul vult mutabiliter, & immutabiliter, vt ibi expoſui. 16.

Quomodo meritum præceſſerit præmium.

Ex hoc improbatur prima via ponendi tres moras. Dicit enim illa via, quæ eſt Magiſtri, quòd in tertia mora, quæ eſt mora præmij, boni fuerunt in gratia & in præmio; ſed hoc non poteſt ſtare, nam ſi gratia requiritur ad meritum, & meritum præcedit duratione præmium; ergo in illa tertia mora, quæ eſt mora præmij, non meruerunt, cùm meritum præcedat duratione præmium. Reliqua patent.

SCHOLIVM.

Sexta propoſitio Doctoris; probabile eſt, omnes Angelos habuiſſe gratiam, ſiue fuerint in ea creati, ſiue non; quam ſuadet ex Auguſtino, hoc tenendo ait: primam moram fuiſſe omnium in gratia, ſecundam malorum in demerito, bonorum in merito; tertiam omnium in termino. Si verò teneatur eos fuiſſe aliquando in puris naturalibus, erunt quatuor moræ, prima in naturalibus, reliquæ vt iam dixi.

SEd ad inquirendum vlterius de diſpoſitione eorum in moris iſtis, videtur ponenda propoſitio ſexta probabilis, & eſt. Quòd quilibet Angelus aliquando fuerit in gratia; 7.

gratia, ſiue in inſtanti creationis, ſiue poſtea: nam etſi nõ ſit neceſſe, (ſicut aliàs fortè dicetur) quòd ad hoc, quòd aliquis peccet, priùs habuit gratiam, tamen congruum eſt, quòd illi non ſolùm non fuerunt iniuſti, quia acceperunt libertatem naturalem, per quam potuerunt ſaluare iuſtitiam naturalem, ſed quod acceperunt iuſtitiam gratuitam ſecundùm Anſelmum de Caſu diaboli 12. & 16. Similiter videtur illa ſexta propoſitio probari ex propoſitione quadam ſeptima, quòd Deus non diſcernit inter iſtos, & illos, antequam ipſi ſe per actus ſuos diſcreuerint: quia ſecundùm Auguſtinum 11. ſuper Geneſim quære ibi, & ponitur diſt. 4. huius ſecundi, quare iſti diſcernebantur & non illi quære ibi. *Non enim Deus eſt priùs vltor, quàm aliquis ſit peccator.* igitur vſque ad inſtans meriti & demeriti, erant omnes vniformes, & ſi tunc primò gratia apponebatur bonis; videtur etiam tunc, quòd debuerit etiam apponi aliis: nam ante illud inſtans non demeruerunt: quare igitur non debuit eis apponi gratia ſicut aliis, qui meruerunt? Si autem iſtam fuiſſent demeriti: igitur priùs eam habuerunt, quia gratia, & culpa nõ ſunt ſimul: igitur ſi cõcedatur iſta propoſitio ſexta, quòd quilibet peccans aliquando fuit in gratia, ſequitur ergo neceſſariò, quòd illæ tres moræ ſi ponantur, erunt iſtæ. Prima mora eſt omnium in gratia: & ſecunda iſtorum bonorum in merito, & iſtorum malorum in demerito: in tertia, omnes in termino. Vel ſi dicatur eos aliquando fuiſſe in puris naturalibus, neceſſe eſt tunc ponere quatuor moras, ita quòd omnes in prima mora fuerunt in puris naturalibus; in ſecunda, omnes in gratia, & meruerunt boni, & mali demeruerunt; in tertia boni perſeuerauerunt in bono & mali in malo; in quarta & iſti & illi in termino.

In 4. d. 1. q. 6. & di. 14. & ſeq. hic inf. q. ſeq. ratione 7. opi. & alibi ſæpè.

Omnes angeli habuerũt gratiã.

Vide Vua. hic.

Tres, vel quatuor fuerũt moræ angelorum.

Et iſta vltima via de quatuor moris ſaluat plures ſtatus in eis, & plures affirmatiuas auctoritates, quæ pluralitas ſi non placeat, quia non habet neceſſitatem euidentem, ſaltem ad minus tres iſtas moras priùs aſſignatas probabile eſt ponere.

SCHOLIVM.

De quantitate harum morarum, dicit Doctor quòd prima mora potuit coëxiſtere tempori, & eius inſtanti vltimo, vel tantùm vnico inſtanti, & vtroque modo ſecunda mora non habuit primum inſtans in noſtro tempore, cui correſponderet. Potuit etiam prima mora coëxiſtere tempori, & non eius inſtanti vltimo, & tunc ſecunda mora haberet primum inſtans, & conformiter ad hoc dic de tertia mora reſpectu ſecundæ, quòd ſecunda fuerit coëxiſtens tempori, colligit ex illa pugna inter Michaelem & Draconem, quæ non potuit eſſe in inſtanti.

8. DE ſecundo articulo, ſcilicet, quantæ fuerunt iſtæ moræ, quamuis aliqui ponant eas eſſe diuerſa inſtantia temporis diſcreti: tamen ex diſt. 2. patet, quòd propter nihil in Angelis oportet ponere tempus diſcretum, ſed diuerſa *nunc* æui.

D. Thom Henri. q. 4.

Sed quibus correſpondebant iſta nunc æui in tempore noſtro continuo? Dico [a] quod vltima mora ſcilicet exiſtendi in termino, correſpondet toti tempori poſt inſtans primum beatitudinis bonorum, & damnationis malorum. Mora tamen prima, in qua erant vniformes, poteſt poni coëxtitiſſe inſtanti noſtro, vel parti temporis noſtri: & ſecundùm hoc conſequenter oportet ponere de ſecunda mora, ſi enim prima mora coëxtitit tempori, & vltimo inſtanti eius: igitur ſecunda mora non habuit aliquod primum inſtans in tempore noſtro correſpondens ſibi. Et licèt videatur quibuſdam [b] quod neceſſe fuit Angelum primò peccaſſe in inſtanti, vel cum inſtanti temporis noſtri, & aliis videatur, quod neceſſariò oporteat ipſum peccaſſe cum tempore noſtro. Primi habent pro ſe, quia inter priuatiuè oppoſita circa ſubiectum aptum natum, non eſt medium, & quando eſt ſubiectum indiuiſibile, nulla eſt cauſa ſucceſſionis à termino in terminum, neque ex parte terminorum neque ex parte mobilis. Secundi autem [c] habent pro ſe, quòd nulla virtus creata agit in inſtanti, quia tunc maior virtus ageret in minori, quàm in inſtanti. Neutræ tamen rationes concludunt, de prima patebit *lib. 3. diſt. 3.* vbi reſpondebitur ad iſtas rationes, ſuſtinendo, quod anima Beatæ Virginis potuit præcisè eſſe in peccato per inſtans, & poſtea fuiſſe munda. Nec etiam ſecunda concludit, & reſponſum eſt ad eam priùs *diſt. 2. huius* 2. vtroque ergo modo potuit eſſe, & quòd prima illa mora innocentiæ coëxiſteret tempori, & non vltimo eius inſtanti: & tunc ſecunda mora habuit primum inſtans temporis coëxiſtens ſibi; vel quod prima mora coëxiſteret tempori, & vltimo inſtanti eius, aut ſoli inſtanti vni temporis: & tunc

Quid in tẽpore noſtro correſpõdet moris angelorum?

q. 1. corp. & ad 2. facit contra ſecundam viam.

q. 11. n. 7.

ſecunda mora non habuit aliquod primum inſtans ſibi correſpondens, ſicut non eſt dare primam mutationem in motu continuo ex 6. Phyſicorum.

Tex. 46.

Sed qualis erat ſecunda mora in ſe? Nunquid inſtantanea, vel indiuiſibilis? Videtur quòd non, propter duo. Primò, quia Angeli mali peccauerunt pluribus peccatis diuerſæ ſpeciei, & non habuerunt ſimul omnes actus illos: igitur habuerunt vnum poſt alium: & in tota mora, in qua habuerũt actus iſtos, fuerunt in via: alioquin actus eorum poſteriores nõ fuiſſẽt eis demeritorij, ſed quaſi pœnæ exiſtentiũ in termino. 9.

Secunda mora angelorum non fuit indiuiſibilis.

Secundò, quia Angelis bonis pro magno merito aſcribitur, quòd vicerunt prælium tentationis, Apoc. 13. *Factum eſt prælium magnum in cœlo, Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, &c.* ſi enim præcisè eſſet vnum inſtans, in quo mali demeruerunt, & boni meruerunt; in illo non fuiſſet iſta pugna, nec victoria tentationis; & ita non aſcriberetur iſta victoria eis in laudẽ, & excellens meritum eorum. Aſſumptum probatur, quia ſi tantùm fuiſſet vnum inſtans, ſimul peccaſſent mali, & boni meruiſſent: ſed in illo inſtanti naturæ, in quo mali peccauerunt, peccatum eorum nõ tentauit bonos, nec enim tentauit eos niſi poſterius * naturâ quàm fuit cõmiſſum à malis: poſteriùs igitur vicerunt boni tentationem, quàm mali peccauerunt: ex quo concluditur, quòd mora demeriti malorum non erat indiuiſibilis. Et ex hoc ſequitur, quòd nec mora meriti bonorum: quia erant æquales, ex propoſitione tertia, & ſecunda via hoc ſpecialiter concludit de mora meriti bonorum.

Angeli ſi vno tẽpore inſtãti fuerũt in peccatis, non ſunt tẽtati. al. tẽporis.

Ad argumenta. [d] Ad primum dico, quòd conſequentia non valet. Ad probationẽ conſequentiæ dico, quòd Deus potuiſſet eis dediſſe beatitudinem in inſtanti creationis, ſi voluiſſet: ſed glorioſius eſt eam habere ex merito, & ita diſpoſuit ſua ſapientia, meritũ autem iſtud, non potuit eſſe ſuppoſita liberalitate diuina, quæ creauit omnes æquales, niſi ad minus duabus moris præcedentibus ipſam beatitudinem. 10.

Arg. 1. diſt. 4.

Potuit Deus dare gloriam ſimul cum natura.

Ad aliud [e] licèt negetur ſimilitudo de gratia, & gloria ad culpam & pœnam; tamen dico, quòd non ſimul erant mali demeritoriè, & culpabiliter damnati, quia non ſimul erant ipſi in via, & in termino: ſicut nec boni, & licèt modò ſint in culpa non tamen demerentur vt viatores, eliciendo actum, quem elicere imputetur eis ad demeritum.

Ad 2. Videtur ad mittere ſimul creari angelos. & gratificari, quia non reſpõdet ad Aug.

Ad probationem, quæ innuitur pro opinione, quæ ponit duas moras tantùm, ſcilicet quia intelligunt ſine diſcurſu, & ita acquirunt perfectionem ſuam. Reſpondeo, ſi ex hoc fuiſſent ſtatim beati poſt vnum actum, ſequeretur quòd mali, qui, ſecundùm eum, meruerunt in primo inſtanti, fuiſſent beati & nunquam peccaſſent, & ideò illud aſſumptum eſt falſum de perfectione Angelorum naturali, ſicut tactum eſt diſt. 3. par 2. q. 2. huius libri, & multò falſius de perfectione ſupernaturali quàm acquirunt meritoriè. Illa enim eſt ſecundùm acceptationem præmiantis, cuius lex eſt, quòd *qui perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit, & qui ceciderit condemnabitur*; & ideò ſi aliquando meruerunt, & non perſeuerauerunt pro tota mora deputata viæ, non ſufficienter ad beatitudinem æternam meruerunt.

Ad 3. q. ſeq. hæc clarius habet vide ibi. n. 18. Mat. 10. & 24. & Mar. 16.

COMMENTARIVS.

1. *Quando fuerit prima mora.*

a *De ſecundo articulo, &c. Dico quòd vltima mora*, &c. Iſta litera ſtat in hoc, poſito enim quòd prima mora fuerit primum inſtans æui, tunc illa mora potuit correſpondere alicui parti temporis noſtri, puta per *aue Maria*, & vltimo inſtanti illius temporis, ſimiliter ſi illa prima mora fuit per duo, vel tria inſtantia æui, tota illa mora potuit correſpondere alicui parti temporis noſtri, & vltimo inſtanti illius temporis, & ſecunda mora correſpondebit tempori immediatè ſequenti ad inſtans vltimum temporis correſpondentis primæ moræ; & ſic non oportet aſſignare primum inſtans illius temporis, cui correſpondet ſecunda mora: quod patet, nam ſi tẽporis immediatè ſequentis ad inſtãs terminans tempus vnius *aue Maria* aſſignaretur primũ inſtans, tunc inſtans eſſet immediatum inſtans, quod eſt contra Philoſophum 4. Phyſicorũ. Si verò prima mora correſpondet illi tempori, & non vltimo inſtanti illius temporis, tunc ſecunda mora correſpondebit illi inſtãti, & tempori immediatè ſequenti, & ſic dabitur primum inſtans temporis, cui correſpondet ſecunda mora. Si verò prima mora correſpondet tantùm vltimo inſtanti alicuius temporis, ſecunda mora tantùm correſpondebit tempori immediatè ſequenti ad illud inſtans, & ſi ſecunda mora correſpondet tempori, puta vnius *Pater noſter*, includendo vltimum inſtans illius temporis, tunc tertia mora correſpondebit tempori immediatè ſequenti, quod tamen non videtur, quia ſecunda mora viæ correſpondet alicui tempori, & non vltimo inſtanti illius, quia vltimum inſtans moræ viæ eſt inſtans præmij, & ſic mora præmij correſpondet illi inſtanti, & tempori immediatè ſequenti, & ſic patet iſta litera vſque ibi: *Et licèt videatur quibuſdam, quod neceſſe fuit Angelum*, &c.

b Hic ponit duas opiniones, quarum prima eſt, quòd Angeli de neceſſitate peccauerũt in inſtanti correſpondenti inſtanti temporis noſtri; & probant ibi: *quia inter priuatiuè oppoſita*, &c. nam innocentia, & peccatum opponuntur priuatiuè; quando ergo ſubiectum eſt indiuiſibile circa

Quomodo innocentia & peccatum opponantur.

circa quòd ſunt iſta priuatiuè oppoſita,& habitus eſt indiuiſibilis;tunc ſi ſubiectum eſt diſpoſitum, acquirit illum in inſtanti ; & ſimiliter deperdet illum in inſtanti, cùm ergo Angelus ſit omnino indiuiſibilis,& innocentia ſimiliter indiuiſibilis, ſequitur quòd ipſe Angelus in inſtanti pertranſibit ab innocentia ad priuationem illius , quæ priuatio eſt peccatum.

c Secunda opinio habet pro ſe, *quòd nulla virtus creata agit in inſtanti,quia tunc maior virtus ageret in minori , quàm in inſtanti* , quòd eſt impoſſibile.

An virtus creata poſſit agere in inſtanti.

Neutra tamen rationes concludunt. Hîc Doctor oſtendit quomodo iſtæ duæ rationes non concludunt. De prima patet, quia non eſt neceſſe quòd ſubiectum indiuiſibile tranſeat in inſtanti à forma indiuiſibili ad priuationem illius, nec è contra; quia anima Virginis , vt patet *in 3. diſt.3.* potuit eſſe in peccato tantùm per vnum inſtans,& ſic in illo inſtanti non fuit in gratia,& in tempore immediato ad illud inſtans potuit eſſe in gratia;& tamen gratia eſt terminus indiuiſibilis,& ſimiliter anima Virginis.Nec etiam ſecundò concludit, quia etiam virtus creata poteſt agere in inſtanti, vt paret de Sole illuminante,& quod dicit , ergo maior virtus poteſt agere in minori menſura , non ſequitur , vt ſuprà patuit *diſt.2.q.penult.in reſp.ad argumentum in oppoſitum* , vide ibi bonam gloſſam Dicit ergo Doctor quòd vtroque modo potuit eſſe, videlicet, quòd prima mora innocentiæ coëxiſtat tempori,& non vltimo eius inſtanti ; & tunc ſecunda mora, puta peccati, habuit primum inſtans temporis,coëxiſtens ſibi, vel quòd prima mora coëxiſtat tempori & vltimo inſtanti eius , aut ſoli inſtanti vnius temporis,& tunc ſecunda mora non habuit aliquod primum inſtans , ſibi correſpondens, vt ſuprà expoſui , ſicut non eſt dare primam mutationem in motu continuo ex 7. Phyſicorum t.c. 52. & vide quæ expoſui ſuprà, diſt.2.q.9.

3. *Ad argumẽta principalia,d.4.q.vn.*

d *Ad argumenta principalia.* Nunc ſoluit argumenta principalia, quibus probatur quod in eodem inſtanti, quo Angeli fuerunt creati ſimul fuerunt beati.

Ad primum patet reſponſio. e Ad ſecundum primò adducit reſponſionem Thomæ qui dixit, quòd in prima mora omnes creati ſunt in gratia, & omnes meruerunt ; & in ſecunda mora mali peccauerunt , & in illa mora ſecunda mali fuerunt in pœna, boni verò in prima mora fuerunt in gratia & merito, & tamen ſimul non fuerunt in gloria , quia fuerunt in gloria in ſecunda mora. *Tamen dico.* Hîc ponitur reſponſio Doctoris quæ ſtat in hoc,quòd peccatum eſt duplex, quoddam eſt demeritorium , & eſt peccatum factum in via , per quod peccans demeretur pœnam æternam. Et eſt peccatum , quod eſt offenſio Dei , & nullo modo demeritorium pœnæ , & tale poteſt eſſe in damnatis. Nam continuè peccant , & tamen illud peccatum non eſt demeritorium, & ſic patet reſponſio ad argumentum.

Peccatum duplex.

4. *Tho. Caie. contra Doct. arguit.*

Nota quòd quidam nouus expoſitor primæ partis S.Thomæ *in q.63.ar.6.* nititur ſoluere duas rationes factas à Doctore contra Thomam, quarum prima eſt contra illud quod dicit Thomas in *ar.5. q.63.* quòd Angeli boni in ſecundo inſtanti , ſiue ſecunda mora meruerunt, & contra hoc arguit Doctor per ſecundam propoſitionem , quia meritum præcedit duratione præmium ; cùm ergo in ſecunda mora fuerint præmiati , ſequitur quòd in ſecunda mora non meruerunt.

Secundò arguit contra aliud dictum Thomæ vbi ſuprà,qui dicit,quòd Angeli mali in ſecunda mora peccauerunt, & arguit per primam propoſitionem, vt ſuprà patuit.Has tamen rationes nititur ſoluere ille nouus expoſitor.

Ad primam ſic dicit,quòd meritum dupliciter cõtingit,vt viæ puræ,& vt termini,& quòd meritum puræ viæ præcedit duratione præmium,ſed meritum vt in termino poteſt eſſe ſimul cum præmio , nec ſequitur quòd ſimul ſit gratia perfecta & imperfecta, ſed quod ſimul ſit terminus gratiæ imperfectæ , & gratia perfecta. Meritum enim quemadmodum dupliciter contingit, ſcilicet vt in via , & vt in termino , ita infert imperfectionẽ gratiæ,vel vt in via,vel in termino. Et propterea ex ratione termini rationabiliter infertur , quòd merens priùs duratione meruit, quàm præmiatus eſt , vt hîc intelligit Thomas non tamen infertur quòd nullum inſtans meriti ſit inſtans præmij , ex eo enim quòd meritum oportet eſſe in termino viæ, & in via neceſſe eſt duratione præcedere *A*,& gratiam eſſe imperfectam ſecundùm ſtatum, ex eo verò, quòd poſt meritum viæ ſequitur meritum termini neceſſe eſt ſimul eſſe meritum illius inſtantis cum præmio, & eſſe terminum gratiæ imperfectæ.

Ad ſecundum reſpondet dicens , quòd mereri vſque ad *nunc* præmiationis contingit dupliciter, excluſiuè,& incluſiuè; & hoc quidem modo verum eſt, quòd præmiantur,ſed non primo modo. Et ad primam rationem in oppoſitum dicitur, quòd in *nunc* præmiationis ſunt in termino viæ, & poſſunt ponere obicem tanquàm in termino viæ exiſtentis.

Ad ſecundam verò dicitur , quòd in termino viæ hominis conſummatur meritum cuiuſcunque, nec videtur verum quòd tunc ſit impeccabilis, ſed quilibet eſt liber,vt in termino viæ exiſtens , quemadmodum de Angelo dictum eſt.

5. *Reſponſiones Thomæ Caietani contra Doct. ſoluuntur.*

Reſpondeo & dico , quòd iſtæ reſponſiones minimè euacuant rationes Doctoris. Pro cuius intelligentia eſt aduertendum , quòd ſi tantùm ponuntur duæ moræ , quarum vna ſit in via , & altera præcisè ſit in termino,& illa quæ eſt in via propriè eſt mora merendi, vel demerendi, & illa quæ eſt in termino propriè eſt præmij, vel ſupplicij, ſtatim ſequitur quòd aliquis ſimul nõ poteſt mereri præmiũ. & ſimul præmiari; & pono caſum, quòd quis in ſecunda mora fruatur Deo, videtur repugnantia quòd ſimul illa fruitione mereatur præmiũ & ſimul præmietur , tũc enim eadẽ fruitio eſſet ſimul meritũ,& præmium,quod eſt omnino incõueniẽs.Si dicatur quòd alia fruitio eſt meritũ,& alia eſt præmium:Cõtrà,quia in ſecũda mora eſt in termino,ergo fruitio elicita in termino,erit præcisè præmium. Præterea ſi vt in termino ſimul poteſt mereri,& præmiari,ſequitur quòd voluntas ſimul poſſit velle præmiũ mobiliter,& immobiliter,vt ſuprà deduxi. Nec valet diſtinguere de merito puræ viæ, & de merito vt termini, quia iſta diſtinctio videtur penitus nulla; tum, quia accipiẽdo viam purè,eſt tãtum ſtatus merendi,vel demerendi;terminus verò eſt tãtùm ſtatus præmij,vel ſupplicij,& ideò nõ poteſt dari aliquod meritũ, quod præcisè ſit puræ viæ, & aliud meritum , quod ſit ipſius termini, cùm terminùs ſit tantùm ſtatus præmij.

Tum etiam, quia ſi hæc diſtinctio valeret de merito, poſſet pariformiter diſtingui de præmio, videlicet quòd ſicut datur meritum puræ viæ & meritum termini, ita poteſt dari præmium puri termini, & præmium viæ, quod eſt omninò diſſonum. Tum etiam, hæc diſtinctio non videtur ad mentem Thomæ, quia ipſe vult *in prima parte ſum. q. 62. art. 5.* quòd meritum præcedat duratione præmium, nec dicit expreſsè, quòd in termino ſimul meruerunt, & præmiati ſunt. Et ſi hoc dicit ſtatim contradicit ſibi. Nec valet illa fuga de gratia perfecta, & imperfecta, quia certum eſt quòd gratia, vt in termino eſt perfecta, ſiue ſecundùm eſſentiam, ſiue ſecundùm ſtatum non curo, modò meritum ſecundùm Thomam vbi ſuprà *q. 63. ar. 5.* eſt tantùm à gratia imperfecta. Et ſi ponatur meritum termini, illud præcisè erit à gratia perfecta, quia exiſtens in termino habet gratiam perfectam.

Fruſtra ponitur fuga de gratia perfecta, & imperfecta.

Ad aliud cùm dicit, quòd mereri vſque ad *nunc* præmiationis, poteſt dupliciter intelligi, ſcilicet includendo, & excludendo; hæc diſtinctio videtur omninò fuga, quia ſi datur *nunc* præmij, illud non poteſt eſſe *nunc* meriti, propter ea, quæ ſuprà dixi, & ſic falſum eſt dicere, quòd aliquis mereatur vſque ad *nunc* præmij, includendo ipſum *nunc* præmij, ita, quòd in tali *nunc* verè mereatur; nam vt in tali *nunc* eſt ſimpliciter extra ſtatum merendi, vel demerendi. Patet etiam, quòd merentes vſque ad tale *nunc* in ipſo *nunc* præmij non poſſunt peccare. Tum, quia voluntas illa ſimul poſſit velle præmium mobiliter, & immobiliter; mobiliter quidem, quia contingenter poteſt peccare, & per conſequens poteſt non velle præmium; immobiliter verò, quia in tali *nunc* de neceſſitate præmiatur, & hæc ex determinatione diuinæ voluntatis. Tum etiam quia in *nunc* præmiationis ex diuina voluntate omninò redduntur impeccabiles & ſi eſſet in facultate eorum poſſe peccare, & demereri, iam non eſſent in *nunc* præmij, ſed in mora viæ.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Angeli boni fuerint beati in primo inſtanti creationis ſuæ, & Angeli mali miſeri?

Alenſ. 2. *p. q. 29. m. 1. a. 7.* D. Thom. 1. *p. q. 63. 4. 5.* Henr. *quodl. 8. q. 10.* Capr. 2. *d. 4. q. 1. a. 1.* Greg. *hîc q. 1. ar. 2.* Baſſol. *q. 1. a. 2.* Marſil. 2. *q. 3. a. 2.* Vaſq. 1. *p. d. 2. 36. vide Sco. in Theorem.* §. in ſimul exiſtentibus.

In aliquibus originalib ponitur ſeq. q. in prin. 4. diſ. & ſequuntur aliæ duæ ſupraſcriptæ, & videtur deſumpta ex Repartatis.

QVòD ſic videtur; nam in primo inſtanti fuerunt beati beatitudine naturali: ergo & beatitudine ſupernaturali. Probatio conſequentiæ. Cauſa efficiens beatitudinis ſupernaturalis eſt efficacior cauſa efficiente beatitudinis naturalis: ergo æquè cito, vel citiùs, poteſt producere effectum ſuum. Probatio antecedentis, quia Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis habuerunt, vel habere potuerunt intellectum perfectum, & voluntatem, & obiectum vtriuſque præſens: ergo fuerunt, vel eſſe potuerunt beati beatitudine naturali in primo inſtanti. 1.

Item, boni fuerunt in primo inſtanti in gratia: ergo in primo inſtanti fuerunt beati. Probatio antecedentis per Auguſtinum 12. de Ciuitate, cap. 9. dicentem, quòd *Deus fuit ſimul condens naturam Angelorum, & largiens gratiam.* Probatio conſequentiæ, quia Angelus ſine diſcurſu ſtatim conſequitur ſuam perfectionem naturalem, habita diſpoſitione naturali requiſita: ergo & habita diſpoſitione ſupernaturali, quæ eſt gratia, ſtatim ſine diſcurſu conſequitur ſuam perfectionem ſupernaturalem: quia diſpoſitio ſupernaturalis, quæ eſt gratia, non magis repugnat, vel non minùs conuenit perfectioni ſupernaturali ad illam inducendam, quàm diſpoſitio naturalis perfectioni naturali ad quam diſponit.

Item, quòd mali ab initio fuerunt miſeri, probatio Auguſtini ſuper Geneſim lib. 11. cap 16. & habetur diſt. 3. cap. illo *putauerunt quidam*, &c. & probatur ibi, vt videtur hoc per illã auctoritatẽ Ioan. 8. *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit.* 2.

Item Auguſtinus, vbi ſuprà, & ponitur diſtinct. 3. eod. cap. quo priùs allegat auctoritatem Iob. 40. vbi dicitur de diabolo: *Hic eſt*, inquit, *initium figmenti Dei*, & noſtra tranſlatio habet, *ipſe eſt principium viarum Dei.* & ibidem allegatur auctoritas Pſal. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei*: ergo in principio fuit malus.

cap. 49. *Pſal. 103.*

Oppoſitum de bonis. Auguſtinus lib. 1. cap. 2. ſuper Geneſim & ponitur diſtinct. 3. cap. illo, ait autem videtur, &c. *Angelicam*, inquit, *naturam primò * informatam creatam, & cœlum dictam, poſtea formatam, & lucem appellatam, quando ſcilicet ad creatorem eſt conuerſa perfecta dilectione ſibi inhærens.*

al. informem.

Item de malis, quòd non ſtatim fuerunt mali probatur per auctoritatẽ Origenis in gloſſa

gloſſa ſuper Ezechielem & ponitur diſtinct. 3. cap. *adhuc autem videtur, &c.* vbi dicitur: *Serpens hoſtis contrarius veritati; non tamen à principio ſuper pectus ſuum, & ventrem ambulauit, ſicut nec Eua, nec Adam ſtatim peccauerunt.* & loquitur de diabolo ſub nomine ſerpentis. *Vide in ſuo lib. Periarcon. 2. & 3.*

Item Ezech. 28. dicitur, *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, & perfectus decore in delicijs Paradiſi Dei fuiſti*: ergo non ſtatim in miſeria.

Reſpondeo, [a] primò videndum eſt de poſſibili, ſequendo rationem: ſecundò de
3. facto, ſequendo auctoritatem. Primò ergo videndum eſt an in primo inſtanti, potuerunt eſſe beati, vel miſeri. Et dico, quòd boni potuerunt in primo inſtanti eſſe beati: cuius ratio eſt iſta, quia beatitudo non poteſt ineſſe alicui creaturæ capaci beatitudinis niſi à Deo: ergo pro quocunque inſtanti eſt beatitudo poſſibilis dari à Deo, & in eſſe creaturæ capaci illius, pro illo inſtanti eſt ſimpliciter poſſibilis: ſed pro quocunque inſtanti Deus potuit illam dare, ita benè in primo, ſicut in ſecundo, vel in tertio inſtanti: & Angelus bonus pro quocunque inſtanti fuit capax: quia per naturam eſt imago Dei, qua eſt capax Dei: & illam plenam habuit naturam, & perfectam in naturalibus, quare, &c. *Aug. 14. Tri. c. 8.*

Vtrùm autem in primo inſtanti potuerunt eſſe miſeri; diſtinguitur de miſeria: eſt enim duplex, ſcilicet pœnæ, & culpæ. De miſeria pœnæ quantùm ad illud quod eſt, ſcilicet quantùm ad illud incommodum, quod nunc infligitur, vel infligetur pro culpa, potuerunt eſſe miſeri in primo inſtanti: quia non videtur contradictio, quòd in primo inſtanti inſit, vel in fuiſſet naturæ Angeli. Potuit etiam immediatè dari à Deo pro illo primo inſtanti, ſicut & beatitudo, dicente Auguſtino 3. de lib. arb. *Si Deus ab initio feciſſet hominem in pœna, non eſſet propter hoc vituperandus Deus, nec iniuſtus, ſed ſi ab initio non fuiſſet in pœna, & poſtea feciſſet eum in pœna ſine ſuo demerito, vituperãdus eſſet.* *Potuit Deus condere hominem miſerũ in pœna.*

COMMENTARIVS.

[a] *Reſpondeo.* In iſta quæſtione ſunt duo principaliter conſideranda. Primum pertinet ad beatitudinem; ſecundum verò ad miſeriam. Quãtùm ad primum dicit Doctor quòd Angeli, in primo inſtanti creationis ſuæ potuerũt eſſe beati; & ratio ſua ſtat in hoc, quia beatitudo datur à Deo, & pro quocunque inſtanti, poteſt dari creaturæ pro quo ipſa eſt capax; ſed eſt capax pro primo inſtanti ſuæ creationis; ergo. *An Angeli in primo inſtãti ſuæ creationis potuerunt eſſe beati.*

Sed hîc occurrit aliqualis difficultas, quia ſi beatitudo, puta fruitio Dei, ſit immediatè ab ipſo Deo, vt à totali cauſa, & voluntas beati tantùm paſſiuè ſe habeat, nulla eſt difficultas; ſi verò teneatur quòd voluntas beati ſit partialis cauſa, erit difficultas, an voluntas pro primo inſtanti, quo ponitur in *eſſe* poſſit cauſare actum fruitionis. Et pariformiter poſſet dici ad hanc difficultatem quemadmodum diceretur de voluntate reſpectu peccati, an ſcilicet voluntas in primo inſtanti ſuæ creationis poſſit aliquid inordinatè velle. Teneo tamen firmiter quòd in primo inſtanti ſuæ creationis, poſita perfecta præſentia obiecti, poteſt velle illud, cauſando ſaltem partialiter actum illum. Et de iſta materia magis patebit in 3. diſt. 18. & in 4. diſt. 49.

Vtrùm autem in primo inſtanti. Hîc Doctor videtur velle, quòd Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis potuerunt eſſe miſeri, loquendo de miſeria reſpectu pœnæ, & eodem modo probatur, ſicut ſuprà de beatitudine. Sed fortè poſſet eſſe difficultas, quia talis pœna ſequitur ad volitionem alicuius noliti, & tamen poſiti, vt patebit à Doctore *in* 44. *diſt.* 4. & 46. Eſſet ergo difficultas, an voluntas in primo inſtanti ſuæ creationis efficaciter poſſit nolle aliquid, ad cuius nolitionem ſequitur pœna, vel triſtitia. Et poſſet reſpõderi ſimiliter, ſicut de fruitione, quia ſicut voluntas in primo inſtanti ſuæ creationis, poteſt velle obiectum delectabile, ad quam volitionem ſequitur delectatio, ita poſſet nolle obiectum triſtabile ad cuius nolitionem ſequitur triſtitia.

SCHOLIVM.

Poſtquam Doctor reſoluit potuiſſe Angelum primo inſtanti eſſe beatum, ac etiam miſerum, loquendo de miſeria pœnæ, ponit ſententiam D. Thomæ negantis eum potuiſſe habere miſeriam culpæ in primo inſtanti, quia operatio, quæ ſimul eſt cum eſſe *rei, eſt effectiuè à producente rem, hanc rationem refutat Scotus tribus rationibus: alias octo rationes, pro illa concluſione, clarè refutat, ex quibus ferè præcipuas deducit ad oppoſitum, miſcendo ſelectas doctrinas.* *D. Thom. 1. p. q. 63. ar. 5. & eſt opi. Henr. vide Vua. hic & Aug. 83. q. 3.*

4. [b] DE miſeria culpæ dicitur, quòd non potuit in primo inſtanti peccaſſe. Et ratio vnius Doctoris prima eſt hæc quia illud peccatum in primo illo inſtanti aut eis ineſſet à Deo creante, quod non eſt verum, quia Deus non eſt auctor mali culpæ, nec poteſt eſſe cauſa defectiua reſpectu culpæ; aut ineſſet eis per proprium actum

voluntatis ſuæ: ſed hoc non poteſt eſſe. Probatio, quia omnis operatio, quæ ſimul incipit cum *eſſe* rei, eſt effectiuè à cauſa producẽte rem in *eſſe*. Exẽplum, quia deſcenſus grauis ſiuml incipit cum *eſſe* eius: ideò deſcenſus ille cauſatur à generante graue. Ponitur etiam exemplum de tibia clauda: cùm igitur, nec à Deo effectiuè, quia Deus non poteſt eſſe cauſa, vel auctor mali; nec à proprio actu ſuæ voluntatis, vel à propria voluntate effectiuè in primo inſtanti, potuerunt habere peccatum, vel actum talem vitioſum: ſequitur, &c.

Refutatur D. Thom.

Sed hæc ratio [c] non valet: quia ſecundùm Auguſtinum 11. de Ciuit. Dei cap. 13. vbi dicit, *qui dicunt Angelos à principio fuiſſe malos, non ſentiunt cum Manichæis, qui ponebant vnum Deum malum immediatè eſſe cauſam mali: & alterum eſſe immediatè cauſam boni*: ergo ſecundùm Auguſtinum non ſequitur: ipſi fuerunt mali à principio: ergo eorum malitia fuit cauſata à Deo.

Item, defectus cauſæ [d] ſecundæ in agendo inquantùm defectus eſt, non eſt effectus cauſæ primæ: ergo defectus procedens à voluntate Angeli in illo primo inſtanti, ſi fuiſſet, non fuiſſet à Deo, vel à cauſa prima, ſicut nunc eſt.

Item, ſecunda [e] cauſa, ſcilicet voluntas, ſemper æqualiter cauſatur à Deo, non ſolùm quantùm ad conſeruari, ſed quantum ad cauſari, ſecundùm Auguſtinum 8. ſuper Geneſim volentem, quod Sol ſicut cauſat lucem in aëre, quod aër ſemper ſit lucidus à Sole quandiu lux eſt in aëre: ſic Deus ſemper cauſat vnum: nam conſeruari continuè ab ipſo eſt continuè cauſari: ſicut ergo defectus cauſæ ſecundæ infuiſſet à Deo in primo inſtanti, cum Deus nunc cauſet voluntatem ſicut in primo inſtanti, nunc cauſaret peccatum, ſicut in principio.

Arguitur etiam [f] ad eandem concluſionem ſecundò ſic; Angelus non poteſt habere primum *velle* à ſe, ſed ab alio; ſed tale *velle* non faceret Angelum peccare, vel eſſe in culpa; quare, &c. Probatio aſſumpti per Anſelmum de caſu Diaboli, cap. 13. quia ſecundùm eum: *Si primum* velle *à ſe habet, aut hoc eſt nolens, aut volens: ſi volens, igitur illud non eſt primum* velle: *ſi nolens, idem ſequitur, quia ante illud* velle, *noluit illud: igitur voluit illud non eſſe, igitur aliquid voluit.* Cùm igitur per poſitum, peccatum fuerit in primo inſtanti, non fuit ab actu voluntatis propriè, nec à Deo; igitur nullo modo. 5.

Voluntas eſt cauſa prima volitionis ſicut ſecunda.

Dico ad iſtud [g] argumentum, ſuppoſito quòd voluntas poſſit eſſe cauſa actiua ſuæ volitionis, obiecto ſibi præoſtenſo, & præſente; Dico tunc, quod poteſt eſſe cauſa primæ volitionis, ſicut & ſecundæ, cùm ſint eiuſdem rationis; imò ſecundùm ſic ponentes, eſſet proceſſus in infinitum, niſi haberet primum *velle* à ſe primò. Nam quæro à quo primum habet *velle*? aut à ſe, & habetur propoſitum: aut ab alio, & tunc hoc erit per aliud *velle*; & de iſto quæro à quo habet? ſi à ſe, habetur propoſitum: ſi ab alio, erit proceſſus in infinitum.

Exponit Anſelm. dupliciter. q. 3. d. 41.

Ad Anſelmum, dico [h] quòd ipſe finxit vnum Angelum, qui priùs eſſet vna eſſentia nuda, non habens formaliter potentiam volitiuam, quam ipſe vocauit inſtrumentum: iſte Angelus ſic imaginatus ſecundùm Anſelmum non poteſt habere primum *velle* à ſe, quia oportet ipſum reduci ad actum primum, ſcilicet, quod habeat voluntatem antequam eliciat volitionem: & hoc non poteſt à ſe eſſe. Et tunc cùm dicitur, ſi habet à ſe, aut volens, aut nolens; Dicendum quòd nec volens, nec nolens habet primum *velle*. Vel ſi dicamus illum, [i] Angelum habere inſtrumentum, ſcilicet potentiam volitiuam: tamen fingimus ipſum ſine affectione commodi, vel incommodi, vel iuſti, vel iniuſti, tunc non poteſt habere *velle* à ſe, ſed à Deo ſecundùm primam affectionẽ commodi, vel incõmodi, quæ ſuperadditur naturæ ſuæ, ſed habita affectione commodi, prima volitio elicita eſt à ſe. Et iſto modo intelligit Anſelmus.

Arguit tertiò [k] ad iſtam concluſionem ſic: Si voluntas Angeli peccat in primo inſtanti: ergo non peccat. Probatio conſequẽtiæ, quia ſi in primo inſtanti peccauit, nõ potuit non peccare, ergo neceſſariò peccauit. Probatio iſtius conſequentiæ, quia ſi potuit non peccare: aut potentia ante actum: quod falſum eſt: nam ante primum inſtans non fuit potentia in ipſo, nec potentia cum actu: quia in iſto inſtanti, in quo peccauit, non potuit non peccare: & ideò per illam potentiã nõ potuit non peccare. 6.

Sed hoc [l] argumentũ non valet: ſolutum enim eſt diſtinct. 1 libri ſecundi, in quæſtione de æternitate mundi, & in primo libro de prædeſtinatione, quia vt dictum eſt ibi, cauſa non cauſat effectum, niſi vt prior natura, non prior duratione: nam etſi non ſit duratione prior cauſa, quàm cauſans, tamen prior fuit natura: ergo ſi omnis cauſa dum cauſat, neceſſariò cauſat, omnis cauſa neceſſariò cauſat: &

tunc

tunc nihil contingenter eueniet, quia cauſa non eſt contingenter cauſans antequam cauſet.

Item, omnis libertas arbitrij tolletur: nam voluntas in iſto inſtanti non elicit actum liberè, & non elicit illum liberè antequam eliciat: ſi ergo nunc elicit de neceſſitate per te, quia pro nunc non poteſt non elicere, ergo nunquam liberè eliciet.

Hoc etiam eſſet contra eos, qui dicunt, quòd voluntas neceſſariò vult finem, non autem ea, quæ ſunt ad finem: ſi ergo neceſſariò vult quando vult, tunc ita neceſſariò vult ea, quæ ſunt ad finem ſicut finem: quia neutrum vult antequam velit, & ideò vtrumque volet, vel vult neceſſariò, vt dictum eſt.

7. Ideò dico, quòd potentia contradictionis non neceſſariò eſt potentia ante actum: nam cuilibet contingenti propoſitioni de futuro, correſpondet ſua de præſenti contingens ſimiliter: ſic iſta, *Tu ſedes*, eſt vera contingens de præſenti, ſicut fuit illa ſibi correſpondens contingens de futuro; *Tu ſedebis*: ſed de præſenti eſt magis determinata, iſta de futuro minus. Vnde Ariſtoteles *primo Periher.* dicit in propoſitionibus de præſenti eſſe veritatem determinatam, & non neceſſariam. Cùm ergo dicis, aut potuit potentia ante actum: aut potentia cum actu: Dico, quòd potuit peccaſſe potentia ante actum anterioritate, vel ordine naturæ: non priùs duratione neceſſariò, & ſi iſta gloſſa non valet, Deus nullum contingenter, ſed neceſſariò prædeſtinauit, quia non eſt dare inſtans vel tempus durationis ante prædeſtinationem: ideò ſecundùm illud non potuit non prædeſtinaſſe, quod falſum eſt: ſufficit enim ad hoc, quòd cauſa contingenter producat, quòd priùs ordine naturæ ſit, quàm effectus productus: nec requiritur neceſſariò prius duratione hoc, quòd contingenter Deus aliquid producat extra ſe.

Potentia contradictionis, quo modo ante actum? de hoc 1. d. 8. q. vlt. & ſupra d. 1. q. 2.

Secundum aduerſarios Deus neceſſariò prædeſtinaret.

Arguitur etiam [m] quartò ſic ad dictam concluſionem; Angelus non potuit in primo inſtanti habere deliberationem: ergo nec peccare. Conſequentia patet. Probatio antecedētis, quia in primo inſtanti non potuit ſimul multa intelligere diſtinctè: quòd tamen oportebat, ſi deliberaſſet. Nec iſta ratio valet: [n] nam volitio quando elicitur à volente non requirit niſi vnam intellectionem, ſi ſit volitio vnica, intellectionem dico vnicam diſtinctam: quia plures intellectiones diſtinctæ ſimul non poſſunt eſſe in intellectu, & ſi poſſent eſſe, tamen vna ſufficeret ad vnam volitionem eliciendam: ita poſſet eſſe vna intellectio diſtincta, etiamſi deliberatio non præcederet, ſicut ſi multæ præceſſiſſent: ergo deliberatio reſpiciens plures intellectiones, non requiritur ad vnam volitionem: ſed in vna ſola volitione poteſt eſſe obliquitas, & peccatum, quare, &c.

An requiritur ad deliberationē plures intellectiones præcedere?

8. Rationes etiam prætactæ ſunt contra ipſos, quia ponunt, quòd Angelus in primo inſtanti potuit mereri. Maior enim primæ rationis eorum ad illam opinionem fuit iſta; prima operatio rei ſimul exiſtens cum re, eſt à producente rem, tunc ſubdit minotem ſub iſta ſic; ſed operatio Angeli non ſua, non poteſt ſibi eſſe meritoria: ergo non potuit mereri in primo inſtanti.

Item tertia ratio eſt contra eos, quia in illo inſtanti non poteſt mereri, in quo nō poteſt peccare: quia in quocunq; inſtanti potuit peccare, in eodē potuit mereri, & è contra: ſed per illam rationem, ſi in primo inſtanti non eliciat actum meritorium, vel bonum, non poteſt peccare, ſecundùm eos: quia non potentia ante actum, &c.

Item, alia ratio videtur adduci contra eos: æqualiter enim videtur requiri deliberatio, vel magis ad benè operandum, ſicut ad malè. Bona enim operatio non poteſt eſſe niſi concurrentibus circunſtantiis debitis omnibus: ſed mala, quacunque deficiente: ergo ſi ſine deliberatione poſſet meritoriè agere, multò fortiùs malè.

Si inſtetur de Chriſto, qui potuit mereri: & tamen non potuit peccare, patebit de hoc lib. 3. Videtur autem ille Doctor concedere quòd Chriſtus potuit peccare denominatiuè, non autem effectiuè. *d. 18. q. vn.*

9. Arguitur etiam [o] quintò ſic ad concluſionem: Motus naturalis voluntatis Angeli in primo inſtanti fuit rectiſſimus: ergo in illo inſtanti non potuit eſſe malus actus, vel motus malus liberi arbitrij: ſi enim fuiſſet malus, remiſſum, & per conſequens minùs rectum feciſſet motum, vel actum naturalem voluntatis: & tunc non fuiſſet voluntas rectiſſima, vel actus eius naturalis.

Nec illa ratio valet, [p] quia ſemper dū manet integra natura voluntatis, manet inclinatio, vel motus naturalis integer rectus, ita benè in primo inſtāti ſicut in ſecūdo: ſed ſecundùm Dionyſium naturalia in damnatis Angelis manent ſplendidiſſima: ergo & inclinationes rectiſſimæ. *De diuin. nom. c. 4.*

Dico

Natura eſt recta cum voluntate obliqua, de quo diſt. ſeq. q.2.

Dico igitur, quòd in primò inſtanti fuit natura rectiſſima, & tamen potuit fuiſſe obliquitas in actu elicito à voluntate libera: quia rectitudo naturæ ſtat cum voluntate non recta.

Nec illa ratio valet: quia ſequitur, quod ſicut non poſſet peccare in primo inſtanti, ſic nec in ſecundo, vel tertio; ſicut enim peccatum nihil naturæ adimit, alioquin tota poſſet conſumi per peccata: ſic etiam nihil inclinationis naturalis adimit.

De hoc in prol. q.vlt. vbi de rectitudine praxis.

Aliter arguitur, [9] & probabiliter ſic: In habitu concreato ipſi Angelo, primò relucent quiditates intelligibiles ab Angelo: cùm igitur intellectus Angelicus non intelligat alia, niſi vt præſentata in iſto habitu, intelligit primò iſtas quiditates, & deinde ſpecialia ſingularia, ideò in primo inſtanti non potuit habere cognitionem practicam: igitur nec peccare, quia quiditates iſtæ relucentes in tali habitu ſcientiali, ad quas primò habitus inclinat, ſola ſpeculatiua cognitione intelliguntur.

Præterea, iſtarum conſiderationem quiditatum conſequitur primò quædam complacentia naturalis: ſicut cùm conſidero Lunam, complacet mihi: igitur & in primo inſtanti, quando iſta complacentia naturalis fuit, non potuit demereri, vel peccare.

Hoc poteſt ſolui, [r] quia *velle* concupiſcentiæ, præſupponit *velle* amicitiæ, nullus enim concupiſcit niſi magis amet illud, cui concupiſcit bonum concupitum, quàm amet ipſum concupitum, & priùs aliquo modo: ergo priùs amat quis ſe amore amicitiæ, quàm aliquod bonum ſibi, & in iſto priori poteſt, vel potuit eſſe inordinata volitio amicitiæ, plus ſcilicet amando ſe, quàm iuſtè debuiſſet amare, ſecundùm rectam rationem: ſed iſta volitio inordinata potuit eſſe in primo inſtanti creationis Angeli, quia in primo inſtanti, potuit ſibi oſtendi bonum diligibile ſibi & æquè primò, vel priùs natura potuit amare ſe in ſe: ergo potuit inordinatè amare ſe in primo inſtanti, priùs etiam natura poteſt obiectum bonum eſſe cognitum in ſe, & etiam amabile in ſe, quàm vt relucet in habitu: quia non quietat amantem, niſi vt in ſe. Iſtud confirmatur per Auguſtinum, *qui dicit*, 14. *de Ciuitate Dei cap. vltimo*, quòd ciuitatem diaboli fecit inordinatus amor ſui: iſte autem potuit eſſe in primo inſtanti, vt dictum eſt. Quod autem dicitur, de quiditate primò relucente in habitu illo, improbatum eſt ſuprà. 10.

De hoc diſt. ſeq. q.2.

Amor cõcupiſcentiæ, ſuppõnit amorẽ amicitiæ.

Amor proprius fecit ciuitatem diaboli d. 3. q. 8.

An peccãs ſit debitor iuſtitiæ?

Septimò arguitur, pro concluſione ſic; Nullus poteſt peccare, niſi debitor iuſtitiæ; ſed in primo inſtanti non fuit Angelus debitor iuſtitiæ: ergo, & cætera. Maior patet, quia iuſtitia, & peccatum ſunt ſicut habitus & priuatio. Probatio minoris, quia ſicut patet per Anſelmum, in libro de caſu diaboli 12. & 14. in primo inſtanti non accepit iuſtitiam. 11.

Nec iſtud valet: [s] duplex enim eſt iuſtitia, ſcilicet acquiſita, & infuſa: & de neutra concludit ratio. Iuſtitia enim infuſa, ſtatim amittitur vnico actu peccati: ergo iſta amiſſa non poſſet iſte ampliùs peccare, quia non eſt debitor iuſtitiæ, cùm non habeat iuſtitiam. Similiter Saracenus, qui nunquam habuit iuſtitiam infuſam, non eſſet debitor iuſtitiæ, & per conſequens non poſſet peccare: ideò de illa iuſtitia non valet argumentum.

Item, manifeſtum eſt quod ſi non fuit in illo primo inſtanti debitor iuſtitiæ, quia non accepit eam, ſequeretur quòd ſemper exiſtens in peccato mortali, nunquam eſſet debitor iuſtitiæ, quia nunquam accepit eam. Ideò de iſta iuſtitia non valet argumentum; ſimiliter nec de iuſtitia acquiſita: nam iſta poteſt amitti multis actibus iniuſtitiæ elicitis: nec ille, qui nunquam fuit iuſtus, moraliter tenetur ad iuſtè operari, ſi non eſſet debitor iuſtitiæ, quia nunquam iſtam accepit.

Cuius iuſtitiæ debitor eſt homo vel angelus?

Dico igitur, quòd iuſtitia iſta, ratione cuius debitor eſt homo, vel Angelus, iuſtitiæ; non eſt, niſi potentia naturalis voluntatis moderandi inclinationem naturalem, quæ eſt contra iuſtitiam infundendam: & illud eſt libertas, quæ non eſt aliquid ſuperadditum voluntati, imò de per ſe ratione eius. Dico igitur quòd illam iuſtitiam naturalem, ſcilicet potentiam, qua potuit conſeruare iuſtitiam infuſam ſibi, recepit Angelus, & per conſequens potuit peccare in primo inſtanti, & ideò debitor iuſtitiæ fuit.

Ad Anſelmum dico, quòd non accepit iuſtitiam infuſam, & hoc dicit Auguſtinus, vndecimo ſuper Geneſim, & ponitur auctoritas in principio, tertia diſtinct. & eſt notanda.

Alia ratio [t] eſt: duæ mutationes non ſunt ſimul, quarum terminus *ad quem* vnius, eſt terminus *à quo* alterius: ſed creatio, & peccatum ſunt duæ mutationes, illo modo ſe habentes, 12.

ſe habentes, quia mala volitio, vel peccatum præſupponit eſſe, quod eſt terminus ad quem creationis: ergo non ſunt ſimul.

Iſtud non valet [u] de paſſionibus, & ſubiectis, quæ conſequuntur ſe ſolùm ordine naturæ, quia poſſunt eſſe ſimul duratione: nam Luna in eodem inſtanti temporis, in quo accipit lumen à Sole, diffundit ipſum in alias partes medij.

Si tamen fiat vis, [x] de vocabulo mutationis; dico, quòd peccatum, in primo inſtanti temporis, non eſt mutatio, ſed eſt paſſio, de genere Paſſionis: quia mutatio eſt à priuatione in habitum, vel è conuerſo, quæ non ſe compatiuntur, in eodem inſtanti durationis: nec priùs fuit duratione iſte habitus, cuius priuatio eſt peccatum in voluntate Angeli, ſi peccauit in primo inſtanti: ideò non eſt mutatio, ſed eſt paſſio, de genere Paſſionis, de hoc in quarto, in materia de reſurrectione.

Priuatio an duratione prior habitu? vide Sco. 1. d. 2. 2. p. q. 3. ad pen. & ſupra. diſt. q. 2. d. 43. q. 5. a. 3. Tex. co. 29. & 90. De hoo ſupra d. 2. q. 1.

Alia ratio ponitur talis, [y] Actio creaturæ non poteſt eſſe in inſtanti, igitur in primo inſtanti non potuit habere actum aliquem, per quem peccaret. Probatio antecedentis per rationem Ariſtotelis 6. *Phyſicor.* vbi arguit ſic: Si aliqua virtus poteſt mouere in inſtanti: ergo maior virtus poteſt in minori, quam in inſtanti: hoc eſt impoſſibile, ſed omni virtute creata poteſt eſſe maior, & eſt, ergo nulla virtus creata poteſt moueri in inſtanti.

Dico, quòd ratio Ariſtotelis procedit in his, in quibus poteſt eſſe exceſſus in menſura, quòd ſcilicet ſi aliqua virtus mouet in aliquo tempore, dupla virtus mouebit in dimidia parte temporis, ſed inſtans non poteſt excedi ab aliqua menſura in paruitate: ideo non valet. Tamen de motu tenet argumentum Ariſtotelis quia motus neceſſariò habet menſuram diuiſibilem, cùm ipſe ſit diuiſibilis: & ideò ſi motus eſſet in inſtanti, neceſſariò inſtans eſſet diuiſibile: ergo contingeret dare menſuram minorem.

COMMENTARIVS.

Opinio S. Thomæ.

b *De miſeria culpæ.* Hîc recitatur opinio Thomæ qui ſic dicit: Impoſſibile fuit Angelum in primo inſtanti peccaſſe per inordinatũ actum liberi arbitrij: quamuis enim res aliqua in primo inſtanti, quo eſſe incipit, ſimul incipere poſſit operari, tamen operatio, quæ ſimul incipit cum *eſſe* rei, eſt ei ab agente, à quo habet *eſſe*, ſicut moueri ſurſum eſt igni à generante: vnde ſi aliqua res habeat *eſſe* ab agente deficiente, quod poſſit eſſe cauſa defectiua actionis, poterit in primo inſtanti, in quo incipit, habere defectiuam operationem, ſicut ſi tibia, quæ naſcitur clauda ex debilitate feminis, ſtatim incipiat claudicare. Agens autem quod Angelos in *eſſe* produxit, ſcilicet Deus, non poteſt eſſe cauſa peccati: vnde non poteſt dici, quod diabolus in illo primo inſtanti ſuæ creationis fuerit malus. Hæc ille.

c *Sed hæc ratio non valet.* Hîc Doctor dicit has rationes Thomæ non concludere: non enim ſequitur ſi Angelus fuiſſet malus à principio, quòd malitia eius ſit à prima cauſa cauſante *eſſe* ipſius. Quòd autem non ſequatur, patet per Auguſtinum 11. de Ciuit. c. 13. & patet auctoritas, ſi enim Angelus dependet in ſuo *eſſe* à cauſa bona, non ſequitur, quòd dependeat ab illa in malitia; nam Manichæi poſuerunt vnum Deum malum eſſe cauſam malitiæ, & alterum eſſe immediatè cauſam boni.

2. d *Item defectus cauſæ ſecundæ*, &c. Ad idem arguit Doctor probando quòd talis defectus non ſit à cauſa prima, quia etſi effectus cauſæ ſecundæ ſit à prima cauſa, quia effectus eſt, tamen quòd cauſa ſecunda deficiat, quia illud deficere non eſt aliquod effectibile, non erit à cauſa prima; peccatum enim eſt defectus ſiue carentia rectitudinis, quæ deberet ineſſe actui, vt infrà patet *d.* 34. & 37. & *in* 4. *d.* 14. *q.* 1. Si ergo Angelus deficit in peccando à rectitudine, non ſequitur quòd hoc ſit à Deo. Si dicatur, videtur enim quòd talis defectus ſit à Deo, quia voluntas Angeli non dat rectitudinẽ actui cui volũtas diuina non dat; ergo ſicut volũtas diuina eſt principalis cauſa dandi rectitudinem, ſic etiam principalis cauſa non dandi, & ſic talis defectus erit principaliter à Deo. Sed quia hoc requirit ſpecialem difficultatem, ideò omittatur vſque 37. *diſt. huius*, vbi multa ſingularia habent pertractari.

e *Item ſecunda cauſa.* Hîc Doctor probat quòd ſi eſſet verum, quòd Angelus poſſet peccare in primo inſtanti, illud peccatum eſſet à Deo, quòd etiam hoc ſequeretur pro quocunque inſtanti: & ratio ſtat in hoc quia ſi Angelus in primo inſtãti, accipit *eſſe*, & in illo primo non poteſt peccare, ſiue non poteſt deficere à rectitudine, quia ſi ſic, tunc tale peccatum eſſet à Deo; ſed quæro, an in ſecundo inſtanti poſſit peccare? ſi ſic, ſequitur quòd tale peccatum immediatè ſit à Deo, quia etiam *eſſe* Angeli, in illo ſecundo inſtanti, immediatè eſt à Deo, vt ſuprà patuit *diſt.* 2. *q.* 1. *huius ſecundi, & in quodli. q.* 12. Sequitur etiam quòd ſi in primo inſtanti, non poteſt peccare, quia *eſſe* eius eſt iumediatè à Deo; ergo nec in nullo alio inſtanti, poterit peccare, quia pro quocunque inſtanti, ſimpliciter accipit *eſſe* à Deo.

f *Arguitur etiam ad eandem concluſionem.* 3. Secundò arguitur quòd Angelus in primo inſtanti non potuit peccare, & ratio ſtat in hoc; quia ſi Angelus potuit peccare in primo inſtanti, ſequitur quòd à ſe potuit habere primum *velle* inordinatum; ſed hoc non potuit, quia aut voluit primum *velle* volens, aut nolens, & vtroque modo ſequitur quod primum *velle*, præcedit aliud *velle*.

An voluntas poſſit eſſe cauſa ſui volitionis.

g *Dico ad iſtud argumentum.* Hîc Doctor reſpondet ad hoc argumentũ ſupponendo, quòd voluntas

voluntas poſſit eſſe cauſa actiua ſuæ volitionis, quod habet videri infra, *diſt.* 25. quòd poteſt eſſe cauſa primæ volitionis, ſicut & ſecundæ, cùm ſint eiuſdem rationis, & ſi primum *velle* non haberetur à ſe, eſſet proceſſus in infinitum, & patet litera.

h *Ad Anſelmum dico, quòd ipſe finxit* primum Angelum, qui priùs eſſet vna eſſentia nuda, non habens formaliter potentiam volitiuam, & Angelus ſic imaginatus non poteſt habere primum *velle* à ſe, quia tale *velle* immediatè eſt à voluntate, quam non habet à ſe; ideò oportet quòd reducatur ad actum primum, ſcilicet quòd habeat voluntatem, quæ eſt actus primus elicitiuus actus ſecundi, ſcilicet ipſius *velle*. Et tunc cùm dicitur, ſi habet à ſe, aut volens, aut nolens; Dicit Doctor quòd nec ſic, nec ſic: Patet, quia primum *velle* immediatè eſt à potentia volitiua, nullo alio *velle* præſuppoſito, niſi accipiatur *volens* pro libertate voluntatis, videlicet, qua primum *velle* liberè eliciatur, & tunc talis libertas ſtat in hoc, quòd quando voluntas elicit actum, poteſt non elicere, vt infrà patebit. diſt. 25.

4. i *Vel ſi dicamus*, &c. Pro intelligentia huius literæ eſt notandum, quòd affectio commodi in propoſito eſt ſola inclinatio naturalis ad perfectionem ſuam, vt infrà patebit. *diſt.* 6. *q.* 2. & talis inclinatio non eſt aliqua operatio, vt patet à Doctore infrà *diſt.* 6. *d.* 2. *&* *in* 4. *d.* 49. & talis inclinatio naturalis realiter, & eſſentialiter eſt ipſa natura ſic inclinata, vt patet vbi ſuprà; & ſic talis affectio eſt à Deo, ſicut & natura cuius eſt; & ſimiliter talis affectio, quantumcunque intenſa, nunquam poteſt eſſe non recta, vt patet à Doctore *in* 4. *d.* 50. & habita iſta affectione commodi, prima volitio eſt à voluntate, vt libera, & poteſt eſſe in primo inſtanti, & prima volitio nõ producitur alia volitione, quia ſic eſſet proceſſus in infinitum; ſed producitur actione de genere Actionis, quæ habet ipſam volitionem vt terminum productum; volitio enim non eſt productio, cui correſpondeat productum, tanquam terminus, ſed eſt operatio, & finis potentiæ, vt patet à Doct. in primo d. 2. par. 2. q. 3. & 4. & in quodl. q. 13.

Argumenta efficaciſſima. k *Arguitur tertio ad iſtam concluſionem*, & ratio ſtat in hoc, quia ſi potuit peccare in primo inſtanti, ergo neceſſariò peccauit: conſequens eſt falſum. Probatur conſequentia, quia ſi potuit non peccare, aut potentia ante actum, aut potentia cum actu. Non primò, quia ante primum inſtans non fuit potentia in ipſum; patet, quia ante primum inſtans ſuæ creationis Angelus nullum *eſſe* habuit. Non ſecundò, quia in iſto iſtanti, in quo peccauit, non potuit non peccare, & ideò non habuit potentiam ad non peccandum.

5. l *Sed hoc argumentum non valet.* Doctor dicit, quòd ſimile argumentum ſolutum eſt in *iſto ſecundo*, *diſt.* 1. *q.* 3. *&* *in primo*, *diſt.* 39. ſufficit enim, quòd cauſa ſit prior effectu natura, & litera clara eſt vſque ibi.

Ideò dico, quòd potentia contradictionis, &c. Pro maiori declaratione pro nunc eſt ſciendum, quòd potentia contradictionis dupliciter accipitur, videlicet paſſiuè, & actiuè. Primo modo dicimus, quòd ſubiectum reſpectu accidentis ſeparabilis eſt in potentia contradictionis, id eſt, quòd ſubiectum aliquando poteſt eſſe ſub illo accidente, aliquando non, id eſt, quòd iſta contradictoria eſſe album, & non eſſe album, poſſunt ineſſe alicui non ſimul, ſed ſucceſſiuè, & ſic tale ſubiectum dicitur in potentia contradictionis ad eſſe album, & non eſſe album, & quòd eſt ſic in potentia contradictionis, non eſt neceſſe quòd priùs duratione ſit in potentia ad album, loquendo de potentia, quæ dicit ordinem ad actum, ita quòd in tali ordine, duratione præcedat potentia ad album, & potentia, quæ præcedit duratione, vocatur potentia ante actum; quæ verò non præcedit duratione dicitur porentia cum actu, vt ſuprà patuit *in primo diſt.* 8. *q. vlt.* Et quòd non ſit neceſſe potentiam ad actum præcedere duratione ipſum actum, patet, quia Deus in eodem inſtanti, quo ponit aliquod ſubiectum in *eſſe* in potentia ad albedinem, poſſet ipſum facere albũ, & tunc potentia ad albedinem non ineſſet tali ſubiecto priùs duratione, ineſſet tamen, niſi præueniretur à cauſa producente illum actum, vt patet à Doctore in *iſto ſecundo*, *d.* 1. *q.* 2. *&* *in tertio*, *diſt.* 3. *&* *in primo*, *diſt.* 8. *q. vlt.* *&* *alibi.*

6. Secunda dicitur potentia actiua contradictionis, & eſt quando aliqua cauſa habet in poteſtate ſua, poſſe producere aliquem effectum, & poſſe non producere, ſicut voluntas eſt in potentia contradictionis ad amandũ, & non amandũ, ita quòd poteſt producere amorem, & non producere, non ſimul ſed ſucceſſiuè; imò pro eodem inſtanti poteſt velle amare, & poteſt non velle amare, vt diffusè expoſui in *primo*, *di.* 39. & talis potẽtia contradictionis tantùm reperitur in cauſa libera, vt patet à Philoſopho 9. *Met.* *c.* 4. *tex.* *cõ.* 10. *Net.* vbi vocat talem potentiam prohæreſim, cauſa verò naturalis agens modo naturali ex ſe nõ eſt in potentia contradictionis ad agendum, & non agendum, quia poſita diſpoſitione cauſæ, & paſſi, de neceſſitate ſequitur actio, vt ſuprà patuit *in q.* 1. *prolo.* Loquendo ergo de potentia actiua cõtradictionis, dico, quòd non eſt neceſſe quòd talis potentia duratione præcedat ipſum actum, patet, quia ſi voluntas mea ponatur habere *eſſe* in *A*, & non ſit impedita, & habeat obiectum volibile perfectè præſens ſibi, in eodem inſtanti poteſt velle illud, ſufficit enim, quod voluntas mea, inquantùm cauſat volitionem, ſit prior natura ipſa volitione; & hoc eſt quod dicit Doctor de propoſitione contingente: propoſitio enim contingens eſt ſemper in potentia contradictionis, quia ex quo eſt contingens; ideò poteſt eſſe, & non eſſe, non ſimul, ſed ſucceſſiuè; & talis contingẽtia propoſitionis eſt à potentia actiua contradictionis, quia contingens eſt tantùm à cauſa libera, vt patet à Doctore *in* 1. *diſt.* 2. *q.* 1. *&* *diſt.* 8. *q. vlt.* *&* *diſt.* 39. propoſitio verò neceſſaria nunquam eſt in potentia contradictionis, ſicut iſta, *homo eſt animal*,, ſic eſt neceſſariò vera, quòd impoſſibile eſt ipſam eſſe, vel fore, vel fuiſſe falſam, & ex hoc cognoſcitur propoſitio, quæ poteſt eſſe vera, vel falſa, quia futurum contingens poteſt eſſe, & nõ eſſe; & futurũ cõtingens verificatur ex hoc, quia aliqua de præſenti eſt vera, & ſicut dicimus, quòd hoc aliquando curret, quia verum eſt dicere, aliquando hoc nunc currit. Eſt tamen differentia inter propoſitionem contingentem de futuro, & de præſenti, quia contingens de præſenti eſt magis determinatè verà, & illa de futuro eſt minùs determinatè vera; vt patet per Ariſtotelem 1. *Per.* Nunc reſpondeo ad arg. cùm dicitur, ſi potuit peccare, aut potentia ante actum, &c. dico, quòd ſi accipiatur ly *ante* pro priori naturæ, & voluntas peccans, ſiue cauſans peccatũ, eſt prior natura actu peccãdi, & hoc ſufficit. Si verò intelligatur

Quomodo ſit differentia inter propoſitionem contingentem de futuro, & de præſenti.

intelligatur *ante*, id eſt, priùs duratione conceditur, quòd vt ſic non potuit peccare pro primo inſtanti.

m *Arguitur etiam quartò ſic, ad dictam concluſionem.* Ratio ſtat in hoc, quia deliberatio non fit in inſtanti, quia deliberans oportet multa diſtinctè intelligere, ſed peccatum non fit ſine deliberatione; ergo non potuit eſſe in primo inſtanti; deliberatio enim eſt actus voluntatis elicitus ſequens communiter concluſionem ſyllogiſmi practici.

Quid ſit deliberatio.

7. n *Nec iſta ratio valet.* Hìc Doctor reſpondet ad iſtam quartam rationem, & dicit primò, quòd perfecta volitio ſequitur perfectam cognitionem obiecti, & ſic oſtenſo obiecto perfectè in ratione diligibilis, voluntas poteſt perfectè elicere actum circa illud. Nota tamen, quòd deliberatio dupliciter contingit: vno modo ſequitur intellectum, qui non poteſt in inſtanti habere cognitionem eorum, circa quæ eſt deliberatio, nam deliberatio propria eſt circa media ordinata ad finem, & intellectus diſcurrit imperio voluntatis circa illa media, quouſque inueniet medium ad finem. Aliquando eſt deliberatio, quæ reſpicit intellectum abſolutum, qui non habet neceſſe ſic diſcurrere per media, quòd requiratur tempus, ſed ſtatim poteſt inuenire medium ad finem; & inuento illo, & oſtenſo voluntati, voluntas ſtatim poteſt velle illud ordinatè, vel inordinatè, vel nolle.

o *Arguitur etiam quintò ſic ad concluſionem;* & ratio ſtat in hoc, quia cùm motus naturalis voluntatis, ſiue inclinatio naturalis in primo inſtanti ſit rectiſſima, actus ſequens talem motum erit rectiſſimus, quia ſi talis actus eſſet malus, tunc motus naturalis eſſet minùs rectus, quod eſt falſum.

p *Nec illa ratio valet.* Dicit Doctor quòd ſtat inclinationem naturalem eſſe rectiſſimam, & tamen actum ſequentem non eſſe rectum; & patet, quia talis motus, ſiue inclinatio naturalis ineſt naturæ ſuæ, & neceſſariò, vt probat Doctor *in 4. diſt.* 49. & per conſequens illa non poteſt intendi, vel remitti, & talis inclinatio tamdiu manet, quamdiu manet natura; & ſic ſequeretur quòd nunquam voluntas poſſet peccare, cùm in ea ſemper maneat motus naturalis rectiſſimus. Sed quomodo ſtat motum naturalem eſſe rectiſſimum, & actum ſequentem motum naturalem, ſiue inclinationem naturalem non ſemper eſſe rectum. Dico, quòd hoc habet aliqualiter declarare infrà *diſt. 6. quæſt. 2.* & prolixius in *4. diſt. 50.*

Actus peccati ſequitur cognitionem practicam.

q *Aliter arguitur. Et probabiliter ſic.* Hæc ratio ſtat in hoc: Actus peccati ſequitur cognitionem practicam: vt patet, quia ſicut actus rectus eſt ex conformitate ipſius ad notitiam practicam, ita actus non rectus eſt ex hoc, quòd elicitur difformiter rationi rectæ. Hoc ſupra patuit *in q. vlt. prolog.* ſed notitia practica in Angelo non fuit pro primo inſtanti; patet, quia per priùs cognouit quiditates intelligibiles, & talis cognitio eſt ſpeculatiua. Et vltra, quia voluntas priùs complacet complacentia naturali quiditatibus illis ſic ſpeculatiuè cognitis, & in tali complacentia naturali, voluntas non meretur, nec demeretur, & per conſequens in primo inſtanti non potuit peccare.

8. r *Hoc poteſt ſolui.* Hìc Doctor faciliter ſoluit hanc rationem, & ſolutio ſtat in hoc, quia Angelus in primo inſtanti poſſet ſe cognoſcere, vt obiectum diligibile, & in eodem inſtanti potuit ſe inordinatè diligere amore amicitiæ, qui amor præſupponitur amori concupiſcentiæ, vt infrà probat Doctor *diſt. 6. quæſt. 2.* Poſito ergo, quòd in primo inſtanti non cognoſcat alia obiecta creata practicè, in primo tamen inſtanti potuit ſe practicè cognoſcere, & per conſequens ordinatè, & inordinatè agere.

Septimò arguitur pro concluſione. Ratio ſtat in hoc, quia peccans eſt debitor iuſtitiæ, patet, quia iuſtitia, & peccatum ſunt ſicut habitus, & priuatio; ſed in primo inſtanti non fuit Angelus debitor iuſtitiæ, cùm non acceperit eam in primo inſtanti ſecundum Anſelmum de Caſu diaboli.

Quæ ſit iuſtitia infuſa.

f *Nec iſtud valet.* Hìc Doctor ſoluit hanc rationem, & dicit, quòd non concludit, neque de iuſtitia infuſa, neque acquiſita; iuſtitia enim infuſa eſt gratia gratum faciens, qua homo iuſtificatur, vt patet à Doctore *in primo, diſtinct. 17. & in quarto, diſt. 14. quæſt. 1.* Iuſtitia acquiſita accipitur communiter pro habitu virtutis, quo quis moraliter operatur, ſicut dicitur Matthæi 5. *Attendite ne iuſtitiam veſtram*, &c. Dicit ergo Doctor quòd non eſt neceſſe peccantem eſſe debitorem iuſticiæ infuſæ, id eſt, quòd non eſt neceſſe peccantem priùs habere notitiam infuſam; patet, quia illa vnico peccato amittitur, & ipſa amiſſa tunc non poſſet peccare. Nec ſimiliter valet de iuſtitia acquiſita, quia poteſt amitti multis actibus iniuſtitiæ elicitis, & ſic ipſa amiſſa non poſſet ampliùs peccare, quod eſt inconueniens. Dicit ergo Doctor, quòd iuſtitia iſta, ratione cuius debitor eſt homo, vel Angelus, iuſtitiæ, eſt tantum libertas voluntatis moderatiua inclinationis naturalis, nam moderando inclinationem naturalem, conſeruat iuſtitiam infuſam; non moderando verò perdit illam. Loquendo ergo de tali iuſtitia, Angelus in primo inſtanti eſt debitor iuſtitiæ, & ſic in primo inſtanti peccare potuit.

Quæ ſit iuſtitia acquiſita.

9. t *Alia ratio eſt.* Octauò arguit ad eandem concluſionem. *Duæ mutationes non ſunt ſimul, quarum terminus ad quem vnius eſt terminus à quo alterius: ſed mala volitio ſequitur terminum* ad quem creationis, quia præſupponit eſſe; ergo non ſunt ſimul. Iſta litera patet, quia ſi ſubiectum, puta A mutatur à non albo in album, terminus *ad quem* huius mutationis eſt album, & poſt mutatur ab albo in non album, terminus *à quo* huius mutationis eſt album: iſtæ duæ mutationes non poſſunt eſſe in eodem inſtanti, hoc enim repugnat: imò tranſitus à priuatione in habitum ſemper fit in aliqua duratione, quia priuatio propriè præcedit duratione habitum, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 2. parte 2. quæſt. 3. in reſp. ad penultimum argum. principale.* Hoc idem *in diſt. 39. & in ſecundo, diſt. 1. quæſt. 2.* ſi ergo Angelus peccaret in primo inſtanti, eſſent ibi huiuſmodi mutationes, quarum prima eſt à *non eſſe* Angeli ad *eſſe* ipſius. Secunda eſt ab *eſſe* Angeli ad operationem non rectam, ergo iſtæ duæ mutationes non poſſunt eſſe in eodem inſtanti.

Duæ mutationes non ſunt ſimul.

u *Iſtud non valet de paſſionibus, & ſubiectis,* &c. Doctor ſoluit hanc rationem, & ſolutio ſtat in hoc, quòd quando paſſio immediatè ſequitur ſubiectum, non tranſit ſubiectum à priuatione paſſionis ad illam, ſed in eodem inſtanti temporis eſt ſimul cum illa, ſic in propoſito in inſtanti A Angelus habet *eſſe*, & in eodem inſtanti poteſt

operati, ita quòd ſufficit ſubiectum talis operationis, vel cauſam illius eſſe prius natura.

10 x *Si tamen fiat vſ de vocabulo mutationis.* Hæc litera ſtat in hoc; quod ſi loquamur de mutatione propriè dicta, quæ eſt tranſitus à priuatione propriè dicta ad habitum, & econtra ab habitu in priuationem, talis mutatio non poteſt eſſe in inſtanti, quia priuatio præcedit duratione. Sed in Angelo peccante in primo inſtanti non fuit talis mutatio, ſed magis paſſio de genere paſſionis, quæ paſſio eſt effectus actionis, & ſic ſubiectum in eodem inſtanti, quo habet *eſſe* ſub tali paſſione. Sed hoc diffuſiùs habet pertractari *in quarto, diſtinct.* 43. & aliqualiter *diſtinct.* 44. *quæſt.* 1.

Nota & bene. y *Alia ratio ponitur talis.* Nonò, & vltimò arguitur ad eandem concluſionem. Et ratio ſtat in hoc; quia ſi creatura poteſt agere in inſtanti, ergo virtus maior poterit agere in minori menſura, quod eſt falſum. Conſequentia patet per Philoſophum 6. *Phyſic. tex. comment.* 29. & incipit text. *Quòd quidem igitur, ſicut aliquid in tempore indiuiſibile,* vbi habetur, quòd ſi aliqua virtus poteſt mouere in inſtanti, maior virtus poteſt mouere in minori, quàm in inſtanti, & ſic oporteret diuidere inſtans, quod tamen eſt ſimpliciter indiuiſibile. Hoc idem patet *tex. comment.* 90. & incipit tex. *Amplius autem*, &c. vide ibi, & Commentatorem.

z *Dico quòd ratio Ariſtotelis*, &c. Et quòd ſic intelligat Ariſtoteles, patet expreſsè per Commentatorem vbi ſuprà, *comment.* 29. vbi ſic ait, circa finem: *Declaratum eſt, quòd impoſſibile eſt, quòd motus fiat in inſtanti, quia omne velocius poſſibile eſt ponere velocius ipſo, quoniam non poteſt aliquis dicere, quòd illud, quo nihil eſt velocius, eſt illud, quod mouetur in inſtanti, & illud quo nihil eſt tardius, eſt illud, quod mouetur per magnitudinem diuiſibilem, & ſi hoc eſſet, non eſſet proportio inter illum motum, & alios motus, ſcilicet qui eſt in maxima velocitate, & maxima tarditate, quia non eſt proportio inter lineam, & punctum, notum eſt per ſe, quòd motus ſunt proportionales.* Hæc ille. Hoc idem in commen. 90.

SCHOLIVM.

Ex dictis concludit Scotus Angelum potuiſſe primo inſtanti peccare, quia habuit potentiam non determinatam ad operationem rectam, & hoc quoad primum art. huius q. Secundò ait reſolutiuè nec bonos, nec malos Angelos fuiſſe beatos in primo inſtanti, de quo q. præced. n. 5.

13. TEneo igitur, quòd potuit in primo inſtanti habere potentiam volitiuam perfectam, & non limitabatur ad rectam operationem: non enim habuit in ſecundo inſtanti magis determinans, quàm in primo: ergo, &c. & hoc potuit eſſe, vt dictum eſt, quia in illo inſtanti potuit ſe amare amore amicitiæ, vltra rectam rationem.

De ſecundo articulo. Vtrùm boni de facto beati in primo inſtanti fuerunt, & mali damnati, vel miſeri. Dico primò de malis, quod mali non fuerunt beati in primo inſtanti. Probatio, quia tunc non fuerunt certi de beatitudine ſua: ſic enim poſtea non cecidiſſent, ſed ſi non fuerunt certi de beatitudine, non fuerunt beati. Similiter ſicut dicit Auguſt. 4. ſuper Gen. *Non priùs diſcernebat Deus bonos à malis, quàm eſſent diſcreti inter ſe*; non ergo, qui mali modò ſunt, in primo inſtanti fuerunt beati, quia fuerunt creati vniformes boni, & mali: nec erant in primo inſtanti miſeri, vel mali, vt patet in litera iſta 4. diſtinct. c. ſed hoc magis, vt etiam dicit Auguſtinus 11. ſuper Geneſ. vbi dicitur, quod *Deus non eſt prius vltor, quam aliquis peccator.*

Item Iſa. 14 dicitur de malo Angelo: *quomodo cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris?* & ponitur diſt. 6. c. 1. ergo priùs oriebatur & luxit, quàm caderet.

Item Ezech. 28. & ponitur vbi ſup. *In deliciis paradiſi fuiſti*: ergo non ſtatim cecidit; ideò concluditur, quòd mora fuit inter principium creationis, & damnationis. Et eodem modo, patet de bonis in litera diſtinctione iſta, c. 1. & ſimiliter diſt. 3. cap. illo, *Aliis autem vtdetur*, &c. Vide ibi.

SCHOLIVM.

Hic agit de moralis Angelorum bonorum & malorum, & latiùs explicat quæ docuit q. præced. à n. 5. concludens contra D. Thom. neceſſariò ponendas tres, vel quatuor moras, ex repetitione tam clara multorum quæ antea dixit, bene apparet hanc quæſtionem eſſe additam ex Reportatis, non autem de ſcripto Anglico.

14. DE tertio articulo, quot fuerunt moræ, & quantæ; communiter dicitur duas fuiſſe moras: vna eſt in via, & alia in termino: nam ponitur, quòd non ſimul præmiabantur, & meruerunt, nec boni, neç mali.

Sed vtrùm prima mora in via fuiſſet vnica; Dicit vnus doctor, quòd vnica: quia omnes Angeli in primo inſtanti temporis diſcreti habuerunt gratiam, per quam in eodem

eodem inſtanti potuerunt elicere actum meritorium: & per conſequens in ſecundo inſtanti temporis diſcreti, potuerunt præmiari, & præmiati ſunt boni: ſed mali in illo ſecundo inſtanti temporis diſcreti, poſuerunt obicem; ideò non fuerunt præmiati. Ratio ad hoc eſt, quia gratia non tollit naturam, ſed perficit eam, ſed natura Angeli acquirit ſuam perfectionem naturalem ſine diſcurſu: ergo & perfectionem, quam poteſt acquirere per gratiam, quæ eſt beatitudo, acquirit ſine diſcurſu: quare, &c. mali autem non acquiſierunt illam beatitudinem in ſecundo inſtanti; quia poſuerunt obicem.

Contra illud, quicunque pro tota mora viæ manet in merito, neceſſariò in termino erit beatus. Et hoc patet ex Euangelio Matthæi 24. vbi dicitur. *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*, in vltimo enim inſtanti viæ, in quo debuit recipere beatitudinem, non potuit ponere obicem; aliter illud inſtans non fuiſſet terminus ſed pro mora viæ (per te) boni & mali fuerunt æquales in merito: ergo & in præmio.

15. Dico ergo, quòd boni, & mali fuerunt adinuicem diſcreti in via: aliter non fuiſſent diſcreti finali diſcretione in termino. In via ergo fuerunt neceſſariò moræ duæ: prima, in qua fuerunt vniformes in gratia (ſi volumus dicere, quòd mali habuerunt gratiam) vel vniformes ſaltem in natura. Secunda mora, in qua adhuc in via exiſtentes, fuerunt difformes: ita ſcilicet, quod iſti vltimatè meruerunt: & iſti vltimatè demeruerunt, Tertia mora fuit diſtinctio finalis vnius ab alio neceſſariò. Probabile eſt etiam, quòd in ſecunda mora, in qua fuerunt difformes in via, fuerunt multæ morulæ: quia mali peccauerunt multis ſpeciebus peccati, ſcilicet ſuperbia, odio, & inuidia: & iſti actus ordinatè, & non in eodem inſtanti fuerunt eliciti, vt patet diſtinct. 5. in principio, & eſt ibi auctoritas Auguſtini.

Angeli in via vniformes & difformes mali multa peccata commiſerunt.

Hoc iterum patet per illud Apocal. *Fiebat prælium magnum in cælo*: & dicitur ibi, quod Michaël fecit victoriam, quæ victoria cedebat in laudem bonorum, hoc non fuit, niſi quia peccatum malorum Angelorum fuit incentiuum tentationis in bonis, qui tentationem iſtam vicerunt. Cùm igitur Angelus bonus non fuit præſcius futurorum priùs fuit elicitum peccatum à malo Angelo, antequam per ipſum eſſet tentatio boni, & ideo in ſecunda mora fuerunt multæ morulæ elicitæ à malis.

Plures morule neceſſario dãdæ Angelis.

Sed de prima mora, in qua fuerunt vniformes, poteſt probabiliter ſuſtineri, quod in primo inſtanti, fuerunt vniformes in ſtatu naturæ, creati ſine gratia. Poſtea in ſecundo inſtanti erant in gratia vniformes: & poſtea in tertio inſtanti viæ mali multipliciter demeruerunt, & boni multipliciter meruerunt: & in quarto fuerunt in termino. Et hoc videtur rationabile, quia ſic experti erant de omni ſtatu, & maiorem occaſionem habebant intenſiùs eliciendi actum meritorium poſtea, cùm ſimul habebant gratiam ex hoc, quòd experti erant, quòd ex naturalibus in primo inſtanti hoc non poterant. Vel poteſt dici, quòd primò erant vniformes creati in gratia, & in ſecundo inſtanti boni meruerunt, & mali demeruerunt ante terminum, quia Deus non diſcernit eos antequam fuiſſent inter ſe diſcreti.

An Angeli fuerint in gratia creati nec-ne: problema.

16. Nec valet, quòd dicebatur ſuperiùs, quòd ſi ſtetiſſent in ſecundo inſtanti, debebant recepiſſe beatitudinem; & ideò boni tunc fuerunt in termino: longior enim fuit via illorum, quàm mora vnius inſtantis: & fortè per duo, vel tria ſequentia, non debebant habere beatitudinem. Si dicamus, quòd tantùm in primo inſtanti erãt vniformes in naturalibus, ita quòd nunquam fuerunt vniformes in gratia; tunc oportet dici, quòd in ſecundo inſtanti dabatur gratia, non ponentibus obicem: & tunc fuiſſet data malis, ſi non appoſuiſſent obicem. Et benè potuerunt ponere obicem reſpectu gratiæ recipiendæ, icèt non reſpectu præmij recipiendi in inſtanti, in quo debuit recipi: quia tunc non eſt recipiens in via ſed in termino: & tunc ipſi demeruerunt, & boni meruerunt, omnes adhuc in ſtatu viæ exiſtentes: & in termino iſti erant beati, mali verò obſtinati: ita quòd non credo, quòd omnino pares in via, fuiſſent diſpares in termino.

Siue fuerint, ſiue non fuerint Angeli creati in gratia, adhuc tres habuerunt moras, vel 4.

Pares in via nõ ſunt diſpares in termino.

Sed quantæ ſunt iſtæ moræ, dicit vnus doctor, quòd dicuntur eſſe inſtantia diſcreti temporis, dictum eſt autem, quod nulla eſt neceſſitas ponendi tempus diſcretum, *ſecunda diſtin. huius libri, quæſt. prima, & quarta*, quære ibi.

17. a Ad primum principale dico, quod cauſa efficacior non neceſſario producit effectum æquè citò ſicut cauſa minùs efficax, ſi illa efficacior ſit agens voluntarium, quale eſt Deus reſpectu beatitudinis.

Ad arg. 1.

Ad ſecundum dico, b quòd dubium eſt vtrùm boni fuerunt in primo inſtanti in gratia. Et ad auctoritatem Auguſtini poteſt dici, quòd intelligit de gratia gratis data,

Ad arg. 2.

quæ non facit ad propoſitum. Vel eſto, quòd fuerunt in gratia gratum faciente in primo inſtanti, adhuc non valet conſequentia: quia licèt ſine diſcurſu ſtatim Angeli habeant beatitudinem naturalem: tamen non oportet quòd ſtatim habeant, habita iſta gratia, ſupernaturalem: quia diceretur, quòd eſt quædam diſpoſitio in *fieri* tantum, non in *facto eſſe*, remanens, requiſita ad beatitudinem ſupernaturalem: & huiuſmodi diſpoſitio eſt actus meritorius reſpectu beatitudinis ſimpliciter; ideò non ſimul inſunt Angelo: in naturali autem beatitudine non eſt huiuſmodi diſpoſitio requiſita.

Cur beatitudo ſupernaturalis non obtineatur in primo inſtanti, ſicut naturalis.

Ad 3. Ad aliud de auctoritate Ioan. 8. reſpondet Auguſt. 11. ſuper Gen. cap. 31. & ponitur diſt. 3. cap. illo. Deinde qualiter verba dominica, vbi dicit ſic, *Quod ab initio homicida fuit, & in veritate non ſtetit, quia ex quo homo conditus fuit, ipſum per inuidiam in mortem præcipitauit.* Vnde poſt initium temporis cecidit, vt & ibi dicitur, patet quòd homicida non fuit in primo inſtanti ſuæ creationis reſpectu hominis, quem tentauit. Et quamuis etiam in primo inſtanti ſuæ creationis malus non fuit, ſed ſatis citò pòſt; tamen benè nunc dicitur, quòd in veritate non ſtetit ſimpliciter loquendo.

Angelum diſcurrere vrgens ratio contra D. Thom.

Ad rationem factam c in tertio articulo, poſſet negari, quòd Angelus ſequatur omnem ſuam perfectionem naturalem ſine diſcurſu: Non eſt enim neceſſe quòd ſimul cognoſcat principium, & omnes concluſiones virtualiter contentas in principio: licèt non ponat annum, vel diem; vel non tantùm ſicut intellectus noſter, pro ſtatu iſto. Vel eſto quòd non diſcurrat, ſi vnus actus meritorius ſufficit in vno inſtanti tantùm, ad hoc quòd Angelus ſequatur ſuam beatitudinem ſupernaturalem, quare ergo Angeli mali non habuerunt beatitudinem, ex quo omnes, in illo primo inſtanti eliciebant vnum actum meritorium, ſecundùm illum Doctorem? Non enim videtur congruum, ſecundùm iuſtitiam commutatiuam, quòd viatores eliciant actus æquales pro toto ſtatu viæ, & quòd vnus præmietur in termino, & alius non. 18.

Ideò dico, quòd vnum opus ſupernaturale, & vnus actus meritorius, non eſt ſufficienter inductiuus ex congruo beatitudinis ſupernaturalis: ſi enim diſpoſitio naturalis eſt, quòd operando hoc poſt hoc, acquiratur beatitudo naturalis: multò magis requiritur in gratia, quæ eſt diſpoſitio reſpectu beatitudinis ſupernaturalis, operatio huius poſt hoc, in acquirendo beatitudinem ſupernaturalem.

COMMENTARIVS.

1. a *Ad argumenta principalia*, reſpondet Doctor, quòd quamuis Deus ſit cauſa efficacior, tamen ex quo eſt cauſa voluntaria, non æquè citò producit effectum beatitudinis, ſicut cauſa minùs efficax.

b Ad ſecundum, reſpondet primò ad antecedens, dicens eſſe dubium, an Boni fuerint in primo inſtanti in gratia, & gloſſando auctoritatem Auguſtini dicit, quòd intelligit de gratia gratis data, quæ non facit ad propoſitum. Secundò conceſſo antecedente negat conſequentiam, & dicit, quòd ad ipſam beatitudinem ſupernaturalem, non tantùm requiritur diſpoſitio in *facto eſſe*, & remanens, cuiuſmodi eſt gratia; ſed etiam requiritur diſpoſitio in *fieri*, quæ eſt actus meritorius, hæc ideò beatitudo, & talis diſpoſitio in *fieri* non ſimul inſunt Angelo.

Recte expoſuit Auguſtinum.

2. c *Ad rationem factam in tertio articulo.* Hic Doctor reſpondet ad rationem Thomæ *in prima parte, quæſt. 63.* qui vult, quòd in via fuerit tantum vnica mora, ita quòd omnes Angeli in primo inſtanti temporis diſcreti meruerunt, & in ſecundo inſtanti temporis diſcreti boni præmiati fuerunt, & mali obicem poſuerunt, vt ſuprà expoſui. Et probat iſte Doctor quòd in ſecundo inſtanti temporis diſcreti boni præmiati fuerunt, & ratio ſtat in hoc; quia ex quo Angeli exiſtentes in puris naturalibus ſine diſcurſu potuerunt acquirere totam beatitudinem naturalem: ergo informati gratia multò fortiùs ſine aliquo diſcurſu potuerunt acquirere beatitudinem ſupernaturalem, & ſic in primo inſtanti temporis diſcreti meruerunt totam beatitudinem, quam nunc habent, & in ſecundo inſtanti præmiati fuerunt.

3. Reſpondet Doctor primò negando antecedens, quia fortè Angeli non ſimul cognoſcunt principia, & concluſiones virtualiter contentas in eis, & per conſequens potuerunt diſcurrere à principiis ad concluſiones, & de hoc habitum eſt ſuprà, *diſt. 1. quæſt. vltima huius ſecundi.* Secundò reſpondet conceſſo antecedente, negando conſequentiam, & dicit, quòd reſpectu beatitudinis ſupernaturalis requiruntur plures actus meritorij, qui ſimul elici non poſſunt, ſed ſucceſſiuè, cùm nulla voluntas creata ſimul elicere poſſit duos actus perfectos, quales fuerunt actus meritorij ab Angelis eliciti, & quòd vnus nō ſufficiat, probat arguendo ad hominem, quia ex quo Angeli tam boni, quàm mali habuerunt vnum actum meritorium in primo inſtanti, quare ergo in ſecundo inſtanti non fuerunt omnes præmiati? Nec valet dicere, quòd mali in ſecundo inſtanti poſuerunt obicem, quia hoc ſuprà improbatum eſt.

In Angelis eſt diſcurſus naturæ, ſed nō temporis.

DISTINCTIO VI.

A PRæterea ſciri oportet, quoniam ſicut de maioribus & minoribus quidam perſtiterunt, ita de vtroque gradu quidam corruerunt: inter quos vnus fuit omnibus aliis cadentibus excellentior, nec inter ſtantes aliquis eo fuit dignior, ſicut teſtimoniis auctoritatum monſtratur. Ait enim Iob: Ipſe principium viarum Dei. Et in Ezechiele legitur: Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſcientia & perfectione decorus in deliciis paradiſi Dei fuiſti. Quod Gregorius exponens ait: Quantò in eo ſubtilior eſt natura, eò pleniùs in illo imago Dei inſinuatur impreſſa. Item in Ezechiele legitur; Omnis lapis precioſus operimentum eius, id eſt, omnis Angelus quaſi operimentum eius erat, quia, vt dicit Gregorius, in aliorum comparatione cæteris clarior fuit: vnde vocatus eſt Lucifer, ſicut teſtatur Eſaias, Quomodo, inquit, cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris, &c. qui non vnus ordo, ſed vnus ſpiritus accipiendus eſt, qui, teſte Iſidoro, poſtquam creatus eſt, eminentiam naturæ & profunditatem ſcientiæ ſuæ perpendens, in ſuũ creatorem ſuperbiuit in tantum, quòd etiam Deo ſe æquare voluit, vt in Eſaia dicitur, In cælum aſcendam, ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum, & ero ſimilis altiſſimo. Similis quidem Deo eſſe voluit, non per imitationem, ſed per æqualitatem potentiæ.

De ruina quæ conſecuta eſt malorum Angelorum auerſionẽ.
Iob 40. c.
Ezec. 28. c.
Greg. Moral. lib. 32. c. 24. & 25. hom. 34.
Euang. ſuper 15. ca. Lucæ.
Eze. 14. c.
Iſidor. de ſummo bono lib. 1. cap. 12. vbi etiam prædicta verba habentur.
Eſa. 14. d.
2. Pet. 2. a.
Apoc. 12. a.

Vnde & quò deiectus fuerit merito ſuæ ſuperbiæ?

B ET tantæ ſuperbiæ merito de cælo, id eſt, de empyreo, in quo cum aliis fuerat, deiectus eſt in iſtum caliginoſum aërem cum omnibus ſuæ prauitatis conſortibus. Nam, vt Ioannes ait in Apocal. Draco de cælo cadens ſecum traxit tertiam partem ſtellarum: quia Lucifer ille, aliis maior non ſolus cecidit, ſed cum eo alij multi, qui ei in malitia conſenſerunt, eóſque cadentes huius caliginoſi aëris habitaculum recepit. Et hoc ad noſtram probationem factum eſt, vt ſit nobis exercitationis cauſa. Vnde Apoſtolus; Colluctatio eſt nobis aduerſus principes & poteſtates mundi huius, & aduerſus rectores harum tenebrarum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus: quia dæmones, qui ſunt ſpirituales & nequam, in hoc turbulento aëre nobis propinquo, quod cælum appellatur, habitant. Vnde & diabolus princeps aëris dicitur.

Ephe. 6. b.
Ioan. 14. d.
Alias mũdi.
Ephe. 2. a.

Quare non eſt conceſſum eis habitare in cælo, vel in terra?

C NOn enim eſt eis conceſſum habitare in cælo, quia clarus locus eſt & amœnus: nec in terra nobiſcum, ne homines nimis infeſtarent. Sed iuxta Apoſtoli Petri doctrinam in epiſtola Canonica traditam, in aëre iſto caliginoſo, qui eis quaſi carcer vſque ad tempus iudicij deputatus eſt: tunc autem detrudentur in baratrum inferni, ſecundum illud, Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo, & Angelis eius.

Aug. lib. 11 de Gen. ad literam, cap. 16.
2. Pet. 2. b.
& Iudæ 1. b.
Matth. 25. d.

Quòd dæmones alij aliis præſunt, & habent etiam alias prælationes.

D ET ſicut inter bonos Angelos alij aliis præſunt, ita & inter malos alij aliis prælati ſunt, & alij aliis ſubiecti, quandiu durat mundus, Angeli Angelis, dæmones dæmonibus, homines hominibus præſunt. Sed in futuro omnis euacuabitur prælatio, vt docet Apoſtolus. Habent quoque ſecundùm modum ſcientiæ ſuæ maioris, vel minoris, prælationes alias maiores, vel minores. Quidam enim vni prouinciæ, alij vni homini, aliqui etiam vni vitio præſunt. Vnde dicitur ſpiritus ſuperbiæ, ſpiritus luxuriæ, & huiuſmodi: quia de illo vitio maximè poteſt homines tentare, à quo denominatur. Inde etiam eſt, quod nomine dæmonis diuitiæ vocantur, ſcilicet, Mammona. Eſt enim Mammon nomen dæmonis: quo nomine vocantur diuitiæ ſecundùm Syram linguam. Hoc autem non ideò eſt, quòd diabolus in poteſtate habeat dare, vel auferre diuitias cui velit: ſed quia eis vtitur ad hominum tentationem & deceptionem.

1. Cor. 15. d.

Dan. 10. c.

Matt. 6. c.

An omnes dæmones ſint in hoc aëre caliginoſo, an aliqui ſint in inferno?

E SOlet autem quæri, Vtrùm omnes in iſto aëre caliginoſo ſint, an aliqui iam ſint in inferno? Quòd in inferno quotidie deſcendant aliqui dæmonum, veriſimile eſt, quia animas illuc cruciandas deducunt: & quòd illic aliqui ſemper ſint, alternatis fortè vicibus, non procul eſt à vero, qui illic animas detinent atque cruciant. Quòd autem animæ malorum illuc deſcendant, atque illic puniantur, ex eo conſtat, quòd Chriſtus ad inferos deſcendit, vt iuſtos, qui ibi tenebantur, educeret. Si enim iuſti illuc deſcendebant, multò magis iniuſti: & ſicut tradit auctoritas, cùm iuſtos eduxit, iniquos ibi reliquit. Momordit enim infernum, non abſorbuit.

Zach. 9.

Oſee 13. d.

Quidam putant Luciferum eſſe in inferno religatum, ex quo tentauit Chriſtum, & victus fuit: quem dicunt primum hominem tentaſſe, & viciſſe.

F DE Lucifero autem quidam opinantur, quòd ibi religatus ſit, & ad nos tentandos nunc acceſſum non habeat: quia in Apocalypſi legitur: Cùm conſummati fuerint mille anni, ſoluetur Satanas de carcere ſuo, & exiet, & ſeducet gentes: quod erit nouiſſimo tempore Antichriſti: quando erit tanta tribulatio, vt etiam, ſi fieri poteſt, moueantur electi. Quem ibi religatum dicunt ab eo tempore, quo tentauit Chriſtum in deſerto, vel in paſſione, & victus fuit ab eo. Ipſum putant primum hominem tentaſſe, & viciſſe: & ſecundò Deum, ſed ab eo victum eſſe, & ideò in inferno religatum. Alij autem putant ex quo cecidit, pro peccati ſui magnitudine illuc fuiſſe demerſum.

Apoc. 20. c.

Matth. 24. a.

Mar. 4. a.

Quod Lucifer non habet poteſtatem quam habebit in tempore Antichriſti.

G SEd ſiue in infernum demerſus ſit, ſiue non, credibile eſt eum non habere poteſtatem accedendi ad nos, quam habebit in tempore Antichriſti: & in quo fraudulenter ac violenter operabitur, & ideò fortè dicitur tunc ſoluendus, quia tunc dabitur ei poteſtas à Deo tentandi homines, quam modò non habet. *Apoc. 20. a.*

Quòd dæmones ſemel victi à Sanctis, non accedunt ampliùs ad alios.

H ALiis quoque qui à Sanctis iuſtè & pudicè viuentibus vincuntur, poteſtas, alios tentandi videtur adimi. Vnde Origenes, Puto, inquit, ſanè quia Sancti repugnantes aduerſus iſtos incentores, & vincentes, minuant exercitum dæmonum, & velut quàm plurimos eorum interimant: nec vltrà fas ſit illi ſpiritui, qui ab aliquo Sancto caſtè & pudicè viuendo victus eſt, impugnare iterum alium hominem. Hoc autem putant quidam intelligendum tantùm de illo vitio, in quo ſuperatus eſt, vt ſi de ſuperbia aliquem virum ſanctum tentat, & vincitur, vlteriùs non liceat ei illum, vel alium de ſuperbia tentare. *Orig. Tomo 1. homil. 15. ad librum Ioſue, cap. 10. & 11. eiuſdem.*

QVÆSTIO I.

Vtrùm Angelus malus potuerit appetere æqualitatem Dei?

Alenſis 2. *par. quæſt.* 109. *m.* 3. D. Tho. 1. *par. quæſt.* 63. *art.* 3. D. Bonau. 2. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 2. Dur. *ibi quæſt.* 1. Mayr. *quæſt.* 3. Gabr. *hic quæſt.* 2. Baſſol. *q.* 1. Vaſq. 1. *p. d.* 234.

1. CIrca iſtam diſtinctionem ſextam, in qua Magiſter agit de Angelorum malorum auerſione, quæruntur duo: Primum eſt, Vtrùm Angelus malus potuerit appetere æqualitatem Dei? Quòd non, intellectus intelligendo ſummum verum, non errat: ergo nec voluntas amando ſummum bonum, peccat: ergo appetens æqualitatem Dei non peccaret: ergo Angelus in primo actu peccandi, non potuit appetere ſummum bonum. *Mag. A.*

Contrà, Magiſter in litera.

Dicitur, quòd non potuit æqualitatem iſtam appetere, ad quod videntur eſſe quatuor rationes. Prima, quia non peccauit ex paſſione. Patet: nec ex ignorantia: quia pœna non præceſſit culpam: igitur ex electione, ſed electio non eſt impoſſibilium, *ex tertio, & hic.* Angelum autem eſſe æqualem Deo, eſt impoſſibile: ergo, &c. *Ratio opp. D. Tho. 1. p. q. 63. ar. 3. Vide Var. c. 5.*

Præterea, Angelum eſſe æqualem Deo includit contradictionem: ergo non includit aliquam rationem entis: ergo non continetur aliquo modo ſub primo obiecto voluntatis, vel intellectus: ergo non aliquo modo volibile. *Ratio 2.*

Præterea, nihil poteſt voluntas velle, niſi quod eſt præintellectum: ergo Angelum eſſe æqualem Deo oportuit eſſe præintellectum, vel præoſtenſum ab intellectu: aut igitur ab intellectu errante, & tunc pœna fuiſſet ante culpam: vel ab intellectu non errante: & hoc eſt impoſsibile quia intellectus non errans non poteſt oſtendere illud, quod includit contradictionem. *Ratio 3.*

Præterea quartò, & videtur eſſe ratio Anſelmi *de caſu diaboli, capitulo quarto*; Angelum eſſe æqualem Deo includit Angelum non eſſe; quia Angelus non poteſt eſſe Angelus, niſi ſit inferior Deo: ſed nullus poteſt appetere ſe non eſſe, per Auguſtinum 3. de lib. arb. ergo nul us inferior Deo, poteſt appetere æqualitatem Dei. *Ratio 4.*

ADDITIO. *Anselmus etiam de similitudinibus, capitulo sexto*: Si beato Petro par esse volueris, eris in gloria Dei, quia vt Petrus sis in persona tua, non poteris, nam hoc si velles, teipsum nihil esse velles, quod velle nequibis.

SCHOLIVM.

Sententiam positam D. Thomæ tenentem Angelum non potuisse appetere aqualitatem Dei, probatam quatuor rationibus, refutat aliis quatuor satis claris, resoluendo Angelum potuisse volitione simplici inefficaci, seu conditionata (quæ sufficit ad meritum, & demeritum) appetere æqualitatem Dei, & explicat in quo differunt istæ volitiones.

QVia tamen istæ rationes [a] non cogunt, potest aliter ad quæstionem responderi, scilicet, quòd Angelus potuit appetere æqualitatem Dei, quod persuadetur primò sic: quia voluntas habet duplicem actum amandi, scilicet amorem amicitiæ, & actum concupiscendi aliquid amato: & secundùm vtrunque actum, habet totum ens pro obiecto; ita quòd sicut quodcunque ens potest ipse amare amore amicitiæ, ita quodcunque ens potest concupiscere ipsi amato: igitur cùm Angelus potuerit se amare amore amicitiæ, potuit sibi concupiscere omne bonum concupiscibile, & ita cùm æqualitas Dei sit bonum quoddam concupiscibile secundùm se, sibi potuit illud bonum concupiscere. 2.

Prætereà, si æqualitas [b] Dei esset possibilis Angelo, posset Angelus istam concupiscere sibi, planum est: sed impossibilitas huius non prohibet, quin posset Angelus hoc velle: quia voluntas potest esse impossibiliũ secundùm Philosophum *tertio Ethic.* & Damascenum Hoc etiam probatur, quia damnati odiunt Deum, ex illo Psal. *Superbia eorum, qui te oderunt*, &c. odiens autem vult oditum non esse, secundùm Philosophum 2. Rhetori. ergo volunt Deum non esse, sed hoc est impossibile in se, & incompossibile: ergo impossibilitas istius appetibilis non prohibet quin posset appeti à voluntate peccante. Hoc etiam confirmatur, quia voluntas peccans potuit velle Deum non esse; & potuit etiam cum hoc, velle illum gradum, & illam eminentiam Dei esse in aliquo: ergo potuit velle eam esse in se sicut in alio: & ita potuit velle sibi eminentiam Dei

Voluntas est impossibilium. c. 38. Ps. 73. Odiens Deum quomodo vult eius non esse.

Prætereà secundùm Augustinum 83. quæst. q. 30. *Voluntas potest vti fruendis, & frui vtendis*: ergo potest frui se: cùm ergo non debeat frui nisi summo bono, & potest frui se, potest sibi concupiscere tantum bonum, quantum bonum potest concupiscere summo bono: & hoc est æqualitas diuina.

Respondeo ad quæstionem, [c] & dico, quod actus volendi duplex est: simplex, & sub conditione, vel sub aliis verbis, quod est volitio efficax, & volitio complacentiæ. Exemplum, alio modo infirmus sperans sanitatem vult sanitatem: & alio modo infirmus desperans de sanitate: vult enim sanitatem primus, quia sperat sanitatem sibi possibilem, & habet respectu eius volitionem efficacem, & imperatiuam mediis inducentibus sanitatem Sed desperans vult volitione complacentiæ, sed non volitione efficaci: quia non quærit media inducentia sanitatem pro eo, quod non existimat illam posse sibi acquiri, & ista volitio secunda, quæ est solùm complacentiæ; potest esse impossibilis: & hoc sufficit ad meritum, & demeritum, quia etsi sit impossibile, tamen potest consentire illi pleno consensu: & ista volitione potuit Angelus appetere æqualitatem diuinam. 3.

Volitio efficax & inefficax quomodo differunt.

Volitio inefficax sufficit ad meritum & peccatum.

Sed de prima volitione, quæ efficax est; dico, quod Angelus non potuit appetere: simplici tamen volitione potuit sibi concupiscere tantum bonum, & tanto desiderio, quanto concupisceret, si esset sibi possibile.

Ad argumenta pro opinione. [d] Ad primum dici potest, quod electio æquiuocè accipitur. Vno modo pro actu voluntatis consequente plenam apprehensionem intellectus, quomodo dicitur quis peccare ex electione, quando non est passio perturbans intellectum, nec est ignorantia. Alio modo pro actu voluntatis consequente conclusionem syllogismi practici, quæ electio non est nisi volitio efficax obiecti, quæ est ad inquirendum medium, per quod possit obiectum attingi. Primo modo electio est impossibilium, sicut dicit Philosophus tertio Ethic. quod *voluntas est impossibilium*, non tantum voluntas errans, sed voluntas præsupposita plena apprehensione intellectus Secundo modo electio nõ est impossibiliũ, quia nullus de impossibilibus syllogizat practicè. Syllogismus enim practicus ex fine concludit illud, quod est ad finem, 4.

Ad rationẽ D. Tho. 1.

Quæ electio est impossibilium. Syllogismus pra-

vt

vt per illud quod eſt ad finem, deueniatur ad finem: & talis diſcurſus nunquam habetur de impoſſibili. *Elicus quid? c. 5.*

Vel planiùs dici poteſt, quod electio vno modo præcisè dicit volitionem conſequentem plenam apprehenſionem. Alio modo volitionem efficacem ſequentem ſyllogiſmum practicum. Primo modo poteſt eſſe cuiuſcunque, cui præſupponitur notitia perfecta obiecti. Secundo modo non poteſt eſſe alicuius, niſi ad cuius eſſe operatur voluntas quantùm poteſt: quia nihil vult efficaciter, niſi ad quod diſponit media per quæ poteſt deduci: & talis volitio efficax nunquam eſt alicuius impoſsibilis: nullus enim conſiliatur de impoſsibilibus, nec præcipit intellectui practico ad inquirendum media ad illud: & hoc modo habet intelligi verbum Philoſophi, *Electio non eſt impoſsibilium.* *Electio duplex.* *Quid volitio efficax? eſtne impoſſibilium? 3. & 6. Eth.*

Hoc etiam modo Angeli non peccauerunt ex electione, hoc eſt, ex volitione efficaci, per quam vellent niti ad conſequendum propoſitum in pugnando, & ſurripiendo ſibi eminentiam Dei: potuerunt tamen peccare ex electione, hoc eſt, ex non ſurreptione, ſed ex perfecta volitione illius æqualitatis. *Angeli an peccarunt ex ſurreptione.*

5. Ad ſecundum dico, [e] quòd ſicut eſt duplex intellectio, ſcilicet abſoluta & comparatiua: & abſoluta quidem non eſt niſi alicuius obiecti ſimplicis contenti ſub obiecto intellectus: & comparatiua, ſiue collatiua poteſt eſſe ad quodcunque, & hoc ſiue iſta comparatio ſit poſsibilis, ſiue impoſſibilis: non enim intellectus tantùm componit propoſitiones poſsibiles, ſed impoſsibiles: ita etiam aliqua volitio eſt abſoluta, & illa non eſt niſi alicuius obiecti ſimplicis contenti ſub primo obiecto volibili. Aliqua eſt comparatiua, & ita poteſt comparare quodcunque volibile ſimplex ad quodcunque; licet in illa comparatione includatur contradictio. *Ad 2.*

De prima volitione loquendo, hoc complexum non eſt volibile, quia non eſt aliquid ſimplex includens in ſe rationem primi obiecti: ſed tantùm eſt quædam habitudo obiecti ſimplicis ad aliud obiectum, quorum vtrumque obiectum ſimplex eſt per ſe volibile: nam & illud quod vult, & illud cui vult, eſt per ſe volibile. *Quomodo eſſe æqualem Deo, includit rationem entis aut volibilis.*

6. Quando ergo dicis, quòd hoc totum non includit in ſe rationem primi obiecti ſui; falſum eſt loquendo de partibus totius: vtraque enim pars, ſcilicet *quod*, & *cui*, per ſe includit in ſe obiectum voluntatis: & hoc ſufficit ad hoc quòd voluntas velit vnam partem in ordine ad aliam, ſicut ad hoc quod intellectus componat quodcunque ſimplex cuicunque ſimplici, ſufficit quod vtrunque ſimplex poſsit per ſe apprehendi ab intellectu.

f Ad tertium dico, quòd intellectus ſimplex poteſt apprehendere æqualitatem Dei ſine errore, & ſufficit ſola ſimplex apprehenſio ad hoc quòd appetitus appetat illud apprehenſum alteri: ſicut intellectus apprehendens albedinem, & apprehendens coruum, poteſt velle albedinem coruo: æqualitas autem Dei poteſt apprehendi ſine errore, quia in aliquo eſt ſine errore: nam Filius Dei eſt æqualis Patri, & ille poteſt apprehendi: vel ſi nihil eſſet æquale, adhuc æqualitas poſſet apprehendi abſolutè. Nec in apprehenſione illa ſimplici eſt error, nec aliqua falſitas; & tamen illa apprehenſio ſimplex, ſufficit ad volitionem illius ſimplicis cuicunque intellecto, & amato. *Ad 3. Æqualitas Dei poteſt apprehendi ſine errore. In ſimplici apprehenſione non eſt error, ex Phil. 2. Phyſ. t. c. 18. dicentis quod abſtrahentiũ non eſt mendaciũ.*

Si igitur arguas, à quo intellectu hoc oſtenditur, errante, vel non errante? Dico, quòd à non errante, ſed ſimplici, cuius non eſt errare, nec verum dicere: iſtæ enim ſunt conditiones intellectus componentis, & diuidentis; & non oportet intellectum antè appetere, hoc componere cum hoc, vel diuidere hoc ab illo: ſed ſufficit voluntatem comparare hoc ad illud; quia voluntas eſt vis collatiua ſicut intellectus, & per conſequens potens conferre quæcunque ſimplicia ſibi oſtenſa, ſicut intellectus poteſt.

7. Ad quartum poteſt dici [g] quòd voluntas poſſet velle conſequenter ſe non eſſe, quia quilibet peccans mortaliter, vult aliquid, in quo non vult ſubeſſe Deo, & in hoc ex conſequenti vult ſe non eſſe, quia non poteſt eſſe niſi ſubſit Deo. Tamen ad formam argumenti poteſt dici, quòd non oportet quòd velit conſequens, & ſi vult antecedens, quando conſequens non eſt de per ſe intellectu antecedentis: ſicut ponitur exemplum quòd aliquis poteſt appetere Epiſcopatum non volendo Sacerdotium: cuius ratio eſt iſta, quia ſicut ad ſcire antecedens non ſequitur ſcire conſequens, niſi ſciatur conſequentia huius ex illo: ita ex *velle* antecedentis non ſequitur *velle* conſequentis, niſi ſit *velle* huius conſequentiæ: ſi enim vel neſciatur conſequentia, *Ad 4. An voluntas poſsit velle ſuum non eſſe: vide 4. d. 50. q. 2. Appetens antecedens an vult cõſequens?*

conſequentia, vel non ſit *velle* conſequentiæ, non oportet propter velle antecedens, velle conſequens. Nunc autem in propoſito, conſequens non eſt de intellectu antecedentis: nec ſi eſſet, eſſet per ſe iſta habitudo cognita, vel volita: & ita poteſt non velle conſequens.

De hoc latè 4.d. 50.q.2.

Ad illud Anſelmi [h] & de ſimilitudinibus dicitur, quòd non poteſt quis ordinatè velle ſe non eſſe: quia ordinata voluntas non eſt volendo aliquid, & non volendo illud, quòd neceſſariò ſequitur ad ipſum, ſiue ſit ſibi intrinſecum, ſiue non: ſed de voluntate non ordinata non oportet.

Ad arg. 1. initio q.

Ad primum principale dico, quòd intellectus intelligens ſummum verum, de aliquo non ſummo vero errat, ſicut intelligendo lapidem eſſe ſummum verum: non tamen errat intelligendo lapidem in ſe intellectione ſimplici, vel intellectione collatiua intelligendo illud, cui ipſum conuenit, ita voluntas volendo primum bonum voluntate ſimplici, complacendo, non errat, nec volendo illud alicui, cui illud bonum conuenit: non autem congruit niſi ipſi ſoli, & ideò volendo illud cuicunque alij à ſe, quaſi volitione collatiua, errat.

COMMENTARIVS.

1.

IN iſta quęſtione ſunt duo principaliter vidénda. Primum de intentione Doctoris, qui videtur tenere, quòd Angelus malus poſſit appetere æqualitatem Dei. Secundum eſt de opinione S. Thomæ *in prima parte ſummæ, quæſt. 63. art. 3.* qui expreſsè tenet, quòd non potuit appetere æqualitatem Dei, qui ſic ait: *Angelus abſque omni dubio peccauit, appetendo eſſe vt Deus. Sed hoc poteſt intelligi dupliciter. Vno modo per æquiparantiam. Alio modo per ſimilitudinem. Primo quidem modo non potuit appetere eſſe vt Deus, quia ſciuit hoc eſſe impoſſibile naturali cognitione.* Hæc ille.

a Circa primum Doctor adducit aliquas rationes, quibus probat Angelum malum poſſe appetere æqualitatem Dei: prima ratio ſtat in hoc; quia ſicut voluntas poteſt velle omne ens amore amicitiæ, quia ex libertate ſua poteſt amare quodcunque ens non in ordine ad aliquod propter ſe, ita poteſt velle quodcunque ens amore concupiſcentiæ; quia dato quocunque ente, poteſt illud amare in ordine ad aliud. Sicut ergo Angelus malus inordinatè dilexit ſe amore amicitiæ, vt infrà patebit *quæſt. 2. præſentis diſt.* ita potuit concupiſcere omne concupiſcibile in ordine ad ſeipſum: cùm ergo æqualitas Dei ſit ſummè concupiſcibilis, ideò potuit illam ſic concupiſcere.

2. *Voluntatem habere ens pro obiecto, quomodo intelligatur*

Aduerte tamen quod dicit Doctor hîc, quòd voluntas habet totum ens pro obiecto: nàm *in primo, diſt. 3. q. 3.* expreſsè hoc non aſſerit, hîc tamen, & *in 4. diſt. 49.* expreſsè dicit quòd habet totum ens pro obiecto: ſed quomodo poterit ſaluari quod dicit *in q. 14 quodlibet.* videlicet quòd intellectus creatus habet tantùm ens limitatum pro obiecto adæquato: modò voluntas non poteſt habere aliquid pro obiecto, niſi contineatur ſub adæquato obiecto intellectus. Dico (vt expoſui *in q. 2. prolog.*) quòd aliud eſt loqui de obiecto adæquato in ratione motiui, & aliud in ratione terminatiui.

Primo modo intellectus creatus habet tantùm ens limitatum pro obiecto adæquato.

Secundo modo habet ſimpliciter totum ens. Similiter aliud eſt loqui de obiecto naturali, quod naturaliter poteſt attingi; & aliud eſt loqui de obiecto naturali, ad quod videlicet intellectus habet naturalem inclinationem. Primo modo intellectus non habet totum ens pro obiecto adæquato, ſed benè ſecundo modo; & ſic patet quomodo voluntas poteſt habere totum ens pro obiecto adæquato.

b *Præterea, Si æqualitas Dei.* Secundò probat Doctor eandem concluſionem auctoritate Philoſophi *tertio Ethic.* & Damaſceni, qui volunt, quòd voluntas poſſit eſſe impoſſibilium, & ſic voluntas Angeli mali potuit appetere æqualitatem Dei, quamuis ſit ſimpliciter impoſſibilis.

Hoc etiam probatur, quia damnati odiunt Deum. Tertiò Doctor probat idem, quia ſicut voluntas poteſt nolle aliquod impoſſibile, ita poteſt velle impoſſibile, cùm non ſit maior ratio de vno, quàm de alio; ſed poteſt nolle Deum eſſe; ergo.

Hoc etiam confirmatur, quia voluntas peccans potuit velle Deum non eſſe. Sed quomodo voluntas creata poſſit nolle Deum, & aliquam perfectionem intrinſecam ipſius Dei, diffuſiùs habetur videri *in 4. diſt. 50.* Addit etiam quòd ſicut Angelus malus poteſt velle illam eminentiam eſſe in aliquo, puta in ipſo Deo, ita poteſt velle ipſam eſſe in aliquo Angelo, & per conſequens in ſeipſo.

3. *Notabiles difficultates cum ſuis ſolutionibus.*

Occurrit aliqualis difficultas. Primò circa hoc, quod dicit Doctor, videlicet quòd *æqualitas Dei eſt bonum quoddam concupiſcibile ſecundùm ſe*; nam omne concupiſcibile eſt aliquod ens, ſed æqualitas Dei eſt ſimpliciter nihil; ergo non poteſt concupiſci, nec diligi.

Secundò occurrit difficultas in hoc, quod dicit, quòd *voluntas poteſt diligere quodcunque ens, & amore amicitiæ, & amore concupiſcentiæ*: nam multa ſunt entia, quæ non poſſunt diligi, vt priuationes, negationes, culpæ, & huiuſmodi.

Tertiò occurrit difficultas in hoc, quod dicit, quòd *Angeli mali poſſunt nolle Deum eſſe*, quia Doctor expreſsè *in iſto 2. diſt. 43. quæſt. vnica* vult quòd Deus non poſſit odiri, vnde ſic dicit: *Oportet ad hoc, quòd peccatum in Spiritum ſanctum ſit grauiſſimum, quòd opponatur actui perfectiſſimo conuerſiuo ad Deum, & ſic, quia actus charitatis, vt dilectio Dei, eſt actus perfectiſſimus conuerſiuus ad Deum, ſi haberet oppoſitum, ſcilicet odium Dei, hoc eſſet maximum peccatum, ſed non credo, quòd talis*

talis actus charitatis habeat oppoſitum actum contrarium, quia Deus non poteſt odiri ab aliqua voluntate, ergo peccatum in Spiritum ſanctum non eſt odium Dei, quia formaliter non poteſt odiri, hæc ille. Hoc idem vult in quarto, diſt. 50.

Quartò eſt difficultas in iſta conſequentia, ſi æqualitas Dei eſſet poſſibilis, poſſet appeti; ergo videtur poſſe appeti, quamuis ſit impoſsibilis, quia talis impoſsibilitas non impedit, &c.

4. Reſpondeo ad primam difficultatem, primò recitando opinionem cuiuſdam exponentis Doctorem, qui ſic dicit: Dicit Scotus ponendo caſum impoſſibilem, ſi æqualitas Dei eſſet poſſibilis, illâ Angeli poſſent ſibi appetere, hoc eſt manifeſtum; ſed impoſſibilitas non tollit quin illam poſſint ſibi appetere, &c. ſed ſaluo ſemper meliori iudicio, prima ratio Doctoris videtur diſtincta, & alia ab illa ſecunda ratione, in qua dicit, quòd *ſi æqualitas Dei eſſet poſſibilis*, &c. & per conſequens per illam ſecundam rationem, non videtur poſſe ſolui difficultas tacta in prima ratione. Dicerem ergo, quòd loqui de æqualitate Dei contingit dupliciter. Vno modo æqualitas Dei accipitur pro illa impoſſibilitate, qua dicimus impoſſibile eſt Angelum eſſe Deum. Alio modo pro illa eminentia, quæ Deo conuenit. Primo modo talis impoſſibilitas nec in ſe, nec alteri eſt diligibilis. Secundo modo æqualitas ſumpta pro illa eminẽtia in ſe, & alteri eſt diligibilis, & quamuis ordinatè ſit diligibilis illi, cui conuenit ex natura rei, tamen inordinatè poteſt alteri diligi, cui ſimpliciter eſt incõpoſſibilis; volũtas ergo Angeli mali poſſet habere actum circa talem eminentiam, tanquam circa bonum ſummè appetibile; & quia eſt bonum in ſe ſummè appetibile, ſequitur quòd inordinatè poſſit illud ſibi appetere, & ſic debet intelligi Doctor & ideò dicit in ſecunda ratione, quòd ſi talis æqualitas eſſet poſſibilis, poſſet appeti, id eſt, quòd ſi talis eminentia eſſet poſſibilis Angelo, cùm ſit bonum valde appetibile, poſſet appeti; ſed quòd modò ſit impoſſibilis Angelo, talis impoſſibilitas non tollit quin poſſit appeti: patet, quia quamuis Deus ſit ſimpliciter neceſſe eſſe, & bonum ſimpliciter appetibile, tamen poteſt appeti non eſſe, quamuis hoc ſit ſimpliciter impoſſibile, ſic dico in propoſito.

Loqui de æqualitate Dei contingit dupliciter.

5. Ad ſecundum, quidam expoſitor dicit, quòd Doctor tantùm loquitur de ente poſitiuo, ſcilicet quòd voluntas poteſt amare amore amicitiæ, & concupiſcentiæ quodcunque ens poſitiuum. Sed hoc fortè non videtur ad mentem Doctoris, tum quia ſuſtinendo quòd perſonæ diuinæ conſtituantur per proprietates non poſitiuas, de quibus *in primo, diſt. 23. & 25.* & ſimiliter quòd ingenitum non dicat proprietatem poſitiuam, de qua Doctor *in primo, diſt. 29.* ſequeretur quòd perſonæ illæ non pertinerent ad dignitatem, nec eſſent adorandæ, nec amandæ, cuius oppoſitum Doctor videtur tenere, & quòd dixit expoſitor iſte, quòd malum culpæ non poteſt appeti, Doctor *in iſto 2. diſt. 43. quæſt. 2.* videtur dubitare, an voluntas poſſit velle malitiam abſolutè, ſed de iſta materia alias videbitur.

6. Ad tertium dico primò, quòd licèt voluntas creata non poſſit odire Deum in ſe, poteſt tamen ex conſequenti; ſicut patet de damnatis, qui nolunt effectum iuſtitiæ Dei eſſe, & per conſequen nolunt iuſtitiam Dei eſſe, & vltimatè ſequitus quòd nolunt Deum eſſe in ſe, vt patebit *in quarto, d. 50.* & ſic ex conſequenti nolunt illud, quod eſt ſimpliciter non eſſe. Secundò dico, quod adhuc Doctor non determinauit, an Deus non poſſit in ſe odiri, ſed tantùm adduxit auctoritatem ſcripturæ, ſcilicet *Superbia eorum, qui te oderunt*, quæ fortè multipliciter poteſt exponi. Poſito ergo quòd Deus poſſit odiri, ſtatim ſequitur quòd odiens vult oditum non eſſe ſecundùm Philoſophum ſecundo Rhetor. quod tamen eſt ſimpliciter impoſsibile.

Volũtas creata poteſt odire Deum interpretatiuè, non formaliter.

Ad quartum dubium patet quid ſit dicendum ex his, quæ dixi, ſoluendo primam difficultatem.

Quomodo voluntas poſſit appetere impoſsibile.

c *Reſpondeo ad quæſtionem.* Hîc Doctor declarat quomodo voluntas poſſit appetere impoſſibile; & dicit quòd duplex eſt actus voluntatis, videlicet actus ſimplex volendi, quo ſimpliciter vult aliquid; alius eſt ſub conditione, quo conditionaliter vult aliquid. Primo modo non vult impoſſibile, ſed tantùm ſecundo modo, & ſic Angelus malus vult ſe eſſe Deum, ſi hoc eſſet ſibi poſſibile. Vel diſtinguitur de actu volendi ſub aliis verbis videlicet, actus volendi efficax; & eſt quãdo efficaciter vult media ad finem, quem efficaciter appetit; alius eſt actus volendi complacentiæ, quo voluntas complacet ſibi, etiam de aliquo impoſſibili, id eſt, quòd apprehenſa æqualitate Dei, ſtatim vult illam volitione complacentiæ, non tamen efficaciter. Primo modo non eſt volitio reſpectu impoſſibilis, quia ſic quæreret media efficaciter ad habendum tale impoſſibile, cuius oppoſitum experimur; ſed benè ſecundo modo poteſt eſſe volitio alicuius impoſſibilis, & in tali volitione poteſt eſſe meritum, & demeritum; & ponit exemplum de ægroto deſperante ſanitatem, qui vult tantùm ſanitatem ſub conditione, vel volitione complacentiæ; & de ægroto non deſperante de ſanitate, qui efficaciter vult illam, quia efficaciter eligit media ad illam, & licèt hæc litera communiter ponatur extra textum Doctoris, ponitur tamen in Reportatis ipſius, & ponitur in tex. Doctoris in quarto, diſt. 49. quæſt. 10. vide ibi.

Duplex actus.

d *Ad argumenta pro opinione.* Hîc Doctor ſoluit argumenta Thomæ, vbi ſupra, quibus probat Angelum malum non poſſe appetere æqualitatem Dei.

7. *Argumenta S. Thomæ. n. 1.* Ad primum de electione, Patet litera. Et quod dicit Doctor de iſta electione, vide quæ ſuprà expoſui *in prologo, quæſt. vltima*, & quomodo electio propriè eſt circa media ad finem, & electio impropriè poteſt eſſe ipſius finis. Hîc tamen pono exemplum de electione ſequente apprehenſionem ſimplicem, & de electione ſequente apprehenſionem concluſionis ſyllogiſmi practici. Nam ſi proponatur intellectui ſanitas, cognitio talis ſanitatis poteſt dici apprehenſio ſimplex, quæ cognitio eſt verè directiua electionis, ſiue volitionis reſpectu ſanitatis, tanquam finis; & talis volitio ſequens poteſt dici electio ſequens perfectam cognitionem ſanitatis, vt finis volibilis; ſed ſtãte tali volitione voluntas imperat intellectui, vt diſcurrat per omnia media, quibus ſanitas acquiri poſſit, & tandem concludit intellectus de aliquo medio, quòd ſit efficax ad ſanitatem; & concludit per ſyllogiſmum practicum, qui ſemper ſumitur à fine, & talis volitio ſequens cognitionem medij per ſyllogiſmum practicum concluſi efficaciter ordinati ad talem ſanitatem, dicitur electio propriè, ſiue efficax. Et quomodo ſyllogiſmus practicus, & principia practica, & concluſiones practicæ

practicæ ſumantur à fine non habente rationem cauſæ finalis, ſed habente rationem obiecti, vide quæ Doctor dicit *in quæſt.vlt.prologi*, & quæ ibi diffusè expoſui.

8. *Duplex intellectio.*

e Ad ſecundum reſpondet Doctor, quæ reſponſio eſt valde notabilis, & ſtat in hoc, quòd ſicut intellectio eſt duplex, ſcilicet ſimplex, qua videlicet intelligo terminos ſimplices; & alia eſt comparatiua, qua ſcilicet comparo vnum terminum ad alium, ſiue talis terminus ſit compoſſibilis, vt homo eſt animal; ſiue incompoſſibilis, vt homo eſt aſinus; & licèt talis compoſitio formaliter ſit ſimpliciter impoſſibilis, & non cadat ſub obiecto intellectus, termini tamen componentes continentur ſub obiecto adæquato. Ad hoc ergo quòd intellectus poſſit facere talem compoſitionem impoſſibilem, ſufficit apprehenſio terminorum ſub adæquato obiecto intellectus contentorum. Sic duplex eſt volitio, ſcilicet ſimplex, & comparatiua, ſimplex, qua volo aliquod ens abſolutè, non comparando illud ad illud; comparatiua, qua volo aliquod ens in ordine ad aliud; & licèt illud ens volitum ſit incompoſſile alteri, vt cùm volo æqualitatem Dei, puta lapidi: & illa incompoſſibilitas ex ſe formaliter ſumpta non contineatur ſub obiecto intellectus, & voluntatis; tamen ratione partium continetur, quia & eminentia ipſius Dei, quam volo, & lapis, cui eam volo, ſunt obiecta per ſe intelligibilia, & per ſe volibilia. Et ex hoc apparet, quòd ille expoſitor primæ difficultatis factæ contra primam rationem Doctoris non benè intellexit mentem ipſius, vt ibi expoſui.

Duplex volitio.

9.

f Ad tertiũ reſponſio ſtat in hoc, quòd intellectus Angeli abſque errore poteſt apprehendere æqualitatem Dei; patet, quia poteſt apprehendere Filium Dei eſſe æqualem Patri, vel abſolutè poteſt apprehendere Dei æqualitatem in ſe, non comparando alicui, non enim in cognitione ſimplici alicuius poteſt eſſe veritas, vel falſitas. Stante ergo cognitione æqualitatis Dei, & cognitione ipſius creaturæ, voluntas poteſt illam comparare creaturæ, volendo illam creaturæ. Et quomodo voluntas poſſit dici virtus comparatiua, dictum eſt ſuprà in primo, diſtin. 1. quæſt. 2. diſt. 45.

g Ad quartum dicit quòd *voluntas poſſet velle conſequenter ſe non eſſe*, &c. Reſponſio ad formam argumenti habita eſt ſuprà *in primo*, *diſt.* 1. *quæſt. vlt.* Vult ergo Doctor hîc, quòd ſi conſequens non ſit de eſſentia antecedentis, quòd non ſequetur, ſi voluntas vult antecedens, quòd velit conſequens, & exemplum clarum eſt in litera. Et addit quòd ſi etiam conſequens ſit de eſſentia antecedentis, non ſequitur volitio conſequentis ad volitionem antecedentis, & hoc ſi tale conſequens ignoraretur. Poſito etiam quòd ſciatur, adhuc non ſequitur, quòd ſi eſt volitio antecedentis abſolutè, quòd ſit volitio conſequentis abſolutè, niſi ſit etiam volitio conſequentiæ. Poſſet etiam addi, quòd poſito quòd non ignoraretur conſequens, non ſequitur quòd non poſſit velle antecedens voluntate ſimplici, & conditionata, de qua ſuprà, volendo conſequens.

h Ad auctoritatem Anſelmi dicit quòd non poteſt quis ordinatè velle, ſe non eſſe, &c. De intrinſeco patet, quia ſi ordinatè volo hominem eſſe, conſequens eſt vt velim ipſum eſſe animal. De extrinſeco etiam patet, quia ſi ordinatè volo aliquem finem, & hoc efficaciter, conſequens eſt vt velim ordinata ad finem, & ſimiliter ſi volo Angelum eſſe inferiorem Deo, conſequens eſt vt non velim æqualitatem Dei ipſi. Sed non eſt ſic de voluntate inordinata, quia inordinatè poteſt velle aliquid, non volendo conſequens ad illud, ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum, &c.

10. *Tho. Caietanus defenſor S. Thom.*

Quidam nouus expoſitor primæ partis ſum. S. Thomæ *q.* 63. *art.* 3. nititur ſaluare opinionem eius de appetitu mali Angeli reſpectu æqualitatis Dei, vnde ſic dicit ad literam. Sciendum eſt (inquit) quòd tam impoſſibile, quàm appetibile aliquid dicitur dupliciter, ſcilicet per ſe, & per accidens. Impoſſibile per ſe vocatur, non quòd hîc, aut nunc, aut propter talem hypotheſim eſt impoſſibile, ſed ſimpliciter eſt impoſſibile; per accidens verò, quod redditum eſt impoſſibile ex aliqua ſuppoſitione: appetibile autem per ſe, & per accidens quid dicatur, manifeſtum eſt.

His ſtantibus dico tria. Primò, quòd impoſſibile per ſe non eſt per ſe appetibile. Secundò, quòd impoſſibile per ſe poteſt appeti per accidens. Tertiò, quòd impoſſibile per accidens poteſt appeti per ſe, & ab hoc tertio inchoando, declaratur ex continua in nobis experientia; quilibet enim, ſecluſa fide de omnipotentia Dei, & de reſurrectione mortuorum, & immortalitate animæ, mortuo filio, deſirat eius vitam; & totaliter perdito, ac abſciſſo membro, deſiderat corporis integritatem, & alia huiuſmodi, quæ ſupponuntur impoſſibilia; per accidens tamẽ, quoniam hîc, aut nunc reddita ſunt hæc impoſſibilia, quemadmodum deſiderans aliquod peccatum non fuiſſe: ſecundum verò ex Dei odio manifeſtatur, odientes enim eum non ſolum volunt hoc impoſſibile per accidens, ſcilicet ipſum, vt punitorem non eſſe, ſed volunt hoc impoſsibile per ſe, ſcilicet ipſum, qui punit non eſſe, ſed hoc appetunt per accidens, pro quanto illius non eſſe apprehenditur coniunctum alicui appetibili appetenti, & conuenienti odientibus eum. Primum autem eſt per ſe notum, quoniam impoſſibile per ſe ſecundùm ſeipſum, nec habet rationem entis, nec non entis, quia implicat contradictoria, & conſequẽter nõ poteſt ſub propria ratione appeti, & ſic cùm hoc, quod eſt me eſſe æqualẽ Deo, ſit impoſsibile per ſe, nõ poteſt eſſe per ſe appetibile.

11.

Et ſi his adiicias, quòd hoc eſt naturaliter cognitum, & euidens Angelo, in quo paſsio locum habere non potuit, conſequens eſt, quòd non potuit hoc appetere, & ex dictis patet reſponſio ad obiecta primi dubij. Nam prima obiectio de odio Dei nihil aliud concludit, niſi quòd per accidens appetunt odientes Deum, illum non eſſe, quod non eſt inconueniens. Secunda quoque aut nihil infert, aut idem, ſcilicet quòd per accidens appetitur impoſsibile: nihil quidem, quia ex frui ſe non ſequitur niſi velle ſe eſſe ſummum bonum ſibi, & non ſummum bonum ſimpliciter: idem autem, quoniam ſe eſſe ſibi ſummum bonum, non niſi conſequenter, & per accidens appeteretur. Tertia obiectio etiam aſſumit falſum, quia amicitia non eſt ad inanimata, vt dicitur 8. *Ethic.* & ſupponit falſum, ſcilicet quòd ens incomplexum, vt ſic, ſit concupiſcibile; & ſubſumit falſum, ſcilicet quòd hoc, ſcilicet creaturam eſſe æqualem Deo ſit ens quoddam, cùm implicet contradictoria, & conſequenter nec ens, nec non ens. Solutionem autem Scoti non oportet aliter infringere, quia ex dictis patet, quòd diſtinctio illo locum habet reſpectu impoſsibilium per accidens tantùm, loquendo de appetitu per ſe.

Amicitia non eſt ad inanimata, quia carent voluntate.

Ad

Quando inter antecedens, & conſequẽs cadit aliquod medium, poteſt quis velle antecedens, nolendo conſequens.

Ad obiectiones autem Scoti contra ſecundum dubium breuiter dicitur, quòd nec voluntas ordinata, nec deordinata poteſt velle antecedens & nõ conſequẽs, ſi neceſſaria ſequela eſt cognita; & loquor de *velle*, ſiue ex principaliter, ſiue ex conſequenti per ſe, vel per accidens: alioquin quilibet excuſaretur à peccato, dum vellet antecedens, ſcilicet bonum delectabile, & non conſequens, ſcilicet deformitatem annexam. Vnde implicat quòd aliquis velit Epiſcopatum, & ſciat ipſi neceſſariò annexum ſacerdotium, & ſaltem ex conſequenti non velit illud.

Ad vltimam autem obiectionem dicitur, quòd ratio S. Thomæ non ſupponit illud, ſed ſupponit, quòd ſermo ſit de primo peccato Angeli, quod nec ignorantia, nec paſſione poteſt excuſari, & ad obiectum, ad quod natura appetentis incentiuum præbebat, oportuit terminari: conſtat enim quòd natura, ſecluſis ignorantia, & paſſionibus, non impellit, etiam per accidens, ad eius per ſe primò poſitum, ſcilicet *non eſſe* eius.

12. *Soluuntur rationes, & reſponſiones Thom. Caietani.*

Reſpondeo; & dico primò, quòd iſte nouus expoſitor, nec rationes Doctoris, quibus probat impoſſibile ſimpliciter poſſe appeti, ſoluit, & per conſequens nec poſitionem Thomæ ſaluat, nec reſponſiones Doctoris ad rationes Thomæ euacuat, vt ſatis patet intuenti.

Dico, ſecundò, quòd illa diſtinctio de impoſſibili per ſe, & per accidens non videtur multùm ad propoſitum, quia ſi concedit impoſſibile per accidens, poſſe appeti eo modo, quo ipſe expoſuit, ita facilè concedi videtur de impoſſibili per ſe; patet quia non credens omnipotentiam Dei, nec reſurrectionem, nec animæ immortalitatẽ, ita eſt ei impoſſibile appetere vitam filij iam mortui, ſicut appetere æqualitatem Dei: & licèt vnum ſit magis impoſſibile in ſe, quàm aliud, ex quo tamen reperit vtrumque omninò impoſſibile per quamcunque potentiam, non videtur poſſe euadi, quin ſi concedatur aliquem poſſe apperere aliquid, quod credit ſimpliciter eſſe impoſsibile, quin etiam poſsit appetere illud, quod eſt omnino impoſsibile, licèt in ſe ſit magis impoſsibile: ſicut eſt ſimpliciter magis impoſsibile hominem poſſe eſſe Deum, quàm hominem poſſe eſſe Angelum, tamen ſi quis poteſt appetere eſſe Angelum, ita poteſt appetere eſſe Deum, quia ratio quòd non ſit appetibile eſt impoſsibilitas; quòd modò ſit maior, vel minor non refert, & ſic iſte expoſitor vnde credit ſaluare Thomam, inde eum damnare videtur.

13. Tertiò, quod dicit, quòd impoſſibile per ſe ſecundum ſeipſum, nec habet rationem entis, nec non entis, quia implicat contradictoria, & conſequenter non poteſt ſub propria ratione appeti. Hæc litera redditur contra eum, qui fecit eam: quia ſi illud, quod non habet rationem entis, nullo modo eſſet appetibile, quia repugnat, ſequitur quòd reſurrectio nullo modo ſit appetibilis non credenti, quia ab ipſo reputatur omnino repugnans, & per conſequens non habere rationem entis: videtur etiam contra Thomam vbi ſuprà, qui vult, quòd Angeli mali potuerunt appetere quod eſt proprium ſoli Deo, vt patet in litera. & tamen notum erat ipſis hoc eſſe omnino repugnans, & impoſſibile, & per conſequens nihil eſſe. Patet etiam hoc eſſe contra eum, quia Deum non eſſe eſt ſimpliciter repugnans, & impoſſibile, & tamen ipſum non eſſe poteſt appeti, vt ipſe dicit. Nec refert quod dicit, quòd volunt ipſum non eſſe, pro quanto illius *non eſſe* apprehenditur coniunctum alicui appetibili apparenti, & conuenienti odientibus eum, quia quomodocunque accipiat ipſum Deum non eſſe, reputabitur omnino eſſe impoſſibile. Et quod dicit me eſſe æqualem Deo eſſe impoſſibile per ſe, & per conſequens non eſſe per ſe appetibile, reſponſum eſt ſuprà, quia ſi talis impoſſibilitas ſit non ens, & non cadat ſub obiecto intellectus, & voluntatis, tamen ratione partium conſtituentium illud impoſſibile dicitur ens, & de ſe contineri ſub obiecto intellectus, & voluntatis, & eſſe verè appetibile; aliud eſt enim loqui de ratione formali impoſſibilitatis, ſiue de aliqua impoſſibilitate formaliter, quæ tantùm dicit repugnantiam, & aliud eſt loqui de impoſſibilitate, prout includit entia verè appetibilia. Primo modo non eſt appetibilis, cum ſit ſimpliciter nihil. ſed benè ſecundo modo, quia ſecundo modo appeto aliquid verum ens, quod eſt merè appetibile, licèt non appetam illud; & per conſequens magis appeto illud, cui appeto, & cum dicit, quòd ens incomplexum non ſit concupiſcibile. Dico, quod habet probare, poteſt enim voluntas habere actum circa aliquod incomplexum, puta diligere Deum in ſe, eſt ſub propria ratione Deitatis, non habendo reſpectum ad bonitatem ipſius, ſed de hoc magis patebit *in tertio, diſt.* 27.

Deinde cùm dicit creaturam eſſe æqualem Deo, non eſſe aliquod ens, nec non ens, patet ſolutio ex ſupradictis, quomodo poſſet dici ens, & non ens, vt diſtinguit Doctor reſpondendo ad ſecundam rationem Thomæ, & ſi diſtinctio Doctoris non erat bona, debebat eam infringere, & non negare ſimpliciter propoſitionem habentem duplicem ſenſum, cùm ſecundùm vnum ſenſum poſſit eſſe vera, & ſecundùm alium eſſe falſa, & cùm dicit ſolutionem Scoti non oportet aliter infringere, quia ex dictis patet. &c. Dico, quòd hæc reſponſio, & ſimiles faciliter poſſent euadere omnes difficultates, certum eſt enim, quòd ſolutio Doctoris nec hìc, nec alibi infringitur. 14.

Ad illud, quod dicit quòd voluntas, ſiue ordinata, ſiue deordinata non poteſt velle antecedens, quin velit conſequens, ſi neceſſaria ſequela eſt cognita. Dico (vt ſuprà dixi) reſpondendo ad vltimam rationem Thomæ. Et quod dicit, quòd tunc quilibet excuſaretur à peccato, dum vellet antecedens, ſcilicet bonum delectabile, & non conſequens, ſcilicet deformitatem annexam:

Dico primò, quòd aliud eſt velle delectabile abſolutè, & aliud eſt velle delectabile, puta immoderatè, & ſine debitis circumſtantiis.

Primo modo non eſt peccatum, & ſic ſtat, quòd aliquis velit appetibile, & non deformitatem, & ſic patet quomodo deformitas illa non concomitatur ad appetibile abſolutè.

Secundo modo appetens delectabile immoderatè, & exceſſiuè, nõ eſt ibi diſtinguere antecedẽs, & conſequens, cùm tale appetibile, vt ſic, ſit tãtùm vnum appetibile carens debitis circumſtantiis. Si dicatur, poſſum illud appetere exceſſiuè, & non appetere deformitatem: Dico, quòd idem eſſet, ac ſi appeterem hominem album, & non appeterem albedinem. Dico etiam, quòd poſito quòd quis apperat delectabile exceſſiuè, & non appetat deformitatem conſequentem, non ſequitur quòd ille non peccat, quia dum appetit exceſſiuè, ſtatim peccat, quia tale appetibile concomitatur

deformitas, quæ ſiue ſit volita, ſiue nolita, non minus ſequitur peccatum, vt infrà patebit *in iſto 2.d. 37.* imò communiter omnes vellent appetibilia, & immoderatè, & nollent deformitatem concomitantem, tamen ex hoc non effugiunt peccatum. Multa etiam poſſent dici contra iſtum expoſitorem, ſed breuitatis cauſa iſta ſufficiant.

QVÆSTIO II.

Vtrùm peccatum primum Angeli formaliter fuit ſuperbia?

Alenſis *2.p.q.109.m.2.* D.Tho. *1.p.q.62.a.2.& 2.d.5.q.1.art.3.* D.Bon. *d.5.a.1.q.1.* Ric. *a.1.q.1.3.* Dur. *q.1.* Mayr. *q.4.* Gabr. *hic q.1.* Vaſquez *1.p.d.235. vide* Sco. *de primo princ. c.4.con.10.*

Mag.B. &c.

QVòd ſic. Auguſtinus 14. de Ciuit. Dei cap. 13. *Malæ voluntatis initium, quid potuit eſſe niſi ſuperbia?* & probat per illud ſcripturæ, *Initium omnis peccati ſuperbia*, &c' 1.

Præterea, in eodem capite: *Elationis vitium in Diabolo, maximè damnari, ſacris literis edocetur.*

Arg.1. Eccl.10.

Præterea, in Can. Ioan. *Omne, quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ,* non peccauerunt concupiſcentia oculorum, nec concupiſcentia carnis: ergo, &c.

Arg.2. Arg.3. ſ.2.

Præterea, per viam diuiſiuam, quia non potuit primò peccare per aliquod *nolle*, & per conſequens non primò per iram, nec per auaritiam, & probatur antecedens, quia omne *nolle* præſupponit aliquod *velle*, nec peccauerunt aliquo *velle* inordinato circa temporalia. Nec peccato carnis, quia talia non ſunt eis appetibilia; ergo per diuiſionem excluſis aliis, ſequitur quòd peccauerunt per ſuperbiam.

Arg.4. Pſal.73.

Præterea, Pſalm. *ſuperbia eorum, qui te oderunt*, &c. ſed non peccauerunt niſi vnico peccato, quia aliàs, peccatum eorum fuiſſet remediabile, quia nec peccauerunt ſimul pluribus peccatis, quia voluntas non poteſt habere ſimul duos actus perfectos, ſicut nec intellectus: igitur ſi peccauerunt pluribus peccatis, peccauerunt vno poſt alterum, & ita in illo inſtanti ſecundo, potuerunt pœnitere, & ita peccauerunt poſt primum inſtans, quod tenetur communiter pro inconuenienti, quia tenetur communiter quòd peccatum eorum fuerit irremediabile.

Arg. ad opp.

Oppoſitum. Peccatum eorum fuit maximum, quia irremediabile: ſuperbia non eſt maximum peccatum: quod patet per eius oppoſitum, quod non eſt maximum bonum, tum, quia humilitas poteſt eſſe informis, charitas autem non; ergo eſt humilitas minùs bona. Tum, quia loquendo de virtutibus moralibus, humilitas eſt quædam temperantia: omnis autem temperantia eſt minùs perfecta virtus, quàm amicitia, quæ eſt perfectiſſima virtus ſub iuſtitia 8. *Ethi.* 2.

Temperantia imperfectior iuſtitia c.1.

Præterea, ſuperbia conſiſtit in iraſcibili: nullus autem actus iraſcibilis, poteſt eſſe primus ſimpliciter, quia iraſcibilis eſt propugnatrix concupiſcibilis, ideò paſſiones iraſcibilis oriuntur ex paſſionibus concupiſcibilis.

Arg.2. Paſſiones iraſcibilis oriuntur ex concupiſcibili.

Præterea, ſuperbia videtur eſſe appetitus excellentiæ, quia ſecundùm Auguſtinum decimo quarto Ciui. Dei, *Quid eſt ſuperbia, niſi peruerſæ celſitudinis appetitus?* & per conſequens, excellentia reſpectu aliquorum, quibus aliis excellat, ſed non primò appetebat aliquid in ordine ad alios, ſed primò appetebat aliquid in ſe, quàm in cõparatione appeteret ad alios: ſicut nihil eſt ad alterum, niſi quod priùs eſt ad ſe: ita nullus appeteret aliquid in ordine ad aliud, niſi quia primò appetit ſibi; & per conſequens primò appetebat ſibi illam.

Arg.3. Superbia quid eſt? Arg.4.

Præterea, inferiores dæmones non videntur appetiuiſſe dominium diſconueniens: nec etiam conſenſiſſe dominio Luciferi, quia magis videtur probabile quòd magis appetierunt ſubeſſe Deo quàm Lucifero; igitur primum peccatum eorum, non fuit ſuperbia.

SCHO

SCHOLIVM.

Poſitis quatuor argumentis pro vtraque parte quæſt. explicat pulcherrimè ordinem actuum voluntatis, quomodo omne eius nolle *ſupponat* velle, *& quomodo* nolle *ordinatum, vel inordinatum ſupponat tale* velle. *Item, quomodo* velle *concupiſcentiæ, ſupponat* velle *amicitiæ, hinc deducit primam inordinationem voluntatis Angeli fuiſſe in* velle *amicitiæ reſpectu ſui, quod fundat ciuitatem diaboli, ex Auguſtino.*

3. IN iſta [a] quæſtione tenetur communiter pars affirmatiua, propter argumentum diuiſiuum ad primam partem. Sed ad videndum veritatem quæſtionis, primò eſt oſtendendum, quæ fuit malitia in primo Angelo peccante: & ſecundò ad quod genus peccati pertinebat iſta malitia.

Circa primum videndum eſt de ordine actuum voluntatis. Et circa hoc dico, quòd eſt in communi duplex actus voluntatis, ſcilicet velle & nolle: *nolle* enim eſt actus poſitiuus voluntatis, quo fugit diſconueniens, ſeu reſilit ab obiecto diſconuenien-te: *velle* eſt actus, quo acceptat obiectum aliquod conueniens. Et eſt vlteriùs duplex *velle*, quod poteſt nominari amicitiæ, & concupiſcentiæ, & dicatur *velle amicitiæ* eſſe iſtius obiecti, cui volo alicui alij amato.

Velle *amicitiæ & concupiſcentiæ quomodo differant.*

Iſtorum autem actuum patet ordo, quia omne *nolle* præſupponit aliquod *velle*: à nullo enim refugio, niſi quia non poteſt ſtare cum aliquo, quod accepto, tanquam conueniens, & hoc dicit Anſelmus, *de caſu diaboli, capitulo tertio*, ponens exemplum de auaro, nummo, & pane, & iſtorum duorum *velle*, patet ordo, quia concupiſcentia præſupponit illud *velle* amicitiæ. Cùm enim amatum ſit reſpectu concupiti, quaſi finis, cui volo bonum; nam propter amatum, concupiſco ſibi bonum quod ſibi volo, & cùm finis voluntatis habeat primam rationem obiecti voliti, patet quòd *velle* amicitiæ, præcedit *velle* concupiſcentiæ.

Omne nolle *ſupponit* velle.

4. Ex iſto probato ſequitur vlteriùs, quòd ſimilis eſt proceſſus in *velle*, & *nolle* deordinatis, nullum enim *nolle* eſt primus actus deordinatus voluntatis, quia non poſſet habere *nolle* niſi reſpectu, vel in virtute alicuius *velle*, & ſi *velle* eſſet ordinatum acceptando obiectum cum circumſtantiis debitis, *nolle* quod habetur conſequenter, ſimiliter eſſet ſibi ordinatum. Nam ſi ordinatè amo, ordinatè odio nociua amati: eodem modo ſi *velle* amicitiæ eſſet ordinatum, *velle* concupiſcentiæ conſequens ad illud, eſſet ordinatum: nam ſi ordinatè amo illud, cui volo bonum; ordinatè concupiſco ſibi bonum. Sequitur igitur [b] quòd ſimpliciter actus primus inordinatus voluntatis, fuit primum *velle* amicitiæ reſpectu eius, cui voluit bonum: hoc autem obiectum non fuit Deus: quia non potuit Deum inordinatè ex intenſione amare amore amicitiæ: nam Deus eſt tale amabile, quòd ex ſola ratione ſui, vt obiectum eſt, dat completam rationem bonitatis actui perfectè intenſo. Nec eſt veriſimile, quòd aliquid aliud à ſe, nimis intense dilexerit, actu amicitiæ: tum quia inclinatio naturalis magis inclinauit ad ſe, quàm ad aliquid aliud creatum ſic amandum: tum, quia non videtur quòd aliquid aliud creatum à ſe, ſic intellexerit ſicut ſe: ergo primus actus inordinatus fuit actus amicitiæ reſpectu ſuipſius, & hoc eſt quod dicit Auguſtinus decimo quarto de Ciuit. Dei, quòd *Duo amores fecerunt duas ciuitates: ciuitatem Dei, amor Dei vſque ad contemptum ſui; ciuitatem diaboli, amor ſui vſque ad contemptum Dei.* Prima igitur radix ciuitatis diaboli fuit inordinatus amor amicitiæ ſui, quæ radix germinauit vſque ad contemptum Dei, in quo eſt conſummata iſta malitia, ſic patet de inordinatione ſimpliciter prima, quæ fuit ſimpliciter in primo *velle* inordinato.

Nolle *deordinatum ſupponit* velle *deordinatum.*

Actus primus inordinatus angeli, inordinatum velle ſui.

c. vlt.

Duo amores fecerunt duas ciuitates, vnam Dei, alteram diaboli.

COMMENTARIVS.

1. a IN iſta quæſtione ſunt duo principaliter videnda.

Primò eſt oſtendendum, quæ fuit malitia in Angelo peccante.

Secundò, ad quod genus peccati pertinebat iſta malitia.

Circa primum, licèt litera ſit ſatis clara, ſuccinctè tamen aliqua dicam.

Primo dicit, quòd duplex eſt actus voluntatis, ſcilicet velle, & nolle, qui ſunt actus poſitiui, & entitates abſolutæ, vt patet ab ipſo Doctore *in quodlib. quæſt. 23.*

Secundò, declarat quid ſit velle, & nolle, quia *nolle* eſt actus, quo voluntas fugit diſconueniẽs & *velle* eſt actus quo voluntas acceptat conueniens.

Difficultas. Sed hîc occurrit difficultas, quia non videtur aliquod obiectum voluntatis eſſe diſconueniens ipſi voluntati; patet, quia ſicut obiectum intellectus, & omne contentum ſub tali obiectò eſt conueniens ipſi intellectui, ita videtur, quòd omne obiectum voluntatis ſit conueniens ipſi voluntati, & hoc patet expreſsè à Doctore *in quarto, diſt. 44. quæſt.*

Reſpondeo, quòd hæc difficultas requirit prolixiorem tractatum, vnde ſit diſconuenientia obiecti ex parte voluntatis, quæ difficultas pro nunc differatur vſque ad decimam quintam diſtinctionem tertij, & aliqualiter vſque ad 44. diſtinct. quarti. Aliqui tamen Scotiſtæ dicunt, quòd nullum obiectum voluntatis abſolutè ſumptum eſt diſconueniens, ſed ſit diſconueniens, pro quanto repugnat obiecto conuenienti ipſi voluntati, ſicut exponunt de auaro, nummo, & pane; quòd panis ſit diſconueniens auaro, quia non repugnat nummo, qui eſt valde conueniens ſibi, quia ſi vult panem, oportet amittere nummum. Et licèt iſta expoſitio ſit ſatis conueniens, quia tamen non tangit rationem formalem obiecti conuenientis, & diſconuenientis, ideò pro nunc differatur ad loca ſupradicta.

Opinio aliquorum Scotiſtarum.

2. Tertiò dicit, quòd *velle* eſt duplex, ſcilicet *velle amicitiæ*, & *velle concupiſcentiæ*, & *velle amicitiæ* eſt obiecti, cui volo bonum; & *velle concupiſcentiæ* eſt obiecti, quod volo alicui alij amato. Exemplum primi. Diligo Franciſcum in ſe. Exemplum ſecundi. Diligo pecunias Franciſco. Et communiter amatum amore amicitiæ eſt finis reſpectu amati amore concupiſcentiæ.

Velle eſt duplex.

Exemplum de Auaro. Quartò dicit, quòd omne *nolle* ſemper præſupponit aliquod *velle*, & patet exemplum de auaro, nummo, & pane, vt ſupra dixi.

Quintò dicit, quòd *velle* concupiſcentiæ ſemper præſupponit *velle* amicitiæ, quia propter amatum amore amicitiæ concupiſco ſibi bonum, quod ſibi volo.

Sextò dicit, quòd nullum *nolle* poteſt eſſe deordinatum, niſi præſupponat aliquod *velle* deordinatum. Exemplum, quia ſi inordinatè amo, inordinatè odio nociua, qui enim inordinatè diligit ſibi vitam, inordinatè refugit nociua vitæ inordinatè amatæ. Sequitur etiam, quòd non poteſt eſſe inordinatum *nolle*, niſi in virtute alicuius inordinati *velle*, ſi enim ordinatè diligo mihi vitam, ordinatè declino omnia nociua.

Septimò dicit Doctor, ſi *velle* amicitiæ eſt ordinatum, *velle* concupiſcentiæ erit ſimiliter ordinatum, ſi enim ordinatè amo Ludouicum amore amicitiæ ordinatæ, concupiſco ſibi bonum, & ſi inordinatè amo illum, inordinatè concupiſco ſibi bonum. Ex his patet quomodo *velle* amicitiæ eſt prima radix actus boni, vel mali.

b Sequitur igitur, quòd ſimpliciter actus, &c. 3. *Qualis fuerit primus actus inordinatus angeli.*

Hîc Doctor declarat qualis fuerit primus actus inordinatus Angeli, & circa quod obiectum. De primo patet ex ſuprà dictis, quòd fuit primum *velle* amicitiæ, quo Angelus aliquid inordinatè diligit in ſe. De ſecundo dicit Doctor duas concluſiones.

Prima, quòd talis amor amicitiæ inordinatus non fuit circa Deum, quia à nulla creatura quantumcunque perfecta poteſt inordinatè amari Deus amore amicitiæ, etiamſi infinito amore amaretur, cùm ſit ſimpliciter diligibilis amore infinito: imò perfectiſſima ratio obiecti diligibilis amore amicitiæ eſt ipſe Deus ſub ratione Deitatis, vt patebit *in tertio, diſt. 27.*

Secunda concluſio eſt affirmatiua, & eſt talis, quòd amor amicitiæ inordinatus fuit circa ſeipſum. Nam Angelus nimis intensè, & immoderatè ſe dilexit, & quòd talis amor primò fuerit circa ſeipſum, probat Doctor duabus rationibus.

Prima, quia inclinatio naturalis magis inclinauit ad ſe, quàm ad aliquid aliud creatum ſic amandum: hoc enim eſt veriſimile, quia ex quo inordinatè dilexit creaturam, magis videtur diligere primò illud, ad quod inclinatio naturalis impellit.

Secunda ratio eſt, quia Angelus magis ſe intellexit, quàm alias creaturas: tum, quia perfectè cognouit ſe per eſſentiam ſuam, vt ſuprà patuit diſt. 3. Tum, quia eſſentia Angeli fuit intellectui ſuo magis præſens, & magis proportionata in ratione obiecti perfecti intelligibilis intuitiuè, quàm aliqua alia creatura: videtur ergo veriſimile, quòd pro illo tunc magis ſe dilexerit, quàm aliam creaturam.

SCHOLIVM.

Quoad primam inordinationem velle *concupiſcentiæ Angeli, probat Doctor quatuor rationibus eam fuiſſe in indebito appetitu beatitudinis. Primò, quia voluntas non ſequens rationem rectam, appetit primò maximum ſuum commodum. Secundò, primò concupiuit delectabile, non vtile. Tertiò, appetitus primò petit conuenientiſſimum ſuæ cognitiuæ. Quartò, id primum appetitur ab appetitu irregulato, quod eſt ratio appetendi cætera, & hoc eſt ſummum delectabile, vel delectatio in eo. Obiicit tripliciter contra doctrinam datam.*

Affectio iuſtitiæ eſt ſequi

REſtat nunc videre c de inordinatione ipſius *velle* concupiſcentiæ. Et videtur ibi dicendum, quòd primò cõcupierunt ſibi immoderatè beatitudinẽ: quod probat 5.

primo

primò ſic: nam primum *concupiſcere* inordinatum, non proceſſit ex affectione iuſtitiæ, ſicut nec aliquod peccatum proceſſit ex illa affectione: ergo proceſſit ex affectione commodi; quia omnis actus voluntatis elicitus, aut elicitur ſecundum affectionem iuſtitiæ, aut commodi, ſecundùm Anſelmum: maximum igitur commodum maximè appetitur à voluntate non ſequente regulam iuſtitiæ: & ita primò, quia nihil aliud regulat illam voluntatem non rectam, niſi inordinatus appetitus, & immoderatus illius maximi commodi: maximum autem commodum eſt beatitudo perfecta. Et hæc ratio habetur ab Anſelmo *de caſu diaboli, cap 4. quære in textu.*

rectam rationem: cõmodi verò delectabile. De caſu diaboli c. 4.

Secundò probatur hoc, [d] quia primum peccatum in concupiſcendo, fuit aliquod *velle*; nihil enim refugit à ſe, hoc eſt, ne aliquid ſibi contingat, niſi quia concupiſcit oppoſitum ſibi: aut igitur illud concupiuit amore honeſti, vel vtilis, aut delectabilis: quia non eſt niſi iſte triplex amor, quo aliquid amatur: non amore honeſti, quia tunc non peccaſſet; nec amore vtilis, quia ille non eſt primus amor. Ex quo enim vtile eſt ad aliquid vtile, nullus priùs concupiſcit vtile, quàm illud, ad quod eſt vtile: ergo primò peccauit amando aliquid exceſſiuè, tanquam delectabile ſummum: delectabile autem ſummum eſt bonum honeſtum inquantùm honeſtum, vt ipſa beatitudo vnde talis: igitur, &c. Iſta ratio poteſt accipi à Philoſopho, 8. *Ethic.* & ex illa diſtinctione communi boni vtilis, honeſti, & delectabilis.

Primo concupiuit Angelus delectabile non vtile. 4. d. 46. q. 4. diuidit in honeſtũ & commodũ ſed vtile ad hæc reducitur.

Tertiò hoc perſuadetur [e] ſic: quia omnis potentia appetitiua conſequens in actu ſuo actum apprehenſiuæ, primò appetit delectabile conuenientiſſimum ſuæ cognitiuæ, vel delectationem in tali delectabili: quia in tali appetibili maximè quietatur: quod patet de appetitu conſequente apprehenſionem guſtus, vel auditus, vel tactus; quia quilibet talis maximè appetit obiectum conuenientiſſimum potentiæ cognitiuæ, cuius actum ſequitur in appetendo: igitur voluntas ſeparata ab omni appetitu ſenſitiuo, primò omnium appetit illud, quod eſt conuenientiſſimum intellectui, cuius conuenientiam ſequitur illud appetere: vel primò appetit delectationem in tali obiecto, & per conſequens beatitudinem includentem tale obiectum, & actum, & delectationem conſequentem.

Appetitus primo appetit conuenientiſſimum ſuæ cognitiuæ & ſummũ. huiuſmodi eſt beatitudo de quo Sco. 4. d. 46. q. 4.

Quartò hoc [f] perſuadetur ſic: illud enim primò appetitur à voluntate non regulata per iuſtitiam: quod ſi eſſet ſolum, appeteretur, & nihil aliud ſine eo: talis eſt delectatio: non enim excellentia, vel quodcunque aliud, ſi eſſet triſte, appeteretur, ſed delectatio, vel aliquid tale appeteretur.

6. Quantùm igitur ad iſtum ſecundum gradum, ſcilicet quantùm ad peccatum Angeli, videtur quòd primò concupiuit beatitudinem: quia ſicut peccatum primum appetitus viſiui, eſſet in appetendo pulcherrimum viſibile conuenientiſſimum ſuæ cognitiuæ, & ſibi, in quo perfectiſſimè delectaretur; ita voluntatis coniunctæ appetitui ſenſitiuo, quando ipſa non ſequitur iuſtitiam, nec regulam rationis, videtur primum appetibile, eſſe aliquid ſummè delectabile illi appetitui, cui voluntas maximè conformatur in agendo: & ideò in hominibus ſecundùm diuerſitatem complexionum eſt dominium appetituum ſenſitiuorum: & ſiquidem quælibet cognitiua habet proprium appetitum, tunc ſecundùm diuerſitatem complexionum eſt diuerſitas dominij in cognitiuis diuerſis, & in eorum appetitiuis: in quolibet, inquam, voluntas ſecundùm prædominium appetitus ſenſitiui maximè inclinatur ad actum eius: & ideò quidam ſequentes inclinationem primam ſine regula iuſtitiæ primò inclinantur ad luxuriam, quidam primò ad ſuperbiam. Voluntas ergo ſeparata ab omni appetitu ſenſitiuo, & per conſequens ad nihil inclinata propter inclinationem appetitus ſenſitiui, ipſa deſerta à iuſtitia, ſequetur abſolutam inclinationem voluntatis vnde voluntas eſt: & iſta videtur ad maximum conueniens voluntati ſiue potentiæ cognitiuæ

Appetitus viſiui eſt circa pulcherrimũ viſu. Secundum diuerſas cõplexiones eſt dominũ in appetitu cognitiuorũ ad diuerſa, ideo alij magis luxurioſi, &c.

Nam in quo perficitur maximè cognitiua, in illo perficitur maximè appetitiua correſpondens illi cognitiuæ: fuit igitur immoderata concupiſcentia beatitudinis: quia beatitudo eſt obiectum voluntatis.

ADDITIO. *Non habetur in antiquioribus.*

7. Et ſi arguas contra iſtud [g] primò, quia ſecundùm Auguſtinum 13. Trin. c. 5. *Beatitudo ab omnibus appetitur*: quod autem in omnibus eſt vniformiter videtur eſſe naturale: igitur beatitudo naturaliter appetitur, appetitus autem naturalis ſemper eſt rectus, quia à Deo: igitur & voluntas ſibi conſona ſemper eſt recta: quia quod conſonum eſt recto, eſt rectum: ergo in appetendo beatitudinem nullus peccat.

Arg. 1. contra iam determinata.

Præterea, nullus intellectus errat circa prima principia, 2. Metaphyſicæ: ergo nec

Arg. 2. Tex. 1.

voluntas circa vltimum finem. Conſequentia probatur per illam ſimilitudinem Phi-
Text.8.9. c.12. loſophi ex ſeptimo Ethicor.& 2. Phyſic.*ſicut principium in ſpeculabilibus,ita finis in agibilibus, vel operabilibus.*

Arg.3. c. 26. & 44. Prætereà, boni habuerunt affectionem commodi ſicut mali, ſecundùm Anſel. de Concor. voluntas commodum non velle nequit: igitur ita volunt commodum boni, ſicut mali: igitur omnes æqualiter peccauerunt,ſi ex affectione commodi peccauerunt, ergo.

COMMENTARIVS.

1. c *Reſtat nunc videre de inordinatione ipſius velle concupiſcentiæ.* Nam ex quo Doctor ſuprà probauit quòd inordinatum *velle* concupiſcentiæ præſupponit inordinatum *velle* amicitiæ, & quia primus actus inordinatus in Angelo fuit amor amicitiæ ſui, cùm ſibi amato multa inordinatè concupiuit, & dicit Doctor quòd primò concupiuit ſibi inordinatè beatitudinem, & hoc probat quatuor rationibus.

Quomodo concupierit inordinatè beatitudinem?

Prima eſt ibi: *Nam primum concupiſcere inordinatum*, &c. vt clariùs intelligatur iſta ratio, Declaro aliqua. Primò, quòd voluntas poteſt dupliciter conſiderari: videlicet ſecundùm affectionem iuſtitiæ, vel ſecundùm affectionem commodi. Primo modo tantùm ſequitur rationem rectam intellectus, quia electio recta conformiter ſe habet rationi rectæ, vt patet *6.Ethic.* & diffusè expoſitum eſt *in quæſt. vlt. prolog.* Secundo modo tantùm ſequitur naturalem inclinationem,quæ ſemper eſt ad proprium commodum,& valde delectabile, & vt ſequitur affectionem commodi declinat à regula recta, & à ratione recta, vt infrà patebit. Primo etiam modo nunquam contingit voluntatem peccare, & ſecundo modo contingit ſemper voluntatem inordinatè agere.

2. Secundò præmittendum eſt, quòd appetitus naturalis, ſiue inclinatio naturalis voluntatis eſt ſimpliciter ad ſummam perfectionem neceſſariò, ſemper, & ſummè, vt declarat Doctor *in 4. diſtinct. 49.* & talis appetitus eſt ad ſummum commodum ſibi, vt oſtendit infrà *in iſto 2. diſtinct. 23.*

Tertiò præmitto, quòd Deus ordinauit voluntatem debere eſſe moderatricem talis appetitus, id eſt, quòd non velit, ſicut appetitus inclinat, exempli gratia: Deus vult dare beatitudinem tantùm pro meritis, & tantam beatitudinem: quamuis appetitus naturalis ſit ad ſummam beatitudinem, etiam nullis meritis exiſtentibus, ſi voluntas in appetendo beatitudinem ſequitur naturalem appetitum ſui, ſtatim peccat.

Quartò præmitto, quòd voluntas creata, quæ non eſt regula ſui actus, vt infrà patebit *diſt. 23.* relicta regula iuſtitiæ, communiter ſequitur appetitum naturalem ſui. Ex his formo rationem: appetitus naturalis Angeli fuit ad ſummam beatitudinem, tanquam ad ſummum commodum ſibi,& ſummum delectabile:ſed voluntas Angeli relicta regula iuſtitiæ, primò ſequitur talem appetitum;ergo peccatum ipſius fuit inordinatum *concupiſcere* reſpectu beatitudinis,quam inordinatè ſibi concupiuit,vt ſummum commodum,& ſummum delectabile.

Confirmatur iſta ratio, quia ſicut primum *velle* amicitiæ inordinatum fuit circa ſe,ad quod primò erat inclinatio naturalis,vt ſuprà expoſui, ita primum *velle* concupiſcentiæ inordinatum fuit circa ſummum delectabile, ad quod primò erat inclinatio naturalis.

d *Secundò probatur.* Hæc eſt ſecunda ratio principalis,ad quam intelligendam præmitto aliqua. Primò, quòd triplex eſt bonum;honeſtum, vtile, & delectabile. Honeſtum eſt duplex. Primum, quod eſt primò, & per ſe honeſtum, concomitanter tamen eſt bonum commodi, & delectabile,vt ſunt virtutes & actus morales. Secundum eſt bonum honeſti concomitanter, principaliter tamen eſt bonum delectabile. Vnde Doctor *in 4.diſt.46.q.4.* ſic dicit: *Bonum*(inquit)*intellectuale in genere duplex eſt, bonum ſcilicet commodi,& bonum honeſti. Bonum quidem vtile, quod ponitur tertium ad alterum illorum reducitur, ſecundùm quod ad ipſum ordinatur. Et licèt quandoque in eodem concurrant rationes commodi, & honeſti,vt in fruitione Dei in patria, imò generaliter omne honeſtum ſit commodum, licet non è contra, tamen ſummum commodum eſt beatitudo,& eſſet commodum, licèt per impoſſibile non eſſet honeſtum, ſummum etiam honeſtum eſt charitas, & eſſe honeſtum, licèt per impoſſibile non eſſet commodum.* Hæc ille. Accipio ergo bonum honeſtum primò,& per ſe, quòd ſi adhuc non eſſet bonum commodum, & delectabile, adhuc eſſet bonum honeſtum,& bonum honeſtum non primò, & per ſe, quod quamuis ſit bonum honeſtum,ſi tamen per impoſſibile eſſet ſeparata ratio boni honeſti,adhuc eſſet bonum commodum,ſiue delectabile. Secundum bonum eſt bonum commodi,ſiue delectabilis,& tale bonum in plus ſe habet, quàm bonum honeſtum; patet, quia omne bonum honeſtum eſt etiam commodum, & delectabile, non tamen omne bonum delectabile eſt bonum honeſtum, vt patet à Doctore vbi ſuprà. Tertium bonum eſt bonum vtile, & dicitur bonum vtile in relatione ad aliud, cui eſt vtile, & omne bonum honeſtum, & tam vtile, quàm delectabile poteſt dici vtile,vt patet à Doctore *vbi ſuprà*, prout tamen dicitur vtile, propriè dicitur ad aliquid vtile.

3. *Triplex eſt bonum.*

Secundò præmitto, quòd triplex eſt amor, ſcilicet amor honeſti, vtilis, & delectabilis. Amor honeſti poteſt accipi dupliciter: Primò, quòd ex hoc dicatur amor honeſti,quia terminatur ad bonum honeſtum. Secundò, quòd dicatur amor honeſti ex hoc, quòd conformiter elicitur rationi rectæ. Primo modo amor honeſti non eſt ſemper ordinatus; patet, quia beatitudo eſt bonum honeſtum, quam tamen Angeli inordinatè dilexerunt. Secundus amor eſt ſemper ordinatus. Et de tali hîc loquitur Doctor. Amor verò vtilis, qui eſt reſpectu alicuius rei vtilis,talis amor propriè non eſt primus actus concupiſcendi,cùm communiter præſupponat alium, ſicut amo panem, quia vtilis eſt ſuſtentationi naturæ, ideò priùs concupiſco nutritionem ipſi naturæ,

4. *Quid ſit amor vtilis.*

turæ, quàm panem. Sed amor delectabilis eſt ille, quo amo, & concupiſco delectabile. Tertiò præmitto,quòd primum *concupiſcere* ſimpliciter eſt reſpectu ſummè delectabilis; patet per primam rationem ſuprà factam, quia voluntas relicta regula iuſtitiæ,primò ſequitur, quantum poteſt,naturalem inclinationem ſui, quæ naturalis inclinatio primò eſt ad ſummum delectabile, & per conſequens primum concupiſcere inordinatum erit circa ſummum delectabile, quod eſt beatitudo.

5. Ex his ergo patet ratio Doctoris, quia ex quo primum peccatum in concupiſcendo fuit aliquod *velle*, ſed tale *velle* concupiſcentiæ inordinatæ,primò fuit circa ſummum delectabile, & tale eſt beatitudo, ergo & quod dicit Doctor,videlicet delectabile ſummum eſt bonum honeſtum, inquantum honeſtum, vt ipſa beatitudo: hoc dictum debet ſanè intelligi: quia ipſa beatitudo,inquantum beatitudo, formaliter loquendo de beatitudine, quæ conſiſtit in fruitione Dei clarè viſi, ſi per impoſſibile ſeparetur à ratione boni honeſti,adhuc eſſet ſummum delectabile,vt dicit Doctor *diſt.46. q.4.* Debet ergo ſic intelligi, quòd ipſa beatitudo, etiam inquantùm eſt ſummum bonum honeſtum, eſt ſummum bonum delectabile. Vel poteſt exponi de obiecto beatifico, quod inquantùm eſt ſummum bonum honeſtum, eſt ſimpliciter ſummum bonum delectabile. Si dicatur, quomodo Angeli peccauerunt, concupiſcendo ſummum bonum honeſtum?

Quomodo Angeli peccauerint.

Dico,quòd ideò peccauerunt,quia inordinatè concupierunt illud, vel quia ſine meritis præcedentibus; vel quia ante tempus præfixum; vel alio modo,vt infrà patebit.

6. e *Tertiò hoc perſuadetur ſic.* Hæc eſt tertia ratio,quæ eſt alia à præcedentibus,& ſtat in hoc; ſicut ſe habet appetitiua ſenſitiua ad ſenſitiuam apprehenſiuam, ſic ſe habet appetitiua intellectiua ad cognitiuam; ſed appetitiua ſenſitiua primò,& principaliter, & maximè quietatur in obiecto ſummè conuenienti ſuæ cognitiuæ; patet de appetitiua viſiua, quæ ſummè appetit pulcherrimum viſibile, quod eſt ſummè conueniens cognitiuæ viſiuæ: ergo & appetitiua intellectiua primò appetit, & concupiſcit obiectum conuenientiſſimum ipſi cognitiuæ, illud autem eſt ſumma felicitas:ergo appetitiua intellectiua Angeli primò inordinatè concupiuit ſummam felicitatem.

f *Quartò hoc perſuadetur ſic.* Hæc eſt quarta ratio,quæ ſtat in hoc, quòd ſi delectatio ſumma eſſet ſeparata à quocunque alio,primò appeteretur à voluntate deferente regulam iuſtitiæ: patet, quia vt ſic, valde ſequitur appetitum naturalem,qui ſummè eſt ad delectationem ſummam; & poſitis quibuſcunque aliis, puta excellentia, dignitate, & huiuſmodi, illa primò non appeterentur. Ex his ergo quatuor rationibus patet, quomodo primum *concupiſcere* inordinatum Angeli mali, fuit in concupiſcēdo beatitudinem. *Quarta ratio.*

Et ſi arguas contra iſtud primò. Hìc Doctor facit tres rationes, quibus probat quòd Angeli in appetendo beatitudinem non potuerunt peccare. Et prima ratio ſtat in hoc: Nulla voluntas in eliciendo actum conformiter appetitui recto peccat, ſed voluntas Angeli in volendo beatitudinem, vult illam conformiter appetitui recto; ergo. Maior patet, quia actus conformis regulæ rectæ non poteſt eſſe inordinatus. Minor etiam patet, quia appetitus naturalis,cùm ſit à Deo,eſt rectus,& talis eſt ad ſummam beatitudinem,cùm ab omnibus vniformiter appetatur, ſecundùm Auguſtinum 13. de Ciui. Dei cap.5. 7.

Nullus intellectus. Secunda ratio ſtat in hoc, ſicut ſe habet intellectus circa prima principia, ſic voluntas circa vltimum finem:patet iſta propoſitio 2. Phyſicorum, tex. commen. 89. *Sicut principium in ſpeculabilibus,ita finis in operabilibus*, ſed intellectus non errat circa principia, vt patet 9. *Metaphyſ. tex. commen. primi.* ergo nec voluntas inordinatè vult vltimum finem, qui eſt beatitudo.

Præterea, boni. Hæc eſt tertia ratio & ſtat in hoc, ſi in volendo bonum commodi contingit peccatum, ſequitur quòd ita boni peccant, ſicut & mali. Conſequentia patet, quia boni habuerunt affectionem commodi, ſicut & mali,ſecundùm Anſelmum de Concor.

SCHOLIVM.

Pro ſolutione trium obiectionum,quas fecit contra doctrinam datam, de appetitu beatitudinis,explicat duplicem affectionem commodi & iuſtitiæ,de quo 3. *d.*18. *q.*1. *& hanc ait eſſe ipſam libertatem voluntatis,qua facit conformiter regulis ſuperioris, moderando affectionem commodi: & in propoſito defecit, quia appetitum commodi de habenda beatitudine, intentiùs, citiùs,vel aliter quàm Deus voluit,non coërcuit, & ſoluit allatas obiectiones per optimam doctrinam, & claram.*

8. AD videndum a ſolutionem iſtarum rationum,diſtinguo,quid poſſit intelligi per iſtas affectiones iuſtitiæ, & commodi: de quibus loquitur Anſelmus *de Caſu diaboli.* Iuſtitia poteſt intelligi vel infuſa, quæ dicitur gratuita, vel acquiſita, quæ dicitur moralis, vel innata, quæ eſt ipſa libertas voluntatis. Si enim intelligeretur ſecundùm illam fictionem Anſelmi *de Caſu diaboli*, quære ibi: quòd eſſet b Angelus tantùm habens affectionem commodi,& non iuſtitiæ, hoc eſt habens appetitum intellectiuum merè, vt appetitum talem, & non vt liberum; talis Angelus non poſſet non velle commoda,nec etiam non ſummè velle talia,nec imputaretur ſibi in peccatum: quia iſte appetitus ſe haberet ad ſuam cognitiuam, ſicut modò appetitus viſiuus ad viſum neceſſariò conſequendo oſtenſionem iſtius cognitiuæ, & inclinationem *De affectione duplici ſcilicet cõmodi, & iuſtitiæ. Iuſtitia triplex c.* 4. *De hac duplici affectione* 3. *d.*18. *q.*1.

nem ad optimum oſtenſum à tali potentia: quia non haberet vnde ſe refrænaret.

Illa igitur affectio iuſtitiæ, [c] quæ eſt prima moderatrix affectionis commodi, & quantùm ad hoc, quod non oportet voluntatem actu appetere illud ad quod inclinat affectio commodi, nec etiam ſummè appetere; illa inquam, affectio iuſtitiæ eſt libertas innata voluntati: quia ipſa eſt prima moderatrix affectionis talis.

Affectio commodi, & iuſtitia, in quo differunt?

Et licèt Anſelmus frequenter loquatur, non tantùm de actu iuſtitiæ, quæ eſt infuſa, ſed acquiſita: tamen ibi videtur loqui de infuſa, quia illam dicit amitti per peccatum mortale, quod non eſſet verum niſi de iuſtitia infuſa. Tamen diſtinguendo ex natura rei duas rationes primas iſtarum rationum: inquantùm altera inclinat voluntatem naturaliter, & ſummè ad commodum: altera autem quaſi moderatur eam ne in eliciendo actum oporteat eam ſequi inclinationem eius, nihil aliud ſunt iſta, quàm eadem voluntas, inquantùm eſt appetitus intellectiuus nudè, & vltrà hoc, inquantùm libera: quia ſicut dictum eſt, inquantùm eſt merè appetitus intellectiuus ſummè inclinaretur actualiter ad optimum intelligibile, ſicut eſt de optimo viſibili, & viſu: tamen inquantùm libera eſt poteſt ſe refrænare in eliciendo actum, ne ſequatur iſtam inclinationem, nec quantùm ad ſubſtantiam actus, nec quantùm ad intenſionem, ad quam potentia naturaliter inclinatur.

Sine libertate nõ ſtat peccare.

Potentia autem aliqua ſi fuiſſet appetitiua præcisè, ſequens in actu ſuo inclinationem eius, ſicut appetitus viſiuus ſequitur viſum, & eius inclinationem; tunc licèt illa non poſſet appetere, niſi intelligibile, ſicut appetitus viſiuus non poteſt appetere niſi viſibile; tamen non poſſet tunc peccare, quia non eſſet in poteſtate eius aliud nec aliter appetere, quàm cognitiua oſtenderet & inclinaret.

Libertas voluntatis dicitur iuſtitia, quia ratione ipſius agitur conformiter regulæ ſuperioris.

Ipſa eadem facta iam libera (quia nihil aliud eſt niſi quòd vna res includat virtualiter plures rationes perfectionales, quàm includeret, ſi eſſet ſine ratione libertatis) per rationem libertatis poteſt ſe moderari in volendo, & quantùm ad hoc, quod eſt non velle illud, ad quod inclinat affectio commodi: & quantùm ad hoc quod eſt non ſummè velle illud: & ex quo poteſt moderari, tenetur moderari ſecundùm regulam iuſtitiæ, quæ accipitur ex voluntate ſuperiore. 9.

Secundùm hoc ergo patet quòd voluntas libera non tenetur omni modo velle beatitudinem, quo voluntas ſi eſſet tantummodò appetitus intellectiuus ſine libertate, vellet eam: ſed tenetur in eliciendo actum, moderari appetitum, vnde eſt appetitus intellectiuus: quod eſt moderari affectionem commodi, ne ſcilicet immoderatè vellet.

Triplex potuit eſſe exceſſus, quoad intenſionem, acceleratiõnem, cõſequutionẽ in appetitu beatitudinis.

Poteſt autem voluntas ſeipſam potens moderari, immoderatè beatitudinem velle, quæ ſibi congruit tripliciter: vel quantùm ad intenſionem, puta volendo eam maiori conatu, quàm ſibi conueniat; vel quantùm ad acceleratiõnem, puta volendo eam ſibi citiùs, quàm ſibi conueniat: vel quantùm ad cauſam, puta volendo ſibi eam, aliter quàm ſibi congruat, puta ſine meritis, vel fortè modis aliis, de quibus omnibus non oportet hîc curare. Aliquo iſtorum modorum eſt probabile, quòd exceſſerit voluntas eius, ſcilicet vel plus appetendo ſibi beatitudinem inquantùm eſt bonum ſibi, quàm amando illud bonum in ſe: vel plus appetendo illud bonum vt obiectum beatificum eſſe bonum ſuum tanquam ſibi bonum, quàm appetendo illud ineſſe alij vt Deo ſuo: & in hoc eſt ſumma peruerſitas voluntatis, quæ eſt *vti fruendis, & frui vtendis*, ſecundùm Auguſt. 83. *q. quæſt.* 30.

Vel ſecundo modo potuit appetere habere ſtatim eam, cùm tamen Deus velit eum illam habere poſt morulam viæ. Vel tertio modo appetendo eam ex naturalibus habere, non habendo eam gratioſè: cùm tamen Deus velit eam haberi ex meritis.

Reſolutio multarum dubitationum ex his habetur.

Debuit ergo libera voluntas moderari affectionem, quantùm ad iſtas circunſtantias quas recta ratio habuit oſtendere: quia beatitudo debuit minùs appeti ſibi, quàm Deo: & debuit appeti pro tempore, pro quo Deus voluit: & ex meritis, pro quibus Deus voluit eam debere appeti: ergo ſi aliquo iſtorum modorum ſequebatur affectionem commodi, non moderando eam per iuſtitiam, hoc eſt per infuſam, ſi habuit, vel acquiſitam, vel innatam, ſiue naturalem, quæ eſt ipſamet libertas, peccauit.

Ad arg. 1. ſupr. n. 1.

Per hoc ergo ad argumenta. [d] Ad primum, voluntas naturalis non eſt de ſe immoderata, ſed tantùm inclinat per modum naturæ: & in hoc non eſt immoderatio, quia inclinat ſicut accepit inclinari, nec eſt in poteſtate ſua aliud: in poteſtate autem volũtatis, vt libera eſt in eliciendo actum, eſt tantum inclinari, vel minùs: quando ergo accipis, quòd voluntas naturalis eſt reſpectu beatitudinis: concedo: ſed non actualiter immoderata actu elicito: non eſt enim inclinatio appetitus naturalis, aliquis actus elicitus, 10.

elicitus, ſed eſt ſicut perfectio prima; & hæc non eſt immoderata, ſicut nec natura, cuius eſt, cùm ita inclinetur affectione commodi in obiectum ſuum. Quòd ſi haberet ex ſe actum elicitum, non poſſet illum moderari, quin eliceretur ſummè quantum poſſet elici: ſed voluntas, vt habens ſolam affectionem commodi naturalem, non eſt cauſa alicuius actus eliciti, ſed tantùm, vt libera, & ideò vt eliciens actum habet vnde moderetur paſſionem.

Inclinatio naturalis nõ eſt actus elicitus, de quo 4.d. 49. q. 10. a. 1.

Quando ergo accipitur, quòd voluntas conſona voluntati naturali ſemper eſt recta: quia & illa ſemper eſt recta. Reſpondeo, & dico quòd ſi conſonat ſibi in eliciẽdo actum (ſicut illa eliceret ſi ex ſe ſola ageret) non eſt recta: quia habet aliam regulam in agendo, quam illa non haberet ſi ex ſe ſola ageret: tenetur enim ſequi voluntatem ſuperiorem in moderando illam inclinationem naturalem, ex quo in poteſtate eius eſt moderari, vel non moderari: quia in poteſtate eius eſt non ſummè agere, vel non tantum quantum poteſt.

An velle cõſonè voluntati naturali, ſit rectum?

11. Ad ſecundum [c] dico per idem, quòd non eſt in poteſtate intellectus moderari aſſenſum ſuum veris, quæ apprehendit: nam quantum oſtenditur veritas principiorum ex terminis, vel concluſionum ex principiis, tantum oportet aſſentire propter carentiam libertatis: ſed volũtas poteſt in ſe, & in potentiis inferioribus moderari ne iſta inclinatio omnino dominetur in eliciendo actum, vel ſaltem, ne actus eliciatur. Poteſt enim auertere intellectum, ne ſpeculetur talia ſpeculabilia, circa quæ inclinaretur: & tenetur auertere, ſi ſpeculatio ſit peccatum materialiter intellectui, & formaliter voluntati: ſi ex alia parte voluntas reſpectu finis vltimi, tenetur moderari inclinationem ſui ad ipſum, ne immoderatè velit aliquo prædictorum modorum,

Ad 2. De libertate intellectus.

Intellectus non poteſt ſe moderari, volũtas poteſt ſe & alias potentias.

Aliter poteſt dici [c] quòd ſicut actus intellectus, conſiderando principium in ſe, non poteſt eſſe falſus, ita nec actus volũtatis, amando finem in ſe, poteſt eſſe malus: & iſte actus eſt actus amicitiæ, nõ actus cõcupiſcentiæ. Tamen ſicut actus intellectus poſſet eſſe falſus, attribuendo veritatem primæ cauſæ alicui principio creato, cui non conuenit illa veritas; ita actus voluntatis poteſt eſſe malus concupiſcendo bonitatem vltimi finis alicui alij ab vltimo fine, eo modo, quo non congruit alicui alij.

Sicut principium in ſpeculabilibus, &c. explicatur, de quo Sco. prol. q. vlt. & 1. d. 1. q. 4. n. 16.

12. Ad tertium dico, [g] quòd in bonis erat inclinatio naturalis ad beatitudinem tanta, quanta erat in malis, & maior ſi habebant meliora naturalia: quia inclinatio iſta eſt ſecundùm perfectionem naturalium. Tamen boni in eliciendo actum, non vtebantur voluntate ſecundùm eius rationem imperfectam, inquantum ſcilicet eſt tantùm appetitus intellectiuus, agendo ſcilicet tali modo, quo competeret appetitui intellectiuo agere: ſed vtebantur voluntate ſecundùm perfectam eius rationem, quæ eſt libertas, agendo ſcilicet ſecundùm voluntatem, eo modo, quo congruit agere liberè, inquantùm liberum agit: hoc autem erat ſecundùm regulam ſuperioris voluntatis determinantis, & hoc iuſtè.

Ad 3. Boni nõ habuerunt actum elicitum cõmodi, vt apponitur affectioni iuſtitiæ.

Et cùm dicitur [h] commodum non velle nequit. Reſpondeo, boni nec potuerunt, nec voluerunt nolle ſibi beatitudinem, etiam ſibi concupiſcendo: ſed illam non voluerunt plus ſibi, quàm Deo benè eſſe in ſe, ſed minùs: quia illud *velle* ita potuerunt moderari per libertatem.

Boni non potuerunt nolle beatitudinem.

Et ſi obiicias, ergo nullo modo appetebant bene ſibi beatitudinem, ſed tantùm bene moderabantur illud appetere. Reſpondeo, appetere actum perfectum, vt per illum magis ametur obiectum in ſe, eſt ex affectione iuſtitiæ: quia vnde amo aliquid in ſe, inde volo aliquid in ſe: & ita boni potuerunt appetere beatitudinem, vt habentes illam, perfectiùs amarent ſummum bonum: & iſte actus concupiſcendi beatitudinem, eſſet meritorius, quia non vtitur fruendo, ſed fruitur eo: quia bonum, quod concupiſco mihi, ad hoc concupiſco, vt plus amem illud bonum in ſe.

COMMENTARIVS.

1. a AD *videndum*, &c. Hîc Doctor ſoluit has tres rationes, & antequam ſoluat eas, præmittit aliqua, quæ vt clariùs intelligantur, reducenda ſunt per propoſitiones.

Prima: Affectio iuſtitiæ, de qua loquitur Anſelmus, poteſt intelligi, vel de iuſtitia infuſa, quæ eſt gratia gratum faciens; vel de acquiſita, quæ accipitur pro omni virtute morali; vel de innata, quæ eſt libertas volũtatis. Et nota, quòd libertas voluntatis, pro tanto poteſt dici iuſtitia innata, quia ex ſua ratione formali, & ex ſua innata libertate habet vnde poſſit conformiter agere regulæ ſuperiori & ſi agit conformiter, tunc agit ſecundùm affectionem iuſtitiæ.

b Secunda propoſitio eſt ibi: *Si eſſet Angelus tantùm habens affectionem commodi*, &c. Hic aliqui exponunt Doctorem quòd talis appetitus eſt appetitus naturalis, ſed hoc non videtur

Appetitus naturalis non ſequitur cognitionem.

ad mẽtem Doctoris, quia ſecundùm ipſum actus appetitus naturalis non ſequitur cognitionem, vt patet *in 4.d.49.q.10.& art.1.* Patet etiam in prœmio Metaphyſicæ ſuæ: modò iſte appetitus, qui ponitur hîc affectio commodi, ſequitur cognitiuam, patet per verba eius, vbi ſic ait: *Iſte* (inquit) *appetitus ſe haberet ad ſuam cognitiuam, ſicut modò appetitus viſiuus ad viſum*, &c. Patet ergo ex iſta litera, quòd non accipitur hîc talis appetitus pro appetitu merè naturali, quia non diceretur appetitus conſequens cognitiuam; ſicut dicimus, quòd in potentia viſiua eſt duplex appetitus, ſcilicet naturalis, qui nullo modo ſequitur cognitionem, & ſenſualis, qui videlicet ſupponit cognitionem; & vterque diceretur appetitus commodi, ſed vnus ſequeretur cognitionem, alius verò non. Sic pariformiter poſſet dici de natura intellectuali Angeli, quòd ſi per impoſſibile eſſet circumſcripta libertate voluntatis, eſſet ibi diſtinguere duplicem appetitum, videlicet merè naturalem nullo modo ſequentem cognitionem; & appetitum intellectualem ſequentem cognitionem: & ſicut appetitus naturalis ſucceſſiuè, & neceſſariò inclinatur ad perfectionem, ad quam eſt, ita appetitus naturalis ſequens cognitionẽ, neceſſariò, & ſucceſſiuè appetit delectabile præcognitũ: ſicut & appetitus ſenſitiuus neceſſariò appetit delectabile præoſtẽſum à potentia ſenſitiua, & in tali appetitu non contingit, nec ordinatè, nec inordinatè agere.

2. *Tertia propoſitio.*

c Tertia propoſitio: Affectio iuſtitiæ, quæ eſt prima moderatrix affectionis commodi, & quantùm ad hoc, quòd non oportet voluntatem actu appetere illud, ad quod inclinat affectio commodi, nec etiam appetere ſucceſſiuè, eſt libertas innata voluntatis. Vt iſta propoſitio clariùs intelligatur, præmitto aliqua.

Primò, quòd in voluntate poſſumus conſiderare duplicem appetitum, ſcilicet naturalem merè non ſequentem cognitionem; & intellectiuum ſequentem cognitionem. Iſti duo appetitus ſummè tendunt in obiecta maximè delectabilia.

Nota hæc omnia.

Secundò præmitto, quòd in eadem voluntate eſt alius appetitus liber, quo ipſa voluntas poteſt conformiter velle aliis appetitibus, & difformiter: patet, quia appetitus naturalis voluntatis eſt ad ſummam beatitudinem, ſemper & ſummè, & tamen appetitus liber non ſemper vult illam, ſed pro illo tempore, pro quo Deus vult ſibi dare, & ſic vult difformiter illis appetitibus.

Tertiò præmitto, quòd iſta libertas dicitur moderatrix affectionis commodi, & hoc dupliciter. Primò, non volendo illud, in quod affectio commodi tendit. Secundò, non volendo ita intensè. De iſta autem moderatione dictum eſt *in primo, diſtinct.* 17. & ſic patet iſta tertia propoſitio, & patet litera ſequens vſque ibi: *Ipſa eadem facta iam libera.*

Quod dicit hîc, quòd *eadem res includit*, &c. clarè patebit infrà *diſtinct.16. quæſt.2.* quomodo eadem anima intellectiua virtualiter includit potentiam intellectiuam, & volitiuam, quæ ſunt diſtinctæ perfectiones ex natura rei, in ipſa anima non realiter diſtinctæ, nec ab inuicem, nec ab ipſa anima: prout ergo ipſa anima, ſiue natura Angeli conſideratur, vt includit libertatem voluntatis, plures rationes perfectionales virtualiter includit, quia intellectum, & voluntatem, quam ſi eam non includeret.

d *Per hoc ad argumenta.* Nunc Doctor ſoluit illas tres rationes ſuperiùs factas. Ad primam dicit tria. Primò concedit, quòd appetunt naturaliter beatitudinem, & tali appetitu nullo modo peccant, cùm ille, & eius inclinatio ſit à Deo; & tale *appetere* non eſt actus elicitus, ſed ſolùm inclinatio naturæ, vt probabit *in 4. diſt.49.quæſt.* 10. *art.1.* Et poſito, quòd eſſet actus elicitus, adhuc non eſſet peccatum, quia ille de neceſſitate eliceretur. Secundò dicit, quod voluntas, vt libera in appetendo beatitudinem, poteſt peccare, cùm teneatur moderari naturalem appetitum, vt expoſitum eſt ſuprà. Tertiò dicit, quòd quamuis appetitus naturalis ſemper ſit rectus, tamen voluntas libera poteſt peccare, volendo conformiter tali appetitui, quia tenetur ſe conformare regulæ ſuperiori, ſcilicet voluntati diuinæ, quod magis patebit in quarto, diſtinct.50.

3. *Scotus ſoluit tres rationes ſuperius factas.*

e *Ad ſecundum dico per idem.* Dat duas reſponſiones, quarum prima eſt, quod non eſt ſimile de voluntate, & intellectu, quia intellectus de neceſſitate naturæ aſſentit vero, voluntas autem liberè, & contingenter, & ideò poteſt peccare; poteſt enim auertere intellectum à conſideratione obiecti, & ſi ſpeculatio obiecti ſit peccatum materialiter, tenetur auertere intellectum à tali ſpeculatione. Quomodo autem aliqua ſpeculatio poſſit dici peccatum materialiter patebit *in iſto 2. diſt.42. quæſt.2.* Et ſimiliter quomodo intelligatur iſta propoſitio, *ſicut principium in ſpeculabilibus, ita finis*, &c. aliqualiter patet à Doctore *in prologo, quæſt. vltima*, & multò clariùs patet *in primo, diſtinct.* 1, *quæſt.* 4.

f Secunda reſponſio eſt, tenendo ſimilitudinem intellectus, & voluntatis; intellectus circa verum, voluntas circa finem. Concedit Doctor quòd ſicut intellectus nõ errat circa primum verum, aſſentiendo illi primo vero in ſe, ſic voluntas non peccat, volendo vltimum finem in ſe, quia talis volitio eſt volitio amicitiæ, quæ circa vltimum finem nullo modo poteſt eſſe inordinata, vt ſuprà patuit. Et ſicut intellectus poteſt errare circa primum verum, aſſentiendo illi propter aliud, ſic voluntas poteſt peccare circa vltimum finem, volendo illum eo modo, quo non conuenit, qui modus ſuprà patuit.

Quomodo intellectus poſſit errare, & voluntas peccare.

4. g Ad tertium concedit quod in bonis erat appetitus naturalis ad beatitudinem, & tanta inclinatio, etiam maior inclinatio, ſi natura eorum fuit ita perfecta; tamen boni non peccarunt, quia libertate ſuæ voluntatis moderabantur talem appetitum, actu enim elicito ſic volebant beatitudinem, ſicut ex diuina determinatione eis congruebat.

h Ad auctoritatem Anſelmi, ſcilicet *voluntas commodum non velle nequit.* Doctor dicit, quòd boni nec potuerunt, nec voluerunt nolle ſibi beatitudinem, etiam concupiſcendo. Hic eſſet bona difficultas, an voluntas poſſit nolle beatitudinem, ex quo libere eſt reſpectu vtriuſque actus. Dicerem tamen, quòd ex quo in beatitudine nulla ratio mali apparet, ſed tantùm ratio boni, quòd voluntas non poſſet nolle, nec odire eam. Sed quomodo hoc ſtat cum perfecta libertate voluntatis inferiùs declarabitur in iſto ſecundo. Sequitur in litera: *Sed illam non voluerunt plus ſibi, quàm Deo benè eſſe in ſe*, &c. Vult dicere quòd boni priùs voluerunt Deo benè eſſe, amando ipſum amore amicitiæ, &

plus

plus quàm quodcunque aliud, & per conſequens ſi voluerunt beatitudinem actu elicito, eam voluerunt eo modo, quo eis congruebat ex determinatione diuinæ voluntatis, & ſic Angeli boni moderabantur affectionem commodi.

i *Etſi obiicias*, &c.

Dicit, quòd *appetere, ſiue concupiſcere actum perfectum, vt per illum magis habeat obiectum in ſe, eſt ex affectione iuſtitiæ*, &c. Et videtur dicere Doctor quòd ſi voluntas appeteret illam beatitudinem, vt tantùm ſiſteret in tali amore concupiſcentiæ, non rectè appeteret. Si verò appetat illam, puta fruitionem eſſentiæ clarè viſæ, vt magis amet illam amore amicitiæ, tunc benè amat, & hoc ſi appetit, ſicut ſibi congruit ex determinatione diuinæ voluntatis.

SCHOLIVM.

Oſtenſo primo inordinatè amato, amore amicitiæ, & primo inordinatè concupito, docet Angelum vlteriùs habuiſſe alia velle *inordinata; verbi gratia, excellentiæ, & alia inordinata* nolle: *& litera eſt clara. Mouet dubium an odium Dei ſit poſsibile: circa quod videtur manere dubius, de quo infr. d.43. q.1.*

13. VIſo igitur [k] de primo inordinatè concupito, poteſt poni quòd inordinatè vlteriùs concupiuit ſibi aliquod bonum, ſcilicet excellentiam reſpectu aliorum, & habuit inordinata *nolle*, nolendo ſcilicet oppoſita eorum, quæ concupiuit, puta nolendo beatitudinem ſibi minùs ineſſe, quàm Deo in ſe, ſiue quàm Deum eſſe: vel nolendo expectare beatitudinem vſque ad terminum viæ: vel nolendo eam habere ex meritis, ſed ex ſe: & ex conſequenti, nolendo ſubeſſe Deo: & tandem nolendo Deum eſſe; in quo tanquam in ſummo malo, conſummata videtur malitia: ſicut enim formaliter nullus actus eſt melior, quàm Deum diligere: ita nullus peior eſt, quàm Deum odire.

Angelus habuit plura inordinata velle & nolle.

Sed hîc eſt vnum dubium, [l] an ſcilicet aliquis poſſet appetere Deum non eſſe? Quia ſicut nihil poteſt eſſe obiectum volitionis, niſi ſub ratione boni: ſic nec nolitionis, niſi ſub ratione mali: in Deo autẽ nulla apprehenditur ab Angelo ratio mali: nec poteſt dici, quòd propter iuſtitiam poſſit odiri, quia in ſua iuſtitia non apprehenditur aliqua ratio mali, ſicut nec in ſeipſo, licèt enim in effectu eius appareat ratio mali aliqua, non tamen in ipſo.

An quis appetere poſsit Deũ non eſſe. De hoc infr. d.43. q.1

Et ſi hoc eſt verum, tunc eſt dicendum, quòd odium non eſt reſpectu Dei in ſe, nec reſpectu iuſtitiæ eius; ſed quantùm ad effectum appropriatum perfectioni iuſtitiæ: & per hoc poteſt dici ad illud Pſalm. *ſuperbia eorum, qui te oderunt*, &c. non quantùm ad ipſum in ſe: ſed volendo iuſtitiam eius non eſſe vindicantem: & ſic nolunt iuſtitiam eius, quantùm ad effectum vindicantem. Sed ſi hoc verum ſit, tunc eſt dicendum, quòd odium Dei non eſt maximum peccatum, quia non reſpicit Deum in ſe: ſed eſt contra ipſum in comparatione ad effectum: ſimiliter tunc ſequitur, quòd amare Deum non habeat actum directè contrarium, ſed tantùm contrarium dilectioni effectus.

Pſalm. 73.

COMMENTARIVS.

1. k *VIſo igitur de primo inordinatè concupito.* Dicit Doctor, quòd vltra primum inordinatè concupitum amore concupiſcentiæ, quòd fuit ipſa beatitudo, vt ſuprà patuit, potuit inordinatè concupiſcere multa alia, puta excellentiam reſpectu aliorũ. Et vltrà habuit mordinata *nolle*, nolendo oppoſita eorum, quæ concupiuit, quia ſicut immoderatè concupiuit ſummam beatitudinem, ita immoderatè noluit oppoſitum eius, & patet litera.

Pulchra difficultas.

Dubium. l *Sed hîc eſt vnum dubium.* Hîc Doctor videtur tenere, ſicut etiam alibi, quòd Deus in ſe odiri non poſſit, nec ſimiliter aliqua perfectio attributa Deo, cùm ibi nulla ratio mali reperiatur, ſed tantùm ratio boni, effectus tamen Dei, puta effectus iuſtitiæ vindicatiuæ poteſt odiri, & per conſequens concomitanter videtur quòd Deus poſſit odiri.

In iſta litera occurrit non parua difficultas, videlicet, quare voluntas non poſſit Deum odire in ſe, ex quo habet ens, inquantùm ens, pro obiecto ſibi adæquato, vt ſuprà patuit *præſenti diſt. q.1. & in quarto, diſt.49. & in primo, diſtin.3.q.3.* vbi vult, quòd idem ſub eadem ratione formali ſit obiectum intellectus, & voluntatis: cùm ergo ipſa voluntas ſit libera reſpectu cuiuſcunque contenti ſub eius obiecto adæquato, quare non poteſt eſſe libera circa Deum, ipſum liberè, vel volendo, vel nolendo? tum, quia ipſa eſt eſſentialiter libera ex hoc, quòd poteſt liberè elicere actus ſuos, vt patet à Doctore *in primo, diſt.1. & 10. & in iſto ſecundo. diſt.25.* & per Auguſtinum primo Retract. *Nihil eſt tam in poteſtate voluntatis, quã ipſa voluntas*, id eſt, quàm ipſe actus voluntatis, ſicut Doctor exponit *in primo, diſt.1.q.2. & diſt.7. & in quarto, d.49.* & ſic videtur quòd ſicut poteſt velle Deum in ſe, quòd ita poſſit nolle Deum in ſe, & odire, tum quia iſti duo actus *nolle*, & *velle*

Scotus exponit Auguſtinum.

velle reſpectu eiuſdem obiecti ſunt contrarij, vt patet à Doctore *in tertio, diſt.* 30. *& alibi.* ergo ſicut voluntas poteſt habere *velle* circa vnum obiectum, ita & *nolle* circa illud idem.

2. *An Deus poſſit odiri in ſe.*

Dico ſuſtinendo, quòd non poſſit Deus odiri in ſe, quamuis Doctor de hoc dubiè loquatur *in primo, diſtinctione prima*, quòd voluntas habet ens inquantùm ens pro obiecto adæquato, ſic quòd poteſt velle illud, vel in ordine ad ſe, vel in ordine ad aliud, vt patet à Doctore in iſta quæſtione. Reſpectu autem *nolle* non habet ſimpliciter ens, inquantum ens; ſed habet ens creatum, in quo eſt defectus alicuius boni, & etiam aliquando poteſt eſſe ratio alicuius mali, & quia ipſe Deus eſt ſummum bonum, in quo nulla eſt ratio alicuius mali, nec defectus alicuius boni, ideò non poteſt illum odire, nec Doctor dicit, quod reſpectu cuiuſcunque entis habeat *velle*, & *nolle*, ſed benè dicit, quod habet *velle*. Et cùm dicitur, quòd eſt eſſentialiter libera, &c. Dico, quòd libertas propriè nó attenditur penes actus contrarios, quia tunc Sol poſſet dici agens liberè, quia poteſt habere actus cõtrarios, puta conſtringere, & liquefacere: ſed dicitur libera propter actus cõtradictorios, puta, quia eſt in poteſtate ſua amare, & non amare, & ſic Doctor dicit *in primo, diſt.* 1. *& alibi*, quod voluntas reſpectu cuiuſcunque obiecti poteſt velle, & non velle, quæ ſunt contradictoria, & illud *non velle* eſt communiter actus ſuſpenſiuus; agens verò naturale approximatum paſſo, non habet in poteſtate ſua agere, & non agere, & ſic prima libertas voluntatis eſt principaliter reſpectu *velle*, & *non velle*, & ſic beatitudinem ſibi oſtenſam poteſt velle, & non velle, non tamen poteſt nolle, ſed de iſta materia alibi ampliùs dicetur.

SCHOLIVM.

Explicando quale peccatum ſit ille inordinatus amor amicitiæ Angeli reſpectu ſui, dicit quòd non videtur eſſe ſuperbiæ propriè, quia hæc eſt immoderatus appetitus excellentiæ, ex Auguſt. 14. Ciuit. qui etiam ait 19. Ciuit. (vt citatur à D. Tho. 2. 2. q. 62. a. 1. ad 2.) ſuperbia peruersè imitatur Deum, odit cum ſociis æqualitatem ſub illo, ſed imponere vult ſociis dominationem ſub illo. *Secundò, immoderatè amare alios, non eſt ſuperbia; ergo nec immoderatè amare ſe: videtur ergo reducendum peccatum illud ad luxuriam: dicitur tamen præſumptio, vel ſuperbia, quia ex eo ſequitur appetitus excellentiæ in ordine ad alios. Tartaret. & Baſſol. hîc videtur ſic Scotum intelligere, quòd voluerit illum actum eſſe propriè ſuperbiæ & vocari etiam luxuriam, ſed hoc non vult, vt patet ex litera clarè.*

QVantùm ad ſecundum articulum, reſtat videre de immoderato amore amicitiæ, quale peccatum fuit, & de immoderata concupiſcentia beatitudinis, quam concupiuit ſibi ſecundùm aliquem trium modorum expreſſorum; & de immoderato *nolle* conſequente: & hoc qualecunque *nolle* inordinatum prædictorum fuerit. 14.

Bon. lib. 2. diſt. 5. ar. 2. q. 1.

Quantùm ad primum [a] dicitur, quòd fuit ſuperbia, & videtur eſſe intentio Auguſtini 14. *de Ciuit. Dei, c.* 13. vbi vult, quòd præſumptio eſt nimis placere ſibi: & ideò ſuperbi in ſcriptura dicuntur ſibi placentes: ergo iſta immoderata dilectio ſui propriè fuit præſumptio, & ita ſuperbia.

al. ſuperbus.

Sed hîc videtur dubium, [b] quia ſi ſuperbia propriè ſit immoderatus appetitus propriæ excellentiæ, & immoderata complacentia ſui, non videtur eſſe propriè immoderatus appetitus propriæ excellentiæ: quomodo igitur ſuperbia?

Non ponitur in antiquis originalibus vſque ibi: Ad iſta, &c.

Item ſecundò, * præſumptuoſus [c] videtur præferre ſe aliis, vel in bonis, quæ habet verè: vel in his, quæ reputat habere de ſe: amor autem ſui immoderatus, non videtur eſſe talis prælatio ſui, quia eiuſdem rationis videtur eſſe in malitia immoderatè ſe amare amore amicitiæ, & alium, vt proximum: ſed amando alium immoderatè, nullus dicitur ſuperbus, vel præſumptuoſus, ſed magis luxurioſus: ergo nec ſic amando ſe.

Peccatum diaboli non fuit ſuperbiæ ſed luxuriæ.

Item, non peccauit primò in appetendo excellentiam reſpectu aliorum, vt tanquam Dominus; quia bonum ſibi, & ad ſe, eſt præcedens: nec appetendo excellentiam in opinione aliorum; quia tunc falſam excellentiam appetiuiſſet.

Amans immoderatè bonum prius vult illud eſſe magnũ in ſe, quam cõparatiuè ad alia.

Ideò dico, [d] quòd primum peccatum eius non fuit ſuperbia propriè dicta; ſed propter delectationem quam importabat, magis videtur reduci ad luxuriam; ſicut peccatum, in quo inordinatè delectatur quis in ſpeculatione concluſionis geometricæ, ad luxuriam reducitur.

Ad iſta dico, [e] quòd amans aliquod bonum immoderatè, vult illud immoderatè eſſe magnum bonum, imò maximum: & ideò immoderatè: quia abſque eo, quòd velit aliquid aduenire, per quod creſcat vult illud maius eſſe in ſe, quàm ſit: & quãdo non poteſt ad hoc attingere, vt illud in ſe ſit maius, quàm eſt, quia hoc eſt impoſſibile,

ſibile, vult ex conſequenti illud eſſe maximum, ſicut poteſt eſſe maximum, vel in comparatione, vt ſcilicet præſit bonis aliorum, vel in opinione, vt ſcilicet opinentur bonum ſuum eſſe maximum: ideò voluntas præeminendi, vel dominandi ſuper alios omnes, ſequitur illud *velle*, quo quis vult immoderatè bonum ſuum

Soluit argumenta, quatenus probat illũ actum nullo modo eſſe ſuperbiã non quod velit eſſe ſuperbiam propriè.

15. Dico igitur ad primum argumentum, quòd præſumens (vt præſumptio eſt prima ſpecies ſuperbiæ) non vult bonum ſuum præeminere bonis aliorum ſecundùm aliquam ſuperioritatem, nec etiam vult præeminere illud ſecundùm famam, ſicut eſt de illo qui appetit laudem: ſed vult illud magnum eſſe ſecundùm ſe magnum, & ita magnum, quòd ſine alicuius alterius aduentu, vult illud eſſe maius omnibus aliis, quæ non ita diligit. Hoc modo poteſt concedi, quòd immoderata dilectio ſui, quæ eſt radix ciuitatis diaboli, eſt præſumptio: quia quilibet immoderatè ſe diligẽs: vult ſe eſſe tantum bonum, quãtum poſſet proportionari actui, quo ſe diligit. Et hoc modo poteſt exponi Auguſtinus 14. *de Ciuit. Dei*, & benè, quòd ſibi placens immoderatè, eſt ſuperbus, & hoc prima ſpecie ſuperbiæ: & hoc non appetendo excellentiam, quæ eſt quædam relatio, ſed appetendo excellentiam, id eſt, magnitudinem in ſe, ex qua magnitudine ſequitur eius excellentia ad alios.

Quomodo inordinatus amor ſui qui fũdat ciuitatem diaboli, dicitur præſumptio vel ſuperbia?

Ad ſecundum dico, [f] quòd præſumptio non eſt peccatum intellectus, quaſi intellectus præſumptuoſi iudicaret, vel oſtenderet, ſe eſſe tantum, quantus non eſt: ſed eſt peccatum volũtatis immoderatè appetentis bonum ſuum eſſe tantum, quantum non eſt: ex hoc ſequitur excæcatio intellectus. Sed quando additur, [g] quod etiam illud *velle* ſui immoderatum, non videtur ſuperbia, ſicut nec *velle* immoderatum alterius, Reſponſionem quære.

Additio.

Reſpondetur, vt Doctor reſpondet ad principale argumentum, & etiam ad primam obiectionem paulò ante ſolutam, quòd fuit præſumptio, & ſuperbia communiter dicta, qua quis vult bonum quod amat eſſe excellens in ſe, & abſolute. Vel dicitur, quod eſt luxuria, vt ſuprà patet: ſed conſidera inctantiam.

COMMENTARIVS.

1. *Opinio Diui Bonauent.*

a *Quantum ad primum.* Hìc Doctor recitat opinionem Bonauenturæ *in ſecundo, diſt.* 5. qui videtur tenere, quòd primum peccatum mali Angeli, quale fuit immoderatus amor reſpectu ſui, ſit ſuperbia, & nititur hoc probare auctoritate Auguſtini 14. *de Ciuit. Dei. cap.* 13. vbi vult, quòd præſumptio eſt nimis placere ſibi, & ideò ſuperbi in ſcriptura dicuntur placentes ſibi.

An peccatum Luciferi fuerit ſuperbia.

b *Sed hìc videtur dubium.* Hìc Doctor probat quòd immoderata complacentia ſui, ſiue immoderatus amor amicitiæ, reſpectu ſui, non poteſt propriè dici ſuperbia, & hoc propter rationes formales diſtinctas, ſcilicet ſuperbiæ, & amoris amicitiæ immoderatæ reſpectu ſui, quia ſuperbia propriè eſt immoderatus appetitus propriæ excellentiæ, id eſt, immoderatus amor concupiſcentiæ propriæ excellentiæ; immoderata verò complacentia ſui, eſt immoderatus amor amicitiæ ſui, & ſic patet quomodo iſtæ rationes ſunt diuerſæ.

c *Item ſecundò præſumptuoſus*, &c. Dicit quòd ſi immoderata complacẽtia ſui eſſet ſuperbia, præcipuè pertineret ad præſumptionem, quæ eſt ſpecies ſuperbiæ; ſed hoc non quia præſumptuoſus videtur præferre ſe aliis, vel in bonis, quæ habet verè; vel in his, quæ reputat habere de ſe, ſed immoderata complacentia ſui non eſt huiuſmodi; pater, quia eiuſdem rationis videtur eſſe in malitia, videlicet, immoderatè ſe amare amore amicitiæ, & aliùm, vt proximum. Sed amando alium immoderatè nullus dicitur ſuperbus, vel præſumptuoſus, ſed magis luxurioſus, ergo nec ſic amando ſe.

d *Ideò dico.* Hic Doctor determinat ſe loquendo de ſuperbia propriè dicta, quòd immoderatus amor ſui non poteſt dici ſuperbia, ſed propter maximã delectationem in amando ſe immoderatè, talis amor poteſt reduci ad luxuriã.

Scotus ſoluit tria argumenta.

e *Ad iſta dico.* Hic Doctor ſoluit illa argumenta, quibus probat immoderatum amorem ſui non pertinere ad ſuperbiam, nec ad aliquam ſpeciem eius. Aduerte tamen, quòd expreſsè tenet, quod immoderatus amor, reſpectu ſui, non poteſt dici ſuperbia propriè dicta, ſed magis luxuria. Et ſi poteſt nominari ſuperbia, vel præſumptio, hoc erit impropriè, & hoc modo ſoluit illa argumenta, quæ videntur probare, quòd talis amor nullo modo ſit ſuperbia, & ſic reſpondet ad illa, tenendo quòd ſaltem ſit ſuperbia impropriè dicta, & præſertim, quod dicatur præſumptio. Dicit ergo, *amans aliquod bonum immoderatè, vult illud immoderatè eſſe magnum bonum, imò maximum, & ideò immoderatè, quia abſque eo, quòd velit aliquid euenire, per quod creſcat, vult illud maius eſſe, quàm ſit.* Hìc declarat quare quis dicatur immoderatè diligere, dicit, quòd hoc contingit, quando non quærit media debita, per quæ illud bonum creſcat, & ſic diligens ſe immoderatè vult bonum ſuum eſſe ſummum, nõ tamen quærit, vnde hoc ſit, nec debita media, & quia non poteſt aliquod bonum infinitum eſſe maius, quàm ſit: præſumptuoſi hoc non potentes attingere volunt bonũ ſuum eſſe maximum; & hoc vel in comparatione, vt præſit bonis aliorum, & ita voluntas talium primò eſt circa bonum ſuum, vt ſit maximum. Secundò eſt circa illud bonum, vt præemineat, & dominetur aliis, & ſic voluntas dominandi ſequitur *velle* quo quis vult ſuum bonum immoderatè, & ideò in re præ-

ſumptio præcedit ſuperbiam propriè acceptam, vt videlicet eſt immoderatus appetitus propriæ excellentiæ, vt ſuprà expoſui. Et nota, quòd duplex eſt excellentia, ſcilicet excellentia, quæ eſt relatio in ordine ad alios, quos quis excellit, & hoc eſt propriè obiectum ſuperbiæ. Alio modo accipitur excellentia, vt eſt quid abſolutum, & ſic excellentia non eſt aliud, niſi magnitudo in ſe, & ſic præſumptuoſus habet immoderatum amorem reſpectu ſuæ excellentiæ, ſiue magnitudinis in ſe, ex qua magnitudine ſequitur excellentia, quæ eſt relatio ad alios.

Duplex excellentia.

f *Ad ſecundum dico, quòd præſumptio non eſt peccatum intellectus*, vt quidam voluerunt dicere, *quaſi intellectus præſumptuoſi iudicaret, vel oſtenderet ſe eſſe tantum, quantus non eſt*, quia tunc in Angelis fuiſſet ignorãtia ante peccatum, quod non tenetur, *ſed eſt peccatum voluntatis immoderatè appetentis bonum ſuum eſſe tantum quantum non eſt, & ex hoc ſequitur excæcatio intellectus.*

3. *Præſumptio nõ ſit peccatum intellectus.*

g *Sed quando additur, quòd etiam illud*, &c. Patet reſponſio ex ſupradictis, quòd tale *velle* fuit præſumptio, & ſuperbia communiter dicta; qua quis vult bonum, quod amat eſſe excellens in ſe, & abſolutè, & ſi vltra hoc appetit illud bonum, quòd ſic amat præcedere alia bona, ita quòd appetitus talis excellentiæ dicat relationem ad alios, tunc erit ſuperbia magis propriè.

SCHOLIVM.

Reſoluit etiam appetitum beatitudinis in Angelo, potiùs ad luxuriam reducendum, item inordinationem nolitionum Angeli fuiſſe iræ, vel inuidiæ, vt quando noluit oppoſita eorum quæ voluit, vt minorem beatitudinem ſibi ineſſe, quàm Deo, vel nolendo eam tam tardè, vel ex meritis, denique nolendo ſubeſſe Deo, vel ipſum eſſe.

16. QVantùm [a] verò ad deordinationem *velle* concupiſcentiæ, videtur quòd ille appetitus beatitudinis non fuerit propriè ſuperbia: non quidem quantùm ad eius primam ſpociem: patet, quia præſumptio ſecundùm quod expoſitum eſt in præcedenti articulo, ſi pertinebat ad primum *velle* inordinatum amicitiæ, non pertinet ad aliquod *velle* inordinatum concupiſcentiæ: & ſi ad aliquod debeat reduci, videtur magis conſonare cum peccato luxuriæ. Licèt enim propriè luxuria ſit in actibus carnis: tamen omne delectabile immoderatè appetitum, inquantùm delectabile poteſt dici luxuria, ſi non eſt excellentia appetita, qualis non fuit iſta appetitio beatitudinis.

Omne delectabile immoderatè volitum luxuriæ videtur.

Quantùm ad deordinationem tertij [b] ſcilicet *nolle*, ſatis patet: quia quodlibet illorum nolle inordinatorum, fuit ira vel inuidia.

Et ſi obiiciatur de ipſo *concupiſcere ſe* inordinato, quod non fuit peccatũ luxuriæ: ergo fuit propriè aliquod aliud peccatum & non videtur per diuiſionem, quod fuerit aliud, quàm ſuperbia: & probatur diuiſio per illam famoſam, & communem diuiſionem peccatorum mortalium in ſeptem.

Vide infr. d. 42. & q. 18. quodl.

Diuiſio peccatorũ in 7. mortalia, eſt quadã accomodata partitio, nõ continens omnia peccata.

Reſpondeo, ſiue peccata mortalia diſtinguantur per habitus malos oppoſitos bonis, quales ſunt ſeptem habitus boni, quatuor ſcilicet morales, & tres Theologici; ſiue, quod magis videtur, per actus bonos: quales ſunt actus decem præceptorum: ſiue ſic, non eſſet illa diuiſio ſeptenaria peccatorum capitalium ſufficiens: quia primo modo deberent eſſe ſeptem peccata capitalia alia ab iſtis: ſiquidem infidelitas, & deſperatio ſunt propriè oppoſita illi ſeptenario; & non ſunt contenta ſub aliquo iſtorum ſeptem. Secundo modo deberent eſſe decem capitalia ſecundùm tranſgreſſionem Decalogi. Hæc ergo diuiſio non oportet, quòd teneatur ſufficiens in omnibus malis actibus, ſiue quoad omnes malos actus: quia iſtæ non ſunt primæ radices, nec fortè principalia peccata: ſed fortè multùm communes ad alia peccata, ſicut occaſiones peccandi.

17. Ad argumenta principalia. [d] Ad primum dico, quòd Auguſtinus loquitur de ſimpliciter primo peccato, quod fuit inordinatum *velle* amicitiæ: & illud fuit præſumptio, & concedo quòd illa præſumptio fuit ſimpliciter primum peccatum, ſed non vt eſt prima ſpecies ſuperbiæ, ſecundum quòd propriè ſumitur.

Ad arg. 1. in initio q.

Ad 2. Primum peccatum Angeli reducendum ad concupiſcentiam oculorum.

Ad aliud de illa diuiſione Ioannis [e] patet per hoc, quod præmittit, *omne, quòd eſt in mundo*: ita quòd peccata, quibus communiter peccant homines, continentur ſub illo trinario: ſed non oportet primum peccatum ſpirituale Angeli, quo Angeli primitus peccauerunt, ſub iſto peccato carnali contineri, imò illud peccatum concupiſcendi, in ſecundo gradu, ſi deberet reduci ad aliquod iſtorum, magis deberet reduci ad concupiſcentiam oculorum. Sicut enim in nobis ad concupiſcentiam oculorum ſpectant immoderati appetitus alicuius viſibilis pulchri: ita & in eis ad concupiſcentiam oculorum, debet ſpectare immoderatus appetitus delectabilis.

Ad

Ad tertium, patet quòd iſta diuiſio per ſeptenarium iſtum de peccatis capitalibus, non eſt ſufficiens, comparando ad actum concupiſcentiæ, niſi per quandam reductionem: & ſic poteſt concedi, quòd reducitur ad luxuriam, ſicut omnis inordinatus appetitus delectabilis, vt eſt delectabile, ad concupiſcentiam oculorum. *Ad 3.*

f Ad quartum dico, quòd non fuit vnicum peccatum tantum, quia fuerunt multa peccata, ſicut dictum fuit *diſt.* 5. Et cùm dicis, quòd primum fuit irremediabile. Dico, quòd quando peccauit ſecundo peccato, adhuc fuit in via: & per conſequẽs quando peccauit ſecundo peccato, potuit pœnitere de primo peccato: & ita primum peccatũ ex ſe, non fuit irremediabile: quia ſi pœnituiſſet, inueniſſet veniam, & miſericordiam, tamen ex quo in illo peccato deuenit ad terminum, omnia peccata eius facta ſunt irremediabilia: omne enim peccatum alicuius peccatoris perdurans vſque ad terminum viæ, eſt irremediabile: & qualiter iſta irremediabilitas ſit tantùm ex lege Dei, nulli habenti gratiam cùm fuerit in termino, dicetur *diſt.* 7. Nego igitur, quod aſſumitur ibi tantùm eſſe vnum peccatum, vnde incepit malitia Dæmonis ab immoderato amore ſui, quod non erat maximum peccatum, & conſummabatur in odio Dei, quod eſt maximum peccatum, quod ſequebatur ex hoc, quia non potuit habere volita manente Deo: & ideo ex inordinato appetitu priùs potuit Deum velle non eſſe: & ita odire. *Ad 4. Angelus plura peccata cõmiſit, & pœnitere potuit dum eſſet in via.*

18. Ad primum argumentum in oppoſitum, dico, quòd primum peccatum non fuit maximum. Sicut enim in bonis proceditur à magis bonis, ad minùs bona, ſcilicet à dilectione finis ad dilectionem eorum, quæ ſunt ad finem: ita è contra in malis, à minùs malo proceditur ad magis malum, iuxta illud Auguſtini 14. de Ciuit. Dei c. vltimo: *Amor ſui, vſque ad contemptum Dei.* *Ad arg. 1. ad opp. Primum peccatum angeli an fuerit maximum?*

Alia duo argumenta, ſcilicet de paſſione iraſcibilis reſpectu concupiſcibilis, & de appetitu excellentiæ, loquendo de excellentia, prout dicit comparationem excellentis ad alios, poſſent concedi: quia quantùm ad actum concupiſcentiæ, non primò concupiuit excellentiam, quæ eſt paſſio iraſcibilis, vel concupiſcibilis: ſed perfectiſſimam beatitudinem, tamen ſi loquamur de primo *velle* inordinato amicitiæ, poteſt dici quòd iſte non erat actus, nec paſſio iraſcibilis, ſed concupiſcibilis: ſi enim concupiſcibilis eſt concupiſcere bonum amato, eius etiam eſt amare bonum amatum, cui concupiſcit illud bonum. *Ad reliqua arg. opp. Cuius eſt concupiſcere bonũ amato, eiuſdẽ eſt amare amatum.*

COMMENTARIVS.

1. a *QVantùm verò ad deordinationem.* Hîc Doctor dicit duo.

An appetitus beatitudinis fuerit propriè ſuperbia.

Primum, quòd appetitus beatitudinis non fuit propriè ſuperbia; patet, quia *non quantùm ad eius primam ſpeciem: quia præſumptio ſi pertinebat ad primum* velle *inordinatum amicitiæ, non pertinet ad aliquod inordinatum velle concupiſcentiæ*, vt patet, quia diſtinctæ ſunt rationes reſpectu *velle* amicitiæ, & *velle* concupiſcentiæ.

Secundum eſt, quòd appetitus beatitudinis immoderatus magis conſonat peccato luxuriæ, pro quanto *omne delectabile immoderatè appetitum, inquantum delectabile, poteſt dici luxiria*, &c.

b *Quantum ad deordinationem tertij*, &c. Quia nollens aliquid, vellet nolitum non eſſe, ſicut patet de damnatis, quia nollunt detineri à voluntate diuina iu igne, ideò volunt tale nolitum non eſſe, & per conſequens volunt *velle* diuinum, quo detinentur ibi non eſſe, & hoc ex conſequenti, quia nolunt talem punitionem, & per conſequens volunt ipſam non eſſe: & quia talis punitio eſt auctoritate diuina, ex cõſequenti volunt illam non eſſe, & ex hoc ſequitur propoſitum, quia *eſſe* Dei erat maius *eſſe* Angelorum, & ſimiliter ſua beatitudine: & quia non potuerunt habere beatitudinem, vt volebant, in tantum creuit appetitus habendi, & non habuerunt, & in hoc nolebant in habendo ſubici Deo, ideò noluerunt Deum eſſe, & triſtabantur de perfectione Dei, ſaltem concomitanter, & ita inuidia; quia inuidia eſt triſtitia de bono alterius, quæ triſtitia ſequitur ad nolitionem talis boni, & tamen poſiti, quia triſtitia eſt ex his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt, vt patet per Auguſtinum 14. *de Ciuit. Dei*, ad quam inuidiam communiter ſequitur ira.

c *Etſi obiiciatur de ipſo concupiſcere*, &c. Contrà, Dicit Doctor, quòd diuiſio peccatorum, vel accipitur per oppoſitum ad ſeptem habitus, ſcilicet quatuor morales, & tres Theologicos: adhuc iſta diuiſio eſt inſufficiens, quia infidelitas, & deſperatio non continentur ſub aliquo iſtorum: licèt enim temperantiæ opponatur gula, & luxuria; & fortitudini accidia; iuſtitiæ auaritia; charitati ira; fidei autem, & ſpei nullum aliorum opponitur, ſed poſſunt ſtare cum fide, & ſpe, & ita infidelitas, & deſperatio non erunt de numero illorum ſeptem, & ſic inſufficiens diuiſio. Aut iſta diuiſio ſumitur per oppoſitum ad actus bonos decem præceptorum, & ſic deberent eſſe decem peccata capitalia ſecundùm tranſgreſſionem Decalogi, & ita illa diuiſio non tenetur in omnibus actibus malis; quia ſunt multi actus mali, qui nec continentur ſub aliquo ſeptem; nec ſub aliquo decem peccatorum. 2. *Diuiſio peccatorũ quid.*

Et

Et addit, quòd nec iſta ſeptem peccata ſunt primæ radices peccatorum, ſed amor ſui inordinatus, nec ſunt principalia peccata, ſed iſta, odium Dei (ſi ponatur) deſperatio, infidelitas, quæ opponuntur primis habitibus bonis Theologicis, imò iſta ſeptem ſunt radices valdè communes, & magis occaſiones peccatorum, quàm cauſæ peccandi.

d *Ad argumenta principalia. Ad primum.* Reſpondet Doctor, concedendo quod tale peccatum eſt præſumptio, & hoc modo ponitur ſuperbia, ſed non fuit illa prima ſpecies ſuperbiæ, ſecundùm quòd accipitur propriè ſuperbia, vt ſuprà expoſitum eſt, quæ ſcilicet eſt appetitus excellentiæ.

Quomodo intelligatur auctoritas Ioannis.

e *Ad ſecundum.* Dat duas reſponſiones. Prima, quòd auctoritas Ioannis intelligitur de hominibus exiſtentibus in hoc mundo. Secundò, quòd ſi illud peccatum concupiſcendi in ſecundo gradu deberet reduci ad aliquod iſtorum, magis deberet reduci ad concupiſcentiam oculorum; ſicut in nobis ad concupiſcentiam oculorum ſpectant immoderati appetitus alicuius viſibilis pulchri, ita & in eis ad concupiſcentiam oculorum debet ſpectare immoderatus appetitus delectabilis, & ſic peccatum mali Angeli, quod fuit reſpectu *velle* concupiſcentiæ magis debet reduci ad concupiſcentiam oculorum, & illud non fuit ſimpliciter primum peccatum.

Ad tertium. patet reſponſio.

Ad quartum reſpondet negando antecedens, quia fuerunt multa peccata, vt ſuprà patuit *diſt. 5. art. 3.* vbi ſic dicit, quòd *in ſecunda mora, in qua fuerunt difformes in via, fuerunt multæ mortales, quia mali peccauerunt multis ſpeciebus peccati, ſcilicet ſuperbia, odio, & inuidia, & iſti actus non in eodem inſtanti fuerunt elicit.* hæc ille. Et ſic patet antecedens eſſe falſum, & cùm probatum per hoc, quòd primum peccatum fuit irremediabile. Dicit Doctor quòd ſi pœnituiſſet, quando peccauit ſecundo peccato, inueniſſet veniam, tamen ex quo in illo peccato deuenit ad terminum, omnia peccata eius facta ſunt irremediabilia.

Quomodo peccatum eorum nõ fuerit ſuperbia.

Oppoſitum. Hìc probat quatuor rationibus, quòd peccatum eorum non fuerit ſuperbia, quòd tamen debet intelligi, vt expoſui in corpore quæſt. quòd ſi quis vellet ſuſtinere, quòd fuerit ſuperbia eo modo, quo expoſitum eſt, poterit reſpondere ad iſta argumenta, quæ probant non fuiſſe ſuperbiam. Primum argumentum ſtat in hoc: Superbia non eſt maximum peccatum; ſed peccatum mali Angeli fuit maximum, ergo. Maior patet, quia oppoſitum non eſt maximum bonum, quod eſt humilitas.

Reſpondet Doctor, negando minorem, quia primum peccatum eorum non fuit maximum, &c. Reliqua patent,

DISTINCTIO.